# GALENI
## IN LIBROS HIPPOCRATIS,
### & alior. Commentarii.

Hoc volumine post classes omnes, voluimus omnes Galeni, qui extant, commentarios tum in libros Hippocratis, tum in aliorum scripta, contineri: quos multis partibus plures in linguam latinam nuper conuersos, & ad veterum librorum fidem summa diligentia, & singulari cura emendatos, auctosque studiosi ita comperient, vt nunc denique Galenus suam amplitudinem, dignitatemq; obtinere uideatur. Nam & TRES IN LIB. HIPPOC. DE HVMORIBVS COMMENTARIOS, ET DIMIDIVM SEXTI IN SEXTVM EPIDEMIARVM, ET SEPTIMVM, ET OCTAVVM adiunximus.

*Indicem librorum versa pagina continet.*

CVM PRIVILEGIIS.




VENETIIS,
Apud Vincentium Valgrisium.
M D LXII.

# GALENI

# GALENI IN LIBRUM *HIPPOCRATIS DE HUMORIBUS* COMMENTARII TRES,

*Nuper in lucem editi, & latinitate donati.*

*A Io. Baptista Rasario.*

MAXIMA fuit inter ueteres Hippocratis interpretes de libro qui de humoribus inscribitur, dissensio: Zeusis enim, & Heraclides, qui in omnia Hippocratis opera commentarios conscripserunt, ipsum esse a ueris Hippocratis libris
B omnino reijciendum existimant. Glaucias autem, & alij hunc quidem librum ad Hippocratem auctorem referunt: non ad magnum tamen illum, cuius sunt aphorismi, & cetera, de quibus nos ĩ libris de difficultate respirationis disseruimus: quam etiam sententiam Dioscorides, & Artemidorus, cognomento Capito qui dicebatur, a quibus multa in ueterũ scriptis innouata sunt, habuerunt. alios uero etiam comperias, quorum non facile sit pernosse sententiam. ij enim quędam esse Hippocratis, quædam non esse hoc in libro concedunt: propterea quod multa ad summam redacta breuitatem, quædam longiore explicata oratione, quàm esset in senis nostri more positum, inuenirent. quã ob rem quæ ordine, & ea dicendi ratione, qua uri ipse solet, proposita esse perspiciunt: ea illi ita explanant, ut uera, atque propria: quæ confusa, & sine ordine, aut alio modo quodam dicta intuentur: ea interiecta esse prorsus contendunt. Quidam etiam perueteres inuenire libros, uel trecentos iam ab hinc annos descriptos magno studio sunt conari: ut quæ deprauata esse uidebantur, emendarent. quæ omnia apud eos, qui primi in hunc librum explanationes ediderunt, esse animaduertenda existimaui, ut plurimorum, & probatissimorum librorum ope adiuti, ueras lectiones inueniamus: ac res melius, quàm spe-
C raram, mihi successit. quocirca subit mihi audaciam eorum, qui commentarios conscribunt, admirari, qui cum debeant utilissima quæque docere eos, qui nuper ad medicinam perdiscendam animum adiũgunt: alia potius faciunt omnia: atque in nugis multum operæ, temporisque consumunt. Sed quoniam sunt, qui uelint hunc librum a Thessalo Hippocratis filio, aut a Polybo eius genero confectum esse, quorum uterque suis in scriptis artem & sententiam Hippocratis secutus est: neque remota ab his censentur, quæ ab Euryphonte sunt litterarum consignata monimentis, si unquam maius otium nanciscar, cõmentarium profecto conficiam, in quo qui ueri, quique spurij libri Hippocratis sint, exponam: quemadmodum de libris, qui sunt de morbis uulgaribus in commentarijs de difficultate respirationis fecimus: cũ explicaremus, primum librum, secundum & tertium non solum ab Hippocrate cõfectos existimari ab ijs, qui sunt in hisce rebus præstantissimi, sed etiam rerum tractatione, & proprietate inter se connexos iudicari. eandem quoque rationem esse eorum, quæ in quarto, sextoque habentur, demonstratum est. quos sane libros a Thessalo, Hippocratis filio compositos esse, constat inter omnes: qui cum patris commentarios, quibusdam in membranis, aut tabulis exaratos comperisset, non pauca ipse de suis adiunxit. quinctum autem, & septimum nemo, opinor, est, qui dignos uera, ac propria Hippocratis mente, atque sententia iudicaturus uideatur: atque, ut ego quidem censeo, ne quartum quidem.
D Sed hæc missa faciamus, & iam ad libri nobis propositi explanationem aggrediamur.

*Color humorum, ubi non est humorum reciprocatio, ueluti efflorescit.*

In plurimis ueteribus libris ita, ut nos attulimus, huius orationis initium scriptum inuenimus: in quibusdam uero loco eorum, quæ hic uides, hæc scripta sunt: Color humorũ, ubi nulla est ipsorum perturbatio, ut in floribus, in ætatum successione cõmutatur. Sed hoc mihi non uidetur esse Hippocraticæ dicendi rationis proprium: immo uero potius affixum ab alio, ut hic libellus, qui per se ipse paruus est, maior uideretur. quo enim tempore Pergameni, Alexandrinique reges inter se de libris sibi comparandis certatim contendebant, eo ipso tempore ab ijs, qui pecuniarum caussa ad reges clarorum hominũ scripta afferebant, & inscriptiones, & confectiones librorum deprauari cœperunt: quemadmodum in libro de natura humana, & de ratione uictus in morbis acutis, & alijs plerisque usu uenisse demonstrauimus. nam cum hunc librum ob paruitatem despici facile posse quispiam existimaret, multa plerisq; ĩ locis, ut magnus redderetur, interiecit. Dioscorides aũt existimat hãc dictionẽ esse Hippocratis Thessali filij: siquidem magnus Hippocrates duos habuit filios, Thessalum, & Draconem: quorum uterque filium nomine Hippocratem suscepit. atque hæc quidem de ipsa dictione. nunc uero par est, ut singula uerba seorsum expendamus. Color inquit humorum. notas, ex quibus temperaturam noscimus, suppeditat color. idem noxæ magnitudinem indicat: ut si ulcus omnino siccum sit propter eius facultatis,

qua corpus alitur, imbecillitatẽ; nõ unus in eo color erit perpetuo: sed pro humorũ qui in corpore sint, E uarietate, magnitudineque noxę, uariabitur. ut, exẽpli caussa, si amaræ bilis humor in corpore redũdarit: color pallidus apparebit: si humor sit melancholicus, tum aut liuidus, aut in alterutra uiridis significatione, cum uiride modo idem, quod pallidum, modo idem, quod æruginosum significet: ut interim maior noxa liuidum colorem, qui prope ad nigrum accedit: minor rubrum, & uiridem efficiat. hoc cum in singulis corporis partibus clare, tum uero in facie euidentius perspicitur: siquidem pessima coloris commutatio habetur, quæ ad nigrum tẽdit, utpote refrigerato iam sanguine: ut facere solet, cum foras effusus in grumos coit: moderatior uero, cum ad uiride uergit: id quod diuturnis in morbis sæpe cernitur, sed tamẽ in principijs perraro: quocirca eo tempore maximum periculum impendere significat; ut scriptum reliquit Hippocrates. etenim cum totius corporis color immutatus sit, tum & malum, & perniciosum putandum est: ad hoc tamen alia quoque signa accedunt: ut cum oculi lucem refugiunt, in cuius rei caussa est imbecillitas eius facultatis, quæ ad aspectum pertinet: ut cum propter infirmitatẽ continentis facultatis lacrymas emittunt: ut cum distorquentur, quod laborãte neruorum origine, musculi oculos mouentes conuellantur. ut cum alter oculus minor, quàm suapte natura esset, reddatur, quod facultatem ipsum gubernantem inde esse extinctam intelligamus. Iam uero in malis etiam habendum est, cum alba oculorum esse rubra uidentur: sicut cum uenulæ in eis aut liuidæ, aut nigræ sunt. F nam ut rubræ propter plenitudinem, aut inflammationem quandam partium ad cerebrum pertinentium, uidentur: sic nigrescunt, & liuent, dum refrigerantur. refrigerantur uero dum extinguũtur. quocirca fit, ut huiusmodi colores perpetuo perniciosi censeantur. uerum enimuero bonus faciei color, si multum mœstitiæ adiunctum habeat, in malis esse consueuit. putant enim persæpe medici, faciei bonum colorem significare aut sanguinis e naribus eruptionem criticam, aut abscessus secundum aures futuros: & tamen falluntur: præsertim uero si habeat multam mœstitiam coniunctam. neque enim usu uenit, ut ægroti ita bono colore sint, sicut ij, qui optime ualent: sed magna ui caloris ualde rubri effecti, hoc consequuntur, ut similes ijs, in quibus bonus est color, esse uideantur. nam quod ualde rubrum est, idem est ad melancholiam pronum: cuius apertum signum est mœstitia: quæ si multa sit, id ipsum multo magis confirmat: qua ob rem cum facies florida uideatur, ęgrotus uero mirum in modum mœstus sit, tum calidam admodum affectionem, quæ sanguinem exurat, ideoque atram bilim gignat, in cerebro esse plane constat. Interdum uero etiam calidissimus sensus nobis insuetus in habitu corporis exoritur, cum humores calidi ceteris excellunt: ut etiam frigidissimus, cum frigidi dominantur. atque ubi pituita redundat in corpore, candidiores: ubi bilis, pallidiores homines uidentur. sique purior bilis sit, flauiores. color enim ab humoribus, non a solidis animantis partibus, proue- G nit, cum humores se in intimas corporis partes receperunt: id quod eis contingit, aut propter frigus, aut rigorem, aut aliquam animi perturbationem, quo in numero sunt timor, magna tristitia, aut pudoris initium. si horum nihil adsit, humores in intimas corporis partes se nunquam recipient: sicut neque unquam facto in cutim impetu uiolentius, eam adurent, nisi animum occupet aliqua perturbatio; aut calor immodicus extrinsecus animal obsideat. proinde recte dictum ab Hippocrate est, ubi non est humorum reciprocatio. etenim in ijs, qui uehementer commoti sunt, aut ira pereiti, aut pudore affecti, ueluti reciprocantibus humoribus, seque intro retrahentibus, animum ad colorem adhibere non oportet. quod si nulla uis frigoris, aut caloris, aut nulla perturbatio earum, quas nunc dixi, ambientem nos aerem infestum habeat, certe humores ex colore cutis uere dignoscentur. fit enim interdum, ut medici, atque hi quidem non uulgares redundare sanguinem in corpore arbitrentur, falsi nimirum coloris mutatione. & tamen non redundat: sed illa coloris commutatio aut ab aeris nos ambientis calore, aut ab iracundia, aut etiam a febri profecta est. quandoque etiam esse imminutum sanguinem putant: nec tamen id uerum est. id quod usu uenit, cum is a frigore compulsus in partes intimas se recepit. potes autem id ipsum in mari persæpe contemplari, quod cum agitatur, maius: cum tranquillum est, minus multo uidetur. Cum igitur corpus se ipso albidius sit factum, H neque ulla adsit perturbatio, tunc pituitosum humorem abundare plerunque indicat: cum uero sit pallidius, aut magis flauum, biliosum. sic etiam si ad rubicundius uergat, quàm naturæ status ferat, redundare sanguinem: si ad nigrius, atram bilim fere significat. sunt etiam quorum color plumbum imitetur. alij, quorum ceu mixtio ex albo, & liuido quædam. atque huiusmodi quidem colores crudum abundare humorem declarant: qui genere ille quidem pituitæ continetur, minus tamen, quàm, quæ consueto uocabulo pituita appellatur, humidus est. huncq; humorem, Praxagoras uitreum nominat. at sanguis in medio horum & biliosorum est. eorum autem aliqui, prius quàm alimentum sit accurate in sanguinem conuersum, uelut semicocti sunt: aliqui omnino incocti: alij a forma sanguinis parum absunt: aliqui rursus uelut postremi ad gignendum sanguinem, excessum caloris consequuntur: quorum alij parum absunt a sanguine: alij plus: alij plurimum. quo sane tempore, si uacuatione opus sit, tunc secare uena poteris, hac adhibita distinctione: ubi parum in utrãque partem recesserint, audacter mitti sanguis poterit: ubi plus, cautius agendum: ubi plurimum, plane abstinendũ. qua in re sæpe coloris sanguinis mutationem intueri oportet: ac modo sanguinis profluentis, modo uero etiam ægrotantis hominis. Sed & animi defectio solet esse in multis affectibus euacuationis terminus. itemq; fluentis sanguinis tenor labascens, & pulsus commutati: atque alia multa, quæ nos in libro

A libro de uenæ ſectione ſumus diligentius' proſecuti. nunc autem non eſt ignorandum, ſi quæq; pars
ſucco alitur, qui ſui ſimillimam habeat eſſentiam, eſtq; ſibi natura comparatum, cum ut ſibi ſuccum, al-
terando, & immutando paret, ſanguinem ex carne iecinoris eſſe ortum habiturum. cor etiam hoc eodē
eſt præditum colore, ſed non adeo, ut iecur: quod humidius corde, ideoq; rubicundius, molliuſq; exti-
tit: cor uero eſt iecore ſiccius', atq; calidius. neq; proprius ipſius ſanguis eſt ſanguini iecoris ſimilis, ſed
quo calidius uiſcus uiſcere, eo flauior ſanguis uidetur. qui color ita eſt ſiccioris ſanguinis proprius, ſi-
cut ruber humidioris. cuius quidem ſanguinis temperatura humidi, & colore rubri prima generatio in
iecore eſt: eiuſq; ductus, a quibus deriuatur, & in totum corpus diſtribuitur, uenæ ſunt. at flaui ſangui-
nis, ac tenuis, & ſpirituoſi prima generatio in ſiniſtro cordis uentriculo conſiſtit: huncq; ſanguinem in
totum corpus arteriæ comportant, atq; diſpenſant. quæ etiam res facit, ut iracundiæ ſedem in corde ſi-
tam eſſe, nobis perſuadere debeamus. itaq; in morbis facere coniecturam ex colore oportet, ut humo-
rem in corpore redundantem cognoſcamus: niſi humores in imas corporis partes ſe receperint. color
enim inquit, ſimilis humoribus efflorescit, cum nulla eſt reciprocatio. itaq; in iis, qui intro maxime re-
ceſſerunt, nec ſunt per totum corpus æquabiliter diffuſi, ſpectanda ſunt hæc, anni tempus, regio, ætas,
& morbus: & humor noxius, neq; alius ante illum, euacuandus eſt: ut ſi, exempli cauſſa, pituita redun
B det, eam euacuabis: ſi bilis flaua, aut atra infeſtum hominem habeat, pituitam non attinges, ſed bilim
infeſtam educes. Simili quoq; modo cum ſanguis redundarit, aut eius ſerum, eius erit facienda euacua
tio. unus enim quiſq; humor in corpore redundans propriis notis diſtinguitur: ut ſi in toto corpore fla
uus ſit factus color, ut in morbo arquato accidit, neq; bilis per ſedem excernatur: aut aliquæ puſtulæ
bilioſæ per totum corpus eruperint; & particularim, ſi uentriculi morſus, aut cibi faſtidium, aut appe-
tentiæ uacuitas adſit, ſitiſq; torqueat, oſq; amareſcat, aut ignis ſacer aliquam corporis partē obſideat,
aut homo tertianam febrim, aut ardentem ex bili habeat; in quibus ſane omnibus flaua bilis abundat:
erit bilis iis medicamentis, quæ ab actione, bilim educentia nominantur, euacuanda. quo in loco non
modo uulgares, ſed præſtantiſſimi etiam medici animum aduertere diligenter debent: ſiquidem hæ no
tæ non accurate perpenſæ, in errorem inducere homines ſolent. quam ob rem in aphoriſmis Hippo-
crates, nobis recte conſulens, aliam notam tribuit, attendendum eſſe, cum ægri facile tolerant. ut hac
freti, recte fieri euacuationem, intelligamus. atq; in atræ quidem bilis exuperantia, ſpectare colorem
par eſt: quando in hac quoq; totius corporis color in nigriorem mutatur. immo uero affectus omnes,
qui ab eius exceſſu oriuntur, humoris copiam perſpicue indicant, ut elephas, ut cancer, ut quartana fe
bris, ut lien magnus, & uarices nigreſcentes: & quæ melancholia nominatur, & omnis inſania imma-
C nis, temeraria, & fera. Iam uero etiam, qui humores in muliebri corpore abundent, menſtruorum indi-
cat color: atq; eorum notas Hippocrates litterarum monimentis conſignauit. nunc uero, ut de flaua
bili dictum eſt nobis, ita de pituita dici poſſe exiſtimabis: ut œdematoſi tumores, puſtulæq;, & totius
corporis color humoris formæ reſpondeant: quem etiam ſequantur quotidianæ febres, mentis pigri-
tia, & torpor, propenſiones in ſomnum, capitis grauitates, & acidi quidam ructus: ſi quando talia in
uentre redundarint. at de ſanguine quorſum attinet dicere? is enim' non eſt unum quid accurare, ſed
ex contrariis, differentibuſq; conſtat partibus: eſtq; in eo uelut liquor ſanguinis, ac uelut limus quidā,
& fæx. immo uero etiam ueluti fila ineſſe ſanguini, clare licet intueri: quibus ſublatis, ſanguis non con
creſcit. ac ſanguis a filis ſecretus, & colore & eſſentia differt, ut quidam accurate ruber, quidā flauior,
quidam nigrior uideatur. quandoq; etiam quidam candor in eo efflorescit: quandoque totus eſſe liui-
dus conſpicitur: ac ſæpe prope ad nigrorem accedit. quæ cum ita ſint, planum eſt, in eo redunda-
re ſæpenumero craſſum, nigrumq; humorem: propter quem totius corporis color nigrior appareat,
cicatriceſque nigreſcant: & uenæ in cruribus contracto liuido colore in uarices conuertantur. quan-
doque uero ſuperat flauus humor: quem & uomitus, & deiectiones, & alia ſignificant. interdum
uero ruber, aut albus: ut ex totius corporis colore, capilliſque, & uomitibus, & alui excrementis
D deprehenditur. Sed quod omiſerunt ij, qui uerbo tenus medici uocantur, eſt a nobis hoc loco di-
ſtinguendum: quemadmodum inquam in corporis partibus, quæ ſub aſpectum cadunt, modo in
omnibus eadem apparet temperatura, quod ad colorem pertinet, vt in morbo arquato, & elephan-
tiaſi, & aqua inter cutem, & malo habitu, & ijs colorum uitijs, quæ ab iecinore, lieneq; orta ſunt: mo
do unius ſolum partis, in qua vel bilioſus, vel pituitoſus, vel melancholicus humor inhæſerit, tempera
tura permutatur: ita etiam in cerebro accidat: vt interdum omnis, qui venis continetur, ſanguis me-
lancholicus fiat, & communi noxa, cerebrum quoq; offendatur: interdum uero, vt ſanguis, qui in toto
hominis corpore ſit, illæſus maneat, & ille ſolus, qui in cerebro eſt, alteretur: idq; dupliciter: vt uel a-
liunde in ipſum confluat, vel in ipſo melancholicus humor ſit genitus: qui quidem gigni ſolet, cum ma
gna interni caloris copia flauam bilim, aut craſſiorem, nigrioremq; ſanguinem aſſauit. id quod digno-
ſces hoc modo. In primis corporis habitum, qualis ſit, intuebere; ac memento, molles, candidos, pin-
gueſq; melancholicum humorem minime continere: graciles, nigriores, hirſutos, quique latas uenas
habent, eos eſſe ad huiuſmodi humorem gignēdum aptiſſimos. vſu etiam interdum uenit, vt prærubro
colore homines in melancholicam temperaturam affatim cadant: itemq; flaui: præſertim uero, ſi in ui
gilijs, ac laboribus prius uitam duxerint. Illud etiam ſpectandum eſt, ſint ne ulla ora uenarum cohibi-
ta, aut ulla alia conſueta ſanguinis euacuatio, aut in mulieribus menſtrua retenta purgatio: & quibus

homo alimentis usus sit. quæ res nobis est in primo de facultatibus alimentorum definita, atq; distin- E
cta. itaq; si in hoc uitæ genere uersatus homo est prius, quàm in morbum incideret, tibi erit integrum etiam ex hoc maiorem quampiam sumere coniecturam. si uero boni succi alimentis usum illum compereris, habeto rationem exercitationum, tristitiæ, uigiliarum, curarumq;. ad hæc accedat oportet anni tempus, præteritaque & præsens constitutio, itemq; regio, & ægrotantis ætas; de quibus paulopost uerba a nobis fient. nunc autem satis ad rem indicandam erit exemplum, quod subiungam. ponamus igitur, vacare febri hominem, venasq; maiorem in tumorem elatas esse, corpusq; uniuersum esse rubicundius. spectandum erit, num ulla caussa ex ijs, quæ calfaciendi uim habent, ad corpus accesserit. si ulla adfuisse uideatur, præstiterit reijcere in aliud tempus eam dignotionem, donec motus ex illa excitus in toto corpore conquieuerit; vt sit in omnium externarum motionum cessatione constitutum. ac si eo tempore homo talis videatur, scito sanguinem redundare. hinc autem alia perpendenda sunt: atq; in primis, quæ maximam uim habent: tum deinceps reliqua: cuiusmodi sunt grauitas, tentio, & segnities ad motus: deinde quæ ad pulsus, uigilias, somnos, appetentias, cibi fastidia, ac cetera huius generis pertinent. post hæc uero, utrum suppressa sit ulla cósueta excretio, num omissa exercitatio, num plura, & ualentis materiæ alimenta continenter ingesta sint: num a cibo insuetis balneis usus sit: vt interim nonnegligas, quæ ad anni tempus, regionem, & alia, uti diximus, referuntur. Quidam tamen sunt, qui F
putent, colorem non modo qualitatem, sed etiam essentiæ quantitatem indicare: sed falluntur: cum in nulla re, quæ per essentiam augeatur, pristinus color mutetur. ita enim & nix candidior, & pix nigrior, & aurum magis flauum redderetur. ex quo plane patet, incrementum essentiæ aliud esse, quàm alterationem: incrementū.n. ad quantitatem: alteratio ad qualitatem pertinet. color vero qualitatis essentiæ, non quantitatis est indicium. tanta igitur, ac talis est colorum prærogatiua, de quibus est a nobis conscripta tractatio, ac demonstratum, ipsorum notitiam magno nobis esse & ad curationem, & ad dignotionem morborum adiumento: præsertim vero ad hoc valere eos colores, qui in facie, in oculis, in lingua, atq; urinis conspiciuntur. quanquam decipi quosdam uidemus, qui cum in oculos intuentur, firmum se nactos esse totius corporis temperaturæ argumentum ex oculorum colore arbitrantur, cum tamen inde solum oculorum cognoscere temperaturam eis concedatur. immo uero etiam in iecoris uitijs, linguæ & totius corporis color uitiatur. ac si inflammatione tentetur membrana costas succingens, sputum colore inficitur: atq; ita, ut si biliosior sanguis sit, flauum, aut pallidum sputum sit: si pituitosior, spumeum, & album: si magis melancholicus, nigrum, aut liuidum: si nihil horum subsit, rubrum: interdum vero etiam tenuia, salsaq;, & colore sincero infecta sputa fiunt, ut ipse quodam in loco memorauit: neq; tamen inde facere de temperatura totius corporis coniecturam debemus. Age uero quid G
de vrinarum colore dicemus? nisi enim vnum ego de urinis librum conscripsissem, certe multa de eis mihi essent hoc loco afferenda necessario. verum nihil opus est eadem huc transferre, & longiorē orationem instituere. tantum addam, quod ad præsagiendi rationem ualeat. cum igitur quartus dies, ut ipse nos docuit, index sit, & qualis septimus sit futurus, nunciet, omne, quodcunq; in eo primo notabile concoctionis signum apparuerit, futuram septimo die crisim significat. ac tunc non modo rubra quædam nubes apparet, quæ uisa prius non esset, sed etiam multo magis sublimamentum album, æquale, & consistens. si uero uelox admodum sit morbi motus, tunc coloris, cósistentiæq; mutatio satis potest futuram crisim indicare. itaq; si urina tenuis fiat modice crassa, sique alba fiat pallida, in huiusmodi morbo crisin prænunciabit. sed alia quoq; sunt, quæ non secus, quàm vrinæ, futuras crises significant, ut alui excrementa, sputa, & quæ in criticis superuenire diebus solent: de quibus nos in commentarijs de crisi, deq; criticis diebus disseruimus. Hippocrates uero in aphorismis quodam in loco rubræ nubis solum mentionem fecit: vtpote quæ raro contingat: quod fere nubeculæ albæ appareant: estque id euidentius concoctionis indicium. nos autem docuimus, ex Hippocratis sententia, rubrum colorem salutarem esse illum quidem, sed tamen diuturniorem fore morbum indicare: vt est in libro præsagiorū scriptum his fere uerbis: Si urina subrubra sit, subsidētiaq; subrubra, leniaq;, erit hæc multo, quàm prior, H »
diuturnior: admodum tamen salubris. quo in loco addidit admodum, ut firmum salutis signum inde »
existere, declararet. Nunc autem his omissis, occasio nos monet, ut de humoribus disseramus. Hoc igitur prius intelligendum est, humorem, & succum non idem esse. humor enim est humiditas quædam, quæ in corpore animantis continetur: succus humiditas est, quæ in iis fructibus, quibus uescimur, aut quos exprimimus, inuenitur. quod cum ita sit, de humoribus dicendum est: constare nimirum inter sapientes homines, omnia corpora ex quattuor quibusdam generibus, quæ proportione humoribus respondent, quæq; elementa omnes uocant, esse constituta: eaq; fuit Hippocratis, Platonisq; sententia. constant enim e terra, igne, aqua, & aere. elementum porrò uocant minimam illius rei, cuius elementum sit, partem. hisce autem elementis proportione respondent, uti dixi, quattuor humores, qui sunt in nobis: hoc est sanguis, pituita, bilis utraq;, tum flaua, tum atra. cum autem hi humores inter se apta mensura sunt, secundum naturam temperati: tunc recte ualemus: cum uero aut deest, quidpiam, aut redundat, aut in alienum locum commigrat, ęgrotamus. nunc uero scire, quid caussæ sit cur aqua humectet, ignis adurat, aut aqua fluat, & ignis in sublime feratur, firmissimaq;, & grauissima omnium elementorum sit terra, nihil ad morbos curādos facit. satis enim est ei, qui tueri ualetudinem uelit, ac morbos profligare, si sciat, ex apta caloris, frigoris, siccitatis, & humiditatis temperie bonam uale-

A ualetudinem existere : ex horum intemperie,morbos oriri : atq; etiam si intelligat,ex quattuor elemē-
tis stirpes gigni,earumq; fructus, & semina procreari : hæcq; omnia esse pecudum, suum, caprarum,
boum,& ceterarum animantium aliméta,quæ aut herbas,aut arborum baccas,aut ramos, aut radices
depascuntur : hominibus uero & hæc ipsa animalia nutrimento esse : & ex eis gigni in humanis corpo
ribus sanguinem,pituitam,& geminas biles : ac sanguinem quidem plurimum, ideoq; ipsum solum in
uenis apparere : alia uero pauciora procreari. ceterum hic sanguis est ortus nostri ueluti materia : con
statq; e quattuor humoribus,sed hoc nomen a dominio duxit. nolim autem quenquam cogitare, cor-
pora ex quattuor elementis absolute esse cóstata : quandoquidem illa ut potestate sint in corporibus,
actu tamen nullo modo insunt : sed quæ ex ipsis , intercedentibus alimentis gignũtur : ut sanguis, pi-
tuita, & flaua, atraq; bilis : ut flaua bilis igni : atra, terræ ; pituita aquæ proportione respondeat : ob
eamq; caussam calida,siccaq; potestate sit flaua bilis,sicut ignis : frigida & sicca, atra, sicut terra : pitui-
ta uero frigida. & humida, ut aqua : aereum uero elementum in solis corporibus animantium cerni-
tur,iuxta suam naturam : ut in respirationibus, & pulsibus licet intueri. atq; ex his ipsis prima constant
corpora,ut medulla,& caro,& nerui,& ossa,& alia quamplurima. Hippocrates autem in libro de nā-
tura hominis,quattuor in nobis esse elementa comprobauit : quorum excedens modum copia atque
B uis,& immutata qualitas morbis caussam affert. tum ostendit , pituitam hieme : sanguinem, uere : fla-
uam bilim æstate ; atram autumno redundare. ad hæc uero addidit,quæ ad temporum anni differentiā
pertinent : & in horum tractatione de ætatibus quoq; , & regionibus potestate quadam egit. eandem
enim rationem in ætatibus puer , quam in anni temporibus uer habet : eandem iuuenis , quam æstas :
eandem senex,quam autumnus : eandem postremo decrepitus,quam hiems. similis est ratio regionũ:
temperata enim ueri ; calida æstati : quæ in calore & frigore inęqualis est,in frigore tamen & siccitate
exuperat , autumno : humida & frigida hiemi respondet. Scire autem cóuenit, omnia quidem genera
morborum in omnibus temporibus nasci : idq; iam definiuit Hippocrates : potius tamen quosdam
morbos in quibusdam temporibus exoriri : de quibus paulo post, ut etiam de ætatibus differemus.
Nunc autem subit mihi illorum admirari stultitiam, qui de humano corpore loquentes , ut quomodo
conflatum sit,& ab initio conformatum,declarēt : quædam in eo inesse aiunt forte quadam artis, ac ra
tionis experte,& non sapientis opificis prouidentia,conformata : cum tamen faber, si lecticam fece-
rit,dextrosq; pedes sinistris æquales fabricatus sit , artifex : si uero pedes uel longitudine, uel crassitu-
dine, uel figura diuersi sint, imperitus, & non artifex appelletur. illi tamen hoc in humano corpore nó
animaduertunt : in cuius fabricatione omnes tum philosophi , tum medici sapientissimi naturæ artem
C sunt admirati : siquidem non est hoc,ut quispiam fortasse parum accurate intuēs existimabit, ex decé,
aut duodecim,aut uiginti particulis constitutum : sed ex pluribus ossibus & musculis quàm ducentis :
deinde in ossa singula uasculum ipsa alens peruenit : in musculos uero non modo pertinet id uasculũ,
cui uenæ nomen est,sed etiam arteria,atq; neruus : omniaq; quæ in dextra parte sunt , in altera etiam
ut musculi,ut uenæ,ut arteriæ,ut nerui,ut ossa inter se prorsus æqualia perspiciuntur. quæ sane disposi-
tio non modo iustitiam in corporis nostri fabricatione,sed etiam summam potestatem & prouidentiā
conditoris nostri aperte demonstrat. ad hæc uero specta ossium,musculorum,& aliarum particularum
magnitudinem,situm,compositionem,numerum, figuram, totam deniq; conformationem : quæ cun-
cta ubiq; seruari constat. atq; hanc quidem distributionem in omnibus corporis partibus , quæ orga-
nicæ nominantur,comperies. nam dextræ,sinistræq; habent æqualem numerum,magnitudinem, cras-
situdinem, ac naturam, quæ nullo modo uarietur. ut igitur de humanis affectibus iudicia facimus , sic
facere de diuinis par est, & effectorem nostri corporis admirari. Sed aliud est , quod maiore admira-
tione me afficere consueuit : sunt nonnulli, qui in nobis quosdam esse humores illi quidem concedũt,
sed tamen non esse quattuor eis placet : & cibos in sanguinem uersos ad aspectus, gustatus, & tactus
iudicium permutari : id autem re uera esse , non concedunt : sed hæc omnia esse nostrorum sensuum
D fallacias arbitrãtur. alij uero in ipsa natura esse qualitates farentur,sed eiusmodi, ut neq; mutari, neq;
alterari queant : alterationes autem,quæ in eis apparent,eas ex secretione, concretioneq; existere có-
tendunt. Hippocrates primus omnium & medicorum,& philosophorum,quorum nomen ad nos per-
uenit,aggressus est demonstrare, quattuor esse elementa, & quattuor item humores ; & quattuor esse
omnes qualitates,quæ inter se mutuo agerent : a quibus,quæ ortum,interitumq; nanciscuntur, omnia
fiunt,& corrumpuntur. ac de his nostrum habes commentarium,cuius index est, De elementis ex Hip
pocratis sententia : & item commentarios,quos in librum ipsius de natura hominis edidimus ; in qui-
bus & Anaxagoræ, & aliorum multorum falsam fuisse sententiam demonstrauimus. iam uero idem
Hippocrates princeps omnium eorum,quorum nomen fama ad nos pertulerit, totas per totas mutuo
misceri qualitates,cognouit : & principia demonstrationum, quibus postea Aristoteles usus est, apud
ipsum prius monimentis mandata litterarum comperimus. Zeno autem Citieus , ut qualitates , ita
etiam substantias totas per totas misceri existimauit. Sed non est hoc loco de eiusmodi opinione di-
sputandum. quoniam autem animantium, quæ sanguine prædita sunt, particulæ ex sanguine matris fa-
ctæ sunt,isq; sanguis est pituitę,& bilis utriusq; particeps,inde factum est, ut quidam nostrum ortum ex
solo sanguine,alij uero ex quattuor elementis constare uoluerint. quãuis enim utriusq; sectæ sit proba-
bilis ratio, est tamen uerior sententia, qua quattuor elementa esse naturæ humanæ materiā, affirmatur.

Hippocrates autem aduersus eos, qui hominem esse solum sanguinem, aut unum aliud quoduis dice- E
rent, hoc satis esse existimauit, ut ab eis peteret, ostenderent hominem; qui formam non mutaret, nec
uarius redderetur: tum vero aliquod anni tempus, aut ætatem hominis proferrent, in qua solum &
vnum esse sanguinem appareat. vt uero probaret duas biles esse cum sanguine coniunctas perpetuo,
itemq; pituitam: quæ secundum naturam in ætatibus, anniq; temporibus apparent, memorauit. proin
de nostra corpora ex quattuor gigni humoribus, itemq; augeri, & ali scriptum reliquit: quippe qui in-
telligeret, magnam corporum nostrorum uarietatem, si esset unus humor, ceu vnum elementum, fieri
nullo modo potuisse. itaq; ait, eos, qui unum esse elementum, aut humorem statuunt, euertere princi-
pia medicinæ. medicus enim naturæ minister est. naturæ autem contemplatio in ijs potissimum corpo
ribus uersatur, quæ oriuntur, & occidunt, quæq;, ut uno verbo complectar, mutationi sunt obnoxia: sed
si id quod est, unum sit, hæc sublata erunt omnia: & cum eis medicina tolletur. præterea uero multæ, ac
multiplices sunt medendi rationes: quæ sane euertuntur ab ijs, qui omnia esse unum ponunt: propter-
ea quod nostra corpora uel nihil omnino patientur: aut si patiantur, uno solum modo patientur: atque
ita una erit modo curatio, ut etiam censuit Hippocrates. quod si ita est, omnis nimirum medicina subla
ta est. enimuero, si quid aliud, hoc etiam medicis concedendum est, multas esse morborum species, ac
multas itidem remediorum. quod qui non concedit, is medicinæ principia tollit. Hippocrates autem F
in libro de natura hominis a qualitatibus nominare elementa consueuit: ac calidum uocat neq; solam
qualitatem, neque quod ab eius exuperantia homonyme dicitur: sed corpus, quod summæ caliditatis
particeps est: frigidum uero id, in quo summa frigiditas: siccum, in quo siccitas. quibus quidem fit re-
bus, vt nemo sanæ mentis dubitare possit, quin omnia animantia ex aere, igni, aqua, & terra ortum du-
cant: neq; in controuersiam reuocare, hæc esse omnium animantium cibos: sicut neque hoc, humores,
qui nostris in corporibus secundum naturam apparent, ex eis esse genitos. immo uero etiam ex ijs hu-
moribus singulæ partes, quæ ex similibus inter se particulis constant, sunt generatæ: hisq; primum inter
se coniunctis, primum, simplicissimumque efficitur instrumentum: quod unius actionis caussa natura
molita est. his rursus inter se compactis, alterum maius instrumentum efficitur. illis item inter se conne
xis uniuersi corporis existit fabricatio. sed nunc propria, & proxima nostri corporis elemēta esse quat-
tuor humores affirmamus: omnium uero communia, humidum, siccum, calidum, & frigidum: vt ducto
a qualitatibus nomine elementa, ex Hippocratis sententia, nominemus. atq; hæ quidem solæ quattuor
qualitates subiectam substantiam immutantes, in caussa sunt, cur inter se elementa commutentur: eæ-
demque plantas, & animalia efficiunt. elementa porrò inter se mutari, vt humores procreentur, multi
eorum, qui physici uocati sunt, euidentia nimirum ducti, ac persuasi, concesserunt. ac Thales, quamuis G
ex aqua uelit constare omnia, tamen hoc etiam ipsum concessit. præstiterit fortasse eius uerba subiun-
gere, quæ in secundo de principijs ita fere scripta sunt: Hæc autem inquit, peruulgata quattuor, quorū »
longe principem esse aquam statuimus, & fere solum esse elementum affirmamus, ad concretionem, »
compactionem, & constitutionem eorum, quæ hac mundi sede continentur, inter se commiscētur: quo »
modo autem id fiat, est a nobis superiore libro declaratum. hoc loco plane patet, Thaleti placere, ele- »
menta inter se commutari. Hippocrates uero ex eo, quod probatum esset prius, omnem substantiam
alterari, vidit refutatam illam esse sententiam, qua statuebatur, corporum alterationem, quæ apparet,
concretionem, discretionemq; esse: vt Epicuro, ac Democrito placuit: & hanc, non esse expertia muta
tionis quattuor elementa, ut Empedocles existimauit. itaq; recte censuit, naturam omnium ex calido,
frigido, humido, siccoq; constare: & quattuor humores in nobis semper reperiri. cum enim hæc mu-
tuo ac uicissim agant, certe actio non ex discretione & concretione existit, sed ex eo, quod substantia
per se tota patiatur, atq; alteretur. ex his autem humores generantur. qua de re cum male sint locuti
plerique veteres, tum uero peius etiam Erasistratus: qui cum in ceteris rebus fuerit præstantissimus: de
hac re nihil habuit, quod uel mediocriter probabile esset, quod afferret. prorsus autem esse inutile pu-
tat, scire, quomodo cibi in uentriculo concoquantur, & quomodo ex concoctione humores gignan- H
tur: & quomodo bilis in uenis existat: ac solius euacuationis habendam esse rationem, humorum ue-
ro ortum esse negligendum existimat. id quod ipse in tertio de febribus perspicue scriptū reliquit. sed
fallitur, vt iam Plato, atq; Aristoteles demōstrarant. verū nos, ut iam sæpe diximus, nō hoc nobis propo
suimus, ut quæ ueteres recte scripta reliquerunt, ea nunc pertractemus, vt qui illos nec snīa, nec dicēdi
rōne superare ualeamus. uiri. n. illi demonstrarunt, cū alimentum in uenis a natiuo calore alteratur, san
guinis originem ex mediocri calore existere: aliorum humorum, ex eodem immodico. nam & edulia,
quorum est natura calidior, biliosiora sunt: quorum uero frigidior est, pituitosiora. eadem ætatum est
ratio. magis enim biliosæ, calidiores natura censentur: pituitosiores uero, frigidiores. idem in uitæ in-
stitutis, itemque regionibus, anni temporibus, ac multo magis in ipsis naturis cernitur. morbi quo-
que frigidi a pituita originem trahunt: calidi a flaua bili. ad summam nihil usquam inuenies, quod
hanc non confirmet sententiam. Verum existimato hæc a me, res demonstrandi caussa potius dicta
esse, quàm ut inscitiam, & stupiditatem eorum indicem, qui aliter sentiunt: nec ea quidem norunt, de
quibus inter omnes conuenit, quæque quotidie usuuenire perspicimus. demonstrationes enim harum
rerum, a scientia profectæ, ex ijs sunt petendæ principijs, quæ alibi sunt a nobis pertractata: ut esse cor
poribus attributum, ut inter se agant, & patiantur, id ex calido, frigido, sicco, & humido existere: & ex
horum

A horum mediocritate,& immoderatione ſanitatem, morbumque conſtare: & morborum remedia a cõ
trarijs duci. mihi tamen & ſophiſtæ,& medici complures, atque hi quidem egregij, inter quos Eraſi-
ſtratus cenſetur,id uidentur ignorare: morbum tum appellandum eſſe, cum in corpore quædam affe-
ctio eſt,quæ non ex accidenti,ſed primo & per ſe actionem lædit.quis igitur aut cognoſcere,aut ſanare
morbos poterit,cum prorſus eos qui,quanti, qualeſque ſint,ignoret? hæc tamen neque Hippocrates,
neque Ptaxagoras,neque Philotimus,neque Ariſtoteles ignorarunt. an igitur Eraſiſtratus cum nullos
alios libros Hippocratis euoluit,tum uero eum,qui de natura hominis inſcriptus eſt,non uidit, ut tan-
ta negligentia humorum tractationem ſilentio præteriret? an hoc nouit ille quidem,ſed data opera pul
cherrimam artis contemplationem prætermiſit? & tamen hæc omnia,quæ ad morbos cognoſcendos,
atque curandos maximum uſum afferunt, uir egregius Eraſiſtratus præterijt: ac ueteres non eſſe
flocci faciendos ſibi perſuaſit. quanquam præſtiterit & humorum omnium ortum noſſe, & ſcire unum
inſtrumentum ad purgandos humores accommodatum, eſſe a natura conſtructum: ut ſanguis tum a
liene,tum ab ea ueſica,quæ iecori adhæret,expurgatur. eum uero,qui ſit admodum craſſus,terreuſque,
& eam mutationem,quæ in iecore ſit, prorſus fugerit,lien in ſe trahit. quo uero pituita expurgaretur,
nullum inſtrumentum eſt molita natura. ea enim frigida,humidaque eſt, ac ueluti ſemicoctum alimen
B tum: proinde non euacuandum: ſed in corpore manens alterari debet. duplex autem eſt genus altera
tionis: ut quæ ſpeciei procreatrix eſt,quæ primo,& proprie nominatur alteratio: & item quæ contun-
dere, & contrahere corporis noſtri particulas dicitur. primo genere continetur alimentorum altera-
tio: propterea quod nihil de ſpecie in aliam uerti ſpeciem poteſt, niſi calfiat, refrigeretur, ſicceſcat,&
humectetur. eſt autem demonſtratum omnes affectus corporis non aliunde,quàm ex calido,& frigido,
& ſicco, & humido alterationes & mutationes in aliud ſubſtantiæ genus accipere. atque hac ratione
ducti primas qualitates, ſpeciei procreatrices, & quæ ueluti elementa ſint, eſſe quattuor in libro de
elementis,deque facultatibus naturalibus,ut humiditatem,ut ſiccitatem, ut caliditatem, & frigiditatẽ
affirmauimus. ac mihi quidem plurimi eorum, qui in ijs perquirendis ſunt uerſati, uidentur errauiſſe:
quod eam, quæ excelleret, abſolute conſiderarunt: cum tamen permagni referat, an ad naturam uni-
uerſam animum adiungamus,an hominis ſolius habeamus rationem,ut quid de calido, frigido, humi-
do,ſiccoque diſtinguamus. nam ſi uniuerſam naturam reſpicias,unumquodque horum dupliciter dice-
tur, abſolute, & per exuperantiam: ut unumquodque elementum, abſolute, homo uero, aſinus, &
bos per exuperantiam intelligatur. nos uero non abſolute peruestigamus, ſit ne plus humidi, quàm
ſicci in mari: quando id euidenter perſpicimus, ſed utrum ita ſit ad hominis comparationem. contra
C tamen quamplurimi medici faciunt: atque adeo ſtulti ſunt, ut ne id quidem concedant, de quo in-
ter omnes conſtat,hoc eſſe commune omnium animantis partium, quæ ad humores aliquos gignen-
dos aut ad uſum aliarum partium,aut ad propagationem generis,aut ad fœtum alendum utiles,uim ha
bent, ut ille humor ſit quædam ueluti redundantia alimenti partis illius, a qua ipſe generatur. neque
.n. particula ideo humorẽ gignit,quia norit quã ad rem is humor uſui futurus ſit animanti: alioqui tali
eſſet mente,atque intelligentia prædita,qualem in ijs arbitramur ineſſe oportere,qui remp. gerunt. ſed
eam mentem,atq; intelligentiam habet animantium opifex: ipſa uero particula, ut demonſtrauimus,
cum alijs naturalibus potentijs,tum uero alteratrice,qua ſibi alimentum aſſimilat,regitur, & guberna-
tur. Quærat autem quiſpiam hoc loco, quid cauſſæ ſit,cur ſanguis,cum in uaſis ſeminis diutius mora-
tur,exalbeſcat. Sed ſi quis eorum, quæ in libris de facultatibus naturalibus ſunt a nobis demonſtrata
meminerit,eum facile hoc eſſe inuenturum arbitror. illic enim oſtendimus, omnem particulam alimen
tum ſibi ſimile reddere. itaq; cum uaſorum tunicæ candidę ſint, ſanguinem in formam ſibi ipſis ſimilem
commutant. quæret autem fortaſſe aliquis,cur in nullo alio uaſe id fieri perſpiciatur. eſt in promptu re-
ſponſio: non ita diu in uaſe ſanguinem commorari. nam ſi tam diu moraretur,ac non difflueret,citoque
euacuaretur,profecto etiam in alijs animantis partibus eiuſmodi reperire humorem liceret. quanquã
D in unoquoque uaſe natiua humiditas,a qua tunicæ uaſorum nutriuntur,huiuſmodi eſſe uideatur. quo-
circa in flexibus uaſorum ſanguis ipſe ueluti ſtagnans,in cauſſa eſt, ut ſpermaticus humor cumuletur.
Nunc uero animi quoque actiones ab humoribus,& omnino a corporis temperatura immutari, inter
optimos medicos,præſtantiſſimoſque philoſophos conuenit. ac nos uno cõmentario id probauimus:
in quo uires animi eſſe corporis temperaturæ conſequentes demonſtrauimus. atque inde fit, ut ex hu-
morum redundantia plurimæ in hominibus intemperies oriantur. quarum octo obſidere ſingulas par-
tes ſolent,eæq; aut ex nudis, ſoliſque qualitatibus,aut etiam cum humore aliquo fieri ſolent. proinde
intemperiem,quam ſiccitas excitauit,humectare oportet: quam humiditas,exiccare: quam calor,refri
gerare: quam frigus denique,calefacere. eadem eſt ratio compoſitarum; vt uel calfacias, & exicces:
vel humectes,& calfacias: vel refrigeres & humectes: uel ſicces,& refrigeres. Iam uero non eſt parua
cura nutritioni adhibenda,quando ex ea humores gignuntur,& eadem uirtutem ac uitium in nobis pa-
rere exiſtimatur. id ipſum autem Plato quoq; uidetur in Timæo ſcriptum reliquiſſe ad hunc fere mo-
dum: Danda inquit,opera eſt,ut pro uirili parte,nutritione,inſtitutis,ac diſciplinis uitium fugiamus,&
uirtutem adipiſcamur. vt enim inſtituta,diſciplinæque uitia tollunt, uirtutemq; pariunt, ita etiam facit
nutritio. appellat autem inſtituta, quæ in gymnaſticis, muſicis, geometricis, arithmeticiſque uerſan-
tur. nutritionem uero nullam aliam licet intelligere, præter eam, quæ ex cibis, ſorbitionibus, ac potio-
nibus

nibus constat: inter quas etiam uinum est, de quo in secundo de legibus libro multa Plato memorauit: B
& nos disseruimus in eo commentario, quem in Timæum edidimus: & separatim quoque in commentarijs, qui sunt de facultatibus alimentorum: & in libello, quem de bonitate, uitioq; succorum inscripsimus. quoniam igitur bona, & mala nutritio magno est animi functionibus incómodo, uel usui, & easdem integras, incolumesq; conseruat, & bonos, ac præstantes humores gignit: par est, eam non esse negligendam. præcipue autem conandum est, ne humores superuacanei sint in corpore, neq; acres, neq; acidi, neq; calidi, neque mordaces, neque crassi: neque crassi simul, ac crudi, neque fluentes, neque glutinosi, neque plethorici; neque etiam crudi & impacti: siquidem hæc omnia morborum omnia genera afferre solent. atq; in primis quidem redundantia podagram, & multa genera morborum, quæ ad articulos pertinent, itemq; capitis, & cordis dolorem, & alia multa inuehere mala consueuit: immo uero etiam uenas rumpit. ac totidem, & item plura his, afferunt alia. & in podagra id ipsum euidenter perspicimus, morbum oriri, cum superuacaneus aliquis humor ad pedes confluit. qui nisi illuc conflueret, ne morbus quidem is unquam hominem corriperet. non confluet autem, si homo excrementis perpetuo uacet: si modicis utatur exercitationibus, si alimentum probe concoquat: vnde desidia, & crapula eum lædunt. lædit etiam potentis, ac copiosi uini potus: siquidem huiusmodi uina neruosum genus promptè replent. capitis autem dolores non modo, ut dixi, excitantur, quia magna humorum uis caput occuparit: sed etiam ex solo calore: interdum uero ex flaua bili, quæ uel in capite, uel in uentriculo continetur: & propter obstructionem loci alicuius, aut ob flatuosum spiritum, qui in ipsa particula gignatur: aut alijs multis de caussis, quas memorare non est huius loci, ac temporis. ceterum, cum magna humorum copia in uenis coaceruata est, & cum ipsa tenue quoddam serum in uentriculum confluit, tunc cordis dolor excitari solet; isque os stomachi occupat, quod fere omnium partium maxime sentiendi facultate præditum est. usu etiam interdum uenit, ut uenæ, quæ in renes inseruntur, quarum oscula aperiuntur, propter humorum, qui in ipsis continentur, crassitudinem, & copiam rumpantur: ac ruptionem sinceri sanguinis euacuatio consequatur: cum uero oscula aperiuntur, sanguis non confertim effundatur, præsertim si copiosus non sit: sed paulatim tenuior percoletur, & totam urinam sanguine tinctam reddat. cumq; copia, & crassitudo humorum hæc faciat, sic etiam immutare pulsus potest. id quod tenacitas, & acrimonia non secus facit. atque acrimoniam quidem, vbi alere opus sit, caue bis: siquidem ea ad excretionem stimulat. contra uero facit tenacitas: quod in caussa est, ut quædam celerius, quædam serius ad deiectionem properent. quinetiam acer, & tenuis humor caussa interdum est, ut superficies in læuitate intestinorum ulceretur: ac tum maxime, cum ea, quæ ingesseris, mox deijciuntur talia, qualia deuoraris. quandoque etiam corneam ulcerat acrimonia, ut in oculorum doloribus accidit. iam uero G
radit etiam in difficultatibus intestinorum ipsa intestina: idq; primum facit. sed & immodicus calor, & morsus uitandi sunt: quando ex eis delirium, uigiliæ, pulmonis inflammatio, & alia pleraque genera morborum consequuntur. ita etiam conuulsiones, ac palpitationes, & urina, quæ iumentorum lotio similis sit, crudi & crassi humoris sunt species: ac pessimi censentur morbi, in quibus ambo humores antedicti redundant: ac semitertianam febrim solent afferre. Et uero etiam tubercula, & pustulæ excitantur, cum natura partes corporis intimas expurgat, vt nonnunquam per excretionem, sic etiam per depositionem ad cutim. subtiliores enim, dilutioresque humores extenuans per halitum digerit: ex crassioribus autem cuti, ac magis etiam pelliculæ, quæ densior est, inhærentibus, pustulæ oriuntur. idq; illis potius accidit, quorum densior sit cutis, & durior: siquidem per eam crassiores, tenacioresque humores difficilius pertranseunt. sed & dorsi dolores locum mutantes ex humore defluente fiunt: qui interdum solus sit, magna tamen ex parte flatuosum, crassumq; spiritum coniunctum habeat. estq; consentaneum hunc crassum humorem, cum uias spiritus in cerebri uentriculis obstruit, comitialem morbum afferre, neruorum principio se ipsum quatiente, vt, quæ noxia sunt, excutiat. meatuum enim obstructio a crasso, tenaciq; humore repente fit. sed cruditatem maxime omnium fugere nos oportet. crudus enim humor proprie nominatur is, qui talis est, quale uidetur esse id, quod in urinis, puri simile, interdum subsidet. ab eo tamen differt, quia pus graueolens est, & glutinosum: crudus vero humor habet quidē crassitudinem, & colorem illi similem: sed neque graueolens est, neque glutinosus. ac tale quidem est id, H
quod uentriculo ac venis nondum concoctum continetur. sunt porro crudorum humorum duo genera: eorum alter tenuis, & aqueus est: alter crassus, & glutinosus, estq; is in partibus corporis impactus. tenuem uero, & aqueum euacuare expedit prius, quàm a calore febris excalfiat, pungatq;, ac mordeat: at crassum, & glutinosum concoquere, & fluidum reddere prius, quàm medicaméto purges. hoc enim scitum est, corpora, cùm purgare quis uelit, fluida esse facienda, vt censuit Hippocrates. cum igitur homo se cibis largius expleuerit, necesse est crudi humoris plurimū in corpus animantis rapi: idq; multis de caussis, & quod deterius in uentriculo, uenisq; concoquatur id, quod plus est: & quod plus in corporis molē subit, quia plus sit: & quod citius, quàm par est: propterea quod uentriculus venis: venæ aūt ceteris omnibus animalis partibus permittunt, ut quod nondum confectum est, rapiant. hunc autem humorem, qui crudus proprie nominatur, plerique pueri propter crapulam, plurimum coaceruant: ex quo facile calculus gignitur: cum is humor sit ceu materia, ex qua fiat lapis, efficiens uero caussa, calor censeatur. fit etiam ex natibus & ore in circuitibus ordinatis, & inordinatis humorum crudorum excretio, qua cerebrum expurgatur: qui sane humores a pure, ut diximus, differunt. Cum igitur curandi

A randi ratio potissimum in humoribus uersetur, certe eos neq; tenaces esse, neq; crassos, neq; multos, neq; nimis calidos, neq; frigidos, neq; mordaces, neq; corruptelæ obnoxios, neq; ueneni naturam imitantes expedier. etenim cum aucti sint, morbos gignunt, & dolores inuehunt. ac dolores ex humoribus excitari sex modis planum est, aut ex calore, aut ex frigore, aut ex crassitudine, aut ex tenacitate, aut ex mordacitate, aut ex copia deniq; : cum inquam supra modum aucti sunt, & uacuationem postulant. augentur autem interdum eadem de caussa, a qua geniti ab initio sunt. quo sane tempore duplex est nobis curationis proposita ratio, ut alterentur, & ut euacuentur. qua de re in libris methodi medendi est a nobis actum. neq; enim par esse censeo, ut omnia, quæ sunt a me aliis in libris perfecte scripta, in hoc libro iterentur. quinetiam in aphorismis ostendimus, cum corpus plethoricum est, uenæ sectione: cum malis redundat humoribus, medicamento purgante euacuandum esse. addidimus quoq; , haud difficulter malitiam humorum a plenitudine sanguinis posse distingui: si modo in libro de plenitudine a nobis confecto es studiose uersatus. ac ne illud quidem est omittendum, cum humores redundantes mouentur, & omnem in partem corporis feruntur, nec dum in aliqua parte corporis firmati sunt, tunc ad eos expellendos naturam incitari, & aliquo, qui uelut manum porrigat, & morum illum ad uentrem deducat, indigere. at qui una in parte firmati sunt, prius q̃ cōcoquantur, mouere nō oportet. tunc enim B natura quoque nobis ad euacuationem est adiumento. hæc enim post concoctionem humores excernere, & quod superfluit, reiicere uidetur: quo sane tempore iudicationes fiunt. cum igitur natura perfecte euacuat, nihil est prȩterea faciendum. cum uero modice, & imbecillius facit, tum, quod deest, addere debent ii, qui medicinam faciunt. qua in re illud intelligēdum est, raro contingere, ut ab uno mēbro ad aliud humores confluant. Sȩpius uero accidit, ut una in parte, in qua concoquantur, toto morbi tempore, usq; ad morbi solutionem, conquiescant. quomodo autem membra aliorum mēbrorum morbos, qui ex humorum transmigratione fiunt, excipiant, in extremo libro accuratius exponetur. Nunc uero non possum non admirari eos, qui cum uelint Hippocratem de mutatione humorum, quæ ætate progrediente fieri solet, hoc loco disserere, hanc lectionem, ita, ut dixi, deprauarunt. cum enim illi propter breuitatem non possent magnitudinem sententiarum, paucis uerbis contentarum intelligere, in eam sunt opinionem distracti. etenim quamuis color in ætatibus sæpenumero mutetur, non tamen id nunc explicare Hippocrates uoluit. nam & pueri plurimum habent humoris sanguinei, &, quod ad tēperaturam ætatis pertinet, eum solum haberent: sed cum multa comedant, eaq; nullo ordine seruato, ideo suboriuntur etiam in eis aliqua ex parte, ut ante diximus, humores, qui crudi nominātur. proinde fit, ut natiuus eorum color nitidus, ruberq; sit, & ueluti floridus, aut etiam ex albo & rubro cōmixtus: C interdum uero etiam splendidus, quod ipsum a sanguine, spirituq; , & bono colore consequitur. cū uero ad adolescentiam peruenerunt, quidam eorum meliorem educationem nacti, recta uictus ratione utuntur: ob eamq; caussam sanguis solus in eis exuperat: unde plane constat, colorem exuperanti humori proportione respōdere. alij uero multo peius educātur, quàm cū in pueritia adhuc essent: ideoq; hi continenter ægrotant, & uehementius conflictantur: cuius rei caussa est cruditas humorum, quæ in ipsis coaceruatur. quæ hanc ætatem excipit, præsertim mala uictus ratione adhibita, amarȩ bilis humorem gignit: ut in ea redundet non sanguis solum, sed illa etiam, quæ pallida, flauaq; bilis nominatur. in aliis ad eandem rationem mutationes fiunt: quȩ non possunt firmiter definiri: ut in ætate declināte, melancholicum humorem subire, aut alio in tempore pituitam ita, ut color quoq; commutetur. Sed mihi non fit uerisimile, Hippocratem modo de successione ætatum, deq; earum mutatione, & colorū uariatione uerba facere: sed de iis coloribus, quos quotidie in corporibus ægrotantium intuemur:
« quosq; spectare medicum oportet: ut ipse in libro præsagiorum ad hunc modum præcepit. In primis,
« inquit, ȩgri faciem spectari conuenit, sit ne ea beneualētium faciei similis. deinde, Totius quoq; inquit,
« faciei color attendēdus, uiridis ne sit, & non niger, & liuidus. tum paulo post, An totius faciei sit immutatus color. ad hæc, sit ne reflexa, an liuida, an pallida palpebra, aut labrum, aut nasus. præterea ue-
« D ro in sexto de uulgaribus morbis libro, Alij inquit, ad manum humecti, alij prærubri, alij præpallidi, alij liuidi, & cetera generis eiusdem. Sic de sputo, de urina, de alui deiectionibus, deq; aliis ipse cēsuit. admonet igitur medicum, uideat, sit ne color sanguineus, an pallidus, an flauus, an albus, an niger: ut plane noscat, quisnam humor redundet in corpore: siquidem color eum humorem, qui insit in corpore, consequi consueuit. Recte autem fecit, cum addidit, ubi reciprocatio non sit: propterea quod cū humores sunt aliquo affectu perturbati, non est nobis integrum, de coloribus, ab illis excitatis, recte & uere iudicare. ut enim mare cum crescit, cumq; decrescit, quod fieri omnino solet in reciprocationibus, & purpurascit, uentisq; agitatum accurate naturam suam non uidetur seruare: sic humores, cum intra corpus se receperint, & non fusi sint, sensu oculorum percipi non possunt. cum uero nulla reciprocatio est, hoc est, cum in toto corpore sunt æquabiliter fusi, tunc color, qualis sit humor noxius, & redūdans, nobis indicat: ut si aliquam euacuationem medicus moliatur, noxium humorem educat, ut ipse sexcentis in locis noxium humorem & non alium prius, esse euacuandum præcepit. id autem qua ratione faciendum sit, in libro de natura hominis scriptum est. Quod uero ait, ἄνθη, tripliciter exponūt: uel ut color, qui in corpore efflorescit, colori humorum similis sit: uel ut color humorum similis sit colori florū, sitq; aut rubet, aut albus, aut fuscus, aut liuidus, aut pallidus, aut flauus, aut niger, aut, ut summatim dicam, similis colori florum, propriamq; naturam seruet, & humores in imis corporis partibus

non

non lateant, & non retrocesserint. uel, ut color humorum sit floridus, hoc est pulcher, & bonus: ut in E
libris de morbis uulgaribus scriptum comperimus: cum, inquit, replentur, hoc rursus signum est, cor-
pus floridum redditur: quod omnis est refectionis indicium. floridum uero corpus efficiunt exercita-
tiones, ut est a nobis in commentariis de tuenda ualetudine demonstratum, & item cum probus san-
guis corpus reficit. sed prima explanatio præstat ceteris. Quod igitur hac sentẽtia continetur, ad mor-
borum curationem, futurorum præsagitionem, & præsentis sanitatis tutelam pertinet. Sed uideamus
iam, quæ subiunxerit, ad hunc fere modum.

*Educenda, quo uergunt, ac per loca accommodata: nisi quorum maturationes e temporibus pendent.*

Iubet hoc loco, ut pro humorum inclinationibus euacuationes faciamus: sic etiam in aphorismis
scriptum est, Quæ educere oportet, quo maxime natura uergit, per accommodata loca educito. his au
tem uerbis, significat, ut nos exposuimus, quæ nec iudicantur, neq; perfecte iudicata sunt. ea autem esse
educenda locis accommodatis nos docet: hoc est, ut euacuationem faciamus aut per intestina, aut per
uentrem, aut per uesicam, aut per uterum in mulieribus, aut per totam cutim sudoribus, aut per palatũ,
aut per nares, aut per hæmorrhoidas, aut cũ fluxu sanguinis fiat iudicatio. quæ res solet esse optima, cũ
directo ad locum affectum fit. mala uero, cum in contrarium. debet igitur medicus animaduertere,
quo naturæ impetus feratur: siq; ipsa ad loca accommodata repat, ei erit auxiliandum: si uero ad con- F
traria, prohibere, ac reuocare, & retrahere inclinationem, ut paulopost iubebit Hippocrates, oporte-
bit. nam si morbus cerebrum occupet, quoniam duæ sunt commodæ inclinationes, altera ad palatum,
quæ quidem est præstantior: altera in asperam arteriam, quæ non proba est, rem considerare diligẽter
debebis: & cum uniuersum corpus prius euacuaris, quo natura feratur, per eam partem educito. quæ
res facit, ut intelligamus, humorem, qui euacuandus sit, a natura nobis indicari, & locum, per quem
euacuare ipsum oporteat, commõstrari. Age uero cum inflammatio iecur obsideat, simulatq; concocta
inflãmatio sit, purgationem adhibemus: ac per inferiora quidem, cum ea in simis iecoris sit partibus:
præcipue autem si natura id ipsum alui deiectionibus prius indicet: per urinas uero, cum in gibbis.
In ceteris quoq; simili modo spectabimus & humorem redundantem, & affectum locum, ex quo, tan-
quam e caussa quadam morbus emanat. etenim hæc & quis euacuandus humor sit, & modum euacua
tionis, & locum, per quem fiat, & ad hæc omnia, tempus etiam oportunum indicabunt. nam inter ini-
tia tenues, serososq; humores licebit euacuare: at si crassi, glutinosiq; sint, cuiusmodi sunt pituita, & atra
bilis, concoctionem expectabis. atq; hoc est, quod ait, nisi quorum maturationes ex temporibus expe
ctantur. nam quorum est expectanda concoctio, eos medicamentis attenuare, ut corpora fluida sint,
oportet. ut & sine molestia, & omnis noxius, & infestus humor euacuetur. quod ut fiat, spectare in pri- G
mis decet, an ægrotus sit ad eiusmodi purgationem idoneus. qui enim cruditatibus ex multis aut gluti
nosis, aut crassis edulijs abundant, quibus item hypochondria sunt flatibus distenta, aut urina supra mo
dum calida, & ignea, aut aliqua est ibi uiscerum inflammatio, ij profecto omnes sunt ad purgatio-
nes inepti. Vel quod ait, Nisi quorum maturationes ex temporibus expectantur, significat, debe-
re medicum in diuturnis morbis humorum expectare concoctionem: cum id morbus concedat:
in acutis uero, non modo non esse expectandam concoctionem, sed etiam statim in principio, uel
etiam primo die purganti medicamento quod ipse appellare solet, medicari; cum materia tur-
get, utendum esse. hoc enim eius præceptum est, cum in aphorismis ait, Concocta medicari, & mo-
uere, non cruda, neque in principijs, nisi turgeant: de quo nos in hoc etiam sumus libro dicturi:
neque mehercule par est, ut quæ post dicenda sunt, hoc loco afferamus. nunc uero, quod facesse-
re interpretibus negotium solet, explicemus. aiunt illi, hunc librum non esse Hippocratis, quia so-
lœcismum hic facit. nam cum dixerit, Color humoribus similis: addit, Ducenda, quo uergunt. mea au
tem sententia est, libros, qui ad priscos, & præstantes uiros referantur, non esse probandos, aut repro-
bandos habita solum ratione uerborum, sed potius sententiarum & intelligentię. Nam præterquam
quod hæ sunt distractæ, diuisæque inter se sententiæ, ut hæc a superiore non ducatur: quis ignorat, quot H
errata librarij committant? & quot innouarint Dioscorides, & Artemidorus? postremo autem, ut hæc
omnia missa faciamus, in alijs ipsius senis libris alia pleraque dictionis uitia reperiri confirmo: ut ob
hanc unã caussam liber nõ sit Hippocrati abiudicãdus. nam neq; satis recte in aphorismis ardentẽ fe-
brem a delirio solui conscripsit. itemque in libro de fracturis cum ait, Medicum luxationum, ac fractu
rarum quàm directissimas extensiones efficere. & in prædictionibus, ubi scriptum est, Vrinæ in turbulẽ-
tis, ac uigilibus decolores, nigræ, sublime petẽtes, atque in sudoribus, phreniticæ. uerum eo in libro li-
cet multas eiusmodi orationes, in quibus solœcismus fit, reperire: ideoque uerisimile fit, nonnullos su-
spicati, eum non esse uerum Hippocratis. Sed etiam in libro præsagiorum, quem omnes esse Hippo-
cratis confitentur, tanquam superuacaneum reprehendo, quod ait, bis, aut ter in die, & semel in nocte,
& cetera quæ postea adscripsit in illa oratione, cuius initium est, sed pro copia ingesti cibi deijciar.
Et eodem in libro paulo post ordo immutatus est. Sed eidem quoque uitio uerto negligentiam, in
secundo de ratione uictus in morbis acutis, cum de fomentis differit. nec effugere ullo modo potest,
quin solœcismus sit, quod habetur in libro de officina medici, ad hunc modum, τὰ δὲ μέλλοντα ἀπιέζειν,
μήτε τὰ ἀποπίπτειν: ea ut neque comprimant, neque decidant. Iam uero in illa quoque sententia
uitium perspicue deprehenditur, cuius hoc est initium, Quibus in urinis &c. Sed quid opus est pro-

lixa

A lixa oratione hæc persequi; cum Attici quoque, quorum lingua Hippocrates aliqua ex parte utitur, numerum multitudinis pro numero singulari ponere consueuerint. mihi satis est, hæc modo attulisse: ac præterea addere, me esse, quæ huiusmodi erunt, prætermissurum: & quod minime sint ad hoc institutũ accommodata, & quod effectura sint, ut hi commentarij, contra quàm tu uelle uidearis, ad immoderatam prolixitatem perducantur.

3 *Maturationes aut intro, aut foras, uergunt, aut aliam in partem, in quam oporteat.*

Cum dixerit, nisi quorum maturationes e temporibus existunt, merito quorsum concoctiones uergant, hic subiunxit. quoniam enim iussit, educenda esse uel quæ non iudicantur, uel quæ non perfecte iudicata sunt; ideo hoc loco, quid intelligat, ipse perspicue declarat. cum est humorum facta concoctio, tunc humores intro, aut foras uergunt, aut per alia loca accommodata, aut incommoda (quod ipse, quia planum est, omisit) prodeunt. quocirca semper uidendum est, quæcunque iudicentur, cum natura aut absolute, & perfecte, aut imperfecte mouet: deinde uero imitanda est natura, cum ad iudicationē non aggreditur: tum uero ipse nos docuit, quomodo esse ipsi naturæ adiumento possimus, cum illa quidem conatur, sed rem inchoatam relinquit. atque hæc quidem sunt, quorum nos hic monet Hippocra-
" B tes, sicut etiam alibi fecit, his uerbis: Quæ iudicantur, & integre iudicata sunt, ne moueas. hoc præceptum seruandum nobis dedit, cum natura integre mouet: quod uero deinceps addidit, cum natura ad iudicationem moliendam aggreditur, sed eam non absoluit, ualet, ut nos moneat, eidem ut auxilium afferamus, ut cum ait, Quæ educere oportet, quò maxime uergere uidebuntur, per uias accommodatas ducito. eo enim tempore natura id, quod noxium est, uult expellere. Sed quia præ imbecillitate, rem perficere non potest, nostro indiget auxilio. atque ipse quidē in libro de ratione uictus in morbis acutis, cum lateris dolorem curat, euacuationem pro humorum inclinatione molitur. Sciendum autem est, morbi maturationem esse concoctionem quandam eorum, quæ præter naturam sunt: ipsam uero concoctionem esse deductionem quandam eius, quod concoquitur, in naturam concoquentis. cum igitur corpus naturalem statum conseruat, & naturæ familiaritas inter id quod concoquit, & id quod concoquitur, intercedit, tunc omnis, aut certe maximæ partis eius materiæ, quæ concoquitur, fit mutatio, minimaque pars semicoctæ superest. cum uero præter naturam affectio corpus obsidet, tum quod simile redditur, exiguum admodum est: excrementum uero semicoctum, permultum. ut enim in corporibus bene ualentibus excrementa concoctionem indicant: sic etiam in ægrotantibus facient. ac primum quidem eorum, quæ uentre continentur cruditatem & concoctionem indicant sua forma
C deiectiones, quæ per aluum excernuntur: eorum quæ in pectore, atque pulmone: quæ per tussim excreantur: eorum, quæ in cerebro, quæ per nares emittuntur: eorum, quæ in uenis, quę cum urinis secedunt. vt autem cognosci possit maturatio, nos plus millies iam diximus: & tamen nunc quoque rem summatim complectemur. Totius igitur morbi sunt quædam tempora, ut principium, ut incrementū, vt status, vt declinatio, cum ægroti superstites sunt futuri. positum autem sit in primis, ut principium alicuius morbi, ut puta inflammationis inquiramus. itaq; principium in toto eo tempore erit, in quo particula morbi magnitudini subiecta, sanguinea impletur materia. cum uero influxus cessarit, idq; quod in particula inflammata insit, putrefieri inceperit, hoc secundum tempus est, & inflammationis incrementum. cum uero pus conficitur, & dolores maximi hominem corripiunt, id morbi tempus status appellatur. si uero fluor suppuretur, aut digeratur, tumorq; minor fiat, tunc est declinationis initium. id ipsum quoque in febribus usu uenit: ac principium statuendum est tempus illud, in quo noxij humores crudi sunt. cum uero concoqui incipiunt, cessat tum principium, & secundum tempus, quod incrementum appellatur, aduentat. cum efficitur concoctio, status est: quem excipit declinatio. hæc omnia nos in libris de crisibus sumus accurate persecuti: vbi & obscuræ concoctionis, & perfectæ, & euidentis, & item eius quæ omnino cruditas est, notas exposuimus: earum autem quædam ex urinis, quædam ex
D alui deiectionibus, quædam e sputis sumuntur: suntq; propriæ concoctionum quæ uel in uētriculo, uel in uenis, uel in organis respirationis fiunt. quam ob rem factum est, ut ipse in primo de vulgaribus mor-
" bis libro, hanc sententiam attulerit, Maturationes iudicationis celeritatem, & salubrem tutelam indi-
" cant: cruda uero quæ sunt, & incocta in abscessus malos, aut iudicationis uacuitates, aut dolores, aut
" temporum productiones, aut mortem, aut recidiuas se uertunt. Cum enim iubeat, debere medicum imitari naturam recte agentem, est autem maturatio naturæ actio, certe planum est, cum celeritatē iudicationis, & securitatem, & bonam ualetudinem indicari, tum uero a nobis naturam simul adiuuantibus maturationes procurari. & quemadmodum, si caussæ morborum effectrices a natura vincantur, concoctiones fiunt, ita si ipsa eas non superet, nulla iudicatio fit, sed dolores, & cetera consequuntur, quæ ipse adnumerauit: cuiusmodi sunt, produci morbos, mortem sequi, & morbos repetere. hoc autē intelligendum nobis est, vniuersam morbi concoctionem in humorum alteratione effici. est enim extenta per solida corpora natura, quæ facultas illorum est, & humorum concoctio a solidis partibus bene ualentibus proficiscitur. cumque illæ ægrotant, iam morbus is in habitu est, & periculosus. caussa est, quia prius, quàm solidæ partes propriā uim recuperarint, nulla eis potest adhiberi curatio. illa porrò uis in quattuor elementorū, aut qualitatum, aut humorum apta mensura consistit. ceterū quō solidæ partes curandæ sint, iā in libris methodi medēdi exposuimus. Illud.n. hærere nobis in memoria debet,

quod

quod ipse in sexto de morbis uulgaribus libro litteris prodidit, Omne, inquit, quod suppurat, non reuertitur: ipsa enim concoctio, & iudicatio simul: quia in iis quos grauedo, & raucedo ex destillatione a capite male habet, cum concoctio facta sit, & febris accesserit, tum & firmam morbi iudicationem fuisse, & hominem non esse iterum ægrotaturum spera. proinde in libro præsagiorum legimus, urinas puerorum, quæ aqueæ sint, hoc est incoctæ, perniciosas esse: quando pueri propter alterantis facultatis robur omnia celerrime concoquunt. ceterum concoctiones non modo urinam, sed etiam alui deiectiones crassas reddunt in iis, qui recte in uentriculo cōcoctionem obeunt: itemq; sputa in pulmonis, costarumq; inflammationibus: atq; etiam pituitam in destillationibus, ac grauedinibus, & in lippitudinibus: & pus in ulceribus. ita fit, ut urina aquea in pueris, utpote quæ nullam sit nacta mutationem, ut crassior fieret, mortiferum signum censeatur. quomodo autem idem in ceteris accidat, non est nunc narrandi locus. Quod autem ipse ait, intro, aut foras, diligenter aduertendum est, ne fortasse contra facias. nam si uerbi caussa in lassitudinibus crudi humores sint, uomitus non erit imperandus: quia non tum uti uomitu debent homines, cum affectiones a lassitudine exortæ abundant, sed cum soli humores sint noxij, tum uomitu euacuare eos conuenit. tunc enim nullum periculum impendet, ne intro uiolentius reuellatur aliquid eorum excrementorum, quæ in carne inhæserunt. cum uero cruda, & mordacia redundant in corpore, utraq; reuulsio uitanda est, ne cruda foras, ne mordacia intro reuellantur. foras autem ferunt exercitationes, frictiones, balnea, fomenta calida, & item omnia, quæ humores, qui alte in corpore animantis uersi sunt, ad motum in omnem partem irritant: intro uero ferunt, quæcunque uetant, ne foras quid feratur. quæ omnia uitanda sunt, ut neq; accommodatum est, humores, qui extra sunt, intro: neq; eos, qui intus sunt, foras reuocare: sed qui extra sint, per halitum digerere sensim expediet: siquidem quæ uehementius id faciunt, etiam aliquid attrahunt ex iis, qui intus consistunt: qui uero sunt intus, ij attenuandi, concoquendiq; sunt, & tunc, per quam uiam expediat, ut ipse iubet, erunt educendi. E F

4 *Hæc ego præscribo ei hominum multitudini, qui necessitate coacti uitam temere ducunt. & cetera, quæ sequuntur usq; ad eum locum, Eiusmodi autem oritur satietas.*

Quæ hoc loco habentur, quæ ad quadraginta fere uersus pertinent, esse adiecta ab aliquo, qui, ut iā supra diximus, facere fucum, & maius uolumen hoc reddere uolebat, plane constat. primum enim præceptum, quod de euacuatione, & humorum inclinatione Hippocrates nobis dedit, commune est, & ad omnes homines accommodatur: hæc uero soli multitudini, quæ compulsa necessitate temere uitā degat: deinde quæ dicuntur, falsa sunt multis partibus plura, & minime digna Hippocratis sententia.

5 *Cautio.* G

In hoc uno uerbo præceptum ad medicinam utilissimum continetur. indicat enim, nihil esse nobis negligendum, nihilq; temere faciendum, nulli deniq; rei procliuius, aut inconsiderate assentiendum. quocirca in medicina non par est priscis fidem simpliciter adhibere, ut si quid illi dixerint, statim credamus; sed prius experientia & ratione, uerum ne illud sit, an falsum, perpendendum est. quod qui non faciunt, næ illi uehementer errant, & in errorem alios inducunt. id quod usu potissimum uenit iis medicis, qui quotidie in ciuitatibus hac, illac circuncursant, ac sola experientia experte rationis utuntur. proinde tu nihil negligito, neq; temere, neq; inconsiderate fidem adhibeto ueteribus in iis, quæ de facultatibus eorum dixerunt, quæ ad curationem pertinent. quod cum est in omnibus obseruādum, tum uel maxime in eo remedio, quod admodum præstans, insigneq; est, quod uenæ sectione perficitur, integre sententiam hanc seruabis, ut nihil temere, nihilq; inconsiderate facias: sed prius perspicias ea proposita, de quibus nos sæpe disseruimus; ac scias, cum ea augentur, nobis indicare, maiore opus esse euacuatione: cum minuuntur, tantum esse de euacuatione detrahendum, quantum illa sint imminuta. prius quàm enim uenam seces, præstiterit hæc omnia intueri; magnitudinem morbi, simulq; robur uirium ægrotantis, itemq; ætatem, & naturalem eius, quem curas, temperaturā: ad hæc uero etiam anni tempus, uernum ne illud sit, nec ne: & utrum locus sit suapte natura temperatus: deinde uero utrum magnum periculum immineat, cuiusmodi est inflammationis pulmonis, aut anginę, aut doloris lateris, aut alterius acuti, aut uehementis morbi suspitio: & utrum secanda uena sit, cum hæmorrhoides suppressæ sint: & in mulieribus, cum ipsarum est cohibita purgatio. itaq; in medicina facienda, adhibēda cautio est, ne quid temere fiat. nam præterquam quod nō mediocre periculum hæc res neglecta affert, magnum etiam dedecus parit. hæcq; res medicis fere omnibus notā turpitudinis inurit, estq; in caussa, ut homines putent, res ægrotantium a medicis non cognosci: atque ita se illorum fidei credere non audeant. quam ob rem uir sapiens Hippocrates recte dixit, cum optimum esse censuit, medicum uti prouidentia. H

6 *Ἀπειρία.*

Pleriq; ex interpretibus ita distinguunt, ut hoc uerbum significet experientiæ uacuitatem, hoc est, nullam experientiam: ut dicat, sæpenumero contingere, medicum non esse peritum aut medicamēti, aut naturalis temperaturæ eius, qui morbo laborat, aut aliarum rerū, quarum in medicina usus est plurimus. alij uero sic accipiunt, ac si uelit artis infinitatem significare, in quam sentētiam scripsit in aphorismis hæc, Vita breuis, ars longa. alij scribunt hanc uocem, ut sit cum superiore coniuncta ad hunc » modum, Cautio infinita: idque non est plane contemnendum: præsertim cum subiungat, difficultas

A expe rientiæ:ut experientiam difficillimam,& periculoſam eſſe intelligamus.

7 *Experientiæ difficultas.*

Periculoſam eſſe experientiam,nemo eſt,qui neſciat. id quod ei accidit propter matetiam, in qua
ars uerſatur. neque enim,ut cererarum artium,ſic medicinæ materiæ ſunt coria,ligna,& lateres,in qui
bus licet multa experiri ſine periculo: ſed in humano corpore ſita eſt, in quo experiri ea,quæ lõgo uſu
non probaris,non eſt tutum. præſertim cum experientia in totius perniciem animantis deſinere poſſe
uideatur. ideo in medicina facienda,ut medicamenra rite conficiamus,& de ijs,quæ a ueteribus ſunt
litterarum prodita monimentis,ſentenriam feramus, experientia opus erit. hæcque ipſa tractatio eſt
perutilis:cum medicinæ data ſint fere duo crura,quibus incedat,experiẽtia,& ratio. & quicunque pru
dentia,ſapientiaque præſtant,ac ueritatis ſtudium uere colunt,ij iudicandi inſtrumenta nobis a natura
ad cognitionem earum rerum,quæ in uita geruntur,attributa,rationem inquam,experientiamque cu-
ſtodiunt. quæ quibuſdam in rebus parem utilitatem ad artem pertractandam afferunt: in quibuſdam
altera maiori uſui eſt,quàm altera: ſemper tamen ad rei perſectionem altera alterius operam requirit.
quam ob rem ſi quis de te quærat,cur huic,aut illi homini febricitanti aquam frigidam potui dederis,
B duæ tibi ſuppetent reſponſiones:altera,quæ doceat febris originem,atque naturam,quæque de mor-
borum temporibus diſſerat,eodemque modo frigidæ naturam,quæ ſit,exponat:tum uero in tali mor-
bo,& eiuſmodi tempore,aquæ frigidæ potionem eſſe conſentaneum,aptumque remedium confirmet:
altera uero nihil horum attingens,ad uſum,experientiamque confugit:aitq;,ſe perſæpe uidiſſe,in eiuſ
modi & morbo & tempore aquæ frigidæ potum proſuiſſe. Ceterum medici,qui ab experientia Em-
pirici uocati ſunt,tria eſſe experientiæ genera uoluerunt:quorum unum caſu,alterum conſulto, tertiũ
imitatione fieri aiunt. de ijs tamen non iam ita inter omnes conuenit. immo uero ſunt, qui ad artem
ſatis eſſe experientiam contendant:alijs uero non parum ad eam ipſam rem conferre etiam rationem
placeat. at Lycus ad experientiam & obſeruationem refert omnia,neque unquam ullam probationẽ
demonſtratiuam adiungit: cum tamen Hippocrates contra facere uideatur: ut qui omnibus in locis
afferre demonſtrationes conetur. atque,ut ego quidem puto,ſi id fieri a nobis poſſit,experientia & ra
tione inuenienda ſunt omnia; qui uero illa ſola nititur,is obſeruator,empiricusq; uocatur:qui ratione,
aut methodo quadam,is & rationalis,& methodicus nominatur. incumbẽdum autem in hoc eſt,quia
neque illa ſatis eſt ad omnia inuenienda,neque item ratio ſola id præſtare uidetur poſſe. id tamen non
eſt confuſe ſaciendum,ſed ſeparatim adhibenda eſt diſciplina ab experientia profecta,ſeparatim uero
C ea,quam ſuppeditat ratio:ut quam utraque uim habeat,aperte perſpicias. uerum in omni experientia
periculum eſt,ne propterea quod non ſit adhibita diſtinctio,erremus. id autem fit duobus modis, tum
quod id,quod commune eſt,in ſuas differentias non ſit diſtributum:tum quod in cauſſis rem immutan
tibus non attendamus,quæ præcipue,aut primo,aut ut ut appellare libeat,quæque fortuito ſint conſe-
cutæ.ideo periculum de rebus ſaciendum eſt adhibitis ſuis,proprijsque diſtinctionibus.quod eſt in ali
mentis iudicandis obſeruandũ uel maxime. debes enim ſingulas particulas per ſe ipſas deguſtare,odo
rarique prius,quàm cuiquam des:deinde uero etiam eſu probare. cum enim odoratus,guſtatusq; cu-
iuſmodi ſuccum,& odorem referat ea particula,qua de agitur,nobis indicat,tum uero etiam ſimul to-
tam eius temperaturam ſtatim declarat. atque hac ratione ſacultas ipſius,& conſiſtentia,& item ſuc-
cus accurate inuenitur. quædam enim ſuccum habent humidum,& aqueum:quædam craſſum,& len-
tum:quos ẽt ſuccos ſeparatim guſtare expedierit: quando ipſorũ alij acres,aut acidi,aut amari: alij ſal-
ſi,aut ſalſuginoſi:alij auſteri,aut acerbi,aut dulces,aut alio modo quodã ſint affecti. Qui aũt ſine metho
do,quam ratio cõmonſtret,alimenta,remediaq; cõpererunt,merito cõmemorant, & ad uſum traducũt
ea,quæ ſæpe iuuerunt. obſeruationem.n.& memoriam eorum,quæ eodem modo facere ſæpe uiderũt,
ſuam eſſe experientiam dicunt:ſed cognitionem non exercent. cumque illam ignotent,fit,ut ne cura-
D tionem quidem inueniant. Et tamen Hippocrates,uir admirabilis,multa potius experientia,quàm ra
tione,uidetur cognouiſſe: cuiuſmodi illud eſt,dolores oculorum meri potione,aut balneo,aut ſomen
to,aut eriam alijs rebus,quarum ipſe meminit,curari. iraque omnia,quorum in medicina uſus magnus
eſt,experiri oportet,ut quomodo ad naturam ægroti affecta ſint,cognoſcamus. ita enim ſibi quiſque
modum in rebus omnibus aptum inueniet. nam quemadmodum ſiue ratione conficere recte medi-
camentum non poſſumus,ita eius ſcite firmiter & accurate uires ſine experientia non licer. cum enim
ſæpe medicamentum id non ſecerit, cuius cauſſa ſumptum ſit, tunc quomodo id confectum eſſet,non
ratione,ſed experientia deprehendi. mixtiones enim eiuſmodi non eodem modo omnes conficiuut.
interdum enim e paucis numero ſimplicibus aliquod conficere medicamentum properaui: interdum
e pluribus:quandoque etiam e plurimis,uel omnibus,quæ eſſent generis eiuſdem. ad hæc uero quia
quædam nobis copioſe ſuppetebant, quædam omnino deſiderabantur,aut pauciſſima admodũ erant,
eo tempore, cum neceſſitas urgerer, ex ijs, quæ aderant, medicamenrum compoſui. quod cum uſu
& experientia probatum comperiſſem, eo ſemper ita uſus ſum. atque in medicamentis quidem ſim-
plicibus diſtincta potiſſimum experientia uires inueniendæ ſunt, quod in ea ſalli nullo modo poſſis.
ex quo pater plurimos medicos in errore uerſari,qui neque de ſimplicium medicamentorum faculta-
tibus periculum ſaciunt,neque ratione eas expendere conantur. debes autem ea experiri, cum non
mixta

mixta sunt,& nullam aduentitiam qualitatem habent adiunctam. idque primum faciendum est in opti E
mo corporis statu,tum in ijs corporibus quæ intemperata sunt:postremo in morbis simplicibus. cum
uero id ratione expendimus,distinguendum est id, quod ex accidenti fit ab eo, quod primo, ac per se
inest. Siquidem sola experientia docet ea, quæ prosunt,quæque nocent:sed eius difficultas multas sen
tentiarum uarietates peperit. quæ res fecit,ut totam artem ignari magnopere calumniati sint:ac ne me
dicinam quidem ullo modo esse uoluerint:quod uiderent,tantam esse inter artifices dissensionem, ut
quæ alius ut optima,proferret,ea esse praua alius existimaret. merito igitur dixit difficilem esse in re-
bus,& in arte, præsertim uero medicinali,experientiam. quare fit,ut nos accurate exercere;& in me-
dicina facienda neque pigri,neque socordes esse,debeamus.

*Nuditas* 8

Hoc est unum eorum,quæ ad summam sunt redacta breuitatem, & quæ fere intelligi non possunt,
nisi fortasse hoc nobis indicet, quemadmodum ex colore,quem humores gignunt, & eorum inclina-
tione,& concoctione facere licet de morbis,deque natura ægrotantium coniecturam,ita etiam ex nu-
ditate,quæ affectio est,quæ oculorum coronam,& item capitis partem,quę capillo tegitur,& mentum
obsidet,ut etiam alopecia,ophiasis, & caluitium. tunc enim pili omnes fluunt, extenuantur, quassan- F
tur,scinduntur,squalent, in puluerem uertuntur,subflaui,canique fiunt. atque ita,ut hoc quoque signū
sit,cuius ope quidpiam,quod ad ægrotos pertineat,possis agnoscere. Sunt qui scribant non μαδαρότης,
hoc est nuditas; sed μαδάρωσις, ut non solum oculorum affectum significet,cum pili palpebrarum flu-
unt,sed idem,quod caluitium, a uerbo μαδᾶν ductum quod expertem esse pilorum significat: ueluti
sunt puelli admodum parui:quod in eorum cute nullus adhuc meatus sit,neque etiam fuliginosum ex-
crementum. nam & ex pilis licet temperaturam corporis cognoscere: quod ut fiat, audi,quæ subiun-
gam. pili hunc in modum gignuntur. humor plerunq; minoribus meatibus continetur, & aliquid in-
tro ad imas corporis partes recurrere cogitur. Si uero uapor ueluti fuliginosus,crassusque,& terreus
fuerit,periculum est,ne in angustis uijs impactus nec facile intro rursus redire,nec etiam euacuari pos
sit. quocirca natura alium statim parauit,qui hunc e profundo subiens,feriat,ac prorsum pellat:ut hunc
rursus alius: atque ita corpus tale conficiunt,quale est ea fuligo,quæ foris cernitur. ac tale corpus to
tum prorsum propellitur, lori formam iam adeptum. eiusque color uarius est. proinde capillus niger
est,cum ui caloris deustus uapor in fuliginem abit: flauus,cum minus exustus sit. albus ex pituita effi-
citur. crispi autem capilli aut propter temperaturæ siccitatem, aut propter meatum, in quo radices
agunt,fieri solent. Quicunque autem humidam,frigidamque regionem incolunt,capillos,qui modi- G
ce augeantur,graciles que,& rectos,& rufos habent. qui calidam & siccam, ij nigros; qui parum au-
geantur,siccos,crispos,& fragiles. qui medium inter hos tractum tenent,moderate, & ad proportio-
nem regionis. commutantur autem in ætatibus, & pro natura corporum, & item regionum. de qui-
bus omnibus actum accurate est a nobis in libris de temperamentis: eaque non sunt hunc in locum
transferenda:cum minime par sit omnia omnibus in libris conscribere. siquidem quod ad eum locum
qui sit in manibus,proprie pertineat,est perfecte pertractandum:quod uero obiter occurrit, eius capi
ta solum annotanda sunt. etenim glabros,albidam cutim habentes,quique rectos capillos, & qui ni-
gros,& qui nigris sunt oculis,& qui in otio uixerunt,minus per halitum digeri,quia frigidiore tempe-
ratura sunt,demonstrauimus. eandem ob caussam mulieres, quas pestilens constitutio, propter men- *
struam purgationem minus lædit, * In hanc sententiam ipse in tertio de uulgari-
bus morbis libro cum formas corporum eorum,qui tabidis morbis corripiuntur, explicaret, Genus
inquit,tabidorum læue erat,pituitosum,subrubrum,cæsium. Leucophlegmatiæ, & quibus scapulæ in »
alarum modum prominebant,ac mulieres. quo in loco appellat læue,quod uacat pilis: quod est tem- »
peraturæ frigidioris indicium. atque ut glabrum & uacans pilis frigidiorem, & mansuetam naturam,
sic hirsutum calidiorem,atque iracundam esse indicat. Qui enim mores ex forma corporis se nosse pro H
fitentur,eum,qui admodum hirsuto pectore sit:animosum iudicant sin: cruribus, salacem. aiunt enim
illum habere pectus leoni simile, crura uero,hirco. neque tamen existimandum est, si alicui pectus
pilosum sit,necesse esse,ut totum corpus eius siccius sit,& calidius:sed hoc,plurimum caloris in corde
esse,proinde animosum hominem effici:sicut si totum corpus uacans pilis,delicatumque sit,& alba cu
tis,timidi,ignaui,& segnes homines redduntur. quanquam hæc pro natura regionum mutantur: ubi
enim terra mollis,aquosaque est,& aquæ ibidem sublimes sunt,ut æstate calidæ, & hieme frigidæ sint,
ibi homines carnis mole conuestiti,& pigri,& somniculosi sunt:ubi uero nuda est regio,aquis uacans,
& aspera,ibi dura,firma,& hirsuta sunt corpora. ac de his omnibus hoc intelligendū est,corpora, quæ
magis rara,magisque hirsuta sunt,facilius usum carnium,quibus uescantur,quàm,quæ alterius sunt ge
neris,perferre:utpote quæ per halitum digerantur:itemque ærumnas,quia minus in lassitudines inci-
dant:& bona habitudine diutius perfrui,quia non statim ad extremum perueniant. Iā uero ex eo,quod
glabrum,hirsutumq; corpus sit,potes de humore,qui redundat, facere coniecturam. nam & delicati,
& albi,& glabri,humorem melancholicū minus coaceruant:graciles uero,nigriores,& hirsuti,& quo-
rum ampliores uenæ sunt,ij ad illum humorem gignendum aptiores iudicantur. ceterorum humorum
eadem ratio est.

Viscerum

9 A *Viscerum inanitio: quibus infra, repletio: quibus supra, nutritio.*

Appellat uiscera ea tria, quæ etiam principalia nominantur, ut cerebrum, cor, & iecur: & item intestina omnia, quæ & in superiore uentre, ut uocant, & in inferiore continentur. ceterum hoc præceptũ utile est: siquidem in cerebro eam partem animi, quæ rationis est particeps; in corde eam, in qua irarum existit ardor: in iecinore eam, quæ uoluptate alitur, siue eam naturalem, siue, ut Aristoteli placet, altricem, aut uegetabilem, aut generatricem, ut ab uno horum nomen trahat, appelles, contineri plane scimus. itaque de inanitione uiscerum differit, ut sciamus, quomodo nos gerere debeamus, cum inanitio affligit. ac visceribus, quæ inferiore loco sunt sita, prodest repletio: ijs uero, quæ superius, alimentum. Fit enim interdum, ut & in natura, & habitudine corporis humani bilis in partibus supernis fluctuet, & ad infernas deijciatur: ac uiscera magis suspendantur, aut stabiliantur. cum enim uenter magnus est suapte natura, tum uiscera stabilit, licet uacans cibis sit: at si paruus, tum cibis refertus, stabilit: euacuatus uero, eadem relinquit subsidentia. ex quo fit, ut quidam suspensa sibi esse uiscera persentiant. quibusdam uero flaua bilis sursum fluctuat: cum ipsam a iecore ad id intestinum, quod uentris exortum uocant, meatus defert. interdum etiam in quibusdam particula quædam ab ipso ad uentrem progreditur: in quibus nimirum biliosum supernatat excrementum. in alijs uero deorsum omnino secedit.
B inde fit, ut qui parte superiore amaræ bilis homines sunt, hæc maiore cum molestia ferant. qui uero superiore parte pituitosi sunt, ij non assuetam cibi abstinentiam facilius fere tolerant. verum non debent uehementes uasorum inanitiones intempestiue fieri: & cauendum, ne uiscera, & quæ in toto corpore insunt uasa, neque immodice repleantur, neque distendantur: sed potius in quadam definita relaxatione consistant, ut aditus naturali spiritui plane pateat: qui saue ei, cum uiscera repleta sunt, interclusus est.

10 *Inclinatio sursum, inclinatio deorsum.*

Quemadmodum censuit, humores, quo uergunt, eo adducendos esse, ita de repletione, deque alimento nobis imperat, ut inclinationem obseruemus. nam quibus prodest alimentum, quod superne datur, ijs etiam inclinatio, quæ sursum uergit, accommodata est: quibus uero inferna repletio, ijsdẽ quoque ad inferiora inclinatio uidetur conuenire. An uero id generatim de omnibus extulit? ut hoc loco idem uelit, quod supra, cum dixit, educenda quæ maxime uergunt: & in illo aphorismo, Quæ educenda sunt, quo maxime natura uergere uidebitur, ducito: id quod esse melius uidetur. sed hac de re satis iam ante disseruimus.

11 C *Quæ sua sponte sursum, ac deorsum repunt; quæ prosunt, quæque nocent: congenita forma, regio, consuetudo, ætas, tempus anni, morbi constitutio: excessus, defectio, quantum cuique sit reliquum, aut secus.*

Dat nobis hoc consilij, accurate intueamur, quæ sua sponte uacuantur sursum, aut deorsum, utrum prosint, an obsint. quod quomodo cognosci a nobis possit, ipse postea declarabit, cum dicet, Quæ deiiciuntur, non multitudine æstimanda sunt, sed si qualia oportet, & æger facile ferat, & item in aphorismis, cum ait, Si inquit, qualia purgari oportet, purgentur, & confert, & facile ferunt: contraria uero, difficulter. nobis igitur suppetit ratio iudicandi, cum moderata euacuatio fit, si facile æger ferat: contra uero, ut immoderatam & molestam esse euacuationem, cum æger difficulter toleret, censeamus. Itaque siue nos, siue natura euacuationem moliatur, est in quantitate, & qualitate modus quidam statuendus: quo noxius humor uacuetur, & multitudini humoris noxij euacuatio conueniat. si enim educatur id, quod redundat, certe ægrotus se factum esse leuiorem sentiet, & facilius morbũ perferet. at si quid eorum, quæ naturæ accommodata sunt, simul excernatur, eius uires & dissolui, & infirmas effici, necesse est. verum, si qualia oportet, uacuentur, idq; ita fiat, ut facile feratur; tunc siue per inferiora, siue per superiora hoc accidat, proderit. at si nec qualia oportet, euacuentur, nec facile ferat ægrotus, tunc ea res lædere consueuit. proinde censet perpetuo, ut quæcunque ab ipsa natura recte fiunt, quæ modo
D sponte fieri dixit, ea medicus imitetur. etenim si per superiora, qualia oportet, hoc est, quæ noxia sunt, sua sponte euacuentur, hocque prosit, & æger facile ferat: monet idem esse medico faciendum, si uelit euacuare: ut, noxij humores euacuentur, & id ipsum ita fiat, ut omnis facilitas ferendi ægroto comparetur. Ceterum has notas exposuimus nos, cum aphorismum illum explicaremus, cuius initium est, In perturbationibus uentris, & uomitibus: & eum illum etiam declararemus, cuius hoc est initium, Quæ deijciuntur, non multitudine æstimanda sunt. vterque est in primo aphorismorum libro. quare hæc missa facientes, quæ ipse adscripsit, perpendamus: quæ quidem simul indicant aut faciendam esse euacuationem, aut non esse euacuandum, aut purgandum. principem autem locum obtinet forma congenita: hoc est communis omnium hominum natura, & cuiusque propria. quocirca spectare medicus debet, qualis sit naturalis temperatura, utrum facile, an difficulter euacuationes, purgationesq; ferat: & uidere, an in morbo commutetur. id autem tum ex actionibus, tum ex facie cognoscitur, si similis sit sibi ipsi, cum bona ualetudine frueretur: vt ipse in præsagijs faciendum esse monuit: In acutis inquit, morbis ita specta, in primis ægri faciem, si faciei bene ualentium similis sit, præsertim uero sibi ipsi: siquidem ita fuerit optima. Verum quia nos oĩum hominum naturam prius cognoscere nõ potuimus, sed sæpe ẽt repente ad ignotos hoĩes uisendos uocamur, ideo a cõibus initium ducimus. nã in quibus neq; nares acutas, neq; oculos concauos, neq; cetera, q̃ ibi sunt ab Hippoc. memorata, pspicimus,

in iis neminem de ægrotante quicquam interrogamus. at si illa adsint, tum quærimus, quomodo affe- E
ctus esset, cum in naturali esset statu. Regionis uero formam esse magno usui ad morbi curationem, &
ad futura præsagienda, est a nobis sæpenumero demonstratum: atq; ipse in libro de aere, aquis, & lo-
cis, qui in quaq; regione morbi uigeant, declarat. atq; illi quidem cum indigenas corripiunt, tum uero
quia familiares sint, minus periculosi habentur. De consuetudine autem quid attinet dicere? præser-
tim cum ipse sæpenumero dicat, eam nobis multis in rebus esse fructuosam. Sed & in præsagijs etiam
ait: si quis pronus cubet, cum in bona ualetudine ita cubare non consuesset, aut delirium, aut dolor »
uentris portenditur. & illud, Dentium stridor in febri, quibus a pueris non consueuit, insaniam, mor- »
temq; significat. Non exiguam porrò utilitatem ex ætatis duci cognitione, cognosces ex aphorismis,
in quibus de ætatibus disseruit: & in quos sunt iam a nobis conscripti commentarij. est autem quadri-
partita ætatum diuisio, atq; humida quidem & calida puerorum est: sicca & calida florentium: sicca &
frigida declinantium: humida & frigida senum. sed pueruli non absolute calidi sunt, ut qui ætatem flo
rentem habent: sed natiuo calore, qui temperatus est, & in probo sanguine consistit. quàquam autem
plus humoris habeant, quàm ad salubrē habitum opus sit, tamen exsiccandi non sunt: propterea quod
in caussa hoc esset, ne augerentur, & crescerent. De senibus quæstio existit, quod alij humidos, alij sic-
cos eos esse dixerunt. Sed hoc in libris de temperamentis ostensum a nobis est, eos, quod ad membra F
eorum solida pertinet, siccos esse: quia uero ex frigida temperatura, magna copia excrementorum in
ipsis est, ideo humidos dici. itaq; si libris de temperamentis diligenter perlectis, uera scientia cogno-
ueris, frigidam & siccam esse propriam senum temperaturam, sed adiunctam habere humiditatem ex
pituitosis excrementis profectam, tunc plana & perspicua erit ea, quam omnes fere neglexerant, dubi
tatio. quam ob rem iubet, & nobis auctor est, ut in omni re tractanda & anni tempus, & regionem, &
ætatem intueri debeamus. atq; in aphorismis quidem, cum de morbis, qui in quoq; anni tēpore, quaq;
ætate uigeant, dissereret, nobis elementa artis tradidit. ego uero nonnullas eius sententias hic afferam,
quas ipse ad hunc fere modum scriptas reliquit: Morbi inquit, omnes in omnibus fieri temporibus »
uidentur: quidam tamen magis in quibusdam, & fiunt & irritantur: ut uere, atræ biles, & ceteri, quos »
deinceps subiunxit: æstate, continuæ, tertianæq; febres, & alij: autumno, alij multi, quos ipse narrauit:
hieme, alij: ut etiam progrediens scribit, quales, quantiq; morbi in ætatibus oriantur. quos ego, bre-
uitatis studio ductus, minime esse memorandos puto. Monet autem nos, ut morbi constitutionem cō-
sideremus, ut utrum morbus acutus, an diuturnus sit, utrum symptomata iuncta habeat, aut ijs uacet:
utrum in principio, an incremento, an statu, an declinatione sit cognoscamus: & utrum morbo morti-
fero æger teneatur, ut superstes esse non possit, an euasurus sit, iudicemus. uult enim ipse e morbis sumi G
rationem præsagiendi, quid futurum sit: quod nos prolixo sermone cum in libris de crisibus, tum uero
etiam in commentarijs in aphorismos editis explicauimus: ueluti cum ait, Tertiana exquisita cito iu- »
dicatur: quartana longa est: utraq; uacat periculo. phrenitis uero & ueternus & periculum minantur,
& acuti sunt morbi. Scirrhus uero lienis & exitiosus est, & diuturnus. Hoc autem loco aeris nos am-
bientis constitutionem prætermisit: cuius tamen in libris de uulgaribus morbis fecit mentionem his
uerbis: Cum totus ille status austrinus, & squalidus esset: deinde uero, cum totus annus humidus, fri- »
gidus, & aquilonalis fuisset: itemq;: Non una species morborum uagata est: neq; unus semper fuit in »
toto anno status. Hoc nomen, constitutio, si per se solum, & sine additione proferatur, potest & re-
gionis, & cuiusq; rei alterius formam indicare. Iam uero excessum, defectionemq; annexuit: a quibus
morbi sæpenumero gignuntur: & item in caussa sunt, cur medicus properet, naturam adiuuare, cum ea
non satis euacuet: aut cur immodicam euacuationem cohibeat. quibus quidem fit rebus, ut uiden-
dum sit, plus ne, an minus, quàm par est, fluat, quod sua sponte prodit: & quibus alterutrum prosit,
quosq; offendat. siquidem utrunq; malum est. ut enim quod medium est, id in omnibus est rebus ex-
petendum, ita quod redundat, quodq; deest, fugiendum: nam & uirtutes omnes in medio consistunt,
& uitia extra medium excedunt. H

*Purgatio, euacuatio, remedia.* 12

Solet Hippocrates absolute appellare euacuationem, cum omnes humores æqualiter euacuantur: purgationem uero, cum ij, qui praua qualitate affecti sunt. fit autem accuratissima omnium humorum, qui æqualiter educantur, euacuatio per uenæ sectionem. proxime ad hanc accedit, quam scarificatione malleolorum obimus. itemq; ea, quæ in exercitationibus, aut frictionibus, aut balneis, aut etiam inedia uersatur. quàquam inedia non per se, ut singula, quæ dicta sunt, euacuat: sed per quandam perspirationem, quia nullum alimentum, quo euacuata materia instauretur, introducitur. hæc autem uno nomine remedia, hoc est sanationes uocat. Verum siue natura ipsa corpus euacuet, & noxiorum humorum fiat euacuatio, siue id, nobis medicamentum dantibus, consequatur, Hippocrates appellare purgationes consueuit. quocirca Thucydides in pestilentia explicanda, secundo historiarum libro, euacuationes in morbis, quæ impetu naturæ per symptomata ratione morbi contingūt, purgationes, expurgationesq; uocauit. Purgatio igitur est euacuatio humorum, qui sui qualitate molesti sunt. atq; ipse in aphorismis quancunq; euacuationem nominat uasorum inanitionem, idq; ab euentis, propterea quod eueniat, ut in omnibus euacuationibus uasa inaniantur: & uerbo medicandi in ijs solum utitur, quæ purgant. Ac purgationes quidem, & euacuationes fiunt medicamentis, quæ aut uomitum cient, aut aluum subdu-

cant,

A cant, aut deniq; per superiores, aut per inferiores partes : hæq; aut medicamentis, aut uenæ sectione, aut uomitu, aut per urinas, aut per sudores, aut per clysteres, aut per reuulsionem, aut per deriuationẽ: de quibus deinceps ipse differet : absoluuntur. hoc tamen in primis sciendum est, plerosq; paratiores ad uenæ sectionem esse, quàm alios : quosdam uero ad purgationem : ut alij quiduis potius, quàm uenæ sectionem, patiantur : quidam alia omnia, quàm ut bibere medicamentum uelint. immo uero sunt, quibus purgantia medicamenta stomachum subuertunt : alij uero sine molestia eadem sumunt. itaque uidendum est, quibus hominibus sanguinem detrahere, quibus dare medicamentum purgans oporteat. atq; in iis, quorum uires firmæ, robustæq; sunt, si euacuati sint noxij humores, morbus cessat. in quibus uero sunt infirmæ atq; imbecillæ, una cum humoribus noxiis, qui euacuentur, ipsæ quoq; dissoluuntur : id quod non est ullo modo faciendum : sed studendum perpetuo est, ut inde maior utilitas existat, omnisq; noxius, & molestus humor euacuetur. quod ut fiat, intueri prius diligenter oportet, aptusne æger ad purgationẽ sit, nec ne. qui enim multis cruditatibus, aut glutinosis, crassisq; abundant eduliis, quibus item hypochondria sunt distenta flatibus, aut urina supra modum calida, & ignea, aut aliqua uiscerum inflammatio, ij omnes ad purgationes inepti sunt. quam ob rem glutinosos, crassosq; humores, qui in corpore sint, attenuare oportet, & meatus eos, per quos illi a medicamento purgante

B traducuntur, & trahuntur, aperire. quod nisi feceris, ægre, & moleste purgatio procedet, ut & tormina, & uertigines, & anxietatem, & summam molestiam sit allatura. idq; est, quod Hippocrates litteris consignauit, Corpora cũ quis purgare uolet, ea fluida faciat oportet, siue uomitibus, siue alui subductione purgatio facienda sit. quod etiam in morbis diuturnis intelligendum est : siquidem id in acutis usu nõ uenit : sed in ipso statim initio purgatio adhibenda est, si materia turgeat, ut postea dicetur. nunc autem rei, ad multa, magnaq; utilis quæ & in purgatione adhibenda, & in medicamentis dandis, (quod quidẽ idem est) contingit, te admonebo : quam semper tibi hærere in memoria peruelim. cum nostrum corpus ad morbosam affectionem paratum sit, ut illa inibi sit, ut prope confecta sit, si quid extrinsecus accedat, affectionem illam arguit, & apertam facit : ac uel febrim accendit, uel dolorem capitis, aut destillationem, aut tussim, aut aliud quidpiam mouet. deinde uero homines ex illa morbosæ affectionis præparatione cum periculo languent, cum neq; cursus, neq; alius ualidus motus, neq; intemperantia, neq; refrigeratio, neq; calfactio, neq; res ueneræ, neq; uinum, neq; aliud quid huius generis morbum excitarit : propterea quod nihil horum satis est, ut suapte natura uehementem imbecillitatem gignat : sed uel ephemeram febrim, uel quid tale, quod ad exigui spatium temporis perduret, afferre possit. proinde non est ignorandum, has non esse caussas, sed potius occasiones morborum. ceterum eæ occa-

C siones sunt multiplices, ut cursus, luctæ, pancratia, res ueneræ, frictiones, æstus, refrigeratio, uigiliæ, iræ, tristitiæ, & timores. ex iis res ueneræ, quæ spiritum perturbant, quia morbus a malitia humorum non est exortus, purgationem non postulant. raucos uero, ac lienis uitio laborantes purgare conuenit. in quibus autem exigua inest copia sanguinis, & spirituosos, & qui tussiunt, nec quicquam reiiciũt, quiq; fisticulosi sunt, non item. sed de spirituosis, aut inflatis quæstio est : siquidem multæ caussæ sunt, ut quidam uenæ sectionem, quidam purgationem, quidam aliud deniq; remedium exigere uideantur. nihil tamen, nisi adhibita distinctione, faciendum : nisi uelis multos in facienda medicina, errores committere. Equidem Hippocratis diligentiam cum in aliis rebus omnibus, tum uel maxime in eo commendo, quod scopum eum, qui non in uno, alteroue morbo solum, sed in omnibus ad purgationem indicandã præstet ceteris, non omiserit. is autem ex ipsius sententia, est qui ab affectus magnitudine sumẽdus est, quem omnes fere neglexerunt. atq; empirici quidem aiunt, se obseruasse, euacuationem tum denique faciendam esse, cum suus ille plethoricus concursus, ut uocant, factus sit. ac perspicue fatentur, se in nihil aliud, quod ægroto accidat, intueri : Sed ita ad euacuationem accedere. & tamẽ fit interdum, cum non adsit plethoricus concursus, ut mittendus sanguis sit. Si enim morbus ualens sit, uiresq; ægroti robustæ, nemo erit, qui in medicina facienda sit exercitatus, qui non esse missurus sanguinem uideatur. ac

D quemadmodum sanguis propter magnam ipsius copiam, & morbi magnitudinem, mittitur : sic purgatio propter alterius cuiusdam humoris redundantiam, & morbi robur adhibebitur. De uenæ autem sectione est a nobis in alio libro disputatum, & item deinceps differetur : nunc uero de purgatione loquemur. hac autem opus habent ægroti, non modo quia humorum redundantia, quæ noxia est, expurgetur : sed etiam ut auertatur, & euacuetur. atq; in hydrope quidem statim in principio adhibenda curatio est. ubi uero constiterit, in primis addenda erunt, quæ pituitam per sedem educant : deinde utemur iis, quæ excito uomitu euacuant : tum usus eorum erit accommodatus, quæ ad euocandam ex ore pituitam ualent, ut a capite pituita detrahatur. at ubi humor pituitosus in totum sit corpus distributus, tum corpus erit eo expurgandum medicamento, quod illi uniuerso expurgando sit. quãquam ad crassos humores incidendos, & ut urina procedat, etiam medicamenta, quæ incidendi uim habent, erũt nobis usui, atq; adiumento. Eodem quoq; modo morbum, quem regium appellant, omnibus admotis remediis curamus, ut purgatione, uomitibus, prouocata urina, per palatum, per nares, &, uno uerbo, per superiora, & per inferiora. id quod in omnibus fere uehementibus, ualentibusq; morbis, quos malitia humorum procreauit, esse faciendum uidetur. ceterum morbus omnis tribus modis ualens efficitur, aut propter eius partis, quæ affecta est, nobilitatem, aut propter affectus magnitudinem : aut propter ipsius malitiam. horum omnium Hippocrates in libro de ulceribus mentionem fecit : quo in loco

de purgatione scripsit hæc: Purgatio, inquit, per aluum plurimis ulceribus confert. itemq; ul- E
neribus capitis, uentris, articulorum, & iis omnibus, in quibus periculum est, ne os corrumpa-
tur. * hoc igitur nobis consilij dat Hippocrates, ut purgemus, ac redundantem humo-
rem euacuemus: idque modo sanguinis detractione, cum is ceteros humores superet: modo me-
dicamento purgante, cum aut flaua, aut atra bilis, aut pituita redundet: præsertim uero si malitia
humorum adiuncta sit, aut plenitudo, aut inflammatio, aut herpes, aut aliud quid huius generis.
quocirca statuendum est, purgationes esse perutiles & cum morbi magni sunt, & cum quibus per-
magna est humorum iuncta redundantia. Non defuerunt tamen, qui hanc habuerint sententiam,
prius quàm ita aut sanguinis missione, aut purgatione educas id, quod superuacaneum est, calfa-
cientibus utendum esse, atque ita discutiendum. Sed illi materiam ad locum affectum attrahunt po-
tius, quàm ut per cutim inaniant. perspicuum enim est, tum denique medicamentis uti, quæ ad locum
sint accommodata, nos debere, cum uniuersum corpus sit expurgatum. Iam uero uenæ sectionem ad
hibemus, purgationeque, & clysteribus utimur, & inediam imperamus, cum uniuersum corpus plenũ,
aut malis affectum humoribus uidetur. Si neutrum horum subsit, tum ad remedia loco imponenda
statim confugimus. & quoniam hoc artis medicæ officium est, omnes singularum corporis partium na
turales actiones recuperare, cum illę corruptæ sint, easque custodire, cum sint integræ, eæque naturalẽ F
corporis fabricationem consequantur: profecto & ipsam cum adest, tueri; & cum corrupta sit, recupe-
rare necesse est. principes autem functiones a particulis similibus inter se perficiuntur: secundariæ ue-
ro, ab organicis. proinde spectandum est, qui humores sint in corpore, quamque utilitatem, aut dam-
num particulis afferant. itaque interdum solum caput grauitate tentari sentimus, aut affectione quadã
ulceris sensum referente conflictari: aut musculos temporales intendi. idque uel absolute, uel cum ma-
iore calore quodam. ita etiam in iecinore, liene, uentriculo, costis, ac septo transuerso grauitatem per
sentiscimus. sæpe etiam in ore uentriculi sensus quidam grauitatis, aut morsus, aut nauseæ, aut auer-
sionis ciborum, aut cuiusdam absurdi appetitus oboritur. præterea uero fixi in particula quapiam dolo
res. cuius rei caussa est aut copia humorum, quæ confertim illuc comportata est, aut spiritus flatuosus:
idque euacuationem esse faciendam indicat. Sunt etiam interdum nudæ quædam intemperies, uacã
tes humoribus, interdum cum humoribus coniunctæ. hæcque euacuationem humorum corpus affligẽ-
tium, aut uaporum indicant omnia. ipsaque euacuatio hominem a morbis, affectibusque liberum red-
dit: ac satis est purgare, frictione, balneoque uti, & discutienti medicamento quodam inungere. cum
his autem spectanda est ætas, naturaque ægrotantis, itemque anni tempus, regio, & alia, quæ supra me-
morauimus. ceterum cognitio loci affecti difficilis esse solet. cognoscitur autem affectus locus, ut scis G
a nobis esse in eo opere, quod de locis affectis edidimus, demonstratum, ab excretis, ab ijs, quæ affectis
adnascuntur partibus, & ab actionum noxa: ad quæ aggregantur colores, qui præter naturam sunt, &
figuræ. quæ cum omnia compereris, scito euacuationem esse admoliendam. ac puta, cum ea plenitudo,
quæ ad uires pertinet, fuerit, sanari eam continuo non posse, quod cum ipsa euacuatione uires una in-
terdum exoluantur. quanquam inuenti quidam sunt, qui statim post euacuationem sint ab omnibus
molestijs liberati: uerum neque omnes medici illorum affectiones norunt: neque si norunt, a ceteris *
distinguere statim possunt. nam neque in sudores, neque in odores intueri illic oportet. in primis enim
nihil ibi indicant: ac sudor & odor non idem est: cum sudor sit tenuis humiditas quædam, & ex ipsis
humoribus proficiscatur: odor uero, ueluti fumus quidam ex humoris materia resolutus. proinde ad
hæc adhibere animum non oportet. Sed corrigenda medicamenta sunt: siquidem docuimus om-
nia medicamenta uentriculum, præsertim uero eius os, propterea quod maxime neruosum sit, & sensu
præditum, ledere. quam ob rem odorata admisceri solent, ut ne sola medicamenti facultas uentriculi
os attingat. admiscentur autem semina, quæ uim medicamentorum obtundant, ipsorumque actionem
non impediant: quæque attenuandi, atque incidendi uim habeant. præterea uero quæ admiscentur, sibi
inuicem consentiant. alioqui inæqualiter fit euacuatio. neque uero omnes, qui quoquo modo affecti H
sint, nec quocunque tempore, nec statim ubi contigerit, purgandi sunt. ac sanos quidem, & in quibus
nihil redundat, purgare non oportet. quorsum enim decet, accommodatam naturæ, & culpa uacantem
& nõ morbosam materiam auferre? immo uero, præter quàm quod id cum molestia & labore facis, nõ
mediocris noxa consequetur. quicquid enim per uim quidpiam facit, id dolores, labores, interdum ue
ro etiam animi defectiones, ac partium exolutiones, aliasque molestias inuehere consueuit. euacuaris
tu quidem, sed quidpiam naturæ accommodati, & quod rei essentiam attingat, detraxeris. Verum si
in homine aut pituita, aut flaua bilis, aut alius quispiam humor redundarit, tunc erit oportuna euacua-
tio. Sed tamen crassos humores attenuare, ac tenaces incidere plane decet: alij euacuandi sunt. utris
que enim auxiliantibus & natura, & medicamento recte succedit purgatio, eaq; facilius, ac melius per
agitur cum molesta materia secedit. Sed, ut monui, obseruare eos oportet, qui pingues sunt, & quo-
rum tabidus est habitus. temporum quoque anni repentinas mutationes, astrorumque ortus, & occa-
sus, a quibus tempora ualde immutantur, arcturum dico, uergilias, solstitia, æquinoctia, caniculamque
obseruare par est, qua de re ipse in libro de aere, aqua, habitationibus, locis, & regionibus mentionem
fecit. prius enim quàm probe constiterint, non est accommodata euacuatio. Age uero in ijs purga-
tionibus, quæ per inferiora fiunt, obseruandæ sunt hæmorrhoides, fluor muliebris cruentus, itemque
omnes,

A omnes, qui crebra desidendi cupiditate urgentur, quem morbum tinesinum uocant: quique alui fluore tentantur, & quorum intestinum ulceratur, quorum denique sicca mirum in modum aluus est. in purgationibus uero, quæ per superiora fiunt, obseruabis tusses, asthmata, interna ulcera, ac pulmonis quidem tabem, iecinoris colliquationem, sanguinis sputum: & si quem in gurgulione, aut faucibus, aut ceruice morbus exercere consueuit. huc accedunt oris stomachi dolores, & cum cibum homines non continent: nec tamen ipsum uomitu reijciunt. itaque pituitosi per supernas partes: biliosi per infernas purgandi sunt, præsertim quibus atra bilis euacuanda est. Verum ubi opus euacuatione est, non debemus ipsam ita absolute, simpliciterque admouere: sed diligenter expendere, quomodo ea facienda sit, & qualia futura sint ea, quæ sumus euacuaturi, & per quem locum, & quo tempore, & quatenus educenda. ac quod diximus, quomodo facienda sit, significat transitus aperiendos: idque non simpliciter, & ut sors fert; sed ut decet. quod nobis significat modum, quo ad inanitionem faciẽdam utamur, ut, exempli gratia in ijs quæ uentre continentur, per clysteris, glandisque usum, & item medicamentum, quod aluum subducat: & hæc singula per certa quædam: cum & clyster, & glans, & subducens medicamentum multis confici modis possint. quod uero diximus, qualia futura sint, quæ euacuanda sunt, intelligimus, attendendam esse qualitatem eorum, quæ euacuantur. ut noscamus, aqueum ne & tenuem,
B an pituitosum, an biliosum, melancholicumve humorem præstet educere. iam quod diximus, per quem locum huc pertinet, nobis spectandum esse, per quam partem euacuare oporteat. quamuis enim perspectum habeamus, per inferiores partes euacuationem esse faciendam, tamen per quam ex inferioribus tentanda sit, distinguendum est: ut per uesicam ne, an per aluum, an per uterum: rursus uero si per superiora, utrum per nares, an per os. est etiamnum euacuatio, quæ per totum corpus fit, eaque aut per sudorem efficitur, aut per eam perspirationem, quæ latere sensum nostrum dicitur: quæ quidẽ propter tenuitatem eorum, quæ educuntur, oculorum effugit obtutum. etenim cum eius facultatis, quæ animal continet, imbecillitas, & tenuitas humorum in idem conueniunt, estque eis calida febris adiuncta: aliquid semper propter imbecillitatem quidem extra cutim excernitur, uerum sub aspectum præ exiguitate non cadit: ut pote tenues humores defluant. quod si etiam locus sit calidus, & anni tempus æstiuum, & cæli status calidus, ac siccus, tunc homines in huiusmodi affectionem promptius cadent: ac magis etiam, si natura sint biliosiores, osque uentriculi habeant imbecillum. Prætereá uero, quod addidimus, quo tempore, scito, uidendum esse, quo sit tempore uacuandum, utrum in principio, antequàm morbus concoctus sit; cum inquam, ut ipse post dicet, turget, & ad humorum excretionem nos impellit natura, quæ animantia gubernat: an postquam noxij humores sint concocti. quod denique diximus,
C quatenus, scire debes, copiam euacuationis nobis esse perpendẽdam, cuius habere rationem medicus debet: ut sudor interdum uidetur esse ægroto utilis, & tamen ipsum quoq; esse moderatũ oportet: propterea quod si immodicus sit, uires dissoluat. multo autem accuratius seruare modum decet in ijs, quæ uomitu reijciuntur, queque per aluum educuntur, ac quæ per ora uenarum, perque uterum euacuantur. Est autem tentanda euacuatio autumno, & uere, per quam potissimum partem prodesse uidetur, ut nuper dicebam. si uero hieme & æstate euacuare aliquid cogaris, dato operam, ut hieme per inferiora; æstate per superiora id facias. idque ipse in libro de salubri diæta monuit. caussa est, quia hieme pituita in uentre gignitur. quocirca iubet, eam ut uomitibus euacuemus: at æstate uult ut bilim supernatantem deorsum retrahamus. uerum si totum euacuare corpus uelis, æstate per superiorem uentrem, hieme per inferiorem medicamento faciendum est, ut in aphorismis habes: at quæ prohibere uoles, ne augeantur, ea per loca contraria reuellere conuenit. & tamen in læuitatibus intestinorum, cum in extremitate sunt exulcerationes ab acri, tenuique humore exortæ, licet morbus medicamentum per superiora postulet, quod potius huiusmodi humores superfluitent, quàm infra secedant: tamen hoc hieme non est faciendum: ut modo dicebamus. cum uero humor pituitosus adhæsit intestinis, non est per superiora purgandus, hoc est per medicamentum uomitu purgans educendus. est enim natura comparatum,
D ut ea solum, quæ in uentriculo sunt, euomantur. eorum uero, quæ intestinis continentur, nihil est, quod euacuari uomitu possit. quam ob rem in facienda medicina mentem, animumque adhibere diligenter, ne erres, oportet. hanc autem ad rem non parum facit etiam consuetudo: siquidem ipsa quoque modũ euacuationis declarat. nam qui uomere soliti sunt, eas purgationes minore cum molestia ferunt, quæ per superiorem uentrem fiunt: insueti uero, non sine periculo id faciunt. ac magis etiam cum elleboro uomitus cietur: quo remedij genere cum ueteres plurimum usi sunt; tum uel maxime Archigenes: cuius liber, qui est de elleboro propinando inscriptus, adhuc extat. Est etiam morbi genus spectandum, qui enim aquam inter cutem ex pituita habet, is medicamentum pituitæ educendæ postulat: ac primũ quidem per inferiorem uentrem, deinde & per uomitus, & per ea, quæ pituitam per os euocant. cum enim in toto corpore sit dispersa redundantia, omnia euacuationum genera adhibebimus. at hydropi ascitæ medicamenta dabimus, quibus aqua educatur: sicut regio morbo correptis ea propinabimus, quæ bilim ducant. in quibus etiam bilis multis modis expurganda est, ut per interna, per superna, per urinas, per palatum, & per nares. Eodemque modo si melancholici humores abundarint, ut in melancholia, cancro, & elephantiasi usu uenit, medicinis utemur, quibus atræ bilis humor euacuetur. in comitiali morbo pituitam expurgantia medicamenta danda erunt. Quædam etiam intemperies sine humoribus comperiuntur: in quibus refrigerate, calfacere, exsiccare, humectare, & aliquid horum coniũ

ctè facere oportet. in ijs autem, quæ ex humoribus conſiſtunt, ſi particula ſibi ſoli inſeruiat, tibi licebit E
audacter euacuare, prout affectio ſuadebit, uiribus tamen etiam perſpectis. ſin eius miniſterium ſit om-
nibus a nimantis partibus neceſſarium, cuiuſmodi eſt iocinoris, aut uentriculi, non parua ſolicitudo de
uirium robore habenda eſt, ut ne una euacuatione magna affatim adhibita ipſum diſſoluamus. Ita etiã
qui in corporis ſuperficie laborant intemperie, ijs medicamenta, quæ poſtulet intemperies, adhibebi-
mus. quibus autem in imis corporis partibus intemperies eſt, in ijs ineunda eſt interualli ratio. ceterũ
quæ per ſingulos dies in nobis coaceruantur, ea erunt exercitationibus expurganda. ea autem quæ uſu
balneorum fit euacuatio, non magna eſt: ac ferme quidpiam eorum, quæ cute continentur, euacuat.
quæ uero in profundo corpore inſunt, & per carnem ſunt diſperſa, ac ſolidis partibus inhærent, nõ iam
ſatis a balneis euocantur. neque tamen euacuatio medicamentis facta purgantibus eſt idonea: quan-
quam ijs, qui ualde purgatione indigent, & ex longis etiam interuallis accommodata eſt. Si uero qui-
ſpiam euacuationem moliri uelit, uereaturque, ne plenitudo colligatur, atque ita in morbos cadat, is
ſciat, præſtantiſſimum eſſe ad euacuationem ineundam tempus, uer: ab hoc, autumnum. is enim ſæpe-
numero circa uergilias conſtitutionem ueri parem ſortitur: vt quidam non ægre purgentur, & id opor
tuno tempore faciant prius, quàm æſtiua excrementa ab hieme excepta condenſentur, & corporibus
infigantur. & ob eam cauſſam purgationes uerno tempore ſunt optimæ, quod excrementa hieme colle F
cta educunt prius, quàm calor exuperãs ea moueat, ac perturbet. quo in loco par eſt attẽdere cõe medi
corum erratum, quod in plurimis affectibus plerunq; cõmittitur. nam quod ſuperuacaneũ eſt euacuant
illi quidẽ, ſed tñ ne ei quod euacuatum ſit, quid perſimile gignatur, nullo modo ſibi curandũ proponũt.
Iam uero, cum ægrotus medicamentum bibit, ei danda ſorbitio eſt: interim uero dum fit purgatio, ſor
bitionem non dabis. & tamen plerique medici, cum euacuant, copioſe hominem alunt. at Hippocra-
tes nobis auctor eſt, ut pauciora demus: propterea quod corporum, quæ expurgata ſint, facultas pur-
gatione conflictata, neque ferre, neque probe conficere alimentum poteſt. nunc uero quoniam etiam
inteſtini natura facit, ut facile, aut difficulter aluus ſubducatur, bene actum iri nobiſcum puto, ſi is, qui
recte per ſuperiora, perque inferiora purgaturus eſt, huius rei non erit ignarus. Venter enim in homini
bus ſuapte natura oſculum habet aduerſum: & in dextra parte ad ſpinam, latius quàm in ceteris ani-
mantibus: inde uero fit anguſtius: deinde meſaræum ſubit: atque ita deinceps uſque ad principium
coli inteſtini. ij, qui tales ſunt, cibis facile euacuantur: at quibus oſculum ſuperius nergit, uel eſt angu
ſtius, quàm par ſit, uel quod ita ab ortu ſit factum, uel quod aliqua inflammatio obſideat, aut durus tu-
mor poſtea enatus comprimat, aut aliud quid impediat; ijs cibi difficulter deſcendunt: ſed facile ſub-
ducuntur. quos quidem omnes per inferiora purgare non debemus. at quibus os uentris propter mor G
bos anguſtum eſt factum, ſi progreſſu temporis morbi ſoluantur, ſymptomata quoque ſolui ſolẽt. quo-
circa non ſemper ſunt eodem modo ad purgationes per aluum affecti. & quæ natura fiunt, ſemper ob-
ſeruanda ſunt: quæ uero ui morborum, quatenus morbi uetant. Quoniam uero ex medicamentis alia
decocta damus, quibus ægri uescantur, alia ſicca in puluerem redacta, aut contuſa, aliorum uero liquo-
res, aliorum deniq; radices exhibemus, non ſunt cocta crudis cõmiſcenda: nec radices liquoribus ad-
modum temperandæ. adhibere igitur animum oportet, ut cui morbo unumquodque medicamentum
conueniat, intelligas. nam quæ maxime contrarijs morbis conueniunt, non ſunt ſimul commiſceuda.
ergo feruida refrigerantibus, fortia debilioribus temperantes offeremus. itemq; inſuauia iucundis, ut
pulegij, nepitæ, & thymi coma, & ſemine petroſelini, dauci, & aniſi, & pipere, & † alijs condiendo: quo
rum quædam purgationem adiuuant, ut piper, atq; etiam ſal: quædã uetant, ne quid plus, quàm opor-
tet, purgetur: vt prædicta ſemina faciunt. quædam medicamentum perducunt ad ea, quæ purgationis
indigent. nunc uero meo me functum officio ſatis putabo, ſi medicum cohortabor, ut nihil plane eorũ,
quæ ad artem pertinent, negligat. ſi quidem ſunt his de rebus integra a nobis conſcripta uolumina: ut
etiam de uenæ ſectione eſt ſæpenumero uarijs in locis actum: & tamẽ in præſentia mihi propoſui pau-
ca quædam ſummatim, & perſpicue eſſe afferenda: præſertim cum tu mihi mandaris, ut hæc celeriter, H
breuiterq; conſcribam. Primum igitur, quod eſſe in uenæ ſectione propoſitum debet, eſt morbi magni
tudo, & robur uirium, exceptis ab hoc ſermone pueris, & ijs, qui ad ſummam ſenectutem peruenerũt.
ſcire enim conuenit, non ſolum particulis animantium ſuppeditari a ſanguine alimentum; ſed etiam
natiuum calorem ſuam in ſanguine ſedem habere collocatam. is autem calor, qui in corde eſt, tum mi-
nor ſe ipſo redditur propter ſanguinis copiam, aut propter magnam eiuſdem inopiam: aut propter fri-
gidam qualitatem: tum maior, uel propter calidam ſanguinis qualitatem, uel propter inopiam exiguã.
quemadmodum autem in uentriculo prauæ concoctiones fiunt, cum ea, quæ ſumpta ſunt, aut magis pi
tuitoſa, aut magis bilioſa redduntur, aut corruptelam quandam patiuntur, aut cruda, & mutationis ex-
pertia plurimum manent, & in flatum uertuntur: ita etiam ubi ſanguis non gignitur, humorum in arte-
rijs, uenisq; affectiones proportione reſpondebunt ijs, quæ a fruſtrata in uentriculo concoctione pro-
ueniunt. alimentum autem, quod a uentriculo diſtribuitur, quando a natura non ſuperatur, & in boni
ſanguinis generationem non mutatur, multas experiri corruptelas ſolet. quæ autem ex materia calida
computreſcunt, calidiora redduntur: proinde putreſcens ſanguis erit calidior. qui cum ſit factus cali-
dior, etiam cauſſam afferet, ut particula, in qua putreſcit, calidior ſentiatur: & quæ uicina ſunt, una cum
particulis ita affectis, calore inquam acri, & mordaci, incaleſcant. cum igitur in aliam particulam decũ
bit,

† In altero exẽplari pro ἄλλοις legitur ἁλσὶ. i. ſale.

A bit,in ea tumorem præter naturam excitat. ex quo genere eſt inflammatio. cumq; is ſanguis, qui decũ
buit,craſſior ſit,& magis melancholiam imitetur, tum ſcirrhi naturam tumor nanciſcitur: ut eſſe laxus
ſolet,cum ſit fluxio pituitoſior. at ſi bilioſa ſit,ignis ſacer gignitur. quæ omnia nos in methodo meden
di,itemque in eo libro,quem ad Glauconem miſimus,& alijs pleriſq; in locis,accurate diſtinximus.ita
que cum plenitudo ſit duplex, uti dixi,tum ea,quæ ad uires refertur, tum ea quæ ad affuſionem perti-
nere dicitur,celeriter euacuanda eſt prius,quàm magnum quidpiam malum excitare in hominibus in-
cipiat. quocirca ſi inire de uena ſecanda conſilium uelis,in hæc propoſita potiſſimum intuebere,quan-
ta inquam ſit plenitudo,& qualis,tum perſpicies naturalem corporis facultatem, deinde ipſius corpo-
ris totius habitum,tum anni tempus,regionem,& antecedentem uitam: & utrum aliqua ſolita excre-
tio ſit præter conſuetudinem cohibita: denique utrum homo gracilior euaſerit, aut craſſior. cumque
perſpicua plenitudinis adſint ſigna, ac ualentes uires ſint, uenam ſecabis, ſi uidelicet tentionis ſenſum
afferat affectio, ſine ullo diſcrimine: ac multo etiam magis ſi ſenſum inflammationis aduehat. ſi uero
plenitudo aggrauans moleſta ſit,ſanguis non perpetuo mittendus erit. at uenam ſecabis ijs,quibus hæ
morrhoides ſuppreſſæ ſunt: & ijs omnibus, quoſcunque æſtiuo tempore morbi a plenitudine profecti
corripiunt: & item qui in eiuſdem generis morbos uerno tempore cadunt. ceterum intemperantes,
B uinoſos, atque abdomini deditos ſiue purgatione,ſiue ſanguinis detractione euacuaris, nihil iuueris.
Iam uero non ſolum incidenda uena eſt, cum ſubeſt plenitudo, ſed etiam ſiue plenitudine in principio
inflammationis,quæ ſit uel ex ictu,uel ex dolore, uel ex partium exorta imbecillitate. tria igitur ſunt,
quæ agnitionem continent,morbi magnitudo,eaque aut præſens,aut imminens: ætas, & robur uiriũ:
hæcque tria propoſita ad ſanguinis miſſionem ſuadendam eſſe ſatis poſſunt. ac ſi quando tanta crudo-
rum humorum coaceruata ſit copia,ut uenæ ſectionem prohibeat,non tamen coargui noſtra debet ora
tio: propterea quod in huiuſmodi robur uirium non adeſt.ergo in ijs,quibus euacuatione opus eſt,ma
turandum eſt euacuare, niſi ſit quædam concocti alimenti in uentriculo facta corruptela. In febribus
autem,ſi continentes febres ſint, & manifeſtam aliquam acceſſionem afferant, in qua accedentes in ea
dem permaneant magnitudine, & ordinatas,aut inordinatas inuaſiones faciant, erit ſumma diligentia
animaduertendum,ne increſcentibus inuaſionibus detractiones moliamur. ſed id temporibus placi-
dioribus faciamus. ſanguinis autem detractio multis fit e partibus. ac ſi a fronte ſanguis auferendus
ſit,recta in fronte uena ſecanda erit. atque in plurimis,in frontis partibus ſuperioribus,& caluaria,ubi
uena ad Y litteræ ſimilitudinem ſcinditur. ſectio autem in parte inferiore apud ipſam uenæ ſciſſionem
facienda eſt. quæ uero in angulis oculorum ſunt, eas prope ſupercilia, multo ſupra angulos incidere
C ſolemus. ſecundum aurem uero ſecanda eſt ea,quæ duræ auris parti eſt oppoſita. ſub lingua autem aut
utranque,aut certe maiorem, quæ dextra eſt,incidimus. in brachio uero eam, quæ ex humero deſcen-
dit. in manu eam,quæ inter medium & annularem digitum interiacet: in poplite eam, quæ media eſt
maxime: in malleolis,internam. paruitas autem perſæpe facit, ut non ſit nobis integrum, ut quam ue-
limus,incidamus. In uenis autem cubiti ſecandis, ſi ſecundum naturam ſint, vt in plurimis uſu uenit,
tres erunt ad incidendum accommodatæ, eæq; perſpicuæ,ea nimirum,quæ ſupra eſt ad muſculum, &
media,& quæ ad brachij exortum eſt. quænam autem ſit in aliquibus ſecanda, diſcernimus. in animi
enim defectionibus,aut in aliquo ſtomachi uitio, aut in uiribus ſuſpectis, incidenda eſt ſuperior: qui-
bus autem confertim facta detractione, & concitata euacuatione opus eſt,media: at qui mutationem
in melius poſtulant, quo in numero ſunt, qui comitialem morbum patiuntur, inferior. Iam uero in cu
biti articulatione multas uenas, quas incidere medici ſolent, comperies: de quibus in libris de diſſe-
ctione, deque uſu partium, & in eo,qui eſt de diſſectione uenarum,diſſeruimus. Terminum autem mit
tendi ſanguinis Hippocrates coloris mutationem ſtatuit. ſed ſcire par eſt, quicquid ſanguinis in inflam
matione eſt,id ipſum magna ui caloris mutare colorem: reliquum uero ſanguinem perſimilem in om-
nibus particulis permanere. tunc enim Hippocrates de inflammatione, quæ coſtas obſidet, loqueba-
D tur. quocirca ſi ſanguis, qui toto corpore continetur,ſit pituitoſior,certe is,qui in coſta inflammata ha
bebitur,erit rubicundior. ſi ille fuerit ruber,is qui in parte inflammatione obſeſſa eſt, aduſtus ad nigri-
tiem permutabitur. liuidus autem medius eſt in ea mutatione,quæ a rubore ad nigritiem efficitur.atq;
hoc quidem eſto ſignum ex Hippocratis ſententia. Illud uero non eſt nobis ignorandum, ſcopos cum
augentur,indicio eſſe,copioſiorem fieri euacuationem oportere: cum non augentur,tantum eſſe de co
pia euacuationis detrahendum, quantum illi ſint imminuti. adhibere autem maxime animum debe-
mus pulſuum mutationi,utpote quæ minime fallax ſignum ſit:ac ſi uel in magnitudine,uel ulla inæqua
litate commutentur, ſtatim ceſſandum erit. ac de hoc præſidij genere hactenus. qui ſcire quidpiã ac-
curatius aueat, is totum librum noſtrum, cuius inſcriptio eſt, De curandi ratione per ſanguinis miſ-
ſionem,legere poterit. De euacuatione autem, quæ uomitu fit, quid opus eſt dicere? perſpicuum
enim eſt,eam interdum accommodate adhiberi ijs, qui uomere ſoliti ſunt: interdum uero conſuetudi-
nem eſſe interrumpendam. ſi igitur in uentriculum flaua bilis confluat, homoque ſit ea natura, ut ama-
ra bilis in eo coaceruetur,regioq; calida ſit,& uitam laborioſam,atq; ærumnoſam homo degat,is aſſue
faciendus ita eſt, vt bilim prius,quàm cibum ſumat,euomat. ſi uero malum inde ortum ſit, quod mul-
tum uini a balneo ante cibũ, uelit bibere,tum & uomendi conſuetudo omittenda eſt,& de potus deq;
paſtus copia eſt detrahendum. ventriculus enim propterea factus imbecillis, totius corporis redun-

dantias, in ipsum confluentes, excipit. interdum uero accommodatus est uomitus, ut humorem gluti- E
nosum, eumq; plurimum a uentriculo abstergamus. ac si quis sit, qui huiusmodi humorem cõtinenter
in uentriculo colligat, eum quoq; uomere continenter oportet. contra uero si uentriculus propter im-
becillitatem continere ea, quæ sumpta sint, non poterit, uomitu non erit utendum: & pauci cibi, ijque
stomacho idonei dandi erunt. ipsumq; medicamentis ijs, quæ foris superdantur, confirmabimus. Quo
niam autem ijs, qui difficulter ad uomitum impelluntur, non mediocre periculum imminet, ne & uenu
la rumpatur, & aspectus offendatur, & gurgulio, ac stomachus dolore conflictetur, & alia item incom-
moda patiantur; ideo medici modos excogitarunt, quibus modis homines uomere facile possint. pro
inde in quibus excitare uomitum a cæna sine ulla molestia uolumus, ijs narcissi bulbos una cum escu-
lentis dabimus, quibus uescantur: hacque ratione fiet, ut illi facile uomant. Valet etiam ad prouocan
dum uomitum anagyri semen, & glandis unguentariæ carnis denarius ex aqua mulsa potui datus. hoc
etiam sæpe aluum subducit, atq; adeo, ut iecur & lienẽ ex posca repurget. Vomitus autem multa com-
moda affert. nam & pituitam euacuat, caput, alioqui graue, leuat, totum corporis habitum agiliorem
reddit: ac uetat, ne is, qui nimio se uino ingurgitauit, aut multa deuorauit, offendatur. Ceterum qui si-
bi esse uomendum proposuerit, spectare debet, ne quibus uescitur, aut acerba, aut arida sint: sed tum
dulciora, tum liquidiora, tum deniq; acriora. quarum rerum magnam copiam in nostris de simplicium F
medicamentorum facultatibus commentarijs habebis explicatam. huiusmodi autem sunt radicula,
eruca, uetus salsamentum, origanum uiride, modicum cepæ, atq; porri: tum uero etiam ptisanæ ex le-
guminibus confectæ, & quæ mel mixtum habeant, ac lomenta fabarum, & carnes pinguiores. e uinis
deligenda sunt dulciora. caussa est, quia ea magis superfluitant, ac magis etiam si sint, quàm consueue-
rint, dilutiora. nõ debet autem is, qui ad uomitum incitatus est, cogi, ut omnia accurate uomat: sed ubi
satis sit euacuatus, tum cessandum est. cumq; tantum uomuerit, quantum esse consentaneum uideatur,
tum uentriculum, ceu uas quoddam, lauet, aquæ mulsæ potu, aut magna ui aquæ, & iterum uomat.
Clysteribus autem sæpenumero in morbis utimur, cum uti alijs remedijs non licet. multis uero con-
fici modis solent. alij enim molles sunt, acres alij. molles ex aqua calida, ex aqua & oleo commixtis, &
item ex lacte fiunt. huius quoque generis est aqua, in qua alicam, tragum, lini semen, maluamq; deco-
xeris. quibusdam anserinum, suillum, caprillum, hircinum, gallinaceumq; adipem adiungimus. sicut e-
tiam butyrum, resinam terebinthinam, rutam, cuminum, lauri bacas, anethum, & quæ sunt generis eius-
dem. acres constant ex muria, aqua marina, garo siluri, decoctione iridis, thymi, satureiæ, aristolochię
rotundæ, cucumeris agrestis, absinthij, colocynthidis, cnici, ueratri nigri, polypodij, & mercurialis: &
ex uino mulso cum sale, & nitro, & centaurij succo. molles autem adhibentur ijs, in quorum intestinis G
stercus durum insidet. & quibus maius aliquod admouere remedium uolumus, ut dropacem, sanguinis
missionem, aut chirurgicam actionem quandam. acribus utimur ad lateris dolores, gingiuarum deflu-
xiones, capitis dolorem, propensionem in somnum nimiam, peripneumoniam, anginam, rigorem, mor
bum comitialem, insaniam, coxendicis morbum, inflammationem oculorum, & cum homo non nisi re
cta ceruice ducere spiritum potest, deniq; ad ueternum. sed stercus aut supra, aut infra continetur. id
quod ex his notis dignosces. ergo si stercus propter affectionem, quæ in superioribus sit partibus, con-
tineatur, stomachi distentio aderit, & dolores dorsi, ac spiritus angustiæ comitabũtur. si uero in ieiuno,
& gracilibus intestinis cohibeatur, nausea, saliuæ copia, & frequens circa umbilicum æstus ægrum af-
flictabit. at si colon intestinum male affectum sit, flatus cohibentur, tormina uiolenta adsunt, lumbi gra
uitas sentitur, quæ lassitudinis sensum inuehit. quocirca fit, ut clysteres sint ad multas res utiles, ut in ex
tremo intestino ægrotante usu uenit, itemq; in choleris siccis, in leuitatibus intestinorum, in alui fluo-
re, in crebra desidendi cupiditate, & alijs permultis, quæ nunc non sunt nobis recensenda. usus uero e-
tiam quandoq; postulat, ut ex aqua salsa clysterem paremus, ut cum ulcera intestinorum in dysenteria
computrescunt. idq; facimus, ut quicquid computruerit, abstergamus: ac simul multas ueluti squamas
ulcerum educamus. quod quidem usq; faciendum est, donec intestinum expurgatum sit. quod ubi fa- H
ctum erit, tum in clysteres medicamenta conijciemus, quibus expurgare, quæ superuacanea sunt, possi
mus. Iam uero præter clysteris usum, alia multa nobis suppetũt, quæ & corpus, & singulas eius partes,
ut caput, & ceteras euacuent. huiusmodi sunt aut apophlegmatismi, quibus pituita educitur, aut per
nares expurgantia, aut quæ suffumigationes uocantur, aut quæ excitis lachrymis materiam inaniunt.
Suffumigatio tamen non multis illa quidem prodest, sed ijs solum, quorum thorax male affectus est: ac
ne his quidem omnibus: siquidem non congruit ijs, qui sputo sanguinis laborant, neq; ijs, quos mor-
bus siccus in thorace uexat. apophlegmatismus uero est post totius corporis purgationem accommo
datus. ita etiam quæ per nares caput purgare dicuntur. eaq; aut ex centaurij succo fiunt, aut betæ, aut
triti elaterij, aut cedriæ, aut aliorum, quæ huiusce sunt materiæ. Eorum uero, quibus lachrymæ cientur,
vsus est perexiguus: siquidem ea solum adhibemus, cum oculi diuturno sunt morbo exiccati: & cum
palpebras scabies obsidet. Reliqua aũt sunt, quę per vrinas euacuant: quæ non omnibus conueniunt.
uitanda. n. sunt in tabescentibus, propterea quod eos ualde perturbant. ceterũ ex ijs, quę urinam cient,
quædam per os sumuntur, quo in genere sunt, quæ potui dantur: quædã glandi colis imponuntur. atq;
his utimur, cum lotij plena ad summum uesica, eijcere ipsum non potest. De ijs uero, quæ sudorem eli-
ciunt, deq; balneis, ac ceteris, in quibus est uis euacuandi, quæ ipse vno nomine remedia uocat; non est

nunc

A nunc oportunus ad dicendum locus. quam ob rem ad ea, quæ deinceps ſequuntur, accedemus.

12 *Declinatio.*

Hoc etiam unum eſt medicinæ faciendæ genus. cum enim euacuare, aut purgare ſemper non poſſimus, ſitque infixum quid in particula, quod eam uexat, damus operam, id ut declinemus: ut neque particulæ moleſtiam afferat, neque eo in loco computreſcat: quod quomodo ſit faciendum, ipſe deinceps docet, cum hæc ſubiungit.

13 *Deriuatio in caput, in latera, qua maxime uergit. aut reuulſio in ſupernis deorſum: in infernis, ſurſum. aut exſiccare, aut aliquibus inferna; aut aliquibus ſuperna. aut eluitur; aut quibuſdam mitigabitur.*

Deriuatio eſt eiuſdem generis, cum euacuatione, quæ fit per eam partem, quæ fluxionem excipit. uſu autem reuulſionis prohibemus, ne uehementiſſimi humorum effluxus confertim in partem decumbant. hæcque ſunt ab Hippocrate reperta communia cuiuſcunque immodicę euacuationis remedia. fit autem deriuatio ad uicina loca: reuulſio ad contraria. ut ſi quid per palatum uacuetur, ad nares deriuatur: reuellimus autem ad inferna: ſicut etiam in muliere quod per ſedem profluit, id per uterum deriuamus: ſurſum uero reuellimus. Medicus autem debet naturam imitari. id ipſum uero ipſa facit perſæpe, ut eſt in aphoriſmis conſcriptum. Si, inquit, mulier ſanguinem uomat, menſtruæque purgationes B ſuperueniant, morbus ſoluitur. quocirca nos cum menſtruæ purgationes uehementius, & confertim euacuantur, & cum ſanguis ex utero fluit, ſurſum reuellere conſueuimus. quod, cucurbitula maxima ſub mammis affixa, facimus. Sanguinis uero ex naribus profluuium, inita ratione contraria, hoc eſt maximas cucurbitulas præcordijs adhibentes, cohibemus. Sic etiam cucurbitula defigenda occipiti eſt, ut materiam, quæ in poſteriore eſt parte, & ad oculos comportatur, reuellamus. eademque ratione uenam in fronte ſecamus, ut materiam, quę in poſterioribus cerebri partibus continetur, ad anteriores trahamus. Sic etiam ſi a nare dextra ſanguis fluat, iocinori affigenda cucurbitula eſt, ſi a ſiniſtra, lieni: ſi ab utraque, uiſceribus utriſque admouendæ ſunt. atque ad hunc modum in omnibus fluxionibus tum reuelles, tum deriuabis: ut quæ per aluum fluunt, ea uel per urinas, uel per uterum traducas: quæ per urinam, ea uel per uterum, uel per ſedem: ſimilique modo quæ per uterum, ea aut per urinam, uel per aluum transferas. in ijs autem quæ per oculos, & aures, & palatum fluunt, ea per nares deriuantur: reuelluntur autem quæ ſupra ſunt omnia, deorſum: ſicut in ijs omnibus quæ infra ſunt, ſurſum fit reuulſio: præterea a dextris ad ſiniſtra, & a ſiniſtris ad dextra: & ab internis ad externa, & uiciſſim ab his ad illa. Ipſe enim in ſexto de uulgaribus morbis libro cenſuit reuellendum eſſe, ſi non qua oportet, materia uergat. at ſi qua oportet, his aperire, quemadmodum ſingula uergant. ac nos iam ante didicimus,
* C ducenda eſſe qua uergunt, per loca oportuna: auertendaque, ac reuellenda, quæ non rite uergant. id ipſum autem facies, ſi humores ad cutim uergentes, per ipſammet euacuabis. * eodemque modo ſi pars capitis poſterior dolore affligatur, recta uena in fronte ſecta, ut diximus, prodeſt: propterea quod non euacuat modo, ſed etiam reuellit: cum reuulſio, ut monui, ad loca contraria fiat. ut exempli cauſſa in longitudine ſupra, & infra, in latitudine uero, hinc & inde, hoc eſt a dextris, & a ſiniſtris: in altitudine, retro, & ante. atque ita ſæpe diuturnæ oculorum fluxiones ſanatæ ſunt, ex partibus occipitis, miſſo ſanguine & cucurbitulis admotis. ita etiam in libro de ulceribus ſcriptum comperies: in omni,
» inquit, ulcere, cui ignis ſacer ſuperuenit, purgandum corpus eſt, qua ulceri maxime prodeſt, ſiue id per
» ſuperna, ſiue per inferna fiat. ac nobis eandem obſeruandam eſſe diſtinctionem tradit, ut ſciamus, ad ea loca materiam eſſe reuellendam, ad quæ maxime uergit. quare ſi uehementer fluxio feratur, eam ad contraria reuellemus: ut ſi in ſuperioribus ulcus ſit, per inferna purgemus: ſi in inferioribus conſiſtat, ſuperiorem uentrem euacuemus. quod ſi fluxio ipſa ceſſarit, & in membro fixa ſit, deriuare fuerit melius; & quod tranſlatio ſit in propinquiora, & quod tum acceſſio, tum attractio e uicina parte promptior medicamento purganti ſuppeditetur. in quam etiam ſententiam affirmamus uenæ ſectionem remedio eſſe uehementi ſanguinis profuſioni. ac nos ſæpe id ſumus experti, immodicam ſanguinis fluxio-
D nem, ita euidenter cohiberi. perſpicuum autem eſt, uenam humeralem eius brachij, quod recta uia ei nari, e qua ſanguis large fluit, reſpondet, incidendam eſſe. ſique ex utraque nare profluat, utranque uenam ſecandam. neque enim euacuationis, ſed reuulſionis gratia uenam incidimus. ſectio tamen ante profluuium adhibenda eſt. atque Hippocrates quidem iubet reuulſionem eſſe ad contraria faciendam: euacuationis uero gratia, directo. & quæcunque ſanguinis profluuia directo fiunt, ea maximam afferre ægrotantibus utilitatem affirmat. quæ uero contrario modo fiunt, tantum abeſſe, ut proſint, ut etiam interdum lædant: quod uires diſſoluant, nec ulla morbo afferatur leuatio. ſiquidem neque in liene turgente ſanguis e dextra nare profluens, neque in iocinore, ſi a ſiniſtra erumpat, ullum uſum parit: ſed reuulſio quibus directo adhibetur, euidentem utilitatem celeriter oſtendit: contrario uero modo, non item. quam ob rem cum humores intro uergunt, ſunt extra reuellendi: cum in poſteriores partes ſe recipiunt, tu eos in anteriores attrahes. cum huc, tu contra, in contrariam partem adduces. cumque morbus thoracem, ac ſtomachum petit, tunc manus, ac pedes adhibita ui ſunt uinculis excipiendi, ut quod moleſtum eſt, illuc reuellatur. eodem quoque modo ſi redundantia ad caput, aut uentrem feratur, medicamenta mordacia manibus, pedibusque admota reuellere contrariam in partem ſolent. quinetiã ſi materia in os, aut palatum, aut gurgulionẽ fluat, erit ad nares deriuanda uſu medicamẽtorũ mordaciũ, quæ per nares caput purgantia nominantur. quæ uero ad oculos fertur, eam ad os per mordacia gargarismata

rismata

risinata retrahes. in ceteris uero & per quæ admouere oporteat remedium,& quonam modo,ipse loci E positus commonstrat.atque id est,quod ipse ait,in superioribus,deorsum: in inferioribus,sursum.fluentium enim adhuc humorum reuulsio: eorum uero, qui iam particulam occuparunt, deriuatio medela est.utrunque autem genus euacuationis iubet Hippocrates per communes uenas esse faciendum.uelu ti in utero,ut dixi,reuulsio erit,si uenam cubiti secueris: aut cucurbitulas prope mammas affixeris: aut manus calefeceris,& fricueris,& deligaueris. deriuatio aũt erit si,uenas poplitis,aut malleolorũ incide ris, & cucurbitulas feminibus applicueris: ac si crura calefeceris,fricueris,& ligamẽto exceperis. at si cõtrarias partes fricueris, præsertim uero si id feceris,medicamentis adhibitis,quæ uim calfaciendi habeant reuellens remedium admoueris: ut sunt etiam naturales meatus oppositi, si adaperti sint. Itaq; si dextra uteri pars male affecta sit,e dextro brachio, dextroque crure mittendus sanguis erit: si in sinistra,tum e membris ijs detrahes,quæ illi recto tramite respondeant.si uero in supernis partibus quid in flammatione tentetur,ut in angina,inflammatione oculorum,& ijs omnibus quæ in capite sunt, usu ue nit: uenas exteriores,& quæ ad rectitudinem sitæ sint,incides.liene autem inflammatione m patiente, uenam sinistræ manus internam secabis.si iecur,internam dexteræ.artubus uero patientibus,euacuatio nem, siue reuellere, siue deriuare uelis, a coniugibus faciendam scito: nisi morbus sit diuturnus: propterea quod eo casu ab ipso affecto membro detrahere sanguinem oportet.ita etiam in angina, uenas, F quæ sub lingua sunt,incidimus,ubi nimirum corpus totum iam sit uacuum,morbusque sit diuturnus.ca demque ratione, & lieni, & iocinori cucurbitulæ affiguntur. sic aliud etiam quod uis membrum affectum scarificamus, si non amplius confluere humores uideantur. Quoniam autem corporis particulæ quædam spatia intus habent, quædam extra,quædam utrinque,quædam neutra ex parte, scire conuenit,quænam exsiccandæ sint, quæ secus.atque ex simplicibus quidem arteriæ,uenæ,ac nerui,quæ in artubus sunt,intus habent: quæ intra peritonæum,utrinque.nerui autem,qui in artubus,neutra in parte. qui intra peritonæum,ex alterutra parte.uisceribus uero fere omnibus ampla spatia & intus,& extra in sunt.caro quoque,ut pulmonis,rara: contra uero, renum densissima. post hanc iocinoris,lienis uero ca ro,quo est densior carne pulmonis,eo est,quàm iocinoris,rarior. in his omnibus,quę neutra in parte ha bent spatia,quibus superuacaneam fluxionem excipiant,ea exsiccanda sunt, licet suapte natura non ad modum sicca fuerint: cuiusmodi sunt nerui, præcipueque ij, qui sint in artubus. sed quæ intus, & extra aliquid relaxare inflammationis possunt,ea non iam postulant, quæ exsiccare ualde possint: præsertim si laxam carnem,ut pulmo,habeant. Quædam etiam sunt, quæ abluere oportet aut clysteribus, aut medicamento,quod excire uomitum queat.qua uero ex parte superiore ne, an inferiore hoc faciendũ sit,nemo,opinor,ignorat.quatenus uero progrediendum sit,ipse mitigationem pro termino statuit. G

*Ne humores effusi intro retrahantur: sed transitus exsiccentur.* 14

Aggressus est Hippocrates multos curationum modos nos docere, de quibus est in alijs eius libris scriptum perfectius: ut de purgatione,deque euacuatione,& alijs est a nobis declaratum.docuit enim deriuãdum esse, cum humor aliquis euacuationis indigens nõ cœperit per oportunum locum fieri, neque tamen admodum procul ab oportuno,neque in eum, qui sit maxime contrarius: sed si per urinam euacuari cœperit,uitiata uesica,aut renibus,tunc præstat, per aluum deriuare. deinceps uero post deriuationem de reuulsione agendum putauit: ut humorem non progredientem, ducamus. si enim infestus humor excernatur,ac moderata sit euacuatio,sinendum est,ut fiat,neque ulla cura adhibenda: at si immoderata sit, aliquid a medico faciendum est, ut modo copiam eius nimiam cohibeat, modo eius defectionem irritet.Itaque docet,eos humores,qui ad cutim uergunt, per cutim esse euacuandos: propterea quod procul sane perducentur,si eos in imas corporis partes reuulseris,ut per aluum, aut per uo mitum euacuentur.ipsa enim uocare ‡effusa,& effusiones,& effusos humores solet eas excretiones,& euacuationes,quæ ex uasculis fiunt: quæ quidem fieri solent,cum uenæ,quæ in cute sunt,contundũtur, ac sanguis per ipsas contusas effunditur. is tamen non uno loco ita effusus statim in grumos coit: sed H postquã effusio per persultationem efficitur.si uero sanguis ita cõstiterit,locus pallescit,ac nigrescit:pro pterea quod sanguis in multas sit corporis particulas diffusus.quocirca adhibẽda diligẽtia est, ut prius, quàm nigrescat,curetur. quod faciemus, si sanguinem discutere conati erimus, cum ipsum ægre posse discuti ubi in grumos coierit,intelligamus. Ceterum quomodo effusa curanda sint,recta uia ac sciẽtia in methodo medendi perdiscere potuisti.& item in ijs libris,qui de medicamentis locorũ conficiendis conscripti a nobis sunt. & tamen nunc quoque nonnulla afferentur. partes igitur intimæ corporis omnes,quæ male affectæ sint,ualentiora postulant medicamenta, quàm quarum in superficie morbus est.omnibus autem effusionibus euacuatio pro medela proposita est. cumque foras uergant, nullo pacto intro eas retrahere fuerit consilium.idque ipse paulo ante nos docuit,educẽda esse omnia, qua uergant,per loca oportuna.proinde ijs,quæ calefacere eas ac modice siccare possint,utemur. nam quæ ua lenter siccant,digerunt illa quidem inter initia euidentius,quàm imbecilliora: sed tamen quasdam affectus reliquias præduras,quæque curari uix possunt,relinquunt.medicamenta uero, quæ humectant, & calefaciunt,& ea,quæ omnes relaxantia solent appellare,& ex ijs,quæ ad siccius uergunt, neque tamen perspicue,neq; euidenter cõtrahunt,sunt oĩum effusionum remedia.Cum uero totum id,quod effusũ est,discussum sit,tibi integrũ erit,rupta,si qua erũt,uehemẽtius exsiccare:ac deligatura coniũgere.

Turbatio,

A 16 *Turbatio, infusio, ablutio, quibus ad sedem abscedit: unde exoluitur aut medicamentum, aut ulcus, aut humor quispiam, qui constiterit, aut germen, aut flatus, aut cibus, aut paruum animal, aut æstus, aut alius affectus quidam.*

Multos curationis modos nos docet, aut potius ad prædictos aggregat, quibus utamur, cum quid sedi, uel intestinis, præsertim recto, molestiam afferat. affectus porrò caussa esse potest aut abscessus, aut medicamentum; hoc est quippiam ueneni uim habens: aut ulcus, aut humor aliquis ibidem cōpactus, & infixus, aut exortus alicuius rei, & germinatio, aut flatus illic cōtentus, & cui transitus non pateat, ut prodire queat: aut cibus non confectus, aut exiguum quoddam animal ibi genitū, cuiusmodi sunt lumbrici: & cetera huiusmodi parua animalia: aut æstus uexans, aut aliud mali genus. hæc enim omnia irritatione, quam ipse turbationem uocat, & infusione per sedem, & ablutione uel curantur, uel certe mitigantur. ac nos iam de his locuti sumus in ijs libris, qui sunt de locis affectis: neque opus est, nunc lungiorem orationem de eis instituere.

17 *Hæc autem spectanda sunt: quæ sponte sua desinunt: aut uelut pustulæ ab exustione excitata. in quibus qualia lædant, aut prosint. figura, motio, in sublime sublatio, & rursus subsidentia: somnus, uigilia, anxietas, oscitatio, horror; ut quæ facienda, aut prohibenda sunt, anteuertas.*

Cum aliquid sua sponte fit, id quomodo desinat, spectandum est: utrum inquam morbum soluat, an B uero alium affectum quendam pariat: an pustulas quasdam excitet, ut in æstu, atque ambustis fieri consueuit. quo sane casu est præterea uidendum, illa ne prosint, aut noceant. Si enim utilitatem afferant, ea sic erunt sinenda, nec ulla eis adhibenda curatio: si uero noceant, tum & prohibenda, & curanda esse scito. Signa autem erunt hæc: figuræ corporis, faciei, oculorū, decubitus, &, uno uerbo, ipsiusmet ægroti. Hæc uerba aliter quoque scripta comperiuntur, ad hunc modum: figuræ ipsarum: ut hoc de pustulis dictum intelligamus: quo figuram ipsarum spectemus, latæ ne illæ sint, an rotundæ, an globosæ, an aliam figuram habeant. nam quæ a calido humore gignuntur, eæ tum cito iudicantur: tum minime latæ sunt: quæ uero a frigido, eæ & latæ sunt, & diutius perdurant. quocirca ab Hippocrate dictum est, latas pustulas non admodum pruritum excitare. solent autem exoriri, cum natura partes imas corporis expurgat, ut nonnunquam per excretionem, ita per decubitum ad cutim. mea uero sententia est, quæ hoc loco dicta sunt, in ægrotante esse accipienda. addit enim, motio, sublatio, & cetera: siquidem mentis torpor, corporisque pigritia, & propensio ad somnum, & capitis grauitas, ac ructus acidi, in uentre redundantes, a pituita originem ducunt: sicut eleuatio, & subsidentia a flaua, atraque bili oriuntur: uigiliæ autem a flaua, aut potius ab utraque bili excitantur. atque ea quidem, quæ ad somnum, quæque ad uigilias pertinent, accurate spectanda sunt; ut oportune adhibeantur: ut uideamus, an in principio accessionis, C an in statu, an denique in declinatione somnum concedere par sit. etenim in principio accessionis febris, cum humores & crudi, & copiosi sint, somnus semper nocet: ut etiam noxius est, cum abscessus uentrem uexat. caussa est, quia calor intro se recipit, & cum eo sanguis quoque intro recurrit, cumque eo tempore natura nihil aduersus morbum agat, longior fit accessio. at si crudi quidem humores in aliquo sint, sed tamen pauci, sitque uirium adiuncta imbecillitas, tunc somnus potius commodū, quàm damnum afferre solet. interdum etiam in eiusmodi somno splendores quidam e redundantibus excitati humoribus, oculis obuersantur. * * * Anxietatem autem uocauit, quā plerique redium sui nominant. aiunt enim eos ægrotos anxios esse, qui decubitum ferre non possunt, sed formas mutant, quia præsens eis semper molesta sit. quod ijs potissimum euenit, quibus in ore uentriculi propria quædam molesti humoris qualitas continetur: qui humor neque multus sit, neque in uentriculi spatio innatet, sed in eius sit tunicis immersus. Oscitatio uero est ueluti pandiculatio: quam uel humor flatuosus, uel flatus uapotosus in mosculis contentus gignit. Horror autem est affectus prauorum humorum per cutim discurrentium. In extrema autem dictione, iubet maturandum esse, si quid faciendum, uetandumve sit. dixit enim in aphorismis, præcipitem esse occasionem. quocirca minime par est, res agendas in aliud tempus reijcere, ac socordes esse: sed anteuertere, atque accelerare.

Sic habetur in utroq; exemplari.

18 D *Correctio per uomitum: inferne, per exitum, aut sputum, mucum, tussim, ructum, singultum, flatum, urinam, sternutationem, lachrymas, pruritus, euulsiones, contactus, sitim, famem, repletionem, somnos, labores, laboris uacuitatem, corporis, mentis, per disciplinas, memoriam, uocem, silentium.*

Morbi complures inueniuntur, ad quos tollendos aut omnia hæc remedia, aut certe eorum multa sunt accommodata: de quibus nos iam supra disseruimus. In primis autem uomitu utimur, cum magna glutinosorum humorum copia uentriculo continetur, eamque abstergere conuenit. interdum etiam uomitus non confert: ut cum uentriculus infirmus est, & totius corporis excipit in se redundantias. sed tum præcipue uomitum imperamus, cum flaua bilis in uentriculum confluat, & homo sit suapte natura biliosus, regioque sit calida, & ipse sit ad uomendum assuetus. at quæ per exitum gradiuntur, ea per infernas partes ducenda sunt: ut præceptum, aphorismique sententia seruetur: Quæ ducenda sunt, &c. Sicut quæ sursum repunt, per uomitum euacuanda sunt. ac de hoc, cen de signo, ipse in libro præsagiorum uerba fecit. Subiungit quoq; alios curandi modos, ut per sputum, mucum, tussim, & alios, quorum ipse mentionem fecit. atq; e sputo quidem duplex oritur indicatio. prima, colore, tenuitate, ac crassitudine, morbi genus significat: altera indicat, per sputum esse euacuationem faciendam: quod effici a medicis solet per apophlegmatismos, & ea, quæ per nares caput purgant, & catapotia quædam, quæ sub lingua continentur. de colore autem sputi, quod in morbis colorem

lorem contraxerit,hoc est,cum rubrum,aut cruentum,aut uiride sit,aut alio quouis modo affectum, ip E
se tum in præsagijs,tum uero etiam in libris de ratione uictus in morbis acutis locutus est,his fere uer-
bis : Sputum inquit,in omnibus doloribus,qui pulmonem, costasq; obsideant,& cito, & facile excrea »
ri debet ; quodq; flauum est,admodum permixtum sputo apparere . nam flauum,quod sincerum sit,pe- »
riculosum est. album uero,& glutinosum,& rotundum,inutile censetur. si uero admodum uiride est, &
spumeum,malum est : sed grauius est nigrum . In libro uero de uictus ratione, ad hunc modum scribit :
Si inquit,in dolore lateris continenti,quiq; fomentis adhibitis se non remittit,ac sputum nó procedit, »
sed summe glutinosum sit,nec concoctum : & quæ sequuntur. in lateris enim morbo dolor sentitur,qui »
pungentis sensum inuehit,habetq; respirandi difficultatem adiũctam,& sputum colore infectum. ideo
si sanguis sit biliosior, sputum erit aut flauum,aut pallidum : si pituitosior,erit sputum spumeum,& can-
didum : si magis melancholicus,tunc erit aut nigrum , aut liuidum : si nihil horum sanguis habeat , ru-
brum sputum reijcietur . * sunt enim uentriculo duo meatus dati : quæque in ipso pra
ua continentur , magis fluitant,& euomuntur. quædam per intestina secedunt : vt quæ per renes, ac ue
sicam transeunt,per urinam excernuntur. quæ ex cerebro,ea potissimum per nares, interdum uero per
palatum,auresq; euacuantur. Mucum uero etiam interdum aqueum, crudumq; uidemus,quem prohi-
bere oportet usu rerum,quæ odoratui offeruntur, & medicamentorum , quæ per nares attrahuntur, & F
eorum,quæ imponi auribus solent . cuius sane generis sunt grauedines, quas uocant : quas inter initia
lædit sternutatio,cum nimirum crudi, incoctiq; humores sint . sed neq; etiam interdum rerum uenerea
rum usus prodest : propterea quod uehemens quædam fit motio , quæ replere caput consueuit . idque
est affectui contrarium,quippe qui trãquillitatem,& quietem postulet, & modicum calorem expetat ,
ut crudi humores coquantur, ac non fluant. cum enim iam cocti fuerint humores,fluxus cohibetur,at-
que euacuatio per sternutationes fit . porrò grauedinis,ac destillationis caussa est cerebrum,cum uelu
ti e similibus inter se particulis constans, in frigore intemperiem contraxit. ac destillationem quidem
uocamus, cum excrementum in os defluit : grauedinem, cum in nares : raucitas uero destillationes se-
quitur,cum fauces humore imbutæ fuerint. Si uero in * * * Cum
uero aut nulla ex parte complectitur,aut diminute, aut uitiose, tunc flatus fluctuationesq; consequun-
tur. ac flatus quidem,cum & cibi flatui gignendo sunt,& uentriculus non ualde frigidus sit . fluctuatio-
nes uero,cum in eo nihil inest,quod uerti in flatum queat,aut cum sit uehementer perfrigeratus. De ui
tiosis autem eius motionibus , ut quædã tremorem, quædam palpitationem,aut ueluti fluctuationem,
conuulsionemq; afferant,est iam a nobis disputatum in eo libro,quem de symptomatum differentia cõ
scripsimus . nunc scire conuenit,motum uentriculi,qui fere conuulsionis speciem præ se fert,qui in sin G
gultu accidit,non esse conuulsionem eam,quæ solis accidere musculis consueuit: propterea quod neq;
uentriculus,neq; eius gula musculus est. motio enim uitiosa quædam est expellentis facultatis,quæ ali
quid molesti reijcere cupiat . proinde in uomitibus reijciuntur ea, quæ in eius sunt amplitudine : in sin
gultibus uero ea,quæ in uentriculi sunt corpore : sicut in tussi omnes uentriculi partes id, quod eis mo-
lestum est,expellunt. singultus autem ex nimia inanitione,aut repletione fieri aiunt . qui ex inanitione
oriuntur,insanabiles sunt : quos excitauit repletio, ij ab incidentibus,abstergentibusq; ea , quæ impa-
cta sunt,medicamentis curantur. * Conuul-
sionem igitur,tremorem, palpitationem, rigorem,horrorem, singultum, tusses,ructus,sternutationes,
& oscitationes esse motus uitiosos , iam est a nobis declaratum . simulq; ostensum , eadem esse naturæ
opera,quæ ab aliqua morbosa caussa ad motum uiolenter impellitur . ceterum uellicationes,singultus,
tusses,sternutationes, pruritus,quæq; sunt huiusmodi,si parua,debiliaq; sint,cessant siquis ea ferat,seq;
ab eis abstineat . molesta autem est sitis uel maxime : eaq; duabus de caussis oritur, tum penuria humi-
ditatis : tum caliditatis redundantia . sed primum genus ægre curatur : alterum tollit acetum ex aqua
epotum . ideo ijs,qui noctu siti torquentur,conuenit super dormire : propterea quod concoquitur , ac
descendit per somnum sitis caussa, quæcunq; ea fuerit . si enim ex potus penuria sitis orta sit , curabis , H
si potum dederis : si ex vini calore,aqua restinguetur . * planum est enim contraria curari con-
trarijs . ita famem curabis,si cibos offeras : vt expletio tollitur penuria, & euacuatione : vt somnus , in-
somnia : labor uacuitate laboris,quæ uel ad corpus,uel ad animum, uel mentem,vel rationem , uel ra-
tiocinationem pertineat . itemq; vox, hoc est sermo,silentio,& uicissim , contra . νόημα uero nunc uo-
cat intelligentiam , quam mentem atq; animum communi nomine homines appellant. Eorum uero ,
quæ voce proferuntur , est ratio , qua & consequentia , & repugnantia cognoscimus : quibus & diui-
sio , & coniunctio, & resolutio, & demonstratio , & cetera consimilia continentur . Quomodo autem
mens idem quod intelligentia, & intellectio apud ueteres significet,eiusq; rei multa afferri possint te-
stimonia, superuacaneum est memorare. Iã uero animi quoq; ægritudines sunt ira & tristitia. sed aĩus,
& ira differunt ab angore,& tristitia in actionibus.in ira.n.atq; animo calor naturalis intenditur,ac pro
pagatur,bilisq; tunc gignitur , atque augetur:in tristitia uero,atque angore contrahitur natiuus calor,
& frigidus,pituitosusq; humor generatur . itaque cum in corpore frigidi , pituitosiq; humores redun-
dant,tum non modo corporis motione,sed etiam agitatione mentis excitare,ac uelut accendere nati-
uum calorem oportet . qua in re iram,non tamen uehementem,corporis motionibus adijcies,ut calor
propagetur , & humores ad extimas partes expellantur . hoc enim iam est a nobis in libro *

de

A de morbis uulgaribus demonstratum. * * * Sed etiam in dolore capitis, cum mali caussa est eiusmodi humor, qui mediocrem calorem postulet, scito in deligatione esse remedium. si uero humor aqueus sit, etiam sternutamentis adiuuatur: at contra si sit biliosus, excitandæ sternutationes non sunt: propterea quod humor perturbatur, & augetur. Quod uero ad loquelam & silentium pertinet, non est temere ab eo adiunctum. cum enim uox sit motio instrumentorum respirationi deseruientium, in multis morbis loqui, in multis silere prodest: ut in sputo sanguinis utile est neque clamare, neq; uehementer spiritum ducere, aut mittere: neque pulmonem, neque thoracem, neque asperam arteriam ualenter mouere. Vrinam autem esse optimam ipse dixit, cum alba sint subsidentia, leniaq; , & æqualia. idq; omni tempore usque, dum morbus sit iudicatus. ita enim tutelam indicat, & morbum fore breuem significat. De somno hoc est etiam ab Hippocrate conscriptum: esse nobis natura comparatum, ut die uigilare assueti simus, noctu dormire, si hoc immutetur, malum esse: peiusq; censeri, si neq; die, neque nocte quispiam dormiat. huius rei afferre caussam potest aut dolor aliquis, aut labor, aut animi ægritudo, aut corporis affectus. quem, utrum curationem postulet, intueri maxime debemus.

19 *Hystericæ purgatio: quæ supernæ erumpunt, ac torquent: pinguia, sincera, spumea, calida, mordacia, æruginosa, uaria,* B *ramentosa, faeculenta, truenta, flatus expertia, cruda, cocta, sicca: quæcunque circumfluunt; contemplanda sunt: itemque ferendi difficultas prius, quàm periculum adueniat: quæque sedare non oporteat.*

Hysteram plerique non medici solum, sed etiam philosophi uterum appellarunt, eam inquam partem, quam natura mulieribus ad concipiendum dedit. equidem multas ego hystericas fœminas uidi, quarum nonnullæ ita iacebant, ut sensus, motusque expertes essent: pulsumq; & languidissimum, & minimum haberent, aut certe nullum penitus habere uiderentur: nonnullæ uero & sentirent, & mouerentur, ac ratione integra, sine noxa, uterentur, uix tamen respirarent. nonnullæ denique, quæ artus contraxissent. uteri autem affectuum sunt multæ differentiæ: quas omnes, ut ita dicam, in sexto de locis affectis recensui. extitit autem quæstio a nonnullis allata, utrum omnes mulieres ita affectæ, sint mortuæ: quæ sane absurda quæstio est. cum enim quædam incolumes euaserint, perspicuum est, eas nó esse mortuas. sed, inquiunt, non respirant. respiratio autem a uita, & uita a respiratione non separatur. ita quicunque uiuit, omnino respirat: quique respirat, is etiam omnino uiuit. inire igitur hanc rationem possumus, exiguum eis relictum esse calorem ex arteriarum, & cordis actione: quam perspirationem quidam uocant: sicut respirationem eam nominant, quæ a thorace, & pulmone efficitur. quoniam uero in ijs, quæ ex utero suffocantur, totum corpus est refrigeratum, ideo respiratio, per os nullo modo ef C ficitur: per arterias uero fit. sed hæc, cum sit perexigua, sensum latet. porrò in hosce uteri affectus incidere mulieres propter menstruas purgationes, retentas, aut propter semen, probabile fuerit. quanquã seminis retentio maiorem habere uim ad lædendum corpus, quàm menstruæ purgationes suppressæ, uidetur: præsertim ijs in corporibus, in quibus semen suapte natura peioris succi sit, & copiosius, ac uita in otio traducatur: & ex mulieres frequentiore admodum concubitu prius uterentur: deinde ex toto, & confertim a pristino usu se abstinuerint. hæc autem symptomata, quæ hysterica nominantur, ad uterum, tanquam ad radicem pertinent. ac quidam arbitrantur, uterum esse uelut animal, quod gignendæ prolis desiderio trahatur: proinde si priuetur ijs, quæ concupiscit, totum ab eo corpus lædi. atque
" hoc ipsum apud Platonem scriptum inueniri aiunt, his fere uerbis: Qui autem, inquit, uterus ac uulua
" in mulieribus appellatur, cum animal sit creandæ prolis cupidum, si intempestiue, ac diutius uacans fru
" ctu fuerit, succensens, ægre, molesteq; fert: & in omnem corporis partem pererrans, ac spiritus uias obstruens, nec sinens fœminas munere fungi respirationis, in extremam dubitationem conijcit: atque alios omnigenos morbos affert. sed hoc sciendum est, ut alibi demonstrauimus, uterum neque animal esse, neque per corpus uagari: sed modo sursum, modo in latus retrahi, propterea quod spiritu impletur. itaque latitudo amplificatur, longitudo uero fit breuior: ob eamq; caussam sursum trahitur. pleni- D tudo autem ex menstruis purgationibus, quæ retentæ sint, oritur. atque ita uteri uincula humore perfusa, extenduntur. his porrò extentis, uterus continui ratione simul contrahitur. itaque si æqualiter ex omni parte trahantur, ipsorum commutatio in nullam partem propendebit. Si uero inæqualiter, ad partem uehementius trahentem extendentur. Vexat uero etiam interdum fœminas fluor is, quem muliebrem nominant: idque sine ulla uteri affectione: cum uniuersum corpus per uterum expurgatur, & euacuatur: sicut etiam euacuari quandoque per tenes solet. Vteri autem inflammatio ex multis excitatur caussis: ut ex ictu, ut ex menstruis suppressis: ut a refrigeratione, ut ab inflatione, ut ex abortu, ut ex partu ægre edito. inflammationem sequitur acuta febris, capitis, ac sedis oculorum dolor, colli conuulsio, inclinatio in aduersum, stomachi ex consensu dolor. tum uero os uuluæ conniuet: pulsus parui, crebrique redduntur. Inflammatio uero in abscessum transit. quo tempore inordinatæ cũ horrore accessiones mulieres inuadunt. & exulceratur sæpe uterus ex difficili partu, aut fœtu extracto, aut corrupto, uel ab acribus medicamentis, aut a fluxu, aut a ruptis abscessibus: atque interdum in cancrum desinit. quinetiam scirrhum uulua contrahit, aut duritiam, aut inflationem, a quibus uexatur. quorum morborum remedia ego breuiter subiungerem, nisi de eis sæpe uerba fecissem, ac nunc non esset de ijs loquendi locus: sicut neque de utero procidenti, neque de eodem, cum eius os occluditur, neque de alijs eiusdem morbis in præsentia dicendum est. * Eas uero, quæ ex utero stran-

ſtrangulantur, quæ ſint frigidiores. admotis E
ſeminibus odoratis. pulegij coma. artemiſia, ruta.
acorum. ſuperdare autem conuenit.
tum ex myrrha, &
quæ craſſitudinem incidant.
ſi uero propter uteri humorem non poſſis
at eius, qui ſiccior ſit, eſt a contrarijs petenda curatio.

ſed flatus, qui uterum uexent, prohibet,
& auxilia, quæ admouentur, repellit. quocirca oportet.
aliam curationis inire rationem.
inutile eſſe plane perſpicitur. ſed & illud eſſe incommodum uidetur, quod æruginoſum, uarium, aut cruentum, aut ramentoſum,
quæque boni, & quæ mali conſulenda ſint, ab ipſo perdiſce. Sic enim ſcriptum reliquit: Alui, inquit, excrementum optimum eſt, quod molle eſt, & conſiſtens, & eodem tempore, quo in bona ualetudine, excernitur, & ad proportionem eorum, quæ ingerũtur. Si.n. talis deiectio ſit, inferiorẽ uentrem recte ualere declarat. at ſi liquida fuerit, utile erit, ut ſine ſtridore, neq; frequẽter, neq; ex breuibus interuallis deijciatur. creber.n. deſidendi labor inſomniã parit. cũ uero æger affatim, ſæpeque deijcit, ne animus ipſum deficiat, periculum eſt. In his nos docuit, ut perſpecta conſiſtentia, quantitate, & tempore deiectionis, quæ optima ſint alui excrementa, cognoſcamus. ut autẽ excrementa liquida ſint, cauſſa eſt, quia ex uentriculo in iecur non ſit facta diſtributio: uel quia de iocinore, aut liene aliquod excrementum in ipſum defluxerit: idque & bonum, & malum eſſe poteſt. ac bonum quidem, ſi & iecur, & lien, & totum denique corpus per iecur expurgetur: non bonum uero, cum ſymptoma eſt, propterea quod non recte ſit facta diſtributio. ∴ ∴ ∴ F

∴ ∴ ∴ nunc uero indicat, peſſima excrementa non modo a conſiſtentia, quantitate, & tempore, quo deijciuntur, dignoſci: ſed ex colore odore, & ſonitu, qui cum eis ſit coniunctus. ait enim: Quod ualde liquidum eſt, albicans, aut pallidum, aut rubrum uehementer, aut ſpumeum, prauum eſt: ſicut etiam glutinoſum, album, ſubpallidum, lene: cauſſa eſt, quia liquidum, eſt cruditatis ſignum: album uero indicat, pallidam bilim in uentrem ex iecore non deſcendere: pallidum, magnam pallidæ, æruginoſæque bilis copiam admixtam eſſe. ſpumeum uero modo indicabit flatuoſum ſpiritũ eſſe cũ humore, qui difficulter ſoluatur, permixtum: modo uero caloris copiam. exigua porrò, tenax, albaq; deiectio erit colliquationis nota: quod nimirum pinguedo ab igneo calore, qui tamen non admodum malignus ſit, liquefiat. quæ uero ſubpallida, leniſq; eſt, eiuſdem eſt colliquationis indicium: ſed ſignificat pinguedinem a uehementiore calore conſumi: aut quia pinguedo uetus, aut ſemiputris exiſtat. ∴ ∴ ∴ Præterea ubi ait: G

∴ ∴ itemque cum ſubiungit: nigra pinguia, liuida, æruginoſa, fœtida. planum eſt nigra eum colorem ab atra bili pura contraxiſſe. liuida ab eadem, ſed modica. pinguia autem deijciuntur, quod pinguedo ab igneo calore ſimul colliquetur. fœtida uero corruptelam ſubeſſe ſignificant. ∴ ∴ proinde ſit, ut uaria multorum

affectuum ſint indicia. ∴ ſinceras uero ipſe deiectiones appellare conſueuit, quæ nulla ſunt aquoſa humiditate permixtæ: ſolo humore, qui uacuatur, ſiue is bilioſus ſit ſiue melancholicus, ſiue porri colorem imitetur, ſiue bilis ſit, quæ æruginoſa nominatur, inteſtina perua dente. huiuſmodi enim deiectiones exuſtam eſſe omnem natiuam humiditatẽ a calore febris indicant. uſu uero etiã quandoq; uenit, ut ſincera, quæ pallida, aut flaua, aut fulua, aut rufa, aut æruginoſa, aut nigra ſint, deijciantur: ſicut etiam prærubra illa eſt proluuies, quæ in iocinoris affectionibus excernitur. quam ob rem modo cruentæ, modo prærubræ deiectiones redduntur. H

ut in ſecundo de uulgaribus
morbis oſtenſum eſt.
∴ indicans quoq;, perinde ac ipſemet ægrotum quempiam conſpexerit, in quo natura impellente proruperit ad inteſtina, & uentrem inferiorem.
plerunq; e

A ∴ ∴ plerunq; enim huiusmodi deiectiones cum torminibus excernuntur: cum nimirum affectio, in qua talia excernuntur, praua fuerit.

∴ ∴ ∴

quo in loco de aqua mulsa differit. ceterum spumea alui excrementa, ac potius quæ sunt magis, quàm par sit, biliosa, ac magis et calida, educit ea mulsa, quæ magis pura est, quàm quæ aquea. nam quo sincerior sit, eo maiorẽ uim ad excernendũ habet. hæcq; est biliosarũ, spumantiumq; deiectionũ caussa. Mordacia autem excrementa duobus modis ad motum incitantur: uno, cum ab ipso corpore sensibili impelluntur: vtpote quod eius, quod alienum sit, expellendi uim habeat: vt in commentarijs de naturalibus facultatibus probatum est: altero, cum uehementiore motu agitantur, quem uel exercitationibus, vel frictione adipiscitur. quæ igitur subcallida, putriaq; excrementa sunt, ea non modo horrorem, sed rigorem quoq;, & febrim afferre possunt. cruda uero, ac tenuia, vt horrorem quidem & rigorem afferant, certe febrim non accendunt: nisi notabilis quædam copia utrisq; accedat. ∴

∴ ∴ ∴ ∴

propterea quod usu non uenit, ut ægrotus, præsertim morbo acuto, habeat
B uentrem robustiorem, quàm in naturali statu habuisset. quanquam quod cum morsu aliquo celeriter secedit, neq; robur uirium, neq; imbecillitatem plane indicat. sed quod sine morsu, aut aliquo alio symptomate, & oportuno tempore ad motum excitatur, id ipsum tres uentris facultates alterantem, retinentem, & expellentem ualentes esse declarat. crudum uero alui excrementum erit tenue, asperum, succi expers, & quod eorum, quæ ingesta sint, qualitatem seruet. quod uero ex ijs fit excrementis, quę ex toto corpore in uentrem confluunt, id rursum sine permixtione est: quod tum deniq; accidit, cum amaræ bilis humor purus, & copiosus in uentrem confluit. uiride autem est æruginosæ indicium: vt nigrum est uel atræ, uel sanguinis in eo loco perusti. si uero uelut quid liuidum in excrementis appareat, nec quid tale æger sumpserit, refrigerationem quandam, & extinctionem partium internarum indicabit. sicut etiam si pingue sit, nec quid eiusmodi æger comederit, est, ut dixi, colliquationis nota. & quod ualde fœtet, si hoc et ex cibo non proficiscatur, non mediocrem subesse corruptelam declarat.

∴ ∴ ∴

∴ ∴ ∴

multæ enim affectiones longius tempus, in quo concoquantur, postulant. periculumq; multitudini, & copiæ par afferunt. facilius enim simplex concoquitur affectio, minusq;
C est, quàm multiplex, periculosa. Ceterum Hippocrates terminum deiectionibus præscripsit facilitatem, aut difficultatem tolerandi: ut sciamus, quo in loco cessandum, in quo secus. sic etiam in aphorismis censuit, cum ait, "Si qualia purgari oportet, purgentur, confert, & facile ferunt. contraria, difficulter. nam si quæ uexant, euacuentur; ægroti facile ferent: si quid uero aliud euacuetur, ac non id, quod molestum est, omnino necesse est eos id moleste esse laturos. Turpe enim medico est, si permittat, ægrotum adire periculum prius, quàm id, quod immodice circumfluit, cohibeat, & comprimat. quocirca iubet, ut excrementa alui perspiciamus, ac non solum qualitatem, sed etiam quantitatem contemplemur: tum tolerandi facilitatem, & difficultatem, & uires ægrotantis, ac ceteras distinctiones, de quibus nos iam persæpe locuti sumus, diligenter attendamus.

20 *Maturatio, descensus eorum, quæ infra sunt: fluctuatio eorum, quæ supra. quæ ex utero: sordes aurium: irritatio: adapertio: euacuatio, calfactio, refrigeratio, intrinsecus, extrinsecus: horum etiam, horum non. Alui autem egestiones ijs, qui sese laboribus exercent, quandiu parum ederint, parumque potauerint, modicas, ac duras esse oportet. quæ uero liquidiores sunt, ut in transitu conformentur, hæ sane sunt omnes deteriores. at ijs, qui multum edunt, multumq; laborant, oportet transitum excrementorum mollem, siccumque esse. si uero insuper homines febrim habeant, aut alui profluuia repetierint, eaque longa fuerint, penitus mala censentur, siue ea biliosa, siue pituitosa, siue cruda sint. Et cetera, usque*
D *ad eum locum, Cum infra.*

Paulo post monebit, concocta medicari oportere. & supra etiam dixit, maturationes intro, aut foras, aut quo decet, uergere: idem momentum, & eandem inclinationem humorum nunc innuit esse attendendam. nam quæ infra descendunt, si matura, concoctaque sint, per infernas educi partes postulant: quæ uero superfluitant, hoc est, quæ supra uergunt, per superiores. ceterorum est eadem ratio. Sordes autem aurium spectare oportet. comperies enim, quorum aures destillatione laborent, modo liquore quodam tenui, ac liquido: modo ceu purulento, ac fœtido: cum membra debilia & multum, & prauum colligere excrementum consueuerint. Nam & grauitates audiendi, & surditates aut propter aliquam aurium particulam, aut propter neruum, qui in eas a cerebro pertinet, aut propter cerebrum ipsum in ea parte læsum, unde neruus exoritur, constare uidentur. aut etiã a tumore aliquo præter naturam proficiscuntur, qui in meatu excitetur, quod ibi germen quod tofi, aut carnis speciem gerat, sit enatum: idq; ex illis sit, quæ præter naturam meatum obstruunt: e quorum numero sunt etiam sordes, quæ de more in auribus gignuntur. Irritationem quoq; ait esse attendendam. in plerisq; enim aphorismis uerbo ὀργᾶν hoc est turgere, & irritare, cum de ijs agit humoribus, qui sunt ad excretionem paratissimi, & ad euacuationem properant, uti uidetur: idq; per trãslationem ab animantibus ad uene

rem

rem concitatis: ut in sequenti commentario ostendemus, cum ea uerba, quorum initium est hoc, Concocta medicari, interpretabimur. Adapertio autem aut meatuum, aut effluxuum, qui in toto sunt corpore, interdum nocet, interdum prodest. ac uenæ etiam in sanguinis eruptionibus aperiuntur, & reserantur: & item quæ superuacanea sunt, adapertis uasis fluere solent. quo sane tempore inspicienda euacuatio est, calorisq; ac refrigerationis partium, præsertim extremarum, est habenda ratio: ac considerandum, extrinsecus ne, an intrinsecus, an contra, ducere conueniat: & ubi hoc sit agendum, ubi secus. multa enim sunt, quæ nec calorem, nec refrigerationem postulant. multa uero, contra. id autem non modo in corporis particulis tibi pernoscendum est, sed in morbis quoque, & symptomatis: quæ certe non te fugient, si nostros de causis morborum, & symptomatum perlegere libros uolueris. Quæ autem de alui deiectionibus, deque alijs hic dicuntur, in ueteribus libris non reperiuntur. E

21 *Cum infra umbilicum est id, quod torquet, tum & tardum, & molle tormen est. si uice uersa sit, contra.*

Vt est ab ipso in aphorismis conscriptum, si citra febrim tormina adsint, genuumque grauitas, & dolor lumborum, inferna opus esse purgatione significant: ita hoc etiam loco ait, tormina tarda, molliaq; esse, si partes infra umbilicum obsideant. contra uero fore, si a superioribus oriantur. ceterum curanda sunt tormina, cum ex morsibus quibusdam, aut torminibus dissolutiones proueniunt.

22 *Quæ deijciuntur, qua uergunt: non spumea, concocta, cruda, frigida, fœtida, sicca, humida, male olentia.* F

De ijs agit, quæ sua sponte deijciuntur. uidendum enim est, qua uergant. ac si per loca oportuna, & ut oportet, & qualia, & quanta deijci opus est, permittendum, ut egerantur: præsertim si non spumea, & concocta sint: siquidem natura tunc eadem per iudicationem excernit, ac fortasse etiam id in die critico facit. Verum si cruda sint, tunc habe in memoria eas distinctiones, quarum supra mentionem fecit: hoc est facilitatem tolerandi, & difficultatem. Siue enim cruda, siue frigida, siue foetida, siue liquida, siue sicca sint, ægrotus uero facile ferat, cohibenda non sunt: at si ille ægre, & difficulter toleret, supprimenda.

23 *Sitis, quæ prius non adfuit: neque æstus, neque alia occasio, urina, nasi humectatio.*

Hæc pro signis adhibuit: si enim sitis, quæ prius non adfuit, nunc infestum hominem habeat, adauctū esse calorem significat: præsertim uero, si neque æstus sit, neque ulla alia occasio subsit. Occasiones autem interdum Hippocrates uocat eas, quæ falso caussæ appellantur: sæpe etiam ita manifestas caussas uocat. Sic enim hoc nomen usurpauit in quarto de ratione uictus in morbis acutis libro: Quocirca, inquit, qui medicinam facit, debet animaduertere, ne ulla ipsum fugiat occasio. Adhibere quoque animū urinæ oportet: ac magis, si prius neque talis, neque tanta erat: itemq; nasi humectationi, ut facias, quod ipse nos monet; ijs, quæ nuper accidunt, nouo occurras consilio. G

24 *Deiectionem, siccitatem, si corpus non concidit, spiritum turbidum, hypochondrium, extrema, oculos male affectos, coloris mutationem, pulsus, frigus, palpitationes, cutis duriciem, neruorum, articulorum, uocis, mentis, figuram uoluntariam, pilos, ungues, tolerandi facilitatem, aut difficultatem, & num qualia oportet, spectabis.*

Veteres, ac recentiores Hippocratis interpretes, cum, nomē deiectionis quid significet, ignorarint, multa, quæ minime decebat, attulerunt. Glaucias enim, & Heraclides Tarentinus, itemque Zeusis, qui primi in omnes fere libros Hippocratis commentarios conscripserunt; deiectionem esse perturbationem quandam putant, cum æger consistere uno in loco non potest. Sed modo huc, modo illuc se iactat. Rufus Ephesius, ac Sabinus, inter iuniores, non hoc, sed quid grauius, esse deiectionem dixerunt. esse inquam mortiferum quoddam symptoma, quod solet euenire, cum quispiam inibi est, ut se moriturū opinetur. incidit enim, inquiunt in eum timor quidam, ex ijs rebus profectus, quas ante gessit, ut metus ac solicitudinis plenus reddatur. quo sane tempore nec cibum sumit, nec potum, sed timet omnia, ac suspectum habet non medicum solum, sed eos etiam omnes, qui adstant, quique operam illi suam præstant. Artemidorus, cognomento Capito, & Numesianus is, qui explanationem in aphorismos edidit, aliud de hoc nomine excogitarunt: quod & absurdum est, & indignum, cuius nunc fiat mentio. Sed Capitonē ego ita sentire non miror, quippe cum alij permulti eius errores inueniantur: at de Numesiano magna me capit admiratio: quem & sapientem, & prudentem, ac non delirum, semper noui. sed pessime omnium hunc locum Lycus explanauit. is enim maleuolentia in Hippocratem suffusus, omnia illius cogitata, omnesque sententias peruerse interpretatus est. Iam uero neque Asclepiades, neque Diocles Carystius hanc uocem recte intellexerunt. neque enim esse corporis symptoma, quod ad uires pertineat, sed mentis, quod ad animum referatur, putauerunt. sed quis Lyci Macedonis insolentiam, & Artemidori inscitiam, itemque aliorum loquacitatem, & absurdos sermones ferat? ac ne nos quoque huius culpæ affines simus, iam quid deiectionis nomen apud Hippocratem significet, explicemus. In primis igitur, scire conuenit, ei nunc esse de ægrorum decubitu sermonem institutū: quos in præsagiorum libro dixit inueniri debere a medico in dextrum, aut sinistrum latus in lecto iacentes, atque ita, ut totum corpus non siccum, sed humidum sit, ut eo in loco scriptum legimus. supinos autē iacere, minus bonum censet. Si quis uero declinis sit, & a lecto ad pedes delabatur, grauius id erit. mortale uero est, si hians quis dormit: imbecillitatem enim uirium significat. quocirca oportet, ut ipse cōsulit, brachia, & crura parum reducta esse, ut totum corpus iaceat, extra figuras extremas constitutum. extremas autem figuras intelligo, in quibus longa extentio, aut flexus siue artuum, siue spinæ sint: quæ neruis supra modum extentis fiunt. hæc autem egregij illi interpretes ignorant: qui uerbo teus se H

Hippocra-

A Hippocraticos nominant; sed si rem, atq; doctrinam attendas, nihil esse aliud, quàm Sophistæ, & solo
nomine medici, uidebuntur. Scito igitur, nunc deiectionem appellari, cum quis modo hominis uiuctis
decumbere non potest, sed tanquã mortuum, inanimumq; corpus deorsum fertur. cum.n. quis iacens
ad pedes sublabitur, ut Hippocrates sensit, signum est, uirium ad extremam imbecillitatẽ perductarum.
non posse aũt stare, uel sedere, uel exurgere est certe minus graue: sed deiectum esse modo inanimi cor
poris, cum robur uniuersum est ex omni parte exolutum, & perditũ, id corpus dicitur ab Hippocrate
ἐρρίφθαι, hoc est deiectũ esse, & profligatum: ipseq; affectus, ἔρριψις: hoc est uirium deiectio nominatur.
proinde alio in loco dixit, corporis cõtentiones, artuum duricias, & confractiones, cũ dissolutus homo
sit, in malis esse habendas: ut sciamus, corpus neq; contentum, neq; relaxatum, sed moderate affectum
esse debere. est.n. perspicuum, ipsum neq; siccum, neq; humidum immodice esse oportere. Si uero sit,
non erit ignorandũ, siccos, aut humidos affectus in ipso cõsistere. ac morbi sicci, qui in arterijs, uenisq;
uersantur, & ex linguæ siccitate, & ex totius corporis squalore cognoscuntur. sed in externis quoque
ulceribus siccæ inflãmationes oriuntur, cum nullus ex eis tenuis humor fluit. itemq; oculorũ inflamma
tiones sæpenumero aridæ sunt, ac nihil inde excernitur. affectus quoq;, quibus cerebrũ obsidetur, cum
nihil per nares, & palatum repurgatur, sicci dicuntur. de humidis cõtraria sentienda sunt, ut eos humi
dos censeas, cum de locis affectis superuacanea excernuntur. Vide igitur, num corpus deiectum sit, &
B profligatũ: aut squalidum, aut humidũ, aut siccum. ac scito, remedia esse, ut ipse docuit, a contrarijs pe-
tenda. Deinde spectandũ est, utrũ tota moles corporis conciderit. mitior.n. is morbus est, in quo totus
corporis habitus nõ collapsus sit: sed tamen in longius produci tempus consueuit. Quod ad spiritum
turbidum attinet, nõ est recte dictũ, neq; ego id esse ab Hippocrate conscriptũ arbitror: siquidem in ea
editione solũ, quam in uulgus protulit Dioscorides, hoc uerbũ esse scriptũ inuenitur: ac fortasse est ab
ipsomet interiectum. In nullo.n. alio libro, qui uerus Hippocratis sit, turbidũ spiritũ esse dictum cõpe
ries, nõ in præsagijs, non in libris de uulgaribus morbis, non in aphorismis, non alibi deniq;. dicimus
quidẽ aquam turbidã, urinamq; turbidam, quæ urinæ iumentorum similis sit; sed quid turbidus spiritus
sit, cũ ignotum est, tũ uero nemo ita loquitur. Quidã uero ignari, quid spiritus turbidus sit, aliud quid
[illegible] nec minus propriũ, nec minus obscurum inuexerunt: scribunt.n. non† turbidum, †sed floridum, idq; a
uerbo florendi ducunt. fuit hoc Sabini inuentũ. Sed quid est, quod ille non audeat? faciem quidẽ flori
dam quasi bono habitu, coloreq; perfusam ut dicat fortasse aliquis, certe spiritum floridum nemo dixit.
præter eum, opinor, qui librũ prædictionũ adornauit. Sed nos perspicue nouimus, eum librum non esse
Hippocratis uerũ. itaq; uidetur, ab aliquo fuisse uox illa adscripta, tum a librario in cõtextum uerborũ
translata. Verum hæc negligenda, paruiq; facienda sunt, sicut ea omnia, quæ ad uerborũ explicationes
C pertinent. Hypochondria uero utrũ distenta, laxave sint, an dolore conflictentur, an aliũ morbi sensum
afferant, ut ipse in libris de uulgaribus morbis sæpe memorauit, spectare conuenit. Sic utrum extrema
calida, an frigida, an alio modo affecta sint. Oculorum male affectorũ est eadẽ ratio: uidẽdum enim est,
utrum concaui sint, an prominentes, an aliã quampiam subesse affectionem indicent. quinetiã coloris
mutationem de qua supra dixi, non contẽnes. color enim uel ob morbi malitiam, uel uigilias, aut aliud
symptoma quoddã solet mutari. etenim propositum esse debet, dandam esse operá, ut, unde id profe-
ctum sit, dignoscas; ducto ex eo colore, qui præter naturã in toto corpore cuiusq; homini sit exortus, ar
gumento; tum e morbis, symptomatis, anni tẽpore, regione, ætate, statu cæli, natura ægroti, morbis gras
santibus, & uictus ratione. Sed pulsus quoq; totius corporis spectandi sunt. Veteres aũt non iam omnẽ
motũ arteriarũ, sed eũ solũ qui sensibilis esset, atq; ipsi homini prorsus uehemẽs, pulsum uocabant: Hip
pocrates primus motũ arteriarum omnium, qualiscunq; is esset, pulsum appellauit. Age uero & refrige
rationes, & palpitationes, & rigores, & tremores cõsiderandi sunt; de quibus est in manibus nostrũ in-
tegrũ uolumen: in quo & de cõuulsione, & de ijs, quæ generis eiusdem sunt, differitur. Cutis aũt modo
durior, modo siccior redditur: interdũ uero madores quidã, & calidi uapores ab intimis corporis par-
tibus efferuntur: in quibusdã siccitas, aut duricies, aut mollities, diu perseuerat: id quod ijs potissimũ usu
D uenit, qui se nimio labore fatigarunt, aut refrigerati sunt, aut qui, una cũ lassitudine, a sole exusti: sicut in
terdum ẽt corporis gracilitas, oculorũ cauitas, & insueta quædã coloris priuatio apparent: quæ solent
esse cõmunia eorũ, qui quouis modo in solicitudine, curisq; uersantur. Articulis aũt multa accidũt: quæ
oĩa sunt a medico cõsideranda. idẽ de uoce censendũ. uitiatur.n. quãuis actio naturæ nõ tota sit omni
[illegible] no perdita. Nõ est aũt idẽ uox, quod loquela, & sermo: sed uox est munus uocaliũ instrumentorũ: †Lo
quela eorũ, quæ ad sermonẽ pertinent: quorũ omniũ princeps est lingua, tũ nares, & labra, & dẽtes. Vo
calia uero instrumẽta sunt guttur, ac musculi ipsum mouẽtes, itẽq; nerui oẽs, qui ad eos uim a cerebro
[illegible] afferunt. †Sermonẽ uero nõ oẽ id, quod proprie in sensũ auditus cadit, neq; id solũ, quod ore emittitur,
in quo genere ploratus, sibilus, fletus, tussis, & huiusmodi cõtinẽtur: sed solã hominũ uocẽ, qua inter se
colloquuntur, ueteres appellabant. Multa quóq; mala angere mentẽ solent, quæ & accurate intueri, &
in eis discernẽdis exercitatũ esse oportet. Ita ẽt figuræ, in quã sua spõte, aut inuiti ægroti se uertunt, esse
peritũ par est. Iã uero & pili, & ungues liuidi, & nigri quidpiã indicãt, quod nõ est cõtẽnendum: quẽad
modũ scimus adũncos reddi ungues tabescentibus, quod carnes, quibus utrinq; infiguntur, colliqua-
tæ sint. quã ob rẽ ipse in præsagijs dixit, Si uero præter grauitatẽ, ungues, digitiq; liuidi sint, mors est cõ
tinuo expectãda. perspectũ.n. habemus, liuorẽ nobis indicare, calorẽ natiuũ extinctũ esse. Quoniã uero
facilitas, & diffi cultas tolerãdi magnã uim, & ad mortẽ, & ad sanitatẽ habet, ideo nobis eã in memoriã

eſſe reuocandum exiſtimauit. Addidit etiam,qualia oportet,ut intelligamus,utile eſſe, ut hæc, & quæ B his ſimilia ſunt,facile feramus:id quod ſupra ad euacuationem trãſtulit:ſiue,cum natura corpus expurgat,ſiue cum nos medicamentum purgans damus,humorum corpus uexantium fiat euacuatio.

## GALENI IN LIB. HIPPOC. DE HVMORIB. COMMENTARIVS SECVNDVS.

*SIGNA hæc ſunt: odores corporis,oris ſeceſſus,auris,flatus,urinæ, ulceris, ſudoris, ſputi, naris. cutis ſalſa, aut ſputum, aut naris, aut lachryma, aut alij humores. penitus ſimilia quæ proſunt; quæque obſunt.*

Eſt hoc ab Hippocrate recte proditum,non modo communem omnium hominum naturam,ſed etiam cuiuſq; propriam eſſe medico pernoſcendã. ita enim fiet,ut neq; qualitatem,neq; quantitatem remediorum, quibus opus ſit, neq; etiam,quomodo admoueri debeant,ignoremus. etenim ad ægrotos ſæpenu- F mero accedimus,quibus cum prius,cum integra ualetudine fruerentur, nulla nobis neceſſitudo interceſſit.proinde neq; quo colore,neq; quo habitu,neq; quo natiuo calore eſſent, aut quis corũ eſſet motus arteriarum,plane ſcimus:ut de morbi magnitudine recte iudicemus:ſi quidem ei ſolum,qui naturalem ſtatum accurate perſpectum habeat,integrum eſt noſſe, quantum quiſq; naturæ ſtatum exceſſerit, & ad quantum magnitudinis morbus peruenerit. Cũq; hoc ignoremus,ne omnino hæreamus,ad ſigna confugimus:quorũ perfecta notitia nobis,qui mites,quiq; maligni morbi ſint,declarat. huiuſmodi aũt ſigna aut aſpectabilia ſunt, hoc eſt uel in toto corpore,ac magis etiam in facie aſpiciuntur: aut primum non uidentur,poſtea uero ſub aſpectum cadunt.huius autem generis ſunt omnia,quæ ab urinis,alui excrementis,ſputo,ſudoribus,ſordibus aurium,muco, & ab alijs omnibus trahuntur, quæ a corpore, aut natura,aut ui medicamenti extruduntur.alia uero ſolum audimus,quo in numero ſunt dolores,ſolicitudines,& cuncti mentis & intelligentiæ,ac ſenſuum morbi,atq; noxæ. Volunt enim eam etiam tractationem,qua ſigna continentur,medicinæ partem eſſe: quandoquidem neceſſaria eſt ipſorum ad curationẽ adhibendam obſeruatio.quin etiam uel citra curationem,neceſſarium eſt ſigna cognoſcere,ut qui curari poſſint,quique non poſſint,intelligas:ne ſi manum admoueas ijs, qui ſanari non queunt, in errorẽ inducaris. Iam uero hæc ipſa pars,quæ ad ſigna pertinet,in tria diſtribuitur:in cognitionem præteritorũ, G in contemplationem præſentium:& præſagitionem futurorum. etenim præterita ſymptomata, itemq; præſentia diligenter ad morbi cauſſam inueniendam, intuemur.ſed neceſſe etiam eſt,noſſe,mors ne,an ſalus expectanda ſit.ceterum ſigna quædam eiuſdem ſunt ſpeciei, aut generis: quædam neque eodẽ genere,neque eadem ſpecie continentur.eiuſdem ſunt ſpeciei,quæ in uno morbo contingunt,cuiuſmodi ſunt,quæ ſputo reijciuntur:quæ quidem ſigna ſunt eius affectionis,quæ pulmonem,thoracem,aſperam arteriam,& inſtrumenta reſpirationis obſideat: ut morbi cerebri membranarum ſunt ea, quæ per nares,aut palatum excernuntur. quæ porrò neq; eiuſdem ſpeciei,neq; eiuſdem ſunt generis,nemo eſt, qui neſciat. non omnes tamen, qui explanationes conſcribunt, norunt ſigna alia eſſe morbi propria, quæ quia affectum indicant,ideo παθογνωμονικὰ nominantur: & ad præſagiendum accommodata:alia uero inſeparabilia.cumq; de his non dubitamus,propterea quod nullam nec propriam,nec inſeparabilem morbi notam perquiramus,uerum illud indagemus,ſalus ne,an mors ægroti expectanda ſit: tum omnia & ſigna,& ſymptomata,quæ in corpore apparent,neceſſe eſt diligenter perpendere. ſunt etiam quædam concoctionis & cruditatis ſigna,ſicut quædam ſalutis,aut mortis:quædam iudicationis. ac concoctionis quidem,cruditatiſque ſigna ſunt alui excrementa,ſputa,& urinæ: ſalutis, ac mortis ſunt, quæ cum illis excernuntur,& in toto apparent corpore.iudicationum uero non eſt unum proprium, præcipuumque genus ſignorum: ſed alio in tempore,& in alio morbo erunt critica ſigna, in alio uero affectu, aut H alio morbi tempore erunt uel ſymptomata,uel praua ſigna,ac nullo modo critica.quocirca Hippocrates in ſecundo de uulgaribus morbis libro recte cenſuit,critica non iudicãtia partim mortalia eſſe,partim difficulter iudicare.ac ſigna quidem concoctionis bona ſemper ſunt: cruditatis, non bona. nam ſi capitis dolorem,aut delirium,aut reſpirationis difficultatem,aut grauem ſoporem ſubeſſe uideas: in ijs nihil firmum,nec bonum,nec malum prænoſcere poteris:ſicut nec etiam,ſi intuearis ſudores,aut copioſam alui,aut lotij excretionem,aut ſanguinis e naribus,aut ex utero,aut hęmorrhoidibus effluxionem. immo uero ne ſi tumores quidem ſecũdum aures, aut alios abſceſſus perſpicias.cauſſa eſt, quia hæc omnia & critica,& non critica eſſe poſſunt.atque id quidẽ duobus modis,uel quod nullo modo, uel quod male iudicationem faciant. Alterum uero genus eſt non modo ſignorum,quæ critica ſint,ſed quæ etiã cauſſarum uim habeant.hoc genere cõtinentur uomitus,alui deiectiones,urinæ copia,ſudores,ſanguinis profluuia,tumores ſecundum aures,atq; abſceſſus.Iam uero aliud quoq; genus comperies,eorum, quæ uno eodemq; tẽpore & ſigna erunt,& ſymptomata.hocq; genus neq; iudicationẽ affert, neq; eq;, atq; illud,quod in coctionibus uerſatur,fidũ eſt,neq; omnino infidum: ſed in hoc genere quædam ſemper bona ſunt,quædam mala.quod ipſe declarauit,cum dixit,Mentem conſtare, recteque ſe ad ea,quæ offeruntur,habere,bonum. facilis quoque reſpiratio,& integritas pulſuum in bonis habetur.ita etiam

facilis

A facilis tolerantia, & facies beneualentium faciei ſimilis,& decens decubitus, & corporis æqualitas bo ni conſulitur.horum contraria,in malis ſtatuenda ſunt:quæ omnia ſunt in præſagijs ab Hippocrate ſcripta diuinitus. Age uero ſignum a colore profectum non eſt deſpiciendū: ſiquidē color ſanguini proportione reſpondet.ſanguinem autem nunc intelligo humorem uniuerſum, qui in uaſculis ineſt, in quo & pituita,& biles,& tenues liquores cōtinentur.hic enim & melior,& deterior efficitur. at is, qui ſanguis per exuperantiam appellatur,alium,præter rubrum, colorem habere non poteſt. Ceterum Hippocrates hoc loco non diſtinguit,utrum ſigna bona ſint,an mala:aut utrum nec bona,nec mala,aut utrum ſalutaria,aut mortalia ſint:quemadmodum in libro præſagiorum,ac de morbis uulgaribus:neque etiā numerauit omnia.ait autem hæc ſigna eſſe,ut ea ne putes aut cauſſas eſſe,aut ſymptomata,atque ita falſus non recte medicinam facias.In primis autem ſtatuit odores corporis. qua in re ſcire cōuenit, in omnibus rebus fere mutuo conſentire odoratum ac guſtatum: non tamen in ijs, quæ ſuauiſſimum odorem ex ſe mittunt:propterea quod ea tantum abeſt,ut guſtantibus ſuauia ſint, ut etiam non modicam amaritudinem præſe ferant:ut in roſis cernitur. porrò odoris ſenſus in cerebri uentriculis fit: & rerum, quæ odore percipiuntur,eſſentia eſt huiuſmodi,ut uaporem exhalet. quæ enim defluunt e corporibus, aeri nos ambienti admiſcentur,deinde per inſpirationem in cerebrum comportantur,ſenſumque mouent.

B uaporum tamen differentijs non ſunt impoſita nomina. ut enim dicamus quidpiam odorem acidum, aut acrem habere,certe uel auſterum,uel acerbum,uel ſalſum uel amarum, ut in humoribus uſu uenit, non dicemus:ſed hiſce duabus appellationibus omnia comprehendemus,ut beneolentia, aut graueolentia nominemus.quocirca e beneolentibus edulijs quæcunque computruerunt, quæque nobis odore moleſtiam afferunt,ea quamprimum reijcimus,ac ne guſtare quidem tentamus. iam eorum, quæ excernuntur, & colores præter naturam, & odores ſequi morbos neceſſario, non opus eſt oſtendere: ſi modo nihil tale ſine intemperie proueniat. Nunc uero corporis totius, & oris odor quibuſdam ineſt prauus ſuapte natura: in quibuſdam culpa uacat: in quibuſdam uero ex negligentia uitiatur,quod ſe nihil errare arbitrerentur.quam ob rem ſpectandum eſt,ſitne id natura, an præter naturam, & cauſſæ indagandæ.in ore exempli gratia, an cauſſam tetri odoris afferant gingiuæ putreſcentes, an uitiati dentes, an ulcus,quod os obſideat: an id ſit uitio ſtomachi,an aliunde oriatur. eadem eſt aliarum corporis partium ratio: quemadmodum ſi in auribus pus ſit, aut ulcus. itemque in ſputo, urina, & alui excrementis. nam & urina, quæ ualde fœteat, quæque pinguis ſit, quam oleoſam uocant, pernicioſa eſt. ſputum uero, quod in peripneumonia, & pleuritide ualde fœtidum eſt, uehementi dolore, aut difficultate reſpirationis conflictari hominem indicat: ſicut etiam excretiones in febribus non intermittenti-

C bus liuidæ, cruentæ,fœtidæque malæ ſunt. quæ quidem plerunque fiunt huiuſmodi eo modo, quo ex putridis ulceribus ſanies profluit:nonnunquam uero, ut pus ex rupto abſceſſu prorumpit. eodem modo eſt de uomitibus iudicandum.fœtor enim eorum, quæ uomitu reiecta ſint, præſertim uero quæ atra exiſtant,morbi magnitudinem indicat. ſiquidem fœtida ſemper pernicioſa ſunt: quemadmodum ipſe quoque in libro præſagiorum memorauit: Omnes inquit, ſubputridi, fœtidiq; odores in ijs omnibus, quæ uomitu reiecta ſunt,mali.quocirca omnes fœtidos odores,qui præter naturam excitantur, in ſymptomatum loco ſunt habendi. poſt hos uero ſtatuenda ſunt quæ in auribus,naribus, alis, & item quæcunque particulæ propter aliquem affectum computreſcunt. Idem quoque in tactibus licet inuenire, ſiue illi fumeā,ſiue acidam,ſiue uiroſam,ſiue piſcoſam,ſiue aliā quamuis qualitatē referant. Cutis quoque ſalſa perſentiſcitur.propterea quod ægroti ſudorem in os profluentem nonnunquam guſtāt:a quo etiam ſaliuæ qualitas immutatur. Simili quoque modo quæ ex pulmone reijciuntur, & quæ ex uentriculo euomuntur, alijs acida,alijs ſalſa, alijs amara, alijs dulcia,alijs auſtera ſentiuntur. Quidam etiam medici & ſudores, & item ſordes aurium deguſtant, quod ex illis coniecturam quandam facere ſe dicant: ſicut alui excrementorum fœtor aut malam concoctionem,aut humores uitiatos indicat. Ita etiā lachrymæ oriuntur, cum interdum natura ſuperuacaneum humorem expellit: aut ipſum in oculorum

D glandulis deficientem procreat: interdum uero morboſam affectionem conſequuntur.Narium autem humiditas oritur,quod excrementa,quæ in cerebro collecta ſint, excernantur. aurium quoque ſordes fiunt, natura cerebri excrementa repurgante. Saliuæ autem in ore generatio inter ea numeratur, quæ a natura prouide fieri dicuntur: ſicut ſputi e pectore, pulmoneque reiectio. Verum & ab alui excremētis,& a uomitibus ſumere utique ſigna poteris. ſi enim atra bilis in ſputo, alui excrementis,aut uomitibus, aut urina appareat, mortale admodum ſignum eſſe ſtatuunt. poſt eam uero ſequitur flaua bilis, ſi ſincera ſit.at ceteri humores,ſi cum aliquo horum appareant,non ita noxij cenſentur. Nunc uero quēadmodum cibi excrementa mirabilem ſunt diſtributionem,quod ad excretionem pertinet,conſecuta, ut in libris de uſu partium dictum eſt: ſic etiam quod ad flatum expellendum pertinet, ſiue is per rectū inteſtinum emittatur, ſiue per gulam, quem ructum nominant, quædam naturæ perſpicitur prouidentia: cum utrunque inſtrumentum, in quo flatus colligitur, ad ipſum extrudendum inſurgat. excernuntur enim flatus etiam ſi ij, in quibus inſunt dormiant, aut propenſione in ſomnum, aut ſapore, aut ueterno,aut delirio ſint occupati.Ideo nunc iubet,ut in cūctis humoribus, & excretionibus, quæ proſint: quæque noceant,intueamur: ut quæ nocent uitantes,auertamus:quæ iuuant,accerſamus, inducamus, & accipiamus,ut paulo poſt dicetur.nunc uero,quod totius dictionis eſt reliquum,explicabo.

*Inso mnia, qualia quis uideat, spectandum: & in somnus qualia faciat. an acute audiat, an animo parato ita sit, ut obe* E [2]
*diat. an fortiora, pluraque sint commoda, quæ seruant, quam alia. an omnia omnibus sensibus sentiant, & ferant.*

Inter ea, quæ aliquam indicare corporis affectionem solent, insomnia numerantur. quam ob rem si
quis in somnis se uidere incendium putet, hunc flaua bilis uexat. si imber ei uideatur, scito frigidam
humiditatem redundare: ut si niuem, aut glaciem aut grandinem uideat, pituita frigida ipsum infe-
stum habet. qui uero se in fœtido esse loco putet, corruptelam subesse humorum indicabit: vt cristæ
gallorum, aut res quædam fuluæ, sanguinem redundare significant. at si quis caliginosa uideat, aut
tenebricosis in locis uersari uideatur, flatus in eo esse, argumento erit. Tempus autem, in quo in-
somnia fiunt, perquirendum est: utrum appareant in accessionis inuasione, an in statu, an alio tempo-
re: &, utrum a cibo, an sine ullo sumpto cibo excitentur. nam qui in ingressu accessionis, quæ cum
horrore, aut rigore, aut perfrictione fiat, se niue couspergi existimet, id potius tempori, quàm affe-
ctioni corporis erit acceptum referendum. at si quis in declinatione id intueatur, eo uiso potius ex su
perantium humorum frigiditate indicari suspicaberis. idque magis, si edulia pituitosa ille † non co-
mederit. illi item, qui se uersari in stercore uidentur in somnis, fœtidos in se, putrescentesque humo-
res habent: aut etiam magnam stercoris copiam in intestinis continent. qui se in suaueolentibus esse
locis putant, in contraria illorum sunt affectione corporis constituti. quibus quidem fit rebus, ut som F
nia nobis indigentiam, & redundantiam, & qualitatem humorum sæpe indicent. Iam uero in mor-
bis, ut in ijs, qui phrenitici sunt, ita perspicue & aperte somnia uidentur, ut uel e somno propter uiso-
rum euidentiam exturbati exiliant, aut loquantur. quæ res affectionem, qua uexantur, indicat. sicci-
tas enim ipsa est uigiliatum caussa: facitque ut somnia conspiciantur. Melancholicis quoque propter
siccitatem uisa in somnis prorsus euidentia apparent. sic etiam in bona ualetudine euidentia fiunt in-
somnia ijs, qui parcius comederunt. at qui se aut cibis expleuerunt, aut uino ingurgitarunt, ijs ne uesti-
gia quidem somniorum propter ipsorum obscuritatem, relinquuntur. omnes item affectus, qui cere-
bri humiditatem coniunctam habent, comatosi, somniculosique, & uisis uacantes sunt. sed quoniam
sunt pituitæ multa genera, scire conuenit, eam quæ dulcis est, somniculosos homines, eam uero, quæ
acida sit, famelicos reddere: sicut siticulosos cum pituita salsa præstat ceteris, & appetitum tolli, cum
cruda abundat. quod autem ad somnos attinet, ex alijs quidem pituitæ generibus paulo supra naturæ
modum excitantur: at crudus humor non secus, quàm pituita dulcis somniculosos aperte reddit. cum
enim principium sentiendi humectatur, ac refrigeratur, affectio comatosa gignitur: sicut uigilia, cum
idem exiccatur, & calefit. proinde biliosi ex utraque bili insomnes sunt. Quidam tamen comperiun-
tur, qui & somnia, & auguria, & portenta contemnant. at nos præsagia sæpe nobis ab insomnijs fuisse G
suppeditata, habemus exploratum: atq; etiam nos duobus insomnijs euidentibus admonitos, ad arte
riam, quæ inter indicem magnumq; dextræ manus digitum est, incidendam deuenisse: ac iussisse tam
diu fluere sanguinem, quàm diu sua sponte profluxisset: quod ita nobis insomnium innuisset. quinetiam
alios plerosq; sanaui, cum ex præscripto insomnij remedia adhibuissem: immo uero patris insomnijs
admonitus in medicinæ studium incubui. quocirca diligenter intueri somnia oportet, ut & qualia in
somnis uideantur, & quid in eis fiat, intelligas: quo tum præsagire in posterum, tum uero medicinam re
cte facere perdiscas. Deinde uidendum est, an æger acute audiat: siquidem surditas male esse affectū
caput ostendit. eademq; indicio est, cerebrum uexari. solet autem surditas gigni, quod aliquis humor
sit in audiendi meatibus infixus atq; impactus: interdum uero etiam fit, quod audiendi facultas sit ex-
tincta: quam sane in acutis, turbulentisque morbis concidere conspicimus. sciendum autem est, si-
gna, quibus futurum morbum præsagimus, duplici differentia contineri. nos uero recordationis caus-
sa afferamus ea, quæ a naturæ statu uariata sunt quātitatibus, aut qualitatibus, aut temporibus, aut suis-
met formis. cuiusmodi est intenta, aut exoluta ciborum appetentia, aut quæ non consueto tēpore ex-
citetur, aut quæ non consuetorum eduliorum sit: aut ad excretionem cibi superfluitatum pertineat,
quæ uel plures, uel humidiores, uel duriores sint. sic etiam appetitus præter consuetudinem potus co- H
piosioris, aut paucioris, aut calidi, aut frigidi. itemq; sudores plures, aut pauciores, quàm par sit. & tor
por ad motiones, aut grauitas eorum, qui se mouere conentur: aut uehemens exolutio: aut suppressio
purgationum menstruarum: aut maior, uel minor euacuatio. uoluptas quoq; in esculentis; aut poculen
tis maior, aut minor, quàm prius. intelligentiæ item hebetudo, quæ suapte natura non inesset. obliuio
etiam insolita. Iam uero auditus, odoratus, aspectusque hebetiores, aut magis caliginosi, sunt futuro-
rum morborum notæ. simili quoq; modo quæcunque per nares, aut palatum, aut aures, quibus uijs ce-
rebrum expurgatur, aut in quantitate, aut in qualitate, aut in temporibus uariātur. præterea uero mor
sus uentriculi, aut in eius ore, aut in intestinis, cum aluus subducitur, aut uomitus cietur, aut urina ex-
cernitur. huc pertinet etiam capitis grauitas, & dolor. similisq; ratio gustatus habenda est: cum quid-
piam salsæ, aut amaræ, aut alterius qualitatis speciem facit: aut cum saliua talis esse uideatur. in odora-
tu aūt, cum aliquam persentiscimus qualitatem, & tn̄ nihil, quod sensum odoratus mouere queat, tunc
adsit. in auditu, cum sonos, & strepitus uidemur audire, & nihil adest huiusmodi: sicut ēt in aspectu usu
uenit, cum multa, eaq; & nigra, & rufa, & flaua, & oīs generis obuersari oculis existiment. in tactu, cum
quædam inæqualitas, aut spissitudo, aut distentio, aut grauitas totam corporis habitudinem occupa-
re uideantur, enunciare morbum solent. quocirca intueri oportet, utrum quispiam acutius, an obtu-
sius

† A uetustissimo lib. abest negatio: in altero est. & recte quidem.

A sius uideat, uel odoretur, uel gustet, uel magis, minusue, quàm consueuerit, sensu tactus præditus sit. an prompta quædam uis adsit, ut homo audire, atque intelligere uelit omnia. & utrum omnibus sensibus sentiat. In his enim omnibus illud scire nos decet, si plura, eaq; ualeutiora, tempore oportuno accidant, ea ad salutem: Si uero maiora, & plura non sint oportuna, ea ad noxam inuehendam referri. Postremã omnium ferendi facilitatem significauit, cum dixit, & ferant. nisi enim ægroti ea ferant, signa illa ad salutem esse non possunt.

3 *Vt odores, sermones, uestitus, figuras.*

Sicut in morbis, ita etiam in signis iubet odorum habẽdam esse rationem, utrũ eos ægroti perferãt. itemq; sermonum. ac mentem adhibendam esse, ut quales sermones illi habeant, intelligamus. oratio enim animi sensum aperit, & tantum non est animi interpres. quinetiam decubitum, figuras, ac totius corporis formam, ut iam supra diximus, spectare nos oportet.

4 *Atque hæc quidem facile. quæ etiam si sua sponte appareant, prosint.*

Quæ sua sponte fiunt, ac prosunt, ea facile ferunt. quæ uero non prosunt, ea difficulter ferre solẽt. quẽ B admodum autem quæ prosunt, sæpenumero sponte sua eueniunt, ac tum ægroti facile ferunt: ita etiã ipse hoc nobis consilij dat, ut ea, quæ natura facit, imitemur.

5 *Et cum talia sint, ut indicationem afferant: itemq; tot, & talia, ut flatus & urina, qualis, quanta, & quando. quæ uero cõtraria sint, ea auertere, eisq; aduersari par est.*

Iudicationes sex modis fiunt: nam uel repẽte fit in sanitatem mutatio: uel repente hominẽ perimũt: uel utrunq; horum paulatim, uel per mixtionem contingit: ac paulatim quidem, uel morbo senescente ac se remittente, aut ęgri uiribus debilitatis. per mixtionem uero, cum æger in deteriorem, aut meliorẽ sit statum commutatus, ac deinceps usq; ad perfectam solutionem, aut mortem reliquum tempus totũ absumptũ sit. illud autem scito, primã iudicationem, quæ est repentina in sanitatem mutatio, omniũ aliarum, quæ dictæ sunt, esse optimam. ex alijs uero, quæ in subitam mortem desinit, mala est: quæ uero iudicationes aliquam mutationem, non tamen perfectã morbi solutionem afferunt, eæ imperfectæ nominantur: sicut quæ paulatim fiũt, non iam iudicationes, sed solutiones appellantur, ac crisis quidẽ fit omnino manifestis quibusdam excretionibus, aut abscessibus notabilibus. has autẽ excretiones, & abscessus præcedit quædã non exigua in ægrotantis corpore perturbatio. etenim difficultas tolerandi, & uigi C liæ, & deliria, & capitis, aliarumq; multarum partium dolores accidunt. nonnullos uero sonitus auriũ, exercent, & ipsi lachrymas inuiti mittunt: ipsisq; urina retinetur: & labrum concutitur. & tremores oriũtur, & rerũ obliuio, ac præsentium ignoratio eos capit. nec possunt in eodem situ decumbere: & omnis generis euacuationes repẽte simul accidũt. eaq; tes non paruũ aspicientibus metũ incutit. Hippocrates aũt in libro præsagiorũ multa nobis signa, quæ iudicationis modũ indicent, scripta reliquit: quibus non pauca etiã in prædictionibus & in libris de morbis uulgaribus singillatim allata subiunxit: cuiusmodi illud est, Si labrum inferius quatiatur, futurum uomitum indicari: & illud, grauis sopor post capitis dolorem, & surditas repente oborta, abscessuum secũdum aures signa sunt. Ceterũ in iudicationis modo solũ spectandũ est, quo natura urgeat, ut post oris uentriculi morsum & rigorẽ secuturũ esse uomitũ: post respirationis difficultatẽ, & splẽdores, qui oculis obuersantur, sanguinis profluuium e naribus. si item aluí excrementa, neq; biliosa, neq; sincera sint, neq; facile soluantur, neq; copiosa urina sit, multaq; habeat subsidentia, planũ erit morbum illuc uergere, & per ea expurgari. Erit quoq; medico integrũ ab ætate, anni tempore, regione, & ægri natura iudicationis signa capere. quanquam si per aluum futura iudicatio sit, non iam ullum ita clarũ, aut propriũ, sicut in sanguinis profluuio, & uomitu, signum habetur: sed illã ita fore cognoscimus, quòd iudicationis signa adsint: quæ uero aut uomitus, aut sanguinis pro- D fluuium, aut sudores indicant, nõ appareant. quinetiam si nihil horum subsit, etiam per hęmorrhoidas, aut menstruas purgationes in mulieribus fieri potest iudicatio. quo casu, si per mẽstruas purgationes futura sit, ipsas præcedit non mediocris grauitas itemq; dolor, ac distentio lumborum. ac notæ quidẽ propriæ communesq; modi iudicationũ sic distinguũdę sunt, ut nos in tertio de crisibus libro disseruimus. Hippocrates autem in præsagijs notas eiusmodi, quasi exẽpli caussa, tradidit ijs, qui eius intelligere uerba possint. est tamen, cum uiolentia accessionum anteuertere iudicationes sæpe cogit: id quod faciunt etiam uaria ęgrorum in se peccata; & item errata medicorum: nec minus quę ægrotis uitio ministrorũ. & quæ item extrinsecus accidunt. quam ob rem existimare conuenit, morborum solutiones, quę cũ magno certamine & subito fiunt, febrium quæ ex calidis constant humoribus, proprias iudicationes esse. post has uero, solutiones earũ affectionum, quæ calidæ ac facile mobiles sunt, easque partes obsident, quæ principatum tenent. Ephemeræ uero & hecticæ febres, & sine magna perturbatione, & nõ subitas mutationes faciunt. ubi autem aut facta iam est iudicatio, aut fit, ibi totum negotiũ est naturæ permittendum, ac nihil noui faciendum: ubi uero imperfecta fuit iudicatio, ibi medicus addit, quod restat. Illud etiã de iudicatione scire nos decet, meliorem censeri eam, quæ per euacuationem, quàm eam quæ per abscessum fiat: & eam, quæ noxium, redundantemque humorem, quàm eam, quæ alium quemuis euacuet: eam denique, quæ recto itinere, quàm quæ secus. has porrò excipit illa, quæ iunctam

habet tolerandi facilitatem.tum ea,quæ concoctis humoribus,& die critico fit;de qua in hoc commentario uerba fient.Modum uero,ac tempus ipse indicauit,cum dixit,tot,& talia,& quanta,& quando.nã quod ait,quanta,significat quantitatem;quod uero dixit,talia:qualitatem eorum quæ euacuantur,indicauit:cum uero,quando,innuit tempus,hoc est diem,in quo fiat. si enim iudicatio fiat , tantaq; ac talia, quanta & qualia oportet,euacuentur,& ægrotus facile toleret : profecto tantum non perfecta uocatur iudicatio.si contraria accidant,tunc danda opera est,ut ea prohibeamus,eaq; auertamus, & ipsis aduersemur.si uero natura non perfecte agat,uult hoc loco Hippocrates,nos naturam ipsam adiuuare. E

*Quæ propinqua,communiaq; affectibus sunt,ea primum,maximeq; affliguntur.* 9

Est a nobis dictum persæpe,cognoscendam ex dissectione esse cuiusq; particulæ naturam , qualis nã ea sit:tum uero actionem,& qua sit cum propinqui societate coniũcta:id quod in situs,ac positus nomine continetur.nam si uesica distenta hominem non emittere urinam contingat, ac citra ullum tumorẽ, qui uesicá obsideat,urina retineatur,certe necesse erit, ut in tali urinę cohibitione obstructio aut ureteres,aut renes occupet.siquidem quæ propinqua sunt,& cum partibus ægris societate coniuncta,in affectus,dolorisq; consensum ueniunt.proinde in intẽperie,spectare caussas oportet,sint ne illæ totius corporis communes,an partium non nullarum propriæ,quæ per consensum aliam partem uexent. etenim F a capite. * * *

In uetustissimo libro litteræ exciderũt, ut iã legi non possint. in altero nihil plane est.

* *

* a societate uero cum uicinis partibus,quod idem cum situ esse diximus,sumitur indicatio.gibba iecoris per renes expurgari:caua per uentrem inferiorem.in liene alteram solam esse super uacanei euacuationem. * *

* *

quamuis particulam.

Rursus uero quæuis particula in proximas partes,ut crus in femur,tibiã,& pedem:itemq; manus in brachium,cubitum,& summam manum diuidatur:tum digiti in ossa,chartilagines,ligamenta,neruos, arterias,uenas,membranas,carnes,& alia permulta. quare spectare oportet,propinqua ne membra sint: ut scias,utrum ipsa per se,& primo,an per consensum,& communionem aliorum patiãtur.proximæ enim partes magis,quàm ceteræ laborant ; ut si crus fractum sit, tibia magis , itemque pes, & genu uexatur , quàm uel manus,uel brachium, ac magis etiam , quàm partes capitis : nisi aliud quidpiam accedat ; ad G quod adhibere animum oportet.

*Constitutionem autem contemplator,habita ratione eorum,quæ prima incipiunt : quicquid tandem excernatur . ex urinis,quales nam sint:& qualis sit collapsio corporis, mutatio coloris,imminutio spiritus:& cum his reliqua uictus rationes.* 7

Hæc etiam ad iudicationem pertinent,ut ea itidem quæ sequuntur usq; ad eum locum, Cõcocta medicari,& mouere,&c.De urinis autem illud didicimus,eas,quæ tenues,decolores, paucæque sunt , aut crassæ & paucæ,prauas esse:sicut etiam crassas illas quidem, sed tamen quæ nulla aut plane exigua , habent subsidentia.idque eis accidit,propterea quod non bene subsideant . de prauis autem subsidẽtibus in libro præsagiorum dictum est.Scire autem conuenit,quodcunq; signum concoctionis apparuerit, id nobis indicare,morbum & breuem fore,& salubrem. cuiusmodi nobis indicio est sputum in lateris dolore.excrementum enim cuiusq; particulæ corporis , quænam affectio particulam ipsam uexet , declarat ; ac si concoctum sit,salubrem : si incoctum,morbosam esse significat.in urinis uero , quæ sunt sanorum urinis quàm simillimæ,& satis bene ualere uenas ostendunt:quæ crudiores sunt , earundem imbecillitatem arguunt.quæ maxime contrarię urinis sanorum sunt,cum ipsæ ex omni parte crudæ sunt, tũ H uero magnam uenarum omnium imbecillitatem,infirmitatemq; significant.quęcunq; autem malitiam caussæ dominantis indicant, ut nigræ, eæ ad summum perniciosæ censentur . hæcq; tria genera signorũ propriam cuiusq; concoctionem indicant . ac uentris quidem inferioris concoctionem significant excrementa, secundum naturam prodeuntia:uenarum,urinæ:organorum uero respirationis solum,sputa. Ceterum habeas in memoria,Hippocratẽ in aphorismis accurate de urinis disseruisse:de ijs uero , quæ morbos acutos comitantur,in libro præsagiorum conscripsisse,nũquam autem usu uenit,ut signum cõcoctionis non boni quid significet.nam & sanguinis profluuia, & sudores , & parotides , & alij abscessus,si oportune fiant, prodesse solent:si importune,nihil iuuant.cum uero signum cõcoctionis adest,seruatum quidem iri hominem , sed non tamen prorsus iudicatum iri declarat . neque enim siue mutationem in morbo confertim factam , siue eam perturbationem , quæ illam antecessit , iudicationem intelligamus , signa concoctionis eruut necessario : cum illud exploratum habeamus , fieri posse , ut morbus longiore temporis spatio paulatim concoquatur , & ad perfectam solutionem ueniat. In febribus autem, quoniam uenosi generis affectus sunt , urinis præcipue mentem adhibebis . in morbo lateris , primum sputis , deinde urinis : quod lateris dolor febrim omnino iunctam habeat . in uentris affectionibus , si febris absit , sola alui excrementa inspicies , si febris adsit , etiam urinarum

habenda

habenda ratio est. Censet igitur hoc loco morbi constitutionem faciendam esse ex ijs, quæ excerni primum incipiant, ut ex urinis, si ita sors ferat, aut sputis, aut alui excrementis, aut uomitibus, aut sanguinis profluuijs e naribus, aut etiam ex hæmorrhoidibus. addit etiam collapsionem: hoc est, cum totius corporis moles concidit. ut uideas, utrum corpus conciderit, quod ei accidit, cum aliqua lassitudine uictum est, & facultates quasi exsolutæ sunt. quæ res & uehementiã, & malitiam morbi indicat: præsertim uero, si id in primis diebus contingat. Spectandum etiam est, an coloris natiui flos contabescat: aut magna sit eius facta mutatio: & an spiritus diminuatur: hoc enim ægroti imbecillitatem, & fere casum uirium significat. Alias autem uictus rationes uocat, quæ hæc consequuntur: hoc est, utrum facile toleret, an difficulter: utrum medico dicto audiens sit: utrum ea sumat, quæ ei offeruntur, eaque contineat. Adde uero & decubitum, & figuras, & somnos, & uigilias, & insomnia turbulenta: quæq; eiusmodi non sint: & item alia permulta, quæ ipse in libro præsagiorum memorauit.

8 *Vtrum uero, quæ decedunt, similia sint, nec ne, sciendum est: exitus, urinæ, quæ per uterum, sputa, quæ per nares, oculi, sudor, quæ ex tuberculis, ex uulneribus, ex pustulis, quæ sua sponte, quæ arte, spectanda sunt. quæ indicant, similia esse inter se omnia.*

B In eo libro, qui est de officina medici, non secus, quàm hic, censuit uidendum esse, utrum similia, an dissimilia sint. Si enim sint similia, mouere ea non oportebit. si dissimilia, conandum est, ut ad similitudinem adducantur. spectandum est igitur, utrum quæ decedunt, sint similia: quia ita intelligitur, secundum naturam esse omnia. Vel quod ait, similia, significat, omnia, quæ exeunt, unius esse generis: ac tunc ad aliud non esse traducenda: aut similia esse bene ualentibus. ipse enim plerisq; rationibus nobis ostẽdit quomodo communia a proprijs, & similia a dissimilibus discernamus. hæc enim triplex contemplatio, unum idemque potestate est: quæ inquam propria & communia contemplatur, quæque res, quæ cõ
11 feruntur similes ne inter se, an dissimiles sint, distinguit: & tertia, quæ quid in eis idem, quid alterum sit, uidet. interdum enim appellamus similia ea, quæ aliquid, quod idem sit, in se habeant. de quibus omnibus accurate dictum est a nobis in ijs libris, qui sunt de Hippocratis, Platonisque decretis: & in libro præsagiorum. Quibusdam placet, simile duobus dici modis, uno, cum simile intelligitur, quod nullo modo uariat, ut gemini Iouis filij dicuntur: altero, cum quid magis, aut minus ad aliud accedit. ueteres tamen confuse, & sine ulla distinctione uocabulum similium usurparunt. similitudines autem perspicere oportet, propterea quod dubitationes, & erroris caussas etiam præclaris medicis afferre solent. atque adeo, ut non modo uulgares medici, sed etiam præstantissimi in similitudinibus decipiantur. Ita-
C que si diligenter quispiam ægroti naturam, quam ab ortu nactus est, cognoscat: tum sciat, quam ob caussam nunc ægrotet, & ex multis sermonibus, quos ipse paulatim animaduerterit, euidentes similitudines, & quæ esse dissimilitudines uidentur, sit contemplatus; itemque alia, quæ necessaria esse, iam diximus, recte compererit, hic profecto curare optime poterit. quibus autem in rebus spectanda similitudo sit, ipse perspicue docuit. connumerauit enim exitus, id est, alui excrementa: itemque urinas, & quę in mulieribus per uterum excernuntur: tum sputa, eaque potius in lateris dolore, pulmonisque uitijs, &, uno uerbo, in ijs affectibus, qui in organis respirationis insederunt. tum quæ per nares euacuantur, quæ ex oculis exprimuntur, ut lachrymæ, & excrementum id, quod in angulis oculorum solet consistere: sudorem denique uel unius particulæ, uel corporis uniuersi. hæc enim omnia significare etiam concoctionem solent. nec minus id faciũt, quæ ex tuberculis, quæq; ex pustulis, & alijs tumoribus, qui præter naturam in corpore sunt, effluunt, & exeunt: ut etiam quæ ex uulneribus, ulceribusque emanant. In his autem omnibus uidenda sunt, quæ sua sponte fiant, quæq; arte parentur: eaque comparanda inter se, ac diligenter expendenda, ut an iudicationem faciant, uideamus deinde, utrum similia sint, an dissimilia: & utrum, omnia ne, an non, sed partim * * *

In altero lib. hæc insunt: similia, quibus æger leuetur, aut magis cõflictari uideat

D tunc enim ea pertinere ad iudicationem intelligemus. secus uero, non item. * * * hæcque in libris de crisibus sunt recte a nobis explicata: nec par est: ut nos breuitatis studiosi, eadem in hunc locum transferamus.

9 *Quæ prosunt, quæ nocent, quæ liberant: ut illa effugiens, auertat: hæc accersat, adducat, & asciscat.*

Hæc uerba coniuncte cum superioribus multi legunt, ut post illa, Quæ iudicant similia esse inter se omnia: statim addantur hæc, Et quæ prosunt, & quæ nocent, & c. Verum siue coniuncte, siue separatim legantur, nihil intererit. dat enim nobis hoc consilij, ut uideamus, quæ ex ijs, quæ abeunt, prosint, quæ noceant, quæque a morbo ægrotum liberent: ut illa uitemus, quæ nocent: hæc accersamus, quæ prosunt; ea denique admoueamus, & asciscamus, quæ liberent. in quam sententiam addit etiam hæc, quæ sequuntur.

10 *Et item alia eodem modo: ut in cute, extremis, hypochondrijs, articulis, oculis, ore, figuris, somnis, qualia indicent, & quando ea machinari oporteat, intelligamus.*

Vtrum cutis humida, an arida, an contenta, an laxa sit, considerandũ est: ut ipse in libro præsagiorũ in principio admonuit: ita etiã utrum extrema sint refrigerata, an calida, aut alio quouis modo affecta.

hypochondriorum est eadem ratio, ut uideas, utrum grauitas, an distentio, aut aliquis dolor in eis sentiatur. ipse enim dixit optimum hypochondrium esse, quod uacet dolore, molleque, & æquabile sit. ac partes quidem abdominis, quæ crassiores sunt, eæ etiam meliores censentur: quæ macilentæ, eæ etiam prauæ, & ut signa, & ut caussæ habentur. sunt enim signa imbecillitatis partium extenuatarum; caussæ uero, quod nec in uentre ciborum concoctio, nec in iecinore sanguis probe fiat. ad hoc accedit, ut harum partium extenuatio non sit ad infernas purgationes tuta. De flatu autem hypochondriorum multa sunt a nobis dicta: siquidem est tertia quædam melancholiæ differentia, ad morbi comitialis similitudinem, cum a uentriculo originem ducit. hancque affectionem medici quidam hypochondriacum, flatuosumque morbum nominant. ac si prima symptomata circa uentriculum incipiāt, & ipsis adauctis melancholici affectus sequantur, profecto alui deiectionibus, uomitibus, proba concoctione, ructibusque leuabitur. symptomata autem sunt mœstitia, & metus. Præterea ex hypochondrijs febres quoque excitantur. quique absolute scripsit, febres ex hypochondrio malignas esse, neq; eas addidit distinctiones, quas in præsagijs Hippocrates scriptas reliquit, aperte mentitur: quemadmodum est a nobis demonstratum in ijs commentarijs, quos in prædictiones confecimus. quædam enim ipsarum malignæ, quædam mites sunt, ut in libris de locis affectis docuimus. Idem est de articulis, oculis, & ore intelligendum: propterea quod multa contingunt, quæ iudicationem futuram nunciant: ut in præsagijs, & libris de uulgaribus morbis didicimus. multa autem a natura non fiunt, quæ nos oportet machinari: ad quæ noscenda magnam adhibere diligentiam oportet: quando eadem etiam præclaros medicos, quique longissimo usu rerum periti, & in medicina ualde exercitati sint, fallere consueuerint. quando autem ea facienda sint, aut auertenda; docent ij libri, quos de crisibus nos conscripsimus.

*Præterea uero quinam tales abscessus fiant: qualia prosint cibis, potionibus, odoribus, aspectu, auditu, cogitatione, egestionibus, humoribus, calefactione, perfrictione, siccitatibus, humectando, siccando, unctionibus, illitionibus, cataplasmatis, emplastris, inspersionibus, tum uero epithematis, quæ superdantur. Figuræ item spectandæ, destrictio, curatio, labor, otium, somnus, uigilia. Spiritibus superne, inferne, communibus, proprijs, artificiosis: in accessionibus neque præsentibus, neque futuris, neque pedum frigore: sed in morbo, qui deorsum inclinet, adhibenda mens est.* 11

Fiunt morborum uicissitudines ad perniciem, & ad iudicationem tum pro morborum, tum uero pro locorum affectorum differentia. nam quæ in morbos leuiores, partesque ignobiliores fit, ea est salutaris: quæ in grauiores morbos, ac loca præstantiora, perniciosa est. eadem est abscessuum ratio: qui per effluxum fiunt, meliores sunt: qui per decubitum, minus commodi censentur. atque ex eis, qui longius ab affecto loco, & in partes ægroti ignobiliores fiunt, boni sunt: horum contrarij, mali. quam ob rem si magna sanguinis copia quouis modo excreta sit, in spe salutis esse nos decet: atque æger per abscessum, & per commutationem incolumis euadet. differunt enim hæc inter se, quod abscessus iudicationem afferat, ægrotumque omnibus liberet molestijs: commutatio uero aliarum accessionum, laborumque principium habeat: ut locus is corporis, in quem noxiorum humorum est facta commigratio, aliud etiam tempus ad concoctionem requirat. Cum autem magna sit crudorum humorum copia, tum fieri abscessus solent. qui si exigui sint, nihil plane iuuant: si magni, eos ferre natura non potest. Itaque eorum, quæ in uentre concoquuntur, excrementa per aluum deiecta cruditatem, concoctionemque sua forma indicant: eorum quæ in pectore, ac pulmone, quæ tussi excernuntur: eorum, quæ in cerebro, quæ per nares educuntur: eorum, quæ in uenis, quæ cum urinis effluunt. Ipse autem plerisque in locis censet maturationes esse spectandas. est autem perspicuum, omnia, quæ moderate calfaciunt, maturationes efficere, cuiusmodi sunt cibi, perfusiones, & cataplasmata. fricatio quoque modica, & balneum huius sunt generis. ac nunc etiam mandat, ut abscessus contemplemur. quocirca si ad uentrem excrementa uergant, eis adiumento esse debebimus usu clysterum, in quibus sit uis materiem illuc attrahendi: & item usu eorum, quæ in tota uictus ratione ad id ipsum accommodata censeantur. si ad renes ferantur, usu eorum, quibus urina cieatur. si ad colon, acribus illud medicamentis erit calfaciendum. qua in re illud non est ignorandum, cruda, & incocta ad malos conuerti abscessus. quod in caussa fuit, ut præcedenti oratione dixerit, Qualia iudicent: in hac uero scripserit, Qualia prosint: propterea quod quæ prosunt, eæ iudicationem afferre, & soluere morbum possunt: at quæ nocent, eæ neque criticæ sunt, neque morbum propellunt. Deinde uero modos adhibet, quibus abscessus fiant, & ad bonum, & ad malum terminentur. Præterea docet, neque in ipsis accessionibus, dum adsunt, neque si mox futuræ sint, prodesse abscessus, si tunc fiant: sed neque etiam in pedum frigore: uerum cum morbus deorsum inclinat. in illo enim *

Desunt

A *Desunt multa: desiderantur enim in libro antiquissimo duæ pagellæ: & in altero tres sunt albæ relictæ.*

* Vt in libris, qui sunt de methodo medendi, exposuimus. nec minus etiam in libris de crisibus hæc sumus persequuti. Sed hæc ad aliquod memoriæ lumen afferendum dicta sint nobis. tantam enim, talemq; afferunt utilitatem, ut neque me bis eadem scribere, neque eum, qui cupiditate, studioque doctrinæ trahatur, legere iterum, pigere ullo modo debeat.

12 *In accessionibus per circuitum repetentibus cibi dandi non sunt. neque cogere oportet, sed ante indicationes, detrahere de ijs, quæ offeruntur.*

Agit hoc loco de ratione uictus ægrotorum: quam rem ipse in libris de ratione uictus in morbis acutis plane docuit: ac nos in commentarijs in illos libros editis quicquid ad eam rem pertineat, cumulate præstitimus. Loquitur autem de longis, acutisque morbis: atque in acutis quidem, quorum status & iudicatio intra primum quaternionem futura sit, modo uires robustæ sint, ægrum in perpetua inedia B continebimus: (exploratum enim habemus, in singulis morbis totam uictus rationis formam duobus e scopis duci, tum ex futuro totius morbi statu, tum ex uiribus ægroti) in quibus uero indicatio primã hebdomadã non sit superatura, si uires sint ualidæ, sola aqua mulsa uti sufficiet. Si uero non iam satis uiribus ægroti confidamus, ptissanæ cremorem offeremus. atque ut quispiam accommodate possit singillatim cibos dare, in hac ẽt oratione declarat, cũ monet, cauendum esse, ne quid in exacerbationibus demus: ut cum neque iam adsunt exacerbationes, neque iamiam sunt futuræ, cibum præbeamus: sed cũ declinant, ac desinunt. Ceterum quonam potissimum modo futurum morbi statum prænoscas, in quo iudicatio fit, in primo de crisibus libro dictum est. nunc uero id solum dicere conuenit, a morbis ipsis declaratum iri, & quam inter se proportionem seruaturæ sint accessiones, & quæ sit ipsorum conditio, ut inter febres intermittentes, tertianam habere celerem iudicationem; quotidianam uero, longam: quartanam, longiorem. inter continuas, ardentem esse acutam: fumantes uero cum humoris succensi copia, diuturniores: medias inter has esse semitertianas. quomodo autem has febres omnes in prima cognoscere inuasione quispiam possit, nos in secundo de crisibus copiosissime docuimus. non est autẽ oportunum, ut quæ iam alijs in locis recte diximus, huc transferamus: & de eadem re loqui in plerisq; locis sæpe conemur. quocirca ad sententiam nobis propositam redeamus. Itaque uictus ratio ad tria C capita potissimum redigitur: ut quanta, ut qualia, ut quomodo des, intelligas. quantum uero sit dandũ, alibi est declaratum, ut in libris de ratione uictus in morbis acutis, & item in aphorismis; ut cum ait,
« Qui augentur, plurimum natiui caloris habent: itaque plurimi alimenti indigent. itemque in illo loco, Ventres hieme, & uere sunt natura calidissimi, & somni longissimi: quam ob rem his temporibus plura
« quoque alimenta danda sunt. de qualitate autem disseruit in eo aphorismo, cuius initium est, Humidæ
« diætæ omnes febricitantibus prosunt. denique uero de modo egit in illo, Quibus semel, aut iterum, aut plura, aut pauciora, & particulatim: dandum uero est etiam aliquid tempori, regioni, ætati, & consuetudini. tum in eo, qui hunc aphorismum deinceps excipit, & item in alio, quem esse eundem cum eo,
« qui nũc est in manibus, affirmamus: nisi quod in uno, aut duobus uerbis differt. Sic enim se habet: Qui per circuitus exacerbantur, nihil dare, nec cogere, sed detrahere de his, quæ offeruntur, ante iudicationes oportet. In morbis autem, qui ordine quodam inuadunt, ex ipsis exacerbationibus, quo præcipue tempore dare cibum conueniat, cognoscere poterimus. at si accessiones quidem fiant, non tamen statis circuitibus, neque ordine seruato, in ijs uix, aut ne uix quidem uerum & accommodatum cibi offerendi tempus inueniri potest. in ijs uero, quæ per circuitum redeunt, ordinemque seruant, uitare oportet, ut diximus, ne in principio demus. quo, ne, sicut in oratione superiore ipse censuit, iam præsente, D neue mox futura accessione ægrum alamus. Dixit autem ante iudicationes: si futuram esse iudicationem suspicemur. Vel potest etiam intelligi perinde, ac si dixisset, ante statum: siquidem iudicationes in statu morbi fieri solent: quod in libris de crisibus demonstratum est. erit igitur accommodatum & tutum, ægros in morbi declinatione alere.

13 *Quæ iudicantur, indicataque [illegible] sunt, nec mouere, nec quicquam nouare sine medicamentis, siue alijs irritamentis: sed omittere oportet.*

« Est ab Hippocrate hæc pronunciata sententia, Incipientibus morbis, siquid mouendum uidetur, moue: uigentibus uero, præstat quiescere: propterea quod omnia symptomata circa principia & fines imbecilliora sunt: circa statum, ualentiora: ac circa statum iudicatio fere fit. unde planum est, nihil mouendum, nihilque innouandum. si enim in iudicatione quædam fit turbatio, magnaque concertatio esse solet, certe sequitur, ut natura labore conflictata neque remedia, neque medicamenta, neque irritamenta ferre queat. Itaque cum sit iudicatio, totum negotium est naturæ committendum, ut ne tu, quidpiã molitus, magis prægraues, aut ad immoderatam euacuationem irrites, atque ita ægroto mortem afferas. Cum igitur tibi sit propositum, medicamentum dare, quod aluum subducat, caue, ne id facias in morbi exacerbationibus, atque inuasionibus, & diebus ijs, in quibus fieri iudicationes solent. uis enim medicamenti corrũpitur, quod forte humores sursum uergant, & contra, quàm ut fieri euacuationem opor-

oporteat. Si uero necessitas urgeat,ut uacuare cogaris in exacerbatione,tum scito,per superiores par- E
tes esse euacuandum,ut per sanguinis profluuium,aut uomitum,aut quid huiusmodi. cum uero exacer
batio desierit,tum per inferiora euacuabis,ut per urinam,aut per sedem,& eiusmodi loca,quemadmo-
dum esse accommodatius uidebitur. Idem esse post iudicationem faciendum monet:præsertim si mor
bus iudicatus sit ἀπαρτὶ, hoc est perfecte:in quam significationem usus eodem aduerbio est Hippocra-
tes in secundo de ratione uictus in morbis acutis. Sed quod hic ait ἀπαρτὶ, in aphorismis dixit ἀρτίως,
hoc est nuper. Significat enim perfecte, ut dixi,& integre,& non diminute,& absolute. Quare si perfe
cta iudicatio sit facta,aut fiat,iubet,ut totum negotiũ naturę permittamus,ac nos nihil noui moliamur.
Si uero non integre,sed diminute fiat iudicatio,monet,ut quod restat,nos faciamus. Etenim si in apho
rismis pro uerbo ἀρτίως hoc est nuper,scriptum esset ἀπαρτὶ aut integre,& perfecte,certe nullus scrupu
lus iniectus esset in animis interpretum de uerbi ἀρτίως significatione cõtrouersantibus. Quidam enim
uolunt ἀρτίως significare in diebus ἀρτίοις hoc est paribus:quod minime uerum est, quemadmodum eo
ipso in loco a nobis explicatur.

*Iudicantia in melius, non statim appareant.* 14

Quod ait statim,significat hoc loco idem,quod in principio. morbi porrò principium intelligo to-
tum illud tempus, in quo nondum sunt signa concoctionis. hac autem de significatione dictum est a F
nobis alio in loco.cum enim morborum tempora diuideremus,morbos ipsos ex principio, incremen
tò,statu,declinationeque constare affirmauimus. sed iudicari in principio nullus potest: hacque de re
in libris de crisibus est a nobis abunde cõscriptum. quare quicquid ad hanc rem pertinet,ex illis libris;
qui uelit,perdiscat. ego enim totam illam disputationem,utpote quæ longior sit,quàm ut eã nunc per
sequar,huc transferre nequaquam uolo: sed hoc solum memorabo:postquam natura ad excretionem
impellitur,perturbationem quandam notabilem in corpore excitari,quæ caussam afferat,ut multa sym
ptomata cum manifestissimis concoctionis signis appareant. sed caue,ne signa concoctionis te fallant,
quod ea esse iudicationis signa putes:propterea quod quæ iudicationis sunt,non statim,hoc est,non in
morbi principio apparent. nec sunt eædem iudicationis,& concoctionis notæ. neque enim usu uenit,
quin illæ omnino uel bonam,uel malam iudicationem faciant. at signa concoctionis salutem quidem
hominis ostendunt: non tamen per iudicationem omnino seruatum iri ægrotum declarant: propterea
quod possit morbus longiore tractu temporis paulatim concoctus ad perfectam solutionem deuenire.
ceterum quomodo symptomata iudicationis a signis concoctionis differant,in primo de crisibus ape-
ruimus; quo in loco perfectæ & non perfectæ concoctionis signa declarauimus. etenim & perfectam
esse concoctionem docui,cum in urinis subsidet quid album,lene,æquale,& continuum: nõ perfectam G
uero, cum urina ex aquosa modice subpallida sit facta. ac signa quidem concoctionis nunquam male
apparent: iudicationis uero,quandoque male apparent. eaque non in principijs,non in incrementis,
sed in statibus debent apparere. quare neq; sudores, (sæpe.n. iteranda sunt ea,ex quibus summus ferri
fructus potest) neq; uomitus, neq; alui excrementa, neque parotides,neque sanguinis profluuia, quæ
in principio,statimque apparuerint,morbum unquam iudicarunt. atque ab his quidem,uelut a caussis
expelli morbos homines credunt. pro signis uero,quibus hæc indicentur,putant dementias,graues so
pores,dolores,lachrymas,respirandi difficultates,aliaque huius generis permulta:quæ si absque signis
coctionis appareant,notæ pessimarum affectionum censentur. Verum hæc omnia,& quæ tanquã cau-
sæ,& quæ tanquam signa iudicationis sunt,ne statim,hoc est in primo tempore morbi,appareant. si.n.
tunc apparebunt, profecto non boni quid,sed mali indicabunt. at quæ concoctionem significant,etiã
si in prima primæ accessionis hora appareant, certe ea erunt,æqui,& boni consulenda.

*Concocta medicari,& mouere non cruda oportet:neque in principijs,nisi turgeant:multa autem non turgent.* 15

Expositis ijs signis, quæ concoctionem,iudicationemque futuram indicant,de medicamentis pro-
pinandis deinceps differit. ac nos optimus medicus docet, usum medicamentorum esse ad concoctos
humores commodatum: ad crudos non item:nisi turgere eos sentiamus. ac uerbum quidem turgendi H
proprie dici de animantibus solet,quæ ad rerum uenerearum usum impelluntur. nunc uero est ad eos
translatum morbos,qui properant,celeriterque mouentur:præcipue autem cum sensus ægroti homi-
nis ab inordinata humorum spiritus, agitationeq; quodã modo irritatur. quo sane casu tantummodo
quispiam in principio medicamentis conuenienter rationi,& accommodate utetur: quippe qui motũ
humorum, ac succorum in corpore redundantium ad facilius attrahendum adiuuantem habeat. quod
ea,quæ ex toto incocta sunt,stabilia,infixaque sint,ideoque uix,& difficulter trahi a medicamentis pur
gantibus queant. cumque prædixisset,concocta medicari oportet,intulit,non cruda:neque in princi-
pijs:ut,cum principium est,crudum,& incoctum morbum plerunque esse,declararet. cum enim in cor
pore sanguinis probi exigua sit copia,& crudi humores sint admodum multi, tum nec uenam secare,
nec purgare,nec exercere hominem oportet. immo uero neque mouere penitus,neque lauare conue
nit. Siquidem uenæ sectiones probum sanguinem euacuant: & prauum,qui in primis potissimum ue-
nis,quæ in iecore,& lactibus sunt,colligitur,in totum corpus attrahunt. purgatio uero in ijs, & tormi
na,& morsus creat,itemque animi defectiones. adde quod nec quicquam notabile educit; quod cru-
di omnes humores,pigri,& ad motum inepti propter crassitudinem,frigiditatemq; sint:omnesq; uias
angustas obstruant:per quas id,quod purgando euacuatur,comportari ad uentrem oporteat. ex quo
fit,

A ſit,ut neque ipſi educantur,& alios,ne euacuentur,impediant. quocirca ita affectis eſculenta,pocula ta,ac medicamenta danda ſunt,quę ſine inſigni caliditate,craſſitudinem humorum extenuent,incidant, atque conficiant. quanquam ſi quis abſceſſu urgeatur,qui ab humore balioſo, aut melancholico, aut etiam pituitoſo exortus ſit,uitare debet,ne humorem medicamento purgante diminuat. itemque cum anni tempus admodum calidum ſit,abſceſſusq; coſtas obſideat,qui ex ſanguine conſtet,isque humor, qui exuperat in corpore,ſit bilioſus,tunc omnino cauendum eſt. humor enim ſanguineus in bilim uertitur. id quod cognoſcitur ex eo,quod ægrotus poſt ſanguinis ſputum reijcere bilioſum ſputũ ſoleat. hoc idem faciei rubor interdum indicat: ſicut alia quoque multa ſignificant. ceterum in crudis, omnino abſtinendum a purgatione eſt. Recte igitur cenſet Hippocrates, medicari oportere concocta, & non cruda,neque in principijs,niſi turgeant:hoc eſt,niſi motus ad excretionem ipſa concitet:neque ad unam partem adhuc ullam firmam inclinationem ac ſtationem habeat:ſed humores ita cõtineat,ut moucantur,ferantur,& fluant. Ceterum de hac ſententia in primo aphoriſmorum libro,ſicut etiam de ea, quę deinceps ſequitur,agetur:quamuis in quibuſdam exemplaribus aphoriſmorum non reperiatur. De ea uero,quæ ſequitur,iam ſupra locuti ſumus: ea autem eſt huiuſmodi.

16 B *Quæ ducere oportet,quo maxime uergant,locis oportunis ducito.*

In primo commentario,cum de locis ad euacuationem peragendam accommodatis loqueremur, inteſtina,ueſicam,uterum,cutim uniuerſam,ſtomachum,palatum, naresque memorauimus. cum igitur humores deorſum uergunt,ſi ad inteſtina tendant,tunc euacuatio erit per ſedem facienda. cum uero ad ueſicam uergant, tum per ea,quibus urina prouocatur:ut in menſtruis mulierum purgationibus, per uterum euacuandum eſt; per ſudorem,ſi ad cutim repant:& per uomitũ,ſi ſurſum ferantur:ac tunc quidem per ſtomachum:ut cum cerebrum expurgamus,per palatum,ac per nares in ſanguinis profluuio. Illud autem ſciendum eſt,nunc nobis hoc conſilij dari,ducenda ea,quæ neque iudicantur,neque nuper iudicata ſunt:quæ quidem eo ducenda ſunt, quo natura uergit:ac uidendum eſſe diligenter, ne inclinatio humorum noxiorum in loca minus oportuna fiat:quo ſane tempore tantum abeſt, ut educere,& naturam adiuuare debeamus,ut etiam prohibere,ac reuellere humores oporteat.

17 *Quæ uacuantur, multitudine metienda non ſunt. Sed quandiu prodeant, qualia oportet. & æger facile ferat. Vbi uero opus eſt,ibi & debilitare,& animi defectionem inducere,donec id effeceris,cuius cauſſa hoc fit; interim uero alio uertere, aut ſiccare,aut humectare,aut reuellere,ſi ſufficere æger poſſit.*

C In omni genere euacuationum,ut iam ante monuimus,iudicandi ratio ducitur a tolerandi facilitate. Si enim magna uis atque copia euacuetur,& tamen ægrotus ſe leuari non perſentiſcit,neque facile fert; plane conſtat,neque quod noxium eſt,neque quod redundat,ſed quod naturæ accommodatum eſt,euacuari,ac uires diſſolui. quocirca conſulit,ne copiæ eorum,quæ euacuantur,animũ adhibeamus, ſed ijs ipſis,quæ excernuntur,utrum qualia oportet,excernantur:& tolerandi facilitatem attendamus: idque eſſe obſeruandum,ſiue natura corpus expurget, ſiue nos medicamentum purgans demus,ac moleſti humores euacuẽtur. Vbi uero debilitare,& ad animi defectionem uſque euacuare opus eſt, id faciendum erit uſque,dum id ſis conſecutus,quod uoles. quo ſane tempore tibi licebit,aut alio uertere, aut ſiccare,aut humectare,aut reuellere,donec æger ſufficiat. Quoniam autem multis modis animi defectio fieri ſolet,ſciro nunc intelligi defectionem eam oportere,quæ ex magna euacuatione fit. Cuius in febribus continentibus uſus eſt maximus:ut in methodo medendi demonſtrauimus:itemque in maximis inflammationibus,& doloribus uehementiſſimis. adhibenda tamen diſtinctio eſt,utrum hoc uenæ ſectione,an purgatione faciẽdum eſſe uideatur. habes autem diſtinctiones in libro de uenæ ſectione perſpicue explicatas. Iam uero in ea laſſitudine,quam inflammationis ſpeciem præferre dicimus, niſi quis detractione ſanguinis,malo prius occurrat,uehementiſſima febris ſtatim,accendetur. nam &

D ſanguis in huiuſmodi laſſitudinibus calidiſſimus eſt,& omnes fere,qui in eam inciderunt, copioſiſſimã eius euacuationem poſtulant. & quamuis etiam ſanguis mittatur,tamen plerique eorum in febrim incidunt. quocirca non conuenit, parum eius detrahere,ſed & celeriter mittendus eſt,& ad animi defectionem uſque educendus: ſiquidem nihil aliud impediat. Si uero bis eodem die detrahere ſanguinẽ uelis,primum ita euacuabis,ut ne animi defectionem inducas:ſecundo loco uero nihil eſt,quod animi defectionem afferre uerearis. at ſi prima euacuatione ægrotus exoluatur, ſecundam euacuationẽ ferre nullo modo poterit. De ardentiſſima autem febri nihil eſt, cur longiore oratione nunc diſſeram: quando in nono methodi medendi,nullum inueniri maius,aut præſentius remedium, quàm euacuationem uſque ad animi defectionem poſſe, demonſtrauimus. quod idem in uehementiſſimis doloribus eſt intelligendum. ſemper tamẽ habenda ratio eſt uirium ægrotantis,quod ipſe ſignificauit, cum dixit, ſi ſufficere æger poſſit:ut iam duæ notæ ſint,facilitas nimirum tolerandi,& uires ægrotantis. ac ſi alteru tra ipſarum non adſit,id neutiquam erit faciendum.

18 *Ex his facito coniecturam: ſicca quidem erunt calida; humida uero, frigida: quæ uero aluum mouent, plerunque contraria.*

Hæc inquit erunt propriæ notæ argumenta,ex quibus noſſe poteris,utrum ægrotus ſufficiat,nec ne: & utrum

& utrum euacuatio usque ad animi defectionem fiat. nam quæ prius fuisse ficciora sentiebas, nunc cali- E
da: quæ humida erant, nunc frigida esse uidebis, quæ uero aluum subducunt, erunt contraria. id tamen non semper, sed plerunque ita comperies. uocat autem * * quibus aluus subducitur. propterea quod nisi cõtraria sint, natura eadem superabit. soluitur enim uenter inferior: ac multa, eaque uaria expellit. * * * alui enim excrementorum mutationes, quæ multas humorum formas euacuant, corpus ipsum accuratius expurgant: nisi forte aut colliquationis, aut corruptelæ signa adiuncta habeant: de quibus ipse in præsagijs locutus est in illo loco, in quo fecit de pinguibus, deque fœtidis mentionem.

*Hæc diebus imparibus sursum fiunt: si & circuitus, & constitutio ex ipsis exacerbationibus talis fiat. plurima autem paribus diebus fiunt deorsum. Sic enim etiam quæ sua sponte eueniunt, prosunt: si circuitus in diebus paribus exacerbationes non faciant. in huiusmodi autem, in paribus sursum; in imparibus, deorsum. tales autem pauci sunt: & tales etiam constitutiones difficilius indicantur.* 19

Qui nostros de crisibus libros accurate perlegit, ei nihil opus est longiore oratione ad hæc, quibus de agitur, intelligenda. in illis enim quæ ad iudicationes, quæ ad earum uacuitates, quæ denique ad malas iudicationes pertinent, scripta sunt omnia. illud item docuimus, quæ paribus diebus exacerbantur, F
in paribus iudicari: quorum uero exacerbationes diebus imparibus fiunt, ea quoque in imparibus iudicari. adiunximus etiam, iudicationes in exacerbationibus fieri, propterea quod humores in illis uehementer moueantur, ac ueluti feruentes aut per sanguinis profluuium, aut per sudores, aut per uomitus, aut per secessum, aut per hæmorrhoides, aut per menstruas purgationes in mulieribus prorumpãt: & quod natura eo tempore ad illorum excretionem impellatur: & quod pressa pondere, & male affecta ad humores excernendos irritetur: & quod illis magis fusis, noxia promptius expellantur, facilius que fiat iudicatio. proinde dictum est, mutationem quattuor modis effici, ad salutem, ad mortem, ad inclinationem in melius, ad eandem in peius ruentem. itemque, iudicationem, quæ per euacuationem fit, meliorem esse ea, quæ per abscessum contingat: tum quæ noxium potius, quàm quæ alium quemuis humorem euacuet: tertio eam, quæ directo, & ex eadem parte, quàm quæ secus. ipse autem, quod nos per rectitudinem dicimus, appellat directo: præterea uero, eam quæ cum tolerandi facilitate; & cum coctione, & die critico fiat. Siquidem hæc omnia habere perfectam iudicationem oportet. Ne sis tamen nescius, in febribus omnibus non simili modo dies numerari: nam quod in continuis unus dies potest, id ipsum facit in intermittentibus accessio: & iudicationes pro accessionum numeratione fiunt: ac nos etiam obseruauimus, in tertianis, & quartanis iudicationes fieri non ad dierum, sed ad circuituum G
numerum. id quod uerum esse, ipsemet attestatur, ubi, tertianam puram septem circuitibus iudicari, affirmauit. septima enim a principio accessio in decimumtertiũ diem incidit: in quo sæpe iudicatur, nec in quartumdecimum, qui criticus est, extenditur. Quemadmodum autem acutorum morborum ipse dies quartusdecimus est terminus: & peracutorum septimus: sic in intermittentibus tertiana febris septimo circuitu terminatur. quocirca si iudicatio in diebus imparibus accidat, per superiores partes fiet: si modo & circuitus, & morbi constitutio in ordine accessionum talis fuerit. Si uero in paribus, per inferiores fiet. porrò censet, eorum, quæ sponte eueniunt, eandem esse rationem oportere. eaque prodesse, si accessiones paribus diebus ex circuitibus fiant: propterea quod in eiusmodi contrarium usu ueniet: siquidem in paribus, sursum: in imparibus uero deorsum. addit tamen paucas constitutiones inueniri tales: &, quæ huiusmodi sunt, eas esse ad iudicandum difficiliores. cuius rei caussam nos in libris de diebus criticis exposuimus.

*Quin etiam quæ tempore sunt progressa longius, ita fiant necesse est, ut ad decimumtertium, decimumque quartum diẽ pertineant. ac decimo quidem tertio, deorsum: decimoquarto uero, sursum. sic enim ad iudicationem confert: & quæ ad uigesimum: prater ea, quæ deorsum feruntur.* 20

H

Quemadmodum iam diximus, tum in libris de crisibus, tum in ijs, qui sunt de criticis diebus, ea omnia, quæ ad hanc tractationem pertinent, explicauimus. proinde hoc loco solum memorabo capita eorum, quæ in illis sunt conscripta commentarijs. Iudicatio igitur est repentina in morbo commutatio. ea quattuor fit modis. nam uel est subita morborum liberatio, uel magnam mutationem in meliorem statum; uel mortem repente affert: uel facit, ut ægrotus sit multo peiore in statu. Iudicatio omnis cum aliqua manifesta euacuatione, uel abscessu fit, ut paulo post dicetur. Criticos porrò dies appellamus, in quibus huiusmodi mutationes & fideles, & plurimæ fieri solent: cum in alijs diebus neque fideles, neque frequentes contingant. Hippocrates autem omnium bonorum inuentor, hosce dies indicauit: & septimum dierũm criticorum circuitum esse ualentiorem reliquis dixit: & ab eo secundum potestate esse quaternarium, quod septimum diuidat in partes duas: & quod iudicationes per circuitus septenarios futuræ a quaternarijs indicentur. quartus enim est septimi index: undecimus quartidecimi. hos uero dies ipse indices uocat. Hebdomadas uero sic numerari censet oportere: ut duæ priores inter se uicinæ per disiunctionem: tertia, quæ has sequitur, per connexionem numeretur: ut prior in unum diem desinat, & ab alio incipiat secunda: tum uero tertia ab eodem incipiat, in quem secunda desierat: quod in caussa est, ut uigesimus dies sit tertiæ hebdomadis ultimus. quod etiam esse uerũ comperiemus:

A periemus: quandoquidem uigesimus & plurima, & firmiter iudicare deprehéditur. quam ob rem Hip
pocrates diem quadragesimum, non quadragesimum secundum esse criticum statuit. ita etiam sexage
simum, & octogesimum: non sexagesimumtertium, neque quartum octogesimum. In morbis autem
acutis interciduntin criticos hi, tertius, quintus, & nonus; ac quandoque etiam sextus: malus nimirum
index, quod aliquando cum symptomatibus periculose iudicet. horum autem omnium exempla tibi
in libris de uulgaribus morbis poterunt supetere. sed eos ægrotos hoc loco describere, longum fue-
rit. ac tibi integrum est, eam sententiam, quæ in libro præsagiorum habetur, perlegere, cuius hoc est
« initium, Febres ijsdem numero diebus iudicantur, ex quibus homines tum seruantur, tum pereunt; &
« quæ sequuntur. Quinetiam in secundo aphorismorum multa sunt de criticis diebus monimentis con
signata litterarum: ex quibus plane constat, tertiam hebdomadā per coniunctionem cum secunda, nu
merari: & quartum diem septimi indicem statui: & septimum decimum uigesimi. tum explanari, qui
nam dies indices in uniuersum sint, quique contemplatione digni ab Hippocratē censeantur. Multa
quoque alia comperies, quæ ipse plerisque in libris conscripsit: quæ omnia in unum nos uolumen rede
gimus, quod de criticis diebus inscribitur. ac qui præsagire in posterum, quid futurum sit, accurate ue-
lit, is & hoc opus, & quod de crisibus est, perlegat, oportet. res enim huiusmodi tantum afferunt utili-
B tatis, ut cum ego hanc contemplationem apud Eudemum philosophum, qui tres quartanas habebat,
prædicens, monuissem fore, ut una earum, quæ certis diebus inuadebat, post tot circuitus primum seda
retur: cumque hæc depulsa esset, altera certo die discederet: similique modo de tertia prædixissem; hæc
ex arte diuinandi, non ex medica cognitione a me pronunciari contenderent. ac nos non modo in il
lo homine, sed etiam, quod Deo approbante dictum sit, in nulla unquam prędictione offendimus. Quę
cum ita se habeant, propositum nobis est explicare, quæ nam in hoc libro Hippocrates conscripserit.
Igitur quæ ante tempus iudicationis prodeunt, hoc modo fiant necesse est, ut in decimotertio die per
inferiores partes ducantur: in quartodecimo uero, per superiores. id quod ad iudicationem pertinet,
& ad ipsam est utile, & accommodatum. Simili quoque modo quæ die uigesimo fiunt, præter ea, quæ
deorsum feruntur. dictum enim est, uigesimum criticum esse. quæ autem inferius uergunt, ea per in-
feriora adducenda sunt, ut ipse monuit. sed iam ad ea, quæ deinceps sequuntur, quæ ipsa quoque ad iu
dicationem faciunt, transeamus.

21 *Multa autem purganda sunt: eaque non prope indicationem, sed longius. raro autem in acutis multa ducenda sunt: in delassatis uero, totum.*

C Iudicatio, ut dictum est, cum certamine notabilique perturbatione plerunque fit. perturbationis
autem uiolentia, naturam; ea quæ infesta sunt, etiam ante tempus cogit extrudere. est enim uirtus ipsa,
qua aliena expelluntur. ac tempus id agendi est post finem eius, quæ res alterat, facultatis. tunc enim
obit functionem suam, omniaque secundum naturam absoluta sunt, cum illa ab actione desistit. uerum
cogitur interdum ea, quæ molesta sunt, ante perfectam coctionem amoliri: sicut etiam interdum con-
coctione iam absoluta, moratur, & præ imbecillitate lente ad munus obeundum progreditur. Facultas
igitur, quæ aliena expellit, ea est, quæ iudicationes in morbis facit. proinde, cum omnia ea, quæ in ani
mante sunt, iam concocta sint, tunc optimæ iudicationes fiunt. prius autem expelli, ac iudicationem
præuenire, malum est: propterea quod cum ijs, quæ noxia sunt, etiam utilia excernantur. id quod fieri
solet, cum natura uel a medico, uel ab ijs, quæ corpore continentur, irritetur. quanquam non medicus
solum afferre caussam erroris possit, si quid minus recte fecerit; sed etiam ægrotus, & ministri, & alia,
quæ proprie externa nominantur: ut in ipso corpore offendunt morbi, causæ, & accessiones. ac si acces-
sio sit, quæ naturam stimulet, nullam quietem, nullamque morā concedit; sed excitat, mouetq;, & tan-
quam ad pugnam prouocat. quemadmodum igitur natura pressa magna ui excrementorum, & humo
rum infestantium cogitur sæpenumero eos extrudere; idque malum est, si id antequam concocti humo
D res sint, & ante tempus iudicationis faciat; ita nostrum erratum iudicandum est, si idem prope iudica-
tionem fecerimus. quocirca expectandum est, ut longius a iudicatione id fiat: ut si natura nihil tunc fe
cerit, nos faciamus: quod non bonum sit, si prius expurges. Quod autem addit, Raro autem in acutis
multa ducenda sunt, recte censuit. est enim explicata sententia, in morbis acutis solum in principijs in
terdum utiliter adhiberi purgationem posse: sicut in longis morbis semper est expectanda maturatio:
in acutis uero etiam in principio medicamento purgante uti possumus, si turgeant. idque erit magna
animaduersione faciendum: siquidem non mediocre periculum impendet, si quis in morbo acuto ma-
le medicetur. debet enim medicus hoc attendere, ut æger maiorem fructum ex noxiorum humorum
euacuatione ferat, quàm noxam: qua corpora a medicamentis purgantibus necessario afficiuntur. erit
autem maior utilitas, si omnis humor molestus cum tolerandi facilitate, ac sine molestia euacuetur.
cum uero morbus non modo acutus sit, sed etiam uehementissimam febrim adiunctam habeat; tunc
multo magis, ne purgans medicamentum demus, uitandum erit: ac potius per uenæ sectionem faciē-
da euacuatio: ex qua minor quidem existet, quàm ex purgatione, utilitas: multo tamen sit futura secu-
rior: cum maximum a purgatione periculum immineat, præsertim uero si quis naturam ægroti non co
gnitā habuerit. quidam enim ita natura comparati sunt, ut ægre purgentur: quidam uel exiguo epoto
medicamento copiose purgantur. at si hominis naturam ignores, periculum est, ne aut maior, quàm

par sit,fiat euacuatio: aut ne omnino purgatio moueatur:aut si moueatur,ut ne tamẽ quod satis sit, euacuetur. quæ omnia maximas in morbis acutis noxas afferunt. quæ res fecit,ut ipse in aphorismis hanc sententiam scriptam reliquerit:In acutis morbis raro,& in principijs purgante medicamento uti oportere. atque id considerate admodum faciendum. In delassatis uero totum ducendum est. quando uero id faciendum sit,attende,ut intelligas. cum sit duplex plenitudo,alteraque ad uires referatur, & ad corruptelam facile perueniat,atque etiam interdum partes quasdam petat, & in eis tumores præter naturam excitet; altera uero ad effusionem pertineat,quæ sæpe in partes irruit, & tumores præter naturam creat, ac morbos comitiales, uenarumque ruptiones efficit,conandum est,eam celeriter euacuare prius,quàm magnum aliquod in homine gignere malum incipiat. Sed quomodo utrunque dignoscere,ac curare affectum oporteat,in libris de tuenda sanitate copiosius explicauimus. quocirca de eadem re nunc scribere,superuacaneum existimo. igitur ad cõsequentem transibo orationem,quæ his fere uerbis continetur. E

*In febribus abscessus maxime in articulos,maxillasque fiunt, prope cuiusque dolores,magisque ad supernam partem, & in totum. Si uero morbus lentus fuerit,& deorsum repat,etiam abscessus inferne fient. maxime autem pedes calidi,inferne significant: frigidi uero superne.* 22 F

Abscessus inquit in febribus ad articulos,maxillasque fiunt maxime. idque accidit,quia propter colorem febris magna copia humorum sursum in caput tollitur,quam postea inde ruentem glandulæ maxillarum suscipiunt:quemadmodum usu uenit,cum e superioribus partibus in inguina,& alas quidpiã descendit. febres autem omnes,quæ ex lassitudine ortæ sunt,proprium quendam calorem habent in articulis excitatum. unde nihil mirabile fit,abscessus in articulos decumbere, quippe qui plus, quàm par sit, laborauerint, atque incaluerint. id quod illis potissimum contingit, quibus plenitudo morbi caussam attulit:ac magis,ut ipse ait,ad supernam partem,hoc est ad caput,propter eam caussam,quam attulimus. at si deorsum morbus uergat,tunc etiam abscessus in partes infernas descendunt. cuius rei signum ipse statuit pedum calorem,& frigus. nam si pedes calidi sint,abscessum in partibus infernis fore indicant. caussa est, quia humorum copia deorsum comportatur,locumque illum calore perfundit: si frigidi sint, in supernis abscessum futurum significant:quod eo tempore omnia sursum ad caput ferantur,extremaque, præsertim pedes, refrigerentur. Quomodo autem supernas,infernasque partes in corpore esse,debeamus intelligere,ipse in sexto de morbis uulgaribus declarauit, cum ait, An ea quoque,quæ infra iecur sunt,e supernis distributa sint:ibi enim iecur esse terminum omnium supernarum,infernarumque corporis partium statuit. conuexa e..m eius pars septo transuerso annexa est.itaque omnia,quæ supra iecur sita sunt,eadem etiam supra septum transuersum sunt collocata,ut cor, pulmo,pectus,collum,ac multo etiam magis,caput: cetera omnia infra in corpore esse uoluit. ceterum abscessus in partibus superioribus ut plurimum difficiliores sunt. caussa est,quia è partibus superioribus,cum eodem affectu conflictantur,maius periculum,quàm ab inferioribus,impendet. perspicuum enim est,si cor,aut pulmonem,aut cerebrum inflammatio obsideat,mortiferum morbum esse. at si partes infra iecur sitæ inflammatione tenentur,pauci admodum mori solent:nisi male eis adhibeatur curatio. idque ipse attestatur,cum ait, Si autem ea,quæ è superioribus partibus in articulos infra decubuerunt,infra umbilicum constiterint, bonum: si uero supra,non pariter morbum soluunt, nisi suppurauerint. eo enim in loco habemus,abscessus,qui in partes infra umbilicum decumbunt, bonos esse: qui supra,non bonos,atque malitiam ipsorum aliqua ex parte diminui, si tumores forte suppurauerint. qui porrò morbi iudicari per abscessum consueuerint,Hippocrates ipse in præsagijs conscripsit. G

*In ijs,qui ex morbis exurgunt, si statim manus ac pedes dolore conflictentur,in eis abscessus orientur.* 23

Qui ex morbo conualescunt,non admodum robustas uires habent:quocirca si in laboribus uersentur,ac multas,uehementesque motiones obeant, facile læduntur. ac maiorem etiam noxam sentiunt, si humores,morbum efficientes,non bene sint expurgati:& quædam fortasse reliquiæ adhuc adsint. Scimus enim quæ post iudicationem in morbis relinquuntur,recidiuas excitare consueuisse. Iraque cũ in eo statu aut manus,aut pedes laborarint,aut dolore conflictentur,illuc irruere abscessus scribit. Labor enim caussæ rationem obtinet: dolor,signi. ac non mirabile est,ut iam dixi, si maior caliditas in particula accenditur: eiusque imbecillitas augetur: & tanquam uia fit superuacaneis, ut abscessus gignatur. Hoc autem loco uidetur tria abscessuum tempora constituere: unum in morbis, de quo egit oratione superiore:alterum, dum ægroti conualescunt; de quo nunc disserit: tertium, quod morbos antecedit,de quo deinceps ad hunc modum loquitur. H

*Sed si qua pars ante morbum laborarit,ibi morbi sedes erit:ut accidit ijs, qui Perinthi tussi, anginaque laborarant. tusses enim,non secus quàm febres,abscessus excitant.* 24.

Si antequam quispiam in morbum incideret,aliqua corporis pars laborauerit,timendum erit,ne aliquis in eam abscessus fiat. in omnibus enim morbis,qui prius per excretionem non iudicantur, in ijs abscessus decumbere in eas partes solent, quæ prius laborarint. cum enim illæ sint imbecilliores, etiam magis,ac facilius humorum copiam excipiunt. Id quod in ijs potissimum morbis intelliges, in quibus

A quibus futuros abſceſſus ſuſpicabere . ipſe uero rem exemplis declarauit eorum,qui in Perinthia urbe
tuſſem,aut anginam paſſi erant:in quibus ueriſimile eſt abſceſſus aut in ceruice,aut in pulmone , aut ĕt
in pectore exortos eſſe : quando tuſſes abſceſſus tales faciant , quales etiam excitari a febribus ſolent.

25 *Simili quoque modo euenit uel ab humoribus,uel a corporis colliquatione,& item animi .*

Hæc quoque de abſceſſibus dicta uideri poſſunt:ut cenſeat,ipſos a copia etiam humorum, aut colli-
quatione corporis,& item animi exoriri . cum enim ſit humorum magna uis,ut non poſſit omnis excer
ni,tunc in particulam quandam imbecilliorem fixa innititur : cumque magna eſt humorum tenuitas,
& corporis raritas,tunc per eam perſpirationem,quæ ſenſum noſtrũ fugit,corpora celerrime euacuan-
tur:ut,niſi occurras,facile colliquentur . quod idem in colliquatione corporis uſu uenit . atque in ſebri
bus quidem uehementiſſimis colliquari ſæpe corpus,concidereque, & extenuari conſpeximus . idque
interdum plus,quàm par ſit,accidit,aut propter febris magnitudinem,aut propter morbi tempus, aut
propter ætatem,aut etiam regionem,aut anni tempus,aut aeris conſtitutionem,aut euacuationes,quæ
ſub ſenſum cadunt,aut uigilias,aut curas,aut inediam,aut immoderatos motus . nam & magnitudo, &
malitia ſebrium interdum graciles homines,extenuatosque uel in primis diebus reddit, quemadmo-
B dum eſt ab ipſo in libro præſagiorum de cadaueroſa facie conſcriptum. idem quoque morbi prolixitas
facit . ætas quoque tum puerorum,tum eorum,qui ultima ſunt ſenectute . ac in pueris propter humidi
tatem & caliditatem plurimum fluit,& corpus euacuatum extenuatur:in ijs uero,qui ſumma ſunt ſene
ctute,propter uirium imbecillitatem corpus collabitur . Iam uero ex anni partibus, & regionibus , &
aeris conſtitutionibus planum eſt calidiores ac ſicciores magis euacuare corpora : frigidiores ac humi
diores,ne cutis perſpiratione digeratur,& inaniatur,prohibere. Sed etiam ſequi macies corporis ſolet
ex ſanguinis eruptione,ſudoribus,urinis,uomitibus,& alui deiectione nimia : itemque ex inedia,uigi-
lijs,ſolicitudinibus . nec minus etiam ex delirio,cum ægroti aſſiduè exurgunt . Quæ uero colliquatio
proprie nominatur,plerunque fit,quod pinguedo,aut etiam tenera caro propter malignam febrim col
liquetur . quam ſane ex urinis potiſſimum cognoſces . ſunt enim illæ oleoſæ : eæque principium colli-
quationis ſignificant.cumque & in colore,& in conſiſtentia quid ueluti oleum ſit, tum affectionis indi
cat ſtatum . Verum ne huiuſmodi urinæ in fraudem te conijciant:propterea quod tales ferme excerni
ſolent,cũ renum pinguedo diſſoluitur . Sed diſtinctiones allatæ ſunt ab Hippocrate,cum diceret, Qui
" bus ſubſidentia pinguia ſunt , & confertim exeunt, in ijs renum affectiones indicant. cauſſa eſt,quia in
renibus celeriter fit excretio. at in pinguedine totius corporis,non celeriter,ſed tarde . De his autem,
C & de alijs omnibus,quæ acutis,malignisque morbis accidunt , Hippocrates in libro præſagiorum ac
curate diſſeruit : quocirca minime neceſſe eſt,pluribus ea uerbis perſequi .

26 *Intelligendum autem eſt,in quibus temporibus humores floreant:& quales in ſingulis morbos faciant: & quales in uno
quoque morbo affectiones pariant.*

Erat hoc in libro de humoribus propoſitum,noſſe humorum naturam,qui in humano inſunt corpo
re: & quo nam tempore quiſque dominetur,& quot , qualesque morbi ab humoribus gignantur: de-
nique non ignorare , quinam ſint modi morborum : quam nos rem in tertio horum commentariorum
explanabimus . nunc uero de humoribus, cum in principio omnia fere,quæ ad hanc rem pertinent, cõ
ſcripſerimus,pauca quædam afferemus . Anni tempora differunt inter ſe humiditate , caliditate,frigi-
ditate,ac ſiccitate:ut hiems humiditate,frigiditateque præſtet ceteris : æſtas caliditate,ac ſiccitate: uer
ſit accurate in medio utriuſque conſtitutum . autumni uero non eſt eadem ratio: ſed frigus mane uiget,
meridie magnus calor,ad ueſperam calor rurſus in frigus commutatur : in eo tamen ſiccum humido,
frigus calori dominatur:hæcque in anni temporibus fere comperies. In ſingulis uero temporibus pro
prius quidam humor exuperat,ut hieme,pituita ; uere,ſanguis:æſtate,bilis:autumno,acida bilis . Mor-
D bi autem frequentes in omnibus anni temporibus infeſti ſunt , ut uerno tempore qui a melancholia
oriuntur,itemque inſaniæ,morbi comitiales,ſanguinis profluuia,& alij permulti,quorũ ipſe & in apho
riſmis,& in libro de aere,aquis,& locis mentionem fecit : cuiuſmodi ſunt anginæ,grauedines,raucita-
tes,tuſſes,lepræ,impetigines,uitiligines,& ulceratæ puſtulæ quamplurimæ,& pani,& quæcunque ar-
ticulos attingunt . per æſtatem uero cum ex his quidem,tum uero alij morbi uigent , ut continuæ ſe-
bres,& ardentes,& tertianæ , eæque plurimæ : quartanæ item,& uomitus,& alui profluuia,& lippitudi
nes,& aurium dolores , & oris ulcerationes,& pudendorum corruptelæ,& ſudores : autumno autẽ &
multi æſtiui,& quartanæ ſebres,& erraticæ,& lienis morbi,& aqua inter cutem,& tabes,& leuitas in
teſtinorum,& eorundem difficultas,& coxendicis mala:itemque ſuſpiria,& uolulus,& alia permulta.
hieme lateris dolor,pulmonis inflammatio,grauedo,raucitas,tuſſis,dolor pectoris, coſtarum , lumbo
rum,& capitis: uertigines,& morbus attonitus . Ipſe uero addit etiam morbos,qui in cuiuſque ætate
exoriuntur : itemque eos,qui ex uictus ratione originem ducunt:& qui a regione,& uitæ inſtitutis ex-
citantur . Cenſet autem,ut quibus temporibus humores floreant , intelligamus:qua de re ipſe ita ſcri-
" ptum reliquit:Augetur inquit , in homine pituita hieme . tum cauſſam addit . eius enim inquit, natura
maxime omnium eorum,quæ inſunt in corpore,hiemi reſpondet . eſt enim frigidiſſima . De uere au-
" tem ſcribit hæc:Vere autem pituita adhuc ualens manet in corpore,& ſanguis augetur . hæc enim anni

pars

pars ei per naturam maxime respondet: siquidem humidus, calidusque est. Aestate ualidus adhuc san- B
guis est, & bilis in corpore sese extollit, & in autumnum pertinet. autumno exiguus sanguis gignitur,
propterea quod autumnus est ei natura contrarius. proinde fit, ut autumno paucissimum sanguinis in
homine gignatur. at bilis atra & copiosissima, & ualentissima autumno est. ac merito quidem humor
huiusmodi est exortus: siquidem humores aestate prius assari erant. assatorum autem reliquiae, cum pri-
mum extinctus calor est, frigidae, siccaeque redduntur: ac frigidae, quia extinctus calor est: siccae, quia dū
assarentur, humor uniuersus fit absumptus. Quod igitur ait, humores efflorescere, nihil aliud uidetur
significare, quàm hunc, uel illum humorē superare ceteros, uti diximus, ut pituitam hieme; sanguinem
uere: flauam, aut pallidam bilim aestate: melancholicum humorem autumno. De morbis autem qui
per anni tempora, ac partes oriuntur, in tertio commentario disseremus. Iam uero, illud etiam nō esse
nobis ignotum uult, ut quot in singulis morbis † affectus sint, plane sciamus. quod ut sit perspicuum, † πάθημα
scire conuenit, omnem corporis affectionem, quae de statu naturae deflexit, aut morbum esse, aut mor-
bi caussam censeri, aut symptoma, quod etiam † affectus nomine appellatur. morbus autem est sanita- † πάθος
ti contrarius: & ab utrisque affectus differt. quod enim cunque patitur quispiam, id affectus nomine
appellandum est: quam ob rem, ut ego quidem puto, factum est, ut sensuum alterationes appellentur af
fectus: ut in aspectu, quae a nigro, albo, flauo, ceterisque coloribus proficiscuntur: in tactu, quae a calo F
re, frigore, humiditate, duritie, mollitie, & alijs omnibus, quae sunt huius generis, accidunt: idem in ce-
teris sensibus intelligendum est. Voluptatem quoque affectum appellamus: & omnino omnem motū,
qui ab alio in alio excitetur. motus enim eius, qui facit, actio est: at eius, qui ab illo quodammodo affi-
citur, affectus. unde apparet, affectum tum, cum fit mutatio, alteratio, & motio, gigni. id uero iam nos
in libro de uocabulis medicis demonstrauimus. ac proprie quidem affectus nomine ueteres omnē mo
tum externum significant. qui uero iam ipso nomine abutuntur, eas etiam affectiones, quae ex affectu
sunt genitae, nec amplius sunt in motu, affectus nominant. affectio tamen neque diuturnior, neque so
lutu difficilior est, quàm habitus: & tamen affectum esse idem fere est, quod pati: & affectio ab affectu
differt motione. nam cum cessauit, quod alterabat, ea, quae in affecto permanet alteratio, est patientis
affectio. nomen uero affectionis inde est declinatum, quod modo quodam quis afficiatur: siquidem
omnia, quae in rerum natura sunt, siue sana sint, siue aegra, siue neutra, afficiantur.

*Tum uero corpus reliquum spectandum est, ad quem morbum maxime natura uergit: & quidnam lien intumescens fa-* 27
*cit. horum etiam quidpiam natura facit: ac colores ferme deteriores sunt, & corpora tument. & si quid aliud sit; te in*
*huiusmodi exerceas.* G

Quemadmodum initio dixi, color morbum plerunque indicat. ideo ne in morbis, & habitu natura
li fallamur, nobis consulit, ut quomodo totius corporis habitus natura se habeat, cognoscamus; in-
terdum enim colores deteriores sunt, quàm tu fortasse eos secundum naturam esse existimares: ac tunc
etiam non bene ualere hominem suspicabere. quocirca corporis habitum nosse oportet, ut quam in
partem morbi effectrix natura repat, non ignores. plerique enim in morbum regium cadunt, quod ma
le affectum iecur sit: interdum uero etiam secundum naturam tales sunt: propterea quod in prima con-
formatione male affecti sint. quod esse tibi planum debet, ne decipiaris, & eos aegrotare tum, cum non
aegrotant, existimes. atque eo quidem tempore aegrotis auxiliari conuenit ijs coloribus, qui sint ipso-
rum colori persimiles. contra uero faciendum est in ijs, qui sanguinem conspuunt. ruber enim color
prouocare sanguinem uidetur: siquidem humor omnis similibus admotis expurgatur: ut adhibitis con
trarijs, intra corpus pelli consueuit. Ceterum quomodo scire, ac dignoscere naturalem habitum opor
teat, ipse unius appositione exempli declarauit: ut quidnam inquit, Lien intumescens facit. quemad-
modum enim multiplices tumores ex liene male affecto oriuntur, ita etiam facere ipse habitus potest:
cuiusmodi sunt uitia coloris, corporis euacuationes, ac reliqua genera affectionum, in quibus esse exer
citatum medicum oportet. Multi autem praeter naturam tumores obsidere lienem solent, ut duritia H
in partibus inferioribus, ut quidam sit rotundus, quidam latus, quidam in longitudinem auctus. porrò
autem qui parte inferna durus est, qui deorsum uergit, ideo ipsum κατάῤῥοπον Hippocrates uocat. Vel
ideo sit uocat, quia prauos humores, quos in se continet, in partes corporis inferiores propellit. Neq;
enim de liene dubitandum est, an quod sibi proprium est, trahat, & alienum secernat, alteretque, & con
tineat quicquid attrahere suapte natura potest: Si quidem in ijs commentarijs, qui sunt a nobis de na-
turalibus facultatibus conscripti, quattuor facultates unicuique particulae, quae nutrienda sit, esse ne-
cessarias demonstrauimus. Veruntamen in excrementis secernendis errores committuntur: cuius rei
triplex est caussa: prima est partium ipsa expurgantium imbecillitas: altera est angustia uiarum, tertia est
excrementi ipsius uitium; praeterea uero imbecillitatis caussa est intemperies: angustiae uero obstructio,
aut aliquis instrumentorum tumor. tumorum uero caussa est humorum defluxio, quae in ipsum instru
mentorum corpus irruit: obstructionis, aut crassitudo, aut tenacitas humorum, aut quid, uelut germen,
adnatum: uitia autem excrementorum sunt multitudo, crassitudo, & tenacitas. excrementa autem cō-
coctionis, quae in uenis fit, tria sunt, ut biliosum, ut melancholicum, ut serosum. biliosum uero uesica
iecinori adiuncta expurgat: melāchołicum, Lien: serosum, renes. inde fit, ut in lienis uitijs color totius
corporis ad nigrius uergat, prout ipsius imbecillitatis affectus postulat, quando haec est ei a natura
tributa

A tributa actio, ut melancholicum sanguinem ex iecinore in se trahat, eoq; nutriatur. itaq; ubi attrahendi uis, quæ in ipso est, infirma sit facta, tum sanguis ex iecore prodiens impurus in totum corpus comportatur; ideoque color fit nigrior. interdum etiam illud excrementum animi deiectiones, & mœstitias melancholicas gignit: interdum uero uehementissimas ciborum appetentias excitat, sæpe etiam auersionem. immo uero etiam cum scirrhum contraxit, aquam inter cutem affert, iecore nimirum in affectus consensum perducto. nec minus etiam idem male affectus diutius aut propter inflammationem, aut propter scirrhum, ad nigriorem colorem conuersus toti corpori uitia coloris impertitur. qua in re scire debes, album, uiridemque colorem nobis indicare, abscessum in iecinore esse: uiridem & nigrum, in liene: album, & * in pulmone. horum autem colorum forma seruatur, cum abscessus minime succensi sunt. sed ipse lien uniuersi corporis colores uitiat, ac deteriores facit. quin etiam ipse est semper iecinore nigrior: præsertim uero in ijs animantibus, quorum calidior est temperatura, atque siccior. Tu uero unum habes a nobis compositum de atra bili librum: in quo & hæc, & cetera, quę sunt huius generis, omnia continentur.

28 *Animi impotentia in cibis, potibus, somno, uigilia: aut propter amores quosdam, ut tesserarum; aut propter artes: aut propter necessitatem. laborum tolerantia: & quorum ordinata est, aut inordinata.*

B Tres sunt animi partes, quibus ad uoluntarium motum incitamur. atq; has quidem omnes, seu partes, seu facultates animi appelles, a quibus uita nostra gubernatur, est iam a nobis demonstratum: ut una sit, qua ratiocinamur: altera, qua irascimur: tertia, qua cupimus, itemque eas substantia inter sese differre, ac multo etiam magis in differetibus esse locis sitas, perspicuum esse arbitramur. omnes enim possunt cognoscere, partem animi, qua cupimus, esse ab ea, qua ratiocinamur, diuersam. nam & cum fame urgemur, impleri cibis expetimus; cum sitis urget, potus cupiditate ducimur. at in pueritia, more brutorum, saturitati operam damus, neque utrum profuturum illud sit, aut nociturum, consideramus. cum autem in uiros non solum ætate, sed etiam ratione euaserimus, sæpe nihil plane bibimus, quod potum esse nociturum, persuasum habeamus. sæpe etiam minus, quàm cupiamus, sumimus: si maiore sumptum copia noxam allaturum sit. sæpe etiam pugnam eius partis animi, in qua mens & ratio elucet, cum ea, quæ cupiditate alitur, cum in morbis, tum alijs plerisque conditionibus spectamus: in quibus nondum esse oportunum uidetur, ut esurienti cibus, sitienti potus offeratur; nec eum, qui riget, calfaciamus: nec refrigeremus eum, qui calore sit perfusus: nec rebus uenereis utatur is, qui ad eas incitetur. facultas enim, quæ in nobis est rationis expers, ad singula nos trahit, quæ cupimus: ra-

C tio retrahit imperum intempestiuum, ac cohibet. Et tamen quidam sunt, qui unam esse animi substantiam uolunt. eam porrò substantiam aiunt esse cuiusque naturæ perfectionem. si uero tale quidpiam est, uirtus una erit: siquidem una est perfectio. atque ita in animi parte, in qua inest ratio, scientiam esse uirtutem erit necessarium. siqué una sola pars animi, quæ rationis est compos, insit in nobis, nihil est, cur multas uirtutes requiramus. si uero etiam iracundiam statuamus, eius quoque uirtutem esse necesse erit. sic si ad has duas tertia quoque pars, in qua cupiditates uersantur, accedat; tres subinde uirtutes erunt. & quarta item ex mutua harum relatione exorietur. atque ita diuersa erit pars rationis, diuersa pars cupiditatum, diuersa denique ea, quæ irarum æstu fluctuat; eritq; una cuiusque partis uirtus propria: ut eam, quæ in parte, quæ rationis particeps est, sapientiam, aut prudentiam, aut scientiam uocent: eam, quæ in parte iracundiæ uersatur, fortitudinem: quæ in cupiditatum inest parte, temperantiam. Cum autem sola ratio in caussa est, ut animus appetitione ducatur, penes ipsam etiam est sedandæ appetitionis facultas: si uero aut iracundia, aut cupiditas ad ipsam accesserint, quæ nimirum facultates sunt expertes rationis, & corporis grauitati persimiles, illico non potest, ubi uult, consistere: pro gressu tamen temporis, ut in currentibus usu uenit, hoc fortasse consequetur. interdum uero etiam ratio cum affectu concurrit: ac tunc quæ affectus facit, ea comprobat ratio. quod in intęperantibus per-

D spicitur: qui iucundissimis rebus frui summum bonum esse existimant, quod ratio in animo ipsorum cupiditatem sponte sequatur. resistit uero etiam affectui ratio, cum homo uoluptatis eius, quæ proposita est, non opinatur quidem honestam esse, aut bonam delectationem; sed tamen a ualenti quodam facultatis, quæ concupiscit, motu ad ipsam attrahitur. quo loco si ratio superabit, is homo & sui, & suorum affectuum continens erit, & nominabitur. si cupiditas uincet, contrario nomine appellabitur, & impotens dicetur. cum uero a sola ratione ad usum rerum iucundarum ducetur, ipsarum perceptionem non fruitione, sed usu metitus, is temperans uocabitur: sicut intemperans, qui solum a cupiditate trahitur, quam etiam ratio consequatur. quocirca cum dormientibus ea pars animi, quæ mentis & rationis particeps sit, cupiditatibusque imperet, sopita langueat: illa autem, in qua feritas quædam sit, atque agrestis immanitas, ut appellare Plato solet, cum sit immoderato obstupefacta potu, atque pastu, exultat in somno, & iactatur, quæritque quomodo id ipsum, quod uult, consequatur. quo tempore nihil est, quod non audeat: quasi omnem uerecundiam, prudentiamq; exuerit. multa enim impure conatur, ac trucidare aliquē uidetur, atq; a nullo potus, pastusq; genere abstinere: & oīa facere tetre cū temeritate, atq; impudētia. at qui salubri & moderato uictu quieti se tradiderit, ea parte animi, quæ mentis, & consilij est, agitata, & bonarum cogitationum epulis saturata, & ea parte ani-

mi, in qua uoluptates uersantur, nec inopia enecta, nec satietate affluenti, ut conquiescat, neque tu- E
multum ullum præstantissimæ parti afferat; aut lætitia ipsam perfundens, aut mœrore conficiens: sed
sinat, ut ipsa per se sola, atque pura consideret, earumque rerum studio ducatur, quas non nouit, siue
eæ præsentes sint, siue præteritæ, siue futuræ: illa etiam tertia pars, in qua irarum existit ardor, seda-
ta, ac restincta sit, nec ulli infensa, quiescat: atque ita duabus animi partibus compressis, illa tertia
pars rationis & mentis eluceat, seque acrem ad somniandum præbeat; tum ueritatem maxime attin-
git, neque ei uisa absurda occurrunt. atque hæc quidem ex impotentia, intemperantiaque oriuntur.
sed quid attinet dicere cetera mala, & item morbos, quæ ex ipsa originem ducunt? innumerabiles sa-
ne sunt ferme, & tot, ut paucis explicari non possint. nos enim perspectum habemus, morbos eos,
qui ex nimia omnium humorum copia existunt, hinc potissimum exoriri. & cum me ad eiusmodi ho-
mines quidam accerserent, eo tempore feci omnia, quæcunque ad bonam ualetudinem esse necessa-
ria existimabam: deinde autem ineunte uere eos euacuare conatus sum. nonnulli etiam sunt, qui mul
tas corporis partes imbecillas habent, ut caput, ut oculos: aut qui affectibus ijs, qui a uertigine o-
riuntur, facile corripi solent. hi sunt a nobis euacuatione curati: cum tamen prius, quid coaceruari in
eis soleret, considerauissemus. nonnulli enim amaræ bilis humorem copiosiorem, quàm aliorum col-
ligunt: alijs melancholicus, alijs pituitosus: in alijs ex æquo omnes coaceruantur: in quibus redun- F
dare sanguis dicitur. Equidem permultos curaui, qui multorum annorum spatio pedum doloribus
per interualla fuerant conflictati: cum in eis redundantem humorem in principio ueris euacuassem,
aut sanguinem detraxissem. Illud tamen sciendum est, eos in tota uictus ratione esse moderatos opor
tere: cum intemperantes, uinosos, & abdomini datos siue purges, siue sanguinem eis mittas, magno-
pere iuuare non possis. intemperanter enim uiuentes, magnam crudorum humorum copiam celeri-
ter coaceruant: quorum ne aggredi quidem curationem oportet. contra uero, si medico sint dicto au
dientes, maxime adiuuantur, si initio ueris euacuentur, & ad salubrem uictus rationem adducantur.
Idem in morbo comitiali, attonitoque, & uertigine, & sputo sanguinis, & melancholia esse faciendum
uidetur. Verum autem hæc omnia ex intemperantia, an uero ex alia caussa profecta sint, spectare o-
portet. alias porrò caussas ipse commemorat: somnum inquam, uigilias, aut si propter rei alicuius a-
morem, ut tesserarum; aut artem, aut necessitatem, sit laborum tolerantia. quæ sane caussæ alterare
corpus possunt: quemadmodum sæpe usu uenit, ut propter uehementem uigiliam, aut alimenti ino-
piam, aut amorem talis fiat facies, qualem esse cadauerosam descripsit Hippocrates. quod idem eue-
nit propter lassitudines quasdam, quæ præcesserint, itemque solicitudines: præsertim uero si regio ca-
lida sit, tempus anni æstiuum, cæli status calidus, & siccus: ac multo magis si homo sit natura bilio- G
siore. præterea uero si quis uentriculi os habeat imbecillum, huius habitus facile digeritur, & perspi-
ratur. hoc ipsum fit non solum propter famem, & cibi inopiam, ac uigilias: sed etiam propter alui pro
fluuium, aut immodicam sanguinis euacuationem, quæ uel ex naribus, uel ex utero, uel ex hæmor-
rhoide, uel ex uulnere profluat: itemque propter uehementem tristitiam, aut amorem: id quod pul-
sus, cum primum uisa est quædam ex ijs mulieribus, quæ in domo sunt, indicat: siquidem statim inæ-
qualis, & inordinatus redditur: ac paulo post, ubi illa, quæ uisa est, discessit, in suum naturalem statum
redit. is enim pulsus turbulentam quandam in animo hominis factam esse perturbationem indicat.
Fit etiam idem inæqualis, cum quædam nunciantur: quod ægroti ijs ipsis, quæ audierunt, perturben-
tur. sed hanc a pulsibus profectam notitiam uel non habuit Hippocrates, uel certe non exercuit.
quanquam ipse non amorem, quem in mulierem quis habeat, sed aliarum rerum significare uidetur,
ut tesserarum, & talorum. sunt enim quidam, qui tantum temporis in conuiuijs, talis, tesserisque con
sumant, quantum uir probus, ac uirtutis studio ductus in bonis, ingenuisque artibus ponere consue-
uit. atque in ijs ipsis studijs non ita præclaris tantum perseuerant, ut & frigus uehemens, & immodi-
cum æstum perferant, & eo tempore uix quidpiam sentiant: immo uero & fame, & siti enecantur:
& in graues, & insanabiles affectiones cadunt. Vt autem hi amore talorum, atque aleæ uigilant no- H
ctesque, diesque, & a ceteris rebus omnibus cauent: sic qui in artibus, scientijsque uersantur, studio
doctrinæ, cupiditateque scientiarum ducti multa sua sponte faciunt, quæ & morbos, & affectus in ip-
sis pariunt. Quid iam ego de bellicis rebus, de agricultura, de uenatione, ut de terrestribus, aut aqua-
tilibus animalibus capiendis, &, uno uerbo, de omni genere uenationis dicam? hæc enim ut magnum
usum ad bonam ualetudinem, magnosque fructus afferant, tamen tot, ac tantos labores, ac timores,
& pericula habent adiuncta, ut multa, eaque terribilia, & grauia perferre necesse sit. nam & uulnera,
& plagas pati, & uigilare, & itinera conficere, cum nollent, & frigoris, æstusque iniurias perferre, &
pluuias sustinere sæpissime homines coguntur. Alij etiam sunt, quos necesse est, paupertate compul-
sos, & quia non ita, ut reliqui, rebus abundant, quod ipse significauit, cum dixit, aut propter necessi-
tatem: quos inquam necesse est laborare, atque in artibus uersari, ut telam texere, aut ferrariam exer-
cere, aut in corio incidendo uersari, aut alias artes, quæ sordidæ nominantur, pertractare. alij uero non
perpetuo hæc faciunt: sed coguntur interdum labores perferre, aut famem, aut frigus, aut quidpiam
aliud, quod foris adueniat, tolerare. quocirca scire oportet, illud ne ordinatum sit, an uero inordina-
tum; hoc est, utrum semper, an ad alicuius spatium temporis patiantur, siquidem hæc cognitio erit

A ad curandum morbum, & ad præsagiendum accommodata.

29 *Mutationes ex quibus in quæ fiant, attendendum.*

Aeris nos ambientis mutationes, quæque a nobis paulatim fiunt, periculosæ non sunt. solas uero magnas, ac repentinas esse periculosas, quod ad sanitatem pertinet, habemus exploratum. quam ob rem cauendæ sunt. quæ caussa fecit, ut ita in aphorismis scriptum reliquerit: Temporum inquit, mutationes maxime morbos pariunt: &, In anni temporibus magnæ mutationes fiunt: ut has esse, quas alibi cauendas monet, intelligamus. ergo debemus admouere contraria, ut aëris inæqualitatibus occurramus: hoc est, ut in humidis mutationibus corpus exiccemus: idemque humectemus in siccitatibus: itemq; calfaciamus, ac refrigeremus, cum hæc ambo postulare usus uidebitur. eadem quoque erit uictus habenda ratio, ut ab exercitationibus ad otium paulatim, & ab otio similiter ad exercitationes progrediamur: simili quoq; modo in alijs omnibus. idque ipse iubet in eo aphorismo, cuius hoc est initium, Multum, ac repente uacuare, uel replere, uel calfacere, uel refrigerare, aut omnino corpus mouere, periculosum. & quicquid nimium est, id naturæ est inimicum: paulatim uero quod fit, tutum. est igitur perspicuum, mutationes magnas repente præter consuetudinem factas non modo ægrotis,
B sed sanis etiam non mediocres noxas afferre. si quis, exempli caussa, qui prandere non consueuerit, prandium sumat, is totum corpus infirmum, & graue persentiet, ipseq; debilis, & piger reddetur: quod uires a cibo, ueluti a pondere quodam prægrauentur. in ijs uero, qui prandere soliti sunt, si non prandeant, uirium inesse imbecillitas perspicitur: propterea quod in eiusmodi mutationibus uires suapte ratione infirmæ redduntur. uiscera quoq; ut Hippocrates scriptum reliquit, eis pendere uidentur, urina calida, pallidaq; redditur, stercus exuritur, oculi concaui redduntur, tempora palpitant, & extrema perfrigerantur. Deinde uero, ut magnas mutationes esse cauendas maxime intelligamus, addit: cum igitur ijs, qui sani adhuc sunt, hæc accidant, si per dimidium diei consuetam uictus rationem mutent, certe planum est, nihil aut addi, aut detrahi utiliter posse. tum subiungit: Hoc autem satis magno argumento est, quod maximæ mutationes tum naturæ, tum uero habitus nostri, potissimum morbos pariunt. itaque nihil est repente commutandum: ac si qua fiat mutatio, tum ex qualibus in qualia fiat, uidendum erit, utrum paulatim, an confertim: utrum in qualitate, an in quantitate: utrum in corporibus, an in caussis, an uero in signis: atque in corporibus, an in sanis, an uero etiam in ægrotis: siquidem sana corpora ita conseruanda sunt: ægrotis adhibenda medicina est. In signis uero, quæ ipsis accidunt corporibus, ex quibus & corpora, & ipsorum naturæ dignoscuntur. in caussis denique, ex quibus sani-
C tatis custodia perficitur. Cum autem hoc planum sit, scito horum omnium esse differentias quattuor, quæ admouentur: quæ educuntur: quæ fiunt, quæque extrinsecus incidunt. quæ admouentur, sunt cibi, potus, & medicamenta quædam, quæ intra corpus sumuntur; itemque aer, quem spiritu ducimus. Quæ fiunt, sunt frictiones, deambulationes, gestationes, equitationes, & omnes motiones. Caussæ uero & multæ sunt, & multorum generum: quorum genere continentur etiam uigiliæ, somni, & res uenereæ. Quæ foris incidunt, sunt hæc, aer in primis: deinde balnea, inunctionesque. hæc enim omnia immutare statum nostri corporis & in qualitate, & in quantitate possunt: atque in qualitate quidem, si calfaciant, si refrigerent, si exiccent, si humectent. in quantitate uero, si alant, sique euacuent. Est autem duplex euacuatio, altera est excrementorum: altera, cum propria hominis substantia defluit. quocirca attendenda est omnis mutatio, ut ex quibus in quæ fiat, nos non lateat.

30 *Ex moribus animi industria, aut quærens, aut meditans, aut uidens, aut loquens, aut aliud quid faciens: uelut tristitiæ, iracundiæ, cupiditates.*

Quattuor humores sunt ad aptos mores gignendos accommodati. etenim mores animi sequi temperaturam corporis, est iam a nobis demonstratum; unusque extat noster hac de re libellus. quod cũ ita statutum sit, acies animi, atque intelligentia a bilioso humore: constantia & firmitas a melancholi-
D co: simplicitas, & stoliditas a sanguine gignetur. pituitæ autem natura, quam in prima ciborum mutatione gigni necessario apparet, est ad mores conformandos utilis. conuenite uero etiam mores regionibus, attestatus est in libro de aere, aquis, & locis Hippocrates: ubi mores hominum temperatos in regione temperata esse dixit: plurimum inquit, Asia ab Europa differt, & quod ad rerum omnium, quę ex terra prodeunt, & quod ad hominum naturas pertinet: nam & regio est regione mitior, & mores item hominum mitiores sunt. horum caussa est anni temporum tẽperatura. deinde uero subiungit hæc: Feritas autem, & societatis uacuitas, & iracundia in huiusmodi natura generantur. tum addit, Qui uero montanam regionem, asperam, altam, & aquosam habitant, & apud quos mutationes anni temporum fiunt, magna differentia est, & feræ, atq; agresti immanitate imbutæ naturæ non minus sunt. Et paulo post, comperies, inquit, & formas hominum, & mores plerunq; regionis naturã consequentes. ad summam eo in libro planissime docuit, non mores solum, sed hebetudinem quoq; animi, sicut aciem ingenij temporum temperatutas sequi. Iam uero ubi ait, At ubi nuda regio est, ac niue per hiemem opprimitur, aut etiam a sole exuritur, ibi & duros, & fortes, & articulatos, & robustos, & hirsutos cõspicies. acumen quoq; ad agendum accommodatũ in huiusmodi natura, & uigilantiam cognosces. erũt quoq; in ira, & moribus obstinati, ac suę potius snię, & agrestiores potius, quam mitiores. Plato quoq; idẽ, qđ

senex noster, sensit: siquidẽ multũ locis ipse itidem & terræ habitationibus ad animi mores conforman- E
dos, & ad intelligentiam, prudentiamque comparandam tribuit: ut uidere est in quinto de legibus, in
quo sic fere scriptum reliquit: Nec quenquam fugiat, quod ad loca pertinet, ut meliores, aut deterio-
res homines gigni possint. quæ cum dixisset, hæc etiam ad illa subiecit, Quippe cum inquit, alij uarieta-
te uentorum, & turbine difficiles ac proterui sint, alij propter aquas, alij propter cibos, quos tellus sub
ministrat, qui & corpus melius aut deterius, & animum quoque non minus ita afficere plane queant.
Quæ cum ita sint, hominum mores cognoscendi sunt; atque ijs loco signorum uti debemus. ut enim
signa, quæ in facie consistunt, facillime, sic mores ægre, cognoscentur. præterea uero mores omnium
dignoscere, nihil est, quod fieri posse uideatur. quocirca uix in paucis aliquibus hæc non inquirenda
sunt. quippe cum interdum non magnum quid ipsa significare inueniamus, ut in decubitu: quandoq;
uero maximum, ut in modestis, si aspectum trucem, uocemque habeant. crepitus quoq; uentris uel do-
lorem, uel delitium indicat in ijs, quos id facere audientibus aliquibus puderet. at si præsentes nihil ue-
reantur, nullius erit rei nota. quocirca hoc etiam loco mores ægrotantis attendendi sunt: sicut etiam
consuetudo illorum scienda est, qui proni in uentrem cubant; & natura eorum, quibus dormientibus
stridunt dentes, aut oculis accurate non clausis dormiunt. hæc enim omnia, ubi naturam, moresq; ægro
tantis prænoris, aut ab aliquo, qui norit, audieris, hunc usum afferent, ut firmam dignotionem inde su- F
mas: ac signa modo bona, modo mala sint: quæ sane præcognosci accurate non possunt, nisi ægrotantis
hominis mores cognitos habeamus. Sic etiam est de pulsu iudicandum. usu enim uenit interdum, ut
febricitantibus pulsus ad magnitudinem attollatur, neque tamen id propter febrim fiat: sed caussa ex-
terior quædam id efficiat. huius generis sunt balnea, aut cursus, aut frictiones, aut aliæ motiones, quæ
ad breue spatium temporis perdurant: aut etiam uinum, & alimentum: id quod in corpore diutissime
permanet. quinetiam ab iracundia magnus simul, & uehemens pulsus fieri solet. quæ res non latebit pe
ritum medicum in oculos, & totam faciem intuentem. quosdam etiam comperias, qui cohibere iram
uelint: in quibus præter magnitudinem, uidere etiam est inæqualitatem: quam quidem maiorem in
ijs, qui anguntur, quique erubescunt, intuebere. Simili quoque modo si quis in sole, aut ad ignem sit
calfactus; atque aliquo medicamento calfacienti sit inunctus. Itaque, cum is, qui curationem adhi-
bet, non adest perpetuo, si ægroti uerum dicere noluerint, certe caussam explicare afferre difficile est.
immo uero præter ea, quæ diximus, quidam sunt tam medicamentorum amantes, ac studiosi, ut uel in-
terim, dum nos absumus, medicamenta calfacientia, & naturam mirifice alterantia sumant: quod tu
duobus distinguere modis poteris, habita inquam temporis ratione, & perspecta ægroti consuetudi-
ne, ac moribus. nam si aliud sit tempus præter illud, in quo fieri solet exacerbatio: tum a medicamen- G
to calfacienti potius, quàm ratione exacerbationis factam esse alterationem uerisimile fuerit. Si uero
in tempore exacerbationis id fiat, tum inuasionis impetu id accidere est uero similius. a consuetudine
uero, & moribus ægrotantis sic deprehendes: quidam insoliti sunt medicamenta sumere, suntque ad
eam rem timidi: quidam soliti, atque adeo, ut nisi medicamenta sumant, plane nescire uitam ducere ui-
deantur. ergo in ijs, qui timidi sunt, exigua suspitio est: in consuetis, bene magna. mores uero non parũ
ad cognitionem adiuuant. quibusdam enim est natura comparatum, ut insidias faciant, & familiares in
fraudem impellant, conenturque omnes homines coarguere, quasi nihil certi, ac firmi scire queãt: qui-
dam bonis sunt moribus, & aperte faciũt omnia: in his nulla caussa est, cur quicquam esse clam factum
suspiceris: in illis uero, qui insidiari solent, suspecta tibi esse debebunt omnia: & diligenter circumspiciẽ
da, & distinguenda: sicut etiam aduersus homines ineptos ingenio opus est, atque prudentia. Quibus
quidem fit rebus, ut negligenda non sit puerorum educatio: sed optimis illi sint imbuendi moribus:
propterea quod si eorum natura eum fructum percipiat, quem nostra pariet diligentia, ijdem in præstã
tes uiros, ac bonos euadent: si nobis non erunt dicto audientes, nos certe culpa uacabimus. alij enim
ipsorum uerecundi sunt, inuerecundi alij: alij studiosi honoris, & honestatis, alij contra, & honorem,
& decus despiciunt: ut alij timidi, alij audaces sunt, alijque ueraces, alij mendaces. etenim puerorum H
educatio est ei studio, quod plantis adhibemus, persimilis. agricola enim nunquam faciet, ut rubus ra-
cemos ferat. caussa est, quia ipsius natura fuit ab initio talis, ne huiusmodi in ipsam perfectio caderet.
Vites quoque, quæ suapte natura promptæ, & aptæ sunt, quatenus in se est, ut fructum ferant, si colo-
nus negligat, solique naturæ curãdas relinquat, aut prauum, aut certe nullum fructum ferent. idem in
animantibus accidere animaduertimus. nam si equum erudieris, ipsum ad multas res utilem habebis:
ursum uero quamuis olim mansuefeceris, eius tamen firmus habitus non erit. mihi uero felici quo-
dam fato contigit, ut optimum, humanissimumque patrem habuerim. qua uero ipse natura præditus
sim, dignoscere non possum: illud quidem scio, patrem meum in hoc studium incubuisse, ut ego quàm
optimus, & disciplinis omnibus quàm ornatissimus euaderem. atque hæc quidem, quæ dicta sunt om-
nia, nobis indicant, mores esse studiose, accurateque considerandos: & habita eorum ratione, de mor
bo faciendam esse coniecturam. Verũ alij interpretes, in quibus Glaucias est, hæc uerba aliter, quàm
nos, exponunt. nam ex moribus cognosci studium ac sedulitatem agendi, & item odium rerum geren-
darum affirmant: ut uel hoc modo ingeniosos, pigros, segnes, tardos, & celeres possimus dignoscere:
aiuntq; hoc præceptum ad medicinam non pertinere: quæ sententia uera non est. quid enim significat,

cum

† In Græ. lib. legi sine negatione: quæ tamẽ uidetur desiderari. & in secũdo exẽplari habetur.

A cum addit hæc, aut quærens, aut meditans, aut uidens, aut loquens, aut aliud quid faciens? si id no-
bis ad morbum indicandum, † non est adiumento? An perspicuum est, ex responsionibus posse co-
gnosci, quomodo ægrotantis mens se habeat? itemque ex ijs sermonibus, quos habet ægrotus, extra-
re potest aliqua utilitas, ut præsentia dignoscamus, & futura præsagiamus? quin etiam e meditationi-
bus, & cogitationibus fructus percipitur. nam qui cogitabat, quid futurum esset, si Atlas nollet cælum
sustinere, certe instantis desipientiæ signum nobis dedit: cuius etiam inditio est trux aspectus, & alia
pleraque præter mores, & consuetudinem facta. Ad hæc uero, tristitiæ. ueteres enim hæc quinque uo
cant animi perturbationes, ut tristitiam, ut iram, ut excandescentiam, ut cupiditatem, ac metum. ac
multis de caussis homines tristantur: alij mortuis filijs, aut familiaribus, aut cognatis, aut amicis: alij
quod expectent, uel seipsos solum malis affici, aut patriam uniuersam euersum iri. sed mœrent etiam
ij, qui studio pecuniæ ducuntur, cum eadem priuantur: & cupidi honoris, cum gloria spoliantur: & ut
quisque cupidus est, ita illis rebus priuatus tristatur. sunt etiam, qui propter amorem in mœrorem ca-
dant, & graciles reddantur: ut nos de eo, qui diuitis cuiusdam rem familiarem tuebatur, ostendi-
mus: quem etiam ad pristinam ualetudinem, cognita morbi caussa, quamprimum reuocauimus. sic
etiam multos inuenies, qui morum bonitate atque præstantia mites, quietique sint, sed tamen pro-
B pter morbi uehementiam, atque malitiam uehementer irascantur, ac celeriter excandescant. atque
hæc quidem commutatio & mali magnitudinem nobis indicat, & acutum esse morbum declarat: un-
de nobis & præsagiendi ratio, & curationis modus suppeditatur. Ceterum de cupiditatibus, quin sæ-
penumero affectiones significent, nullo modo ambigendum est: siquidem & morsum stomachi, & in-
terdum absurdos humores quosdam uentriculo contentos commonstrent. interdum uero uitiata ra-
tio est, ut neque quid bonum, neque quid malum sit, queat agnoscere: quo quidem casu efficitur, ut
ægroti petant omnia: & quicquid dederis, reijciant. quoniam igitur affectibus quibusdam homines
corripiuntur, qui cogitationis, ac memoriæ uim quasi obstupefaciunt, aut somnos graues, ac profun-
dos inuehunt: iure, ac merito uult, ut nos eos cognitos, & perspectos habeamus. ad hos depellen-
dos interdum utiles sunt cogitationes, ut ipse quoque alibi docuit, excandescentiam esse ad bonos
humores creandos, & ad naturalem habitum recuperandum accommodatam. Ego uero interpre-
tes, qui multis modis, & aliter atque aliter hanc sententiam commutant, satis admirari non possum.
si quis enim a uetere lectione uult discedere, is facere hoc ipsum debet aliqua probabili ratione im-
pulsus; sicut ego sæpe demonstraui. nam ueterem lectionem hanc fuisse, quam attuli, tum omnes ue-
teres interpretes agnoscunt, tum uero Zeuxis esse optimus testis uidetur: is enim cum Glauciam ma-
C le hæc uerba interpretantem reprehendit, nihil ei obijcit, quod ad lectionem pertineat: at quia uerbis
negationem adiunxit, in hoc ipso plane coarguit: ait enim eum fuisse animo dubio: nec potuisse hanc
explicare sententiam, nisi negationem addidisset: ac si Hippocrates ad hunc modum scriptum reli-
quisset: Ex moribus animi industria: non quærens, aut cogitans, & reliqua. Verum si aientibus licet
negationes adiungere, profecto ita omnis corrumpi sententia poterit: neque ulla ueterum opinio in-
tegra, firmaque seruabitur.

31 *Quæ a casu proueniunt, animi molestiæ, aut aspectu, aut auditu contractæ.*

Nunc agit de molestijs, quæ casu proueniunt: supra autem de ijs disseruit, quæ in nobis insunt:
itemque de cupiditatibus, de iracundia, deque animi industria. Molestiæ autem, quæ ab externis
caussis proficiscuntur, plerunque aspectu, aut auditu percipiuntur: uelut cum quid terribile intuemur,
aut uiro innocenti fieri iniuriam: siquidem eo tempore indignamur, & ægre ferimus: uel cum paren-
tes defunctos, aut etiam amicos uidemus: aut cum hoc ipsum ad nos alij perferunt: propterea quod
nuncij tristes & mali non minus, quàm uisa, afferre nobis molestias consueuerint. hoc enim fere fit,
si quis cogitet ac uideat iucunda, & tristia, eius animum uarijs affici modis. nam & cogitare & uide-
D re, quæ iucunda sunt, animum lætitia perfundit, natiuumque calorem dilatat. at tristia animo uolue-
re, eaque uidere, lædit animum, nostrumque calorem constringit: eaque res terribilia, formidinisque
plena uisa in somnis excitat.

32 *Vt etiam corpora afficiuntur. nam mola cum altera attrita, dentes stupescunt: circa cauum locum ambulanti, crura tremunt. cum quis ea, quibus opus habet, manibus extollit, ea tremunt: serpens derepente conspectus, pallorem induxit.*

Videndum est, quomodo corpora affecta sint, ut intelligamus, audaces ne, an timidi homines
sint: an facile in morbos cadant, an ne quiduis facile patiantur. sunt enim, quibus dentes stupescant,
si molas inter se atteri audiant: alij uero propter rem quampiam uisu terribilem, pallescant. Stupor
enim hic significat affectum solius oris quendam, qui non totum os, sed dentes, gingiuasque oc-
cupat: quem sane ne oratione quidem possis explicare. sed cum quidam & austeros, & acidos ci-
bos ingesserit, affectus uero aliquis sequatur, qui dentes, gingiuasque obsideat, eundem exoriri
in omnibus existimamus. Cumque hic affectus ab acidis, aut acerbis excitetur, obseruatum est,
portulacam esse medicamentum accommodatum. quanquam portulaca dentium stuporem a flu-

xione, aut propter uomitum, aut a ſerræ ſtridore, aut ab attritu molæ excitatum nihil plane iuuerit. E
quocirca prius inueſtiganda eſt ſtuporis dentium cauſſa: tum adhibenda curatio. De tremore au-
tem ſatis conſtat, ei qui prope locum præcipitem iter faciat, crura tremere. timor enim uires deijcit.
ita etiam ſi quis ſerpentem, quem conſpexerit, fugiat, tremulus redditur. quinetiam qui circa domi-
num, aut formidabilem iudicem eſt, toto corpore tremit. & quidam, ſi eos coram rege loqui uelis, ne
uocem quidem non tremulam mittent. Quemadmodum igitur animi affectus, qui motricem facul-
tatem debilitauit, tremulas actiones reddit: ita corporis morbi, qui uiribus noxam afferunt, in cauſ-
ſa ſunt, ut tremoris ſymptomata excitentur. Illud porrò ſciendum eſt, ex ijs motionibus, quæ citra uo
luntatem fiunt in inſtrumentis uoluntarijs, quæ ſunt ad motum comparata, aliam appellari conuulſio-
nem, aliam palpitarionem, aliam denique rigorem: quæ inter ſe differant. ac de ijs eſt a nobis in uni-
uerſum uno integro libro diſputatum. eius uero motus, qui ſit uoluntarius ille quidem, ſed non ſecun
dum naturam, una eſt ſpecies, quæ nomine tremoris appellatur: de quo nunc eſt nobis propoſitum
diſſerere. Tremor igitur fit, non ſolum muſculis, ac neruis affectis, ſed etiam naturalem ſtatum reti-
nentibus: id quod ipſe quoque declarauit, cum ait, Cum quis ea, quibus opus habet, manibus ex-
tollit, eæ tremulæ redduntur. ſignificat enim manus naturalem ſtatum retinentes. idque fere fit, cum
quis onus grauius, quàm uires ferre poſſint, aut manibus ſublatum, aut humeris impoſitum portare F
conetur. quoſdam enim robuſtiſſimos iuuenes uidemus, qui cum pergraue onus ferunt, tremuli red-
duntur; ac tum præcipue, cum aſcendere ſcalas conantur. Iam uero etiam animi perturbationes,
ut dixi, trementes homines faciunt. cauſſa eſt, quia uires exoluunt: quod illi aperte atteſtantur,
qui aut feram, aut latrones, aut aduerſarios conſpiciunt. ac nos iam in eo libro, quem de tremo-
re, conuulſione, & rigore inſcripſimus, tremorem perpetuo ex uirium imbecillitate gigni demon-
ſtrauimus. quoniam autem hæ interdum per ſe ipſæ infirmæ ſunt, interdum uero propter animi affectũ,
ideo tres ipſarum cauſſarum differentias, ut inſtrumentorum, quæ uoluntaria ſunt, intemperiem: ut a-
nimi affectum, ut prægrauans onus, eſſe confirmauimus. itaq; ubi oritur tremor, nec metus eum exci-
tauit, nec eius cauſſa fuit oneris geſtatio, duorum alterutrum ſit oportet: ut uel intemperies inſtrumen
torum ſit, uel aliquod in corpore pondus, quod muſculos, aut neruos obſideat. ſcito etiam eandem
eſſe timoris cauſſam, cum quis derepente ſerpentem uidet, ac palleſcit. porrò de ſignificatione huius
nominis χλωρὸν, quod pallidum, ac uiride ſignificat, iam ſæpe ſumus loquuti. ſed hoc interdum per con-
ſenſum fit: uelut nonnullos conſpicimus, qui ſi alij mingant, aut aluum deijciant, idem in ſe a natura
excitari ſentiant. ita ſiquis in oculos, quos lippitudo male afficiat, intueatur, primum eius oculi humo
re implentur: deinde uero, ſi acrius, ac diutius inſpiciat, ipſe quoque eodem affectu corripitur. oculi G
enim affectum illum formidantes, ideoque imbecilliores facti, eo morbo facilius corripiuntur.

*Timores, ſicut pudor, mæror, lætitia, ira, aliaque huiuſmodi, ut obediant. vnicuique autem pars corporis ad actionem* 33
*accommodata in his obedit: ſudores, cordis palpitatio, & eiuſmodi facultates.*

Timores, inquit, naturalem habitum immutant, & affectionem quandam afferunt; ſicut etiam facit
pudor, mœror, lætitia, ira, & alia, quæ communi nomine perturbationes appellantur. tale enim corpus
reddunt, qualis una earum quæque ſit. quoniam autem quæque ipſarum in corpus incidit, uiribus de-
bilitatis, ob eam cauſſam inuehere eundem affectum uidetur. ac de ijs copioſius eſt nobis in libris de
Hippocratis, Platoniſque decretis diſputatum: & item ſeorſum uno in libello, cuius index eſt, De ani
mi peccatis, ac perturbationibus. Iam uero ſudores, & cordis palpitatio actioni corporis obediunt,
ut etiam alia, quæ ſunt huiuſmodi. eſt enim palpitatio dilatatio quædam præter naturam, quæ omni-
bus particulis, quæ diſtendi poſſunt, accidere conſueuit. hoc autem ideo adiunxi, propterea quod nec
oſſa, nec cartilagines unquam palpitant. cauſſa eſt, quia diſtendi non poſſunt. cadit autem palpitatio
non modo in cor, ſed etiam in uentriculum, ueſicam, uterum, inteſtina, iecur, lienem, ac ſeptum tran-
ſuerſum. cum uero arterijs, cordiq; accidit, tum alius quidam, præter pulſum, motus in eis oritur. ex H
quo apparet, hunc affectum neque uoluntariæ facultatis, neque organorum, quæ uoluntati obediunt,
eſſe proprium, cuiuſmodi eſt tremor, atq; conuulſio: ſed ijs corporibus omnibus, quæ dilatari queunt,
accidit. illa porrò non ſua ui diſtenduntur, ſed a ſubſtantia quadam, quæ intrinſecus in ipſa influit. hæc
autem ſubſtantia aut humor eſt, aut aerea natura quædam. humorem eſſe, repugnat palpitationis mo-
tus, & eiuſdem ſolutionis celeritas. ergo neceſſario concludenda ratio eſt, quandam aeream naturam
ſubeſſe: quæ ſi exigua, & ſubtilium eſſet partium, per corpus facile transflueret. qui uero totam de
hoc affectu tractationem ſcire aueat, is noſtrum de ea re librum percurrat.

*Quæ extrinſecus proſunt, aut nocent: unctio, perfuſio, illitio, cataplaſmatum uſus, lanarum deligatio, & rerum earum,* 34
*quæ ſunt huiuſmodi. internæ item partes talibus obediunt: ac non ſolum externa ijs, quæ intro aſſumuntur: ſed etiam*
*quæ in lanis ab ouili ſuccidis adhibentur: & quod a rege nomen duxit cuminum uidentibus, & olfacientibus quæ de capi-*
*te ducunt.*

His de rebus egit in ijs, quæ ſupra dicta ſunt, Hippocrates: noſque eaſdem expoſuimus: quocirca
non iam eadem de eiſdem afferenda ſunt. ceterum interna perſæpe externis obediunt, & modo pro-
deſſe, modo obeſſe ſolent, & cutis etiam colorem immutare non ſecus, quàm, quæ intro aſſumuntur.
ſi quis

A ſi quis enim cuminum potui datum ſumat, is pallidus reddetur. atque etiam hoc ſcitum eſt, multa non
ſolum hoc ipſum facere, ſi quis ea odoretur, ſed caput quoque expurgare: cuiuſmodi ſunt, quæ per na-
res caput purgantia, quæque pituitam euocantia, & lachrymas irritantia nominantur. & alia item hu-
ius generis. Quod uero ait, Et quod a rege nomen habet * * *

* * * * *

35 *Perturbant ſermones, uox, & huiuſmodi.*

Sic ſcribunt ueteres interpretes. mea uero ſententia eſt, uerbum, perturbant, eſſe orationis ſupe-
rioris finem, ut ſic legatur; Quæ de capite ducunt, turbationem afferunt: tum ſubiungatur, ſermones,
uox, & conſimilia: ut intelligamus, ſermonem quoque perturbare, & item uocem magnam, quæ ſubi-
to miſſa ſit: & clamorem, & alia ſimilia, quæ hominibus, nihil tale ſuſpicantibus, accidunt.

36 *Mammæ, genitura, uterus, ſigna in ætatibus, in ſuffocationibus, in tuſſi, & quæ ad teſticulum pertinent.*

Aetatis ſigna eſſe uult mammas, genituram, & uterum: quorum duo communia ſunt uiris ac mulie
B ribus, ut genitura, & mammæ quodam modo: tertium eſt fœminarum proprium, hoc eſt uterus. ete-
nim in mutatione ætatis, cum pueri in adoleſcentiam tranſeunt, ut ſemen genitale in eis gignitur, & pi
li circum pudenda oriuntur, ita teſticuli affatim augentur, ſicut mammæ in uirginibus creſcunt, ac ſi-
mul menſtruæ purgationes erumpunt: & uox, præſertim in maribus, immutatur. Inter mammas autem
& uterum communio quædam per uenas, ut etiam cum teſticulis, intercedit: & ob hanc naturæ com-
munionem, quæ in particulis cernitur, humorum migrationes fiunt. ita fit, ut teſticulus in tumorem
elatus in tuſſi uexatis argumentum ſit communionis, quæ inter pectus, mammas, genituram, & uterum
intercedit. interdum uero fit, ut qui diutius ſine dolore coſtarum tuſſi uexantur, ijs abſceſſus in teſticu-
lum fiat. quemadmodum igitur in ætatibus, inque tuſſibus, ita etiam in ſuffocationibus uſu uenit. ete-
nim in ſuffocatione, quæ ex utero fit, tum ſenſus, tum motus uacuitas eſt: & pulſus languidus & par-
uus redditur: & interdum pulſus ex toto eſſe deperditus uidetur: interdum uoce priuantur: alijs artus
contrahuntur: quæ propter frigiditatem fieri plane conſtat: ut nos in libris de locis affectis demon-
ſtrauimus.

37 *Quemadmodum terra arboribus, ita animantibus eſt uenter. alit, calfacit, ac refrigerat. refrigerat autem dum euacua-*
C *tur: calfacit, dum impletur: ſicut uero terra ſtercorata, hieme calida eſt: ita etiam uenter.*

Apud Hippocratem eſt ſuperior uenter, & inferior. ac quandoque ueteres medici thoracem, ſupe
riorem uentrem nominantes, uniuerſum uas alimenti, quod poſt ſeptum tranſuerſum collocatum eſt,
uentrem inferiorem appellant: quandoque etiam uentrem ſuperiorem uocant eum, in quem cibos de
glutimus: interdum uero ea, quæ poſt illum ſunt omnia. ac uentrem quidem inferiorem nũcupant in-
terdum ſola inteſtina craſſa; ſed ſunt etiam, qui ſolum colon inferiorem uentrem dici uelint. hoc uero
loco non dubium eſt, quin uentrem inferiorem uocet id uaſculum ſolum, quod alimẽta excipit: in quo
etiam concoctiones fiunt: cuius facultates, facta comparatione cum terra, Hippocrates declarat. ut n.
arbores alimentum e terra per radices trahunt, ita omnes particulæ a uentre per uenas aluntur. ipſeq;
uenter ad naturales actiones obeundas opus habuit neruis maximis a cerebro profectis, ut præſtantio
rem, quàm alia omnia, ſenſum nanciſceretur. omne autem animal in ambientem nos aerem per cutim
digeritur. ac membra, quæ ſub ipſa ſunt, prius uacuantur: quorum uis, quæ cum eis genita eſt, alimen-
tum trahit ab ijs, quæ proxime accedunt, ut id ipſum, quod euacuatur, reficiat. deinde rurſus illa ex ijs,
quæ ſibi proxima ſunt: tum quæ tertio in loco ſita ſunt, ab ijs, quæ propinqua ſunt: atque ita ſemper fa
cta per continuum tranſlatione ad uenas in uentriculum pertinentes euacuatio peruenit. hæ uero ali-
D mentum ex uentriculo trahunt, ſicut ſtirpium radices, quæ in terram demiſſæ ſunt, e terra. porrò terra
ipſa, uſquedum anni tempora ſuum ſtatum ſeruent, ſtirpibus paratum, copioſumque alimentum ſubmi
niſtrat. ac ſi quando propter nimium ſqualorem eius humor exicceſcat, tunc ſtirpes alimento deſtitu-
tæ marceſcunt. in animantibus autem natura uentriculum, ceu alimenti penum eſt machinata, cuiuſ-
modi terra ipſa eſſe ſtirpibus ſolet. ei quoque appetitum impertita eſt, qui excitatur, cum penuriæ ſen
ſus exoritur: cum ſcilicet uenæ aliquid ab ipſo uentriculo trahunt. Quemadmodum autẽ ſtirpes e ter-
ra humorem ueluti exſugunt, & emulgent; ita etiam particulæ omnes a uentriculo faciunt: niſi quod
hoc opus uniuerſum non animale, ſed naturale cenſetur. In libris enim de facultatibus naturalibus do
cuimus, uim quandam eſſe in uentriculo, quæ contineat ea, quæ ſumpta ſint: & item aliam, quæ excre-
menta reijciat: & ante has omnes eſſe eam, quæ alteret: cui natura ſenſum eorum, quæ deſunt, adiun-
xit: ut uel hac ratione differret a ſtirpibus. ac ſtirpibus quidem ut aliæ quattuor facultates, quas mo-
do memorauimus, maxime inſint æque, ac in animantibus, certe ſenſus eorum, quæ deſunt, ab ipſis ab
eſt. neque enim futurum erat, ut per os alimentũ ſumerent, cum terram ueluti copioſi alimenti prom
ptuarium habeant, cui inhærent, ipſaq; illis alimoniam perpetuo ſuppeditet. animalibus uero, præter
quàm quod a terra procul diſtant innatis particularum qualitatibus, hoc etiam attributum eſt, ut motu
uoluntario cieantur, ac locum ex loco commutent, itaq; exſugere ex terra humorem non poſſint. Hoc

autem est inter stirpes,& animantes simile,quod medullæ,ac quasi canali in stirpibus proportione re E
spondet uena caua,quæ in animantibus inest. ut enim ex sinistro cordis uentriculo arteria oritur, quæ est omnium arteriarum,quæ in corpore animalis sunt,ueluti truncus:ita a uena caua exoriuntur uenæ, ueluti rami quidam a trunco, in totum corpus pertinentes. Ita etiam uentriculus duas habet tunicas. sicut stirpibus natura corticem,membranamq; tribuit. Quando uero calfaciat,& quando refrigeret, non secus,quàm terra; ipse aperte exposuit. * * *

*Arbores corticem tenuem,siccumq; habent: intrinsecus uero carne sicca,sana,imputres,diuturna: & ex animantibus,* 38
*testudines,& quicquid est huiusmodi. ætatibus,temporibus, annis similia animalia non atteruntur,si melioribus moderate utantur. quemadmodum hydria quod recens est,transmittit; quod inueteratum est,retinet: sic uentriculus alimentū transmittit,& facem,ueluti uasculum,retinet.*

Quod in stirpibus uidetur,Idem in uentriculi tunicis apparet. exterior enim tunica magis carnosa est:interior uero magis membranosa. hæc porrò fibras habet rectas, quæ superne deorsum feruntur: externa uero,obliquas. huius autem rei caussam exposuimus in ijs commentarijs,qui sunt de usu partium. * * * In ætatibus autem,quemadmodum supra dixi,eandem habet rationem puer, quam uer in anni temporibus: eandem iuuenis,quam æstas: eandem,cuius ætas declinat,quam autumnus:eandem denique senex,quam hiems: Sic etiam prima diei pars est ueri similis:proxima æstati:tempus uespertinum autumno:hora ultima hiemi. quod in caussa est,ut morbi autumnales acuti sint,ac mortiferi:& hora uespertina uehementiores reddantur:& in suis accessionibus exacuantur. Hippocrates uero eleganti comparatione quadam, sententiam suam aperuit. * * * F

*Deest finis.*

## GALENI IN HIPPOC. LIB. DE HVMORIBVS COMMENTARIVS III.

Huius commentarij initium in uno libro manuscripto, quem prius nacti sumus,desiderabatur: in altero uero, qui postea ad nos allatus est, pauca deesse uidebantur.

*MODI morborum sunt hi: partim cognati morbi sunt, quos interrogando licet cognoscere: partim a regione proficiscūtur. multos enim sunt regionibus familiares: ac multi ipsos norunt: partim ex corpore, & uictus ratione, & * morbi constitutione: uel a temporibus.* G

Vt morbos tum dignoscas,tum uero etiam recte cures,genera ipsorum perspecta esse,maxime conducit. quo in genere illud est, ut scias, morbos esse quasdam actionum noxas: atque ita unum esse genus corporum, alterū actionum: ac corporum quidem genus præcedere actiones, easque producere: illas uero sequi,ac, si statum naturalem corpora conseruent,culpa uacantes,naturalesque existere: si præter naturam corpora affecta sint,illas aut nullas prorsus, aut certe omnino impeditas. ad hæc tertium genus accedit caussarum,quæ affectiones gignunt. post hoc est item aliud quartum genus eorum,quę insunt corporibus,siue ea naturaliter,siue præter naturam affecta sint: quæ neque commodo,neque incommodo esse actionibus solent: uelut,exempli gratia, si color corporis ex diuturna mora in sole ex albo niger: aut contra ex nigro albus fiat,quod quis in umbra uitam duxerit: aut rubet in lotis, aut pallidus in expauefactis uideatur. hæc enim neque actio est,neque affectio corporis; quæ caussa actionis sit: ac multo minus caussa est,quæ affectus præter naturam afferat. est uero symptoma,quod uarias cor H
porum alterationes,siue illa secundum naturam,siue præter naturā affecta sint,necessaria consequitur. ad hæc omnia accedunt modi morborum,quos non minus,quàm quæ dicta sunt, esse nobis cognitos oportet. Veteres hoc nomine τρόπος utuntur in duabus significationibus: interdum ad animi mores explicandos adhibent: interdum,ut differentias,& formas rei,qua de agitur,significent: ut si quis dicat modos uictus rationis,is differentias,aut formas ipsius indicabit,sicut febrium esse multos modos dicimus,ut earū differentias,aut species significemus. hoc uero loco nomen τρόπος non significat mores animi,sed formas morborum. utrum uero differentias,aut formas,aut species modo dicas,nihil interest. Sic quoque est ab ipso in libro de officina medici conscriptum,lucis duas esse species,perinde ac si differentias,& modos dixisset: cum fuerit hoc in more positum,institutoque maiorum, ut quæ ex diuisione rerum generalium exoriuntur, differentias,species,& modos appellarent. In eandem significationem illud quoque dictum est in primo de morbis uulgaribus,ubi scriptum est, Sunt,inquit,modi,status,& accessiones singularum harum febrium. planum enim est,ibi species, differentiasque significari: propterea quod statim subiungit,continuam incipere aliquibus uehementissimam, & paulatim usque ad iudicationem fieri leuiorem: quibusdam uero contra: interdum quendam esse ex utraque conflatū modum. quæ quidem accidunt omnibus febribus,quæ continuæ sunt,& diuturnæ, & item alijs mor-

bis

A bis omnibus, qui & acuti sunt, & longi. Cognoscimus autem modos morborum tum ex communi omnium natura, tum ex cuiusque hominis propria: itemque ex ijs, quæ offeruntur, & ex uniuersa aeris nos ambientis constitutione, & cuiusque regionis, & ex consuetudine, & uictus ratione, & institutis, & ætate, & accessionibus, & alui excrementis, & urinis, & uomitibus, & sudoribus, & sputis: præterea uero ex rigore, frigore, tussi, sternutatione, singultu, æstu, flatu, sanguinis e naribus, & hæmorrhoidibus profluuio, & abscessibus: de quibus omnibus deinceps differetur: præterquam de communi omnium, & de cuiusque propria natura, & de sermonibus, & de abscessibus, & insomnijs, & anni temporibus, & statu, & alui excrementis, & urinis, & uomitibus, & sputis, & sudoribus, & singultibus, & alijs plerisque, de quibus supra copiose locuti sumus. Itaque ex ijs, quæ offeruntur, suppetit nobis præcognitio, si cum illa praua sint, ægrotus nihil se habeat deterius, mediocris morbus censebitur. at si omnia, ut par est, fiant, ægrotus uero præterquam quod nullum fructum ferat, uehementius conflictetur, prauus mor bus iudicabitur. mihi enim sæpenumero uel ex oblatis modos morborum dignoscere contigit. Regionem uero magnopere nobis esse ad prænotionem adiumento, ipsemet in libro de aere aquis, & locis, apertissime declarat in eo loco, in quo docet, quinam morbi in singulis regionibus plurimum uersentur. * * *

B

## *Desiderantur permulta.*

possumus enim ex arte coniectura consequi, quales, quantique humores redundent in corpore. * * * ceterum uocant instituta, ea omnia, quæ homines aut usu, aut necessitate coacti faciunt: ut quæ ad terram colendam, aut ad studium litterarum, aut artem medicinalem, aut philosophiæ scientiam, aut ad alias artes, & actiones pertinent. nam qui in agro uitam degit æstiuo tempore, & in sole sub dio, & tenui diæta utitur, ac laboribus se tradit, is quantum ad hanc uitam attinet, amaram bilim potius, quàm pituitam coaceruabit: ut qui in umbra, in otioque uiuit, & se se explet, pituitosum humorem potius colliget. * * * Nam & in libris de temperamentis, & item in aphorismis dictum est copiosius. nunc uero sufficiet dicere, non mediocrem utilitatem nos etiam ex ætatis cognitione percipere. * * * aliud enim significat in principio accessionis refrigeratio: aliud, si in declinatione oriatur: sicut etiam, si per totam exacerbationem perdurarit, non bonum signum fuerit. Flatus autem in genere spirituum continentur: de quibus in præsagijs uerba fe-

C cimus. † * * * Differunt enim. ac sic nominant eos morbos, qui in corpore diu permanent: ut ipse in aphorismis declarauit, cum ait, Maximam partem senes minus, quàm iuuenes, ægrotant: si uero diuturnis morbis corripiantur, cum ijs fere moriuntur. id autem perinde accipiendum est, ac si dixisset morbos simul nutritos. illi enim huiusmodi non sunt: sed potius oriri in regione solent: quos etiam patrios in libro de aere, aquis, locis, & regionibus uocat: interdum etiã populares, ut hi ex altera parte communibus omnium, & uulgaribus respondeant: cuiusque autem, inquit, futuri temporis, annique statum, & qui morbi omnium communes aut æstate, aut hieme sint ciuitatem inuasuri, prædicet. & item, cum ait: Atque hi quidem morbi sunt eis patrij, præter quàm quod si quis morbus omnium communis ex mutatione temporum existat. & item inferius, cum subiungit: Hic autem morbus eis æstate, & hieme connutritus est. ex quibus apparet, morbum congenitum, & cõnutritum, non eundem esse, ut diximus: sed * * *

†Hic uidẽt deesse, quæ ad morbos cognatos ptinẽt

## *Quædam desiderantur.*

3 D *Regiones autem, quæ ad tempora male affecta sunt, tales morbos pariunt, quale fuerit tempus, cuius similitudinem gerunt. uerbi caussa, si eadem die frigus & calor fuerint, autumnales morbos in regione creabunt: hacque proportio in alijs item temporibus seruabitur.*

Cum, inquit, regiones male affectæ sunt ad anni tempora, tales morbos pariunt, qualia tempora fuerint. atque id quidem merito fit. neque enim temporum appellationes sed temperaturæ sunt morborum caussæ. cum igitur hæ a sua natura desciscunt, morbos quoque diuersos gigni necesse est. quoniam autem tempora propriæ temperaturæ, non appellationis ratione, humores adaugent, ideo si aeris nos ambientis temperies immutetur, etiam humores necessario immutabuntur. ut igitur tempora, pro priam sui temperaturam retinentia morbos eos pariunt, qui naturis temporum proportione respondeant, sic etiam morbi tempora præter naturam immutata consequuntur. Itaque cum in aphorismis legeris, morbos, quorum æstiuo tempore magnus prouentus est, febres continuas, ardentes, ac maximã partem tertianas esse, in primis adhibe animum, ne male intelligas, quod æstatis, quæ præter naturam affecta sit, mentionem Hippocrates fecerit: sed potius, quæ suum ordinem, modumque seruauerit. ut enim hiems est totius anni partibus humidior, ac frigidior, ita eius contraria esse æstas debet, ut siccissima, calidissimaque sit. at contra si hiems sicca sit, æstasque humida succedat, certe tempora suam naturam non seruabunt, proinde eo tempore morbi æstiui per æstatem non abundabunt: neque hiberni per

hiemem,

hiemem, neq; uerni per uer, si ipsum fuerit inæquale, & non ordinem seruarit. eadem erit autumni ratio. E
neque enim, ut dixi, propter temporum nomina singuli morbi accidunt, ut tales, aut tales sint, sed propter aeris, qui nobis circunfluus est, temperaturam oriuntur. nam ut est huius ipsius natura, ita etiã nos afficit. atque in hanc sententiam dictum ab Hippocrate est, Cum uer simile autumno fuerit, tum autumnales expectare morbos oportet. hiems autem humidam, frigidamq; habere constitutionem quandã debet: æstas calidam, & siccam: uer in medio utriusq; est accurate constitutum: sed in autumno frigus mane, meridie uero magnus calor, & rursus ad uesperam in frigus fit commutatio. Itaque si in alio anni tempore, quàm autumno, inæquale fuerit & frigus, & calor, idq; eadem die accidat, tunc autumnales morbi sunt expectandi. manifesta caussa est. illa enim constitutio autumnali statui proportione respondet. quare haud mirabile est, si tales morbi eo tempore oriuntur. at si anni tempora suam naturam seruarint, nihil tale, quatenus ad anni tempora pertinet, unquam eueniet. quare tempus æstiuum, quod calidum, siccumq; est, magnam afferet febrium tertianarum copiam: ac regio item calida & sicca maiorem uim illarum febrium, quàm humida, frigidaque producet. sed ægrotantis quoque temperatura ad hãc ipsam rem magnopere faciet. quod si uictus ratione calidiore, sicciore q; utatur, quæ quidem posita est in pluribus laboribus, uigilijs, curis, solicitudinibus, & cibis copiosioribus, & bili gignẽdæ aptioribus; is etiam se ipso biliosior fiet: atq; ita nimirum siccior, atque calidior. eadem est aliorum temporum ratio. nam si uere nõ solum frigus, sed etiam humiditas dominetur, profecto morbi hiberni abundabunt. F
idem est de æstate, deque alijs temporibus existimandum. neque enim tẽpora, sed qualitates sunt, quæ humores gignunt: & humores ipsas qualitates pariunt. perspicimus enim iracundiam excitari maxime, in quo bilis exuperat: & uicissim, in quo iracundia exuperat, in eo biliosos humores gigni. Sic etiam timor, & animi demissio melancholicum humorem efficiunt: & humor ipse melancholicus timorẽ, animiq; demissionem parit. de ceteris idem est censendum.

*Alij ab odoribus cœnosis, & palustribus.*

Duplex est genus caussarum, morbos efficientium, aliæ enim foris adueniunt, aliæ a nobis ipsis proficiscuntur. atq; ad noxas externas quædam interdum nostræ particulæ infirmæ sunt: quædam uero ad internas. nam morbi nostra ui fiunt aut a plenitudine, aut a malitia humorum: caussæ uero externæ ideo corpora animantium lædunt, partim quod intemperiem quandam gignant: partim quod frangant, aut incidant. nulla tamen res est, quam uitare non possimus, præter aerem nos ambientem. is enim immoderatius calfactus, aut refrigeratus, aut humidior, aut siccior redditus nostram immutat naturam: & symmetriam corporum, quæ sanitas est, corrumpit. ac ceteris quidem caussis neq; perpetuo occurrimus, neque ipsæ totum diem circa nos sunt: at in aere morari semper, ipsumq; spiritu ducere oportet: nec possunt corpora ad illius immutationem non simul & affici, & immutari. itaque medicus, qui recte curaturus sit, optimum, uitiosumque aerem debet cognoscere: ut qui ex illo morbi fiant, qui secus: & qui uitandus aer sit, aut non, intelligat. ac de ijs omnibus iam est a nobis in commentarijs in librum de aere, aquis, & locis, regionibus, & habitationibus dictum. nunc tamen quædam etiam summatim, recordationis caussa afferemus. Aer igitur accurate purus, esse optimus uidetur. est autem huiusmodi, qui neque e stagnorum, aut paludum halitu sit perturbatus, neque ex profundo specu emissus, cuiusmodi sunt, quæ Charonia appellantur. hæc enim ideo, quod aerem corrumpunt, morbos creant. idẽ facit is aer, qui uitium ex cloacis magnam aliquam urbem expurgantibus, contraxit: itemque is prauus est, qui ab aliqua corruptela, aut fimo inquinatur: ut ille etiam, qui propter uicinum stagnum, aut flumẽ nebulosus est. qui uero cauo in loco altis montibus est ex omni parte conclusus, nec ullum perflatum recipit, suffocans, putrisque censetur. quemadmodum autem omnibus æque conducit, ut optimum aera spiritu ducant, utileq; est, ut eo puer iuuenis, & senex utantur: sic prauum uitare omnes decet: propterea quod ætates omnes lædit. ceterum aer a sole illustratus ab eo, quem sol nõ attingit, & ab umbroso, itemq; diuturnus a nocturno differt. nam quem sol tangit, calidior, tenuiorque est: umbrosus uero crassior est. calidior porrò, ac tenuior corpora, quæ melius perflentur, efficit: frigidius, & crassus, contraria. H
Præterea prior est is, qui in urbe est, quàm qui ruri habetur: caussa est, quia urbanus aer non secus, quàm qui conuallibus cohibetur, calidior, crassiorque est. Sol enim aerem, perflatu uacantem calfacit, motionis uero uacuitas crassum reddit. id quod pati aer uidetur, quia multæ, & omnis generis exhalationes ex urbe in ipsum fluunt. qui uero ruri aer est, cum tenuis, purusque sit, homines cibi appetentiores facit, & ut meatus magis fluxiles sint, & sensus uegetiores fiant, & melius alantur homines, meliusque concoquant. eum tamen aerem, qui in hortis habetur, uitare conuenit: idque propter cloacas, quæ latrinas plerunque in hortos repurgant, & magnum quoque fœtorem. & halitum ex oleribus, arboribus, fruticibusque prodeuntem, qualis est, quem brassica, & carea, & buxus mittunt: quorum uicinitas aerem circunfluum uitiat. Quibus quidem fit rebus, ut Hippocrates hoc loco censeat, cognoscendum esse, qui nam morbi ex odoribus cœnosis aut, palustribus oriantur: siquidẽ hi & uulgares, & omnis generis morbos excitare consueuerunt. auctor enim secundi de natura humana libri aerem communissimam morborum caussam appellat. nec minus fere, quàm aer, aqua efficit. quo circa eius quoque naturam, & qualitates præstat habere cognitas, atque perspectas: quando sunt quædam puræ, quædam lutulentæ, quædã palustres: ut quædam salsæ, quædam aluminis naturam referunt, quædam æris, aut alterius rei qualitates imitantur. copiosius autem est actũ de his in libro de aere, aquis, & locis: ac plerunq; morbi ex prauis

A uis aquis,& quæ aliquam habeant qualitatem proficiſcuntur. quare præſtantiſſima aqua debet omni
proſus uacare qualitate & quod ad guſtatum,& quod ad odoratū pertineat:& ſuauiſſima item biben-
ti,& pura uideri,& cito hypochondria permeare. Hippocrates ipſe leuiſſimam præfert ceteris. eam
cognoſces,quod cito caleſiat,citoq; frigeſiat. huiuſmodi autem ſunt,quæ hieme calidæ,æſtate frigidæ:
ut peſſimæ ſunt,quæ æque atque anni tempora uel frigidæ ſunt,uel calidæ. æſtate enim calor extimam
terræ partem adit,hieme uero ima petit. quod in cauſſa ego eſſe exiſtimo,ut, quia fontes è profundiſſi
mis locis manant: omnes ſint hiberno tempore calidiſſimi; æſtiuo,frigidiſſimi. De aquis autem ſpon
te naſcentibus nihil opus eſt modo diſſerere. paluſtres uero,fœtidas,aut in quibus abſurdæ qualitates
inſunt, priuſquam decoquendo immutaris,ne offerto. aquam enim,quæ decoquitur,calor totā æque
fundit,& ad ſecretionem aptam facit. nam dum refrigeratur,terreæ partes innata grauitate deſcenden
tes in fundo uaſis reſidebunt:ac nos aqua in aliud uas ſenſim transfuſa,uti ſine noxa poterimus. Aquæ
autem omnes,quæ è ſtagnis hauriuntur,peſſimæ ſunt. habent enim abſurdum odorem quendam, per-
inde ac putreſcentes. eædem æſtate calidæ ſunt,hieme frigidæ: quod eſt prauarum aquarum argumen
tum uel maximum. Solæ autem paludes Aegyptiæ inter omnes,quas ego quidem norim,ſalubres ſunt:
propterea quod aqua hieme non putreſcit: ſiquidem non ſupercaleſit. Nilus uero paludes per autum-
B num explens,ueterem aquam eijcit:& nouam inuehit. Sunt etiam quædam aquarum differentiæ ex
herbis,quæ in illis naſcuntur, profectæ,& a metallis contractæ. ac metalla quidem in cauſſa ſunt, ut
aquæ ſint ad potum noxiæ: herbæ uero partim aquam uitiant,partim corrigunt. nam & ſium,& nepita,
& adiantum,aquam bonam uitiant:ei,quæ alioqui praua ſit, commodi quidpiam impertiunt. atque hu
iuſmodi aquæ ſunt ad meiendum aptiores: ſicut etiam ab alijs herbis alias ducere qualitates poſſunt:
a quibus ueluti medicamentum quoddam commixtum aquis comparetur.

4 *Alij ab aquis calculoſi,lienoſique: alij a uentis bonis,& malis incipiunt.*

Prauæ aquæ potus non modo calculum gignere,ſed morbum etiam omnibus communem excitare
poteſt. idque in exercitu quodam uſu ueniſſe,memoriæ proditum eſt. Ipſe uero in libro de aere,aquis,
« & locis ita de aquis ſcribit: Quæcunque inquit,ſtagnantes,ſtabileſque,& paluſtres ſunt,eas æſtate ca
« lidas,& craſſas,& fœtentes eſſe neceſſe eſt: itemque decolores,prauas,bilioſas: quippe quæ non de-
« fluant,ſed aqua pluuia ſemper noua accedat, ſolque adurat:hieme uero concretas, frigidas, ac præ ni-
« ue,glacieque perturbatas. qui uero eas bibunt,eorum lienes ſemper magni,uentreſque duri, tenues,
« ac calidi erunt. Præterea addit, Ad hæc inquit,aqua inter cutem plurima,maximeque pernicioſa exo
« C ritur. tum ſubdit. Quæ autem ex niuibus, glacieque fiunt,prauæ ſunt omnes. cum enim ſemel con-
« cretæ ſunt,in priſtinam naturam non amplius redeunt: immo uero earum leuitas, dulcedoque excer-
« nitur,& euaneſcit; quod uero turbidiſſimum,ponderoſiſſimumque in eis eſt,ibi relinquitur. quæ res fa
cit,ut eas eſſe peſſimas dicat. hæc autem ſubiungit: Homines uero inquit,potiſſimum calculis,renum-
que doloribus,& urinæ ſtillicidio,coxendicumque morbo corripiuntur,herniaſq; patiuntur,cū aquas
cuiuſque generis bibunt. De uentis autem aquas immutantibus,hæc ſunt ab ipſo conſcripta. Huic
autem uim adhibet boreas,huic auſter. de ceteris eſt eadem ratio. Calculi igitur non modo ex aquis
gignuntur, ſed multis alijs de cauſſis. atque in pueris quidam uolunt calculos fieri,quia, propter uaſo
rum exiguitatem,meatus adhuc anguſtos habeant. quod tamen uerum non eſt. ita enim potius opor
teret calculos in renibus eorum gigni; propterea quod tranſitus & uiæ renum ſint anguſtæ:& non fie-
ri in ueſica,cuius lata ceruix eſt. in ijs autem,qui progreſſa ætate iam ſunt, cauſſam calculis gignendis
affert actionum imbecillitas,craſſorumque humorum eruditas:in pueris uero,in quibus eſt magna na
tiui caloris copia,& ualidæ ſunt actiones,materia craſſa funditur,& in renes comportatur, & in ueſicā
facile percolatur. quia uero ueſica frigida eſt, utpote neruea,& pauco prædita ſanguine,& quia eſt am
pliſſima in ea cauitas;ideo craſſitudo in ipſam tranſmiſſa,ibi iterum cogitur, & concreſcit: & concre-
D tionis huiuſce principium accipit,cum in ueſica diu commoratur. quin etiam craſſa in pueris urina, &
edacitas,& motiones a cibo,cum ludunt, ac proſiliunt,cauſſæ calculorū eſſe poſſunt. Iam uero uſus
caſei,& lactis:quod ſuapte natura craſſum eſt, ad gignendum lapidem eſſe aptiſſimus uidetur. aliam
quoque ſubiungere cauſſam poſſumus,quæ eſt huiuſmodi: ex magna caloris copia,quæ in pueris eſt,
materia in uaporem abiens lapidem generat. Interdum etiam grauem dolorem homines ſentiunt,at-
que ubi angor ſit,ignorant,quamuis ille renes obſidere uideatur. incertum enim eſt,utrum in colo, an
in renibus conſtiterit. interdum uero calculum,qui dolorem afferebat,ſolum eſſe excretum uidimus.
interdum etiam cum cruore: abraſis nimirum ijs corporibus,per quæ tranſiuit:præſertim ſi lapis aſper,
aut acutus fuerit. poſt hæc autem in urinis erunt ſabuloſa ſubſidentia. at ſi colon patiatur,tunc neque
ſabulum,neque lapis,neque ſanguis ſubſidere inuenietur: ſed humor quidam,quem uitreum Praxago
ras uocabat:qui & colore,& conſiſtentia eſt uitro liquefacto perſimilis. Et quoniā lien erat craſſum,&
limoſum humorem ad ſe attracturus,ideo melancholicum excrementum,quod ſuo pondere deorſum
« fertur,in ipſum uergit: & quandam ueluti gulam ex ſimis ipſius lienis partibus productam, uenoſum
« uas,ad portas extendit,ut nihilo minus iecur purgetur, quàm ſi prope ipſum lien eſſet collocatus. eſt
enim ueluti ſanguinis limus quidam,qualis in uinis craſſis ſubſidere ſolet,quam fæcem nominant. quę
ſi diutius retineatur in corpore,nec per aliquem ſenſibilem,aut occultum meatum excernatur,ſed mu-

tetur,

tetur,ac computreſcat,atra bilis accurate gignitur. uerum antequam hæc generetur,lien illam ueluti E
fæcem ſanguinis ad ſe trahit,& iecur expurgat:hocque melancholico humore lien ad ſui nutritionem
abutitur. Si quando igitur lien non ita recte iecur expurgauerit,& ſanguis multum huius limi habeat,
tunc illa,quæ nigra appellantur,excrementa deijciuntur:ac multi alij affectus: atque etiam progreſſu
temporis ij,qui lienoſi appellantur,conſequuntur. Lienoſi enim ſunt,quorum lienes obſidet inflamma
tio,nec ad naturalem ſtatum redeunt, nec abit inflammatio, ſed duritia in eis manet,& natiuus corpo
ris color immutatur. atque hi lienem habent natura imbecillum. Lien uero etiam uel in molem aſſur-
git,uel intumeſcit, uel inflammatione tentatur. Verum quia dixit abſolute, Lienoſi,merito exiſtit quę
ſtio,quos nam hic affectus uelit intelligi. Scito autem hoc loco intelligendos eſſe omnes eos,quos pra
uæ aquæ gignunt: & qui ex illarum tum potione,tum uero omni uſu proueniunt:& qui ex hiſce cauſſis,
atque occaſionibus oriuntur: & omnes,qui ab affectibus lienis originem ducunt,cuiuſmodi ſunt aquę
inter cutem,herniæ,calculi,morbus regius,& qui ſunt huius generis:itemque ſcirrhi,inflammationes,
& omnino obſtructiones,ac colliquationes. Quod uero ſubiungit,Alij a bonis uentis, & malis inci-
piunt,habet hanc ſententiam. quoſdam morbos eſſe,qui originem a certis uentis ducunt. Qui uero
boni,aut mali uenti ſint,ipſe deinceps docebit. præterquam quod in aphoriſmis multa de eis dixit, &
in libris de uulgaribus morbis non pauca memorauit. Alij uolunt illo nomine πνευμάτων, non uentos F
hic ſignificari,ſed aerem,quem ſpiritu ducimus,& mittimus:in qua ſignificatione dictum ab Hippocra
te eſt,morbos tum a uictus ratione,tum a ſpiritu,quem introducentes uiuimus,exoriri.id quod illis pla
cet,quia ſæpe homines propter aeris inſpirationem lædi ſolent,ut in locis,quæ Charonia appellantur,
accidere perſpeximus. hoc tamen mihi non probatur: ſiquidem de aere dictum eſt ſuperius. nunc.n.
aperte in ipſo ſtatim initio præpoſuit hoc,alij ab aquis,& tamen ea quoque eſt uera ſententia.

*Qualia fuerint tempora,tales etiam morbi erunt:& ex his conſtitutiones ducentur: ſi tempora tempeſtiue, & ordinate* 5
*progrediantur,morbos iudicatu faciles parient:morbi autem temporibus familiares,indicant mutationes.*

Propria conſtitutionum elementa ſunt iam a nobis demonſtrata:& eadem in libro de aere,aquis,&
locis Hippocrates docuit. anni enim tempora qualitatibus,ut humiditate,caliditate,frigiditate,ac ſic
citate differunt:atque hiemem alia tempora ſuperare humiditate,ac frigiditate oſtenſum eſt: æſtatem
caliditate,ac ſiccitate: uere, neutrum in neutra repugnantiæ parte excellere, neque ſiccum humido,
neque calidum frigido:ſed eſſe omnium totius diei, ac noctis horarum ſimilitudinem, ac nullam ma-
gnam in illis fieri mutationem:autumno mane frigus,meridie æſtum,ueſperi frigus iterum uigere: &
tamen in ipſo ſiccum humido,& frigidum calido præſtare. hæcque eſt temporum ordinem ſuum ſer- G
uantium conſtitutio,quæ in annis plerunque cernitur:atque homines eam mutationem,quæ paulatim
fit,uix toto tempore perſentiſcunt. quod ſi ea fiat maior,tum neque tempeſtiue,neque ordinate anni
tempora procedunt. Quænam autem ſint prædictarum qualitatum uires,ut humiditatis,ſiccitatis,ca-
liditatis,& frigiditatis,docet ipſe in aphoriſmis,cum ait:Ex anni conſtitutionibus in uniuerſum ſicci-
tates ſunt imbribus ſalubriores,& minus mortales. Imbribus enim morbi fere naſcuntur hi,ſebres lō-
gæ,alui fluores,putredines,morbi comitiales,attonitique,& anginæ:ſiccitatibus uero hi, tabidæ lippi-
tudines,articulorum dolores,urinæ ſtillicidia; quæ ab Hippocrate de ea differentia, quæ in humidita
te,ſiccitateque eſt,dicta ſunt. de ea uero, quæ in caliditate,frigiditateque uerſatur,locutus eſt,cum de
aquilonalibus,auſtrinisque conſtitutionibus agit:de quibus paulo poſt diſſeretur. Nunc uero,cum pri
mas conſtitutionum uires didicerimus,facta de omnibus ijs,quæ accidunt,conſtitutionibus coniectu-
ra,debemus uia & ratione progredi ſic,ut qui morbi futuri ſint,& quo modo prohiberi poſſint, aut ſi
iam conſtiterint, quomodo curandi ſint,inueniamus. neque in his rebus diſquirendis non eſt adhi-
benda diligentia, ut quod ad regionis naturam pertinet,intelligamus: propterea quod regio quoque
aliquid indicat,quod ad prænotionem morborum facit: ſicut etiam cuiuſque natura, ætas, uitæ inſti-
tutum,& uictus ratio. humidæ enim, frigidæque naturæ etiam propter externas cauſſas facilius in eos H
morbos cadent,quos humida, frigidaque pariet conſtitutio:contrariæ uero,difficilius. Itaque ſi omnia
anni tempora ſuam naturam ſeruarint,morbos iudicatu facillimos parient:ſin ſecus,difficiles: hoc eſt,
qui male iudicabuntur. alterutrum enim horum duorum continget,uel ut iudicationes cum periculo-
ſis ſymptomatis coniunctæ,uel pernicioſæ ſint:uel,hoc tertium accidat, ut recidiuæ fiant. De morbis
autem patrijs, ac familiaribus habes quæ ipſe ſcripta reliquerit

* * *

Cetera non extant.

*Vt autem tempus uariabit,ita ſimiles,aut diſſimiles morbi erunt,qui eo tempore orientur. Si uero ſimiliter procedat,* 6
*morbi quoque huiuſmodi erunt,& ad talem modum tracti,qualis eſt morbus regius autumnalis: frigora enim ex calori-*
*bus:& calor ex frigore.*

Quomodo anni tempora uarientur,ipſe in libro de aere,aquis,& locis aperte demonſtrauit: item-
que in libris de morbis uulgaribus,nec minus etiam in aphoriſmis:ueluti cum ait, Cum hiems ſquali- »
da,aquilonaliſque fiat,uer pluuium,& auſtrinum,tum æſtate acutæ febres, lippitudines, & difficulta- »
tes inteſtinorum erunt. Et cum ait,Si hiems pluuia,& auſtrina ſit,uer ſqualidum,& hibernum, mulie-
res,quibus ſub uer partus inſtat,ex quauis occaſione abortum faciunt. Et in libris de uulgaribus mor
bis

A bis hoc modo, cum totus ille ductus ad austrinum statum uergeret, & cum squaloribus iunctus esset: & cum subdit: Cum autem totus annus frigidus, humidus, æquilonalisq; fuisset. Post has omnes constitutiones aliam ualde inæqualem subiunxit, quæ in principio frigida, humidaque fuit: deinde austrina, cum humiditatibus immoderatis iuncta ab autumuali æquinoctio usque ad vergiliarum occasum: deinceps uero frigida, & sicca, in qua uenti aquilones maximi per totam fere hiemem spirarunt: tum frigida, & sicca usque ad caniculæ exortum. inde magni æstus usque ad arcturum uiguerunt: circa quē pluuiæ austrinæ usque ad æquinoctium fuerunt. atque in ea frigidum, & siccum superasse ceteras qualitates conscripsit. Licet etiam alias plerasque constitutiones in libris de uulgaribus morbis, quæ inæquales fuerint, conscriptas intueri: de quibus loqui non est huius loci, ac temporis. immo uero etiam in aphorismis scriptum reliquit, Temporum mutationes maxime morbos gignere. addiditq; magnas mutationes aut frigoris, aut caloris, & alias ad harum proportionem idem efficere. Præterea uero subdit hæc, de quibus est item supradictum: In anni temporibus, cum eadem die modo frigus, modo calor uiget, autumnales expectare morbos oportet. in præsenti uero ait, morbos similes, aut dissimiles ex temporum mutationibus oriri. deberent enim similes gigni, quatenus temporum postulat ratio: dissimiles uero, qualis est mutatio, atque uarietas. Ipse uero exempli caussa, ut uarietatem cognoscere-
B mus, autumnalem morbum regium proposuit. planum enim est, morbum regium de numero eorum esse, qui æstate solent hominem inuadere. itaque si, autumnus talis sit, ut æstati proportione respondeat, in eo morbi æstiui uigebunt. gignet enim pallidam bilim, quam æstate uigere perspectum habemus. ea enim bilis quandoque in totum corpus diffunditur, idque ratione iudicationis, prout ipse in aphoris-
« mis memorauit: Regius morbus ante diem septimum, in malis habendus est: caussa mali est, quia hic abscessus nobis indicat, prohiberi, ne iecur bili expurgetur: eamque per uentrem excerni, iecore nimirum obstructione, aut inflammatione obsesso. hoc etiam symptoma fit uiscere ipso male affecto, aut quia scirrhum, aut quia inflammationem, aut quia obstructionem patiatur. quorum duo postrema fieri derepente possunt. Quandoque uero alia, quàm iecoris, affectio eundem affectum pariet: propterea quod etiam citra iudicationem, atque ullam prorsus iecoris affectionem, sanguinem bili infectum ex quadam absurda corruptela perspicimus: qualem morsus † ferarum afferre solent: quam nos curare ea antidoto, quam theriacam uocamus; sicut alias medicamento, quod bilim ducat, purgare cõsueuimus.

† Serpentum.

7 *Etsi æstas biliosa fuerit, bilisque aucta intus relicta sit, etiam modice lienosi fiunt.*

Bilis æstate adaugetur, propterea quod corpus præter naturam æstiuo tẽpore excalfit. id quod ipse
« C in libro de natura humana conscripsit his fere uerbis: Aestate inquit, sanguis adhuc robur obtinet, & bi-
« lis sese extollit in corpore, & usque ad autumnum manet: sanguis uero exiguus redditur: quod ei sit autumnus natura contrarius. bilis autem & æstiuo tempore occupat corpus, & autumno. Si igitur bilis per æstatem aucta intus in autumno sit relicta, tunc morbi a bili exorti homines corripient: & eorũ ortum anni tempus nihil prohibebit. cum enim sit mutata constitutio, haud mirum est, si aliorum temporum morbi in illa exoriantur.

8 *Cum autem uer quoque ita progressum sit, tum uere etiam morbus regius nascetur. hic enim motus est secundum hanc formam tempori anni proximus.*

Quemadmodum autumno æstiui morbi oriuntur, cum autumnale tempus sit æstiuo persimile; ita si ueris progressus sit statui æstiuo similis, idem usu ueniet. ergo morbus regius ex bili aut flaua, aut pallida, quæ æstate redundat, exortus, etiam uere proueniet: si modo illud tempus naturam æstatis seruarit. etenim uere sanguis augetur: ac si corpus prẹter naturam excalfiat, bilim coaceruabit: ex qua morbi æstiui proficiscuntur. hunc enim motum esse tempori anni, hoc est æstiuo, proximum dicit. nam æstas est inter uer & autumnum media interiecta: & cum uer definit, æstas incipit.

D
9 *At cum æstas sit ueri similis, sudores, in febribus, & febres faciles, & non peracutæ, neque perarida, quod ad linguas attinet, fient.*

Est iam supra dictum, non appellationem, sed temperaturam anni temporum in caussa esse, cur morbi oriantur. cum igitur tempora propriam naturam seruabunt, tum morbi conuenienter temporibus ipsis stati ac certi, & ut conuenit, fient. cum uero tempora de suo statu deflectunt, etiam morbi necessario de suo cursu declinant: propterea quod statum temporis consequuntur. Itaque sicut dixit, cum uer sit æstati simile, tunc morbos æstiuos expectandos esse, sic modo, si æstas fiat ueri similis, multos sudores in febribus fore. uer enim calidum, humidumque est: neque quicquam in eo per ullam partem repugnantiæ dominatur: ut neque sicco humidum præstet: neque calido frigidum. horum autem alterum, hoc est calidum, in æstate est: alterum hoc est humidum, hiemi etiam tribuitur. Copiosi uero esse sudores non possunt, nisi aer, nos ambiens, calidus sit: id quod & ueri, & æstati esse commune apparet: sed tamen uaria ratione: ac nisi humiditas quædam in corpore redundet: quod est ab æstatis natura alienum: estque & ueri, & hiemi commune. ex quo fit, ut in statu æstiuo, qui sit uerno similis, copiosi sudores merito dimanent. æstas enim, quæ secundum suam naturam procedat, quæ quidem satis squalida esse cõsueuit: superuacaneas humiditates per halitum digerit, quæ nimirum hieme, uereq; sint coaceruatæ.

naturæ.quæ uero fit ueri similis,ea propter calorem ad extimas partes trahit. uerum propter magnā uim E humiditatis,quæ intus in corpore est copiosius relicta,id quod traxit,discutere, atque dissoluere in uaporis speciem non potest. ex quo sequi uidetur, ut humiditas, dum tota per æstatem in iudicationibus excernitur,multos sudores efficiat. eadem caussa facit,ut morbi neque peracuti sint, quos alioqui esse acutos necesse esset:neq; aridam linguam reddant:siquidem non est uehemens quidam calor,qualis in æstate esse solet:quando hæc ipsa non suam,sed ueris naturam seruat. proinde fit, ut neq; adurat materiam,neq; exsiccet,prout æstiuus calor facit:qui etiam citra febrim,linguam exsiccat.

*Cum uero hibernum uer fiat,& postremum hiemis tempus, hiberni etiam morbi, & tusses, & peripneumoniæ, & angina existunt.* 18

Merito dixit hibernos morbos fore uerno tempore,si uer hibernum fuerit. eadem enim tibi suppetet aliorum temporum ratio:ut qualis sit mutatio, tales etiam morbi excitentur. atque hieme quidē hi solent oriri,pleuritides,peripneumoniæ,grauedines, raucitates, tusses, & alia item permulta genera. quocirca si uer fuerit hibernum,conuenienter quoque ei tempestati morbi hiberni existent.etenim hic me fiunt peripneumoniæ,& pleuritides,quod instrumenta respirationis propter uim frigoris læduntur. ob eandem caussam febres,dolores costarum,grauedines, raucitatesq; fiunt. nam ut illic instrumenta F respirationis, ita hic caput frigus lædit. Ait uero illo item tempore anginas fieri, licet angina morbus autumnalis sit. quanquam esse etiam uernus uidetur, ut ipse in aphorismis adnumerauit: Vere inquit, insaniæ,melancholiæ,morbi comitiales,sanguinis profluuia,anginæ,grauedines,& cetera.angina uero fit autumno ex humoribus biliosis in fauces decumbentibus: uere autē ex humoribus pituitosioribus constat.quod excrementorum magna uis fit ad fauces comportata: uel quod destillationes a capite in faucibus impactæ,firmatæque sint.

*Autumnus quoque si non in tempore,ac derepente hibernarit,non assidue tales morbos facit,propterea quod non in tempore incepit,sed inæqualiter fiat. ideo etiam tempora indicatione uacantia,& inconstantia fiunt: quemadmodum morbi quoque,si prærumpant, aut prius excernantur, aut intus relinquantur. recidiuas quoque tempora faciunt, sicut & morbos ita pariunt.* 19

Autumnus ab arcturi exortu sumit initium.oritur autem arcturus ante autumnale æquinoctiū:sicut etiam ueris principium censetur æquinoctium, quod eo tempore accidit: finis est ortus uergiliarum. hunc uero ortum esse æstatis initium,sicut esse finem æstatis,& principium autumni ortum arcturi, qui autumnale æquinoctium diebus fere duodecim anticipat,perspectum habemus. quinetiā occasus uer G giliarum est hiemis initium,& autumni finis.Si igitur autumnus non in tempore, sed derepente hibernabit,hoc est ad hiemis naturam uerget,hiemisque constitutionem nanciscetur,tūc morbi autumnales non assidue excitabuntur.caussa est,quia,in suo tempore non incepit,neque item oportune. Ipse enim in primo de uulgaribus morbis,ita scriptum reliquit.In Thaso ante autumnum frigora non in tempore sed repente,aquilone,austroque multum spirantibus,humida, & quæ prius proruperunt. nam propter humorum malitiam,quæ eo tempore est,& propter inæqualem aeris temperaturam, quartanæ, erraticæque febres,lienes,aquæ inter cutem,tabes,urinæ stillicidia,leuitates intestinorum, & eorundem difficultates,& coxendicum morbi,& anginæ,& suspiria,& tenuioris intestini morbus, & comitialis,& insania:itemque dolor cordis,horror,& uno uerbo,melancholici morbi oriuntur: qui sane omnes ex prædicta caussa proueniunt:atque ortum fere ex atra bili ducunt:quæ nimirum aut ex flaua nimium assata, aut ex sanguine crasso facta sit: quando ipse quoque fit uelut fæx sanguinis quædam. erraticæ uero febres propter inæqualem temperaturam oriuntur: ut lienes magni ex melancholici humoris redundantia redduntur. Vrinæ stillicidium gignit siccitas, & refrigeratio: siquidem uesica in mutationibus ijs, quæ sine ordine,& repente fiunt,refrigeratur. Coxendicum porrò dolores tum a malitia humorum, tū a refrigeratione potissimum excitari,perspicuum est. quia autem tempora uacant iudicatione, suumq; H statum non seruant,ideo†anhelationes tum propter motum ad interiora,tum propter refrigerationem fiunt:sicut etiam probabile est in refrigeratione,inæqualitate,malitiaque tēporis uitiari uentrem, atq; intestina,ut leuitates intestinorum,difficultatesque,& tenuioris intestini morbi oriantur. Quoniam autem calorē meridie,& frigus mane,& uesperi persentiscimus,haud mirabile est,si comitiales morbi interdum in hominem irruant:præsertim uero si cui ita sit natura comparatum,ut in huiusmodi morbum cadat.Insaniæ autem morbi ab ea malitia,quæ in tenuibus humoribus biliosis inest,nasci solent: melancholici uero ab atra bili:cuius prouentus autumno colligitur.Iam uero nihil est,cur mireris, si propter temporis malitiam,& temperaturæ aeris nos ambientis inæqualitatē cordis dolores,horrores,& huiusmodi alia per autumnum dominentur. Copiosius autē de morbis omnibus,& symptomatis,quæ accidere autumno solent,disseretur in ea explicatione,quæ in secundum de uulgaribus morbis editur:ipse uero nonnulla etiam in aphorismis memorauit:quo in loco hoc quoque ostensum est,autumnum esse omnibus ætatibus,naturis,regionibusque malum.inter ipsas tamen minus quàm alias, eo tempore humidas,& calidas lædi: quam ob rem morbi,inquit,iudicatione uacantes, inconstantesque fiunt. nā quia oportuno tempore non fiunt,sed in repentinis mutationibus,ideo fit, ut neque in tempore accōmodato solui,explicarique possint.sed neque statis temporibus,neque tempestiue,ut ipse loqui solitus est.

†Asthmata.

A est. Stata autem tempora ab ipso uocari scimus ea, quæ propriam temperaturam ordine sortiuntur. ac que ita etiam ipse annos status ac certos uocat in libro de aere, aquis, & locis eos, qui conuenienter rationi procedant. ac si autumno fiant pluuię, hiemsq; moderata, nec ualde serena, nec frigore excedens, & uere, atque æstate imbres tempestiui fiant, sic, inquam hunc annum fore saluberrimum uerisimile ait esse. cum uero tempora stati anni progressionem non seruarint, tunc Hippocrates inconstantia uocat: & morbos in ipsis exortos pari modo inconstantes nominat: ac supra eosdem difficiles iudicatu, nunc uacantes iudicatione in eandem fere sententiam appellat: ut eos non recte, sed male iudicari intelligamus: quod nihil aliud est, quàm ut uel cum malis symptomatis iudicentur, uel postea repetant. huius porrò malæ iudicationis, aut recidiuæ caussa est, quia prius prorumpunt, aut prius excernuntur, aut intus relinquuntur. & quia prærumpunt, & prius excernuntur, ideo non iudicantur: & quia intus relinquuntur, ideo repetunt. id autem ipse in libris de morbis uulgaribus docuit, cum ait, Quæ post iudicationem relinquuntur, recidiuas faciunt. praui enim humores in corpore relicti, morbos pariunt, & temporis progressu computrescentes solent febres excitare. quinetiam in præsagijs ita scriptum comperimus, Febres, quæ neque salutaribus notis apparentibus, neque in criticis finitæ sunt diebus, fere repetunt. nam quæ sine ratione leuata sunt, ea solent repetere: licet hoc in die critico eueniat. Iudicationes

B uero ipsæ in omnibus quidem diebus fiunt, sed neque pari numero dierum, neque ita fidæ, ac certæ. differunt autem, quod quædam bonæ, quædam malæ sunt: & quædam cum multis, grauibusq; coniunctæ symptomatibus, & maiore angore: quædam statim in ipso initio, & tuto. Ceterum quod ait prærumpere, quod non oportune quid fieri, & iudicationis tempus pręuenire significat, malum est: siquidem cum noxijs humoribus boni etiam excernuntur. hoc autem usu uenit, quia natura irritata fit uel ab externa caussa quadam, ut a medico, aut ægrotante, aut a ministris nó recte aliquid molientibus: uel ab ijs, quæ in ipso corpore continentur, cuiusmodi sunt morbi, aut caussæ, aut exacerbationes. exacerbatio enim naturam irritat, & tanquam lacessit: nec requietem ei, nec moram concedit: sed excitat, & ueluti ad pugnam prouocat. Quoniam igitur natura non semper accommodatis, aptisque temporibus impulsa morbos iudicat, sed sæpe aliter ab alijs atque alijs caussis stimulatur; ideo merito fit, ut prærumpāt humores, nec perfecta fiat iudicatio. atque ubi hoc factum sit, ibi expectare recidiuas oportet. tempora enim, a quibus fieri morbos ait, recidiuas afferre plerunque solent: & morbi quoque in ijs exorti temporibus proportione respondent. Itaque adhibere animum temporibus anni, & ijs mutationibus, quę in ipsis fiunt, accurate debes: ut morbos cito dignoscere, & eosdem curare recte possis.

12 C *Illud insuper considerandum est, quomodo corpora se habeant, cum ab anni temporibus suscipiuntur.*

Hoc præceptum est ad eam medicinæ partem, quæ sanitatem tuetur, & ad eam, quæ morbos curat, accommodatissimum. ad conseruandam enim sanitatem facit, quia temperatis corporibus aer temperatus est optimus. in quibus uero aliqua exuperans qualitas dominatur, ijs utilissimus est aer, qui exuperanti qualitati sit contrarius uel maxime: ut frigidus calidæ, calidus frigidæ: humidiori siccus: sicciori uero, quàm par est, tanto humidior, quanto illa sit, quàm moderata portio, siccior. quo sane tempore uictus ratio est temperaturæ temporis contraria instituenda: in quo non ignorandum est, ea, quæ similia sint, magis nocere, & temporis actionem adiuuare. Ad curationem uero morborum adiumento est, quia contraria sunt contrariorum medicamina. Itaque si tempus uernum corpus alicuius excipiat bonis præditum humoribus, id etiam in optima sanitate conseruabit; nihil ex sua natura noui afferens: id tamen neque æstas, neque autumnus, neque hiems faciet: hæc enim tempora licet corpus purum, & omni ex parte uacans culpa exceperint, tamen æstas pallidam, aut flauam bilim copiosiorem, quàm par sit, autumnus atram bilim, hiems pituitam, gignere consueuit. unde efficitur, ut frigidæ & humidæ naturæ sint optime ad æstatem comparatæ: calidæ & siccæ ad hiemem: contra uero, calidæ & siccæ male ad æstatem; humidæ uero, & frigidæ male ad hiemem affectæ sint. Tres autem sunt omnes corporis con-

D stitutiones in rerum natura, optima, praua, & ægrotans. sed optima una est. aliarum duarum sunt differentiæ innumerabiles: propterea quod malæ quædam corporis constitutiones sunt, quæ in toto animāte habent intemperiem: quædam uero in constructione partium inæquali. quocirca spectandū est, quo modo corpora affecta sint, quando anni tempora ipsa excipiunt: hoc est, utrū bene, an male affecta sint, & utrū perfecta sanitate perfruantur: an uero nondū ægrotent, sed inibi sint, ut prope in morbū cadant. cum.n. squalida, siccaq; tempora sunt, tunc tantum abest, ut naturæ humidæ quicquam a tali constitutione lædantur, ut etiam magnopere adiuuentur. constitutiones autem omnes, quas Hippocrates litterarum monimentis consignauit, intelligere debemus in temperatis orbis terræ partibus extitisse: exceptis ijs Thraciæ locis, quæ a mari sunt remota. quæ & humidiora, & frigidiora, quàm oporteat, in cōmentarijs in librum de aere, aquis & locis docuimus: & itē Aegypti & Libyæ regionibus calidis, & siccis, demptis ijs tractibus, qui ad mare siti sunt. humiliores.n. Thraciæ, ac Ponti regiones, quæ maritimæ sunt, calidiore ēt sunt temperatura. in Aegypto uero & Libya, quæ calidæ sunt, ideo loca esse minus calida, quàm quæ a mari ad continentem recesserunt, experti sumus, quia per æstatem uentis ab ursa perflata refrigerantur. Qui uero accurate temperatam, & mediam mundi Zonam cognoscere aueat, is ad partem eam, quæ ad Cnidum, & Co pertinet, mentem adhibeat, eique adiungat loca, quæ ab ijs insulis non longe recesserunt. Est etiam uerisimile anni tempora in ea Zona stata esse, & non morbosa.

contraria uero sunt de ijs,quæ non sunt huiusmodi,iudicanda. proinde spectandum est,quo modo affe- E
cta corpora sint,quando ab anni temporibus excipiuntur.

*Austri auditui grauitatem,oculis caliginem,capiti pondus,membris tarditatem,languoremque afferunt. cum hic uentus dominatur,talia ægroti patiuntur:ulcera madida,præsertim uero os,pudenda,aliaq; partes. Si uero aquilo,tusses,fauces,alui duriores,urinæ difficultates,horrores,costarum,pectorisque dolores. hoc autem dominante, tales morbos magis expectare oportet.* 13

Ventorum,aut spirituum,aut flatuum (licet enim,ut uelis,eos appellare) disciplina, atque dignotio magnum ad res omnes præstare medico usum uidetur: siquidem & ad præsagia facienda cōducit, & ad curationem adhibendam utilis est uel maxime. quocirca non fuerit fortasse absurdum,si hoc loco mihi proposuero de uentis agere copiosius,& accuratius,licet hoc ipsum in libro de aere,aquis, & locis iam sit pertractatum:atque in commentarijs in libros de uulgaribus morbis,multis in locis sit nobis de hac re necessario differendum. tantam enim talemque res ipsa utilitatem præbet, ut neque nobis graue uideri debeat bis,terue de eadem scribere: neque pigere studiosos,medicinæque cupidos homines iterum legere. In primis aūt est de essentia uentorū inter philosophos cōtrouersia. Anaximander enim putat,uentum esse fluxum aeris,cuius subtilissimæ humidissimæq; partes a sole motæ, cōsumptæq; sint. F
Anaximenis opinio est,uentos ex aere,& aqua gigni,& impetu quodam ignoto uiolenter ferri, & celerrime,sicut uolatilia,uolare. Stoici de solis nominibus disputant. cum enim qui a tenebris,& occasu flat,fauonium: qui ab ortu solis, subsolanum: qui a septentrione, aquilonem: qui a meridie, africum uocant. nunc uero narrare ut alijs quod ad hanc rem pertinet, alia placeant, mihi superuacaneū uidetur: cum possim de uentorum natura uere differere. Itaque scire conuenit,halituum esse duo genera,quorum unus humidus est,aridus alter. atque ille quidem uapor appellatur: qui uero est aridus, is ueluti fumus est. atque ut humor sine siccitate,ita nec siccitas sine humore constabit. hæc tamē omnia ex materia in ipsis redundante dicuntur. quocirca halitus, qui plus habet humoris, is pluuiarum est principium: aridus uero est flatuum origo,& natura omnium. ex quo fit,ut flatus sit aridus uapor. hoc autem loco minime mirari debemus,si quidam existimarunt, eandem esse naturam uentorum, & imbrium,ducti nimirum maxima,quæ intercedit,similitudine. eadem tamen non est,ut quidam arbitrantur. eundem enim aerem,si moueatur,esse uentum: si concrescat,esse aquam affirmant. etenim absurdum fuerit,si aer is,qui nos ambit,dum motu cietur,flatus fiat,& unde uis motu pulsus,uentus sit. nam quia continenter,sed plus,uel minus,& maior uel minor fieri halitus solet, semper nubes, ac flatus in singulis anni temporibus fiunt. quia uero interdum multis partibus magis uaporosus,interdum uero G
aridus,ac fumeus,ideo fit,ut anni modo pluuij,& humidi: modo uētosi,& squalidi sint. terra enim post pluuiam & suo,& a superno calore resiccata halitum,qui uentorum materia est,profundit: cumque huiusmodi secretio existit,tunc uenti uigent. quibus ponentibus,quia calor semper secernitur, & in sublime fertur,uapor refrigeratus consistit,& aqua efficitur. ceterum uenti plurimi a septentrione,& meridie spirant: siquidem aquilones,& austri flare plurimum solent. caussa est,quia sol ea loca non adit: cū ad occasum,ortumque semper feratur. Cum igitur uentus sit aeris fluens unda,cum incerta motus redundantia,ac nascatur,cum feruor humorem inuenit,& impetus feruoris uim spiritus flantis exprimit; certe nubes ad latera cursus solis consistunt. & cum sol accedit,humor exhalat: cum recedit aduersam in partem,imbres,hiemesq; excitantur. atq; ubi terra plurimas aquas recipit, ibi maximā uim halituū gigni necesse est: ipse autem halitus est uentus. ideo merito fit,ut a septētrione,ac meridie plurimi uenti oriantur. qui a septentrione flant,aquilones: qui a meridie,austri nominantur. hæc autem nō modo pulchrum atque honoratum,sed etiam utile est scire. Venti enim si sint ab ipsis habitationibus exclusi, non solum efficient corporibus integra sanitate utentibus salubrem locum,sed etiam si qui morbi ex alijs occasionibus forte excitarentur,qui alijs in locis difficulter curarentur,in his,propterea quod exclusi uenti sint,expeditius curari possent. morbi autem,qui difficulter curantur in regionibus, quæ uen- H
tis subiectæ sunt,hi fuerint,grauedo,morbus articulorū,tussis,pleuritis,tabes, fluxus sanguinis: & qui non detractione,sed potius adiectione curantur. Hippocrates uero alias affectiones numerauit,de quibus deinceps differetur. Nunc uero illud obscurū non est,flatus a sole exprimi,& excitari. halitus enim imbecillos & exiguos tabefacit,& suo calore,qui est amplior,calorem halitus,qui minor est,discernit, ac dissipat: præterea uero terrā prius exsiccat,quàm affatim fiat secretio: sicut magnus ignis [exiguā materiā deurit prius,quàm fumum excitet] quā ob rem circa exortum orionis maxime uēti ponunt usq; ad Etesias,& prodromos. quod duabus de caussis usu uenit. uel quia halitus ui frigoris extinctus sit: aut quia ab æstu elanguescat. Ceterum quattuor uenti sunt aliorū principes, eurus, qui ab ortu solis: auster,qui a meridie: fauonius,qui ab occasu solis; aquilo,qui a septentrione spirat. hæc autem loca inter se opposita sunt,magnamque habent latitudinem. quanquam octo uentorum differentiæ comperiuntur: siquidem inter austrum & ortum solis hibernum flat is,qui euronotus nominatur: inter hunc uero,& uerticem, & hibernum occasum libonotus: qui quidem omnes & humidi, & calidi censentur: ideoque caput replent.

Sic legitur in exēplari secūdo, deerat enim in primo καταλείπει τι ὀλίγον, πρὶν καπνὸν ποιῆσαι.

* *Hoc loco in utroque exemplari deest quidpiam.* *

Sunt etiam aliæ duæ differentiæ: quidam enim uenti uniuersales sunt,

alij

A alij proprij locorum, qui etiam regionibus attributi uocantur: cuiusmodi est is, qui in Apulia flat, atabulus nomine: uniuersales autem sunt, qui ubique locorum eodem nomine uocantur. qui ad loca pertinent, naturam sequuntur locorum, a quibus spirant: ut qui a salubribus salubres, qui a morbosis morbosi sint: & qui a terra spirant, ficciores: qui ab aquis, humidiores censeantur. & qui a mari, salubres sint, maxime hieme & uere: æstate uero calidiores, quàm par sit. qui a fluminibus mittuntur, sunt his humidiores, sed hiberno tempore deteriores habentur: æstiuo meliores. qui a stagnis, utrisq; absurdiores: pessimi autem sunt, qui e paludibus prodeunt. qui a campis, & terra, quæ recte perfletur, meliores existimantur. ad summam omnes, qui sunt locis attributi, sunt uniuersalibus morbosiores. aquilones uero saluberrimi: fauonius ab occasu solis spirans humidus est, ac lenis, minus tamē salubris, quàm aquilo. noti quoq; ab oriente flantes sunt ad bonam ualetudinem praui. itaq; melior uentus est is, qui e magno mari flat. hunc uero in bonitate sequitur qui a montibus descendit: peior, qui a cloacis urbem & sordes expurgantibus, quiq; e stagnis, & locis palustribus emittitur. inter hos medium locum tenet is, qui ab alijs locis effunditur. planum enim est, loca sublimia, quia undique adaperta sunt, nec quicquam est, quod flatus arceat, facilius perflari: proinde fit, ut qui in illis uitam degunt, fere sani uiuant: humilia uero minus salubria sunt propter calorem: præsertim uero æstate: & quia minus perspi-
B rent, quod regio sit humilior. Loca uero, in quibus stagna, ac paludes sunt, morbosa putantur. caussa est, quia omnis adiacens regio humida redditur, & aer, qui ijs locis continetur, humidus, crassusq; est, & multos halitus excitat: ac si quis aliunde in ea loca se recipiat, is grauibus morbis corripietur: ut etiā solet in occasu, ortuq; orionis propter mutationem contingere. etenim mutationes locorum non secus, quàm temporum turbationem propter ipsarum uarietatem afferunt. Nunc autem, ut quomodo uenti siti sint, & unde proficiscantur, intelligamus, non erit fortasse ab instituto nostro alienum, eos omnes forma quadam, ut geometræ faciunt, describere. nam de eorum numero non iam inter omnes conuenit: alij enim esse quattuor præcipuos uolunt, tum alios innumeros statuunt: alijs octo esse placet: alijs duodecim: alij item quattuor & niginti commemorant. re uera autem si quis eos numeret, qui a locis, fluminibus, paludibus, stagnisq; mittuntur, quamplurimos certe comperiet. nos uero in hac forma orbem terrarum, ut censuit Eratosthenes Cyrenaicus, in quattuor partes, in ortum, occasum, meridiem, & septentrionem diuidemus: ac principes uentos in ijs collocabimus, tum alios statuemus, qui inter illos quattuor erunt interiecti. quemadmodum inter eum, qui subsolanus uocatur, & austrum ad ortum solis hibernum ponemus eurum: inter austrum & fauonium ad hibernum occasum, africum. inter africum & aparctiam, eum qui caurus nominatur: inter aparctiam & subsolanum, aquilonem.

In Greco lib. oēs fere litteræ, ex quibus hæc forma cōficitur, erant deprauatæ. itaque eas ita, ut uides, restituimus.

C




D

Esto autem in æqua planitie cētrum, ubi est littera a. gnomonis autem, qui est littera r, antemeridiana umbra quæ est p, ubi est b. & a centro ubi est a, diducto circino ad signū umbræ, ubi est b. circulus ducatur. tum expectanda est, dum minor fiat, & iterum crescat, & post meridianam umbram quæ est q, antemeridianæ parem faciat: & lineam rotundationis, ubi est littera c, contingat. tum a signo ubi est b, & ab eo, ubi est c, circino decussatim describatur, ubi erit d. deinde per decussationem ubi est d, & centrum, linea ad extremū, in qua e & f litteræ erunt, perducatur. hæc linea meridianam, septentrionalemq; regionem indicabit. tunc circino totius rotundationis pars sextadecima sumenda est, & cētrum circini ponendum in linea meridiana, quę tangit rotundationem, ubi est littera e, & dextra, sinistraq; signandum, ubi g. h. litteræ erunt. simili quoque modo in plaga septentrionali centrum circini ponendum est in linea septentrionali rotūdationis, ubi est littera f. & signandum dextra, ac sinistra, ubi sunt litteræ i. & k. & a g ad k, & ab h ad i, per centrū lineæ perducendæ sunt. quare quod spatium erit a g, ad h, id erit uenti noti, & meridianæ partis spatiū. quod uero erit ab i, ad k, erit septentrionis: reliquæ partes, ut tres a dextris, & tres a sinistris æqualiter diuidantur: quæ sunt ad orientem, in quibus litteræ l, & m. ab occidente, in quibus sunt litteræ n, & o, ab m, ad o, & ab l ad n. perducendæ sunt lineæ decussatim: atque ita octo uentorum spatia in circuitio-

nem erunt æqualia. Tres igitur orientales uenti sunt, eurus, quia ab aurora ruat: alter ab æstiua,& sol- E
stitiali metà uenit, aquilo, quem Homerus αἰθρηγενέτην, quod cælum sudum reddat, uocare consueuit:
tertius est, qui ab oriente hiberno spirat: qui cum inter eurum & notum sit medius,† euronotus appel- † Vulturnus.
latur. his oppositi sunt alij tres occidui, unus est argestes, quem etiam caurum aliqui nominant: qui
aduersus aquilonem: alter est fauonius, qui aduersus eurum flat. tertius africus, qui flare aduersus eu-
ronotum uidetur. meridies unum meridionalem habere uentum dicitur, qui a sua natura nomen du-
xit. νότος enim, hoc est auster, appellatur, quia nebulosus est, atque humectus. septentrio quoque unum
habet aparctiam. huius rei caussa est, quia ortus & occasus commutantur: meridies uero & septentrio
stabiles, fixiq; sunt. Sol enim nō semper eodem modo exoritur, sed modo ortus æquinoctialis, cum Sol
eum circulum, qui æquinoctialis dicitur, conficit: modo solstitialis, & brumalis uocatur. similiter occa
sus eius modo æquinoctialis, modo solstitialis, modo hibernus nominatur. Qui uero esse modo quat-
tuor uentos uolunt, ij Homerum auctorem habent, qui quattuor solum numerauit in his uersibus:

> Vna eurus, grauiter spirans, Zephyrusque, notusque,
> Et boreas uastos uoluunt ad littora fluctus.

qui multos statuunt, hanc coniecturam ex illorum situ, ac positu sumunt. perspectum enim habemus,
fauonium ab occasu æquinoctiali flare: subsolanum uero huius contrarium, ab ortu æquinoctiali: au- F
strum porrò a meridie, aquilonem, & aparctiam a septentrione. aiunt enim per tantum spatium atque
interuallum non posse hos solos aduersus sese flare: neq; alios omnino uentos inueniri, qui inter hos
sint medij: id quod esse uerum uidetur: atq; id ita confirmant. ab ortu æstiuo flat cæcias, cui contra-
rius est africus, qui quidem ab æstiuo occasu flat: sicut ab ortu hiberno flare eurus uidetur, qui est noto
propinquus. ex quo fit, ut sæpe flare euronotus dicatur. ei uero contrarius est argestes, qui ab æstiuo
occasu flat. hos autem esse contrarios, & per diametrum oppositos aiunt. Inter argestem & aparctiam
est is, quem thrasciam uocant: medius uero inter cæciam, & aparctiam est is, quem mesen nominant.
est præterea alius, qui phœnicias appellatur. Quæ cum ita sint, illud quoque præterire quemquam nō
debet, eos uentos, qui ab occasu flant, esse frigidiores: qui ab ortu, calidiores: propterea quod orienta
les diutius sub sole morantur: at eos, qui ab occasu, cum Sol citius deserit, tum uero serius etiam ad ea
loca accedit. quam rem Hippocrates quoque in libro de aere, aquis, & locis scriptam reliquit. Si qua
inquit ciuitas ad uentos sita sit calidos: cuiusmodi sunt, quæ inter hibernum ortum solis, & hibernum
occasum, &c. contrarij autem flare simul non possunt: sed necesse est, ut eorum alteruter ui alterius cō-
pressus, conquiescat. eos uero, qui non sunt per diametron oppositi, nihil uetat simul spirare. Iam ue-
ro etiam in contrarijs anni partibus uenti contrarij flant maxime ut circa autumnale æquinoctium flat G
africus: circa solstitium fauonius, circa brumam eurus. in alios uero incidunt, eosq; sedant aparctiæ,
thrasciæ, & argestæ. hi enim sæpe nubes dispellunt, ac cælum sudum reddunt, nisi forte usu ueniat,
ut frigidi simul sint: siquidem tunc sereni esse non solent. humidi porrò sunt africus, & cæcias. atque
hic quidem serenus non est, quia in se ipsum reflectitur. argestes & eurus sicci sunt. meses & apar-
ctias niuosi. aparctias, thrascias, & argestes grandinem gignunt. æstuosi auster, fauonius, & eurus.
Sunt qui austrum esse perpetuo humidum putent: quod tamen non est: siquidem interdum siccus ui-
detur: eumque plerique leuconotum uocant. Hippocrates quoque in primo de uulgaribus morbis
cum primum statum recenseret, ita scripsit: Cum inquit, totus hic ductus esset austrinus, & squali-
dus. ac talis auster subinde est uehemens, † eiusque motus semper est perspicuus. alter est auster, qui † In Gal. lib. est negatio, quam expunximus. ut ab altero austro differat.
lenis est, atque in aere, & nubibus motum habet, qui sensum fugiat. atque hic quidem est perpetuo
calidus. at qui leuconotus uocatur, interdum frigidus uidetur. sunt præterea etesiæ, qui transeunt
ad occidentalis plagæ incolas ex aparctia, in thrascias, argestas, & fauonios: incipiuntque a septen-
trione, & in eos, qui procul absunt, desinunt. apud orientales uero, usque ad subsolanum transeunt. at-
que hi flant cum canis oritur: & æstatis lenire æstum solent. ac quædam quasi suffocatio æstate esse so
let, cum æstas suapte natura calida sit, nisi uenti, qui præcurrant, quos prodromos uocant, & qui conse- H
quuntur, quos etesias nominant, perflarent: quos canis ortus distinguit. Ventus autem magnam sæpe
utilitatem, aut damnum inuehit: quia non semper conducit hominem aeri exponere, ut hieme propter
frigus, æstate propter calorem: itemque, quia uitare uentos oportet. horum enim caussa sæpenumero
fit, ut non modo in liberum aerem, uerum etiam ad ianuas, & ad fenestras, qua uentus uehementer
perflat, deducere ægrotum caueamus. in illis autem potissimum uentos cauemus, in quibus neruos
pati aliquid ueremur: sicut etiam solem in putrescentibus uitamus, cum ea ad sanguinis eruptionem
esse apta uideantur. atque hæc quidem de uentis generatim, & speciatim dicta sint. nunc uero parti-
culatim de austro, deque aquilone, & ijs malis, quæ afferunt, dicendum est. Hi igitur uenti contrariam
habent temperaturam: nam aquilo siccus, frigidusque est: auster calidus & humidus natura. quocirca
ille absumit omnia, quæ in corpore sunt superuacanea, instrumenta stabilit, constringit, ac cogit: anima
les, naturalesq; actiones meliores facit, ut corpora ad audiendū, ad mouendūq; aptiora, & coloratiora
reddantur: sed aluum sistit, oculos mordet, & antecedentes pectoris dolores irritat. auster uero maio-
ra aduehit mala: nam corpora dissoluit, capiti grauitatem affert, difficultatem auditus parit, excitat
uertigines, quæ morbum comitialem, atque attonitum præcedunt: aliaque praua symptomata efficit:

A cuiusmodi est difficultas motionis in oculis,ac toto corpore:aluū autem humectat.quam ob rem merito dixit,austrum afferre grauem auditum,oculis caliginem offundere,caput prægrauare, torpentes, ac languidos efficere.Solidæ enim animantis particulæ actiones obeunt. itaq; illæ plenæ humorum peius suis actionibus funguntur.neq; admirabile cuiquā uideri debet, hæc esse ab Hippocrate de austro memorata,si uelit expendere,quænam sit eius uenti,ut dixi,natura.perspicuum enim est,ipsum humida, calidaq; natura esse.quæ uero sunt huiusmodi,ea uim replendi capitis habent omnia. unde capitis grauitates gignuntur,oculique caligine obducuntur.cum enim cerebrum humidiorem constitutionem persenserit,tunc uoluntariæ actiones deteriores necessario redduntur. atq; hinc torpor,ac ueluti dissolutio & languor,corporis exoritur. Cum igitur auster uiget,hæc fieri confirmat. contraria fere in aquilonalibus constitutionibus contingunt . ut enim auster torpentia facit corpora , ita aquilo ad motum reddit promptiora:ut ille dissoluit:sic hic contenta efficit:ut ille hebetem auditum parit, sic aquilo auditū exacuit:ut ille aluum humectat,sic iste exsiccat.ut etiam auster caput grauat;ita aquilo, excrementa consumens,totum corpus leuius reddit. Addit autem,cum auster regnat,homines pati ulcera madentia,præsertim uero in ore,ac pudendis,& alijs partibus:idque uerum est.cuius rei caussa facile potest excogitari.quæ enim putrescunt,ea ui caloris maxime putrescunt,cui rei adiumento est etiam humiditas: auster

B autem utranque qualitatem,hoc est calorem,humiditatemq; habet.merito igitur fit,ut homines in austrina constitutione hosce morbos patiantur.quinetiam locorum natura non parum facit, ut corruptelæ in eis oriantur.nam & ori, & pudendis magnam uim humiditatis natura tribuit : & habent præterea glandulas propinquas,quibus est natura comparatum,ut quæcunque superuacanea sunt,in se excipiāt. immo uero pudenda computrescunt, semper cum æstas multo humidior, aut uentis magis uacans, aut magis austrina fuerit.nam ubi plurimum a statu naturali ad humiditatem,ac uentorum uacuitatē recessit,non modo genitalium,sed cuiusuis etiam alterius partis corruptelas facit.talis sane fuit ea tēpestas , quam ipse in tertio de morbis uulgaribus descripsit his uerbis: Annus īquit,erat austrinus,pluuius, omnino uentis uacans:& item in secundi libri initio:Carbones Cranoni erant æstiui,pluit per æstum largo imbri.hoc per totum contigit,præsertim sub austro.Iam uero mutationes,quæ paulatim fiunt. ac nō solum quæ affatim eueniunt,pudenda attingunt:siquidem ipsa de quauis leui caussa solent putrescere. talia igitur in austrina tempestate homines patiuntur.alijs uero malis urgentur in aquilonali: nam & tusses,& fauces asperæ,& alui duriores, & urinæ difficultates,† horrorem inducentes, & dolores costarū, & pectoris homines exercent.ac tusses quidem ex organorum respirationis intemperie,& fauciū asperitate oriuntur.male enim afficiuntur fauces,cum aquilo spirat:propterea quod siccātur,ac refrigeran-

† Alter liber habet [illegible], tamē.3.apho. 5.legitur [illegible].

C tur,ideoq; asperę redduntur.quinetiam inferior,uenter arida excernit,sic a sicca constitutione coactus. Quoniam autem aquilo non modo siccat,sed etiam refrigerat,idcirco uesica etiam læditur.quam ob rē urinæ difficultas excitatur.nam partes exangues facile a caussis frigus inuehentibus aliquid mali patiūtur.ac non modo idem frigus aquilonis urinæ difficultatem parit, sed etiam horrores,& costarū, pectorisq; aut mãmarum dolorem.cum igitur is dominabitur,tunc magis, quàm alias , expectare huiusmodi morbos oportebit.Id autem ipse uidetur de uehementibus austrinis,& aquilonijs constitutionibus uelle intelligi : quæ longo tempore perdurarint:quod ipse uerbo illo, δυναστεύων, quod dominari significat, indicauit : ut neque de uentis breui tempore flantibus , neque de ijs , qui pluribus illi quidem diebus , sed tamen infirmiter spirent, sed de ijs,qui uehementer perflent,uerbum illud esse dictū intelligamus.

24 *Si is magis dominetur,e squaloribus febres consequuntur,itemq; ex imbribus,ex quibus utique redundantiæ inciderint: & quomodocunque affecta sint corpora ut ex alio anni tempore quid suscipiant:& quicunque tandem humor sit,qui in corpore dominetur.*

Hoc idem est accuratius in aphorismis conscriptū,hoc fere modo:In squaloribus febres acutæ fiūt.

D ait enim,in squaloribus non multas,sed acutas febres fieri : siquidem humores magis biliosi reddūtur, & pauci morbi oriuntur;quod ipse confirmauit,cum dixit, Ex anni temporibus in uniuersum squalores sunt imbribus salubriores,& minus mortiferi. in squaloribus enim superuacanei humores per halitum digeruntur:imbribus uero quæ intus collecta sunt in corpore, putrescunt:nisi quis ea, quæ quotidie cōgesta sint, expurget exercitationibus,& balneis : siquidem siccis potius, quàm humidis tempestatibus uacuantur.quocirca squalores,tanquam salubriores,sunt imbribus anteferendi,licet febres acutas afferant.Quod uero addit,itemque ex imbribus:indicat febres quoque sequi , cum humidæ constitutiones sint,præsertim uero si redundantiæ excrementaque adsint: & corpora malitiam ex alio anni tempore,& ex illo ipso statu contraxerint . tunc enim longæ febres fere fiunt . atque id merito . magna enim uis humiditatis,quæ concoctionem postulat,longiore temporis spatio cōcoquitur.proinde longi morbi fiunt.ad hoc accedit etiam is,quem ipse dicit,humor redundans,qui frigidior, pituitosiorq; est . quæ uel una caussa cogit,ut longiores etiam febres sint.Cuius autem modi futuri sint morbi,ipse aperte nō exposuit:innuit tamen,cum ait,Et quomodocunq; affecta sint corpora:hoc est,ut facile a morbis corripiantur,aut secus:& quoscunq; tandem habeant collectos humores in corpore. nam quales fuerint humores,tales erunt morbi.hac autem de re dictum est superius,neque eadem nunc iterare opus est.

*Sed ſiccitates auſtrinæ,aquilonaleſque ſunt:differunt enim & alia hoc modo.nam & hoc magnum eſt:alius enim alio tē-* E 15
*pore,atque in alia regione magnus eſt:ut æſtas bilim,uer ſanguinem parit:& alia tempora,ut ſingulorum fert natura.*

Vtrum ſiccum,an ſqualidum,an aquis uacans dicas,nihil intereſſe,norunt omnes, qui uel mediocri-
ter ſint in linguæ cognitione exercitati.ſunt autem ſiccitates nō modo aquilonales , ſed etiam auſtrinę,
quamuis auſter ſuapte natura humidus ſit . In primo autem de morbis uulgaribus libro auſtrinum cæli
ſtatum,& eundem aquis uacantem deſcripſit.de quo ipſe in eodem libro extremo ita uerba fecit:Cum
autem,inquit,tota illa progreſſio eſſet auſtrina,& ſqualida.ceterum huiuſmodi tempeſtates multū a na »
turalibus differunt:ac morbos,qui uarietati ipſorum proportione reſpondeant,afferunt. immo uero ēt
ſi humores uariantur:ut qui æſtate redundare conſueſſet,is autumno,aut uere exuperet,tum morbi na-
turam humorum conſequuntur.hocque ipſe magnum quid eſſe affirmat:ac nullo pacto negligendum.
exemplo autem rem totam declarat.æſtas,inquit,bilim;uer ſanguinem parit . In libro de natura homi- »
nis aperte de humoribus diſſeruit,deq; ijs temporibus,in quibus uigent. Augetur inquit,in homine pi »
tuita hieme.Ipſa enim inter ea omnia,quæ inſunt in corpore, ſuapte natura hiemi reſpondet . frigidiſſi-
ma enim eſt.itemque cum ait,Vere ſanguis augetur.tū cauſſam addit:etenim frigus remittitur, & aquæ
ſuccedunt.ſanguis enim ſub his augetur.de æſtate autē habet hæc.Aeſtate bilis ſe in corpore extollit,
& in autumnum uſq; pertinet.atra autem bilis cum plurima,tum uero etiam uehementiſſima autumno F »
eſt. Itaque ſi uere pituita ſit,æſtate uero atra bilis,aut alius quidam humor , qui illius naturæ non cōue-
niat,tunc tales morbi orientur,qualis ille humor exiſtat.quod uero ait,& alia tempora:autumnum, hie
memq; ſignificat.nam in hac pituita, ut dictum eſt:in illo atra bilis redundat.

*Mutationes potiſſimum morbos pariunt:præcipue autem maximæ.& in temporibus magnæ mutationes:& in alijs.quæ* 16
*dam ſenſim progreſſu fiunt.atque huiuſmodi tempora ſunt ſecuriſſima:ſicut etiam diętæ,& frigus,& calor maxime progreſ*
*ſu ſenſim facto.itemque ætates ita commutantur.*

Hanc orationem habes in aphoriſmis a nobis explicatam: quo in loco & quas mutationes hic intel
ligere oporteat,& quot modis hæc uariata ſcriptura ſit,oſtēdimus.ut igitur mutationes potiſſimū mor-
bos pariunt,ſic magnæ mutationes in temporibus & item in alijs,rebus quæ in uita contingunt, ſi affa·
tim,ac ſimul fiant , afferre morbos ſolent. quæ uero progreſſu quodam,& ſenſim,& paulatim fiunt , nō
item.quinetiam anni tempora,diætæ, calor, frigus maxime progreſſu quodā ſenſim facto , & paulatim
commutata,ſecuriſſima ſunt:quod ipſe quoq; in libro de ratione uictus in morbis acutis ubi de conſue
tudinis mutatione diſſeruit,plane declarauit.

G

*Naturæ,quod ad anni tempora attinet,aliæ ad æſtatem,aliæ ad hiemem,aliæ ad regiones,ætates,diætas, & alias conſti* 17
*tutiones,bene aut male affectæ ſunt.*

Quæ in commentarijs de temperamētis dicta ſunt,nihil opus eſt huc trāsferre.ſatis enim fuerit,noſ
ſe,poſitum eſſe,unam ſolā temperaturā temperatā,optimamq; eſſe:intemperatas uero , ac prauas octo:
haſq; aut ſimplices,aut cōpoſitas.ſimplices quattuor ſunt,calida,frigida,humida,& ſicca:cōpoſitę ſunt
hæ,calida,& ſicca:humida & calida:frigida & humida;frigida & ſicca.priuſquam de ijs dico,quid natu-
ræ nomen ſignificet,explicare decreui.Natura igitur ſignificat primam ſubſtantiam,quæ omnibus cor-
poribus,quæ generantur,& corrumpuntur,ſubiecta eſt:unde quibuſdam philoſophis nomen eſt ductū,
ut naturales uocati ſint.Itaque illi,qui de ſtirpibus , herbiſq; conſcribunt , eorumq; ſubſtantiam expli-
cant,ſenſilem ipſorum docere naturam dicuntur.nunc uero ipſe naturam appellat,quam nos tempera-
turam uocamus:quæ ex quattuor elementis humido,ſicco,calido , & frigido:aut ex quattuor humori-
bus , ſanguine , pituita,& utraq; bili conflata eſt. hanc autem naturam bene , uel male affectam eſſe uel
ad æſtatem,uel ad hiemem,uel ad regiones,ætates,uictus rationem,& alia ſtudia confirmat:ut humidæ
& frigidę naturæ ſunt optime ad æſtatem comparatæ:calidę,& ſiccę ad hiemem:male uero ad æſtatem, H
ſicut frigidæ,& humidæ male ad hiemem.aliæ naturæ modice ſe habent,ſicut calidæ,& humidæ ad æſta
tem & hiemem:atq; æſtate quidem melius affectæ ſunt,quatenus humidæ:& item melius hieme,quate-
nus calidæ . ita etiam in regionibus ſe res habet:humidæ naturæ ad ſiccas:ſiccæ ad humidas bene ſunt
affectæ:calidæ quoq; , & frigidæ ſimili modo ſunt bene ad contrarias affectæ . eadem eſt ætatum ratio.
Vt enim dies toti anno proportione reſpondet,ut uer matutino tempori:æſtas meridiei, autumnus ue-
ſperæ,hiems nocti ſimilis ſit;ita etiam ætas:nam puerorum ætas ueri ſimilis eſt;florentium æſtati: decli
nantium,autumno:ſenum deniq; hiemi.ita fit,ut tempus conſimile proſit,diſſimile noceat. Quod uero
ait,alias conſtitutiones:ſignificat aerem,qui nos ambit.etenim morborum differentiæ ex temperatura
aeris nos ambientis fiunt pro cuiuſq; natura, & diæta,quam quiſq; dum bene ualeret ſeruarit. Diætam
autem hoc loco non intelligo eam ſolam,quę in eſculentis,poculentiſq; conſiſtit,ſed in alijs etiam om
nibus uerſatur,ut in otio,negotio,balneis,rebus uenereis,ſomno,uigilia,& ceteris omnibus,quæ in ho
minum corporibus quouis modo poſſunt accidere:quę ipſe uno nomine appellare inſtituta conſueuit.

18 *Morborum alij ad alias bene,aut male affecti ſunt.& ætates ad tempora, & regiones, & diætam,* † *& morborum con-*
*ſtitutione.*

† In primo exemplari ſic

legit. in altero uero, hæc particula est cum sequenti contextu uerborum coniūcta: & ita uelle Galenus uidetur.

A Calidæ naturæ, ætati, anni tempori, constitutioni, ac regioni familiares esse calidos morbos nouimus: frigidis frigidos: ut siccioribus sicciores: humidioribus humidiores. quocirca si febris ardens æstate oriatur, non admodum admirabile fuerit: quando est ad illius temporis naturam comparata. at si hieme consistat, scire conuenit, sine maxima affectione constare eam eo tempore non posse. tunc enim nunquam aliter exorta esset, nisi causæ uehementia ac ui contrarium statum temporis superauisset. quam ob rem in duabus febribus ardentibus, quarum par sit magnitudo, ea perniciosior est, quæ hieme existit. unde illud non esse uerum apparet, quod quidam dictitant, familiarem esse ægrotantis naturæ morbum, qui sit temperaturæ contrarius, perinde quasi aptus morbus dicatur. Adhibere igitur Hippocratis uerbis mētem oportet, ut cum ait, morbos esse bene affectos ad anni tempora, intelligamus, similia tempora ualere ad morbos gignendos: contraria uero ad expellendos. sic etiam ætates, naturæque affectæ sunt, ut frigidæ naturæ ad calida tempora, calidæ ad frigida bene sint comparatæ: & ætates quoque, ut senum ad æstatem, florentium, ad hiemem. morbi item atq; ætates ad regiones sunt comparatæ. nam in calidis regionibus morbi calidi proueniunt: & minus periculum afferunt: & calidiores ætates in locis frigidioribus salubrius degunt: in calidioribus frigidiores. eademque in alijs qualitatibus est ratio. Iam uero & morbi, & ætates ad uictus rationem bene & male sunt affectæ. ac B de morbis quidem ipse multis in locis uerba facit: ut cum ait, Humida diæta febricitantibus conuenit. & item, Victus tenuis, & exquisitus in morbis quidem longis semper, in acutis uero, ubi non conuenit, non est tutus. & deinceps: In tenui uictu ægroti peccant: proinde magis læduntur. Et cum optimum, utileque præceptum nobis hoc aphorismo tribuit, Cum morbus inquit, in statu sit, tum uel tenuissimo uictu utendum. tum uero multa addit, quæ ad uictus rationem in morbis seruandam pertinent: ut ne ea commemorem, quæ ipse in libro de ratione uictus in morbis acutis, & alibi sexcentis in locis conscripsit. Aetates porrò non secus, quàm morbi, sicciores ad humidiorem uictus rationem: humidiores contra ad sicciorem sunt bene comparatæ. quoniam autem morborum, constitutionum, & aliarum rerum male affectarum medicamina contraria sunt, ideo contrariæ ætates & morbi ad contrarias uictus rationes bene: similes contra, male affectæ sunt: præter quàm si temperata ætas cum temperata uictus ratione, itemque anni tempore, & regione comparetur: quia eo casu similes a similibus bene afficiuntur. aliter uero, secus fit. eandem autem sententiam, & ijsdem fere uerbis expressam in aphorismis, & a nobis explicatā poteris perlegere. quare iam ad ea, quæ sequuntur, transitū faciamus.

19 C *Atque in temporibus diæta, cibi, ac potus, quales sint. nam hiems uacationem habet ab actionibus: & quæ in corpus ingeruntur, ea matura, simpliciaque requirit. hoc enim etiam permagni refert. ἔαρ laboribus est dicata. sub insolationibus autem crebri sunt potus, cibi inconstantes, uina, arborum bacæ.*

Diætam, cibosque ac potus offerre debemus, cum morbi constitutio, ac tempus postulat: nec dare, cum hæc contra indicare uideantur. nam si quis in statu morbi dare quidpiam uelit, is non animaduertit, se naturam, quæ prius magna ui in concoctionem humorum morbum facientium illo tempore incumbebat, auertere, atque ad aliam concoctionem adtrahere. atque hoc est perpetuo uerum in ijs morbis, in quibus diæta omnino & curatione nitimur, atque confidimus. Tempora autem ipse distinguit, sed non omnia: siquidem hiemem modo, partemque æstatis commemorat. In aphorismis autem de hieme, deque uere locutus est, cum ait, Ventres hieme & uere natura calidissimi, & somni longissimi. his igitur temporibus plus cibi dandum est; siquidem plus natiui caloris habent. quare maiorem alimenti copiam requirunt. ergo non solum ait, hieme plus cibi dandum esse, quia etiam homines plus expetunt, sed caussam quoque adiungit: quia inquam, plus natiui caloris inest in corpore, somnique longissimi sunt: quæ res facit, ut homines facilius, quod sumpserunt, concoquant. illa porrò sunt huiusmodi, propterea quod hieme, & uere calidissimi uentres sunt. quoniam enim per hiemem natiuus calor propter circunstans frigus refugit, & in partes intimas corporis se recipit; per æstatem uero ad coD gnatum calorem extēditur: ideo accidit, ut illo tempore propter frigus augeatur: in hoc uero propter æstum digeratur. Est.n. Hippocratis sententia, corpora animantium cum aeris nos ambientis constitutionibus affici: ut dum illius temperatura sicca est, ipsa quoq; siccata fiot: dū illa est humida, ipsa sint humecta: ita ĕt calefacta in calidis aeris constitutionibus, & refrigerata in frigidis habeantur. Vt uero aer nos ambiens calidus sit, quem calorem æstiuo tempore habet, in caussa est sol, qui prope ad uerticē nostrum peruenit, & longiorem diem facit. frigoris quoq;, quod hieme uiget, idem sol auctor est. neq; hoc mirabile est. obliquus.n. humilisq;, & exiguo spatio temporis supra terram latus, cursum suum conficit: ac longiores noctes efficit: quod non parum ad cōcoctionem conferre, nemo est, qui ignoret. ceterum ipse alias ĕt caussas attulit: quia inquā, hiems uacationem habet ab actionibus, & quæ in corpus ingerūtur, matura, simpliciaq; sunt. quæ oīa faciunt, ne natura alio diuertatur, & ad aliud quidpiā conficiendū distrahatur: sed maxime, & sine ullo impedimento in concoctionē eorū, quæ sumpta sint, incūbat. æstate aūt contra fit, itemq; autumno, ut ipse in aphorismis docuit: Aestate inquit, & autumno cibos ferunt difficillime: hieme facillime, uere minus. id quod propter antedictā caussam usu uenit: quia inquā, hieme natiuus calor est copiosior, & alimento indiget: ideo plura ĕt danda sunt. & oēs alimenti copiā hieme facile ferunt: difficulter æstate; propterea quod natiuus calor, qui alimēta concoquit, & cōficit, est exiguus. quam ob rem si hieme raro quidem, sed tamen multa alimenta offerre uelis, non errabis. æ-

ſtate uero ne uniuerſum, multumque des, modis omnibus cauendum eſt. ex alijs duobus anni tempo- E
ribus autumnus æſtatem conſequitur: uer hiemem. nec difficile eſt, cauſſam inuenire: nam autumno,
corpora refrigerari, cogi, ac denſari: uere, laxari, & rara fieri incipiunt. ſimili quoque modo ab ætate,
conſuetudine, & a regionibus quiſpiam dandi cibi, ac potus indicationes ſumpſerit. hæc enim ſingula
uires aut imbecillas, aut robuſtas, & corpus aut plethoricum, aut indigens aut malis humoribus refer-
tum reddunt. Quod uero ipſe ait, in autumno, cõtrario nomine opponitur ijs, quæ in hieme dicta ſunt.
hoc enim tempore cibi ſimplices ſunt, hoc uero inconſtantes, & item fructus arborum, & uina. niſi for
te ὀπώραν, appellat medium æſtatis, quod tempus Græci ὥραν nominant: quanquam hoc nomine appel-
lant etiam autumnum, hiemem, & uer; per excellentiam tamen ὥραν nuncupant eam anni partem, in
qua fructus, quos horæos uocant, ad maturitatem perueniunt. porrò ordo temporum, ut ipſe perſæ-
pe in libris de uulgaribus morbis, & qui in his rebus principem locum tenent, conſcripſerunt, eſt hu-
iuſmodi. ortus uergiliarum eſt æſtatis initium: poſt quas caniculæ ortus oporam, quam uocant, in-
choat: quam ſecundam æſtatis partem quidam ſtatuunt. poſt eam arcturus ſuo exortu autumni facit 19
initium: deinde occaſus uergiliarum dat hiemi principium: quam excipiens æquinoctium ueri ini-
tium tribuit. ex quo fit, ut in oporis ſint inſolationes, & uina. nam mora in ſole cogit, ut ſæpe homi-
nes bibant: quod etiam ad agendum impellunt opera, & actiones. ceterum uinorum ſunt multa ge- F
nera: inter quæ ea, quæ aquea nominantur, perexiguum corpori alimentum præbent: craſſa, & ful-
ua multum alunt: ac multo etiam magis nigra. aquea autem per urinas facillime ſecedunt: propterea
quod tota fere quàm celerrime prius ad iecur ſubuehantur, quàm quicquam per aluum deſcendat.
alia uero omnia, ex quibus manifeſtum quid ſubit per uentrem, ſecedunt ad proportionem tempo-
ris, quo nutriunt. Iam uero multæ uigiliæ ex bilioſis excrementis proueniunt. quam ob rem & pin-
guedo, & tenera caro colliquatur, & ſanguis ipſe corrumpitur. etenim ex continua * * *

*Videntur hic multa deſiderari.*

immo uero ad hæc omnia ualde erunt accommodata balnea, & frictiones: quæ quidem maxime ad
uigilias ualebunt: ſiquidem hæ non modo in morbis antedictis, ſed etiam in febribus moleſtæ eſſe ſo-
lent. quocirca præter auxilia, quæ iam adſcripſi, hoc perquam admirabile compertum eſt, cuius ego
perſæpe periculum feci, & nunquam * Eo igitur tempore, quo ſe quieti ac
ſomno tradere homines ſolebant, crura & manus excipere uinculis oportet, tum iubemus, ut exciten
tur: eosque palpebras aperire, & conniuere cogimus, donec ſint abunde fatigari. tum repente uincu G
la ſoluimus, lucernam auferimus, ac multam quietem imperamus. per diem uero alia multa eſſe ad
hanc rem accommodata in libris methodi medendi demonſtrauimus. de quibus. * * *.

* In ſecundo exẽplari hic, ea ſpes me fruſtrata eſt.

*Quemadmodum ex anni temporibus licet facere de morbis coniecturam: ita quandoque etiam ex morbis † aquas, uen-* 20
*tos, & ſiccitates, & aquilonales, & auſtrinas conſtitutiones licet præſagire in poſterum. hoc enim ei integrum erit face-*
*re, qui probe, ac recte didicerit, unde hæc conſideranda ſint: ueluti lepra quadam, & circa articulos dolores, ubi futuræ*
*ſunt † aquæ, pruritum excitant, & alia huiuſmodi.*

†pluuias.
†pluuiæ,

† Aquæ uel morboſæ ſunt, uel ſalubres. ideo ex eis bona, & mala eſſe prouentura, uериſimile eſt.
paluſtres igitur, ſtabiles, & lacuſtres æſtate calidas eſſe, craſſasque, & fœtentes neceſſe eſt: ut ipſe in
libro de aere, aquis, & locis docuit: quo in loco etiam cauſſam attulit, his uerbis: quia inquit, non de
fluunt, ſed aqua pluuia ſemper noua accedit, ſolque adurit, ideo decolores, prauæ, ac bilioſæ ſunt
neceſſario. hieme uero concretæ, frigidæ, ac præ niue, glacieque perturbatæ: ac proinde maxime pi-
tuitoſæ. quæ cum dixiſſet, morbos etiam ex ijs profectos ſubiunxit: Quique inquit, eas bibunt, eorum
lienes ſemper magni, ac pleni, uentresque duri, & tenues, & calidi ſunt: humeri, clauiculæ, & facies ex-
tenuata. tum addit, uentresque & ſupernos, & infernos habent aridiſſimos: hoc eſt thoracem, & uni- H
uerſum alimenti uas, quod infra ſeptum tranſuerſum eſt, & inteſtina. deinceps uero hæc quoque adie
cit: præterea uero & aqua inter cutem plurima, maximeque pernicioſa oritur. atque æſtate difficulta-
tes inteſtinorum plures, aluique profluuia, & quartanæ febres diuturnæ excitantur. Quæ cum de æſta
te dixiſſet, deinceps de hieme ſcripſit ad hunc fere modum: Hieme inquit, peripneumoniæ, & inſaniæ
morbi, iuniores inuadunt: ſeniores uero, febres ardentes, idque propter uentris duritiam, exercent.
mulieribus œdemata moleſta ſunt, albaque pituita: uix in utero concipiunt, ac difficulter pariunt. Ad
hæc uero ſubiunxit etiam alia: pueris inquit, herniæ, uiris uarices, ulceraque tibiarum præcipue oriun-
tur. ex quo fit, ut huiuſmodi naturæ eſſe longæuę nõ poſſint. De altero uero aquæ genere ſcripſit hæc:
Secundo loco cenſentur, quarum fontes e petris ſcatent: easq; duras eſſe neceſſe eſt: aut ubi aquæ ca-
lidæ ſunt, aut in quibus ferrum, aut æs, aut argentum, aut ſulfur, aut alumen, aut bitumen, aut nitrum gi-
gnitur: quæ omnia uis caloris efficit. quocirca & ad uſum, & ad bonam ualetudinem huiuſmodi aquas
uituperat. præſtantiſſimas autem putat eas, quæcunque e ſublimibus locis, & collibus terreis ma-
nant. cauſſa eſt, quia & dulces, & albæ ſunt, & hieme calidæ, æſtate frigidæ. eas uero laudibus
ornat maxime, quarum defluxiones ad ortum ſolis, præſertim æſtiuum erumpunt: quod neceſſe
ſit, eas ſplendidas eſſe, ſuaui odore præditas, & leues. damnat ſalſas, indomitas, durasque: ut-
pote

† Hippoc. uidetur de pluuia agere, & tamen hic de bonitate, & uitio aquarũ differitur. fortaſſe igitur aliquid deſideratur.

A pote ad potum inutiles, ac noxias. aqua pluuia leuissima, dulcissimaque est, itemque tenuissima, & limpidissima. Quam ob rem merito ait, ut ex anni temporibus facimus de morbis coniecturam, ita etiam ex morbis nos prænoscere aquas futuras. & alia posse. nam, ut est apud Hippocratem conscriptum, calculi maxime gignuntur: & renum uitia homines corripiunt, & lotium ægre it, & coxendicum dolor suboritur, & herniæ fiunt, cum aquas cuiusq; generis bibunt: & ex magnis fluminibus hauriunt, in quæ alij fluuij ingrediuntur, & e lacu, in quē multæ defluxiones deriuant. Iam uenti quoq; aquas uariant maxime. nam alijs aquilo, alijs auster uires adiungit. idcirco in huiusmodi necesse est, limum, & arenam in uasculis subsidere: atq; ex harum potu morbos antedictos exoriri. ne uero hoc de omnibus esse aquis dictum existimemus, addit hæc: Quorum igitur uenter facile fluit, sanusque est, & uesica non feruida, ac uesicæ ceruix non admodum simul ardescit, ij facile mingēt, ac nihil in uesica coaceruabitur: at quorum uenter feruidus est, uesicam quoque idem pati necesse est: propterea quod cum supra suam naturam sit excalfacta, eius ceruix inflammatione excipitur. his autem conflicta malis, urinam non emittit, sed in se ipsa concoquit, & adurit: quodq; eius tenuissimum est, excernitur: quod uero purissimum est, permeat, ac mingitur. at quod crassissimum, turbidissimumque est, id coaceruatur, ac concrescit: ac primum quidem, parum: deinde uero, magis. Atq; hæc quidem ipse de
B morbis, qui ex aquis oriuntur, memorauit: ut ex illarum usu genera morborum cognoscamus. Quomodo autem ex anni temporibus idem nobis notum sit, non omisit ipse, quin paucis exponeret: Si inquit, in astris orientibus, occidentibusq; signa ex ratione fient, sique in autumno pluat, atq; hiems moderata sit, ut neque ualde clemens, neq; suo frigore modum illius temporis excedat, ac uere & æstate pluuiæ tempestiuæ decidant; tunc uerisimile est, annum fore saluberrimum. at si hiems sicca, aquilonalisque sit, uer pluuium, & austrinum, æstas illa febres, lippitudinesque afferat, necesse est. cum enim æstus derepente accedat, terraq; adhuc humida & propter uernos imbres, & propter austrum sit, tunc necessitas cogit, æstum a terra humecta & calida, & a sole urente esse conduplicatum. paulo uero post hæc etiam habet: ut acutissimæ febres omnes homines, præsertim pituitosos inuadant: uerisimile etiam est, difficultates intestinorum affligere & mulieres, & eos, quorum natura est humidior. si uero circa ortū canis & pluuia, & tempestas accedant, etesiæq; spirent, spes est, morbos sedatum iri, autumnumque salubrem fore: sin secus, & pueri, & mulieres periclitantur, ne de uita excedant: senibus hoc periculum minime imminet. tum uero addit: At si hiems austrina, pluuia, clemensque fuerit, uer aquilonale, & squalidum, & hibernum, in primis ait, mulieres partum abijcere. & quæ fœtum in lucem edūt, eas puerulos imbecillos, morbososq; parere: homines uero lippitudinibus siccis, ac difficultatibus intestino-
C rum corripi: ac nonnullos destillationibus a capite in pulmones. quam ob rem fieri posse uidetur, ut quis habita ratione temporum, & eorum cognita mutatione, possit futuros morbos prædicere: quemadmodum Hippocratem fecisse & nouimus, & monuimus. pluuiæ autem futuræ multis modis cognoscuntur: ut a luna, uelut Aratus cecinisse uidetur his uersibus:

Cum uero incedit sublimi Cynthia cornu,
Tum segnes borea campi spirante rigebunt:
Sin prono, terris pluuium denunciat austrum.

† In primo de uulg. morbis. sic habet alter lib.

Hippocrates uero ait, † arcturo exoriente pluuiam cum uentis frigidis plerunque decidisse. scribit uero etiam hæc, Pluuiæ inquit, multæ, continuæ, lenes, ut cum auster flat. Itaque si uerum est, corpora animantium cum aere nos ambiente immutari, certe per imbres humidiora, per squalores sicciora reddentur. ad quod accedit, ut per imbres humores frigidiores, pituitosioresque fiant: sicut uicissim per squalores, magis biliosi efficiantur. quæ res facit, ut admirari non debeamus, si dolores circa articulos oriantur, cum pluuiæ futuræ sunt. itemq; lepræ, quas cutem obsidere, atq; affligere perspectum habemus: sicut etiam scabiem, uitiligines albas, & nigras, & impetiginem, & myrmecia & uerrucas, & cetera, quæ sunt huius generis. ceterum lepra ex humore gignitur melancholico non secus, quàm sca-
D bies, & morbus, qui elephas nominatur. atq; his coniunctus pruritus est. nam illoti, & sordidi, & quos cruditas exercet, & qui cibis mali succi uescuntur, pruritu conflictantur. multoq; magis scabiosi, ac leprosi: propterea quod in his affectibus humor est & copiosior, & crassior: & † plurimū in cute manet. quocirca cum pluuiæ futuræ sunt, lepræ pruritum excitant, & dolores articulorum hominem uexant: & alia huius generis usu uenire consueuerunt.

† In altero legitur πλεῖστος, i. copiosissimus. ut ad humoris copiā referatur.

*Et quæ pluuiæ alternis, aut singulis diebus, aut per alios circuitus, aut continentes fient.*

21 Negat hoc loco Hippocrates, pluuias eodem modo in terram decidere: quod etiam uerum est: sed monet, ut uideamus, ac cognoscamus, quæ tertio quoq; die, aut singulis diebus, aut quarto, aut quinto, aut alio quodam die, aut quæ continuæ futuræ sint. * * *

*Hic multa desiderantur non modo, quæ ad uerba, quæ proposita sunt, explananda, pertinent; sed etiam in quibus alia erant Hippocratis sententia.*

22 * * * *Venti aliqui per multos dies flant, & contrarij inter se spirant: alij per pauciores, & ijdem per circuitum. Hæc autem habent cum temporum constitutionibus similitudinem: sed talia, breuius.*

Ventos ita esse positos diximus,ut alij ab ortu solis,alij ab occasu, alij a septentrione , alij denique a E
meridie perflent.supra enim docuimus,eurum contra fauonium flare:aquilonem contra austrum,& uicissim hos contra illos:sic etiam facere alios,qui medij sunt inter illos interiecti. aliqui item potius per diem,aliqui per noctem spirant,ut alij per circuitum quendam,alij secus : atq; alij diutius, alij breuius. itaque ubi plus aliqui spirarint,tunc aeris nos ambientis constitutionem immutabũt;ac sibi similẽ reddent:cum uero minus,tum non admodum immutabunt,sed usque dum perflauerint.nam si auster dominetur, ut ipse ante dixit,austrina erit cõstitutio:si aquilo,aquilonalis.aliorũ est eadẽ ratio.Si uero uẽtus per circuitum spiret,constitutio erit magis inæqualis: & in tali cæli statu plures multo morbi orientur. præterquam enim quod uenti multas,atque omnis generis mutationes in aere faciunt,hoc accedit ẽt, quod uentorum uarietas corpora animantium immutat.atq; id est,quod ipse scriptum reliquit, Mutationes temporum maxime morbos pariunt:hoc est , immutationes temperaturæ temporũ morbos excitant:cuiusmodi sunt magnæ mutationes frigoris,caloris,humiditatis, siccitatis,uentorum, aut cũ uacuitas uentorum est,aut etiam aliarum rerum multarum,quæ esse huiusmodi uidentur.

*Si uero annus talis diutius fuerit,qualem constitutionem fecerit,certe tales quoque morbi diutius erunt. ac si magis for-* 23
*tes fuerint,maximi quoque morbi sic erunt,& communissimi,& ad longissimum spatium temporis.* F

Merito hæc adiunxit.ut enim breuiores mutationes faciunt, ut breuiores, ac minores similitudines consequantur, sic ex longioribus mutationibus diuturniores similitudines cum illis constitutionibus, & ex maioribus maiores consequuntur,& ad longissimum temporis spatium perdurant. cetera perspicua sunt,præsertim ei,qui aphorismum cum perlegerit,cuius hoc initiũ est, Squaloribus acutæ febres fiunt.ac si annus talis diutius fuerit : & reliqua.

*Ex primis pluuijs,ubi post multam siccitatem,futura pluuia est, licet aquam inter cutem prædicere : & ubi talia parua* 24
*signa in uacuitate uentorum in mutatione apparuerint.*

Aquam inter cutem esse frigidum,humidumque morbum,& ex frigidorum,humidorumq; succorũ nasci redundantia,perspectum habemus. sed oritur etiam ex nimia prauorum humorum copia. hæc.n. omnia genera morborum in alio, atque alio corpore , ac non solum aquam inter cutem afferre potest. non igitur absurdum est,ex primis pluuijs,cum diuturna siccitas iã antecesserit, hoc sumere,ut de aqua inter cutem futura prædicas.Quidam autem sunt,atque in ijs Erasistratus in primis,qui existiment,nulla alia ratione oriri aquam inter cutem posse,nisi quod uiarum angustia sanguis ultra per iecur procede
re prohibeatur.nec posse ipsam excitari uitio lienis,aut alterius membri:sed semper ex scirrho, qui ie- G
cur obsideat.Et tamẽ quotidie uidemus ,ex diuturnis hæmorrhoidibus suppressis , uel immodica euacuatione,ad extremam refrigerationẽ hominem ducente hũc ipsum morbũ oriri. mulieres quoq; perfecta menstruæ purgationis cessatio,& item immodica eiusdem profusio,cum interdum ipsarum uteri sanguinem uehementer profundunt,in hunc morbum perduxit.immo uero etiam fluor , qui muliebris appellatur,in hunc affectum quandoque terminauit. Contra uero hanc sententiam nos alibi copiosius disseruimus,nunc uero minime oportunum est,quenquam reprehendere:sed potius ostendendum est, unum hydropum copiam humoris tenuis in tota thoracis inferna regione aceruare ; quam interdum pungentes,humorem ipsum euacuamus.alter uero hunc ipsum locum non aqua,sed flatu plenũ habet, & fere omnes superiores partes in eo intumescunt: huncque tympaniã,a tympani similitudine,uocãt: alius autem totum habitum pituitæ plenum habet:quem nonnulli hyposarcidion nominant. ceterum quo in loco sit collecta aqua in hoc morbi genere, & si dictum est nobis in quinto de locis affectis , nõ tamen fuerit alienum hoc quoque loco exponere.

* *Quædam non extant.* *

Alijs autem signis,& uentorum uacuitatibus,& aeris nos ambiẽtis mutationi adhibere mentẽ opor H
tet : siquidem hæc ad futura prædicenda conferunt uel maxime.

*Colores non sunt similes in anni temporibus,neque in aquilonalibus,neque in austrinis,constitutionibus : neque in ætati-* 25
*bus;neque etiam quispiam secum,neq; alius cum alio collatus.considerandi autem colores sunt,ex ijs,quæ præsentia, quiescẽtiaque esse nouimus:& ætates similes temporibus esse & colore,& modo.*

In aphorismis quoq; scriptũ est,aquilonijs constitutionibus corpora cogi, firmariq;.& expeditiora, coloratioraq; reddi.planum enim est,colores multis de caussis immutari,ut in primo commentario docuimus.nam mutantur uel propter humores,qui a forma naturali recesserunt,uel qui in imas corporis partes reuersi sunt:uel qui ueluti ad cutim sunt attracti. sunt uero etiam caussæ quædam, quæ humores ad tales motus, talesq; affectus impellunt. in his autem statuendæ sunt animi perturbationes , & aeris nos ambientis in calorem,& frigus mutationes,de quibus Hippocrates hoc loco uerba facit:itemque affectiones corporis,in quo sanguis uel calidior insit,uel frigidior,uel parcior,uel copiosior , uel foras protrusus,uel intro retractus. omnis præterea malitia succorum totius corporis colorem immutat : ut in morbo regio,aqua inter cutem,elephantiasi,& lienis,ac iecoris uitijs usu uenit. idem in quauis par-
ticula

A ticula licet intueri,præſertim in ijs uitijs colorum,quæ oculorum iudicio digꝛoſcuntur:ſiue hæc totum
corpus,ſiue particulam quandam obſideant.atque in toto quidem corpore,ut in arquatis,ut diximus,
res ſe habet,& iecoris,lieniſq; morbis,& hydropibus:in particula quapiam, quemadmodum in lingua
ſola color alienus ſæpe conſpicitur:tum uero in particulis,quæ propter abſceſſum uel nigricant, uel li-
uent.Simili quoque modo in multis tumoribus præter naturam,ut in carbunculis,igni ſacro, herpete,
gangræna naturales colores immutantur.Iam uero natiuum quoque colorem uariant uitiligines, quæ
albæ,quæque nigræ appellantur,& quæ ſunt huius generis. licet etiam ſæpenumero colorum mutatio-
nes in cruribus,aut in facie,aut in toto ſuperno corpore,aut toto imo intueri.equidem hominem uidi,
quem uipera momorderat,in quo totus color immutatus, ut porri colorem referret, conſpiciebatur.
quinetiam uel citra hanc cauſſam,& ſine ulla obſtructione aut inflammatione,aut ſcirrho iecoris humo
res huiuſmodi uitio afficiuntur, ut corpus totum ſimile herbis candenti pallore infectis fiat, interdum
colore ſit plumbeo,aut etiam magis fuſco,interdum alias colorum proprietates habeat,quas noſſe me
dicum oportet.quemadmodum ego,cũ Steſianum,multis præſentibus,uidiſſem,ut primum in cubicu-
lum,in quo decumbebat,ingreſſus ſum,dixi,ipſum habere abſceſſum non in iecore,ut plerique ex alijs
medicis arbitrabantur:ſed in imis muſculis,qui pus iam contraxerat, in medio ſpatio eorum muſculo-
B rum,qui per tranſuerſum incedunt,& eorum,qui obliqui ab infernis ſurſum feruntur. Tu autem noſti,
me alios pleroſque notaſſe,ac morbos, quibus conflictabantur, ex ſolo colore cognouiſſe: de quibus
iam in libris meis, ſuo loco,mentionem feci.quocirca nihil opus eſt,de eis nunc agere copioſius. Ipſe
autem admonet,ſpectemus ea,quæ iam nobis ſint perſpicua,& ea,ex quibus iam peritiam nacti ſumus
in ijs hominibus,qui noti nobis ſunt;utrum præſentia ſint præteritis ſimilia,an uero aucta,imminutaue
ſint:atque utrum idem ſit color,an immutatus,& utrum ætas ſimilis,parq; ſit anni tempori,& colore,&
morbi modo.Sic etiã iubet in præſagijs,ut in faciem, & naturalẽ colorem intueamur: ac tunc periculũ
imminere exiſtimemus,cum a naturali ſtatu multum receſſit:minus uero, cum hoc parum eſſe factũ in-
uenimus.ſi enim ipſe ſibi nulla in re ſimilis comperiatur,ſcito, eum ad extremum periculum eſſe perdu
ctum.ac bene cum illo agetur,ſi euadere mortem poterit.ſi uero ſuperſtes fuerit,ea profecto erit diutur
nior affectio.idque ipſe confirmauit, cum dixit, Cũ toto corpore mutationes accidunt,&,ſi corpus re-
frigeretur,ac uiciſſim calefiat,uel color alius ex alio oriatur, morbi longitudinem ſignificant. Sed de
his hactenus.ad ſequentes autem dictiones tranſeamus,ut huic commentario finem cõmode,& opor-
tune imponamus.

26 C *Qui hæmorrhoidas habent,ſi neque dolore lateris,neq; pulmonis inflammatione,neque phagedæna,neq; furunculis, ne-
que terminthis,forte uero etiam neq; lepra,ac forte neq; alijs corripiuntur.*

Hæmorrhoides,quamuis omnes homines, omnemq; ætatem, & omni in tempore anni uexare que-
ant,tamen re uera ſunt affectus ætatis declinantis proprij non ſecus, quàm melancholiæ. fiũt enim ab
atra bili,quæ ad uenas ſedis uberius,cumulatiuſq; decumbit. quocirca cũ melancholicis, & uitio renũ
laborãtibus ſuperueniunt,curare eos ſolẽt.quod non ſolũ ratione euacuationis, ſed etiã humoris, qui
euacuatur,qualitate faciunt.effundere enim craſſum ſanguinem,humoris melancholici plenũ, ſolent:
qualem nos fæcem in uino appellamus.Itaq;,cum hæmorrhoides ueluti fæcem ſanguinis euacuẽt,me
rito fit,ut melancholiam curent.hæc autem euacuatio tantam uim habet, ut qui ſoliti ſunt per eã partẽ
euacuari,ſi totam excretionem cohibere uelint,atq; ita, ut ne una quidẽ hæmorrhois aperta ſeruetur,
periculum ſubeant,ne poſtea multos,inſanabileſque morbos,præſertim uero aquã inter cutem, & ta-
bem patiantur.huius rei cauſſa eſt,quia uenæ illæ propter plenitudinem in ſede aperiuntur, & ad ipſas
ſanguis fæculentus & melancholicus a iecore reijcitur.ſiquis igitur hanc uiã illi præcluſerit, tum ſcir-
D rhum iecur contrahet,tum multitudine, ac craſſitudine grauatum reddetur: unde eius calor paulatim
minuetur,& quaſi extinguetur.atq; ita bonum generare ſanguinẽ non poterit. Perſpicuum autem eſt,
aquam inter cutem fruſtrata ſanguinis procreatione effici.propter eandem uero cohibitionẽ tabes fit.
cum iecur plenitudinem in uenas pulmonis protrudit,& uaſculum inibi ruptum eſt: his porrò morbis
homines liberantur,ſi hæmorrhoides ſuperueniant, aut etiam ſi una adaperta ſit conſeruata. qua ſane
ratione ſcimus etiam melancholiam interdum uaricum beneficio ſedatam eſſe: idq; ob eandẽ cauſſam
eueniſſe.ſunt enim uarices,uenarum quæ in cruribus,& femoribus ſunt,dilatationes a craſſo,& melan
cholico ſanguine factæ:quo in partes ignobiliores detruſo,fit melancholiæ ſolutio. Maximus enim ex
hac euacuatione fructus exiſtit:ac niſi hos commentarios,te rogante,ac diſcedere properante, celeri-
ter,& breuibus conſcribendos ſuſcepiſſem,multa ſane,eaq; admirabilia mihi ſuppeterent, quæ de hæ-
morrhoidibus afferrem,atq; exponerem.nunc uero cum ſim coactus,hanc explicationem paucorũ die
rum curriculo conficere,unum ſolum exemplũ ſubiungam.Eram Romæ primum,cum,ut tu ſcis,ceteri
omnes mihi inſidiabantur:erat etiam uir quidam præclarus, ac fortunatus L. Martius, qui quotannis
incidere in melancholiam conſueuerat. erat porrò admirabile uidere dementiam ſimul, & inſcitiam,
& temeritatem illorum medicorum: quibus eo tempore cuncti principem locum tribuebant.alij enim
pituitoſos, alij bilioſos humores euacuabant. at Lucius, cum nihil proficeret, neç meliuſculus

esse inciperet,ac de me esset ad ipsum perlatum,statim me aduocandum censuit: ut ego quoque & de E
origine, & de curatione morbi dissererem. ego uero accessi, & ex solo colore feci de noxio humore
coniecturam,ipsumque esse melancholicum cognoui. itaque eum ipsum euacuaui,& statim Lucius est
melancholia liberatus. hoc præterea illi consilij dedi,ut singulis annis uerno tempore,ac si opus etiam
fuisset, autumno idem faceret:eiq; recepi fore,ut postea eodem morbo non corriperetur. quod cum
fecisset,meam uocem ex aureo Apollinis tripode missam etiam hodie prædicat. Ea autem euacuatio
fit,aut uenæ sectione,aut medicamento,aut hæmorrhoidibus reseratis:id quod etiam tutius est.ex quo
fit, ut cum hæc euacuatio sit alicui consueta,tum uero suppressa,existere melancholia soleat. ac si quis
id parui faciat,nec prius corpus expurget, eum symptomata huiusce affectus persentiscere necesse sit.
Sed consequuntur etiam ea omnia,quæ ipse memorauit,ut abscessus,morbus attonitus,conuulsio, in-
sania,aut alij affectus,quorum nulla possit inueniri leuatio: cum humor melãcholicus plus uel adustus
uel putris redditus malignam acrimoniam contraxerit. ceterum conferre hæmorrhoidas ei,quē atra
bilis occupet,non iam omnes norunt,quamuis hoc Hippocrates aperte doceat:sed illi soli ab ipso di-
dicerunt,qui in eius libris sunt uere,legitimeque uersati,quomodo hæmorrhoides,uaricesque gignan-
tur:ac non semper opus esse,has ipsas prohibere,cum iam constiterint:sed quandoque simul adiuuan-
dum esse:aut,cum natura quietem agit,ei totum esse negotium committendum, quando sic fore utile F
uideatur. qui enim hæc didicerunt,tantum abest,ut hęmorrhoidas ante tempus curare festinent,ut uel
ipsi eas,quæ penitus non sunt,efficere studeant. ac quis tandem ignorat, plerosque in melancholiam,
insaniamq; hisce excretionibus inscitia medicorum suppressis,incidisse? alij dolore lateris,alij renum
uitijs correpti sunt:alijs accidit,ut sanguinem e uentriculo uomerēt: aut ex pectore tussi reijcerent:aut
†pareplegia,aut aqua inter cutem oppressi interirent. quocirca seruandæ hæmorrhoides sunt, utpote
quæ melancholicos affectus curent. enimuero eius melancholiæ, quæ iam constiterit,maximum est in
hæmorrhoidibus remedium:futuram uero eædem prohibent. ideo fuit ipsius sententia hæc,Melancho
licis hæmorrhoides superuenietes,bono sunt. itemque hæc,Insanis si uarices, aut hæmorrhoides su- »
peruenerint,insaniæ solutio. melancholias igitur,atque insanias ex hæmorrhoidibus leuari,euidenter
constat. atque adiumento esse hæmorrhoidas apertas,nocere uero,quæ suppressæ sint: & aperiendas »
esse,si claudantur. atque id est,quod ipse libro sexto de uulgaribus morbis scriptum reliquit: Atræ bi »
lis,ut simile per hæmorrhoidas profluat. Scire tamen conuenit,non semper boni consulendum esse,
ut sanguis per infernas partes ex hæmorrhoidibus effluat:sed tum denique cum nigra excernuntur: &
cum hominis natura multum humoris huiusmodi accumulat:alioqui natura non est tali euacuationi
assuefacienda: quippe quæ utrunque excessum periculosum habeat,& cum sanguis ultra modum ex- G
cernitur,& cum ex toto cohibetur. nam in immodica euacuatione ueremur, ne homo derepente mo-
riatur:aut hydrops fiat,aut malum habitum contrahat:contra uero,ijs,qui ex cohibitis hæmorrhoidi-
bus sanguinem coaceruant,secare uenam oportet:ne in magnum aliquem morbum cadant. fieri enim
potest,ut apti sint ad magnum quempiam affectum cõtrahendum,nondum tamen adhuc,propter eua
cuationem ex hæmorrhoidibus,quicquam patiantur. uerum non semper nobis scopi suppeditant, ut
sanguinem detrahere tuto possimus. quam ob rem in quarto de ratione uictus in morbis acutis scri-
ptum est,unam hæmorrhoida semper esse relinquendam. Recte igitur ab Hippocrate dictum est,eos,
qui hæmorrhoidas habent,neque dolore lateris,neque peripneumonia,neque phagedæna, neque fu-
runculis, neque terminthis corripi. caussa est,quia uitiositas humorũ,ex qua huiusmodi morbi oriun-
tur,per hæmorrhoidas excernitur. Phagedęnas autem nunc uocat ulcera exedentia,quæ omnia sem
per maiora,deterioraque redduntur. atque ea ita ueteres appellabant. quidam uero postea ipsa distin
guere conati sunt:& quædam Chironia,quædam Telephia,quædam etiam phagedænas nominarunt.
nos uero phagedænas uocamus,omnia ulcera,quæ subiectam carnem corrumpunt:cum uero in super-
ficie,aut in ipsa cute consistunt,herpetes nuncupamus: ut carbunculus dicitur,ulcus crustam excitans
cum magna partium uicinarum inflammatione. Furunculos porrò uocat eos,qui ex similibus humori H
bus,ueluti uari,generantur. sunt autē per uniuersum corpus duplices:alij duri,& qui ægre concoquun-
tur:alij pituitosi. hi autem interdum febrim accendunt,ipsique in magnitudinem attolluntur,& in pus
commutantur. Terminthi uero sunt eminentiæ in cute consistentes,rotundæ,colore ex nigro & uiridi,
similes ciceris fructui. De uerbis autem,quæ in extrema oratione scripta sunt,incertum est, scribendũ
ne sit,neq; alijs,an uero,neque alphis:cum utrunque sit huic loco accommodatum:quando alphi quo
que,hoc est uitiligines,ex humorum uitiositate,quæ in cute fit,quemadmodum etiam de lepra planum
est,oriuntur.

† Alter lib. hēc παρεπληξίας .i. morbo attonito.

*Multi igitur importune sanati,non ita multo post ijs ipsis correpti sunt. eaque ita perniciosa fuerunt.* 27

Est iam a nobis antedictum,eos,qui singulis annis,& quodam temporum circuitu, aut per multos
dies euacuatione hæmorrhoidum uexantur,neque eam euacuationem quamprimũ compescere, neq;
omnes auferre hæmorrhoidas oportere:sed si quis curare eas uelit, id ipsum efficere aut uenæ sectio-
ne,aut medicamento corpus euacuare:ac nunquam omnes adimere:immo potius,ut consueta fiat ex-
cretio,unam relinquere. Ipse autem ait, eos medicos & importune,& male curare, qui neque uenæ
sectione,neque medicamento aluum subducente, neque exercitationibus euacuationem moliuntur:

sed

A sed omnes simul ablatas uolunt: nec ullam relinquunt.

28 *Et quicunque alij abscessus, ut fistula; aliorum remedia sunt.*

De abscessibus actum est copiosius in secundo in præsagia commētario: nec decet, ut quæ illic, mea quidem sententia, recte dicta sunt, huc transferamus. quin etiam de eisdem supra prolixa habita est oratio, & deinceps habebitur. exemplum autem supponit, quod esse remedium aliorum scribit. Vt fistulæ. est autem fistula, sinus qui fere ex abscessibus constat. ita enim appellatur per translationem a fistulis arundinum ductam. ac si in os fistula desinat, sine opera chirurgi, curari nullo modo potest: secus uero, potest. si uero ad os usque perueniat, & progressu temporis squama sua sponte, aut etiam os abscedat, tum medicamenta proderunt. Si uero in os non desinat, tum medicamentis ijs, quæ callos adimunt, & in quibus agglutinandi uis inest, curabitur: quemadmodum nos in libro de ratione curandi ad Glauconem docuimus. In hanc porrò significationem hoc nomen accepit Hippocrates alio in loco, cum ait: « Quibus ex pulmonis inflammatione abscessus circa aures fiunt, & in partibus infernis suppurantur, ac fistulam efficiunt, ij sanescunt. » quo in loco uerbo συριγγοῦνται, hoc est, fistulam efficiunt, usus est, ut oblongas cauitates significaret, in corporibus animantium exortas, quæ musicis instrumen-
B tis, quæ fistulæ ab omnibus appellantur, similes sunt. ab his enim, sicut etiam ab hæmorrhoidibus redundantia humorum in corpore animantis collectorum expurgatur: ac plerique non secus, quàm ex hæmorrhoidum excretione, huius euacuationis beneficio integra ualetudine perfruuntur. Vt igitur neque oscitanter, neque sine magna diligentia curare hæmorrhoidas oportet, ita ne fistulas quidem. necesse enim est, ut humores suppressi & dolores, & morbos pariant: eosque eiusmodi, cuiusmodi sint humores, qui redundent. non igitur alienum a ratione est, quod dixit, fistulas esse aliorum morborum remedio: sicut de hæmorrhoidibus loquens affirmauit eos, in quibus illæ essent, neque lateris dolore, neque pulmonis inflammatione, neque ceteris corripi morbis posse.

29 *Quæ apta sunt sedare cum post apparent, ea cum prius fiunt impedimenta, liberant: alijs autem societates.*

Quemadmodum quæ ab Hippocrate sunt litterarum monimentis rite, ac sæpe cum demonstratione, perspicuitate, & oportunis distinctionibus consignata, utilem nobis doctrinam afferunt: ita nihil docere nos possunt illa, quæ ita disiuncta, dissolutaque sunt, ut multa eorum, quæ in hoc libro comperiuntur. & tamen plerisque hominibus suaderi non potest, ut ea sola scripta, quæ clara sunt, perlegant: quæ uero non sunt huiusmodi, ea relinquant ijs, qui ea conscripserunt. si enim nullam illi curam impende-
C runt, ut nos ea, quæ ipsi scripserunt, intelligeremus: par etiam esse censeo, ut neque nos in studio tum perquirendi, tum diuinandi, quæ ab ipsis dicuntur, diligenter uersemur. quanquam illa contemnenda, & parui plane momenti sunt, quæ de uerbis, seruata rerum ueritate, disputantur. Si uero res euertantur, huiusmodi quoque scripturæ nobis fugiendæ sunt. Sed tamen non debemus existimare huius culpæ affinem esse Hippocratem, neque huius difficultatis auctorem: sicut neque etiam aliarum multarū, quas in eius libris inuenimus: sed potius librarios: qui cum uerborum sententiam non intelligunt, neque artis medicæ sunt periti, alia pro alijs sæpe describunt, quæ neque coniuncta inter se sint, neque ullam habere sententiam uideantur. Etenim in his uerbis, quæ modo sunt in manibus, admirabile est omnium interpretum, uarietatem: quæ non solum in scriptura uerborum, sed etiam in sensu uersatur, intueri. Dioscorides enim putat hoc loco uerba fieri de hæmorrhoidibus: ut Hippocrates dicat, uerisimile, & uerum etiam esse, si excretio per hæmorrhoidas superueniens, soluit morbos, de quibus actum est: hoc quoq; uerum esse, eandem, si prius fiat, impedire, ne illi morbi oriantur. & uerbum, ἐπιγινόμενα pro ἐπιγενόμενα intelligit: ut sit superueniens hæmorrhois. sic etiam illud προγενόμενα, id est, prius fit. ipseque uerbum, liberant, non scribit, sed mutat in uerbum, prohibet; ac cetera quæ sequuntur, habere non uidetur. Artemidorus autem quid sibi uelit, ne uiuam, si scio. multa enim ita confusa, itaque ab-
D surda, & aliena affert, ut ne ipse quidem, ut mea fert opinio, quicquam illorum intelligat. Ait autem, iubere Hippocratem, dandam nobis esse operam, ut quæ post apparent, hoc est, quę post morbum aliquē apparent, postquam constiterint, sedemus. deinde uero, expellamus ea, quæ prius facta fuerint. & sententiam omnino distorquet, multaque adijcit; quæ, ut dicebam, ignota sunt omnibus. Sabinus uerba ita scripta habuit: considerandum, in quibus facta liberat. alij uero in libris antiquissimis ita fuisse scriptum attestantur: φῦμα in quibus facta soluit, in eis eadem ante facta prohibet: & φῦμα pro abscessu intelligunt: ut sit hæc Hippocratis sententia: In quibus morbis abscessus, qui fiunt, possunt morbos soluere, si prius fiant, prohibent, ne morbi postea sint. Si uero scribas nō φῦμα, sed φύσει, ita hāc sententiam poteris accipere, ut dicat, consideranda esse omnia, in quibus quæ fiunt, liberent: ac sciendum, si hæc prius fiant, prohibere, ne illa oriantur. ut hoc præceptum sit ad consilium dandum accommodatum, & insuper ad curationem ualeat: ut cum talia quædam, quæ prohibere futuros morbos possunt, ante morbos facta sint, ea non cures prius, quàm usum præstiterint, utilitatemque attulerint. ac fortasse uetus hæc scriptura fuit. deinde uero cum primus librarius errauisset, inde & interpretum discordia, & sententiæ obscuritas est consecuta.

30 *Loca suspecta alterius loci excipientia aut præ dolore, aut præ grauitate, aut ob aliud quidpiam liberant: aut alijs societates.*

Quattuor ſunt in noſtro corpore naturales facultates,ut in commentarijs de facultatibus naturali- E
bus demonſtratum eſt:prima eſt attrahens,ſecunda continens,tertia expellens, quarta alterans . ut.n.
quælibet particula uim habet,quæ ſunt ei propria,attrahendi:ſic etiam aliena excernendi:duplex autẽ
eſt id,quod alienum eſt,tum quantitate,tum qualitate . non omnis tamen particula eodem modo affe
cta eſt ad ea,quæ irruunt,excipienda; & ad ea,quæ infeſtant,reijcienda: ſed carnes ac glandulæ cum
alias tres facultates habent imbecillas,tum uero ſolam alterantem haud ita multo ceteris partibus mi
norem poſſident . poſt glandulas ſequitur pulmo,qui quoniam corpus laxum habet, & tres facultates
infirmas,ideo eſt fluxioni excipiendæ promptiſſimus:deinde lien:tum cerebrum uel æque ut illi,uel ẽt
magis aptum ad excipiendam fluxionem . Sed ad ea,quæ excepit,eijcienda,hoc illis præſtat,quod ma
gnos uentriculos habet,qui decliuibus meatibus euacuantur . quocirca uidemus perſæpe in glandu-
las,& carnes comportari fluxiones in ijs,in quibus hæc inſtrumenta,hoc eſt pulmo,lien, & cerebrum,
ſunt carnoſo genere robuſtiora . hæc cauſſa facit,ut licet aliqua pars non grauetur ab ijs humoribus,
qui in ipſa continentur,ab ijs tamen , qui ex alijs partibus in ipſam irruũt,grauari plane queat:ac ſi ex-
crementa quædam habeat in qualitate præter naturam,ad eorum excretionem per uenas , quæ in ipſa
ſunt,ceu per canales,inſurgat . Si uero id,quod influit,prauus ſanguis ſit,ſiue alius humor, tunc neceſſe
eſt,ut in aliquam propinquam partem perueniat . qui cum ibi conſtiterit,aut concoquetur, aut corrum F
petur:aut neutrum horum fiet,ſed in aliam partem quampiam dilabetur:tum ex illa in aliam transfluet,
idque ſemper fiet uſque dum in aliquam huiuſmodi decumbat,quæ amplius in aliam propellere, quod
in ipſa redundat,non poſſit . quæ res illis potiſſimum accidere partibus ſolet,quarum uis expellens im
becilla eſt:atq; etiam magis,ſi uicinæ partes robuſtiores ſint. tunc enim pars infirma repellere id,quod
moleſtum eſt,in propinquas,quæ propter uirium robur illud non excipiunt,non poteſt:immo uero il-
læ partes, utpote robuſtiores,id ipſum remittunt,& contra repellunt . Itaque humores ex alijs locis
in alia commigrant:qui tranſlati gignere morbos ſolent . multis autem de cauſſis morbos pariunt. ipſe
uero dolorẽ,ac grauitatem memorauit . ac propter dolorem morbi fiunt,cũ membrũ dolore conflicta
tur,in quod commigrantes humores decumbunt . propter grauitatem uero,cum humores grauantes
ferri ab ipſa particula non poſſunt . atque ita quidem morbus generatur. interdum uero idem facit me
dicamentum acre,aut frictio,aut calor quis foris adueniens : ſicut etiam uehementes quædam animi
motiones,ut iracundia,& metus eandem afferre cauſſam uidentur . Fiunt etiam hæ migrationes pro-
pter naturæ membrorum communionem:ut ſcimus inter mammas & uterum communionem interce-
dere . quocirca in ſexto de uulgaribus morbis ita ſcriptum comperies , Si papillæ mammarum , & ru-
brum earum pallidum ſit,uaſculum ægrotat . ac merito quidem affecto utero ſimul etiã mammæ quid G
patiuntur:ſiquidem natura ambas has partes ad unius operis miniſterium eſt machinata:ideo ipſas per
uaſa coniunxit,& uenas,atque arterias in hypochondria,totumque hypogaſtrium deduxit. deinde ijs,
quæ a partibus infernis ſurſum feruntur,coniunxit:a quibus uenæ ad uterum,ſcrotumque perueniunt.
Hæc autem communio per hæc uaſa facta eſt,ut cum foetus in utero augeretur,ac conformaretur,com
munes uenæ illi ſoli ab utriſque alimentum affundant:cum uero in lucem editus ſit,rurſus totum alimẽ
tum mammis affluat . Nunc uero,ut inter uterum ac mammas ſocietas eſt,ſic in ſiniſtrum teſticulum,
& ſiniſtram uteri partem uaſa quædam perueniunt , quæ in renem e directo ſitum inſeruntur . Et teſti-
culus tumefactus in tuſſientibus indicat ei cum mammis,pectore,genitura,& utero ſocietatem inter-
cedere . Eſt etiam ori uentriculi cum corde ſocietas . quam ob rem ueteres os ipſius,ducto ab ijs ſym
ptomatibus,quæ inducere uidetur,nomine,cor appellarunt. non enim ſolum ut ſyncopis cardiacis,ita
& ſtomachicis quidam corripiuntur:ſed etiam conuulſionibus,ſoporibus,morbis comitialibus,& me
lancholijs . atque oẽs hi affectus,conſentientibus ei ceteris partibus,in eo fiunt . quocirca in libris de
locis affectis docuimus,nos adhibere animum accurate debere ijs morbis , qui per conſenſum in ea
parte exoriuntur,de qua parte habeatur oratio:eoſque diſtinguere ab illis , qui prima ratione partium
naſcuntur . quod non difficulter diſcernet is,qui ſit in notionibus,quas nos tradidimus,diligenter uer- H
ſatus . Scire autem conuenit , hanc ipſam dictionem eſſe in tertia libri ſexti de uulgaribus morbis par
te conſcriptam , ut ſunt etiam ceteræ omnes,quæ deinceps ad finem uſque conſequuntur : non tamen
eiſdem expreſſæ uerbis . nam Rufus Epheſius aliter , aliter Sabinus,aliter denique Artemidorus , qui
Capito cognomento dicebatur , conſcripſit. Rufus enim ſic in ueteribus libris ſcriptam eſſe hanc
ſententiam memorat , Alterius loci loca excipientia aut dolore,aut grauitate , aut alia re quadam libe
rantur . & ſequentis orationis hoc eſſe initium uult, Diuerſæ ſocietates : ut Hippocratem ad aliud ſo-
cietatis genus pertranſiſſe intelligamus . Sabinus autem hæc coniunxit omnia : & ſequentis dictionis
hoc principium fecit, Propter propenſionem. Artemidorus rurſum ſic ſcribendum cenſuit, Aut alijs,ſe
cundum ſocietates . nos uero cum iam ſententiam expoſuerimus,de uetere ſcriptura nihil amplius ha
bemus,quod afferamus . ideo ad ea,quæ ſequuntur,tranſibimus,ut nihil non explicatum habeas . no-
ſti enim tu quoque,in omnibus fere Hippocratis libris nihil eſſe,quod perdiſcere queant illi, qui artis
percipiendæ ſtudio ducuntur,præter ea,quæ ego fuſa,& perpetua oratione in medicis lucubrationibus
expoſui:ut etiam qui hebeti,tardoque ingenio ſunt, aſſequi ea , quæ dicuntur,poſſint . puderet autem
me hæc dicere , niſi prius quæ ad medicinalem artem accommodata ſunt , omnia fere pertractaſſem,
ac tu , me uerum dicere , plane ſcires .

Propter

31 A *Propter propensionem non iam sanguis prodit: sed pro succi affinitate talia expuunt.*

Sanguis multis de caussis fluit,& per multa loca excernitur. nam & secta uena hoc primum euenit, & item arteria reserata. tunc enim tenuem,flauumque sanguinem, tenui multoque spiritui commixtũ arteria eiaculatur,si contracto iam aneurysmate sit conuulnerata. isque sanguis est eo, qui uenis continetur,calidior. Iam uero e naribus quoque sanguis prorumpit. qua in re scis, me quandoque prædixisse,sanguinem eo die e dextra nare proruptururn: quod cum esset factum, ceteri medici, qui aderant,hoc magnopere admirabantur. nec tamen erat difficile id præsagire. & tamen plerisque medicis non modo difficile, sed ne fieri quidem posse uidebatur,quippe qui hæc duo considerare non possent,& unde naturæ motus agatur,& quam in partem; ut quæ deficiunt,adiuuemus,& quæ immodera te feruntur, coerceamus. quæ res fecit, ut nos modo e dextra,modo e sinistra nare fluxurum esse sanguinem certa,ueraque scientia prædixerimus. Ceterum ex gula,ac stomacho sanguinem uomitu reiectari,fere inter medicos constat: sicut cum tussi ex organis respirationis reijci solet. atque ut ex ore simplici expuitione,sic ex faucibus,& † screatu expellitur. erosa etiam uena persæpe sanguis affatim tussiendo eijcitur,ut cum aliquod graue pondus in thoracem ceciderit, copiosa fiat cum tussi sanguinis profusio. Si uero spumosum quidpiam simul educatur,signo erit,excretionem e pulmo-

† γαργαρεῶνα habet alter liber .i. gurgulione.

B ne fieri. quam medici optimi aut insanabilem,aut certe uix sanabilem esse censuerunt. at in thorace non admodum difficile est, disrupta uasa,a quibus sanguis expuitur, conglutinare. Quemadmodum autem sanguis ex thorace, pulmoneque expuitur; ita ex gula,uentriculoque euomitur: ex renibus mingitur; ex intestinis deijcitur. Sæpe etiam a capite quasi emungitur,licet neque dolor adsit,neque grauitas caput uexet,neque plaga ibi sit accepta. considerandũ igitur est,utrum hirudo aliqua illic adhæreat,ac sanguinis fluxum efficiat: sicut etiam cruor,epota hirudine,ex uentriculo interdum euomitur. Ego enim multos medicos noui,qui affectiones eas,in quibus sanguis excernitur,dignoscere,ac distinguere non ualerent. at quæ ex hæmorrhoidibus fit,ne ægrotos quidem latet. cruenta uero,quæ de super ad sedem deferuntur,alia statim a principio ueniunt; alia, ubi tale aliquid præcesserit. Si repente multum sanguinis deijcitur, a dapertũ esse uasis osculum cognosces. ex iecoris autem infirmitate,ut plurimum uelut carnium dilutum excernitur: ac quandoque purus sanguis, non multus: quandoque cum flaua bili commixtus: quandoque uelut fæx sanguinis. nunc uero minime opus est exponere,sanguinem quoque ex utero,& alijs quibusdam partibus fluere: & quomodo mali consulendus sit, si in febribus non intermittentibus prodeat: id enim ipse docuit,cum ita scriptum reliquit: Excreationes in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, fœtidæ, biliosæ, omnes malæ. Cum igitur sanguis ex

C multis locis excernatur,si per nares,aut ex uentriculo,aut a capite,aut ab utero,aut a sede,aut a iecore, aut a renibus, aut a uesica uulnerata,aut ab alia parte quadam incisa,aut uase rupto,aut alio modo maleaffecto excretus ad alias partes repat,planum est,ipsum non iam per priorem locum euacuari. ut si ex iecore in renes euacuetur,tum in thoracem,aut in pulmonem uertatur: tunc enim neque cum urina exit,neque per aluum secedit,sed expui solet. ac si humor pituitosus sit,spumeus erit sanguis: si biliosus,tunc sanguis flauus exibit: & in alijs pro humoris affinitate continget. Alij uero nomen ῥοπὴν ,hoc est propensionem, in τροπὴν, hoc est uersionem uertunt. quorum sententia est,sanguinem uerti multis modis,ut in melancholicum,ut in biliosum,ut in pituitosum: sicut in rubrum colorem, cum maior est puri sanguinis,quàm aliorum humorum copia. Si ita scriptum sit,uerum etiam erit,quod aiunt,& Hippocratis accommodatum sententiæ: siquidem ægroti expuunt talia persæpe, & interdum non ita facile est,humores,qui in sputis confusi sunt, discernere: nisi quis sit in arte exercenda, diu, multumque uersatus.

32 *Est interdum sanguinem detrahi ijs,qui huiusmodi sunt: in alijs uero,ut in ijs,non par est.*

In primo horum commentariorum,multos esse mittendi sanguinis scopos diximus: ac primos esse

D eos,qui morbi magnitudinem, ac robur uirium attingunt: ijs omnibus obseruatis, quæ ibi iam dicta sunt. cum igitur sanguis copiosior sit in quibusdam eorum, de quibus ante facta est mentio,hoc consilij dat Hippocrates hoc loco,detractionem utilem fore: præsertim uero si non in alium quempiam humorem insigniter conuertatur. Si uero uersus sit,non erit facienda detractio. quocirca non fuerit fortasse absurdum in superiore sententia,si uersionem,non autem propensionem,scribamus.

33 *Impedimentum ijs,qui cruenta expuunt,tempus anni,pleuritis,bilis.*

Hæc sententia magnam interpretibus molestiam attulit: siquidem alij atque alij ipsam & scribunt aliter,& exponunt. ego uero nolo hoc loco in nugis aliorum recensendis,ac redarguendis immorari, immo potius ad finem mihi esse properandum proposui. Sententia autem horum uerborum esse hæc uidetur. adhibendam esse mentem ijs,qui sanguinem exspuunt,utrum sanguis mittendus sit secta uena an secus. nam habita cruenti sputi ratione,uena esset omnino incidenda: sed sectionem prohibet anni tẽpus,aut pleuritis,aut bilis,hoc est humor biliosus,qui redundet in corpore. perspicuum enim est, sub canem uenam non secari. neque etiam si homo sit admodum biliosus. Quod uero ad pleuritidem pertinet, esse controuersum uidetur: propterea quod si morbum attendas,uenæ sectionem postulat: ipsa tamen non semper id exigit,nisi alia quoque adsint,quæcunque sanguinis detractionem indicant:

de

de quibus iam ſæpe in noſtris libris diſſeruimus. Interdum enim pleuriris placida eſt, ac mitis, neque E
neceſſe eſt ſanguinem mittere, etiam ſi homo ſanguinem exſpuat: ſed alijs remedijs ad pleuritidem ac commodatis curare morbum prodeſt. quocirca probabile eſt, uenæ ſectionem prohiberi in ijs, qui ſanguinem exſpuunt, ſi anni rempus ualde calidum ſit, ſi homo ſit natura biliosa: & ſi morbus lateris adſir: cum is, qui cruenra exſpuit, propter pleuritida id facit; quod nimirum parua, mitisque pleuriris exiſtat. Scito autem, non modo detrahendum eſſe ſanguinem ijs, qui ſanguinem ſputo reijciunt, ſed etiam ijs, qui teiecerunt, & modo curati ſunt: præſertim ſi eam in partibus thoracis, ac pulmonis † habeant, ut ſi uel pluſculum ſanguinis colligatur, rurſus aut oſculum uaſis aperiatur, aut rumpatur. his, etiam ſi nullum ſymptoma ſit in corpore, uena ſecanda eſt ineunte uere: ſicut etiam ijs, qui facile in morbum comitialem, atque attonitum cadunt: & item ijs, quos facile ab alijs corripi morbis ſciamus: ut nos ſæpe admonuimus: ubi etiam cauſſam ſubiunximus.

† κατασκευὴν .i. ſtructuram ſic in altero lib. ſcriptú eſt.

*Quæ in aliquibus ſub indicationem iuxta aures exorta, non ſuppurarint, eo ſubducto fit recidiua pro recidiuarum ratione. facta autem recidiua, iterum tument, ac permanent: ut febrium in ſimili circuitu recidiua: atque in eis ſpes eſt abſceſſum in articulos futurum.* 34

Nihil eſt, cur explicari a moleſtijs poſſimus, ſi ueteres ſcripturas huius loci, & uarias interpretum ſu F
periorum ſententias, explanationesq; afferre uoluerimus. hi enim omnes fere, Glaucias, Heraclides, & Sabinus tum in lectione, tum in expoſitione inter ſe differunt. Lycus uero quomodo ipſe quoque de hac ſententia diſſerat, non ſat ſcio. Satyrus porrò, ac Ficianus, quibus ego doctoribus uſus ſum, probabiliorem explanarionem attulerunt: quorum ſententiam nos ſequuti, mentem ueteris magiſtri, quoad eius fieri a nobis poterit, breuiter, dilucideque exponemus. Tumores inquit, qui οἰδήματα, uel ἐπάρματα dicuntur, qui propter aures iudicationis tempore nati, nec ſuppurati euaneſcunt, facere recidiuam ſolenr. facta aurem recidiua, tumores iterum augentur, & pro ratione recidiuarum iudicantur. & ijs ita affectis abſceſſus quoſdam in articulos futuros expectandum eſt. quod præcipue in diuturnis morbis uſu uenit. atque hæc quidem eſt Hippocratis de tumoribus, aut de parotidibus explicata ſententia. De ueterum autem interpretum diſſenſione, hoc tantum habeo dicere: in primis, de ſcriptura, cum aliqui ſic legant, hoc ſubducto, aliqui uero ſic, his ſublatis, aliqui denique ad hunc modum: ex his fit recidiua; in ueteribus libris, quos quidem nos uidimus, ſic ſcriptum eſſe: *
* *

*Hoc loco multa interciderunt.* G

Veteres autem ſcripturas non decet pro cuiuſque arbitrio, & ut ſors ferat, immutare: niſi uelit quis omnia ueterum decreta ad hunc modum peruertere, atque infirmare: quod Dioſcorides, & Capito, & qui illorum ſunr ſtudium æmulati, maxime uidentur feciſſe. * * ipſe enim hoc uſurpat uel ſimpliciter & abſolute, uel proprio adiuncto nomine: ut in libris de uulgaribus morbis *

*Cetera non extant.*

*Vrina craſſa, alba, qualis Archigenis erat, in laborioſis quartanis quandoque it, abſceſſuque liberat: ſi præterea ſanguis etiam de naribus abunde, copioſeque fluat.* H 35

Vnici exempli appoſitione in Archigene docet, eos, qui ex laſſitudinibus in febrim inciderunt, cum febris ex magna craſſorum, prauorumque humorum copia conſtat, curari, ac ſaneſcere, ſi euacuatio per urinas fiat. quocirca dixit, urina craſſa. Si uero etiam excretio in critico die inceperit, fideliorem, ac firmiorem fore morbi ſolurionem, ſperandum erit. quinetiam morbus ſedabitur, ſi ſanguis e naribus profluat. ſed attendenda eſt ea, quam adiunxit, diſtinctio. ſic enim loquitur: ſi abunde, copioſeque fluat. perinde ac, ſi neque copioſe, neque abunde, & non tantum, quantum opus ſit, fluxerit, non ſit futura morbi ſolutio. Indicat ēt in quem caſuri morbum ſint, qui neq; excretione urinæ, neque ſanguinis profuſione iudicantur, cum nomen abſceſſus adiungat: propterea quod in huiuſmodi hominibus abſceſſum afferre morbus conſueuerit. quem tamen excitare in ijs non poteſt, qui iam urinæ, aut ſanguinis e naribus euacuatione ſint iudicati. Ceterum hoc loco omiſſa interpretum diſſenſione, quæ in horum uerborum lectione uerſatur, ad ſequentem ſententiam, quæ eſt earum, quæ hoc libro de humoribus continentur, ultima, pertranſibo.

*Cui inteſtinum in dextra parte, arthritico affectu laborauit: quietior erat. illo autem ſanato, magis doluit.* 36

Diſſenſio

A Diſſenſio, quæ in uerbis cernitur, cum eadem ſententia ſeruatur, omittenda eſt: cum ſenſum immutat, non eſt plane contemnenda: ut hoc loco fieri uidemus. antiquior enim lectio eſt hæc, Cui inteſtinum in dextra parte, &c, arthriticus factus eſt: altera uero huiuſmodi: Alterum in dextra parte arthritico affectu factum eſt: ut ex priore lectione intelligamus, hic uerba fieri de ijs, quibus inteſtinum dolet, aut diſtenditur: ex poſteriore uero, agi de altero eorum œdematum, quæ ſecundum aures oriuntur, de quibus ſupra dixit. Sed qui fieri poterit, ut qui dolore articulorum uexatur, a tumore, qui ſecundum aures conſiſtat, leuetur? Fuerit igitur fortaſſis probabile, ut dolores articulorum, coli inteſtini dolore, qui uehementior eſt, leuentur. ita enim eſt apud eum in aphoriſmis conſcriptum: In doloribus ſimul excitatis, non eundem tamen locum obſidentibus, uehementior alterum obſcurat. Non deſunt, qui hæc de inteſtino, quod cæcum uocant, dicta eſſe arbitrentur. mea uero ſententia eſt, minime par eſſe, ut cum multa, quæ ad rerum contemplationem, & ad artem exercendam accommodata ſunt, copioſe nobis ſuppetant, in quibus utiliter, ac laudabiliter uerſari poſſimus: in obſcuris, & ænigmatum ſimilibus orationibus diutius uerſemur.

FINIS.

REGISTRVM.

a b c d e.

Omnes ſunt quaterniones.

VENETIIS,

Apud Vincentium Valgriſium

M D LXII.


VIN
CENT

# GALENI
## IN LIBROS HIPPOCRATIS,
*ET ALIORVM*
*Commentarij.*

CVM PRIVILEGIIS.





VENETIIS,
Apud Vincentium Valgrisium.
M D LXII.

# GALENI IN LIB.

## *HIPPOCRATIS DE NATVRA*

## HVMANA.

### COMMENTARIVS PRIMVS.

*Io. Baptista Rasario, medico Nouarienſi, interprete.*

### ARGVMENTVM.

Probatur quatuor eſſe naturæ elementa, & quatuor item humores in corpore ineſſe, qui ſanitatem, morboſque gignunt, ac pro temporum ratione commutantur.

SCRIPSERAM olim de elemẽtis ex Hippocratis ſententia commentarium, eumque amico iter facturo dederam: in cuius initio, cum amici illius mei eruditionem intuerer, quæ cum accurate noſſe perſpexeram, neque demonſtraui, neque commemoraui: quod tamen facere conſueui, ſi quando ſit mihi omnibus, qui legere uelint, ſermo communis inſtituendus. cumque liber, neſcio quo modo in multorum iam manus inciderit, ſtatui nullum eſſe mihi præ-
C terea conficiẽdum: eamque ob cauſam explicationem libri de natura hominis diſtuli: quod quæ in eo continentur, omnia ſint iam in eo commentario, qui in apertum prolatus eſt, cuius index eſt, de elementis ex Hippocratis ſententia, plane demonſtrata. nunc uero quoniam amici quidam mei huius etiam Hippocratici operis expoſitionem efflagitarũt, ut non modo ſententiarum, quæ huic decreto ſunt neceſſariæ, quod in illo prius eſt a me factum, ſed ſubinde omnium interpretationem haberent: idcirco in explicationis exordio ea prius dicam, quæ in principio commentarij de elementis ex Hippocratis ſententia, omiſeram, cum ea amico meo nota eſſe intelligerem: quorum unum, primumque id erit, quid naturæ uocabulum ſignificet: a quo ueteres quidam philoſophi ducto nomine, ſunt naturales appellati. cur autem id a nobis dicatur, planum erit, ſi libros, quos illi de natura conſcripſerunt, perlegemus: uidentur enim expoſuiſſe, qualis nam ſit prima illa eſſentia, quam nullo generatam ortu, æternamque eſſe confirmant. quamque omnibus ijs corporibus, quæ oriuntur & occidunt, eſſe ſubiectam uolunt: & item quæ propria ratione unicuiq; eorum conueniant, quæ in ortu, interituque uerſantur: quibus cognitis, ſequitur aliorum cognitio, quæ non ſua ratione cuique priuatæ eſſentiæ accidunt. atque ita quidem perfecta habetur naturæ cuiuſque rei doctrina: proinde conſueuere etiam mortales, cum quis unum, aut duo ex ijs, quæ rei in-
D ſunt, explicarit, affirmare aliquid de rei illius natura eſſe enunciatum: quod etiam poeta uidetur obſeruaſſe: qui cum dixiſſet:

« Sic fatus mihi Mercurius medicamina præbet
« Terra euulſa recens, naturam & perdocet horum. mox ſubiunxit,
« Pulla illis radix, flos lacti concolor albo.

Sic etiam, qui de herbis, & omnino de plantis conſcripſerunt, earum naturam ſenſilem nos docent, cum exponunt qualis una earum quæque tangenti, qualis guſtanti, qualis odoranti, ac uidenti ſit: quam præterea uim habeat, cum intra corpus ſumitur, & cum foris admouetur: in his enim ſenſilis cuiuſque rei natura poſita eſt. altera autem & præſtantior, & prior eſt, de qua ego quoque
« prius uerba feci, & Plato illi eſſe cognoſcendam conſulit, qui rem quampiam uia & ratione uelit per-
« tractare: cuius etiam tibi uerba ſubiungam: putas ne inquit, animæ naturam, ut par eſt, ſine uniuerſi
« natura poſſe cognoſci? ſi Hippocrati uni de genere Aſclepiadarum ulla fides adhibenda eſt, ne corpo-
« ris quidem: ſine hac uia & ratione. recte enim ò amice loquitur. ſed præter Hippocratis ſententiam,
« perpendenda ratio eſt: & utrum conſonet, conſiderandum. fateor. ecquid Hippocrates, ueraque ra-
« tio dictat? nonne ad hunc modum? de cuiuſque rei natura cuius nos uel artem aſſequi, uel docere

alios uolumus, primum id inquirendum est, simplex ne sit, an multiplex. si simplex sit, uidendum est, E
quam naturalem uim habeat, ut in alterum agat, aut quam, ut ab alio patiatur. si uero plures species »
habuerit, illis enumeratis, quod in una dixerimus, id erit in omnibus singillatim inuestigandum, quam »
inquam naturam habeant, ut & ipsæ agant, & ut ab alio patiantur. hæc est Platonis in Phædro expli-
cata sententia, quæ nominis naturæ significationem declarat; & quomodo uia ac ratione ipsius per-
uestigare essentiam debeamus, commonstrat. huius autem generis omnes ueterum philosophorum
libros, qui de natura sunt, ut Empedoclis, Parmenidis, Melissi, Alcmæonis. & Heracliti, esse
comperies. aliqui autem non unum modo, sed plures de hac contemplatione libros conscripserunt:
quidam uero etiam admodum multos, ut Epicurus: ipse enim ut etiam omnes, ab ea quæstione ini-
tium ducit, utrum unum, simplexque illud sit; cuius naturam inuenire conamur: an coniunctũ e qui-
busdam simplicibus, quæ illo priora sint: quæ ij, qui priscis successere, elementa nominare consueue
runt: quo etiam modo grammatici quatuor & uiginti esse uocis elementa tradunt, hoc est simplices,
primasque particulas, quæ in alias, perinde ut syllabæ, diuidi amplius non possint. in hac autem syl-
laba stra, si primum elementum adimas, reliquum erit tra, quod etiam syllaba erit: ita quoque si a
tra, primum auferas. poteris etiam ra, quod superest, diuidere: at a, literam, sicut & alias permul-
tas, nunquam ita diuidi posse ostendes, ut ex duplici, triplicive sono constare uideatur: sed unicus e- F
ius sonus est, isque indiuiduus, non absolute quantitatis ratione, ut & nos alibi, & alij plerique phi-
losophi docuerunt: sed solum specie. ita qui aerem, ignem, terram, & aquam esse quatuor eorum cor
porum, quæ in ortu interituque uersantur, elementa statuerunt: ideo naturalis scientiæ principia es-
se uoluerunt, quod non iam singula in multas diuidi species queant. prima enim minimorum corpo-
rum notio in quantitate est: altera uero deinceps, ut in elementis uocis ostendimus, in qualitate con
sistit. discrepant autem inter se naturales philosophi. quod quibusdam eorum corporum, quæ gene-
rantur, & intereunt, minimas quantitate particulas, quibusdam uero, qualitate, elementa esse pla
cet. uerum de elementi significatione copiosissime est a me dictum in libro de medicinalibus nomini-
bus primo: ut de naturæ significatione, in quinto, in præsentia uero non de appellationibus, aut signi
ficationibus, sed de rebus ipsis instituta nobis est oratio: ex quibus minimis siue magnitudine, siue
forma efficitur prima corporum, quæ gignuntur, compositio: quæ Aristoteles, ac nos similaria
nuncupamus: mox uero ex his altera fit compositio corporum, quæ organica nominamus, ut sunt
manus, tibiæ, oculi, lingua, pulmo, cor, iecur, lien, renes, uenter, uterus, & cetera generis eius-
dem: prima enim huiusmodi instrumentorum natura ex primis, ac similaribus, quæ Plato primoge-
nita uocare consueuit, composita est. de quorum sane differentia licet iam uno in uolumine sit ha- G
bitus a me sermo, nunc tamen, ut clarior doctrina sit, summatim dicetur. similare autem est os,
chartilago, & ligamentum: e similibus quoque particulis constat membrana, pinguedo, & caro,
tum ea, quæ fibris hæret musculorum, quæ ipsæ quoque e similibus inter se particulis constant;
tum quæ in uisceribus est, quam affusionem uocare Erasistratus consueuit. nos autem in ipso statim
initio eius operis, in quo docuimus, qualis sit uera medendi ratio, demonstrauimus, fieri non
posse, ut per indicationes similaribus corporibus adhibeatur curatio, nisi prius scias, an unum eo-
rum quodque simplex sit, an ex multis conflatum: & an illa per se tota commista sint inter se an ue-
ro solum se contingant. illud etiam ostendimus, quosdam medicos, inter quos etiam Erasistratus
censetur, ex dimidia tantum parte dogmaticos esse: qui quidem partium organicarum morbos ra-
tione curant: similarium uero, uel nequaquã, uel more empiricorum. quinetiam plerique eorum, quæ
sit inter morbos organicarum partium, & eos, qui in similaribus oriuntur, differentia, plane ne-
sciunt: ut etiam neque utriusque generis numerum tenent. sed uos o amici, in nostris commen
tarijs unam habetis de morborum differentia; & aliam, nec exiguam de medicamentis scriptio-
nem: cuius index est, medendi methodus. uerum & hæc, & alia permulta, sermonem, qui de
natura hominis est, requirunt qui hoc opere nobis proposito continetur. quocirca admirari eos li- H
cet, qui librum de natura hominis non esse Hippocratis uerum putant: & inter spurios, ut ipsi aiũt,
reponendum censent: decepti scilicet ijs, quæ in eo conficta, coniectaque sunt: de quibus in hisce
commentarijs abunde disseremus. nunc uero satis erit explicare, & quæ uera Hippocratis, & quæ
non, hoc libro contineantur: quæ ad uerbum sunt huiusmodi. Huius libri prima pars, quæ uno
libro continetur, ad ducentos & quadraginta uersus accedit: in qua ostenditur, corpora animan-
tium ex calido & frigido, & humido & sicco esse conflata, & simul humorum natura declaratur: quæ
uero hanc excipit uaria est: siquidem prima eius pars morbos, qui dispersi nominantur, a uulga-
ribus, pestilentibusque distinguit: & communi quadam ratione curationem utriusque generis pro-
priam docet. quæ hanc sequitur, uenarum dissectionem pertractat: mox uaria est de morbis do-
ctrina. his propositis, uictus salubris explicatur, qui ad priuatos dirigitur. postea ratio declara-
tur, qua possit quispiam crassissimos homines extenuare, aut extenuatos carne conuestire: cui
parti annexa sunt, quæ ad uomitus pertinent. postea quædam breuis descriptio uictus infantiũ habet:
deinde mulierũ, tum eorũ, qui exercent. sub finem uero quiddam est, quod decẽ fere uersibus contine-
tur, de cerebri morbis casu ac temere adiunctum. itaq; planum est, uniuersum hoc uolumen ex multis
coagmentatum

A coagmentatum & conflatum ad ſexcentos ferme uerſus, aut paulo pauciores eſſe productum. ac prima quidem tractatio, ubi de elementis, deque humoribus agitur, eſt arti Hippocraticæ omnino congruens: ſicut etiam ſecunda, quæ uulgares morbos a diſperſis diſtinguit. at in qua uenarum habetur diſſectio, plane interiecta ab alijs eſt, & tota ſcatet erroribus: nam & ab ijs diſſentit, quæ ſub aſpectum cadunt, & pugnat cum ijs, quæ ſecundo morborum uulgarium continẽtur. quæ deinceps conſequuntur, partim interiecta ſunt, de quibus, cum eam libri partem exponemus, accurate loquemur: partim digna ſunt, quorum ratio habeatur: quippe quæ paucis uerbis recte dicta ſint, & arti Hippocraticæ congruant: cuiuſmodi ſunt, quæ de uictu ſalubri dicta ſunt, omnia. ex his igitur totus hic liber conſtat. eius autem prima pars totius Hippocraticæ artis quaſi fundamenta continet: quam ob rem dixi, par eſſe, admirari eos, qui hunc ab Hippocratis ſententia eſſe alienum exiſtimarunt: complures enim eorum, qui artem Hippocratis intelligunt, hunc etiam ad ueros ipſius libros aggregant: ac magni Hippocratis eſſe librum cenſent: quidam ad Polybum auctorem referunt, tum illius diſcipulum, tum uero in auditoribus docendis ſucceſſorem: qui nũquam ulla ex parte decreta Hippocratis in aliquo ſuorum librorum immutaſſe uiſus eſt: quemadmodum etiam Theſſalus eius filius, qui fuit ipſe quoque uir admirabilis: in patria tamen, ut Polybus, diu non manſit: ſed cum Archelao Macedoniæ rege uixit. quare perſuaſum eſt pleriſque omnibus medicis, præter admodum paucos, librum de natura hominis eſſe Hippocratis: ac ne ipſe quidem Plato non agnoſcit: ſiquidem in Phædro eam ſententiam ſcriptam reliquit, quam paulo ante recitaui, cuius hoc initium eſt: Putas ne inquit, animæ naturam, ut par eſt, ſine uniuerſi natura poſſe cognoſci? ſi Hippocrati uni de genere Aſclepiadarum ulla fides adhibenda eſt, ne corporis quidem ſine hac uia & ratione. hanc orationem perlegere debuiſſent ij, qui temere nugantur: ac perpendere in quonam Hippocratis libro deſcripta ſit ea uia ac ratio, quam Plato laudibus extollit: ſiquidem in nullo alio, quàm in eo, qui eſt de natura hominis, quo de nunc agitur, eam inuenient: deinde etiam alia intueri, quæ Plato perſecutus eſt, quæ ego in libro de elementis ad Hippocratis ſententiam expoſui, ac nunc nihilo minus explicaturus ſum, cum ita placere uobis ſentiam. itaque ubi hoc ſermoni addidero, ad earum dictionum, quæ hoc in libro ſunt, aggrediar. cum liber, quem olim de elementis ex Hippocratis ſententia confeceram, ad multorum manus perueniſſet, & eruditis omnibus probaretur: certi indocti homines qui nullam eorum demonſtrationum, quæ eo in libro conſcriptæ ſunt, reprehendere poterant, quamuis id illi conarentur, inuidia rumpebantur. & ad calumniam hoc eſſe ſatis putauerunt, ſi librum non eſſe Hippocratis affirmaſſent. non ſit igitur neque Hippocratis, neque Polybi, nec, ſi uelint, ſcriptus quidem unquam liber

B (at "ge uixit")

C de natura hominis, in quo noſtra corpora ex calido, frigido, humido, ſiccoque conſtare oſtendantur: quod ſi eis condonemus, tamen noſtra corpora ex his componi, erit Hippocratis ſententia: quippe qui in libris, qui ipſius ueriſſimi ſunt, non ſolum morborum differentias conuenienter his principijs ſtatuere uidetur, ſed inde etiam curandi rationem inuenire: morbi enim calido, frigido, ſicco, & humido inter ſe differunt: curantur autem, ſi calida refrigerentur, ſique humida exſiccentur: ut etiam ſi frigida calefiant, & ſicca humectentur. præterea uero ante hæc naturas hominum tum calidas, tũ frigidas, tum humidas, tum ſiccas putat. ætates quoque & regiones eodem modo inter ſe differre cenſet. cum tamen Eraſiſtratus, aut ullus alius, qui calorem non eſſe natura inſitum, ſed aduentitium uelit, ne uerbum quidem de his fecerit. ſic etiam cetera omnia ſingillatim Hippocrates in hæc principia refert: quæ Eraſiſtratus non obſeruat: quam ob rem quædam opera naturalia ſine ulla prorſus expoſitione reliquit, ut in commentarijs de naturalibus facultatibus eſt a nobis demonſtratum. ſed quoniam ij, qui recta quæque reprehendunt, uitio nobis dant, quod tam prolixi ſimus, ut omnia potius, quàm commentarios ſcribere uideamur, hanc quoque eorum calumniam uitare decreui: conſcribam enim alium librum ſeparatim, in quo probabo, me eandem tenere ſententiam, quam Hippocrates & in libro de natura humana, & alijs ſuis commentarijs ſcriptam reli-

D quit. noui præterea inuidos, qui omnia, quæ a me demonſtrata ſunt, quæ quidem a cunctis laudantur, criminari uerentur: nonnulla tamen præcepta, quæ cum illis coniunctionem habent, uituperant, ita nunc quoque eſſe facturos. dicent quidem in libris, qui ſcribentur, Hippocratem pro elementis re uera ſibi propoſuiſſe calida, frigida, humida, & ſicca: ipſum tamen non uere ſententiam ſuam enunciare: ubi uero oſtenderit, noſtra corpora ex ijs componi, clamabunt id Hippocrati non probari. quod liber de natura humana Hippocratis non ſit. itaque quando illi a maleficio nunquam ceſſant, ita & nos meminerimus, eis ſemper commemorare, quæ ſemper in unoquoque libro ſunt a nobis propoſita: ne cum oſtenſum ſit Hippocratem in omnibus ſuis libris ea ieciſſe artis ſuæ fundamenta, quæ hac ſcientia de inuentis elementis continentur. hoc illi relicto, horum ueritatem in quæſtionẽ adducant: neque ſi de eorum ueritate ſit inſtitura diſputatio, noſque id demonſtrauerimus, confugiãt eo, ut nũ ea fuerit illius ſentẽtia perſcrutenẽ: ſed diſquirant ſeparatim, an ſermo, qui de elementis habetur, uerus ſit: ſeparatim uero, an Hippo. hæc elementa conſtituerit: cum igitur hæ duæ quæſtiones ſint, prima tum in libro de elementis ex Hippo. ſententia, tum in hoc ipſo, quem explicamus, diſcutienda eſt: de altera uero, ſatis conſtat inter homines intelligentes, eum ſemper continuata ſerie quadam elementa eadem ſtatuiſſe: atque hunc nobis propoſitum librum conſcripſiſſe.

*Qui audire eos consueuit, qui de humana natura ulterius, quàm ad medicinam pertineat, disserunt, is non est ad hunc* B *sermonem audiendum idoneus: neque enim prorsus hominem esse aera, aut ignem, aut aquam, aut terram, aut aliud quicquam dico, quod in homine unum inesse non appareat: sed quibus id probatur, dicere permitto.* I

Si orationem hanc spectes, non satis facile scriptoris intelligere sententiam uideberis: eos enim accusat, qui sermonem de natura longius trahunt, quàm ad medicinæ usum pertineat. suspicabitur autem quispiam, eos longius producere orationem, qui ignem, & aquam, & aerem, & terram esse humanæ naturæ elementa statuunt: [si ea non mista sint] itemque eos, qui unum ex his elementum ponunt. ac nos quidem primo intuitu in superiorem, diligentius uero contemplati, in alteram sententiam imus. non fungetur autem officio is, qui petat ab illis, qui nostra corpora ex aqua, & aere, & igni, & terra inter se commistis constare arbitrantur, ut seiunctam uel aquam, uel terram, uel ignem, uel aerem, in nobis ostendant: quod si non fecerint, eos conuictos esse pronunciet: simile enim id esset, ac si postules, in medicamento tetrapharmaco puram tibi ceram, aut picem, aut adipem, aut resinam ostendi, quod nisi fiat, illud quoque ex illis confectum neges. nam cum dicitur, ea quatuor esse inter se temperata, tum nihil eorum esse syncerum declaratur. nunc uero, quanquam utraque sententia ex his uerbis elicitur, tamen ex ijs, quæ deinceps dicenda sunt, secunda uidetur ab auctore confirmari. ac si F quis diligenter animum adhibeat, cum ait, neque enim prorsus hominem esse aera, uidebit, non id ipsum dicere, non esse penitus in nobis aerem, sicut neque ignem, neque aquam, neque terram: sed non esse prorsus. quæ uox non significat nihil omnino, sed non ex toto: quia ab hac uoce prorsus non omnino tollitur res, qua de agitur, sed de perfecto, ac syncero aliquid illi adimitur. quinetiam poeta ipse uidetur in hanc significationem uerbo hoc πάμπαν hoc est prorsus usus esse, cum ait:

Quod neque prorsus.

Perdere tum uellet Danaos ad mœnia Troiæ.

Itemque ipse Hippocrates, cum ait, Acutorum morborum non prorsus securæ sunt prædictiones, » salutis, aut mortis. poeta enim inquit Iouem, ut Thetidi gratum faceret, multam quidem uelle Græcis perniciem inferre, non tamen omnino eos delere: Hippocrates uero, multas prædictiones certas esse: ut in commentarijs præsagiorum ostendimus: non omnes tamen. atque ita melius est hunc locum intelligi: quod etiam ijs, quæ sequuntur, ostenditur: Hippocratem nimirum non assentiri ijs, qui humani corporis unicum aerem esse elementum uolunt: sicut neque ijs, qui solam terram, aut solam aquam, aut solum ignem statuunt: quod non solum unum, sed hæc omnia sint elementa. quocirca uocem, quæ in fine orationis ambigua est, eoque genere ambiguitatis continetur, quod in coniunctione G & disiunctione uersatur, melius per disiunctionem legemus, cum ait, neque aliud quicquam, quod in homine ἓν ἐὸν esse non appareat. quo in loco ἓν ἐὸν non est una orationis pars, ut uolunt, qui primam expositionem sectantur: quæ pars ab alijs Græcis duabus syllabis ἑνὸν pronunciatur, & tribus ab Ionibus ἐνεὸν; sed duæ sunt orationis partes, quarum prima constat una syllaba, & significat unum, ut cum numerando dicimus, ἓν, δύο, unum, duo, tria. altera uero est, quam nos ὄν, hoc est, ens dicimus, Iones uero ἐὸν binis syllabis proferunt. atque in sequentibus apertum erit, Hippocratem non impugnare eorum sententiam, qui quodcunque horum quatuor elementorum nostro corpore contineri, sed ijs, qui hominis naturam ex uno ipsorum constare existimant. dicat autem hoc loco quispiam, quomodo longius, quàm ad medicinam pertineat, hæc oratio progreditur: quatenus nonnulli statuunt, unum quoduis elementum esse hominis naturam? quoniam, ut ipse paulo post dicet, ex hac opinione consequitur, hominem nunquam affici posse dolore: quod si quis concedat, etiam unicum fore remedium apparebit: sed uidemus, hominem dolere, & uario item modo curari: quare falsa plane ea est opinio. sed uideamus, quæ uerbis deinceps consequentibus continentur, quomodo ipse singula comprobarit. Neque enim, inquit, prorsus hominem esse aera, aut ignem, aut aquam, aut terram, aut aliud quicquam dico: quod in homine unum inesse non appareat: sed quibus id pro- H batur, dicere permitto. Artemidorus, cognomento Capito, Hippocratis libros edidit: eaque editio non modo Adriano Cæsari probata est, sed nunc quoque studiose a multis perquiritur: sicut ea quoque quam eius propinquus Dioscorides in apertum protulit. multa autem uterque inuertit ueteribus scripturis immutatis, quas norunt solũ ij, qui libros Hippocratis sunt interpretati. ac præter alias plerasque, hanc quoque nobis propositam orationem Capito immutauit: itaque conscripsit: neque enim dico hominem ex toto aerem esse, neque ignem, neque aquam. cum enim nullum ueteris auctoris librum inuenerit, in quo scriptum sit, solam terrã elemẽtum esse, neq; etiam apud Peripateticos, qui alioqui in hanc disciplinã studiose incubuerũt, aliquid de hac opinione scriptum cõpererit: audacter hanc dictionem commutauit. sed melius quidẽ fuisset, illis succensere, qui nimis curiose perquirunt, cuiusnam hominis ea esset opinio, qua terram solam esse elementũ statuebat. id enim perinde est, ac si quis inuestiget, quis esset is, qui manũ luxatã ligari supinã uolebat: & quis ille, qui talũ aliter, q̃ Hippo. placeat, uinciri iubebat: & quis ille, qui clauiculã, aut quis fracturas cũ ulcere coniunctas in ipso ulcere nõ ligabat, sed utrinq;: aut quis ille, qui humeri articulũ adurẽs, crustas: non qua parte oportebat, excitabat: aut qui nã essent deniq;, quos ubi de spina agit, reprehẽdit. etenim in libro de fracturis, & articulis

A culis multa huius generis ab Hippocrate sunt mandata literis modn contra unum, modo contra multos medicos delinquẽtes: ut etiã in libro de ratione uictus in morbis acutis multos simul medicos his fere uerbis coarguit: Verũ & medicos cõtra omnino, quã oportet, facere nõ ignoro: quippeꝗ ab initio duos, aut tres, aut etiam plures dies fame ægros cruciant: deinde sorbitiones, ac potus exhibẽt. itaq; ostẽdant nobis interpretes, quinam ita uictus rationem instituerint: qui hominem esse solam pituitam, qui flauam bilim, quique atram existimarint: siquidẽ in hoc ipso de natura hominis libro quosdam fuisse, qui ita senserint, subinde memorabit. quare melius expositores fecissent, si dixissent, non omnes hos fortasse suas opiniones scriptas reliquisse. fieri etiam potuit, ut scripserint illi quidem, eorum tamen monimenta non extent: quod multis de causis potuit contingere: nam uel nullos habuerunt suæ doctrinæ successores: uel dum uiuerent, libros non ediderunt: quibus postea uita functis, cum unum modo, aut duo exemplaria superessent, facile desiderata sunt: uel quod nullo in pretio libri huiusmodi haberentur, ideo contempti progressu temporis plane interciderint. sed & inuidi persæpe ueterum auctorum opera aut occultant, aut prorsus delent. id quod nonnulli faciunt, ut quæ in illis scripta sunt, pro suis legantur. iam quid mirum est, scripta eorum, qui hasce ineptas opiniones literis mandare uoluerunt, interijsse, cum Athenis inuenti sint comici, tragicique poetæ, qui cum laude in eo studio certarint, eorum
B tamen fabulæ ad nos peruenire non potuerint. sed, ut ceteras causas sileam, duas tantum, quæ nuper Romæ contigerunt, memorabo: sæpe templa succensa, sæpe terræmotu, aut alia de causa solo æquata in causa fuisse, cur libri complures perierint. male igitur Capito ausus est ueterem scripturam inuertere: neque hoc præterea addidit, potuisse primum librarium errare, atque aliud pro alio scripsisse. immerito quoque nonnulli interpretes, falsoque Xenophanem accusarunt, inter quos Sabinus est, qui hisce ipsis uerbis id scripsit: neque enim prorsus hominem esse aerem dico, ut Anaximenes: neque aquam, ut Thales: neque terrã, ut alicubi Xenophanes censuit. & tamen nullo in loco inuenies, hoc Xenophani placuisse. sed Sabinus ex suis ipse uerbis mentiri deprehenditur: non autem ignorãtia falli. alioqui librum in quo hæc ille dixerit, omnino nominasset. nunc uero ita ait, Neque terram, ut alicubi Xenophanes censuit. præterea si hæc esset Xenophanis sententia, Theophrastus in epitoma naturalium opinionum conscripsisset. potes autem, si harum rerum historia delectaris, libros Theophrasti, in quibus epitomen naturalium opinionum confecit perlegere: quemadmodum etiam, si aueas priscorum medicorum sententias cognoscere, habes quos possis legere libros collectorum medicinalium, adscriptos quidem Aristoteli, sed tamen quos constat a Menone eius discipulo scriptos esse, ideoque ea collecta Menonia quidam uocant: perspicuum enim est, conquisitis diligenter a Menone omnibus ueterum
C medicorum libris, qui eo tempore adhuc extabant: inde eorum opiniones collegisse: eorum uero qui iã desiderabantur, uel, si extabant, nondum tamen in lucem editi erant, ut uideri possent: opiniones describere non potuisse. in his igitur libris nunquam inuenies ne ab uno quidem pronunciatum, uel flauam, uel atram bilim, uel etiam pituitam esse naturæ hominis elementum. plerique autem post Hippocratem fuere, qui sanguinem solum in nobis esse putauerunt: ut nostra quoque prima origo ex ipso extet: deinde incrementum in utero: tum editorum in lucem perfectio: Hippocrates tamen ita paulo post scripsit, perinde ac fuerint etiam, qui pituitam, & bilem esse hominem existimauerint. qui sane id nunquam scripsisset, nisi inuenti essent, aut illis suis temporibus, aut superioribus, qui ita putauissent.

2 *Mihi autem, qui hæc dicunt, non uidentur recte sentire: cum enim idem omnes sentiant, non eadem tamen loquuntur: sed idem concludunt: aiunt enim unum esse id, quod est: atque id unum, omneque esse: uerbis autem dissentiunt: quia id unum, & omne alius eorum ait esse aerem, alius ignem, alius aquam, terram denique alius: ac suæ quisque rationi testimonia & coniecturas inducit, quæ tamen nullius sunt ponderis. quod autem in eadem sententia omnes uersentur, nec tamen eadem pronuncient, ea re planum est, eos illa ignorare. quod facile perspiciet, qui illorum contentiones audiat: nam cum ijdem uiri in*
D *eodem consessu auditorum inter se contendunt, nunquam in disputatione ter deinceps unus atque idem alios conuincit: sed modo hic, modo ille superior est, cuicunque insit maior linguæ uolubilitas, & magis ad turbam accommodata. atqui par est, ut qui recte sentire se putet, deque rebus aliquid polliceatur, eas rationes afferat, quæ conuinci non possint: siquidem uere intelligit, & recte pronunciat. at uero isti uidentur & in uerbis, dum disputãt, sua inscitia errare, & Melissi approbare sententiam: sed de his hactenus.*

Hunc sermonem ita instituit, quasi ad eos dirigatur, qui norunt,, quid dicant ij, qui unum esse elementum uoluerunt. etenim qui ignem dicunt elementum esse, ijdem ex hoc condensaro, coacto, & concreto gigni cetera confirmant. ut si ipse parum condensetur, aerem efficiat: si magis, aquam: si plurimum & absolute, in terram transeat: pari quoque ratione qui aquam, quique aerem ponunt, ex eorũ concretione & fusione oriri cetera aiunt: ut si aqua densetur, in terram uertatur: si fundatur, in aerem abeat: quemadmodum si aer densetur, in aquam; si fundatur, in ignem abibit. quocirca ex mutua horum quatuor uicissitudine deprompta eorum ratio est, quibus unum quoduis esse elementum placet. quam ob rem ait, eos quidem idem sentire, non eadem tamen loqui, & in hoc toto sermone ijs aperte repugnat, qui hominem esse unum quippiam tantummodo ex his quatuor elementis arbitrantur: aitque eos in errore uersari: cum enim nihil demonstrent, absurdissima eorum ratio est. neque enim probant, hominem unum ex quatuor elementis esse: sed Melissi sententiam

probant: qui existimauit ipse quoque id unum esse, non unum horum quatuor, ignis, aeris, aquæ, & terræ, hic autem uir uidetur communem essentiam quandam, omnibus his quatuor subiectam, quæ neq; generaretur, neque corrumperetur, animo concepisse. quam posteriores materiem appellauerunt: id tamen postea distincte declarare non potuisse. porrò hanc essentiam, unum atque omne uocat. sed ea oratio non uera est: siquidem non unum solum est principium, eorum corporum, quæ ortui, interituique obnoxia sunt, ut Melissus putabat, sed sunt quatuor præterea qualitates. summa frigiditas, & siccitas, & caliditas, & humiditas: at hæ neque aliarum rerum, neque naturæ hominis sunt eleméta, sed principia. hæc autem apud ueteres, qui ne principium quidem ab elemento differre suspicati unquam sunt, confundebantur: cum ipsa quoque principia possint elementi nomine appellari: & tamen hæ duæ res sunt, inter se plane differentes: quippe cũ altera sit minima totius particula: altera uero in quam cogitatione quispiam minimam illã particulam diuidet: etenim ignem ipsum in duo corpora diuidere nunquã poteris, ex quibus cum concretum esse ostendas, ut neque terram, neque aquam, neq; aerem: cogitatione tamen complecti poteris, alteram esse eius, quod transmutatur, substantiam: alteram uero esse eius transmutationem: non enim idem est corpus, quod mutatur, & mutatio, quæ in eo fit: nã quod mutatur, subiectum est: eius uero mutatio ex qualitatum fit uicissitudine. cum enim in eo summus calor oboritur, ignis gignitur: quemadmodum aer, cum summum frigus sit assecutum. eadem quoque ratione fit terra, cum id subiectum, quod suapte natura est omni uacans qualitate, omnem in se siccitatem sine ullo calore receperit: aqua uero, cum humiditatem. de primo autem frigido non parua quæstio existit, quæ tamen ad hoc institutum nihil pertinet, cum ad medicæ artis opera non conducat. utile autem est, ut perquiramus, utrum hominis corpus sit unum quid simplex, an ex quatuor simplicibus compositum: quod tum nos monuit Platonis sententia, tum nos in medẽdi methodo in primis statim libris docuimus. sed hac de re iterum sunt nobis posterius uerba facienda. nunc ad memoriam reuocabimus, non eos oppugnari hoc sermone, qui hæc quatuor esse hominem cẽsent, sed eos, qui illi esse unum ex his quatuor simplicibus contendunt. quare merito potiorẽ esse lectionẽ illius loci iudicauimus, ut ἐστὶν cum prima uoce aspirata scriptum sit: siquidem Hippocrates nó esse unum, sed plura probat, ex quibus hominis natura componatur: nec ostendit, nullum ex his quatuor syncerum in corpore inueniri: cum ne id quidem huius opinionis auctores: sed potius unum quiddam præter ea quatuor esse, quod tamen ex illis sit concretum; statuisse uideantur: quemadmodum etiam medicamentum tetrapharmacum neque cera est, neque pix, neque adeps, neque resina: sed unum quid præter hæc ipsa, quod ex his omnibus simul temperatis conflatum est. cum autem hæc ipsa opinio duplex sit, quidã solas quatuor qualitates per se totas inter se misceri: alij uero etiam substantias, pronunciarunt. prioris sententiæ auctores sunt Peripatetici, posterioris Stoici. immo uero Empedocles ante hos ex quatuor elemẽtis, atq; ijs immutabilibus compositorum corporum naturam constitui existimauit: illis nimirum ita inter se commistis, ut si quis diligenter terat, atque in tenuissimum pollinem redigat æruginem, chalcitin, cadmiam, & mysy, sic commisceat, ut nullum eorum possit seiunctum ab alijs pertractari.

*Porrò ex medicis quidam aiunt hominem ex sanguine tantum, quidam ex bile, quidam ex pituita, constare.* 3

Superiore oratione refutauit eorũ philosophorũ sententiã, qui corporis nostri naturã aut ignẽ solũ, aut aquam, aut terrã, aut aerem esse dixerunt. nunc ad medicos pertransit: quos non secus, quã illos, errare docet, quicunque hominem aut ex solo sanguine, aut sola pituita, aut sola bili cõstare arbitrantur. iam igitur perspicue definitum est. quod in prima huius libri parte ambiguum esse uidebatur: non oppugnari hoc loco eos, qui quatuor elementa posuerunt: sed semper eos, qui unum aliquod ex illis tantum esse uoluerunt. sed hic omittitur quædam medicorum opinio, quæ non est opinioni Melissi dissimilis, qui hominem esse unum asserunt, quod, dum mutatur, fit unumquodque eorum, quæ prædiximus.

*Atque hi quoque idem omnes concludunt, aiunt enim unum quid esse, prout eorum quisque appellare uoluerit: idque ipsum unum formam, eamque commutare a calore, uel frigore coactum, ac fieri dulce, & amarum, & album, & nigrum, & cuiusque alterius generis: sed hæc mihi quidem non probantur. itaque plurimi talia, atque etiam alia, quæ proxime ad hæc accedunt, pronunciant.* H 4

Ait etiam medicos, quicunq; unum tantum humorem secundum naturam esse dixerunt, idem inter se, & cum philosophis concludere: cum hunc ipsum humorẽ, quem quisque eorũ statuit, in alios commutari demõstrant. quæ uero quisq; ad suã confirmandã sententiam assumpsit, ea nó probant ullum ex quatuor humoribus secundum naturã esse: sed pro eis alium quendam ipsis antiquiorẽ, ex cuius mutatione hi ipsi gignantur: cum tamen nullum tale decretum in medicinali contemplatione constare possit, quod Melissi rationi in naturali scĩa proportione respondeat. cũ igitur aiunt, hoc unũ mutari, & coactum a calore & frigore, fieri dulce & amarum. album & nigrum, nullum ex his quatuor dicere uidentur. quorum refellens sententiam ait, illud non esse secundum naturam, sed aliud quidpiam, quod in ea conuertatur. consentaneum autem est, hic dulcem, appellasse sanguinem: amaram uero, flauam bilim: albam, pituitam: nigram uero, atram bilem: in quas ait illud unum a calore, frigoreque coactum commutari. quod uero in extrema oratione additum est, & cuiusque alterius generis, ſ sanies indicat, quæ grauibus in morbis suboriuntur. conspicitur præterea & æruginosa; ichores.

&

A & fuſca bilis:quam ab iſatide herba iſatodem uocant:& rubra quędam,& ſucci porri colorē referens: & item aliæ,quæ nomen non habent:præcipue autem in morbis,qui ex putredine orti ſunt.

5 *Ego uero ſic ſtatuo,ſi homo unum eſſet,eum nunquam poſſe dolere:neque enim eſſet,unde doleret, cum unum foret: ac ſi doleret,unum utique remedium fore neceſſario.*

Supra refutauit illorum rationes,quas qui unum eſſe hominem rati ſunt,attulerāt:quas non modo nihil concludere,ſed ne ualere quidem ad perſuadendum demonſtrauit: nunc uero eorum quoque refellit ſententiam, qui unum eſſe hominem exiſtimant.non enim idem eſt,rationem,quam quis attulerit,refutare,& opinionem ipſam,tanquam non ueram,reprehendere. poteſt enim uera eſſe opinio, nō tamen a quibuſdam recte defendi: ideoque non ſententia ipſa, ſed ij, qui eam defendunt,coargui. nūc uero miſſis illorum rationibus, opinionem ipſam per ſe ſolam inſectatur; quod ad agendum non ſolum firmiſſima,ſed etiam breuiſſima utitur ratione:ſi unum inquit,eſſet homo,non doleret : qua ratione docuimus,eorum quoque infirmari ſententiam,qui indiuidua, & incompacta,& minima elementa ſtatuerunt:quippe cum ipſi etiam ſentiant,unum eſſe ſpecie id,quod uere eſt.appellant autem ſic primum illud corpus, quod nullo eſt generatum ortu, neque corrumpitur : quando cetera omnia ex illius compoſitione ortum ducunt:inde enim ducitur ea ſententia,quæ ortum noſtrum in quadam illo-
B rum æternorum corporum compoſitione ponit:quemadmodum hæc Hippocratica,in quatuor elemētorum temperatione,cui Ariſtoteles,Stoiciq; ſubſcripſerunt.ſi uero unum,ſimplexque elemētū eſſet, nunquam eſſe doliturum corpus,quod ex eo conſtaret,argumento eſſe ait,quod nullum aliud eſſet reliquum,quod agere in ipſum poſſet:unum enim id corpus a ſe ipſum pati non poteſt. ad hoc accedit, ut ſi quis ipſum a ſe pati concederet,etiam unicum ſit futurum remedium:cum multiplex eſſe curatio in eo,in quo multa non ſint, nullo modo queat.

6 *Nunc uero multa ſunt,quia in corpore multa ſunt:quæ cum præter naturam mutuo calefiunt, refrigerantur, exſiccantur, & humectantur morbos pariunt: ex quo multa genera morborum,& multa quoque eorum curationes exiſtunt.*

Superiore oratione eos,qui hominem eſſe unum quid aiunt,quod perinde eſt,ac ſi dicant,unum eſſe elementum,ex quo homo conſtet,reprehendit ijs abſurdis, quæ ex ea opinione conſequuntur : neque enim doleremus,cum nihil eſſet aliud,a quo illud unum affici poſſet: deinde uero ſi id concedatur,ſimplex,non multiplex erit curatio.in hac autem nobis propoſita oratione perſequitur ea,ex quibus cetera omnia primum gigni, ipſe probaturus eſt:ſunt autem hæc,calidum,frigidum,humidum,& ſiccum:quæ cum ſint moderate inter ſe temperata , animal bene ualet: cum ſe mutuo calfaciant , refrigerent,ſiccent,atque humectent,ad dolores creandos natura apta ſunt,quæ non unica deinde ratione
C curantur:alia enim ipſorum calefactis particulis dolentibus,alia refrigeratis,aut exſiccatis, aut humectatis ſedantur:de quibus in commentarijs de ſimplicium medicamentorum facultatibus , & item in libris methodi medendi copioſius egimus.non erit tamen alienum ab hoc inſtituto, ſi hic quoque aliqua paucis exponam.plane quidem patet,nos ex calido,& frigido,& ſicco & humido dolere,atque curari.quis enim non nouit,ſuboriri dolorem,cum quis hyeme aſpera domo exire conetur?quis item nō in uehementi æſtu?quis ſiti enectus non cruciatur? aut etiam nimio potu expletus? cum ſitis nobis exſiccatis fiat,nimia uero repletio contrariam affectionem pariat.inflammationes quoque,& omnes dolorem afferentes,& præter naturam tumores interim ex ſuperuacaneo humore in particulam influente,interim uero, quod humores aut calidi,aut frigidi præter naturam ſint , oriri ſolent . atqui curatio eorum corporum,quæ nimio humore ſunt expleta,euacuatione perficitur:eorum uero, quæ præter naturam exſiccata ſunt,rebus humectantibus abſoluitur.ut quæ algore dolent,ſi calfiant: quæ calore nimio,ſi refrigerentur.oſtenſum etiam eſt,medicamenta omnia calfaciendo, uel refrigerando,uel humectando,uel ſiccando agere:hæ namque primæ qualitates ſunt,quæ ut in libro de elementis ex Hippocratis ſententia docuimus,corporum effectrices,alteratriceſq; ſunt. has autem ſequuntur eæ qualitates,quæ ad guſtatum pertinent,quarum nomina ſunt,adſtrictio,auſteritas, acerbitas , amarities , ſalſe-
D do, acrimonia, acor,dulcedo,ac pinguitudo: tum quæ in colore uerſantur, ut candor , nigror , rubor, quæque ſunt generis eiuſdem: deinde quæ in tactu,ut durities,mollities,friabilitas,lentor. ijs uero quę guſtatus ſunt, pari fere numero reſpondent, quæ olfactum attingunt: ſed nomina ſpeciatim non habent: nam ea differentia,quæ in ſuaueolentibus, & graueolentibus odoribus eſt, recte quidem differentia nominabitur,ſed tamen multas ſpecies ſequi dicetur.atque hæc quidem orationis ſunt capita: quorum quædam in libro de elementis ex Hippocratis ſententia , quædam in libris de ſimplicium medicamentorum facultatibus demonſtrata ſunt. multi tamen in demonſtrationibus perdiſcendis ſegnes ſunt : & ad contradicendum ijs , quæ ignorant , ualde prompti : diſciplinæ uero , ac ueritatis ſtudioſi contra faciunt: quippe qui ſummo ſtudio demonſtrationes perdiſcant , & alijs ſegniter aduerſentur.

7 *Ego uero exiſtimo,eum,qui hominem eſſe ſolum ſanguinem,nec quicquam aliud,dicit,oſtendere debere,eum non mutare formam: nec cuiuſque generis fieri:ſed aliquod anni tempus,aut hominis ætatem afferre,in qua ſolum ſanguinem in homine eſſe appareat:eſt enim ueriſimile,aliquod eſſe tempus,in quo ipſe ſolus in homine eſſe conſpiciatur . hæc a me dicta in eos etiam conueniunt,qui hominem eſſe pituitam,quique bilem uolunt.*

Nunc quoque illis contradicit,qui hominem eſſe unum aſſerunt:quod ei initio propoſitum eſſe diximus:eoſque in primis coarguit,qui ipſum eſſe ſanguinem confirmant: ſi enim inquit , ſolus ſanguis

hominis naturam constitueret, oporteret sanos homines solum sanguinem sine utraque bili, & pituita in corpore continere. deinde uero, si concedamus, bilem, aut pituitam quandoque accedere, deberet ætas aliqua, uel anni tempus inueniri, per quod solus sanguis sine alijs humoribus in corpore inesset. eodem quoque modo reprehendit eos, qui uel bilem, uel pituitam esse hominem affirmarunt: quod idem est, ac si dixissent, hominem id solum suapte natura esse: cum primum ortum in homine ex hoc humore profectum esse existiment. E

*Ex quibus autem ego constare hominem affirmabo, ea & secundum legem, & secundum naturam tam iuuenili ætati, quàm senili, tam calido temporis, quàm frigido semper conuenire demonstrabo: ac signa etiam, & argumenta afferam, quibus unumquodque in corpore augeatur, & corrumpatur necessario.* 8

Pollicetur se ostensurum, ea, quæ ipse statuit, elementa semper in omnibus ætatibus, atque anni temporibus, & incremento & corruptela, hoc est imminutione, in corpore contineri. Conuenienter autem legi dicitur esse id, quod in hominum opinione, existimationeque est; cum ita ueteres dicere consueuerint: secundum naturam uero, quod ipsi rerum ueritati conuenit.

*Primum autem necesse est, eius originem ex uno non constare: nam quomodo quod unum est, poterit aliud gignere, nisi alicui misceatur?* 9

Hippocrates autem semper ea, quæ euidētia sunt, sectatur: proinde nūc dixit, nihil ex uno fieri posse sine ope alicuius externi, quod ipsum quoque cum eo moderatione temperamenti conueniat. ego uero nescio, quo modo quidam ex ijs philosophis, qui physici nominantur, ausi sint, tam absurdam opinionem enunciare, ut totam naturalem contemplationem euertat: propterea quod, qui unum esse omnia dicit, is ea ratione generationem omnem tollit. nam si unum est, quod generatur, id non erat prius, neque etiam paulo post erit. nam neque Thales, neque Melissus, neque Heraclitus prius erant, neque nunc sunt. an igitur quispiam uere dicet, hos homines non esse ortos? an orti quidem sunt, ac multos annos uixerunt, sed quo tempore uiuebant, non erant? an concedemus, eos illo tempore fuisse, ut cū essent, non fuisse affirmemus? at si quis eos esse fateatur, eos etiam esse ortos fatebitur. quo modo autem platanus, lapis, & leo quondam non erant, cum ortum, interitumque habeant? nam si ortus est eius, quod prius non erat, certe eum ex aliqua subiecta substantia fieri necesse est. hanc autem uidemus ipsam per se solam nihil quicquam posse gignere. proinde plantarum semina aliquo externo humore, & calore, eoque moderato egent, ut ex eis quidpiam generetur: si enim semen hanc naturam haberet, ut per se solum generaret, nec alterius externi opera indigeret, ne punctum quidem temporis permaneret, quin generaret: sed statim germinaret: & tamen pleraque semina non menses modo, sed annos etiam persæpe ita manent: quippe cum a se ipsa non habeant, ut gignant, sed externum auxiliū requirant. idq; non ex simplici contactu, sed potius ui quadam eius, quod tangit, quæ introrsum per totum id, quod tangitur, distribuatur. quod si in generatione semen in arboribus, herbis, ac plātis uniuersis alterari ex toto uidetur, certe multo magis in animantibus perspicue id apparebit: cum neq; ex solo mare, neque ex sola fœmina, nisi misceantur, gigni quicquam possit. F G

*Præterea nec quæ miscentur, generarent, nisi eiusdem generis sint, eandemque habeant facultatem: neque eadem nobis efficerentur.* 10

Non modo ait, nihil quicquam ex uno gigni posse, sed nec etiam ex duobus, nisi eiusdem sint generis quæ misceantur: id est, nisi substantiæ affinitate sint coniuncta: quæ sane, in ortu animalium, quæ diuersi sunt generis, plane conspiciūtur: ut in equis & asinis, uulpibusque, & canibus usu uenit. si quidem ex horum concubitu animal gignitur, quod fere ex utrisque mistum est. quæ uero naturam multum inter se differentem nacta sunt, ea, ne si misceantur quidem, unquam aliquid generabunt. quod uero in extremo huius dictionis additum est, Neque eadem nobis efficerentur, huius libri interpretes tanquā clarum præterierunt: sed certe obscurum est, siue non recte sit ab auctore explicatum, siue mendum a librario sit in describendo commissum. quod autem puto, ipsum uoluisse indicare, tale est, nisi animal quod alteri miscetur, similis speciei sit, quam naturæ communionem quandam esse ait, nunquam gignētur, quæ cum nobis eadem sint: hoc est, nunquam fiet generatio animantis ex eo coitu, quod suis genitoribus simile sit. sed fortasse non erat hæc lectio, Neque eadem nobis efficerentur. H

*Itemque nisi calidum & frigidum, siccum & humidum inter se temperate, & æqualiter affecta sint, sed alterum alteri multum præstet, ut ualentius imbecilliori; nulla utique esse poterit generatio.* 11

Superiore oratione dixit, nihil a genitabili generatione absolui, nisi quæ eiusdē generis sunt, coeāt. & tamen nec eorum, quæ sunt eiusdem generis congressus necessario generat: quam rationem ipse in aphorismis est plane persecutus, ubi ait, Quæcunque uteros frigidos, densosque habent, eæ nō concipiunt: & quæcunque perhumidos uteros habent, non concipiunt: siquidem in eis genitura extinguitur: atque etiam quæ nimis aridos, atque adurentes habent: etenim semen corrumpitur, quod ei alimentū desit: quæ uero mediocrem ex utrisque temperaturam obtinent, hæ fœcundæ sunt. hoc sermone docet, quibus de causis mulieres infœcundæ fiant: indicat etiam id, quod ex hoc ipso cōsequitur, de quo & nos alibi, & alij plerique ante nos scripserunt. Plato quoque indicauit, cum ait, non esse artis exiguæ, si quis norit uiros, ac mulieres apto inter se ad liberos procreandos temperamento coniungere. nam quæ de uteri temperamento dixit, ea etiam de feminis temperamento intelligenda sunt. quando id quoque tum humidius est, tum frigidius, quàm par sit: quandoque uero siccius, uel calidius. ad siciorem

A ciorem uero uterum accommodatius est semen humidius: ad humidiorem, siccius, ut etiam ad calidiorem frigidius, & ad frigidiorẽ calidius. de quibus in libro de liberis procreandis copiose disseruimus. nunc uero satis est nosse, ex uno fieri nihil quicquam posse: neque ex duobus, aut pluribus, si coniungantur, nisi mutua quædam naturæ affinitas, & quædam commoderatio temperamenti, ex illis coeuntibus conflati, intercedat.

12 *Quare qui verisimile est, aliquid ex vno gigni, cum id ne a pluribus quidem fieri possit, nisi mutuo temperamento recte commistis*

Cetera, quæ hac oratione continentur, clara sunt ex superioribus: sed nomen temperamenti, quod in ea dictum est, memoriæ est mandandum quia primus omnium, quos quidem sciam, Hippocrates elementa contemperari dixit: ut etiam paulo ante ostendimus. & hac in re ei cum Empedocle non conuenit. nam & ille ex ijsdem elementis, ex quibus uult etiam Hippocrates, & nos, & reliqua animantia, quæ hac mundi sede continentur, oriri dixit: non tamen ex ipsis contẽperatis, inter se, sed per exiguas particulas prope collocatis, & se tangentibus. in commentario autem de elementis ex Hippocratis sententia, ubi omnes fere naturalium philosophorum opiniones, quæ de primis principijs, aut elemẽtis extiterunt, memoraui; hanc opinionem easdem subire reprehensiones docuimus, quibus obnoxię B sunt illæ, quæ corpus sensile ex primis corporibus impatibilibus, & sensus expertibus gigni censent.

13 *Cum igitur natura huiusmodi sit, cum omnium aliarum rerum, tum etiam hominis, necesse est, hominem non ex una re constare: sed vnumquodque eorum, quæ ad generationem conferunt, talem quandam vim in corpore obtinere, qualem contulerit.*

Cum ante dixerit Hippocrates, nisi calidum cum frigido, & siccum cum humido modice sint temperata, non posse corporum, quæ generantur, ortum illum extare: nunc non modo hominis, sed etiam omnium corporum quæ ortui & interitui obnoxia sunt, originem ex eisdem proficisci, aperte pronunciat: cum ex calido, frigido, humido, & sicco facta sint omnia: ideoque hæc sint communia omnium elementa: hominis uero propria, sanguis, pituita, flaua bilis, & atra. at ne hæc quidem uere propria appellabuntur: propterea quod omnibus animantibus sanguineis sint communia. est autem plane perspicuum, unumquodque horum ex primis illis quatuor constare: quæ, a qualitatibus ducto nomine, humidum & siccum, frigidum & calidum uocamus: propria uero ipsorum substãtiæ nomina sunt hæc, ignis, aqua, aer, & terra. manifestum autem est, a simplicibus, immistisque qualitatibus elemenri nomẽ trahere: cum summus calor in igne sit, sicut humiditas in aere, frigiditas in aqua, siccitas uero summa unà cum densitate & frigiditate in terra. quomodo igitur existimant quidam, humidum & siccum, fri C gidum & calidum ab Hippocrate elementa constitui: quod hæc in homine appareant: ignem uero aquam, aerem, & terram ab eo non esse admissa, quod nullum horum in humano corpore conspiciatur: cum intelligentia consequi non potuerint, quæ in corpore apparent, apparere quidem, ut corpus, calida & frigida, & sicca, & humida. quis igitur audeat, hæc communia omnium corporum elementa * nuncupare? nemo sane, uel mediocriter eruditus, cũ dicat Hippocrates: Cum igitur natura sit huiusmodi cum aliarum rerum omnium, tum hominis necesse est: itaque non est existimandum, dici hoc loco calida, frigida, sicca & humida ea, quæ in hominis corpore conspiciuntur, sed quatuor elementa: quandoquidem hæc habent summas, & ab omni mistione secretas qualitates: ex quibus inter se temperatis inter media corpora omnia constituuntur: quæ non proprie calida, frigida, humida, siccaque, sed ex præstantia cuiusque nominantur. ac si hæc ipsa iam temperata elementa esse ponamus, quæ summas qualitates habeant, ignoro quid dicere debeamus. ipse uero in sequenti oratione euidentius sententiam suam depromit, ad quam iam transeundum nobis est.

14 *Rursus hominis corpore intereunte, necesse est singula in suam naturam, humidum inquam, in humidum: siccum in siccum: calidum in calidum, frigidum in frigidum discedere.*

Ait, cum homo perit, unumquodque prædictorum elementorum, secretum a ceteris, in naturam D suam redire: quæ elementa ipse calidum, frigidum, siccum, & humidum noĩauit. nec uspiam dicit, sanguinẽ ad mundi sanguinẽ, pituitã ad pituitã, bilem ad bilem, arteriã ad arteriam, carnem ad carnem, uenam ad uenam, neruum denique ad neruum reuerti: sed, quod his singulis inest, calidum, frigidum, siccum, & humidum, in communia omnium abire elementa: siquidem neruus ex calido, frigido, humido, siccoque: ex ipsis nimirum elementis, non autem ex alio neruo conficitur: ut ne uena quidem ex alia uena exoritur: quando ne cogitatione quidem complecti possimus, hæc inter se per tota, carnem inquam, & uenam, & os, & arteriam, & alias præterea particulas contemperari. ipse autem calidum, & frigidum, humidum, & siccum uult per tota inter se contemperari: si modo eorum, quæ paulo ante dicta sunt, meminimus. quam ob rem non quæ manifeste in hominis corpore conspiciuntur, calidæ, frigidæ, humidæ, & siccæ particulæ, sunt naturæ hominis elementa: sed ea, quæ has constituunt, ac gignunt. sunt autem hæc, aqua, ignis, aer, & terra: de quibus in libro de elementis ex Hippocratis sententia satis disseruimus.

15 *Talis autem est tum animantium, tum aliarum rerum omnium natura.*

Non solum hominis inquit, natura talis est, sed etiam omnium reliquorum, hoc est ex calido, frigido, humido & sicco summis, ac simplicibus contemperata: omnia enim quæ inter media sunt, suum ex his sunt temperamentum consecuta. absurdum ergo est, dicere, quæ in medio sunt, suam temperiẽ ex ijs

ex ijs nacta esse, quæ in medio consistunt: quod se dicere non animaduertunt ij, qui nostram naturam E ex his humidis, siccis, calidis, frigidisque quæ nostro in corpore conspiciuntur, esse constitutam uolũt. sed erit etiam a ratione alienus, si ceterorum animantium. ac plantarum natuiam ex eis constare asseramus. Hippocrates autem in hac oratione aperte pronunciauit, huiusmodi esse aliorum etiam omnium naturã. quid uero hi dicturi sint, nõ sat scio. cum igitur fici semen in terrã forte proijcitur, ac maxima inde arbor enascitur, absurdum est, si dicas, aliunde, quàm ex terra & aqua, tantam ei substantiam accessisse. & tamen terra suapte ratione summe frigida est: ficus uero plurimum habet calorem, ex quo uitam ducit: quam ob rem etiam si aspera hyeme ualde refrigeretur, tamen non emoritur. quare perspicuum est, fici corpus non solum ex aqua, terraque cõstare, sed igneæ quoque naturæ esse particeps. sed planum etiam est, aeream naturam in ipso esse, siquidem eius lignum non solum terra, sed aqua est plane leuius. itaque ficus ex quatuor constat. & ut ipsa arbor est, ita & fructus omnes: ac triticum, hordeum, faba, ac reliqua semina cerealia fructuũ partes sunt: quæ ipsæ quoque ex quatuor, igne, aere, terra, & aqua sunt constitutæ. quia uero humores, qui in nobis sunt, ex fructuum, plantarumque esu gignuntur, ideo hi quoque primum sui ortus initium ab aqua, igni, aere, ac terra trahent. sed hæc, ut dixi, in libro de elementis ex Hippocratis sententia demonstrata sunt. quare oportunum est, ut ad aliam orationem transeamus. F

*Omniaque similiter oriuntur, & occidunt.* 16

Ne si diuinaisset quidem aliquis, fore quosdam homines, qui ipsum adeo non essent intellecturi, toties hanc sententiam inculcasset, quoties Hippocrates fecit: cum ait, non modo homines, sed etiã omnia similiter oriri, atque interire: e quatuor nimirum elementis, non ex particulis calidis, frigidis, humidis, & siccis, quæ in corpore sunt. sunt tamen quidam ita Græcæ dictionis ignari, ut calidum, frigidum, humidum & siccum, quæ in humano sunt corpore, ac sensibus percipiuntur, esse communia generationis omnium elementa arbitrentur.

*Ex his enim omnibus, quæ prædiximus, ipsorum natura constat: desinitque eodem modo, cum id in illud ipsum, unde concretum est, abierit.* 17

Permanet in eadem sententia, omnium naturam ex prædictis quatuor constare, in eademq; desinere: unde enim unaquæq; res concreta est, eo etiam recurrit: ad communia inquam mundi elementa, terram, aquam, aerem, & ignem redit. quam ob rem illi penitus ignorant Hippocratis sententiam, & id, quod initio dictum est, his uerbis, Neq; enim aerẽ prorsus esse hominem, neq; aquã, neq; ignem, neq; terram, affirmo, cum exponunt prorsus, pro eo quod est, nulla ex parte: apparet enim Hippoc. non uoluisse hoc, communia omnium elementa nulla ex parte in corpore humano reperiri, sed eos, qui unum G solum ex ijs posuerunt, reprehendisse.

*Corpus autem humanum habet in se sanguinem, ac pituitam, & utranque bilem flauam, atq; atram: atque ex his eius natura consistit, & dolet, & ualet.* 18

Absoluto sermone, qui erat de cõmunibus elementis institutus, in hac nobis proposita oratione ad elementa sanguineorum aïalium, in quibus homo etiam est, transit: uultq; primum nobis ortum duci a sanguine, pituita, ac duplici bile, flaua, atq; nigra: ac nobis inde suppeditari, ut in uita uniuersa permaneamus, atq; ex ijs totam hominis constare naturam: cum humores solidis mẽbris cõtineantur; solida uero, in prima fœtus formatione ex ijs constituantur: etenim particulæ omnes suum ortum ex sanguine menstruo nanciscuntur: eoq; non syncero sanguine, sed qui & utrãq; bilem, & pituitam in se habeat: id quod ipse paulo post docebit. hinc quoq; fieri dicit, ut ægrotemus, ac ualeamus: quæ sane fiunt eo modo quem ipse oratione sequenti declarat.

*Valet quidẽ præcipue, cum ea facultatẽ, copiamq; mediocriter inter se temperatas habeãt, præsertim uero si mista sint.* 19

Ex omnium medicorum, ac philosophorũ, qui plane dogmatici sint sententia, elemẽtorũ moderatio sanitatem efficit. cum uero duplex genere sit apud omnes, qui rationalem sectam tenuerunt, elementorum ratio, cum alij ex primorum corporum appositione, & connexione composita fieri: alij ex con- H temperatione, uelint: primi moderationem in meatuum constitutione posuerunt: alij ex commoda elementorum temperatura nos bene ualere aiunt: cuius opinionis Hippocrates princeps est. cumque moderatio duplex sit, altera in facultate eorum, quæ temperantur, altera in quantitate substantiæ, Hippocrates utriusque mentionem fecit, cum ait, facultatem, copiamque. quod autem in extrema oratione dictum est, præsertim uero, si mista sint: significat exquisitam eorum per se tota temperaturam: in eo enim corporis statu, qui omni prorsus culpa uacat, non modo apta elementorum moderatio est, sed etiam eorundem per tota temperies accurata: in deterioribus uero corporis temperaturis, usu quandoque uenit: ut uno aliquo in membro, neque æqualiter, neque similiter, nec per totum inter se humores temperentur: uerum ubi nondum actio perspicue læditur, culpata quidem sanitas est, nondum tamen morbus est.

† Lib. impres si habẽt etiam κράσεως. i. temperaturam.

*Dolet autem, cum aliquid eorum aut minus, aut amplius fuerit, uel in corpore separatum consliterit, uel non sit cum omnibus contemperatum.* 20

Quemadmodum in sanitate accuratam moderationem in quantitate ac facultate, & temperatura per tota posuit, ita etiam in morbo, eorum contraria constituit. ac plus, aut minus ad substantiæ quãtitatem, et uim retulit: id uero, ut cum ceteris temperata non sint, in intemperiem, aut temperaturæ inæqualitatem, aut quoquo modo appellare quisque uelit.

Necesse

21 A *Necesse autem est, cum horum aliquid separatum sit, aut per se constiterit, ut non modo locum, ex quo abscesserit, afficiatur, sed etiam is, ad quem abscesserit, & impactum fuerit, propter nimiam copiam dolore, laboreq; tentetur.*

Cum aliquis ex quatuor humoribus ipse per se aliqua in parte constiterit, ab alijs seiunctus, nec totus ipsis totis sit at temperatus, animal dolore afficitur: cum intemperies utranque particulam iam occupet, & ex qua ille discessit, & in quã commigrauit. id quod in ijs potissimum humoribus contingit, qui ualidas uires habent: si quidem ij non solum multitudine particulam, in quam declinarunt, aggrauant: sed qualitate etiam dolorem afferunt: quippe qui insigniter excalfaciant, atq; refrigerent.

22 *Nam & cum horum quippiam maiore copia, quàm quod supernatat, e corpore effluxerit, inanitio dolorem creat.*

Hoc loco quod supernatat, intelligendum est pro eo, quod est, superfluit. quod si quis ita nolit hoc intelligi, putandum erit, supernatans pro eo positum esse, quod, alijs temperatum non sit. utrunque autem probabile est.

23 *Rursus uero si intus fiat euacuatio, & migratio, & ab alijs secretio, duplicem molestiam praebeat, necesse est, ut dictum iam est, & unde abscesserit, & ubi exuperet.*

Hoc ipsum dictum esse superius, ipse quoque declarauit, cũ ait, ut dictũ iam est: sententia enim, quae paulo ante scripta est, ab hac uerbis solum differt: ubi sic ait, Necesse autem est, cum horum aliquid separatum sit, aut per se constiterit, ut non modo locus, ex quo discesserit, afficiatur, sed etiam is, ad quẽ B migrarit, impactumq; sit, propter nimiam copiam labore, doloreq; tentetur.

24 *Cum uero dixerim, me ex quibuscunque hominem constare statuerim, ea semper esse demonstraturum ex lege, naturaque esse.*

Dixit ex lege, hoc est, ex hominum opinione, quam de his habent: ex natura uero, hoc est ex ipsa rerum ueritate. quocirca sequentia attendamus, ut uideamus, utrum id, quod huius operis initio promisit, nunc praestet.

25 *Idcirco aio sanguinem esse, & bilem tum flauam, tum atram: atque horum nomina primum quidem lege distincta esse dico: ac nulli eorum idem nomen esse impositum: deinde secundum naturam species diuersas esse: ut neque pituita sanguini, neq; sanguis bili, neque bilis pituitae, ullo modo similis sit: quo nam enim pacto inter se similia esse possunt, cum neque, si colores inspiciantur, neque si manibus tractentur, similia esse uideantur? neque enim pariter calida, siue frigida, siue humida, siue sicca sunt.*

Cum plana est tota haec oratio, tum id, quod institutum erat, demonstrat. hac enim oratione quatuor esse humores in corpore inter se differentes, ostendit: in sequentibus uero, non unum solum eorum, sed omnes esse secundum naturam. atque in hac modo nobis proposita affirmat, humores inter se co-C lore, consistentia, calore, frigoreq; differre: id quod est plane perspicuum. sed hoc fortasse quosdam turbabit, quod humor ab humore siccitate differat: quippe cum omnes succi humidi sint: at nõ minus tollant isti, eos humiditate differre: quia si concesserint alium alio humidiorem esse, necessario quoque fatebuntur, eum, qui minus humidus sit, ex mistione sicci elementi talem esse. quod in omnibus elemẽtis perspicue conspicitur: saepe enim flaua bilis plurimum humida redditur: quo tempore non flauum, sed pallidum colorem refert: saepe etiam ira crassa fit, ut oui uitellum imitetur: unde ei uitellinae nomẽ apud quosdam est, ductum. iam uero atra bilis semper est crassior, quàm sit flaua atque pallida: quae ipsa quoque huius uarietatis, quae in maiore & minore copia est, particeps non parum est: sicut etiam sanguis, quippe qui adeo humidus interdum redditur, ut fluat: interdum uero affatim crassus est: qua etiã in re pituitam eandem cum his ipsis humoribus habere rationem uidemus: ea enim mutato crassitudinis, ac tenuitatis modo, quandoque aquosa est, quandoque ita crassa, ut puri similis esse uideatur. id autem in humores cadit, quia elementa re uera non sunt, sicut ignis, aer, aqua, & terra: sed quisque eorũ ex illis quatuor, alio in alio superanre, suum, ut saepe diximus, ortum ducit:

26 *Ergo quando tantum inter se forma, & ui differunt, necesse est, ea unum non esse: si quidem neque ignis, & aqua unum sunt.*

D Absurda sane est opinio eorum, qui hominem esse unum arbitrantur, & tamen Hippocrates in ea oppugnanda studium adhibet: quod fortasse per id temporis aliqui clari uiri essent, qui eam defenderent. nunc uero cum plurima antiquorum hominum scripta interciderint, multo est uerisimilius, eorũ non seruatas esse opiniones, quae non essent literarum monimentis consignatae: praesertim uero cum nonnulli eorum nihil unquam conscripserint: ut Socrates, ut Pythagoras, atque ut nostris etiam temporibus, Quinctus, Medicus clarus. praeterea uero hoc quoque credibile est, multos fuisse praestãtes, dum uiuerent, homines, ijsque mortuis, unà cum eis suorum decretorum auctoritatem perijsse: quando Platonis, qui tot uolumina conscripsit, auditores alia quaedam, praeter ea, quae sunt mandata literis, fuisse decreta commemorent: quae ab eo scripta non sint. quemadmodum autem auditoribus Platonis, qui fuisse quaedam illius decreta non scripta referunt, fidem adhibemus, ita Hippocrati credendũ est, cum ait, quosdam fuisse, qui dicerent, solam terram esse commune omnium elementum: hominis uero, bilem, aut pituitam. equidem hoc etiam tempore quosdam noui, quorum scripta uel iam unà cũ eis periere, uel paulo post interitura sunt, quod illi quoque euenit, qui terram fuisse omnium matrem, & alumnam, & originem & elementum dixit: ut pote quae caelum etiam, ut auctor est Hesiodus, genuerit: & item omnia, quae in ea uitam ducunt, animantia. Et quidam ex Archigenis sectatoribus, uir sane non contemnendus sibi persuaserat, neque in inspirationibus aerem intra corpus duci: neque in expirationibus

pirationibus, è corpore egredi alius etiam uolebat, pituitam primum esse humorem: quique elementi uim obtineret. ne inuestigemus igitur nomina eorum, qui primum has absurdas opiniones pronunciarunt. Thaletem uero dixisse aquam solam elementum esse, licet ex eius scriptis ostendere minime possimus: tamen est omnibus persuasum. E

*Ea autem omnia unum non esse, sed ex ipsis quodque propriam uim, naturamque habere, hinc perdisces: quia si homini medicamentum dederis, quod pituitam ducat, ille pituitam uomet: si quod bili ducenda sit, bilem. simili quoque modo atrā bilem purgabis, si medicamentum, quod bilem atram euacuet, obtuleris. itemque aliqua pars corporis uulnere affecta, tibi sanguinem emittet. atque hæc omnia tibi usu uenient omnes diesque, noctesque: & tam hyeme, quàm æstate: donec homo spiritum ducendi, uicissimque reddendi facultatem habuerit: habebit autem donec aliquo istorum congenitorum priuetur: nam quæ diximus, congenita sunt, quæ quis negaret esse congenita? cum perspicuum sit, hominem, dum uiuit, ea omnia in se semper habere: tum uero ipsum natum, aliumque ab homine eadem illa omnia habente, quæ ego dico, atque demonstrō.*

Superiore oratione, perspicue simul, ac uere demonstratum ab Hippocrate est, hominem in se habere omnia, & bilim utranque, & pituitam, & sanguinem. in hac uero non solum id ostendit, sed etiā ea secundum naturam esse: ac non unum ex eis, ut quibusdam placet. ac ceteræ quidem opiniones, quæ unicum tantum humorem in corpore secundum naturam haberi uolunt, facile redargui possunt: F at eorum sententia, qui sanguinem statuunt, non ita facile contemnenda est, immo uero magno quodam certamine ad eam refellendam est opus. ac iam tempus est, ut ad ipsam aggrediamur. initium tamen ab ijs sumemus, quæ ab ipso paulo superius dicta sunt, his fere uerbis: Ego uero existimo, eum, qui hominem esse solum sanguinem, nec aliud quicquam dicit, ostendere debere, eum non mutare formam, neque cuiusque generis fieri: sed aliquod anni tempus, aut hominis ætatem afferre, in qua solum sanguinem unum in homine esse appareat: est enim uerisimile, aliquod esse tempus, in quo ipse solus in homine esse conspiciatur. cui orationi si id addideris, quod in proposita nunc oratione demonstratur, Hippocratis decretum omnibus numeris absolues: hic enim ostenditur, nullum anni, aut ætatis tempus esse, eiusmodi, in quo hominem non esse aliorum humorum participem possis ostendere. idem purgationibus confirmatur: nam si medicamentum alicui obtuleris, quod bilem, aut pituitam ducat, cernes id ab eo euacuari, cuius euacuandi facultas ei a natura tributa est: ut omni tempore omnes humores corpore contineri plane sentias. occurritur tamen huic rationi a nonnullis, qui negant, a purgante medicamento peculiarem sibi humorem e corpore trahi: sed eum in illam formam commutari, quæ illi natura insita est. at falsam esse eorum sententiam, demonstrauimus nos uno in commentario, qui est de facultate medicamentorum purgantium inscriptus. tamen hic unum eorum, G quæ ibi explicata sunt, exempli gratia afferamus: sæpe enim in artis operibus eos conuictos uidistis, qui id, quod euacuabatur, a purgantibus medicamentis trahi negabant: cum in aqua inter cutem, quæ ascites uocatur, hausto medicamento, quod aquæ educendæ sit, multam illi aquosam humiditatem excernerent, uentrisq; tumor diminueretur: quibus si medicamentum, quod bilem flauā, atramve cieat, dederis, quàm minimum humorem euacuaris, ac tantum aberit, ut uentris tumor minuatur, ut etiam fiat maior: contra autem euenisse conspexistis in ijs, qui regio morbo ex iecoris obstructione laborabant: apertis enim prius uisceris ipsius obstructionibus per ea medicamenta, in quibus talis uis est, cum medicamentum bilem expurgans datum esset, tum plurimum redundantis humoris excretum esse, tum uero morbum statim esse sublatum. scitis etiam non secus factum esse in ijs, quibus aut pituita, aut atra bilis erat molesta. propterea quod molestus humor copiose euocatur, idque non mediocri est ægrotis adiumento, quibus quidem fit rebus, si talia a purgantibus medicamentis trahuntur, ac medicamenta omni tempore, atque in omni ætate purgant; ut quatuor humores in humano corpore semper insint. nam, ut paulo ante dictum est, oporteret, aliquod tempus anni, uel ætatis dari, in quo sanguis solus in homine conspiceretur, si uera existimanda sit eorum sententia, qui hominis naturam solo sanguine contineri pronunciant. quod perinde est, ac si dicant, omnes hominis particulas ex sanguine esse conformatas ac solo sanguine semper educari. cum uero sanguis, H duobus modis dicatur, & qui in uenæ sectione, ac uulneribus euacuari uidetur, qui, ut ostendimus, utriusque bilis, ac pituitæ particeps est: & qui purus, syncerusque est, neque alijs permistus humoribus: forte in prima significatione uerum erit, fœtum ex eo conformari: in secunda uero, non item: propterea quod in grauidis is solus nunquam gignitur. cur autem orationi addiderim forte, scire uos puto: nam in libris de semine plurimas corporis particulas ex semine gigni docuimus, cum solæ eæ, quæ carne constant, ex sanguine efformentur. quoniam uero exigua est seminis in uteros iniecti portio, alimentumque illi, atque incrementum ex sanguine suppeditatur, ideo parum abest, quin particulæ ex sanguine efformari uideantur: quatenus uero semen suum ortum ducit a sanguine, eatenus qui affirmarit, ex sanguine fœtum gigni, is uera loqui uidebitur: non tamen ex syncero sanguine, & aliorum humorum experte, sed eo, qui propter præstantiam, qua ceteris excellit, sanguis nominatur. huiusmodi autem est totius huiusce orationis sententia. quod uero ad singulas eius partes pertinet, adnotare primum conuenit, communem esse omnium, non medicorum modo, sed etiam Græcorum consuetudinem, ut bilim absolute nominent, cum flauam, aut pallidam intelligi uolunt. ac nos paulo ante diximus, ambo hæc nomina eandem humoris speciem significare, qui tamē humiditate, siccitateq; differat.

Auicenna. 1. fen.1. doct.5. cap.1.18. d.

A differat. alias uero omnes nominibus distingũt: ut uel æruginosam, uel atram, uel rubram, uel porraceã appellent. Est etiam post hæc secundo loco in hac ipsa oratione animaduertendum, quod ait, Usq; dum spiritum in se ducere, ac rursus mittere possit. Perspicuum enim est, inspirationem, ex ipsius sententia, fieri, cum organa respirationis externum aerem attrahunt: exspirationem uero, cum eundem emittũt. Tũ uero tertium adnotandum est, cum ait: si uero aliqua re congenita priuetur: propterea quod non solum uult, mori animal, cum sanguine, sed etiam cum pituita, aut flaua, aut atra bili priuetur.

28 *Qui uero hominem esse unum dicunt, in eam mihi uenire opinionem uidentur, quod eos, qui medicamenta bibunt, in nimijs mori purgationibus conspiciunt, quod alij bilim, alij pituitam, uomant. hoc enim quisq; eorum esse hominẽ existimauit, quod ab ipso, dum moreretur, expurgatum uidit. ac qui hominem esse sanguinem asserunt, hac sunt ducti sententia, quod cum iugulari hominem intuerentur, sanguis e corpore dimanaret; ipsumq; esse animum in homine putarent. atq; his testimonijs omnes ad suam sententiam confirmandam utuntur.*

Qui, inquit, aiunt, hominem unum esse: quasi multi sint huius sententiæ, & non unus. quibus autẽ argumentis persuasi sint, ut unum ex quattuor humoribus satis esse ad hominem constituendum existimarint, ipse nobis declarauit. quæ sane res nobis non probatur: cũ tamẽ illis probabilis uideretur. etenim B in nimijs purgationibus cum alius alium uno, aut altero humore ex toto euacuato mortuum perspiceret, illum solum humorem continere hominis naturam existimauit.

29 *Et tamen qui in nimijs purgationibus solam bilim per purgationem eiecerit, adhuc mortuus est nemo: sed sumpto medicamento, quod ad bilim educendam ualeat, primum bilem, mox pituitam, tum alteram bilem atram, & quidem per uim; demum moribundus purum sanguinem euomit.*

Hoc etiam loco morem Græcorum expressit, qui sæpe sine ulla adiectione bilim nominant, cum flauam significant: atram uero semper cum adiunctione uocant. ceterum quod tota hac oratione declarat manifestum est. ait enim, mori neminem, quod unus modo humor sit euacuatus: propterea quod ceteri semper cum illo euacuentur.

30 *Idem contingit ijs, qui medicamẽtum pituitam mouens, sumunt: primum enim pituitam, deinde flauam bilem, tum atram, postremo purum sanguinem uomunt, atq; ita moriuntur.*

Cum is humor, qui est ad purgans medicamentum accõmodatus, sit uacuatus, statim post eũm euacuatur is, qui facillime omnium educi potest. illum sequitur is, qui secundum locum tenet, ut facile ducatur: tũ sanguis postremus omnium, utpote qui sit humor naturæ accommodatissimus. usq; adeo enim C de ipso dici tuto potest, licet non solus sit hominis natura, ipsum tamen aliorum humorum omnium esse ad naturam accommodatissimum.

31 *Nam cum medicamentum corpus intrarit, primo id agit, quod ei secundum naturam maxime omnium sit, quæ insunt in corpore: tum reliqua trahit, & purgat: quemadmodum stirpes, & semina terram ingressu sibi trahunt ex terra id, quod est eorum naturæ accommodatum, ut uel acre, uel dulce, uel amarum, uel salsum, uel omnigenum. in primis uero ex eo plurimũ, quod sibi maxime secundum naturam conueniat, tum cetera deinceps trahunt. tale quid medicamenta in corporibus faciunt. nam quæ bili educendæ sunt, bilim purissimam primum ducunt: deinde mixtam. itemque pituitæ medicamenta primum meracissimam pituitam euocant, tum commixtam: sic etiam iugulatis sanguis primum calidissimus, & maxime ruber: tum pituitosior, biliosiorque fluit.*

Perspicua hæc oratio est. affert. n. rei propositæ testimonia: quod dixit, medicamentũ, cũ in corpus ingressum sit primũ eũ attrahere humorẽ, qui sibi familiaris sit, tũ uero etiã alios. hoc quoque hærerẽ nobis in memoria debet, quod de stirpibus ait, eas trahere in se, quicquid singulis familiare sit: quod in terra & acidum, & dulce, & amarum, & salsum, & omnis generis cetera continentur: sicut etiã in homine acida est atra bilis, amara uero flaua, dulcis sanguis, salsa pituita: siquidem talis quædã pituita est, ut alia dulcis, alia acida, & alia itẽ quæ nulla ẽ insigni prædita qualitate. quam ob rẽ existimo ad finẽ orationis D additũ esse uerbũ omnigenũ: ut nõ modo pituitæ, sed aliorũ quoq; humorũ multas esse differẽtias indicaret. Ut. n. quid est acidum, aut dulce, aut amarum, aut salsum, ita & acerbum quidpiam, & austerum, & acre, & pingue sunt genera succorum, eaq; & in animalibus, & in plantis, & nimirum in terra etiam cõperiuntur, quæ illis proportione respondeant.

32 *Hieme autem pituita in homine augetur, quod ea maxime omnium eorum, quæ insunt in corpore, sit ad hiemis naturã accommodata: frigidissima enim est. cuius rei argumento est, quia si pituitam, bilim, & sanguinem uelis tangere, pituitam esse frigidissimam comperies. & tamen lentissima est, & maxima ui post atram bilim ducitur. quæcunq; autem per uim educuntur, ea a ui coacta fiunt calidiora. sed tamen præ his omnibus pituita esse frigidissima suapte natura uidetur. corpus porrò pituita ab hieme impleri, hinc cognosces. homines hieme & sputum, & mucum pituitosissimum reijciunt. tumores in eis albi, præcipue hiberno tempore, & alij item morbi a pituita profecti exoriuntur.*

Plana hæc est oratio, eũq; requirit, qui animũ adhibeat, nõ qui eandẽ exponat. Quod autem in extremo scriptum est, Et alij item morbi a pituita profecti, hunc sensum habet, ut ipse quidem scribit: tumores albi oriuntur, potissimũ hieme: & eodem tempore alij morbi pituitosi accidunt. nimirum etiam febres ut per æstatem biliosiores plerunq; sunt, ita hiberno tempore pituitosiores excitantur.

33 *Vere autem pituita adhuc ualens manet in corpore, et sanguis augetur. nam & frigora remittuntur, & pluuiæ succedũt: interimq; tum ab imbribus, tum a diurnis caloribus sanguis augetur. hæc enim anni pars est ad eius naturam accommodatissima:*

*tißima: siquidem humida, calidaq; est. id ita cognoris: etenim homines maxime uere, & aestate dysenterijs corripiuntur: sanguisque eis de naribus fluit, suntq; calidißimi, & maxime rubicundi.* E

Huius quoq; sententiæ uerba perspicua sunt. in primo enim de temperamentis scriptum est, uer potius temperatum, quàm calidum & humidum dici. quo etiam in loco allata ratio est, cur medici, ac philosophi quidam ipsum calidum & humidum appellare sibi in animum induxerint. nam habita ratione temporum, hoc humidum & calidum esse uolunt, ut in genere corporũ animalia, si cum stirpibus ea cõparemus. uer autem autumno comparatum, optimum inter anni tempora: &, ut ita dicam, solum erit accurate secundũ naturam, collatũ cum eo, quod præter naturã se habeat. Vt aũt sciamus, sanguinẽ uere redundare, ad alias notas, addidit ẽt dysenterias, tunc futuras: dysenterias inquam, eas, quæ cruentæ uocantur, non quæ propter bilim intestina exulcerant. De hoc aũt cruentæ dysenteriæ genere est a nobis dictũ in quarto in librum de articulis cõmentario: ubi docuimus, hunc affectum persæpe accidere, quod magna sanguinis uis in uenis fit: quam deinde natura per intestina affatim excernat: sicut in mulieribus per uterũ, in quibusdã per nares, aut hæmorrhoidas, aut uomitum. ceterũ quod ad dysenteriã, & coloris ruborem pertinet, uer cum æstate cõiunxit. sanguis enim, qui uere genitus est, suo calore totius corporis colorem rubrum facit, ut nonnullis per sedem excernitur, atq; homines eo tẽpore calidi tangentibus cum propter sanguinem, tum uero etiam propter aerem ambientem sentiuntur. F

34 *Aestate sanguis adhuc ualens est, & bilis sese extollit in corpore, & in autumnum pertinet. in autumno autem sanguis exiguus est: quod autumnus sit ei natura contrarius. bilis æstiuo tempore corpus occupat, & item autumno. hac ex hisce dignosces. homines hoc tempore bilim sua sponte uomunt: & sumptis medicamentis biliosiora expurgantur. idipsum apertũ est ex febribus, & ex coloribus hominum. pituita per æstatem est seipsa infirmior. illud enim anni tempus, utpote quod siccum, calidumque sit, ipsi est natura contrarium.*

In æstate, præsertim uero in principio, sanguis, qui uere auctus fuerat, quamplurimis redundat: utpote qui nondum sit à calore ambientis nos aeris discussus. bilis uero etiam augetur, propterea quod corpus eo tempore præter naturam excalfiat. hoc autem loco bilim quoque sine additione coloris nominauit, cum flauam intelligat: atram enim nunquam simpliciter, sed semper addito nomine coloris appellauit. cetera, quæ singillatim sunt in hac oratione cõscripta, ijs, qui mentẽ adhibent, perspicua sunt.

35 *Autumno sanguis est in homine paucißimus. siccus enim autumnus est, hominemq; refrigerare incipit. atra autem bilis autumno plurima est, & ualentißima.*

Superiore oratione dictum est, sanguinẽ autumno esse exiguũ. est.n. ei autumnus natura cõtrarius: ac quomodo cõtrarius sit, nos docuimus. etenim si sanguis calidus, humidusq; est æque, ac uer, autumnus uero, ut ipse ait, frigidus, ac iã refrigerare corpus incipit, merito fit, ut autũnus sit ueri contrarius, & humorem redundantem sanguini contrarium, siccum inquam, & frigidũ habeat. talis autem iure factus est, propterea quod humores ante assati per æstatem fuerunt. reliquiæ autem eorundem assatorum, cũ nimirum calor sit extinctus, frigidæ, siccæq; statim redduntur: ac frigidæ quidem, quod extinctus calor sit, siccæ uero, quod dum assarentur, omnis ipsarum humor sit absumptus. G

36 *Cum autem hiems aduenerit, & bilis refrigerata sit exigua, & pituita tum a copia pluuiarum, tum uero a noctis longitudine rursus augetur.*

Humorem eũ, qui in singulis anni tẽporibus alios superat, esse ipsi tempori similem, quod ad temperamẽtũ pertinet, ei placet. quocirca pituita frigida & humida esse dicitur ad hiemis similitudinẽ: sanguis calidus & humidus: sicut uer: flaua bilis calida, & sicca, non secus quàm æstas: atra uero, ut autumnus, frigida, & sicca. Supra aũt docuit, unumquenq; humorẽ in ijs anni tẽporibus, quorum fecit mentionem, adaugeri. nunc uero caussam affert, cur pituita hieme alios humores superet. id enim ait proficisci a magna ui pluuiarum, & noctis longitudine. quod perinde est, ac si diceret, quia illud anni tempus sit humidum, ac frigidum. indicat igitur ipsam esse humidam propter copiam pluuiarum: frigidam propter noctis longitudinem. eius enim caloris, qui in aere nos ambienti per æstatem inest, caussa est sol, qui prope nos iuxta uerticem nostrum accedit, ac diem longiorem facit. idem quoque hiberni frigoris est auctor, siquidem obliquus, & humilis supra terram exiguo tempore fertur. Hippocratis aũt sententia est, corpora animantium simul cum aeris nos ambientis statu affici: ut dum ipse est sicco temperamento, exsiccentur: dum humido, humectentur: dum calido, calefiant: dum frigido, refrigerentur. Itaque cum hiems frigida, humidaque sit, merito fit, ut pituita, quæ frigida, humidaque est, in ipsa superet. idque ipse supra ostendit. eadem quoque esse aliorum temporum ratio uidetur: cum æstate flaua bilis exuperet, quæ siccitate, caliditateq; præstat: uere sanguis, qui calidus, humidusq; est: ipse enim uer calidum, humidumque esse uoluit: autumno, atra bilis, quæ æque, ut tempus illud, sicca censetur. Existit autem quædam nõ mediocris quæstio de ueris temperamento, quomodo calidũ, humidumq; dicatur: quam ego percurrens, docui melius esse, ut uer tẽperatũ appellemus. hinc perspicuum est, sanguinem eadẽ ratione nec calidum, nec humidũ, sed temperatum esse. Sed maior adhuc esset de pituita quęstio: quã tamen ij, qui in hunc librum explanationes cõscripserunt, silentio transeundã putarunt. illa.n. est consistentia humida, & frigida, & in hieme generatur. quid uero caussæ sit, cur non mediocrẽ forę quæstionẽ dixerimus, tibi aperiã. Hippocrates in aphorismis habet hæc, Venti es hieme & uere natura H

calidißimi

A calidissimi,& somni longissimi : proinde his temporibus plura alimenta danda sunt : tunc enim calor
innatus multus est:itaq; copiosius alimentum postulat:signo autem sunt ætates,& athletę.& itē, A esta-
te & autumno cibos difficillime ferunt:hieme facillime : tum uere. quæ si uera sunt, scimus autem nos
pituitam humorem esse frigidum, & humidum, nec qualis sanguis est, temperatum: quomodo in hie
me copiosior gigni poterit ? par enim est,ut alimento probe concocto, sanguis potius, quàm pituita
gignatur. ecque nam igitur est dubitationis explicatio ? mihi quidem uidetur, uentres hieme calidis-
simos esse natiuo calore:hoc est temperatissimos:at reliquæ corporis particulæ hieme magis refrigeran
tur:immo nonnullis etiam uentriculus ipse, uel ex itinere, uel ex penuria uestimentorum, uel ex uitæ
institutis,uel simili alia de causa.itaq; totum aeris nos ambientis frigus ad intimas usque partes pene-
trat,ita ut in aliquibus,ut iam dixi,ad uentriculum usq; pertingat. quare etsi assumpti cibi in uentricu-
lo probe concoquuntur,in mutatione tamē,quæ in iecore fit,dum sanguis efficitur,non exquisitum cul
tum assequuntur:sed in ea nonnihil aberratur. præterea uero multo magis uenæ per totum dispertitæ
corpus,refrigeratæ non æque ipsum trāsmittant.ad hoc accedit copia ciborum, qui hieme offeruntur,
qui etiam suis qualitatibus magis pituitosi sunt:nam & leguminibus multis hieme homines uescūtur,
ac pane multo magis,quàm alijs temporibus, & similagine, & libis, quæ rhyemata & lagana uocant,
B & rapis,& multis carnibus,quarum aliquæ plane pituitosæ sunt,ut ouillæ:aliquæ uero tales sunt,nisi rā
te conficiantur, ut suillæ.præcipue autem,quæ porcellorum sunt. præterea uero bulbos, cochleas, &
caseum,atque alia complura huius generis tota hieme comedunt. quæ parata sunt, ut in pituitam uer-
tantur.quinetiam pleriq; nouum uinum bibunt,quod ipsum quoq; ad pituitam gignendam est accom
modatum:quibus quidem fit rebus, ut hieme pituita redundet.

37 *Itaque corpus humanum hæc omnia semper habet : quæ certe pro temporis circunstantis ratione particulatim, & ex natura singula modo maiora, modo minora efficiuntur.*

Corpus humanum inquit,per omne uitæ tēpus hæc omnia,hoc est quatuor humores habet.id enim
significat, quod Hippocrates dixit,semper. hæc uero maiora,minoraq; fiunt pro mutationibus tempo
rum:nam quod ait,pro temporis circunstantis ratione,idem ualet,ac si dicas,pro temporis mutatione,
cum in aliud mutatur,ac migrat in aliud,quod ei adhæreat.ait autem hæc singula fieri maiora & mino-
ra,particulatim & ex natura:in quo fuerunt,qui particulatim intelligi uellent,tāquam ad partes corpo
ris referatur:quidam uero tanquam sit contrarium ei,quod ex natura est:ut talis sit oratio: corpus hu-
manum prædictos quatuor humores continet,ac pauciores quidem & copiosiores pro anni partibus,
& pro natura. quod si quis immutata oratione dicat, is & utilem & ueram sententiam eliciet : humo-
C rum enim copia per anni temporibus immutatur,cum annus statum suum naturalem seruet:& in parti
bus anni totius,quamuis ille statum suum naturalem non seruarit,humores quantitate differunt.præte
rea partes etiam hoc loco de anni temporibus possunt intelligi.

38 *Vt annus omnis omnium horum particeps est, calidorum, frigidorum, siccorum, atque humidorum. nam nihil ullo unquam tempore sine his omnibus, quæ hoc in mundo sunt, posset consistere. immo si unum quid deficeret, omnia abolerentur : quippe cum ab eadem necessitate constituta sint omnia, & a se mutuo alantur.*

Calidum, frigidum, siccum, & humidum hic dici, non quod per aliorum præstantiam nomine-
tur, atque intelligatur, sed quod elementa significet, hac quoque oratione indicauit, cum ait, an-
num uniuersum horum omnium esse participem : quando annus uniuersus non est eorum, quæ per
excellentiam dicuntur, sed elementarium particeps : tota enim hiems humidi frigidique : æstas con-
trariorum, sicci & calidi : autumnus frigidi, & sicci est particeps. idem apertius docuit, cum subiun
xit, si unum eorum deficere properaret, cetera corruptum iri : quia uno elemento sublato, uerum
erit dicere, simul tolli, quæ ex elementis componuntur : at de ijs, quæ per excellentiam dicuntur,
falsum id esset. immo potius uerum erit contrarium, ut cum pereat quidpiam eorum, quæ per excel
lentiam dicuntur, quod eius contrarium est, conseruetur : etenim si æstas non sit, hiems est. hiems si
D non sit, erit æstas. si uer non sit, autumnus erit : si abest autumnus, uer adest. at si calidum elemen-
tum ex toto pereat, humidum concrescet, quia calor iam absit. atque ita sol de mundo tolletur,
nec quicquam plantis, atque animantibus loci relinquetur. simili quoque modo si frigidum ele-
mentum intereat, omnia ignis complebit. itemque siccum si adimatur, aqua cuncta occupabit.
atque hac ratione corpora omnia genita, quæ hac uniuersitate continentur, ad nihilum recident.
quam ob rem corpora elementalia quæ in ipsa sunt, mutuo ali memorauit. purum uero elementum
potius intelligentia percipitur, quàm ut sit. quod uero idem fere cum illo est, id unum est eo-
rum, quæ in rerum natura sunt. quare si mente concipias, aquam exquisite humidam, fri-
gidamque esse factam, ea non iam etiam aqua permanebit : statim enim congelabitur, sistetur,
nec fluet. si terram pariter plane siccam, frigidamque fingas esse, certe huiusmodi corpus erit
adamante durius. quod si talis reddatur, tolletur plantarum ortus : his sublatis, alimenta ani-
mantibus adimentur : his ademptis, ipsa quoque interibunt. cum igitur elementum frigidum
& siccum ex præstanti qualitate nominetur : etiam terra in hoc mundo frigidum, siccumque cor-
pus appellatur : aqua uero, humidum. ignis quoque aereæ cuiuspiam substantiæ particeps est,
nec minus etiam fumosæ : ac plane, ut alatur, humore indiget : quod flammæ in lychnis decla-
rant. hinc efficitur, ut mundi elementa sibi alimentum mutuo suppeditent : quam ob rem ita

ſcriptum reliquit Plató, ut idem inquit, ſibi ipſe & alimentum & interitum miniſtret, utq; omnia in E ſe ipſo, & a ſe ipſo agat & patiatur, eſt ex arte comparatum.

*Simul modo, homo ſiquid eorum deficeret, quæ congenita ſunt, non iam degere uitam poſſet.*

Sanguinem, pituitam, & utranque bilim congenita uocauit, cum fœtus primũ ſit e materno concretus ſanguine, qui omnium eſt particeps, atque incrementum, alimentumq; inde ducat. quare ſi noſtris in corporibus omnino deficiat aut humidũ, aut ſiccum, aut calidum, aut frigidum, ſtatim humores, qui non pure, & exquiſite, ſed per excellẽtiam humidi, ſicci, calidi, frigidiq; ſunt, corrũpentur. dicimus quidem pituitam frigidam, humidamque eſſe, non tamen ita, ut non ſit etiam contrariorum particeps, ſed quod hæc in ea dominẽtur. quæ ſi frigida ſolum plane eſſet, non ſecus, quàm glacies concreſceret: ut ét ſi plane eſſet humida, nec craſſitudinem, nec lentorem ullum haberet, utriuſque bilis eſt eadem ratio. nam & flaua ſicca eſt, & atra ſicca, terreaque dicitur, cum tamen humiditatis quoque particeps ſit: alioqui humor non eſſet, ſed corpus ſolidum, cuiuſmodi adamas eſt. atque ita etiã frigida nominatur, quia frigoris, quàm caloris maior pars in ea inſit. Si uero ad ſummam ſiccitatem perueniſſet, utique, ut glacies, concreuiſſet. ſed cur de his dicam: cum ſanguis ipſe, qui temperatiſſimus eſſe uidetur, talis dicatur, quia in eo nullum ex contrarijs magnopere alterum alteri præſtet: ut neque calidum frigido, neq; frigidum calido, neque humidum ſicco, neque ſiccum humido excellat? itaque ſi ipſe etiã ſanguis qua- F tuor qualitatum eſt indigens, humiditatis, ſiccitatis, caliditatis, ac frigiditatis, certe patet, ipſi quoque opus eſſe, ut cum alijs humoribus miſceatur. atque hac ratione ſanguis temperatiſſimus erit pituitæ, flauæ bilis, & atræ particeps. eſt etiam alia naturalis ratio, quæ non mediocrem eſt probabilitatem aſſecuta; qua demonſtratur, quatuor humores ad probos mores gignendos pertinere. ſed prius hac in re demonſtrandum eſt, animi mores corporis temperaturæ comitari: quod nos alibi pertractauimus. hoc igitur poſito, animi acies & intelligentia a bilioſo humore: conſtantia & firmitas, a melancholico; ſimplicitas, ac ſtoliditas a ſanguine proueniet: pituitæ autem natura ad mores conformandos inutilis eſt, eam tamen in prima ciborum mutatione neceſſario gigni apparet.

*In anno modo hiems maxime, modo uer, modo æſtas, modo autumnus uiget: ita etiam in homine interdum pituita, interdum ſanguis, interdum bilis: primum flaua, deinde atra dominatur.* 40

Clara oratio eſt: uult enim oſtendere, ut in anno modo humidum, modo frigidum dominatur, atq; huiuſmodi anni tempus hiems dicitur: modo uero humidum & calidum, ac tum uer eſt: modo ſiccũ & calidum, & æſtas nominatur: & poſtremum tempus ſiccum, frigidumq; quod autumno uiget: ita in homine pituita hieme præſtat ceteris, quæ frigida, humidaq; eſt: uere ſanguis, qui calidus eſt humiduſq; G ſuccus: flaua bilis æſtate, cuius facultas calida, ſiccaque eſt: atra denique autumno, quæ frigida, ſiccaq;, non ſecus, quàm ipſe autumnus, cenſetur.

*Cuius rei euidentiſſimum teſtimonium erit, quia ſi eidem homini quater in anno idem medicamentum dederis, hieme tibi euomentur pituitoſiſſima, uere humidiſſima, æſtate bilioſiſſima, autumno nigerrima.* 41

Superioris orationis, qua dictum eſt, ſingulis anni temporibus ſingulos humores uigere, ait argumentum eſſe euidentiſſimũ, quia ſi eidem homini quater in anno medicamentum dederis, quod uomitum cieat, uomitus hieme pituitoſior, uere humidior, æſtate bilioſior, autumno nigrior erit.

*Cum igitur hac ita ſe habeant, conuenit, ut morbi, qui hieme incrementum capiunt, æſtate deſinant: qui æſtate creuerint, hieme terminentur: niſi intra dierum circuitum, de quo poſtea loquemur, abſoluantur: morborum uero, qui uere oriuntur, eſt in autumnum expectanda liberatio qui autumno, ab ijs uerno tempore liberari neceſſe eſt. quiſquis autem hac tempora exceſſerit, hunc fore annuum ſcire oportet.* 42

Initiũ huius orationis ſcribitur duobus modis: quidã ſcribũt δεῖν, i. debent: quidam uero χρὴ hoc eſt conuenit: nam hoc uerbo quandoque pro conuenit, utuntur. cetera aperta ſunt. uult enim, ut qui morbi producuntur, nec per dierum circuitum, ſed menſium finiuntur, in tempore contrario eius, in quo H conſtiterunt, hoc eſt ſeptimo menſe terminentur. ac niſi eo ſpatio ſoluantur, annuos fore exiſtimat. hoc autem nomen, annuos, poteſt eum morbum ſignificare, qui poſt annum a prima ſua origine ſit ſoluendus: poteſt etiam eum indicare, qui per ſeptem annorum circuitus: ut alij itidem per ſeptem menſium circuitus finiuntur. itaque ita in aphoriſmis ſcriptum reliquit, Plurimi puerorum morbi iudicantur, alij quadraginta dierum ſpatio: alij ſeptem menſium: alij ſeptem annorum: alij in pubertatem uſque pertinent.

*Sic Medicum occurrere morbis oportet, prout ſingula horum in corpore pro anni tempore, quod maxime naturã ſuam ſeruet, plurimum poſſint.* 43

Quantum tota hæc de anni temporibus inſtituta tractatio utilitatis afferat, hac oratione declarauit: ac ſimul indicauit, eundem quoque uſum præſtare eum ſermonem, qui de ætatibus, regionibus, uitæ inſtitutis, ac quotidiano uictu habeatur. in hæc. n. oĩa intueri Medicus debet, ac cõiectura conſequi, quiſnam humor ſiue quantitate, ſiue facultate, dominetur: & qua etiam in particula corporis maxime redundet: ſic. n. ut in medendi methodo docuimus optime curationẽ inſtituet. Cum autem Hippocrati propoſitum in hoc libro eſſet, corporis noſtri naturã inuenire, ad inuentionẽ hac uia & ratione uſus eſt. in primis ſimplex ne ſit, an multiplex inueſtigauit. cumque id multiplex eſſe comperiſſet,

qualis

A qualis nã esset substantia simpliciũ, quæ in eo inerant, indagauit: hoc est, quã uim habeat, ut ab aliquo patiatur, aut faciat. quã ẽt ob rem anni tẽporum ætatumq; mentionẽ fecit, ut, quam habeant cum inuentis elementis rationem, spectaret. sed & morborum soluendorum præsagia, & eorundem curationes ad eadem proposita esse referendas comperit. in elementis porrò nostri corporis peruestigandis, in mentionem etiam incidit eorum, quæ uniuersitatis sunt, quæ re uera elementa censentur: interdum uero nos quoque nominibus abutentes, simplices ac primas compositionis cuiusque particulas, illius elementa uocamus: quo sane modo harmonica, rhythmica, geometrica, arithmetica, & item orationis, uocis, ac demonstrationis elementa dixerunt. Sic etiam Plato auctor est ab Hesiodo dicta esse centum plaustri elementa, ut cum ait.

Sunt centum robora plaustri.

sed quæ ita singularum rerum elementa dicũtur, ea non sunt exquisite simplicia, atque prima. at quæ sunt omnium rerũ communia; ea ut re uera simplicia, primaque sunt, ita etiam proprie elementa nominantur. quæ Hippocrates ducto a qualitatibus nomine, calida, frigida, humida, & sicca uocat: ac non ea quidem quæ extremorum intermedia sunt, sed ipsa extrema, ut ignem, terram, aquam, & aerẽ. Hanc autem methodum eum quoq; sequi debere, qui animi naturam indagare uoluerit, censuit Plato: quip-
B pe cum sine accurata uniuersi cognitione, nihil quod ad partem pertineat, possit intelligi. porrò Platonis tibi uerba subscribam, quæ fere sunt huiusmodi: Putas ne, inquit, animæ naturam, ut par est, sine uniuersi natura posse cognosci? si Hippocrati uni de genere Asclepiadarum ulla fides adhibẽda est, ne corporis quidem, sine hac uia, & ratione. recte enim ô amice loquitur. Sed, præter Hippocratis sententiã, perpendenda ratio est; & utrum congruat, considerandum. fateor. ecquid Hippocrates,ueraque ratio dictat? nonne ad hunc modum? de cuiusque rei natura, cuius nos uel artem assequi, uel docere alios uolumus, primum id inquirendum est, simplex ne sit, an multiplex: si simplex sit, uidendum est, quam naturalem uim habeat, ut in alterum agat: aut quam, ut ab alio patiatur: si uero plures species habuerit, illis enumeratis, quod in una dixerimus, id erit in omnibus singillatim inuestigandum, quam inquam naturam habeant, ut & ipsæ agant, & ut ab alio patiantur. itaque cum hæc Plato ad hunc modũ scripserit, ostendat nobis quispiã, alium Hippocratis librum, præter hunc ipsum de natura hominis, in quo eiusmodi methodus inueniatur. quod si nequeat ostendere, desinat etiam ullum testem Platone digniorem, cui fides adhibeatur, perquirere, qui hunc librum esse Hippocratis uerum affirmet. nam, ut omittam cetera. Plato fuit temporibus illis proximus, quibus Hippocratis discipuli floruerunt. quam ob rem si alicuius eorum hic liber fuisset, certe etiam illius nomen habuisset inscriptum: etenim ante
C regum Alexandriæ & Pergami tempora, qui in ueterum libris comparandis inter se magno studio contendebant, nullus adhuc liber falso inscriptus circunferebatur. cum primum uero premijs affici cœperunt ij, qui aliquod antiqui auctoris uolumen eis obtulissent, tum demum multi sub falsa inscriptione ad eos sunt perlati. sed hi reges Alexandro iam uita functo extiterunt: at Plato ante Alexandri regnũ hæc scripsit: cum. s. librorum inscriptiones nondum essent deprauatæ, sed cuiusque libri auctor ex indice cognosceretur. Plato igitur fatetur, se ad Hippocratis methodum animæ naturã, ut ille de corpore fecit, inuestigare: idq; fieri aliter non posse ait prius, quàm uniuersitatis natura cognoscatur. nónulli tamen in tanto errore sunt uersati, ut tam admirabilem methodum alterius cuiuspiam esse existimauerint: quod qui tam magnam, tamque grauem rem primus inuenisset, eius quoque demonstrationem subiungere non neglexisset. quo modo autem non magna, grauisq; res est, omnium eorum corporum, quæ in ortu, interituque uersantur, elementa inuenire? quomodo non est etiam multo maius, eadem demonstrationibus comprobasse? idque non totis trecentis uersibus, sed multo paucioribus potuisse complecti? neque enim uerisimile est, Hippocratem in suis inuentis & quæ ad curandum, & quæ ad præsagiendum pertinent, uti elementis, tanquam ea demonstrarit, & nullam eorum demonstrationem ullo in loco conscripsisse. Nos autem hæc, cum essent minime necessaria, attulimus, ut librum esse Hip-
D pocratis uerum ostenderemus: cum tamen in hoc præcipuum studium ponendum non sit, sed potius ueritas eorum, quæ in eo scripta sunt, diligenter disquirenda: id quod nos in libro de elemẽtis ex Hippocratis sententia fecimus: quem cum inuidi ab omnibus eruditis uiris laudari perspicerent, frigidam illius calumniam commenti sunt, ut eum non esse Hippocratis affirmarent. sed hæc ab illo esse statuta, & in alijs omnibus, quæ singillatim scripsit, in hęc semper intuitum esse, est plane perspicuum. uerum, quia inuidi præ impudentia, aduersantur etiam ijs, de quibus inter omnes cõstat, & quibus omnes assentiunt, idcirco alium librum confeci, cuius hic est index, Videri Hippocratem, in alijs libris eandem habere sententiam, quam in libro de natura hominis habuit.

# GALENI IN LIBRVM DE NATVRA HVMANA

## COMMENTARIVS SECVNDVS.

### *Io. Baptista Rasario, medico Nouarienſi, interprete.*

*Quid de hoc libro cenſendum ſit, Galenus in principio commentarij docet.*

LIBRVM, qui de hominis natura eſt, nos ſuperiore commentario expoſuimus:
nunc ea tractanda nobis ſunt, quæ ei male quidem, ſed non inconcinne ſunt
adiuncta. eſt enim liber unus exiguus, in quo de uictus ſanorum ratione agi-
tur, qui a Polybo Hippocratis auditore conſcriptus uidetur. quod autem in-
ter eum, & librum de natura hominis interiectum eſt, id in medium coniecit F
is, qui primum hos duos libellos Hippocratis de humana natura, & Polybi
de ſanorum uictus ratione coniunxit. quo enim tempore Attalus, Ptole-
mæuſq; reges inter ſe de libris ſibi parandis certatim contendebant, ab ijs,
qui pecuniarum cauſa ad reges clarorum hominum ſcripta afferebant, & inſcriptiones, & confectio-
nes librorum deprauari cœperũt. quam ob rem cum uterque liber & qui de humana natura, & qui de
ratione uictus ſanorum eſt, exiguus eſſet, ueritus quiſpiam ob paruitatẽ, facile deſpici eos poſſe, utrũq;
coniunxit. ac forte alius quiſpiam, uel etiam ille ipſe, qui primus eos in unum redegit, quædam inter-
iecit, quæ nunc tractanda ſuſcepimus.

*Præter ea, quæ dicta ſunt, hæc quoque noſſe oportet: morbos, quos repletio gignit, euacuatione: quos euacuatio, reple-* 1
*tione: quos labor, quiete: quos nimium otium, labore curari. in ſumma debet Medicus ſcire, inſtantibus & morbis, & for-*
*mis, & temporibus, & ætatibus obſiſtere, & contendentia laxare, & laxata contendere: hac enim potiſſimum ratione quod*
*moleſtum eſt, ſedaretur: atque hoc ipſum mihi uidetur eſſe curatio.*

Singulos totius huiuſce dictionis uerſus Dioſcorides obeliſco notauit: quod etiam ſignum, Ariſtar
chus ijs uerſibus, quos non eſſe poetæ ueros ſuſpicabatur, præfixit. id autem Dioſcorides fecit, pro- G
pterea quod hanc partem eſſe Hippocratis Theſſali filij exiſtimabat: magno enim Hippocrati duo filij
Theſſalus, & Draco fuerunt, quorum etiam uterque filium, Hippocratem nomine, ſuſcepit. hæc autem
de dictione ipſa dicta ſint. nunc uero par eſt, ut ſingulas dictiones ſeorſum perpendamus. Morbos in-
quit, quos repletio gignit, euacuatione curari. Non idem eſt, ſi dicas, repletionem, & euacuationem,
& cetera, quæ deinceps dicuntur, continentem morborum cauſam eſſe, &, ex repletione, aut aliquo
aliorum quippiam proficiſci. naſci quidẽ morbos quoſdam ex repletione, uel propter repletionem;
(nihil enim intereſt hoc ne, an illo modo loquaris) uerum eſt: ſed repletionem eſſe continentem mor- A.l.1.f.2.d.1.
bi cauſam, minime uerũ eſt: ſiquidem morbus eſt affectio quædã in corpore animãtis, quæ ut in libro cap.1.p.52.E.
de morborũ differẽtijs docuimus, primũ actionẽ lædit: repletio autem non primo, ut in libro de pleni-
tudine oſtẽdimus, actionẽ lædit, ſed alia affectione intermedia: quã quidẽ affectionem alio modo Eraſi
ſtratus, alio Aſclepiades, alio Medici ij, qui pneumatici dicti ſunt, gigni aſſeruerunt. eſt aũt a nobis co-
pioſius expoſitum, quomodo ab utroq; genere plenitudinis morbi naſcãtur: docuimus. n. duplicẽ ple-
nitudinẽ eſſe, alterã ad uires, alterã ad uaſorũ concauitatem pertinentem. quæ in uiribus ſpectatur, hu- A.l.1.f.2.d.3
mores ad corruptelã perducit, & fluxiones ad imbecilliores corporis particulas tranſmittit: quæ uero c.6.p.85.C.
in infuſione, ea aperit † ora uaſorũ, eademq; rũpit, ac quãdoq; repentinã mortem affert, ſi perſpiratio- H † Auic. ibid.
nes corporis obſtruxerit. Curatio quoq; non modo eorũ morborũ eſt, qui facti iã ſunt, ſed et eorũ, quæ
morbos efficiũt. quæ ſi quis proprio nomine uelit appellare, is huiuſmodi omnia cauſas morbũ antece
dẽtes, ut Athenæus fecit, nominabit. a qua uero antecedẽtes ipſæ cauſæ efficiuntur, primitiuã, & præin
cipientẽ appellabis. itaq; ciborũ copia, cruditates, balnea, & exercitationes intẽpeſtiuæ, & cetera oĩa,
quæcunque in libro de cauſis procatarcticis recenſui, ſolẽt antecedẽtes cuiuſq; morbi cauſas efficere.
Quos euacuatio, repletione. Non proprie nomine repletionis uti uidetur is, qui hæc conſcripſit, cum
oẽs nõ Medici ſolũ, ſed ceteri quoq; græci ſcriptores repletionis nomẽ potius de redundantia mode-
ratæ quãtitatis efferre ſoleãt, quam, ut euacuationem exceſſu contrario corrigendam putent. ſubinde
tamen audi rationem exceſſibus fauentem. cibi quidam ſunt, qui ad ſani alicuius habitum relati, mo-
derati ſunt. ex horum collatione defectus, exceſſuſq; intelligetur. qui autem euacuatus eſt, ſi impleri
debeat, quantitatem eius moderantiæ, quæ erat ei prius accommodata, adaugebit. propterea quod
ſi quantum cibi ante euacuationem ingerere ſolebat, nunc etiam tantundem ſumat, nunquam id, quod
euacuatum eſt, replebitur. periti autem hominis eſt, incrementum moderate afferre, ut neque minus
in tempore, neque repente, neque confertim quod inanitum eſt, expleat. quibuſdam tamen Medicis
euacuationes nũquã eſſe morborũ cauſas uidẽt. aiunt. n. eas ſolũ in cauſa eſſe, ut uires imbecillæ, atque

A habitus corporis graciles reddantur:& ab indigentia nullum morbum oriri uolunt. ijdem tamen non animaduertunt, quibus morbis ij,qui ſunt immoderate uacuati,corripiantur: nam & nullo ferme negotio ex quacunque occaſione refrigerantur: & celeriter uiciſſim exuruntur,& in laſſitudines facile cadunt:& omnibus externis cauſis ſunt obnoxij.ijſdem quoque potius,quàm,qui bono ſunt habitu, uigilia,mœror, cruditas,& ira morbos afferre conſueuit. Quos labor,quiete: Labores hoc loco uocauit eos,quos moriones immoderatę pariunt. ita uero affectis quiete opus eſſe,nemo eſt qui neſciat, quiq; id non faciat.neque conſulendi in hac re ſunt Medici. ac bruta quidem nedum homines , ut oſtenſum nobis eſt,noxas ijs rebus,quæ ſunt noxijs contrariæ,corrigunt. Quos nimium otium, labore curari. Otium quoque non primo,& per ſe,ſed plenitudine intercedente, morbos gignit. ocioſis enim corporis particulæ minus perſpirant, & imbecilliores efficiuntur: ut inde utrunque plenitudinis genus oriatur. itaque motus immoderatior etſi uires ualidiores non reddit, tamen humorum coaceruatorũ redundantiam exhaurit. perſpicuum autem eſt,ſi in eo motus magis, quàm conueniat, modum excedat, inde hominem a laſſitudine ſenſim correptum iri, non tamen iam in febrim caſurum. In ſumma debet Medicus ſcire, inſtantibus & morbis,& formis,& temporibus,& ætatibus obſiſtere. Formas uidetur corporum naturas appellare, quarum eſſentiam in quatuor elementorum temperamento poſi-
B tam eſſe demonſtrauimus. morbos igitur omnes curari ijs, quæ facultatibus contraria ſunt,& non ijs, quæ quamuis ſpeciem efficiunt, probatum eſt. natura autem corporis,quæ temperatura eſt, non omnis corrigitur contrarijs,ut neque anni tempora,neque ætates:ſunt enim temperatæ quædam,ut etiam aliæ quædam intemperatæ. ac temperatarum quidem temperies ſimilibus conſeruatur: intemperatarum uero intemperies contrarijs corrigitur. ſed hæc in libris de tuenda ſanitate definita ſunt nobis. Et contendentia laxare,& laxata contendere. Non fecit, ut par erat, morborum oppoſitionem. nam contendenti laxantia,& laxato contenta proprie opponuntur. contendentia autem & laxantia proprie de cauſis,& non de læſis corporibus: contra uero contenta & laxata in corporibus iam læſis dicũtur. præterea contenta & laxata non morborum, ſed corporum contentorum, laxatorumq;, ſunt nomina: ſicut etiam durum & molle,rarum ac denſum: de quibus dictum eſt a nobis diligentius in ſexto de morbis uulgaribus in illo loco, Cutis duræ mollitio,contentæ remiſſio.quo etiam in libro ſubinde de uerbo condenſandi,quod uerbo rarefaciendi contrarium eſt,diximus. ac condenſare idem eſt, quod inſpiſſare,ſicut etiam inſpiſſatum & condenſatum idem ualent.

2 *Morbi autem, tum a uictu,tum a ſpiritu,quem trahentes uiuimus, oriuntur.*

Victum appellant quandoque ſola eſculenta,& poculenta, quandoque uero omnia uitæ inſtituta
C hoc nomine ſignificantur:in quam ſignificationem modo ſumptũ eſſe exiſtimandũ eſt:ꝓpterea quod non ſolum ab ijs,quibus ueſcimur,quæq; bibimus,ſed & a lauacris,exercitationibus,otio,uigilia,mœrore,ira,frigore,& æſtu morbi gignũtur. ſæpe & ſolus ſpiritus,quem ducimus,noxa nos afficit:quòd in locis,quæ charonia nominantur,uſu uenit.

3 *Vtrunque autem ſic dignoſces. cum eodem morbo complures homines eodem tempore corripiuntur, cauſa conijcienda in illud eſt,quod & communiſsimum eſt,& quo maxime cuncti utimur.id autem eſt,quod reſpiramus:eſt enim perſpicuum, non eſſe cauſam in cuiuſque noſtrum uictum conferendam,cum morbus omnes pariter attingit,& iuniores,& ſeniores: & mares,& fœminas: & qui temetum bibunt,& abſtemios: & qui maza,& qui pane ueſcuntur:& qui parum,& qui multum laborant. cum igitur, homines, quacunque uictus ratione utentes, in eundem morbum incidunt, cauſa non eſt uictus rationi accepta referenda: at cum eodem tempore uarij morbi exoriuntur, tum ſine dubio uictus cuiuſque in cauſa eſt.*

Recte dictum eſt, quod multis morbis commune eſt, communem habere cauſam, ſicut etiam cetera,quæ hac dictione continentur. non tamen recte originem communium morborum in ſolum aerem retulit: quandoquidem in Aeno cum fame homines urgerentur,qui legumina comedebant, cru-
D ra ijs imbecillia reddebantur: qui autem eruo ueſcebantur,eos genuum dolor conflictabat. nouimus etiam eos,qui fame compulſi triticum ſemiputre comediſſent, communi morbo ex communi cauſa correptos eſſe: & cum exercitus uitiatis aquis uteretur, milites omnes ſimili eſſe noxa uexatos. cetera uero clara ſunt.

4 *Curatio autem adhibenda eſt,occaſioni morbi, ut alibi a me dictum eſt,repugnando, & uictus rationem mutando:planum enim eſt, ea, quibus in uictu uti homo conſueuerat, non apta eſſe uel omnia,uel pleraque,uel unum eorum quodpiam: quæ tu noſcens commutabis, & habita ratione ætatis hominis, & formæ,& anni temporis, ac morbi generis,curationem inſtitues tum addendo,tum uero detrahendo,ut omnis curatio, & uictus ratio,ut iamdudum monui, ad cuiuſque ætates, tempora,formas,morboſque dirigatur. Cum uero unus morbus uulgo omnes inuadit,planum eſt eius cauſam non in uictum, ſed in id, quod reſpiramus,conijciendam eſſe: quippe quod morboſa quadam excretione ſit imbutum.itaque homines eo tempore monendi ſunt, ne uictum, qui non eſt morbi cauſa,commutent:ſed uideant, ut corpus quam minime tumidum ſit, & imbecillum:& paulatim aliquid de cibis,ac potionibus, quibus uti conſueuerant, demant. nam ſi uictus repente mutaretur,periculum eſſet,ne quid noui ab ea commutatione in corpore excitaretur.quare uictu conſueto utendum eſt,cum nihil lædere hominem uideatur. uerum danda opera eſt,ut quàm pauciſsimus ſpiritus corpus ingrediatur,iſque ſit maxime peregrinus:tum loca,in quibus morbus uagatur,quo ad fieri poteſt,commutanda:tum uero corpora attenuanda ſunt:hac enim ratione fiet,ut homines minime multo,frequentique ſpiritu indigeant.*

Communium morborum,cum uitio ambientis nos aeris oriuntur, curationem inchoatam propo- E. ſuit. ſæpenumero enim exhalationes quædam e paludibus, ſtagnis, locis lutulentis, aut huiuſmodi terra excitantur, ex quibus tales morbi originem ducunt. quandoque autem a ſola temporis tempeſtate producuntur. cum igitur corpora in exhalationibus potius a totius ſubſtantiæ proprietate, quam proprietate ſimplici, læduntur, certe curandi rationem, ad duo propoſita rem dirigens, ad locorum mutationem,& ad modicæ reſpirationis uſum, recte expoſuit. in illis uero,quæ qualitas lædit,nō modo eorum morborum,qui iam conſtiterunt, curatio, ſed etiam cautio,ne illi ſuboriantur, per contrarias qualitates adhibebitur. ut ſi ab immodico calore corpus lædatur,refrigerantibus:ſi a frigore, calfacientibus curetur.eadem eſt aliarum ſimplicium, coniunctarumque qualitatum habenda ratio. De ea uero indicatione,quæ ab ætatibus,anni temporibus, ac temperatura corporis ducitur, ſupra dictū eſt nobis. Quod autē ait,ut omnis curatio ad morbos dirigaē, uerbū [illegible] pro uerbo [illegible] dictum puto: hoc eſt,ut morbis per cōtraria occurras: ita.n.etiam hodie in Aſia loquuntur, [illegible] hoc eſt,agere cum aliquo bene,aut amice,aut perfide,aut crudeliter.

*Quicunque morbi a fortiſsimo corporis membro oriuntur, grauiſsimi ſunt: ac ſi ibi permaneant, ubi inceperunt, certe membro fortiſsimo laborante, totum quoque corpus male affici neceſſe eſt. ſi uero a ualentiſsima parte ad imbecilliorem quidpiam comportetur, difficilis ſolutio eſt. at ſi ab infirmiore ad robuſtiorem quid perueniat,facile diſſoluetur:ſiquidem influxus a robore facile repelletur.* F

Siue mēbrum,ſiue corpus fortiſſimum dicere quiſpiam uelit,is proprie illud dicet,quod ad ſtrenuas actiones obeundas ſit optime cōpararum: quo pacto Herculē fuiſſe fortiſſimū perhibemus. alio quoque modo hoc corpus,aut hoc mēbrū eſſe ualidum dicimus,ad aliquā actionē obeundā,ut aliud ēt ad aliā.ac robur quidē in omnibus in unaquaq; actione ineſt,ita tñ ut aliud in alia ipſarū ualidū ſit.una igiē actio eſt earū motionū,quæ ab animātis uolūtate fiunt,ut cū currit,aut cū animantibus quibuſdā cōgreditur:aut corpus aliquod animatū,inanime ue diuellat,aut quidpiā ſimiliter euellat.alia ēt facultas eſt, quæ in uitali actione uerſatur,per quā arteriæ,& cor pulſum habēt.in ijs uero, quæ genere inter ſe differūt,aliæ quædā generis eiuſdē ſunt,eæq; nō ſolū in animalibus,ſed ēt in plātis,quas naturales nominamus,ut eſt attractrix,alteratrix,cōtentrix,& expultrix. itaq; pōt aliàs in alio,atq; alio corpore uenter, exēpli graria, uim habere ualentiſſimā ad aliquā actionē obeundā, ut ad continendū, uel ad alterādū; alias uero iecur,aut lien,aut alia itidē particula:cōtra ēt in eodē animāte uēter ipſe infirmiſſimam uim attrahentē,aut reppellentē habebit: iecur uero ualentiſſimā:ſed qui orationē hāc ſcripſit,hæc nūc prætermiſit. mihi aūt uidetur ualidū nūc intelligere id,quod præterquā quod a cauſis morbū efficientibus G nō facile patitur,habet hoc amplius,ut,cū in eo aliqua humoris collecta ſit redūdantia, ſua ui expultrice in aliā partē amandare eā poſſit. ac nimirū quod expellit,ualētius eo,quod recipit,eſſe oportet. erit quippe in quouis corpore hæc particula infirmiſſima,aliæ uero robuſtiſſimæ: quēadmodū inter oēs & Medicos,& uulgares conſtat: proinde podagricis inualidiſſimos eſſe pedes dicūt,ut omnibus articulis eos,qui arthritide cōflictātur.caput eſſe infirmiſſimū ijs,quos capitis dolor exercet: & lienem ijs, qui natura lienis uitio laborāt:& oculos ijs,qui ſunt ad lippitudinē proni.eodēq; modo i ceteris partibus. cū aūt ſint duo genera cauſarum morbos gignētiū,ut aliæ externæ ſint,aliæ a nobis ipſis prodeāt, & ad externas noxas aliæ interdū ſint in nobis infirmæ particulæ,ad internas uero,aliæ:fit,ut etiam ipſarum cauſarū facultates ſint diuerſi generis.in nobis.n.morbi uel ex humorū multitudine, uel ex eorū malitia ſuboriūtur:externæ uero cauſæ animātiū corpora lædūt,uel quod intemperiē quandā afferāt, uel q contūdant,uel quod incidāt.Luxatio aūt ab utriſq; uidetur occaſionē habere.nā uel quiſpiā ſolus ſine alterius cōgreſſu ambulās interdū genu,interdū oſcitans mentū luxauit: aut ēt aliū quēpiā articulum aliud quid agēs,aut ſe ēt contorquēs,quin ēt ſine ulla externa cauſa aliquibus fractū eſt membrum aliquod dum ſubito uerterētur,uel dū ui maiore ſaltarēt.quocirca quot cauſarū ſunt genera, totidē etiā ſunt infirmitatis ac roboris particularū quæ facile,uel difficulter patiātur.itaq; morbi, qui ab humori- H bus oriūtur,ij in omnibus ex firmitate,infirmitateq; facultatē expellētiū ortū ducunt. cum.n.oēs animalis particulæ ſint naturali quædā inter ſe nexu deuinctæ,fit, ut a ualētioribus depulſi humores, qui morbos pariūt,ad alias cōfluant,ac deinde ab illis ad alias delabātur, donec in imbecilliore figantur, quā nulla ſit infirmior,in quā noxius humor comportetur.hæc aūt ſi perinde,ut inteſtina, uēter,ueſica, uteruſq; effluxus habeat,cauſa noxia excretione euacuabiē: ſi tñ ſit eius cōſiſtētia tenuior,ſæpe canalibus,quæ in particula ſunt,ruptis,aut oſtijs uaſorū apertis,copioſior eſt ſubſecuta uacuatio: ut in ſanguinis profluuio,ſine uulneribus,uſu uenit. ſi uero neq; rūpātur,neq; aperiātur,ſed humor partē obſidēs, aut craſſus,aut glutinoſus ſit,tumorē aliquē præter naturā in ea particula parit.ac talis quidē eſt partiū corporis noſtri firmitās,& infirmitas in ijs morbis,qui a nobis originē trahūt.qui uero ab externa cauſa patiuntur,ij dum calfiunt,refrigerantur,exiccātur,& humectantur, plerunque patiuntur. nam quæ uel frangendo, uel ſecando,uel quid tale faciendo morbis animantes afficiunt, raro eueniunt. quam ob rem in huiuſmodi morbis aliud mēbrū cū alio collatū,uel imbecille,uel robuſtum erit.nā particulæ quæ ſuapte natura frigidiores ſunt,eæ facile a cauſis refrigerantibus patientur: quæ calidiores, eæ a calfacientibus. eadem ratio eſt earum, quæ in ſiccitate & humiditate intemperatæ ſunt. contingit autem,ut quædam ex his a calfacientibus,aut refrigerantibus,aut ſiccantibus,aut humectātibus cauſis

Auic.l.3.f.1.t.2.c.1.p.348 E.

prompte

A prompte afficiantur: quia tamen uim expellendi robustiorem habent, in aliam partem suum malum statim propellant. cum igitur membrum ualentius, & infirmius non uno modo, sed multis, atque ijs quidem diuersi generis & fiat, & intelligatur, non possumus de proposita dictione ferre iudicium, neque uera ne, an falsa sit, enunciare. hoc tamen & de hac, & de ceteris omnibus, quæ de ijs, quæ multis modis & dicuntur, & intelliguntur, ita sine distinctione proferuntur, dici potest, eas ita confusas, indistinctasque esse, ut nullum inde fructum auditores ferre queant. quinetiam magna est in hac oratione repugnantia: ubi scriptum est, si ab imbecilliore ad robustiorem quid perueniat, facile dissoluetur: siquidem influxus a robore facile ἀποπαλλίζεται. quocirca interpretes in uerbo ἀποπαλλίζεται exponendo uarij fuerunt. quidam enim ἀποπαλλίζεται scripserunt, quidam ἀποπαλίεται, quidam ἀποπαγιόνεται, tertia uerbi syllaba per ω scripta: quidam denique, in quibus est Dioscorides, per η & ο ἀποπαγιόνεται dicunt, ut pro repelli positum sit, at uero, si noxius humor ab infirmioribus particulis ad ualentiores propulsus, ab illis iterum repellatur, nihil inde utilitatis ægrotus feret. præstat igitur hoc ita scribere, influxus enim a robore consumentur: id est, quæ influunt, concocta & digesta, absumentur, sunt, qui falsa quidē ducti ratione, putent, ualentissimas partes hic appellari, quæ principem in corpore locum tenent. melius enim est, ut a partibus nobilioribus ad ignobiliores, quàm ab ignobilioribus ad nobiliores, noxij B humores impellantur. uidimus enim persæpe in ijs, quos articulorum, aut pedum dolor exercet, humores eo comportatos, cum ab artubus depulsi principem aliquam partem obsedissent, interitus causam attulisse: eamq; solam salutis spē reliquā fuisse, ut illi, si fieri posset, ad artus reuellerentur.

Hinc possumus suspicari, hunc librū esse Polybi: qm̄ totum hūc de uenis locum Aristo. tertio de historia ani. 3. recēset, cum Polybi sententiam refellit. id tamē negat Gal. vi. de decretis Hippoc. & Pla. cap. 3.

6 *Venæ crassissimæ hoc modo oriuntur. quatuor sunt earum paria in corpore: primum, quod ab occipite per ceruicem exteriore parte ad utrunque spinæ latus tendit: & inde ad coxas & crura, deinde per tibias usque ad malleolos exteriores ad pedes pertinet. quocirca in dorsi, coxarumque doloribus sanguinem de poplitibus, aut malleolis exterioribus mitti oportet. alia autem uena, quæ a capite circa aures oriuntur, & iugulares appellantur, per ceruicem intus a uentre iuxta spinam, utrinque & lumbos ad testes, & femora perferuntur, tum per poplites ex parte exteriore, & per tibias ad interiores malleolos, & ad pedes. quam ob rem in doloribus lumborum & testium sanguis e poplitibus, aut internis malleolis mitti solet. tertium par uenarum a temporibus per ceruicem sub scapulis in pulmones pertinet, & altera a dextra parte in sinistrā, altera a sinistra in dextram procedit. ac dextra quidem a pulmone sub mammas transiens ad lienem, renemque peruenit. altera uero de sinistra in dextram procedens, e pulmone mammam subit, mox iecur, & renem petit: & utraque postremo ad podicem desinit. quartum uero par a sincipite, oculisque sub ceruicem & clauiculas tendit: unde per lacertos superne ad inflexus, mox per cubitos ad uolam, & digitos. tum rursus a digitis: per pectinem ex superiore parte manuum ad inflexus, & per brachiorum inferiores partes ad alas, & superioribus costis altera ad lienem, altera ad iecur descendit:* C *postea uero ambæ super uentrem incedentes, ad genitale desinunt. ac crassissimæ quidem uenæ sic se habent. a uentre tamen multæ aliæ, uariæque uenæ per corpus distribuuntur, quæ alimentum corpori ministrant.*

Ea de quibus in artibus homines controuersantur, partim sensus, partim iudicat demonstratio. quæ sensu iudicantur, ea sensum acrem, a quo iudicium feratur, requirunt: quæ demonstratione, ea rationē exercitatione elaboratam poscunt. si igitur de ciborum concoctione, quæ in uentriculo fit, deq; humorum post coctionem ortu, tum de distributione, ac nutricatione, & ceteris huius generis uerba fiant, ratione, qua ueterum sententiæ iudicentur, opus erit: at uero, utrum quæ ruminant, quatuor uentres habeant, quæ utrinque dentata sunt, unum, id non demonstrationē, sed sensus iudicium postulat. ex quo fit, ut, diuerso modo, quæ sensu, quæq; ratione iudicantur, mentientes coarguant. in promptu enim iudicium est in ijs, quæ sensui subijciuntur, si illi, qui controuersantur, ad id, quod in dissectionibus apparet, perueniant. quæ demonstrationem requirunt, possunt etiam sine dissectione, sed conscripta demonstratione iudicari. quam ob rem si quis cogatur scriptis refellere sententiam eorum, qui de re aliqua ad dissectionem pertinente, quæ sensu iudicetur, impudentissime, imperitissimeq; pronuntiare ausi sunt, certe qui ea, quę in corporibus dissecandis cernuntur, ignorant, ij ueraces a mēdacibus discernere nullo pacto poterunt. ut enim, si quis Cretam esse insulam negaret, statim ab omnibus audientibus, quia D norunt eam insulā esse, damnaretur: ita qui canes habere quatuor uentriculos, & ruminantia animalia unum, ab ijs, qui in ruminantibus quatuor, in cane unum conspexerunt, irrideretur. eadem est uenarum dissectionis ratio: cuius iudicium non a demonstratione, sed a sensu petendum est. donec autem qui dissentiunt, in suis pagellis, quicquid eis placitum sit, conscripserint, ueritas latebit dissectionis ignaros. sic nos, cum in hac oratione in huiusmodi discordiam uenerimus cum ijs, qui quatuor paria uenarum a capite in corpus pertinere, affirmare ausi sunt, nullam firmam dissectionis imperitis afferre demonstrationem scribendo poterimus: cum non omnino rationis demonstrationem, sed solum sensus, qui scientia nitatur, iudicium res postulet. nisi forte quispiam sibi proponens, quæ de historia iudicanda cum plerique alij & Medici, & philosophi, tum uel maxime empirici conscripserunt, uelit ex eo præscripto iudicare. equidem ueterum iudicandi rationem, auctorumque consensum non fugio, præsertim si rei, de qua scripsere, periti fuerint, quales Eudemus, & Herophilus in corporibus dissecandis, & Crateuas, ac Dioscorides in metallicis medicamentis extiterunt. hoc iudicium si quis subterfugiar, tantum abest, ut octo uenas a capite descendentes, ut ne tres quidem, aut duas possit ostendere: si quidem una sola uena est maxima, quam cauam nominant, a gibbo iecoris per animantis ducta longitudinem. cum enim septum transuersum animantis partem inferiorem a superiore discernat, hæc ipsa caua uena septum pertransiens

A. l. 1 f. 1. d. 5. p. 45. cap. 3. B.

sursum quidem ad cor, deorsum uero ad spinam per conuexa iecoris tendit. inde autem a trunco eius, E quæ sursum contendit, omnes uenæ septo transuerso superiores: ab eo uero qui in spinam inflectitur, omnes inferiores exoriri conspiciuntur. atque hæc quidem scripsit etiam in secundo de morbis uulgaribus Hippocrates, cum uenam cauam, iecorariam uocat: scripsere eadē ceteri omnes, qui in dissectionibus sunt uersati. nec quisquam alius Medicus inuentus unquam est, siue is diligenter, siue neglige̅ter dissectiones ꝑtractarit, qui octo uenas a capite ꝑfectas in totū corpus pertinere affirmauerit, non Diocles, nō Praxagoras, nō Erasistratus, nō Plistonicus, nō Philotimus, nō Mnesitheus, nō Dieuches, non Chrysippus, non Antigenes, non Medius, non Euryphon, non quispiam denique alius ueterum medicorum, quid autem attinet recentiores commemorare, qui dissecandi disciplinam mirum in modum adauxerunt? in quibus Erophilus, Eudemusque fuere: quorum methodo nemo ad Marini usque Numesianique tempora ullum inuentum adiecit, neque adeo Heraclianus, qui cum ego Alexādriæ summo studio uersatus sum. horum autem uirorum cum alij discipuli fuerunt, tum præstantissimi omnium, Numesiani quidem præceptor noster Pelops, Marini uero, Quinctus. sed Quinctus, ut de alia re nulla, sic neque de dissectionibus scripsit: aliorum ueto non paucos libros anatomicos habemus. quin etiam a Quincti auditoribus anatomici libri confecti sunt, quales Satyri doctoris nostri, & Lyci extant. ergo & horum omnium, & eorum qui hos sunt subsecuti, qui anatomicos libros conscripserint, nemo est, qui paria quatuor uenarum a capite exoriri prodiderit. neque hoc absimile est ei, qui F octo arces Athenis esse dicat, cum tamen una sola sit: &, si in urbe Romana octo colles esse affirmet, in quibus sit habitatio, aut si quis sex statuat: si quidem uterque in uno mentietur. at si quis pro septem collibus unum solum habitari dixerit, aut Athenis pro una arce, octo esse; is multo magis mendax erit, quàm qui in uno non uerus erat. sic igitur, cum una uena sit, quæ a conuexa iecoris parte in supernas corporis partes fertur, quæ etiam, si quis superne dissectionē inceperit, descendete potius, quàm ascendere, dicetur, & tamen nihilo minus una esse uidetur: profecto maxime irridendus erit, qui octo uenas a capite ad inferiores partes ferri dixerit: propterea quod siue a superioribus ad inferiores partes, siue ab inferioribus ad superiores iecorariam, quam cauam nominant, ferri uolueris, ea semper una erit per conuexa iecoris porrecta. quam ob rem si alterius cuiuspiam liber sit inuentus, quo talis dissectio contineatur, nemo est, qui eum flocci faciundum putarit, aut singula capita percurrere potuerit: sed cum solum audiuisset, esse in corpore paria uenarum quatuor, id damnans statim ueluti ab insulso instituto aufugit. sed quoniam hæc libris Hippocratis quispiam interiecit, coacti sumus id temporis, quod in illius refellenda sententia, & quod in legendis, quæ male scripta sunt, ponimus; consumere. ait autem par unum uenarum ab occipite oriri, ac per ceruicem descendere, & ab exteriori- G bus spinæ partibus ad coxas deferri, atque inde per tibiam ad malleolos exteriores peruenire. alterū uero par inquit, initium ducit a partibus, quæ iuxta aures sunt, ac per collum fertur, ut iugulares uenæ fiant. tum ut primum ab externis circa spinam partibus, ita hoc ab internis ad testes, femoraque peruenit: deinde per poplites ad internos malleolos tendit. quis autem, qui uel unum diem dissecari animalia uiderit, hæc queat audire? multa quidem in ratione dissecandi theoremata sunt, quæ demonstrari uix possunt, in quibus uerisimile est falli posse eos, qui in eo negotio nō sint diu, multumque uersati: & inde etiam orta est de illis controuersia: at maximæ illius uenæ tractatio tam facilis est, ut nemini nem, qui modo ex dissectione perdiscere quid possit, latere queat. de ea enim constat inter omnes usq; adeo, ut poetæ etiam non ignorarint. nam & Homerus dixit,

Dissecat & totam uenam, quæ tendit in altam "

Ceruicem, saliens per dorsum sanguine iugi. "

cum nimirum nosset unam esse, prout est, non quatuor: duas extra spinam, duas alias eodem, quo illæ, modo, utrinque iuxta spinam porrectas: cum tamen nullum animal sit, quod ita, ut commētus est, qui hanc anatomen descripsit, quatuor habeat. ab hac autem uena maxima propagines per uniuersos medullæ spinalis fines propagantur, ut in secundo de uulgaribus morbis scriptum reliquit Hippocrates, H cuius terminus superior ad clauiculas, inferior ad os sacrum est, alter porrò eorum in uenas iugulares scinditur, alter in eas, quæ in crura pertinent. quo ergo modo is, qui hoc secundum par scripsit, uenas iugulares duas permanentes putauit iuxta spinam ex partibus internis ad crura perduci? quo item modo interius ad malleolos peruenire? cum una, eaque sola uena in utrunque crus, nec altera in malleolum internum, altera in externum feratur: sed unius, & eiusdem sint rami. est uero etiam magis tertiū uenarum coniugium risu dignum: quas uenas a temporibus per ceruicem ductas sub scapulis transire in pulmones scripsit: inde uero, recto motu in obliquum mutato, dextram ad sinistrum latus peruenire: atque ita sub mamma ad lienem, sinistrumque renem ferri: sinistram uero sub mammam in iecur, & dextrum renem, utranque uero in podicem terminari. sed iure dicat quispiam cōtra eum, qui hæc scripsit, heus uir optime, podex habet suas uenarum propagines a caua iuxta lumbos exorientes ea sane parte, qua duæ illæ in utranque partem deductæ, quasi maiores rami in crura feruntur. quis præterea est non Medicus modo, sed ne coquus quidem, qui ignoret, sanguinem pulmoni a corde per unam uenam suppeditari, cuius cordis, qui hoc tertium par confinxit, nusquam in sua oratione mentionem fecit? sed quod nonnulli dissecandi artis periti principium esse uenarum in totum corpus pertinentium esse dixerunt; id, qui orationem hanc scripsit, ne si ullam quidem uenam habeat, cognouit. iam uero quartum

A quartum uenarum coniugium a sincipite, oculisque originem trahere asseruit: unde sub ceruicem, cla-
uiculasque ductum, brachium ingredi & unam ad utranque manum pertinere: tum ex superioribus
partibus in digitos ferri, mox uero sursum ferri per totam manū ad alam: atq; inde per costas progre-
di: alteram uero in iecur, alteram in lienem: deinde ambas a uentre in genitalia terminari. atque ita ne
hæ quoque ullam sui partem cordi tribuunt. at quomodo potuit is, qui tanquam nouus Prometheus
hæc confinxit, tanti uisceris, cordis inquam, omnino obliuisci? immo uero ne cerebri quidem me-
minit: quia uidelicet erat malleolis ignobilius, quod uero ad renes pertinet, cæcitatem omnem supe-
rat: cum ad eos a uena caua maximæ uenæ ferantur, quibus omissis, quasdam a pulmone in ipsos perti
nentes, confingit. itaque ex his omnibus perspicuum est, non ut alios quosdam corpora dissecantes
nonnulla latuerunt, ita hunc hominem quædam præterijsse, sed plane cæcum fuisse. nam qui maxima
non uidet, is non cæcutire, sed penitus nihil uidere uere diceretur. hanc ergo orationem de uenis a ca-
pite in totum corpus pertinentibus esse ebriorum somnijs similem, nemo, qui parumper spectare dis-
sectiones aggressus sit, ignorare uidetur posse. ac nonnullas quidem perexiguas uenas homines, qui
dissectionibus operā dabant, fefellisse, haud mirabile est: nemo tamen aliam aliter descripsit, neq; eas
omisit, quas uel cæci, digitos manus admouentes cognoscere potuissent. una igitur uena est, per quam
B sanguis a iecore in corpus uniuersum comportatur: a qua uenæ paruæ, tanquā a trunco rami, prodeūt,
quæ sanguinem omnibus animalis particulis distribuunt. quod si sanguinem, qui in caua uena est flumi
ni, eum uero, qui inde in corporis particulas defluit, riuulis comparabis, a uera similitudine non disce-
des. sed siue flumini, siue trunco magnā uenam similē quispiā dicat, certe oēs Medici ipsam unā esse cō
sentiūt: præter eū qui audacissime quatuor paria uenarū in hūc librū cōiecit. ac præter alia, ut nullā fecit
cordis mentionē, sic etiā cauā uenā omisit: & tñ meminit iugulariū, in quas illa in parte superiore thora
cis diuidit. q̄cquid. n. inter hūc locū, & spinę finē īteriacet, id magna uena, a qua uenę utrinq; ꝓpagant̄,
occupauit. findit aūt se duas in partes & in utroq; fine, & in utraq; particula sui. nā ad superiora duę ue
næ maximæ quæ iugulares uocant̄, per collū prodeūt: ad inferiora uero, in utrūq; crus una, uti diximus,
atque ea quidem maxima descendit. ceterum hic nouus Prometheus, cum earum, quæ per collum du-
ctæ, iugulares nominantur, in secundo pari meminisset, maximam sui inscitiam simul, & audaciam indi
cauit: cum nullo in loco cauam uenam, a qua ipsæ prodeunt, scindi memorarit: debuisset enim, si uel
parumper corporum dissectionibus interfuisset, dicere, hasce uenas iugulares, in unum inter se coire,
& unam uenam iecorariam, aut cauam aut quouis modo eam quis appellare nunc uelit, efficere. si ue
ro de his, tanquam semper duæ permaneant, est locutus, ut qui dicat illas per internas secundum spinā
C partes ad interiores malleolos perduci, quid postea de alijs uenis, post illa quatuor coniugia descri-
ptis, erit dicendum? quas ipse a uentre in corpus uniuersum comportare alimentum existimauit: per-
inde ac si illa dicta quatuor paria alterius cuiuspiam rei gratia sint a natura producta, neque unus, om-
niumque uenarum communis usus sit, ut sanguinem ex iecore omnibus animantis particulis disper-
tiant. at uero nulla earum, quæ a uentriculo, & intestinis succum eduliorum in iecur comportant, ultra
iecur progreditur: immo neque in multis prope iecur locis conspiciuntur: & tamen multæ admodum
ea parte sunt, qua uentrem, & cetera intestina contingunt: sed unum in locum, quē portas iecoris ap-
pellant, omnes perueniunt. quem locum qui primus portas appellauit, is iecur urbi, aut magnæ domui
comparauit. intestina, uentremque agris, ex quibus, ceu uijs quibusdam, per multas uenas in urbis,
aut domus portas cibi conuehantur. delirat igitur nouus Prometheus in hoc animali, quod sua sibi ra
tione confingit. nemo enim re ipsa animal conformauit, in quo uenæ a uentre, atque intestinis in to-
tum corpus alimenta comportarent: siquidem omnes ad unum locum, ad iecoris portas conueniunt:
unde uenæ quæ in ipso uiscere sunt, alimentum ingestum excipiunt, & ad cauam uenam aduehunt: a
qua, ut paulo ante dixi, sanguis in corpus uniuersum distribuitur.

7 *Ferunt quoque a crassis venis in ventrem, & in reliquum corpus, & ab exterioribus ad interiora, & sibi mutuo*
D *tribuunt interna externis, & internis externa.*

Satis quidem esse huic nouo Prometheo poterat, quatuor uenarum paria numerasse: uerum ta-
men ita contentus non fuit: sed præ insigni impudentia cum eas perperam addidisset, quæ a uentre in
corpus alimentum comportant, rursus ut modo rei summam manum imponeret, hoc tandem de ue-
narum communione uerum enunciauit. nulla enim earum uenarum, quæ a uentre oriuntur, quas cras-
sas appellauit, in alia paria distributa uentriculo, aut intestinis inseri uidetur. quemadmodum igitur
in hac uenarum dissectione, nihil penitus, atque adeo ne uerbum quidem uere dictum est ab eo, qui
hæc confinxit, sic Hippocrates in secundo de uulgaribus morbis, nihil omnino falsi attulit. itaque ij,
qui ne per somnium quidem dissectiones attigerunt, insaniunt, cum Hippocratis exponere libros
conantur: præcipue autem illi, qui cum sic Hippocraticos nominant, eiusdem tamen hominis & uni
uersas has de uenarum dissectione nugas, & exquisitam illarum in secundo de uulgaribus morbis tra
ctationem esse arbitrantur. si enim in alterutro ipsorum aliquid esset præterea inuentum, fieri posset,
ut idem uir temporis progressu peritior factus ijs, quæ recte prius dixisset, alia adiunxisset: sed cum
Hippocrates ipse non modo quæ omnes aperte intuentur, sed etiam quæ cerni uix possunt, ac-
curate scripsisse uideatur: qui uero hanc dissectionem composuit, ne illa quidem uiderit, quæ
quis etiam palpando inueniat, quomodo, hæc utraque ab eodem scripta esse, quispiam affir-
mabit?

mabit? quomodo autem sit consentaneum, ut absoluto uniuerso sermone, qui de hominis elementis ei institutus erat, deinceps ei uenarum tractationem adiecerit? E nam uel uniuersa dissectio erit explicanda, aut ne ea quidem, quæ ad uenas pertinet, attingenda. hoc enim est potius accommodatum commentarijs, quos nobis recordationis causa conficimus: in quos huiusmodi uaria præcepta conijcere solemus: libro autem non conuenit, ut cum doctrina prius instituta, ad finem perducta est, particulam alterius adnectas: tum uero illa relicta, paulo post aliam addas, ac deinceps aliam, quemadmodum ijs, quæ in libro de natura hominis tractantur, usu uenit.

*Conuenienter igitur his rationibus, uenæ sectiones faciendæ sunt.* 8

Rationes intelligit, quas ipse ante dixit, in primo uenarum coniugio, cum in extrema oratione hæc ad uerbum dixit, Quocirca in dorsi coxarumque doloribus sanguinem de poplitibus, aut malleolis exterioribus mitti oportet. in secundo uero pari hæc etiam adscripsit: Quam ob rem in doloribus lumborum & testium, sanguis e poplitibus, aut internis malleolis mitti solet. tertio uero, quartoque pari nihil de uena secanda addidit. ex quo fit, ut hac etiam in re sit, imperfecta tractatio, cum multas corporis partes prætererit, in quibus, quæ uenæ incidendæ sint, explicare debuisset. sed ut ab uniuersa dissecandi ratione particulam quandam reuulsam conscripsit, ita etiam uenarum sectionem pertractauit. F

*Danda autem opera est, ut sectiones quam longissime ab illis locis fiant, ubi dolor excitari, sanguisque colligi consueuit. sic enim nulla magna permutatio repente fiet, & consuetudo remouebitur, ne amplius in eundem locum confluat.* 9

Sectiones autem hoc loco dici uenarum, quas iuncto nomine phlebotomias appellamus, recte quidem expositores, qui omnes in hoc consentiunt, intellexerunt. quod uero non definierit, utrum dolentibus iam partibus procul reuellendos esse humores censeat, an cum integra ualetudine perfruuntur, ideo posset reprehendi. ac mihi sane uidetur, id de bene ualentibus enunciasse: cum huius sententiæ auctor assuefacere humores redundantes uelit, ut in alias partes comportentur.

*Qui sine febre multum puris expuunt, aut sine dolore in urinis subsidentia admodum purulenta sunt, aut cruenta deiectiones sunt, ut in dysenteria, & diuturna, quæ iuuenes quinque & triginta annos natos, & etiam seniores exercent, his omnibus sua sponte morbis corripiuntur. quocirca eos ærumnis, corporisque laboribus deditos esse, & actiones obire in adolescentia oportet: deinde uero laboribus remissis, refici molli carne, quaque a priore multum differat: corpusque refectum multum ab antecedente diffideat: ut inter ipsa nihil conueniat. itaque cum morbus aliquis homines ita affectos corripiat, euadunt quidem eo tempore, sed postea morbo transacto, corpus progressu temporis colliquescit: & G per uenas, quæ maxime patent, saniei speciem referentia effluunt. quod si in aluum inferiorem impetum faciant, tales ferme deiectiones erunt, quale erat id, quod inerat in corpore: quippe quod, utpote uia decliui, diutius in intestino non permeat. quibus uero in pectus influat, purulenti fiunt. est enim accliuis expurgatio, & diutius contenta in pectore putrescit, & in pus abit. quibus autem in uesicam reijcitur, ob huius loci calorem albescit, & excernitur: & quicquid rarissimum, est, desuper fluitat: quod uero crassissimum, subsidet: quod sane pus nominatur.* 10

Omnia, quæ hac oratione traduntur, perspicua sunt, & potius hominem, qui mentem adhibeat, quam expositorem, qui declaret, requirunt. utrum autem uera sint omnia, partim experientia, partim ratione perpendenda sunt: atque experientia quidem, num sine febre quosdam uiderimus, qui aut pus expuerint, aut urinis aliquid excreuerint: præterea, an superiorem uitam cum labore duxerint, nunc uero multo tempore conquieuerint: & an cum ægrotassent, euaserint, & subinde purulentæ excretiones eis superuenerint. hæc inquam, experientia iudicanda sunt. ratione uero, ut uideamus, utrum causa, quam hic attulit, uera ne sit, an secus. atque ea quidem, quę hic dixit, non habere in se necessitatem, ijs, qui in methodis sunt demonstratiuis exercitati, perspicuum est: utrum uero sint probabilia, secum quisque consideret. uidetur enim probabile in ijs esse, quæ cum aliquo conferuntur. De ijs uero, quæ longo usu obseruaui, hoc tantum habeo tibi dicere, me non paucas cruentas per aluū excretiones conspexisse H factas ijs, qui consuetas, & uehementes exercitationes dimiserant: purulentam uero me uidisse nullam. uidi præterea persæpe ex circuitibus quibusdam tum ordinatis, tum inordinatis & per urinam & per secessum mucosa excerni, sicut etiam sputa, quæ matura illa quidem, sed non tamen purulenta essent.

*Calculi etiam in pueris ob calorem tum loci illius, tum uniuersi corporis gignuntur. [in uiris uero, ob corporis frigiditatem lapilli non nascuntur.]* 11

Loci hoc est uesicæ, de qua in fine superioris orationis sic scripsit, quibus autem in uesicam reijcit, ob huius loci calorem albescit: ait igitur, in pueris lapides gigni ob calorem tum uesicæ, tum uniuersi corporis. tum de calore puerorum hæc subiungit.

*Nam hoc scire expedit, hominem prima die calidissimum sui ipsius esse, extrema uero frigidissimum.* 12

Qui hominem primo die calidissimum esse absolute dicunt, eorum non uera est oratio. distinctione uero addita, uera erit: si calidissimus innato calore dicatur: cuius est in pueris copia maxima. & tamen, qui orationem hanc scripsit, id ipsum, quod erat in hoc sermone præcipuum, non aduertit: ut sequens oratio declarauit. neque enim deprehendes, eum ita censuisse, ut fecit Hippocrates, eos qui augentur, plurimum natiui caloris habere, sed sine natiuo calore absolute calidos esse, qui augentur, putauisse.

Necesse

13 A *Necesse enim est, ut augescens ad uimque progrediens corpus, calidum sit.*

Cum dixerit Hippocrates, eos, qui augentur, plurimum habere natiui caloris, hic tamē uidetur absolute intellexisse, corpus augescentium esse calidum, cum in oratione non fecerit natiui mentionem: ait enim ipsum ad uim progrediens, calidum fieri. progredi autem ad uim, uult tale quid significare: uidetur ei, incrementum esse opus quoddam uiolentum, & ualidum & quemadmodum cetera opera ualida eos calfaciunt, a quibus exercentur, sic etiam incrementum facit. at debuerat contra dicere, pueros ob natiuum calorem augeri, non autem propter incrementum, calidos effici. calor enim natiuus nō modo temperatus calor est, sed etiam humidus. quam ob rem huiusmodi corpora merito augentur. quippe quæ in tria interualla diducta, ac pene inflata, in omnibus incrementum sumunt. natura autem quoquo uersus ea protendit, & hoc ad agendum, calore innato, pro instrumento, utitur. prompte enim extenduntur, propter humiditatem. ceterum cum pueri plerique sint maxime uoraces, fit, ut eum humorem, quem crudum proprie uocant, accumulent: ex quo lapides facile gignuntur. qui sane humor materiæ, ex qua lapis efficitur, rationem subit, calor uero, ut causa efficiens, accedit.

14 *Cum autem marcescere corpus cœperit, & ad desidiam prolabi, frigidius redditur.*

Hoc quoque loco, cum corpus non augetur in ijs, quorum ætas declinat, ait ipsum ab otio fieri frigidius. B sed præstitisset, contrario modo causam afferre: nam quia natiuus calor est diminutus, ideo incrementum cessauit. sed scriptor hic planius sententiam suam consequenti oratione declarauit.

15 *Atque hac ratione homo, prima die, quo maius suscipiat incrementum, eo fit calidior. quo etiam postrema die plus marcescit, eo frigidior fit necesse est.*

Nos igitur superiorem orationem, in qua dictum est, Necesse est enim, ut augescens, & ad uim progrediens corpus, calidum sit, recte sumus interpretati: erat enim contra potius dicendum, quæ augentur, ea propter calorem innatum augeri. & non propter incrementum effici calida. eadem ratio est eorum, quæ declinant. existimat enim, cum non amplius crescunt, frigida propter otium fieri quod incrementum prius ageret, nunc uero quiescat.

16 *Qui ita affecti sunt, plerique sponte sua, quo tempore cœperint liquari, quinto & quadragesimo die sanescunt. si id tempus excesserint, anno sua sponte sani fiunt: nisi homo alia re lædatur.*

Quosnam uocat ita affectos? nimirum quos prius dixerat dimissis exercitationibus, præ otio pus expuere, idque per urinas excernere, & dysenterijs corripi. dixi equidem, me complures uidisse, qui propterea quod uitam laboriosam, negotijs que occupatam reliquissent, & otio se dedissent, dysenterijs cruentis correpti essent; qui tamen pus aut expuisset, aut minxisset, me uidisse neminem. C at hic, opinor, humorem, quem crudum uocant, ubi concoctus sit, pus esse existimat. at quid mirum est, cum etiam Erasistratus subsidentia in urinis febricitantium, non esse hunc humorem, sed pus arbitretur: nec noscat etiam in sanis, qui uoraces sint, multum huiusmodi humoris subsidere. nos uero quamplurimos uidimus, qui cum aliquandiu uitam in otio duxissent, per urinas magnā copiam rei, quæ muco, ut uocant, persimilis esset, excreuerunt. & in quibusdam eorum, cum hæc tarde exirent, quæ excernebantur, puri similia uidebantur: quemadmodum quæ in respirationis instrumentis diu † contenta concoquuntur. cuius etiā rei causam ipse aute in dysenteria reddidit: cū uiam decliuem in causa celeris transitus excrementorum, accliuem uero tardi in ijs, quæ sputo reijciuntur, loci uero calorem in urinis esse dixit. si quis uero sit, qui crudum humorem a pure in urinis, aut sputis, aut alui excremētis differre, non concedat, ne is in alterutro horum offendit, ut uel sciens dolose agat, quo decretum suum tueatur, ut Erasistratus fecit, qui febres omnes ab inflammatione oriri uoluit; uel Sophista sit, qui in arte exercenda nunquam sit uersatus. hos recte ucteres λογιατροὺς, hoc est uerbo solum Medicos, appellabant. nam pus a crudo humore differt colore, consistentia odoreque. sed & per nares, & per os certis quibusdam, aut incertis circuitibus fit crudorum humorum excretio, quæ cerebrū expurgat. cuius tamen hic auctor hoc loco non meminit. merito autē dixit huiusmodi homines sponte sua sanescere, hoc est nobis nihil agentibus: si quidem natura eos satis expurgat. purgationis autē D terminos eis duos præscripsit: alterum eo ipso anni tempore, in quo prædicta excretio initium sumpsit, alterum uero, qui in annum protenditur: ut tamen qui breuior est, ad diem quintum, & quadragesimum protrahatur. sunt tamen, qui non quadraginta quinque scribant, sed solum quadraginta. equidem cum multos hoc modo a natura expurgatos obseruarim, non solum eos duos euacuationis terminos, quos hic auctor statuit, animaduerti, sed alios etiam complures: alius enim alio præfinito tempore perfecte purgatus est, alij quidem quadraginta dierum spatio, alij ad menses usque & eos nō numero pares, processerūt. alij quoq; fuere, qui ne per annū quidē ab eo casu liberari potuerunt.

† Græci ἀο. habent κατε-χωρισμένα. i. collocata. sed puto legen. esse κατεχόμενα. i. contenta.

17 *Morbos, qui breui spatio oriuntur, & quorū occasiones cognitu faciles sunt, licet tutissimos pronūciare. adhibēda aūt eis curatio est, ut quæ occasioni morbi contraria sunt, instituas: ita enim, quod in corpore morbum parit, depelletur.*

« Huic sententiæ repugnare uidetur id, quod in aphorismis scriptū est ad hūc modū, Acutorū morborū « nō prorsus securæ pronūtiationes sunt neq; salutis, neq; mortis. Sabinus autē id conatus explicare, nugatus est ꝑmultū ille quidē, sed tñ nihil dixit cōsentaneū. ut etiā fecerūt alij pleriq; interpretes, qui librum explicarūt, mihi aūt uidetur, nō intelligere, quid significet, breui spatio: siquidē existimāt, de breuibus, acutisq; morbis hic uerba fieri, & tñ nō de eiusmodi loqui uidet, sed de illis, qui recente originē a manifestis causis habuere, quæ origo breui tpe, nō aūt multo ante erat parata. in talibus aūt facile est prædicere,

prædicere,quid ſit euenturũ:qppe cũ & qualis,& quãta cauſa ſit,iam cognoſcaſ.at in iјs, qui ex longo E ſpario tẽporis paulatim fiũt,neq; ullã manifeſtã originis cauſam habuere,nõ ita tuto præſagiri poteſt. recentes autẽ morborũ cauſæ ſunt,æſtus,refrigerationes,uigiliæ,mœrores,curæ,cruditates,dura cubilia,laſſitudines,ebrietates,ac cetera generis eiuſdẽ.quã obrẽ dixit etiã horũ curationẽ adhibendã eſſe admouendis iјs,quæ cauſæ morbi aduerſantur.ut ſi ex æſtu morbus ortus ſit, refrigerantibus utamur: ſi ex frigore,calfaciẽtia adhibeas:ſi ex labore,quietem imperes. ſi in otio præter conſuetudinem quis fuerit,plus etiam exerceatur: ſi expletus ſit, inaniatur: ſi inanitus, expleatur: ut etiam ante docuit,cũ diceret,Morbos,quos repletio gignit,euacuatione:quos euacuatio,repletione curari.

*Quibus in urina ſubſident arenoſa,uel toſi,iјs in principio tubercula in craſſa uena orti ſunt: & ad ſuppurationem peruenerunt.poſtea uero, tuberculis non celeriter ruptis, pus in toſos conuerſum eſt, qui cum urina per uenam in ueſicam extruduntur.* 18

Huiuſmodi urinæ fieri etiam poſſunt ab ea cauſa,quam ipſe attulit. conſtare etiam poſſent affecto ſimiliter citra magnam uenam, rene: ut plurimum autem prædictæ excretiones per urinas ſine puſtulis fieri ſolent, cum craſſus, & admodum glutinoſus humor tarde egrediens a loci calore exiccatus concreuerit.

*Quibuſcunque autem οὐρήματα, ideſt lotia ſolum cruenta ſiunt,iјs uenæ laborarunt.* F 19

Qua de re dixerit,laborarunt,obſcurum eſt.poteſt enim ſignificare,eas eſſe fatigatas, ut exolutæ factæ ſint,& ſanguinem ſemicoctum gignant,iſque facile propter imbecillitatem effluat: uel tanquam alienus, excernatur. poteſt præterea uerbum laborarunt, communiter ſignificare, uenas affectas eſſe, cum renes ipſi nihil ſint paſſi, ſed in ſolis uenis ſit affectio. qualis tamen ea ſit,hæc non declarat oratio.ceterum perſpicum eſt, neque Hippocratem, neque Polybum uerbum οὐρήματα dixiſſe: præſertim cum dicere poſſent, Quibus cruenta οὖρα, hoc eſt urinæ ſunt: cumque ſæpenumero Hippocrates οὖρα, hoc eſt urinas, nunquam autem οὐρήματα ſcripſerit. quin etiam alia pleraque eorum quæ adſcripta ſunt ea neque Hippocratis,neque Polybi eſſe,plane indicant.

*Quibus autem cum lotio craſſo carnunculæ capillorum ſpeciem referentes egrediuntur, a renibus eas prodire, ſciendum eſt: [atque ab arthriticis.]* 20

Hoc loco illum eſt aphoriſmum interpretatus,quo dicitur, Quibus cum urina craſſa, paruæ caruneulæ,aut capillis ſimiles egrediuntur,his a renibus efficitur excretio.

*Quibus autem pur a urina eſt, & ueluti furfures huc, & illuc in ea innatant, ſcire conuenit, ueſicæ ſcabiem ſubeſſe.* 21

Aphoriſmum hoc quoque loco expoſuit eum,cuius ſententia eſt, Quibus in urina craſſa aliquid furfuris ſpeciem referens excernitur,eorum ueſicam ſcabies obſidet. G

22

*Febres plurimæ ex bile oriuntur. earum autem, præter illas,quæ a doloribus occultis excitantur, ſunt quatuor genera.earum nomina ſunt hæc,continens, quotidiana, tertiana, & quartana. quæ autem continens appellatur, a plurima, ſinceriſſimaque bili fit, ac indicationes breuiſsimo tẽpore facit.cum enim corpus nunquam refrigeretur, cito liqueſit: utpote quod multo calore ferueat. quotidiana poſt continentem, a plurima bile oritur, & celerrime omnium amouetur. eſt tamen longior continenti, tum quia a pauciore bile fit,tum quia corpus interim quieſcit, quod nullo tempore incontinenti facit, tertiana eſt, quam quotidiana, longior: & a minore bilis copia gignitur. quo enim diutius corpus in tertiana, quam in quotidiana quieſcit, eo febris hæc eſt, quam quotidiana, diuturnior. quartanarum uero in ceteris eſt eadem ratio, ſed ſunt tertianis prolixiores: nam quo minus bilis, quæ calorem impertitur, habent, eo magis faciunt, ut corpus refrigetur. hic autem exceſſus, & eius depellendæ difficultas ab atra bile prouenit. eſt enim atra bilis omnium, quæ in corpore inſunt, lentiſsima: ac diutiſsime immoratur. melancholici autem humoris participes eſſe quartanas, uel ex hoc cognoſces,quod homines autumno in quartanam potiſsimum cadunt: & a quinto & uigeſimo ætatis anno ad quintum & quadrageſimum: quæ ætas maxime omnium aliarum ab atra bili detinetur. & item autumnus præ ceteris omnibus anni temporibus. Quos autem extra id anni tempus, eamque ætatem quartana febris inuaſerit, ſcire conuenit, niſi quid aliud homini obſtet,eam diuturnam non fore.* H

Interpretes pleri que,inter quos Sabinus etiam eſt,non ſecus mihi eſſe affecti uidentur, quàm qui aquam inter cutem patiebatur,ac præſtantem medicum accerſens,eius reduuiam ab illo curari poſtulabat.hic enim uel non uidebat, quomodo totus male affectus eſſet, uel ſibi non eſſe curatione opus exiſtimabat:ſic eſt de explanatoribus iudicandum: ut eos uel animi oculis nihil intueri dicamus, uel putare,paruos quidem errores eſſe curandos, magnos uero nullum auxilium poſtulare: ſiquidem tanquam ex alto excitati ſomno, ſenſerunt tandem,pugnare cum Hippocratis ſententia, quæ hoc loco de quotidiana febre dicuntur,cum uelit hic auctor, eam eſſe tertiana breuiorem: præſertim cum Hippocrates & in primo de morbis uulgaribus,& in aphoriſmis celerrime iudicari tertianam, clare enunciarit.quam ob rem hunc librum eſſe Hippocratis negant:& quod perſpicue falſum ſit, quod hic dicitur:& quod pugnet cum iјs,quæ Hippocrates alibi conſcripſit. ſed ſi in hoc ſolo eſſe mentitum, & Hippocratis aduerſari ſententiæ eum, qui hæc interiecit, cognouerunt, certe ſimiles ſunt ei, qui reduuiam uidit ille quidem, ſed tamen, ut totum corpus eſſet peſſime affectum, minime animaduertit: etenim qui quotidianam non eſſe tertiana prolixiorem nouit, is ſe in medicinæ operibus nõ eſſe exercitatum,plane indicat.nec tamen is ex impudenti ſtupiditate quadam hoc mendacium confinxit, ſed ratione uериſimili ductus: præcipue cum ex ueteribus in quibus etiam Plato eſt, quidam febres con-

tinuas

A tinuas ex ignis redundantia, quotidianas autem ex aeris, tertianas ex aquæ, quartanas ex terræ exceſſu oriri cenſuerint. hæc autem ferme Platonis ſunt uerba, Corpus autem inquit, quod ex ignis redundantia maxime laborauit, continuos feruores, & febres producit: quod ex aeris exceſſu, quotidianas: at ex aquæ, tertianas: quod ea ſit aere, igneque tardior: quartum autem, cum ex terra conſtet, ignauiſſimum eſt omnium, & quadruplicibus temporis circuitibus purgatum, quartanam efficiens, ægre remouetur. Cum igitur Plato elementum ignauiſſimum, quod & firmiſſimum eſt, & difficillime mouetur, quadruplicibus temporis circuitibus purgari dicat, ueriſimile quoque eſſe exiſtimarunt, alia inter ſe ad eandem proportionem, qua procreata ſunt, differre: ut quod deinceps terreum elementũ conſequitur, hoc eſt aqua, circuitum quaterno proximum gignat: quod uero aquam conſequitur, hoc eſt aer, quotidianum faciat: quod denique citiſſime omnium mouetur, quod ignẽ eſſe nemo ignorat, febrem continuam pariat. eſt tamen quam hæc, probabilior ea ratio, quæ cauſam ortus ipſarum elemento ſuapte natura calido, hoc eſt igni, tribuit: quando conſentaneum non eſt, ut calidiſſima affectio a frigido elemento, quod in corpore redũdet, exoriatur. par uero eſt, ut ex elementi calidi redundantia calida excitetur affectio. Febres autem inter ſe diſcrepant, ſuis differentijs, quas in quantitatem cauſæ referre conuenit. quod ſi conceſſerimus, certe febris, quæ & continentiſſima, &
B calidiſſima eſt, a plurimo igni fiet: quæ deinceps ſequitur, ſecundum locum, tertiana tertium, & quartana quartum in quantitate obtinebit. earumque ſolutiones erunt ex cauſis conſequentes: ac calidiſſimæ quidem febris, citiſſimæ: poſt eas uero, quod ad tempus attinet, quotidianæ ſecundum, tertianæ tertium, quartanæ quartum ordinem habebunt. quam ob rem, ſi probabilitates ſpectes, hæc recte dicta uidebuntur: ſed hanc rationem ipſe rerum euentus redarguit. at in ſuperiore uenarum diſſectione cum eius auctor nihil haberet quod uerisimile afferret, non in uno, aut duobus, aut tribus mendax eſſe deprehenſus eſt, ſed in quamplurimis, atque adeo, ut ne caſu quidem uel unum quidpiam uere illic dictum comperiatur, quocirca mirari licet, cum auctori, qui hæc omnia poſt librum de natura humana ad hunc uſque locum conſcripſit, nihil uitio uerterint, nunc & accuſent, & ob hanc ipſam cauſam, hunc librum non eſſe Hippocratis exiſtiment. Sabinum uero, & alios permultos interpretes quiſpiam admirabitur, qui cum omnia, quæ hactenus dicta ſunt, laudibus ſemper extulerint, ac plerunque dixerint, hoc admirabiliter ab ipſo uiro, hoc feliciter, hoc diuinitus dictum eſt: nunc repente illorum omnium obliti, unaque ſola repugnantia moti, non amplius eſſe Hippocratis librum cenſeant: ſed ad Polybum auctorem referant: perinde ac ſi ipſi aphoriſmos, primumque de uulgaribus morbis librum perlegerint, Polybus uero non uiderit: qui tamen, cum eſſet Hippocratis auditor, non potuit non perſæpe
C Hippocratem de febrium differentia diſſerentem audire: eiuſque libros non raro lectitaſſe, & in ægrotantibus quoque tertianam celeriter, quotidianam tarde iudicari, obſeruaiſſe. neque enim Polybus, unus ex ijs eſt, qui Alexandriæ diuinabant: qui cum ne unum quidem unquam ægrotum uidiſſent, in ſcholis uerſabantur: nec quicquam boni, ac ne id quidem, quod uel non exercitati in arte homines in ægrotantibus aperte conſpiciunt, aſſerebant. quibus quidem fit rebus, ut qui hæc ſcripſit uel ſophiſta fuerit, uel ueterator, quemadmodum profecto uidetur: quippe qui, ut notam ſeni inureret, hæc libro adſcripſerit. cum porrò, qui hæc adiecit, recentiorem eſſe, argumento eſt nomen σύνοχος, hoc eſt continens. nullibi enim apud Hippocratem, aut aliquem ex ueteribus continuam febrim dici continentẽ inuenies: ut neque urinas οὐρήματα nominari: ſed hæc uerba recentiorum medicorum ſunt, antiqua nomina ignorantium. quare hæc, quæ ſuppoſita ſunt, miſſa faciamus, & ad librum de ſalubri diæta, quem eſſe Polybi dicunt, tranſeamus.

# GALENI IN LIB. HIPPOCRATIS DE SALUBRI DIAETA, COMMENTARIUS,

*Io. Bap. Rasario interprete.*

## CENSVRA.

Cuius hic liber existimetur, Gal. in fine commentarij in secundum de natura humana, & hoc ipso in loco, & primo de rat. uict. in acutis com. xviij. declarat.

## ARGVMENTVM.

*Rationem victus priuatorum instituit, habita instituti, temporis, habitus, aetatis, affectionum, sexus, consuetudinisque ratione.* F

HIc vnus est liber, qui, ut etiam prima huius propositi operis pars, in qua de natura hominis disseritur, peculiare quidpiam pollicetur: quod enim in illo pollicitus erat, præstitit, & nulla ex parte inchoatum reliquit: quæ autem hic sibi proposuit, ea toto libro persequitur. quam ob rem totus liber, exceptis ijs, quæ inter hos ipsos duos libros sunt interiecta, propriam inscriptionem, sibique accommodatam habuit: quam nonnulli, de natura humana, & diæta ei imposuerunt. atque ut liber, qui de humana natura est, uitio prorsus caret, quæ autem inter hæc duo uolumina coniecta sunt, omni ex parte reprehendenda, ita liber de salubri diæta, qui semper Hippocratis institutis inhæret, est uitij fere expers: in eo tamen loca, sed admodum pauca, sunt, quæ reprehensione non uacant. sed, quod etiam multis probatur, eum esse Polybi statuamus.

*Idiotis hæc victus ratio instituenda est.* 1

Quosnam idiotas appellet, interpretes, in quorum explicationes incidi, prætermiserunt: neque ego a meis præceptoribus librum prælegentibus, unquam poposci. nunc uero cum in eum conscribere commentarium instituerim, id cum a meis præceptoribus, tum ab interpretibus male esse omissum sensi: perspicuum enim est, quam uiuendi rationem docet, Polybum non omnibus hominibus, sed solis idiotis tradidisse. si uero hoc libro solos idiotas instituit, certe qui librum interpretati sunt, parum recte fecerunt, cum hoc indistincte acceperint, quasi ad omnes homines generatim hæc præcepta pertineant: nos enim inuenimus idiotas non simpliciter, sed si cum altero conferantur, a græcis dici, quemadmodum hunc esse illius artis, & illum illius artificij idiotam hoc est ignarũ, dicunt. quandoque uero eos opponunt ijs, qui populum, aut remp. gubernãt, aut omnino aliquod publicum munus gerunt: atq; ita, qui priuatam uitam ducunt, eos idiotas nominant. equidem cum mecum animo uoluo, utros horum idiotas hoc loco Polybus appellet, athletas a ceteris hominibus distingui plane puto: si quidem unam illi diætam in pane, carnisque usu positam habent: post hos uero, qui militant, aut peregrinantur, aut etiam pugnant: ijs enim haberi delectus non potest, quibus cibis uescantur, quibus non item: cum ijs uti quisque cogatur, quorum ei suppetit copia. ac forte fit, ut qui magnis itineribus aliquo contendunt, uictus rationem, quàm Polybus tradit, seruare non possint: & omnino, qui sunt publicis negotijs occupati, aut uitam ducunt, quam afflictam uocant. quocirca uictus ratio, quam tradit, ad eos solum, qui sua negotia curant, quos ἰδιοπραγοῦντας appellant, pertinebit. H

*Hieme quàmplurimum comedendum, quàm parcissime bibendum. potus esse debet uinum quàm meracissimum. cibus, panis: obsonia, assa omnia. oleribus quàm paucissimis hoc tempore utendum: hac enim potissimum ratione & calidum, & siccum corpus fuerit.* 2

Cum totius diætæ caput exposuerit, recte in extrema oratione adscripsit, quare singula, quæ commemorauit, dixerit: nam cum intemperata sit temporis temperatura, calfieri, siccarique corpus censet: quæ quidem si esset moderata, ut uerno tempore est, moderatam quoque diætam imperasset: quæ enim moderata sunt, seruari: quæ immoderata, commutari conuenit. mutatio autem non aliter, quàm ex contrarijs immoderatis fiat. etenim corpus quod immoderatius aut calfactum iam est, aut calfit, refrigerari postulat: quod refrigeratum est, aut refrigeratur, calefieri. eadem est in humidis, siccisque immoderatis habenda ratio: ut contraria immoderatione adhibita redundantiam, morbi effectricem, corrigamus: que sane immoderatio tantum a medio, moderatoque absit, quantum ab illo morbi effectrix recessit. quam ob rem hieme, cuius frigida est, humidaque temperies, & quàmplurimum edere, & quàm parcissime bibere conducit. ac plurimum quidem intelligendum est, non ut ad uires sed ad alia anni tempora referatur. simili quoque modo, quàm parcissime bibere iubet, facta cum ceteris temporibus comparatione. ad eundem modum

A modum dictum eſt, uinum quàm meraciſſimum eſſe debere, ut ad eius in alijs temporibus temperaturam referas. & tamen ad uirium modum, & ad præſentem utilitatem aduertens animum, ſemper & uini, & cibi moderatam copiam offeres, ut etiam ſomni, exercitationum, &, uno uerbo, omnium eorum, quæ medici uitæ ſtudia nominant. uinum autem meracius, & aſſas carnes, facta cum maza & oleribus comparatione, calfacere, & exiccare, nemo ignorat. panis quoque mazæ comparatus calfacere, ſiccareque dicetur. ſed hæc exempli gratia ab hoc uiro dicta eſſe, exiſtimandum eſt. tu tamen legumina etiã calfacientia, ſiccantiaque, ut lenticulum, deliges: immo uero etiam ex oleribus, quæcunque eam facultatem habent, ut braſſicam accipies. ſimili quoq; modo carnes, quæ agreſtium animantium, quæq; ſale conditæ ſunt, adhibebis. ſed & mihi hæc exempli cauſa dicta ſunt omnia. nã tota ſingulorum alimentorum ſylua expoſita eſt, nobis tribus commentarijs, qui de alimentorum facultatibus inſcripti ſunt. ut aũt hæc de alimentorum deligendorum, uitandorumq; qualitate recte dicta ſunt, ita etiam de eorundem quantitate recte locutus eſt, ut hyeme plurimum edere concedamus, cum ceteris temporibus illud comparantes: præſertim cum id didicerimus, quod in aphoriſmis recte ſcriptum eſt. Aeſtate & autumno cibos difficillime ferunt, hieme facillime, uer ſecundum ordinem obtinet. quarum rerum cauſas, ſi quis ſcire aueat, eas in aphoriſmis ipſe docuit, uentres inquit, hieme & uere ſunt natura cali-
B diſſimi: propterea quod aer eo tempore frigidus eſt, & conſtringens intus coercet: & natiuum calorem in imo corpore concludit: in æſtate uero perſpiratione digeritur, & reſpiratione calidus aer attrahitur. uoco autem reſpirationem, cum ſpiritus extra, foraſque per os fertur: perſpirationem uero cum per totum corpus pariter efficitur.

3 *Ineunte autem uere potandum eſt largius, & dilutius, ac paulatim: cibiſque utendum mollioribus, ac paucioribus: ac panis ſubtrahendus, mazaque offerenda. obſonia quoque eadem ratione auferenda, & ex aſsis in elixa facienda eſt mutatio. ac uere quidem oleribus erit utendum paucis, donec ad æſtatem homo peruenerit: tum uero cibis omnibus ueſcendum mollibus, obſonijs elixis, oleribus crudis, elixiſque, poculis quàm dilutiſsimis, plurimiſque utendum, &, ut ne magna ſit mutatio, paulatim, & non repente hæc facienda ſunt.*

Potum uerno tempore largiorem, dilutioremque, non largiſſimum, dilutiſſimumque eſſe offerendũ dixit: ſed plurimũ, dilutiſſimũq; æſtate ſumendum cenſet, utpote quæ temperaturam hiemi contrariã habeat. at uer, ut mediam inter extrema temperaturam nactum eſt, ita & mediam uictus rationem expoſcit: frigidiorem illam quidem, & humidiorem, ut ad hiemem: calidiorem uero & ſicciorem, ut ad æſtatem pertinet. itaque ex his iam planum eſt, quomodo intelligenda ſit diæta, quam æſtate, & autum-
C no hominibus iniungit: quam nunc præterire conuenit: cum ſæpe lectitantibus, ſeduloque mentem adhibentibus omnia clara ſint ita ut quæ hactenus dicta ſunt, nullã deſiderare explicationem uideant.

4 *Aeſtate maza molli nutriendum, potuque diluto, ac multo, obſonijſque omnibus elixis utendum eſt. quibus ita uti oportet, cum æſtas ſit, ut corpus, frigidum, molleque ſit: ſiquidem illud tempus & calidum, & ſiccum eſt, corporaque æſtuantia, ſqualidaque reddit. quocirca hiſce eſt rationibus obuiandum. quemadmodum autem ex hieme in uer, ita ex uere in æſtatem deuenientibus ſubtrahendi cibi ſunt, & potus augendi. atque ita annum cõplendo, ex æſtate in hiemem procedendum. in autumno autem contra, ut cibi augendi, ſiccioreſque offerendi, & obſonia ſimili modo præbenda, ita pocula pauciora, ac meraciora eſſe debent: ut, cum hiems commoda ſit, homo potu meraciore, & pauciore, & cibo quàmplurimo, ſicciſsimoq; perpetuo utetur. ita enim maxime bene ualebit, & minimum rigebit: ſiquidem hoc tempus ualde eſt & frigidum, & humidum.*

Quæ modo tractantur, ita diſtincta ſunt, ut ne interpretem quidem deſiderent: quippe cum ea Polybus clara omnibus fecerit, nec ullam obſcuram methodum adhibere ſtuduerit, ſed, ut ſcripta hæc ſunt, ipſa per ſe perſpicua ſint.

5 *Habitibus carnoſis, perque mollibus, ac rubicundis, toto fere anni tempore uti uictu ſicciore cõuenit: illorum enim humida natura eſt.*

D Quemadmodum temporum differentiæ uariam adhibendam eſſe uictus rationem indicant, ita etiã corporis habitus, ad quos nunc, perfecto de anni temporibus ſermone, pertranſit. &, ut diætam temporibus aptam expoſuit, ſic in formis corporum facit. nam qui ſunt multa carne conueſtiti, molleſque, ac rubicundi, tales ex temperaturæ humiditate ſunt facti: qui contra affecti ſunt, de quibus deinceps loquetur, ob ſiccitatem fiunt, atque humidis quidem ſiccior, ſiccis uero humidior uictus conuenit. quæ ſi recte dicta ſunt, planum eſt, temperatis diætam temperatam eſſe accommodatam. temperatos autem uoco, quos nec carnoſos, neque carnis expertes, ſed quadratos nominant.

6 *Duri, graciles, ruſi, & nigri cum eorum corpora ſint, uictu humidiore uti plerunque debent.*

Notas temperamentorum in libris de temperamentis perfecte ſcripſimus, in quibus & duros, quos σκληροὺς, & graciles quos προσεσταλμένους uocat, ſicut etiam nigros ſicciore temperamento eſſe docuimus: ruſos uero non eſſe temperamenti ſicci diximus: ſed eos, qui proxime ad horum colorem accedunt, quos flauos appellant: ſiquidem flaua quoque bilis ſiccæ temperaturæ eſt: quidam tamen ſcriptores cũ non exquiſitam in uſu nominum diligentiam adhibeant, rerum doctrinam confundunt. proinde nonnulli Germanos flauos uocant, qui tamen ſi accurate loqui uelis, non flaui, ſed ruſi ſunt. cetera quæ hac ratione continentur, & uere, & aperte ſunt dicta.

7 *Iunioribus autem corporibus mollior, humidiorque uictus conuenit: ſiquidem hæc ætas ſicca eſt, & corpora adhuc con-*

creta

*creta sunt: senes uero maiore temporis parte uictu sicciore uti oportet: propterea quod corpora in ea aetate & humida, & mollia, & frigida sunt.* E

Cum ad aetates transierit, distinctionem imperfectam fecit; cum eas non in quatuor, sed in duas tantum differentias diuiserat: nã si ex aetatum tẽperaturis indicari uolebat, quae uictus ratione esset utendum, par erat, ut, quemadmodum quatuor sunt temperaturae, ita etiam aetates in quatuor partes distribueret: atque humidam & calidam, pueris tribueret: siccam, & calidã adultorum esse constitueret; siccam & frigidam declinantium, humidam uero ac frigidam senum. sed puerorum aetas esse humida debet, quod in nulla alia temperatura fieri incrementum queat. adultis uero, quod eorũ aetas plus, quàm par sit, calidior, ficciorque est, contrariae diaetae usus conuenit. declinantium est eadem ratio. de senili uero aetate non mediocris quaestio est, quam tamen omnes ferme neglexerunt: de qua paulo post, cum satis de hisce aetatibus ero locutus differam. nam si constat inter omnes, puerulos plus habere humiditatis, quàm conueniat ijs, qui sine noxa bene ualent, itemque caloris (neque enim absolute calidi sunt, ut adulti, sed calore natiuo, qui & temperatus est, & in probo sanguine consistit) aetas, quae inter pueros, adultosque interiecta est, quae epheborum, adolescentulorumque est, in optimo erit temperamento constituta. cumque optima sit media, etiam uictus medio esse temperamento debet, ut neque humidius eorum corpus, neque siccius, neque calidius, neque frigidius reddatur. puerorũ uero corpus quanquam plus humiditatis habet, quàm habitus salubris postulat, non tamen exiccandum est: alioqui nõ crescerent. de senibus uero, quoniam quidam eos esse humidos, quidam siccos, sed utrique sine ulla distinctione dixerunt, distinguendum nobis est, ut qua ex parte siccos, qua uero humidos esse affirmemus, quod in libro de temperamentis declarauimus, cum eos solidis corporis particulis siccos esse ostendimus: sed cum propter temperamenti frigiditatem multis redundent excrementis, ideo humidi dicunt. hac igit ratione, ab hac aetate contraria, eaque duplex indicatio medicis suppetit, & quod propter siccam solidarum partium temperiem humectandi sint: & quod propter humorum redundantiam exiccandi: quarum utranque quomodo consequi possis, in libris de sanitate tuenda abunde nobis est dictum. hoc autem loco satis erit, summam eorum, quae in illis dicta sunt libris, afferre. itaque & esculenta & poculenta, & cetera omnia eo tendant, ut humida, calidaque sint, quasi solidae corporis senum partes, quae solae partes propriae nominantur, humectari, calfierique postulent. pituitosorum quoque excrementorum est procuranda euacuatio. quocirca ex libro de temperamentis colligas, ac perdiscas propriam senum temperaturam frigidam, siccamque esse, eosque adscititia esse praeditos humiditate, quod pituitosa in eis excrementa gignantur: tum illinc digressus, ad libros de sanitate tuenda diuertas, & qua uictus ratione senes alendi sint, addiscas, perspicuum tibi erit id, quod non est in hac oratione distinctum. nam neque humana uita duas erat in partes distribuenda, neque senum corpora humida, molliaque dicenda: neque uictus temperatura siccus eis imperandus. cumque iuuenum corpora esse concreta, & eorum temperaturam siccam dixerit, certe patet, solum de adultis uerba fecisse, eosque iuuenes appellasse. ex quo fit, ut puerorum, declinantiumque aetatem praeterierit: atque, ut ego quidem sentio, temperatissimam, quae inter pueros & adultos interiecta est. sed uidemus ipsi quoq; suspectam suam orationem fuisse: cum non absolute dixerit, senes uictu sicciore alẽdos esse, sed maiore temporis parte, addiderit: id quod perinde accipiendum est, ac si dixerit, non semper: quod neque habitui corporis, neque alij praeterea aetati adiecit: cum proprius cuiusque corporis uictus deligendus semper sit. F G

8 *Quam ob rem pro aetate, anni tempore, & habitu uictus instituendus est, ut constitutionibus, aestui, hiemique repugnet: ita enim optima demum ualetudine perfruentur.*

Haec uniuerse ab auctore & clare, & uere dicta sunt, & iam saepe, & multis in locis a nobis declarata.

9 *Praeterea uero iter facere, hieme, celeriter debemus: aestate, lente: nisi sub sole iter sit faciendum.*

Docet, quomodo quocũque anni tẽpore iter facere oporteat: hieme deligendam esse siccantem, & calfacientem deambulationem: aestate contrariam spectandam monet, nisi inquit, sub Sole iter facias: tunc enim festinandum est, ut siccitatem, & caliditatem, quae ex huiusmodi itinere corpori infliguntur, quàmprimum fugiamus. H

10 *Carnosis conuenit celerius iter facere: gracilibus lentius. [multis lauacris aestate utendum est: hieme, paucioribus. ceterum gracilibus magis, quàm carne redundantibus lauari conuenit.]*

Celer motus, cum calorem plus augeat, corpus colliquat. in remissioribus uero motionibus calor moderatus & sanguinem, & nutritionem meliorem efficit: ideoque animantibus, ut bene nutriantur, adiumento est.

11 *Mundae autem uestes hieme induendae sunt, aestate uero, oleo imbutae.*

Quid scriptor sapientius, quàm quod omnes interpretes scriptum reliquerunt, intellexerit, ipse uiderit: nam si ideo mundas uestes, quia magis calfaciant, aut quod perspirationes non prohibeãt, hieme induendas censet: oleo uero imbutas aestate, uel quod refrigerent, uel quod halitus obstruant, orationẽ ego non probo. mundae enim uestes, quae denso sunt contextu, praesertim autem si lacernae sint, refrigerant: atque ita eis uti est melius: at oleo madentia cum sordida sunt omnino, tum uero nullius hominũ

elegantiorum

A elegantiorũ eſt,qui ſordidarũ ueſtiũ uſum ferat,præſertim aũt æſtate. præterea,quæ oleo infectæ ſunt, quamuis primo occurſu frigidiſſimæ ſint,temporis tamẽ progreſſu magis,quàm mundæ, calefaciunt.

12 *Craſsi,qui fieri tenues optant,omnes exercitationes ieiuni obeant : & cibum adhuc anhelantes , & non iam refrigerati, ſumant,& prius dilutum uinum , ac non admodum frigidum bibant.præterea obſonia ſeſamis,condimentisque,& aliis huius generis parent.obſonia autem,quæ offeruntur, ſunto pinguiora:ſic enim paucisſimis explebuntur.*

Quod in extrema oratione dictum eſt,ſic enim pauciſſimis explebuntur,quidã de ijs omnibus, quæ prædicta ſunt,dici uolunt:quidã de ſolis obſonijs,quæ ſeſamis ſimilibus,& alijs multis parari iubet.prędicta aũt ſunt hæc,ieiunos exerceri,id enim aperte uacuat,ſicut poſt cibum, implet.itemq; anhelantes adhuc propter exercitationem,cibum ſumere,cum nondum calor ab eis per halitum digeſtus ſit, nec corpus refrigeratum:quam ſane rem in cauſa eſſe,ut celeriter expleantur. plane apparet.ſi uero alia ratione quadã huius libri auctor attenuare uult, id certe me latet: illud quidẽ diligẽter noui, id cauſam multis attuliſſe,cur eorũ uiſcera obſtructa ſint,præſertim uero iecur,ut etiã uehementes a cibo exercitationes facere ſolent.præterea uero lauacra etiã ijs, quibus in iecore meatus alimenti ſunt anguſti, ob ſtructiones gignunt.quibus de rebus,unà cũ proprijs earũ diſtinctionibus dictum a nobis eſt in libris, qui ſunt de ualetudine tuẽda.reſtat aũt,ut orationẽ ipſam examinemus,ut cũ ait,& prius uinũ , non ad-
B modũ frigidũ bibant:ſic.n.eſt locutus,perinde ac uelit eos frigidum quidẽ, ſed nõ tamen ualde frigidũ bibere.ceterum ſubito poſt exercitationes bibendum uinum,nõ admodum cõmendat, ſed prius aquã, uelut athletæ longo uſu docti faciũt.quippe uinũ caput tentat, ſique ſtatim a balneo,ante oĩa alia eſculenta,poculentaq; potẽ.quinetiam ne frigidæ quidẽ potio poſt exercitationes,niſi calidã ptæbibas,noxa uacat:ſiquidẽ ipſa quoq; & uentrẽ & iecur,ac nõnullis etiã neruos perſpicue lædit. & tamen frigidũ uinum habitus corporis corroborat:ſed hic auctor eos exoluere nunc ſtudet. niſi forte aliter ſcriptum eſſet,& qui deſcripſit,errarit:quãdo alia quoq; hmõdi permulta hodie cõſpiciunẽ,& pro, non oĩno calidum,ſcripſerit,non ualde frigidum:qui enim adhuc anhelantibus dari alimentum iubeat , cum multis uaporibus oppletum corpus eſt,uelit aũt etiam uini calidi potione eos magis implere,idq; quod ualde calidum eſt,ſit aptum æque , ac frigidum,uentrem cogere ac roborare,certe id facere cauebit . .

13 *Cibum quoq; ſemel tantum ſumant,non lauentur,duris in ſtratis cubent,nudi, quo ad eius fieri maxime põt inambulent.*

Præſtabat eũ dicere,parũ cibi ſumant,quàm ſemel tantũ:ſunt enim, qui ſemel modo cibũ ſumentes plus ingerant,quàm qui bis edãt.ac quẽadmodum balneũ corpus calfaciendo, præſertim externã partem,& ad alimenti digeſtionẽ,& digeſtorũ appoſitionẽ cõfert , ſic,ſi non laues cõtraria conſequeris.durum quoq; cubile,corpus angit,cõprimit,& cõſtringit:itaq; eius in oẽm partẽ incrementũ prohibet.ea-
C dem etiã ratione nudũ ambulare oẽs partes,quæ ad cutim ſunt,refrigerat:calorẽ uero in imas partes,uiſceraq; cõpellit,ut probe quidem cibi concoquanẽ,ſed obſtat,quo minus oẽm in partẽ comportenẽ.

14 *Qui ex tenuibus reddi craſsiores uolunt, ij cũ omnia contra,atque illi, facere debent,tum ieiuni nullum laborẽ ſubeãt.*

Contraria ijs quæ de craſſis dixit,hæc ſunt,ut ne anhelantes cibum ſumant,ſed cum iam naturaliter reſpirent:neque ſemel modo,ſed iterum,aut etiam ter edant.ita etiam, qui contra facit, quàm is qui lauacro non utitur,bis lauabit.ita tamen,ut ſemper ſecundo balneo a cibo utatur , ac quandoq; etiã primo.ita exercitationes quoq; & breues,& lentas,& poſt cibũ obeãt.eadem ratione molliter cubare , & in aere nõ uerſari nudos ijs conuenit.quam ob rem exercitores ſolent exercitationes quaſdam, in quibus & complexibus,& toto corpore pugnatur(ipſi προσάπτεσθαι καὶ σωματομαχεῖν nominant) inſtituere ijs, in quibus parare carnem ſtudent,cauentes,ne nudo eos corpore,nec complexu exerceant : contra uero,quos extenuari uolunt,eos celeri exercitatione,& ſine primo complexu exercent.

15 *Vomitibus,uentriſq; ablutionibus uti hoc modo oportet.ſex hibernis menſibus uomendum eſt: ſiquidem hoc tempore magis,quàm æſtiuo,pituita redundat,& morbi caput tentant,& item regionem,quæ ſupra tranſuerſum ſeptum eſt . cum uero æſtus ſint,tum ablutionibus utendum: torridum enim tempus eſt,& corpus bilioſius , & grauitates in lumbis , & genibus ſunt,calorque urget,& in uentre tormina excitantur.itaque corpus refrigerare,&, quæ in ſublime tolluntur , ab his locis*
D *deorſum ſubducere oportet.*

Quas ablutiones uocet,ipſe deinceps oſtẽdit: quæ inquã ex lacte cõſtant:& aquã ex ciceribus elixã & itẽ muriã,& marinã aquã:ſiquidẽ horũ quædã ſunt purgãtia medicaméta, quæ totũ corpus euacuãt. quare,ut balneatores purgare balnea ſe dicũt,cũ cœnũ & ſordes ab illorum lapidibus abluũt, ita uentris,inteſtinorũq; ablutiones pituitã,& bilẽ ipſorũ abluũt.qm̃ igiẽ hieme pituita in uẽtre gigniẽ, nobis cõſulit,ut eã uomitibus euacuemus:& bilẽ æſtate ſupra innatantẽ deorſum reuellamus . & tñ,ſi uniuerſum purgare corpus uelis,æſtate per uentrẽ ſuperiorẽ,hieme per inferiorẽ purgabis , ut in aphoriſmis ſcriptum eſt:etenim quæ iam redundant,ea curat purgatio,quę per ea loca,quo uergunt , adhibeantur: ducenda enim illa ſunt,quo tendunt,per loca accõmodata:quæ aũt prohibere uelis , ne augeantur , ea per loca contraria retrahere conuenit.

16 *Craſsioribus autem,humidioribuſque,ſalſiores,tenuioreſque ablutiones adhibeantur: ſiccioribus uero gracilioribuſque, & imbecillioribus,pinguiores,ac craſsiores. pingues autem craſſæq; ſunt, quæ ex lacte conſtant , & aqua ex ciceribus elixa,& ex ceteris huius generis:tenues uero,& ſalſæ,muria, & maris aqua,& ſimilia.*

Monet,ut quæ maiorem incidendi uim habent,craſſioribus,quia pituitoſiores ſint ; leniora uero gracilibus , quia ſint bilioſiores, adhibeãtur. quæ autem ſint utrorumq; materiæ,ipſe ita declarauit, ut explicationem non deſiderent.quare his omiſſis,ad proxima mę conuertam.

*Vomitus hoc modo irritandi sunt: obesi homines ieiuni uomant, currendo, aut iter celeriter facientes meridie.* E 17

Crassis,qui uomituri sunt,uult corpus excalfieri,ut pituitosi humores,quibus obesi abundant,liquescant.quinetiam hac potissimum ratione & omnium uasorum ora aperiuntur, & angusti meatus rarefiunt : quæ quidem omnia faciunt,ut facile,& sine molestia uomitus cietur.

*Esto autẽ semihemina hyssopi in aqua congio cõtriti : atq; ebibat aceto affuso, saleq; asperso, ut sit iucundissimum.* 18

Hãc potionem incidentem esse, ipsum uelle,& qua de causa,planum est.quoniam enim crassi homines humores crassos,frigidosque prorsus habent,ac † nonnulli etiam eorum glutinosos, ideo potionẽ esse incidentem iubet.quantum autem potionis eius,quam docet,dandum sit,non habeo exquisite dicere, quod mensura,quam congij nomine appellant,eandem magnitudinem apud omnes non contineat.si atticũ congiũ potui dat,eum ego morem nõ magnopere cõmendo.& tñ erat in more positũ maiorũ,ut cũ lactis serũ,aut aliã eiusmodi adhibere ablutionẽ instituissent,magnã admodũ copiã offerrẽt.

† Quod in lib. græco legitur τινὰς, uidetur legen. τινὲς, ut nos sumus interpretati: ut ad hoies, non ad humores referatur.

*Bibat autem primum lentius, deinde uero celerius.*

19 Si principio uoraciter bibat,statim uomet prius,quàm totum ebiberit, ac succos uentre contentos absterget,quibus cum illi quoque,qui in primis sunt uenis,effunderentur.at si in principio lentius, postea uero largius omnino bibat,ea ratione poterit mediocri tempore cõtinere, &, quia posterius bibit celerius, in tempore ad uomitum impelletur. F

*Tenuiores, atque imbecilliores uomitum a cibo prouocent ad hunc modum. calida loti, præbibant meri heminam : mox omnis generis cibos ingerant: nec inter comedendum, nec a cibo bibant, sed contineant se usque dum † quatuor stadia quis peregerit: deinde illis uinum triplex, austerum, dulce, acidumque in potum miscebis, ac primum quidem meracius, & paulatim, & longo tempore: deinde uero dilutius, & citius, & affatim.* 20

† Libri Germani habent stadia xiiij. ceteri non itẽ.

Censet,ut qui calida lotus est,poculum meracius præbibat,hac ratione, ut coniectura consequi posset quispiam,adductus:quod calido balneo totum corpus calfiat,fundãturq; humores, & uasa laxẽtur. hæc autẽ eadem meracius uinum facit,simulq; uires, quarum maximã habere rõnem in gracilibus uidetur,corroborat.tum addit,mox cibos oĩs generis ingerãt:cuius non eandem oẽs,qui hunc sunt librũ interpretati,rõnem reddiderunt:quidã.n.uarios offerri cibos putant,quod illi dissidentes inter se, facilius ad uomitũ impellant.alijs id fieri placet,quo maior eorũ sumat copia:cũ simplices, uniusq; speciei cito hoĩem expleant. præterea eis non permittit,ut statim bibãt:ne cibi subito supernatẽt,quod ipse nõ uult effici.quod ne accidat,tẽpus quoddã intermediũ constituit, quod satis ad nutritionẽ sit, in quo se contineant:idq; tẽpus ipse dixit,dum quatuor stadia quis conficeret. his autẽ ita peractis,potui dat tria uina qualitatibus inter se differentibus prædita:atq; unum quidẽ austerum,alterum dulce,tertium acidum:nec tamẽ,quam ob rem id uelit,causam hic attulit:qui uero uolunt eius diuinare sententiam,aiũt G ideo austerum dari,ut instrumenta,per quę uomitus fiet,corroborentur:dulce,ut uomitũ ciet, & quod uino dulci humores fundantur:acidum uero ut quæ uentri impacta sunt,abstergat. fortassis autẽ cibos uarijs præditos qualitatibus sumi iussit,ut quidam uentrem roborent,quidam uomitum irritent,quidã uero infixos humores abstergeant.ac quod in sodalium,aliorumq; amicorum meorum cõgressionibus crebris usurpo sermonibus, id nunc quoq; memorabo:non paruũ erratum mihi uideri eorum,qui dogmaticam sectam profitentur:cum ea,quæ dicunt,sine ulla eorum adiuncta rõne, tanquã edicta regia, pronuntient.melius enim fuisset,si ipse,qui librum cõfecit,cuiusq; eorũ quæ fieri uult,uim explicasset, ut fecit Hippocrates,cum in libro de ratione uictus in acutis de ptissana locutus est,hoc modo, Nam ui »
scositas eius lenis,cõtinua,iucũda,lubrica,& modice laxa est,sitim nõ infert:&,ubi ablutione opus est, »
pbe abluit:nõ astringit, nõ uellicat grauiter,neq; in uentre tumescit. simili quoq; modo de aqua mulsa,de uino,de aceto mulso,deq; balneis conscripsit,unde uia nobis cõmõstratur,quã insistentes nonnulla a scriptore omissa,quæ eius sententiæ conueniant,adijciamus.ac nunc quidẽ cum hic auctor alia dixit non addita causæ ratione,tum illud,bibendum esse uinum,primum quidẽ meracius,& paulatim,& longo tẽpore,deinde uero dilutius,& citius,& affatim.itaq; eius mentem,qua hæc scripserit, coniectura nos persequi opus est.cum uero est omnis alioqui ambigua coniectura,tum uel maxime ubi homi- H nis etiam ignoratur sententia.ergo quod ait, uinum bibendum esse dilutius,citius, atq; affatim, uidetur uere dictum de ijs,qui uolunt euomere:quandoquidem ijs,qui continere uolũt, alimentũq; concoquere,contraria conferunt,ut bibere meracius,paulatim,& tractu temporis.quare autem quæ ad retinendum apta sunt,offerat ijs, qui paulo post uomituri sunt,nihil habeo, quod probabile possim afferre.fortasse autem huic auctori idem probabatur,quod interpretibus quibusdam placet:cum nolit,gracilium hominum,quorum causa hæc instituta oratio est,uires dissolui,eas primum confirmare, tum ad ea quæ uomitum cient,progredi : sed ad uires confirmandas id tempus, quod a cibo dabatur, erat satis. alijs autem aliud, ut dixi, probabile uidetur: non tamen ita distinctum, ut necessarium, quod demonstrationibus a scientia sumptis stabilitur.

*Qui singulis mensibus bis uomere consueuit, rectius duobus deinceps diebus uomet, quàm quintodecimo quoque die. alij uero contra plane faciunt.* 21

Huius quoq; rõnem afferri potissimum a scriptore oportebat:siquidẽ de ijs,qui bis in mense uomũt. sine ulla distinctione locutus est.equidem quosdam uideo,qui euacuationis gratia uomũt,ut alios, qui unum in mẽse diem ieiunant: alios,qui humorẽ hunc uentri infixũ aut glutinosum,aut crassum expurgant.nihil tamen causæ est, quin utrunque per interualla,non continuis duobus diebus faciamus.

Qui-

22 A *Quicunque inepti ſunt ad cibos reuomendos, aut quibus uentres non faciles habent tranſitus, ijs omnibus confert ſæpe in die comedere,& eſculentis omnis generis ueſci,& item obſonijs modis omnibus præparatis,uinaq; duplicia,aut triplicia bibere:quicunque aũt cibos non uomunt,aut uentres humidos habent, iis omnibus utile eſt, ut contraria ſuperiorũ faciant.*

Ciborum uomitus conuenit ijs,qui aut uentrem abſtergere,aut uniuerſum corpus modice purgare uolunt:quibus imperat,ut & ſæpe,& uaria comedant,uinaque diuerſa bibant, contra uero præſcribit faciendũ ijs,qui uomere nolunt,uentreſque humidiores q̃ par ſit,habẽt,ita,ut cohiberi poſtulent:nam nec ſæpe comedere,nec uariis cibis & uinis uti debent.nam ſemel cibum capere , cumq; unius formæ, unumque uinum bibere,eo conducit,ut uenter ea contineat,& concoquat: contraria uero tum difficilius concoquuntur,tum in uentre commotantur.pro qualitate autem ciborum,& ordine, quo ſunt ingeſti,eis uſu uenit,ut uel innatent,uel per aluum excernantur.

23 *Puerulі infantes aqua calida ſunt diu rigandi:iiſque unum dilutum potui dandum, non tamen prorſus frigidum : idq; offerendum,quod uentrem minime attollit,& flatũ parit.quæ facienda ſunt,quo minus cõuulſionibus tententur, creſcantq; & coloratiores efficiantur.*

Quorſum hæc uictus ratio pertineat,ipſemet expoſuit, cum ait,ut conuulſionibus minus corripiantur,ut creſcant,ut coloratiores efficiantur:pueri enim,qui multo tempore calida perfunduntur,molles
B permanẽt,quæ res facit,ne conuellanẽ:nã Hippocrates ipſe cõuulſionibus corripi frequẽtius cõtenta, quàm remiſſa,laxaq; corpora ſcriptũ reliquit.mollia itẽ corpora,quod facilius in oẽm partẽ diſtẽdanẽ, facilius augenẽ.ceterũ conſtat inter oẽs,qui a cõuulſionibus liberi ſunt,probeq; creſcũt, ijs totũ habitum ſalubrẽ eſſe:id quod ipſe una nota nõ exigua boni coloris declarauit.iubet uero , ut dilutius uinũ bibãt,ne nimiũ incaleſcant:idq; præcipue,qui frequẽter in conuulſiones cadãt, quæ res eis & propter neruorũ imbecillitatẽ,& propter uoracitatẽ accidit:ideoq; iubet,ne frigidũ uinũ bibant.ac uinũ quidẽ debere eſſe eiuſmodi,ut minime flatus gignat,non ſolũ infantibus,ſed oĩbus etiam æque prodeſt.

24 *Mulieribus ſiccior uictus ratio conuenit:ſiquidem cibi ſicci ſunt ad carnis mollitiem accommodatiores: pocula item meraciora ad ſecundas,& ad fœtus nutriendos meliora ſunt.*

Cum mulieribus ſicciorem uictus rationem præſcribat,qualis nam ea ſit,ipſe ſubiungit.ceterum de huius uiri opinione controuerſantur.etenim ſi præter naturam eſſet,ut mulieres eſſent humidæ , ut in naturis intemperatis,& humido morbo affectis uſu uenit,recte eas exiccaret: ſed cum hoc ſit eis natura comparatum,conſeruandum eſt:niſi fortaſſe mediocritatem ſalubrem excedat:uerum hoc etiam in uiris ſpectamus:eis enim eſt a natura tributum,ut ſicciores mulieribus ſint: ſed cum ſiccitatem conuenientem ſuperant,tum eorum intemperiem contrarijs corrigimus .

A.1.f.1.d.2. c.4.p.59.C

25 C *Qui exercentur,iis conuenit hieme currere,& luctari:æſtate,luctari parum,ſed non currere : deambulare autem multum in frigore.*

Varias exercitationes anni temporibus accommodatas nos docet:atque hieme quidem, quæ calfacere.ſiccareque poſſint, æſtate autem,contra .

26 *Qui curſu defatigantur,eos luctari oportet:qui uero lucta defatigantur,currere expedit:laborans enim ita partem corporis defatigatam,calidam conſeruabit,roborabit,maximeque recreabit.*

Si medici dogmatici ita omnia conſcripſiſſent,non eſſet longæ interpretum orationi relictus locus: id dico , ſi cauſa addita ſit,cur ita nos facere iubeant,quod hoc loco Polybus fecit .

27 *Si eos,qui exercentur,alui profluuia maxime corripiant,excrementaque cibum referant,incoctaque ſint, de exercitationibus non minus,quàm tertiam partem,& de cibis dimidiam, detrahere conuenit. perſpicuum enim eſt , uentriculum non poſſe copiam ingeſtorum ciborum calefacere.ſit autem bis cibus , panis quàm maxime fieri poteſt coctus , in uino intritus: pocula quàm parciſſima , ac temperatiſſima.deambulationibus a cibo non utantur.hoc tempore ſemel tantũ debent cibum ſumere:ita enim uentriculus maxime calfiat,ciboſq; uincat.hoc autem alui profluuii genus.eos potiſſimum exercet, qui carne ſunt denſiore:ubi homo,quando ita eſt natura comparatum,ueſci carnibus compellitur: nam uenæ conſtipatæ cibos ingeſtos non ſuſcipiunt.*

D Non uidetur hoc loco loqui de ijs,qui ualetudinis cauſa ſe exerceent , ſed de ijs , qui aliquod munus gymnaſticũ gerunt,in quo nec oĩno ceſſare,nec admodũ multũ remittere poſſunt. quocirca tertiã exercitationũ partẽ,& cibi dimidiũ detrahit:tantũ enim cibi cõfici ab illis poſſe ſperat,ut nec iã cruditate,nec alui profluuio laborẽt.recte aũt etiã hoc loco fecit,cũ rationẽ ſubiecit,qua ductus & hæc,& quæ hic dicta ſunt,faciẽda cõſuluit.hoc aũt inquit,eos potiſſimũ exercet,qui carne ſunt dẽſiore, ubi homo ueſci carnibus cõpellitẽ.quo in loco declarat,ſe de gymnaſticis loqui,quos comedere carnes cogũt.tũ ſubiũgit,nã uenæ cõſtipatæ cibos ingeſtos nõ ſuſcipiunt:quod obſcure protulit: quam ob rẽ interpretes coacti ſunt exiſtimare,conſtipatas ab ipſo dici pro eo,quod eſt,duras factas , & quæ difficulter diſtendanẽ,ut alimentũ nõ recipiãt.quod aiũt ſignificari his uerbis,cibos nõ ſuſcipiũt . ſed hoc conſueuit potius diſtributionẽ,q̃ concoctionẽ lædere:ut illi humida,nõ tñ incocta excernant. dixit aũt ipſe ante, hos incocta,cibũq; referẽtia deijcere.ſed ſi in his,quorũ rationẽ,qua fretus id cõſuluit,qđ pſcripſit,ipſe ſubiecit,eſt etiã dubitationi relictus locus,quid tandẽ in ijs orationibus, in qbus ipſe cauſam nõ adſcripſit,quare ita faciundũ iuſſerit,fieri exiſtimabimus?equidẽ niſi de ijs,qui cõpacta carne ſunt,ipſe adſcripſiſſet,nõ ſecus,q̃ in alijs multis me hærere plane faterer,in qbus cũ auctor nihil tale addiderit,audaciſſimi iſti interpretes,quicquid in buccam uenit,effutiũt. nũc uero cũ ipſe mentionẽ eorum fecerit, qui dẽſiore carne ſunt, occaſionẽ eis præbuit,ut ipſi quoq; aliquid de hmõdi naturis, quod utile eſſet,

conſcriberent.tales enim homines plenitudinem celerrime coaceruant, cum ſit eorum diminuta per- E
ſpiratio.quam ob rem diſtributione in eis cohibita, excrementa omnino humida redduntur:atque in-
terdum non humida ſolum,ſed & tenuia:præſertim uero in uoracibus.cum enim aliquid ex ijs, quæ in-
geſta ſunt,digeſtū ſit,tum uentriculus reliqua promptius concoquit:at cum ciborum aceruus in eo per
manet,ſiquando eum prægrauent,omnes,prius quàm concocti ſint, deijcit. fortaſſe etiam propter ue-
narum duritiam,quod illæ diſtendi multum non poſſint,alimenti diſtributio impedira eſt: ſed quomo-
do huiuſmodi naturæ, contraria uictus ratione inſtituta, curandæ ſint, ſcribere ipſum oportebat: ſi-
quidem uniuerſi habitus ſcopi ſunt raritas & mollitia,quæ molli frictione, multaq; pinguedine, & lon
giore in ſolijs mora comparantur.hic uero in ſymptomate ſolum immoratur,cuius interim ueluti radi
cem non reſecat.Iam uero in hac oratione illud etiam ab eo dictum eſt, perſpicuum eſſe uentriculum
non poſſe copiam ingeſtorū ciborum calefacere:& tamen ſi habitus denſitatem uere accuſauit,& item
uenas cibū non ſuſcipientes,profecto non recte uentriculū accuſat.quod ſi quis hac in re uerū ab eo di
ci cócedat,is etiā uictus rationē cóſequentē recte eſſe inſtitutā fatebitur, dandum eſſe percoctū panē,
potum temperatum,& parciorem:ſemel in die ſumendum cibum,& a cibo non eſſe deambulandum.

*Hæc autem natura præceps eſt,& ad utranq; partem uertitur,& bonus habitus in huiuſmodi corporibus parum uiget.* 28

Bonum habitum appellauit naturam eorum,qui denſa carne ſunt:perinde ac ſi dixiſſet, eam celeres F
facere mutationes.itaq; ſubiungit:& ad utranq; partem uertitur:hoc eſt, & ad bonum habitum, & ad
contrarium.tum addit,& bonus habitus in huiuſmodi corporibus parum uiget.oſtendimus enim in ijs
explicationibus,quas in aphoriſmos conſcripſimus,bonū exercitatorū habitū cum ſanguinis, carniſq;
repletione naturalium facultatū robur conſeruare: ſed, ut illic ſummam habitus bonitatem,quam rara
corpora non cito conſequuntur,periculo eſſe expoſitam docuimus,ita uſu uenit ijs,quorum compacta
corpora ſunt,cum in eis propterea quod ægre per halitum digeruntur,celerrime gignitur, ac retroce-
dere nimirum cogitur,celeriter & oriatur,& diſſoluatur.

*Habitus uero rariores,& hirſutiores carnium eſum admittunt,& facilius labores ferunt:bonique habitus in eis diutur* 29
*niores ſunt.*

Corporibus hirſutioribus cutim rariorē eſſe,& item carnem, in libris de temperamentis docuimus.
quocirca merito ait,hæc eſum carniū ferre cómodius,utpote quæ tranſpirentur, & itē labores; quod
minus laſſitudinibus corripiantur.id quod etiam in libris de tuenda ualetudine proditum eſt. iam uero
boni habitus in ijs diuturniores ſunt, ut quæ continuo ad ſummum bonitatis non perueniant.

*Qui etiam cibum poſtridie eructant,eiſque præcordia eleuantur,his tanquam non concocti cibi ſint, ſomnus longior pro* 30
*deſt.nihilo minus eorum corpora ad alium ſunt laborem compellenda. uinum meracius, largiuſque bibant: cibi uero minus* G
*ſumant hoc tempore:perſpicuum enim eſt,uentrem propter imbecillitatem, ac frigiditatem non poſſe ciborum multitudi-*
*nem concoquere.*

Recte fecit hoc loco,quod in extremo addidit,perſpicuum eſſe, propterea quod imbecillus, frigi-
duſq; uētriculus ſit,ciborū copiā concoqui ab eo nō poſſe.ideo id ipſum ferme intuens, dat operā, ut
eū calefaciat.itaq; longiorē ijs ſomnū,& exercitationē imperat,uinūq; meracius, & largius potui dat,
iubetq;, ut quo tempore cruditas eos male habet, minus cibi ſumant: ſiquidem reliquo tempore ſe ſe
exercētibus,ac dimouentibus,uinūq; uti diximus, bibentibus,nihil opus erit, ut de moderata cibi co-
pia quicquam ſubtrahant.

*Quos ſitis exercet,hi cibos,laboreſque minuant:& uinum dilutum,& quàm frigidiſſimum bibant.*

Hic expoſuit hoc modo calidarum naturarū notā:quā ſic in libro de morbis uulgaribus expreſſit:ei, 31
qui natura calidus ſit,aquæ frigidæ potio,& quies cóuenit. hic uero corporis tēperamento cómemora
to,diætā ſubiunxit,quæ ita affectis inſtituēda eſt:cuius caput eſt refrigeratio. in hac aūt diætæ ſumma,
efficaciora ſunt aquæ potio,& uacatio ab exercitatione.hoc loco quietem aliter indicauit, dixit enim,
laboreſque minuant.& pro frigidæ potione,ſcripſit,& uinum dilutum, & quàm frigidiſſimum bibant.
ac mihi quidem uidetur hoc loco rectius admonere: nam diluta,frigidaq; potio refrigerat,& præterea H
uini commoditates obtinet.

*Quibus uiſcera ab exercitatione,aut alio itinere dolent.his requieſcere ieiunis utile eſt. potus autem ſit parciſſimus, qui* 32
*corpus ingreſſus multam urinam cieat,ne uenæ,quæ innatæ uiſceribus ſunt,plenæ tendantur: ſiquidem huic & † tubercula,* † Al. inflationes.
*& febres generantur.*

Hæc præcepta in libris de tuenda ſanitate perfecte tradita ſunt omnia:quæ nunc memoriæ cauſa,ut
in ſuperioribus,ita hoc loco exponenē:multis enim,etiā qui febrim nō habent, dolores in uiſceribus,
præſertim in iecinore,cum a cibo ſe exercuerint,aut lauerint,oboriunē.id quod propter anguſtos tran
ſitus,qui in uiſcere ſunt,& propter humorum aſcendentium craſſitudinem efficitur: occluſi enim illi &
cohibiti in ſtrictis finibus uenarum,qua ſanguis ex ſimis iecoris partibus in curuas transfunditur, tum
tranſitum impediunt,tum uero etiam uenas intendunt eas, quæ in ſima iecoris parte ſunt: quibus ita
affectis dolores,citra febrim,oriuntur.his,quo tempore conflictantur,requieſcere conuenit, & in potu
ſumere aliquid,quod urinam cieat,iecurque obſtructione liberet.ac niſi minxerint,ex hiſce occaſioni-
bus & †tubercula & febres conſequuntur. † Al. flatus.

*Qui morbis cerebri corripiuntur,horū caput torpedo primum occupat,frequenterq; mingunt,atq; alia patiuntur, quæ* 33
*in urinæ ſtillicidio ſolent contingere.ij per nouem dies id patiuntur.ac ſi quid e naribus fluat,aut ab auribus aqua, uel mu-*

A *cus, a morbo liberi euadent, & urina stillicidium sedabitur: & sine dolore multum, albumq; mingent, donec uigesimus sit peractus dies: & capitis dolor hominem deserit: illumque intuentem splendor fugit. ceterum, quoniam bona ualetudo ab homine plurimi fit, est hominis, qui ratiocinandi facultate est præditus, de sui ipsius nosse sententia, ut sibi in morbis consulatur.*

Hanc orationem merito quidam suspectam habuerunt, nonnulli etiam omnino damnarunt, ut non modo Hippocratis, sed ne Polybi quidem esse uideatur. eius enim initium est prorsus indistinctum, cũ uelit a morbis cerebri torpedinem, urinæque stillicidium proficisci. sed nec etiam uera erit hæc oratio, si quis putet, ab ipso pronunciari, non omnes morbos, qui a cerebro oriuntur, esse huiusmodi, sed eos solos, quos ab auribus & naribus aqua & mucus, fluens sedat: siquidem neque semper, neque plerunque id usu uenire consueuit.

# *GALENI IN PRÆSAGIA HIPPOCRATIS*

## COMMENTARIVS PRIMVS.

*Io. Bap. Rasario interprete.*

B

## LIBRI ARGVMENTVM.

Explicat uim signorum omnium, quæ in acutis morbis, ac ceteris, quæ illis succedunt, ad præsagiendum sumuntur.

Quantum utilitatis afferant medicorum prædictiones.

*Optimum ego esse existimo, ut prouidentia medicus utatur.*

C EST plane perspicuum, prouidentiam pro præsensione dictam esse: ideo subiungit, si enim apud ægros præsentiat, ac prædicat. opus autẽ ei fuit, hoc in libro uti procemio, licet non sæpe admodum id faciat, propter medicos quosdam, ut probabile est, qui eo tempore extiterunt, quales etiam hodie sunt, qui se methodicos nominant: qui medici officium in eo esse positum statuunt, ut uel presentem sanitatem tueatur, ut in ijs, qui bene ualent: uel amissam recuperet, ut in ægrotis: prædictiones uero futurorum ad uates pertinere. quã ob rem Hippocrates hoc exordio declarat, quam medico utilitatẽ afferat præsensio: quã tribus ait capitibus contineri: quorum primum est, ægrotos propensius imperata facturos; secundum, cum præsentiat, quæ ægrotis euentura sint, multo ante illis esse eum occursurum: tertio, si æger moriatur, ut ipse nullo modo culpæ affinis habeatur: siquidem non minus uult hoc medico tribui, † quàm ut sanitatis auctor existimetur. sed iam dictiones intueamur, quibus hæc capita singillatim confirmat.

†Lib. impres. sic quam reliqua &c.

*Si enim apud ægrum quæ sunt, quæ fuerunt, quæq; futura sunt, præsentiat, ac prædicat; & quæ infirmi omittunt, ipse*
2 *narret, ægri statum melius cognoscere putabitur: atque ita medico se committere homines audebunt.*

Hac oratione primum caput confirmat: cum ait medicos uere prædicẽdo consequi, ut homines se illis cõcredant: quoniam inde efficitur, ut medicus existimetur, omnem ægrotantium statum hoc est, quænam sit morbi natura, diligenter cognoscere: ut hoc modo fere continuata demonstratio concludatur, medicus ex ijs, quæ prædicit, morbi naturam cognoscere existimatur: eius, qui morbi naturã nosse existimatur, imperata facilius ægroti faciunt: cuius imperata ægroti facilius faciunt, is etiã morbos facilius persanat. Et, quæ infirmi prætermittunt, ipse narret. omittunt infirmi, non quę nullo ipsi pacto sciunt, ut interpretes quidam scribunt: ut intimas corporis sedes male affectas, aut causas, earumq; affe-
D ctiones: sed ex causis, eas solas, quæ antegressæ nominantur: & ex symptomatis corporis, ea quæ sub aspectum cadunt. [ut si in peripneumonia, maxilla rubicunda sit: quia quædam huiusmodi ægroti non dicunt] quæ igitur huius generis ægroti narrando omittunt, ea si a medicis audiant, eos merito admirantur. qua autem ratione id fieri possit, in sequentibus declarabo.

Hæc absunt a Græcis libris & uetere tralatione.

*Optime autem curationem instituet, si ex præsentibus affectionibus futuras prænoscat: fieri enim non potest: ut ægros om*
3 *nes sanitati restituat: quanquam hoc præstaret, quàm præsentire, quæ sint in posterum euentura.*

Secundam præsensionis utilitatem exequitur hoc loco: cum enim medicus laborantis affectionem accurate cognoscet, quædã mala, quæ eã sequi solẽt, prohibebit: quædam ne magna fiãt, impediet: oĩbus uero in cõe recte obsistet, nõ secus, quàm bonus gubernator, qui se ante ad futurã tẽpestatẽ cõparauit.

Ali. l. 2. d. 3. c. 4. p. 40. D

*Cum autem homines intereant, alij quidem ob morbi uehementiam, antequam medicus accersatur: alii uocato etiam me-*
4 *dico repente; alii uno die, alii paulo longiore tempore moriantur prius, quàm medicus singulis morbis sua arte resistat; ideo harum affectionum naturas nosse oportet, quantum corporis uiribus superiores sint: simulq; , si quid diuinum in morbis insit, eius quoque prouidentiam perdiscere: sic enim merito admirabilem se, bonumque medicum præstabit: nam quos superstites fore cognouerit, eos etiam conseruare rectius poterit: cum multo ante tempore singulis consulat: eumq; morituros uicturosque prænoscat, ac prædicat, culpa uacabit.*

Cõfirmat etiã hac oratione duo prædicta capita utilitatis, quæ ex p̃sensione existit: eisq; addit tertiũ

medicũ fore calumniæ expertẽ, si morituros, victurosq; prædixerit. proinde Medicus quidã adolescentulum, qui ex syncopa humectari primum incipiebat, inscius in balneum demisit: cumque sudores copiose prorumperent, gauisus est, quasi occasionem esset diligenter assecutus, sed cum ille non ita mul to post, mortuus esset, Medicus, ut necis auctor, a familiaribus, accusabatur. Hactenus paucissimis exordium exposuimus, præter quàm quod de uerbo, diuinum, nihil diximus: quod sane genus explicationis conuenit ijs, qui principia sciunt, & ad libri utilitatem contendunt: at græcæ dictioni insuetis, aut connexionis orationum ignaris, aut utilissima contemnentibus, & nunc etiam sua sponte in Sophisticis argumentationibus occupatis, alia est magis propria explicandi ratio: quæ pluribus uerbis concluditur: quam sane totam præterire poterunt ij, qui ad utilitatem studio properant: hanc libri partẽ in medio relinquentes, usque dum ad eum contextum uerborum, cuius initium est, in acutis autem morbis sic considerandum est, peruenerint.

*Altera longior exordij explicatio.*

Optimum esse ego existimo, ut prouidentia Medicus utatur. Non uidetur nomine prouidentiæ hoc loco usus esse Hippocrates, ut communis est Græcorum consuetudo: curam enim & diligentiam illi sic uocant: ut etiam indicauit Euripides, his uerbis.

Hæc animam etsi dulcem efflabat, miram tamen F

Honeste ut caderet, ostendit prouidentiam.

iam uero prouidere uerbum in omnibus modis infinitas significationes habet apud Græcos, cum dicatur, pro eo, quod est, curam alicuius rei gerere: aut semper quod utile est, præparare. præterea trita illa quæstio, mundum prouidentia gubernari, eandẽ habet significationem. at Hippo. non ita, sed pro præ sensione prouidentiã statuit, non absolute quidem, ut mihi uidetur, sed a cõmuni quadam significatione, quam utrũq; nomen significat: ex eo enim, quod res quædã intelligentia uideãtur, antequã fiant, & uerbum προνοεῖν. i. prouidere apud Homerum, & inde prouidẽtiæ nomẽ est ductũ: & ab hac eadẽ causa uerbũ præsagire, & præsensio dicunt. si igitur quæcũq; suapte natura sub sensum cadunt, prius quàm intueamur, intelligentia inuestigemus, merito nos prouidere ea dicemus, quo uerbo indicamus, nos ea prius, quàm fiant, aĩo cernere. quocirca res, quæ repente fiũt, eas inuiti & improuidi: quæ uero adhibito consilio, eas cũ prouidentia gessisse dicimur. tale est etiã quod censuit Solon, existimare debere Areopagitas, an cædes, uulnus, incendiũq; prouidẽtia cõmissum sit: & num quis ita medicamento daro interemerit. quinetiam apud antiquos oratores plurimus est huiusmodi nominũ atq; uerborũ usus: in quibus quæ ex prouidentia facta sunt, illis opponuntur, quæ in cõsulto gerũtur: ut si quis inuitus alium læsit, aut si ira percitus percussit, hæc ex prouidẽtia facta negant. at si quis diu cõsultauit, ac diu meditatus est, ut res geri posset, tum eam confecit, illam ex prouidentia factam esse affirmant. est igitur nomen prouidentiæ apud Græcos commune, ut ad bonas, & ad malas res pertineat, ac non ad bonas tantum, ut quibusdam placet: nam hæc ipsa quæstio, utrum fortuna, an prouidẽtia mundus gubernetur, in communi dicta est significatione: quod ex oppositione fortunæ, clarum est: quidam uero, non fortunam, sed casum prouidentiæ opponunt: cum tamen idem utroque nomine significent. ac sæpe etiam a philosophis dici solet, mundum prouidentia optimi gubernari. in quo addunt optimi, quia nomen prouidentiæ commune esse, & boni & mali intelligunt. itaque si prouidentia in hac cõmuni significatione dicta est, perspicuum est, eam ita appellari, quod, prius quàm fiat quidpiam, animo uideatur. ex eodem quoque fonte manauit præsensionis nomen: si enim quæ sensibus suapte natura percipiuntur, quibusdam signis inuestigemus, ea merito prouidere dicimus, perinde ac si prius, quàm fiant, ea intueamur. mihi autem uidetur, non ex communi significatione dici prouidentia, cum fortunæ contrario nomine opponitur: quia prouidentia ita accepta in bonis solum dicitur: uniuersitatis enim prouidentia non est opus malum: quam ob rem præsensio in tribus temporibus, non autem in futuro tantum dicitur: nec minus admirabilis est uates, qui ira præterita, quæ ipse non uidit, sicut præsentia dicat, quàm qui futura prænunciet: ita etiam qui ea, quæ nunc geruntur, antequàm uideat, prædicit, uates est illis nihilo deterior: id quod Hippocrates ipse declarauit, cum ait, si enim apud ægrum quæ sunt, quæ fuerunt, quæ futura sunt, præsentiat, ac prædicat. eiusdem igitur artis est, præterita, quæ non uideris, exponere, ut gesta sint, & præsentia, & futura: usu tamen hæc inter se multum differunt: nam præsensio futurorum utilissima est, præteritorum uero alijs quidem inutilis, sed uni Medico, qui ostentate artem uelit, utilis. quanquam autem hæc non sunt artis medicinalis propria, tamen ad eam interpretationem, qua nominum significationes apud auctores aperiuntur, accõmodata est. Illud autem ad explicationem nihil pertinet, ad aliquid uero aliud est utile, quod nonnulli interpretes de moribus auctoris afferunt, quo in loco modestiam eius commendant, cum ait, optimum esse ego existimo: poterat enim inquiunt, dicere, optimum est, ut Medicus prouidentia utatur. at ipse adiecit, uerbum existimo, quamuis huius enunciationis demonstrationem scripturus sit. quæ autem Herophilus attulit, cum præsensionem a prædictione distinxit, non solum inutilia, improptiaq; sunt, sed etiam Sophistica, & falsa. atqui ipse differentias rerum docere, & non de significationibus statuere se putat: in quo primum peccat, quod non animaduertit, se de significationibus, & non de natura rerum medicinæ utilium differere: sensio enim, quæ nomine præsensionis continetur, magna ex parte de re firma dicitur: interdum uero, si quid desit, ne firmissima sit, simili tamen modo nominatur: quam ob rem qui eam exponunt,

A exponunt,interdum cum additione eam pronunciant:atque interdum exquisitam,interdum ratam,in-
terdum firmam,aut etiam perpetuam nominant,eaque additione indicant,a nomine sensionis nō sem
per firmam rem significari.ita etiam duplex est præsensio:altera firma,ut post hiemē fore uer, deinceps
æstatem,tum autumnum:altera non firma,in qua significatione Aratus de Luna scripsit,

Cum uero incedit sublimi Cynthia cornu,
Tum segnes Borea campi spirante rigebunt.
Sin prono,terris pluuium denunciat Austrum.

plerunque enim ita euenire,obseruatum est:& tamen quandoque non ita accidit. at Herophilus pu-
tat præsensionem firmam esse,prædictionē uero non itē.multa enim eorum,quæ prædicta sunt,fieri ne-
gat.perinde ac possit quispiā prædicere,quæ nō præsenserit,aut aliud quicquā uoce eloqui quàm quod
est animo cognitū.quod si nolit cognitum appellare,prorsus noïet opinatū,ita tñ ut in animo prædicen
tis prius extiterit:ac si nolit præsensionē,dicat prçopinationem.& tñ Græci non uocant præopinationē
ut neq; etiā ipse Herophilus,quāuis parte plurima barbare loquaī.aut igitur legē ferat,qua caueat,præ-
opinationē a præsensione differre,suadeatq; hoībus,ut legis sanctionem accipiant:aut si id non pōt,no
minum significationes ut consuetudo tenuit,intelligat. consuetudo autem est, ut spes quæ plerunq; de
B futuris & ea quidem firma habetur,præsensio dicatur.est autem medici præstantis officium,non huius-
modi quærere,sed quomodo uentura ægrotis prædicens, sæpissime uerum, rarissime falsum dicat.uox
enim una plerunq; est:sed multiplex differentia rebus inest, maioris,minorisque ratione. si quis igitur
in uiginti prædictionibus semel errat,is quidem non perpetuo uerum dixit, illi tamen præstat qui bis
aberrauit:& item is præstat illi,qui ter: & is ei qui quater hallucinatus est. cum tamen omnes inter se
conueniant,sic rem,ut prædixerant,plerunque accidisse.hasce igitur doctrinas, quibus imbutus quis-
piam sæpius,quàm alius,finem attingat,amplecti debemus:nimiam uero in significationibus sedulita-
tem,reijcere,atque fugere:quam tamen Prodicus,tantus sophista,plus çquo amplexatus,peritis homi-
nibus molestus erat,& subinde apud Platonema Socrate mordebatur:in ceteris alioqui laudatus. sed
male fortasse feci,qui principio Herophilum nominarim,quare melius est,ut uera declarem ijs, qui ei
tato cursu ad artis opera contendunt:& ne eis moram duobus modis inijciā:& cū deliria sophistarum
doceo,& cū eadem refello:itaq; me facturū cōmodius puto,ut his commentarijs ea solum persequar,
quæ utilia sunt:& alia quadam scriptione, cum maius otium nactus ero,pertractē ea, quæ Herophilus
in præsagijs Hippocrati cōtradixit.Et quæ infirmi omittūt,ipse narret,ægri statū melius cognoscere pu
tabiī.oportebat eos,qui tale aliquid enarrare conanī,prius re ipsa ostendere,quare ita scribere audeāt:
C in promptu enim cuiq; est,ut quod uult,cōscribat:sed difficile est,eam cognitionē tribuere,qua prædi-
tus quispiam magna ex parte finē consequatur,cum ægris dicit non futura solum,sed præterita quoq;,
quibus ipse nō interfuit:& quæ in præsentia in ægrotis sunt,quæ ipse nōdum ab illis audiuit, nec cogno
uit:ut nos in ijs,quæ dicemus,erimus merito digni,quibus fides adhibeaī: cum ipsis operibus compro
bauerimus,quàm hæc uera sit contemplatio.ac ne bis de eadem re scribere cogamur, & nunc in exor-
dio explicādo,& postea in singulis dictionibus;satius esse duxi supersedere de his oībus dicere, donec
medicinalia uocabula,quæ in hoc libro sunt,explicē:præsertim cū nullus adhuc eorū, qui librū expla-
nauerūt,id ipsum,licet maxime necessariū sit,effecerit.nā quod Hippo.a medico exerceri censet,hoc lo
co prætermisit:cū non docuerit,quomodo eorū quæ facta sunt,aut quæ adsunt, a nobis tamen sensibus
adhuc non cognoscuntur,sit facienda præsensio.simulque si quid diuinum in morbis insit, eius quoq;
prouidentiā perdiscere.quid sit diuinum,cuius fieri præsensionē iuber, est inter libri explanatores dis-
sensio.putant nonnulli,propter aliquā deorū irā morbos hoībus immitti:quàm opinionē cōfirmant te
stimonio eorū,qui historias,ut uocāt,sine ratione adiūcta cōscripserunt:neq; ostēdunt,utrū huius quo
que sentētiæ Hippo.fuerit,quod tamē erat bonorū interpretū officiū:siquidē nō est nobis in explicatio
nibus absolute propositū,ut quæ uera nobis esse uideanī,ea afferamus,sed id, quod ad scriptoris sit sen
D tentiam,etiā si falsum sit.apparet aūt Hippocratē in nullo suo libro morborum causas in deos referre:
qui etiā eos,qui siderati uocanī,unde moti ueteres sic appellarint, in libro de ratione uictus in mor-
bis acutis declarauit:quē librū esse Hippocratis uerum,constat inter oēs. in libro autem de sacro mor
bo multa ad coarguēdos eos scripta sunt,qui morbos a dijs mitti arbitranī.nos igitur neque comitialē
morbum,neq; amorem esse diuinum existimamus:quod rati quidā,ueram illi quidem historiā conscri-
pserunt,Erasistratū animaduertisse,regis filium ex amore in morbum incidisse: sed tamen diuinum ap-
pellatum esse amorem aut ab Erasistrato,aut ab Hippocrate,aut ab ullo alio medico, non docuerunt:
eos autē,qui graciles,aut decolores,aut insomnes,aut etiā febricitantes ex amatorijs causis sunt, illo
capite ueteres comprehendi uoluerūt,quod de causis antegressis est:quarum cū multa sint genera, unū
ex eis est mœror:mœsti enim sunt alij quibus filij,aut familiares,aut propinqui, aut amici mortui sunt:
alij uero,quod expectent uel se solos male affectum iri,aut patriam omnem euerti debere.mœsti etiam
sunt pecuniæ cupidi,cum pecunijs priuantur: & ambitiosi,priuati gloria, & item alius quisque ita affi-
citur. in hoc quoque sunt genere,qui propter amorem mœrent:nec diuinam, sed humanam affectio-
nem patiuntur: nisi quispiam fidem adhibendam putet ijs, qui fabulas conscripserunt, ut quosdam ho
mines in hanc agi affectionem a pusillo dæmone quodam, ac nuper nato, ac faces accensas geren-
te, arbitretur.at uero, qui genus dierum criticorum diuinum appellauit, is potius affectionem suam

indicauit, quam Hippocratis ſententiam aperuit: ſiquidem non omnia abſolute, quorum, uel ignotæ E uel abſurdæ cauſæ ſunt, diuina uocamus: ſed ſolum mirabilia. quanquam Hippocrates cauſas criticorum dierum non ignorat, ut nos in commentarijs de diebus criticis oſtendimus. itaque ut docui, non ſunt in his commentarijs memoranda omnia, quæ male dicta ſunt: ſed quæ uerisimilitudine quadam ui tantur, quocirca quæ Herophilus contra Hippocratis præſagia perperã ſcripſit, reieci in aliud tempus conſideranda. idem autem nunc, & toto deinceps uolumine ſeruabo, atque eos etiam, qui in huiuſmodi explicationes incident, rogabo, ut faciant: ne mihi uitio dent, quod multa interpretum errata ſilentio tranſierim. ſed ſi diligenter perlegant, quæ a nobis dicuntur, illa æſtimare per ſe poterunt. nullas igitur faciamus nugas, quæ de diuino circũferuntur, & nos Hippocratis de hac re ſententiam inueſtigemus. hoc igitur diuinum oportere unum eſſe eorum, quæ in arte medica ſpectantur, nec ſolum eius cognitionem ab Hippocrate cõmendari, ſed etiam declarari, eſt omnibus perſpicuum. ridiculus enim eſſet ſcriptor, qui rem aliquam laudaret, quam nulla ex parte docuiſſet. quare diuini præſenſio unum quidpiam de ijs ſit oportet, de quibus Hippocrates ſcripſit. iam igitur cum fiducia id explicemus, nihil »
aliud eſſe, quàm aeris nos ambientis conſtitutionem, de qua ita in aphoriſmis ſcripſit: Si hiems ſqualida, »
& aquilonia fuerit, uer autem pluuium & auſtrinum, neceſſe eſt æſtate febres acutas, lippitudines, & tormina inteſtinorum oriri, præcipue autem mulieribus, & ijs, quorum naturæ ſunt humidiores: hæc au F tem, quæque deinceps ſcripta ſunt, præſenſiones ſunt eorum, quæ in nobis ex aeris nos ambientis cauſa proueniunt. de quibus in aphoriſmis per capita diſſeruit: in libris uero de morbis uulgaribus copioſius tractauit: ſed in hoc præſagiorum libro omiſit, quãuis ad hoc inſtitutum pertineant. quam ob rem præſtitiſſet, quærere cauſam, cur de diuino dicere prætermiſit, quàm male interpretari. mihi uero uidetur, ob libri magnitudinem ei non adieciſſe doctrinã eorum, quę libris de Morbis uulgaribus cõtinen »
tur. quocirca cum opus exegiſſet, ſub finem hæc ſcripſit: Iam uero morborum uulgarium impetum celeriter cõſiderare, & temporis conſtitutionẽ noſſe oportet. neceſſe igitur eſſe, ut medicus ſi quid aliud, quod ad præſagiendum pertineat, ita etiam morborum uulgarium originẽ noſcat, ipſe declarauit: quibus etiã propriũ uolumen dicauit: cũ tamen in aphoriſmis, uti diximus, eos per capita nobis expoſuiſſet: ſed in libris epidemiarum copioſius pertractauit: quã ob rem nonnulli interpretes poſt hunc librũ, eos qui de morbis uulgaribus ſunt, merito ſunt interpretati: id quod nos quoque faciemus.

NOTAE EX FACIE. 5

*In acutis autem morbis ſic conſiderandum eſt: in primis ægri faciem ſpecta, an ſanorum faciei, præcipue autem ſua ipſius ſimilis ſit: ita enim optima erit: quæ uero ſimili maxime aduerſatur ea grauiſſimum periculum portendit.*

A.l.4.f.1.t.2. c.5.p.775.C. &l.4.f.2.t.1. c.28.p.822.D

Ipſe plane declarauit, ſe hoc in libro de acutis morbis agere. initium autem docendi a ſignis duxit, G quæ in uultu ſunt, quippe quæ primum ſub aſpectum cadant, & uim magnam habeant. hæc autem primum apparere, eſt omnibus perſpicuum: magnam uero habere uim ad præſagiẽdum, poſtea perdiſces. in primis uero ad memoriam reuocetur commune totius artis exordium, quod in libro de officio chirurgico ſcriptum eſt, his uerbis: Similia, an diſſimilia ſint, a principio conſiderandum, ex maximis, ex facillimis, ex ijs, quæ omnino quocunque modo cognoſcuntur: quæ & uidere, & tangere, & audire licet: quia ex his non modo præſenſiones, ſed etiam rerum agendarum indicationes inchoãtur. ac de rebus agendis dictum eſt in libris methodi medẽdi: de præſenſionibus uero nunc loquemur. in quo illud quoque memorandum eſt, ad partem artis præſagiendi pertinere, ut non modo futura, ſed etiam præſentia, ac præterita ex quibuſdam notis in corpore inueniantur. ac præſentium quidem cognitionem proprio nomine appellare dignotionem ſolemus. iubet ergo in primis ægri faciem cõſiderari, ſimilis ne ſit an diſſimilis faciei ſanorum: præcipue autem ſi ſibi ipſa: hoc enim unum de Hippocratis decretis eſt, ut non ſolum de communi omnium natura, ſed etiam cuiuſque propria, quæ ad artẽ pertinent omnia, conſiderentur: nam cum partes affectas ſanis comparari debere docuit, tum non alienas, ſed eius, qui ægrotat, ſpectandas conſuluit. optima igitur ægri facies eſt, quoties ſui ſimillima permaneat: deterrima uero ſi maxime contraria fiat. quæ uero inter optimam, deterrimamque interiecta ſit, tua intereſt definitis ex H tremis conſiderare: quæ enim ad optimam propius accedit, melior: quæ deterrimæ propinquior, ea peior cenſenda eſt: media inter has eſt, quæ ab utraque diſtat, æquali ſpatio. optimam ergo faciem uno capite complexus declarauit: quandoquidem optima eſt, quæ eſt naturali ſimillima: peſſima uero, quæ maxime contraria eſt, utpote quæ nobis familiaris non eſt. quæ uero ex his præſagia habeantur, ipſe notis ſingulis indicauit: quas nos ſeparatim deinceps explicabimus. 6

*Erit autem huiuſmodi, naſus acutus.*

A.l.4.f.1.t.2. c.5.p.775.B. &l.4.f.2.t.1 c.28.p.822.

Hoc primum malorum ſignorum ſcripſit, naſum acutum: ſed, uti diximus, naſum cum naturali cuiuſque naſo conferre oportet: nam ſi natura ſimus ſit, naſus omnino ſeipſo acutior apparebit: quemadmodum ſi aduncus quoque ſit, aut rectus. in quo meminiſſe illud debes, ut quantum a forma naturali receſſit, tantum etiam prauus ſit. acutus autem naſus plane apparet etiam in ijs: qui diuturno morbo ſunt extenuati, aut labore conflictati, aut quouis modo exoluti, & qui animo linquuntur: & itẽ omnibus mortuis. quam ob rem quis merito colliget, cõi omnium hoĩum ratione utens, malum eſſe indicium, quoties id in mala affectione oriatur. ceterum quęnam talis affectio ſit, in qua naſus reddiť acutior, dogmaticæ iam contemplationis munus eſt exponere: quæ ſolo analogiſmo, hoc eſt ratione, quæ euidenti ne obſcurã declarat, deprehẽdi poteſt. ſed prius de ſingulis ſignis epilogiſmo, conſideremus. præſtat enim

communi

A communi ratione, quæq; omnium ſit firmata conſenſu, primam tribuere doctrinam, quàm ſtatim inter initia ad analogiſmum peruenire.

7 *Oculi concaui, collapſa tempora, frigidæ, contractæque aures, & imis partibus leniter uerſæ: cutis circa frontem dura, intenta, & arida: totiuſque faciei color aut pallidus, aut niger, aut liuidus, aut plumbeus.*

Auic. l. 4. f. 1. t. 2. c. 5. p. 775. C. & l. 4. f. 2. t. 1. c. 18. p. 882. D.

Omnia quoque hæc ſigna in diuturnis morbis, & laboribus, & animæ defectionibus, & multo etiam magis in morte, in facie apparent. facile autem colligi poteſt, ut quæ ſunt naturalibus diſſimilia, mali aliquid ſignificent: cum ſtatim in principio conſtare inter omnes dixerim, ut quæ naturæ maxime contraria ſunt, pernicioſa: quæ uero ſimilia, ſalutaria ſigna ſint. atque hæc quidem ſint de eis communi ratione a nobis dicta: conſiderabimus autem uniuerſam eorum naturam diligẽter. huiuſmodi igitur affectiones oriuntur aut ab aliqua cauſa conſumente, corrumpenteque carnoſas animantium partes, aut ob natiui caloris infirmitatem: qui nõ iam in extremas corporis partes extendi queat, ſed exiguus in ſolis uiſceribus conſeruetur. ex hoc etiam nimirum ſequitur, ut nec tantum ſanguinis, aut ſpiritus ad extremas partes confluat, quantum antea, cum in naturali eſſent ſtatu, confluebat. proinde in facie apparet maxima a naturali mutatio: cum enim oſſeæ, carnoſæque & humidiores partes inter ſe adiunctæ ſint, oſſeæ autem propter terream eſſentiam ſimiles ſibi permaneant, humidiores uero, ac carneæ B conſumi facile queant, atque in ſe collabi ob ſanguinis, ſpiritusque indigentiam: affectio cognoſci facillime poteſt: naſi enim ſubſtantia carnoſa eſt in ſolis pinnis, quas uocant: reliquum uero totum, oſſeũ eſt. merito igitur, cum carnoſa pars conſumpta ſit, aut uacuata conſidat, eius extremum tenue apparet: ſimili quoque modo, cum uehementer refrigeretur, quod iam defunctis contingit: ſtipata enim per refrigerationem carnoſarum partium ſubſtantia, eius extremitas merito gracilis redditur. neque alium quempiam acutum naſum uocamus, quàm cuius gracilis extrema pars ſit. atque hoc quidẽ modo naſus acutus apparet. Caui præterea oculi iiſdem de cauſis fiunt: ſed quãto ſunt ſummis naribus humidiores, ac molliores, tanto citius cauantur. quinetiam ſunt multi ſpiritus animalis participes, & caloris non parum habent: quibus eos deficientibus, merito contrahuntur: id quod, eſt cauitas oculorum. Sic etiam tempora concidunt, quod ſola in capite muſculos habeant, qui muſculi temporum nominantur: reliquum uero totum caput, omnino carnis expers eſt. aures frigidæ, & contractæ, quia chartilagineæ ſunt, carne uacant, & paucum ſanguinem continent. itaque celerrime refrigerantur: utpote quæ ſuapte natura ſint ad affectionem paratiores. ſed cur earum fibræ uerſæ ſunt? an quia earum mollior ſubſtantia eſt, non ut reliquum totum, quod tenuis chartilago eſt, & tenui cute contecta? quam ob rem fibræ prædictis de cauſis extenuantur, inuertuntur, ſiccantur, & conſtipantur: ita uero affectæ, re- C trorſum tenduntur, magis ad originem eorum neruorum, qui eis ſenſum præbent. commune autẽ eſt eorum omnium, quę corrigiæ ſpeciem referunt, ut exiccata conuellantur: porrò autem eſt cuiuſque membri corporis proprium, ut ad eam uertatur, conuellaturque partem potius, ubi origo eſt neruorũ, in ipſum pertinentium: id quod ſpectari in digitis perſpicue poteſt: ſi enim intimus tendo ab aliqua cauſa extenſus ſit, digiti perſpicue inflectuntur: ſi extimus extenduntur. Ob eandem quoque ſiccitatem, ac ſtipationem cutis omnis circa totam faciem dura, intentaque uidetur: ſed eius affectio clarius in fronte conſpicitur: quia carnoſa ſubſtantia tenuior hac in parte ſub cute ſita eſt: & a prædictis cauſis carnoſa natura magis, quàm quæ ex cute eſt, afficitur. Coloris autem mutatio peſſima eſt, quæ in nigrum uergit, utpote ſanguine refrigerato: ut cum foras effuſus ſanguis in grumos coit: moderatior uero, cum ad χλωρὸν uertatur: ueteres enim ſolent ita quandoque pallidum colorem appellare, quandoq; uero ita, ut uulgus braſſicas, & lactucas, uirides uocant: qui color eſt rubro nigrior: eſtque tanquam initium quoddam nigri, ac liuidi, quem frigus, non ſecus, quàm nigrum, effecit. quocirca facies, in qua hæc inſunt omnia, merito cadaueroſa nominatur: quæ in morbis longioribus ſæpe fieri ſpectatur; ſed in principijs, perraro. itaque periculoſiſſima eſt, ut quæ nullam a tempore cauſam habeat: nam longo temporis ſpatio corpus conſumi, & aliquam extremarum partium refrigerari non mirabile eſt: at in D principio, præcipue autẽ in acuto morbo, prorſus pernicioſum eſt: niſi id alia de cauſa factum ſit: quales autem ſint cauſæ, quæ efficere id poſſint, ipſe oratione conſequenti declarabit. nunc uero rem, quæ a me addenda eſt, quam prætermiſiſſe Hippocrates uidetur, prius audi: ut enim in morbis diuturnis non admodum pernicioſum eſt, ſi huiuſmodi facies fiat, ita nec in frigida regione hieme, frigida conſtitutione, & ſenecta, ut in aphoriſmis didicimus: In morbis inquit, minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori morbus conuenit, quàm quibus nulla ex his ratione congruit.

Auic. l. 4. f. 2. t. 1. c. 18. p. 822. D.

Auic. l. 1. f. 2. d. 1. c. 8. p. 56.

8 *Si autem in principio morbi huiuſmodi facies appareat, neque ex alijs ſignis coniectura ſumi poſsit, inquirendum eſt, an uigilia, aut uehemens uentris reſolutio, aut inedia præceſſerit: quorum ſi quidpiam deprehenderis, minus periculi timendum eſt, at ſi ob huiuſmodi cauſas hæc faciei ſpecies orta eſt, una die, nocteque finitur. ſi uero eas præceſsiſſe æger negauerit, hæcq; forma prædicto tempore non deſtiterit, ſcire conuenit, hoc mortale ſignum eſſe.*

Auic. l. 4. f. 2. t. 1. c. 18. p. 822. D. et 824 F

In quo morbo inter ipſa ſtatim initia facies cadaueris ſine externa cã facta eſt, is morbus eſt ſumme peſtifer & inſanabilis: hoc aũt minus periculoſus eſt, ſi aliqua cauſa manifeſta præceſſerit: qualis eſt uehemens uigilia, aut inedia, aut uentris reſolutio. ſed præſtat, ne ab eiuſmodi quidẽ cauſis uires in principio morbi ſumme diſſolui. Minus uero periculi ſubeſt, ſi ob aliquam harum cauſarum ac non ob morbi malignitatem id factum ſit. quæ autem affectio corporis ſit, in qua talis facies primis ſtatim diebus efficitur.

efficitur. nunc tibi perspicue paucis exponam. cum eodem tempore facultas retentrix in animali debi E
lis sit, & humores sint tenues, febrisque calida sit coniuncta, tum præ imbecillitate aliquid continen-
ter extra cutim excernitur, quod propter paruitatem, oculorum effugit obtutum, ut pote humoribus
tenuioribus effluentibus: febris autem magis etiam tenuissimos humores consumit, & qui minus te-
nues sunt, eos attenuat, ut nunquam desinat euacuatio: sed continuis uomitibus, aut alui fluoribus, aut
immodicæ urinarū euacuationi similis esse uideatur: sed hoc interest, quod illæ inanitiones sensu per-
cipiuntur; ea uero, quam modo exposui, propter eorum, quæ excernuntur, tenuitatem, sub aspectū nō
cadit. quam ob rem talis facies in morbo pituitoso nunquam apparet: neque in plethorico, propter
sanguinis exuperantiam. immo uero corpus inopia laborare potius debet, ac lassitudines quædam, cu-
ræque præcessisse: quæ amaræ bilis humorem coaceruare solent. iam si regio quoque calida sit, anniq;
tempus æstiuum, ac calida, siccaque constitutio, tum multo procliuius est, ut corpus huiusmodi affe-
ctione corripiatur: ac multo etiam facilius, si homo sit natura biliosior. quibusdam etiam facile habi-
tus discutitur, atque difflatur, qui uentriculi os habent imbecillum. quæ si prædictis accedant, efficiūt,
ut tale corpus facillime in eam affectionem cadat, ut facies cadauerosa uideatur. quod qui cognorit,
non solum habebit, ut in futurum præsagiet, sed ei quoque curationis ratio suppeditabitur: ut hoc si-
bi proponat, uires alimentis uentriculo idoneis esse confirmandas. Sed hæc non parum præter propo F
sitam nobis usam dicta sint. nunc de externis caussis diligentius disserendum est. sunt autem hæ, quas
ipse nomine percurrit, fames, uigilia, alui fluor: quibus tu addere consimiles potes, ut nimiam sangui
nis e naribus aut ex utero, aut hæmorrhoidibus, aut uulnere, aut alio quouis modo euacuationem:
itemque mœrorem uehementem; quem quæuis causæ excitarint. fortasse autem consentaneum est
existimare, hanc causam ab Hippocrate illatam esse potestate, cum uigiliam dixit: nam cum alias ob
causas tum etiam propter mœrorem uigilia efficitur: ut uigilia ad plura, quàm mœror pertineat, itaq; Auic. l. 4. f. 2. t. 1. c. 28. p. 822. D.
mœrorem uigilia contineri merito dicamus. aluus quoque ualde resoluta exemplum tibi cuiusq; im-
modicæ euacuationis erit. sed si diligenter in artis operibus uerseris, & cuiusque formæ rerum sis pe-
ritus, causam, quæ huiusmodi faciem constituerit, sæpenumero comperies. signa autem earum sunt
explicatū difficilia, quocirca licet ea plerique Medici norint, dicere tamen refugiunt. a nobis uero ex-
planata sunt omnia in proprijs ac suis libris. itaque ubi tu quoque ea didiceris, poteris interdum ad
ægrum ingressus, causam enunciare, quæ talem faciem reddiderit: quod etiam facilius expedies, si uni-
uersam uictus antecedentis rationem, qua ille usus sit, cognoueris: sique eius temperaturam conside-
raris, ac multo magis, si motus illius arteriarum peritiam habueris: & qualis febris sit, perceperis: pro-
ponamus enim aliquem exempli causa, qui æstiuo tempore, calida, siccaque constitutione, biliosa na- G
tura, adolescens ex conflictatione, inopia, & mœrore ægrotare cœperit: sitque eius calor, qui nostrum
tactum uehementer mordeat: urina biliosa: & pulsus imbecillitatem uirium indicet. suspicare hunc in
eo statu esse, de quo instituta oratio est, ut celeriter eius facies cadaueri similis sit futura: nisi prius, ut
par est, nutriatur. Si igitur in ægroto neque sint hæc, neque præcesserint, neque primo & secundo diē
apparuerint, tertio uero die tibi accedenti talis facies, qualem modo descripsit Hippocrates, appa-
reat: hunc ab aliqua externa causa ita esse affectum scito. quam ob rem tecum ipse perpende, quidnā
potius in eo extiterit: excretio ne aliqua copiosa, an uigilia: ex inopia enim non erit talis affatim, nisi
in morbo talia præcesserint, qualia dicta sunt: atque si natura talis fuerit, qualē diximus. itaque si ægrū
pridie uideris, non te latebit excretio copiosa, quæ sua sponte futura erit. siquidē firmissima sunt eius
indicia: eaque in commentarijs de crisibus, & in libro de præsagijs ex pulsibus declarata sunt nobis:
quare licebit tibi hominem statim intuenti, pronunciare, magnam uigiliam præcessisse: uidebis enim
eius oculos mirum in modum siccos, cum in euacuationibus immodicis tales, ut in uigilijs, non reddā
tur. porrò uidebis palpebras difficulter sursum tolli: eandemque formam habere, dum conniuent: &
item instabiles esse: quales in sopore oppressis esse solent. cum autem tum primum ægrum intuebere,
quem ante non uideris, & hæ notæ, & quæ ex pulsibus sumuntur, tibi quiddam ad dijudicandum indi- H
cabunt: ut in excretionibus immodicis, aliquod adhuc, licet exiguum formæ indicium seruabitur,
quod eas indicabit: in uigilia uero, chordæ extentæ speciem referet. si uero propter solam cibi inopiā
in eiusmodi faciei affectionem quispiam inciderit, ei neutrum ex his indicijs neque excretionis, neque
uigiliæ inerit. quocirca in eo potius ex euentis, quàm ex proprijs signis præsagiendum est, eum ad ta-
lem affectionem ob alimenti inopiam perductum esse: atque etiam magis quoties febris proprietatē
caloris habitum discutientis tibi diligenter consideranti non præ se ferat: si enim talis appareat, faciē
ob illam potius, quàm ob externam causam, ita gracilem esse redditam, suspicaberis. conuenit autem
diutius immorari manum uniuersam attrectando, ut non solum carpum sed etiam partes superiores
ægri tangas, atque animum diligenter aduertas, si non solum calor acer sit, sed simul etiam multā cor
poream substantiam referat, quæ tanquam flamma cutim manus tuæ peruadat, qua cutim ægri contin
gis, seque perspicue in profundum insinuet: tales enim sunt febres, quæ ante dictam faciem reddunt.
hæc autem, ut monui, difficilia dictu sunt: non tamen huiusmodi, ut dici nullo modo possint: nec sunt
cognitu difficilia ijs, qui sunt in eis exercitati: atque a me sæpe hæc oīa prædici audierūt: ac multo ma-
gis, si in operibus cognoscere studuerint ea, quæ in cōmētarijs de præsagijs didicerunt: ut ex eo, quod
uidēt euenisse, quæ prædicta sunt, ea re ipsa fieri posse intelligant, nec prius ea reprobēt, quæ ab initio
cognitu

A cognitu difficiliora uidebãtur:geminos.n.fratres inter se simillimos si quis semel, aut iterũ uideat, nõ internoscet:at familiariũ nemo eos ignorat.hæc igitur a me dicta sint, ad iuuenes cohortãdos, præsertim uero eos, qui hæc omnia a nobis prædici non uiderunt: neque enim causam in uigiliam solum poterunt conijcete, sed etiam id ex mœrore prouenisse affirmabunt: Erasistratus enim adolescentis amorem non deprehendit, quod cornices, aut coruos uolantes conspexisset, nec, ut quidam aiunt, quod adolescentis arterias amatorium quiddam pulsantes sensisset, cum nullus sit proprius, ac præcipuus amoris pulsus:sed:ut mihi quoq; interdũ usu uenit, inijcięti manũ carpo ægri, muliere uero quadam uisa earũ, quæ in domo essent, pulsus statim inæqualis, inordinatusq; factus est:paulo uero post, cũ primũ uisa mulier recessisset, ad statum naturalẽ redijt:pulsus enim ita mutatus, cõmunem quandã perturbationis affectionem in animo ægroti fuisse significat.hanc autem perturbationem distingui conueniet ijs, quæ ab eo simul dicuntur, & conspiciũtur:etenim rursus quibusdam dictis pulsus ad inæqualitatem uertuntur, cum æger ab ijs, quæ audiuit, perturbetur.sed his de rebus est separatim a me scriptũ eo in libro, qui de præcognitione inscribitur.nunc uero ad institutum reuertamur. erat nobis propositum, posse Medicum multa de præteritis, deque præsentibus apud ægros dicere, ut eum homines admirentur, cuiusmodi sunt, quæ hac oratione continentur, ut uigilia, alui fluor, fames. at uero unum ex

B his definite dicere, interdum difficile est:sed de duobus alterum, aut e tribus unum præsagiri firmiter potest: id quod solet Medico laudem afferre, si facta præsensione, ad hunc modum interrogabit: an ob uigilias uehementes, an ob inediam ita est extenuatus? sæpe enim utrunque fatẽtur, & Medicum dupliciter admirantur: interdum uero alterutrum respondent, & ita quoque admiratione Medici cõmouentur.hoc autem est, quod Hippocrates admonuit, inquirendum esse, an uigilia, aut uehemens uentris resolutio, aut inedia præcesserit.quid autem subiunxit? quorum, inquit si quid deprehẽderis, minus periculi est merito:præstabat enim ita ualidas uires esse, ut a nulla externa causa uincerentur: minus tamẽ graue est, si ab aliqua huiusmodi causa, & non a morbi malignitate talis est exorta consumptio.sed quia utrunque potest simul euenire, ut aliqua externa causa, ut dixi, corpus uexet, & febris colliquet, distinctionem tibi dies, noxque sequens indicabit. si talis qualem diximus, faciei forma ab externa solum causa constiterit, unius diei ac noctis spatio ad suum statum redibit: si uero ab affectione corporis, tum uel talis manebit, uel deterior euadet. quæ sane omnia recte ab Hippocrate dicta uidentur.sed quare dixerit, si autem inter morbi initia huiusmodi facies appareat, neque ex alijs signis coniectura sumi possit, deinceps considerẽmus: duorum enim alterum est: aut quia illa in principijs non eueniunt: aut quia nihil firmi denunciant, ideo huiusmodi signis ad res dubias definiendas uti non

C possumus. atque ego quidem sentio, nec semper talia signa contingere, neque, si contingant, quicquam firmi indicare. id autem ita esse, in illis insequenti oratione explicandis docebo.

Auic. l. 4 f. 2. t. 1. c. 48. p. 824 F.

9 *Si uero in morbo antiquiore, quàm sit triduum talis facies sit, inquirenda sunt ea quæ supra monui: & reliqua item signa non solum, quæ in tota facie, sed quæ in corpore, præsertim in oculis apparent, consideranda.*

Nomen principij significat primam morbi inuasionem, quæ nullam adhuc latitudinem habeat: significat etiam eam, quæ ad aliquod tempus, non multum tamen, extendatur: præterea uero primum morbi tempus:a quo secundum numerant, incrementum: & tertium, statum: & quartum, declinationem.itaque cum paulo ante dixerit, si autem in principio morbi huiusmodi facies appareat, eo in loco non indicauit, quodnam ex tribus principijs intelligat: nunc uero, cum scripserit, si in morbo antiquiore, quàm sit trium dierum spatium, talis facies sit aperte docuit, se de principio agere quod latitudinem obtinet: siquidem id ad tertium usque diem porrigitur. tum ergo censet ijs signis, quæ ante docuit, addendã esse ab alijs notis ductam distinctionem: de quibus ipse dixerat his uerbis: Neque ex alijs signis coniectura sumi possit: atque ea deinceps enumerat.

NOTAE EX OCVLIS.

D

Auic. l. 7 f. 1. t. 1. c. 13. p. 340 F.

10 *Nam si lumen refugiunt, & præter uoluntatem illachrymant, aut peruertuntur, alterque ex his minor est: & quæ in ipsis alba esse debent, rubescunt: atque in ijsdem uenulæ pallent, aut nigrescant: aut sordes in his innatans angulis inhærescit, hique aut sublimes sunt facti, aut uehementer subsederunt, aut facti tumidiores sunt: aspectusque horridus, aut obscurus sit: aut uniuersæ faciei color mutatus: hæc signa omnia mala, perniciosaque putanda sunt.*

Symptomata prædicta communẽ habent, ut præter naturam sint, differũt autem inter se, quod quædam absolute contraria sunt ijs, quæ secundum naturam existunt:quædam uero, ut ipse ante dixit, sunt eisdem maxime cõtraria.quocirca communi quidem ratione omnia letalia censebuntur:quatenus uero contraria erunt eatenus magis, minusque talia existimabuntur.quare præstat affectiones ex quibus hæc eueniant, ab Hippocratis decretis non recedentes, expendere. ut igitur lucem refugiant, quod est auersari, ex imbecillitate facultatis uidendi, fit:quę interim ex organorũ affectione laborat, ut in lippitudinibus usu uenit:interim uero ipsa per se: ac tum letale signum est. simili quoq; modo lachrymæ siue propter lippitudinem, siue ob defluxũ aliquẽ e capite oriant, sunt illæ quidẽ præter naturam, sed tñ non omnino mortem significant.at si ob contentricis facultatis imbecillitatem prodeant, tum & perniciosum & mortale signum est.peruertuntur autem oculi, conuulsis ijs musculis, a quibus mouentur. quæ

quæ affectio si solum illorum est, nihil absurdi indicat: si uero principij neruorum, hoc est cerebri, E extremā perniciē denūciat: siquidē musculi proximi prius, quàm ceteri, sentiūt mala, quibus principiū afficit̄ ac modo quidē illi, qui in oculis siti sunt, de quibus nūc loquitur: modo illi, qui sunt in temporibus, de quibus libro de articulis egit. quinetiam fieri alterum oculum minorem, quàm suapte natura esset, mortiferum symptoma est: intermori enim eam uim indicat, a qua ipse regebatur. at uero alba oculorum rubescere, quemadmodum in quibusdam lippitudinibus, & item quibusdam temulentis accidit, magnam cerebri, & eius membranarum plenitudinem, ac quandoque etiam inflammationem in illis excitatam significat. siquidem utroque modo sanguis ad uenas, quæ in oculis sunt, truditur. proinde pars eorum alba, rubescere uidetur: est autem ea pars quæ coronam, quam uocant, ambit: cui, ut ex dissectione cognouimus, omnes oculi membranæ sunt, tunicæq; coniunctæ: & in eam extremum mēbranæ, quæ caluariam ambit, unà cum uenis, quas continet, pertinet. ceterum dixisse Hippocratem propterea alba oculorum rubescere, aperte indicauit ijs, quæ subiunxit, hoc modo: atque in ijsdem uenulæ pallent, aut nigricant: id quod est omnium perniciosissimum: rubræ enim uenulæ apparent uel ob plenitudinem, ut dixi, uel ob cerebri inflammationem: at nigricant, & pallent, quia refrigerantur: refrigerantur autem, quia extinguuntur. quam ob rem huiusmodi colores perpetuo perniciosi sunt. sordes autem in oculis uel ob instrumentorum affectionem, ut in lippitudinibus, aut alio morbi genere F excitari scimus, ac tunc quidem nihil periculi portendere: aut propter imbecillitatem naturalis facultatis, quæ oculi partes regebat, quæ oculorum concoquere alimentum non possit: ostensum enim est, sordes semicocti alimenti excrementum esse. itaque in lippitudinibus tam propter humoris, qui præter naturam est, copiam, quàm propter instrumentorum affectionem, eorum alimentum non probe cōcoqui, uerisimile est. atque ubi penuria, quā cauitas indicat, manifesta est, ibi causa nullo modo in plenitudinem referri potest: sola autem superest facultatis imbecillitas, atque ea quidem non leuis, sed prorsus maxima, quippe quæ uel modicum oculorum alimentum concoquere satis queat. Oculi autē sublimes facti, hoc est instabiles, & perpetuo motu agitati, uel delirium, uel tremorem musculorum oculi subesse declarant: quorum utrunque in affectione, qua de agitur, perniciosum est: nam & deliriū ex defectione ortum, grauissimum est, & tremores e siccitate organorū excitati, insanabiles sunt omnino. prætereа uero eos oculos damnat, qui aut prominentes, aut ualde caui facti sunt. ac prominentium symptoma in ipso etiam morbi principio fit, præcipue autem in ijs, qui ex nimio potu, atque pastu uomuerunt: at ualde concaui oculi non item fiunt: quocirca inter initia neutrum horum memorauit, cum dixit, nares acutæ, oculi concaui. atque illud quidem, quia nunquam in letali facie apparet, (nam quomodo simul concaui, & prominentes oculi sint?) hoc uero, quia tum nullo modo contingit. G Sed forte quod de prominentibus oculis dixit, uidetur cum superioribus pugnare: cum enim in letali facie dixerit, nares acutæ, oculi concaui: tum uero dijudicet ijs, quæ post tertium diem apparent, nō recte adiecit oculos prominentes sed quid mihi sensisse his uerbis Hippocrates uideatur, tota eius oratione in hanc commutata, iam dicit si uero in morbo uetustiore quàm per triduum, talis facies sit, inquirenda sunt ea, quæ supra monui, & reliqua itē signa, & quæ in toto corpore, & quæ in oculis erūt: sunt autem letalia in oculis signa post tertium diem hæc, ut lucem refugiant, illachryment, peruertantur, alter eorum minor reddatur: ut alba rubescere in eis uideantur: ut uenæ pallescant, aut nigricent: ut sordes insint: ut continuo iactentur, ut promineant, aut ualde caui fiant: ut totius faciei color immutetur. hæc enim omnia perniciosa sunt, & si quid horum in iam descripta facie existat, erit non mediocre futuræ mortis argumentum. atque hoc quidem sensu uidetur prominentes quoque oculos cū alijs signis quæ in letali facie inesse simul possunt, annumerauisse: etiam si unà cum alijs esse non possint, propterea quod ei propositum erat, non solum explicare, quæ simul in cadauerosa facie sint: sed alia etiam omnia mortifera signa, quæ in facie cernuntur, recensere. quocirca si non modo unum, sed etiam plura eorum, quæ dixit, non possunt simul in cadauerosa facie conuenire, nulla repugnantia est: quippe cum ipse orationem ad omnia praua signa conuerterit. esse uero ab eo recte dictum: Nec H dum ab alijs signis coniectura sumi possit: hac una breui, communique ratione considerandum est. quæcunque dicta sunt, aut non fiunt in principio morbi, aut non sunt ex toto letalia: id quod tibi singula priuatim expendenti uerissimum uidebitur. plerunque igitur, ex largiore potu, aut uehementibus uomitionibus fit, ut in principijs morborum lucem refugiant: itemque illachryment, aut peruertantur, aut continuo motu cieantur, aut promineāt, aut rubras uenas habeant: at uenæ in principio liuidæ, aut nigræ nunquam fiunt: ut nec immensa cauitas, nec sordes proueniunt: ut quæ ad minimum, triduum, aut quatriduum ad sui generationem requirant.

Auic. l. 4. f. 2. t. 1. c. 33. p. 822. F.

11 *Oculorum autem suspectiones per somnos considerare oportet, nam si palpebræ non committantur, sed inter eas aliquid ex albo oculorum appareat, neque id ex aluo fluente, aut medicamenti potione existat, aut non ita quis dormire consueuerit, hoc & malum, & admodum mortale signum est.*

Auic. l. 4. f. 2. t. 1. c. 34. p. 823. A.

A uerbo ὑποφαίνεσθαι quod est suspici, nomē ὑπόφασιν deduxit, cuius numerus multitudinis est ὑποφάσιες, & Ionica diuisione, ὑποφάσηες. nescio autem, quid Artemidorum, Dioscoridemq; impulerit, ut ὑποφύσιας per υ, scripserint: cum id, quod ab Hippocrate dicitur, planum sit: siquidem, quid illo nomine intelligat, declarauit, cum ait, perq; somnum palpebræ non committuntur: sed inter has ex albo oculorum aliquid

A aliquid apparet. quod ut accuratius intelligeremus, ad distinctionem adiecit hoc, neque id ex aluo fluente, aut medicamento existat. conuenit autem nos illa quoque intelligere, quæ eandem, quã hæc, uim habeant. dicere uero possit quispiam hæc omnia uno uerbo complexus, hoc symptoma ab imbecillitate palpebras mouentis facultatis excitari: quod, cum nulla ipsum externa causa inuexerit, perniciosum est. hæc autem debent esse eiusmodi natura, ut uires exoluant: ut alui fluor, aut purgatio medicamento purgante facta: aut uehemens tristitia: aut uigilia, aut inedia: aut copiosa sanguinis eruptio, aut uno uerbo, alia immodica purgatio quædam. quod autem paulo ante dixi, ab eo signa perniciosa omnia annumerari, & non solum ea, quæ in letali facie appareãt: ipse hoc loco manifeste docuit: cum addidit, neque id ex aluo fluente, aut medicamenti potione existat. siquidem in facie mortali hãc distinctionem adhibuit: an uentris inquit, resolutio præcesserit: resolutio enim alui tam a profluuio, quàm a medicamento fit. quia uero alio sumpto initio perniciosa signa omnia recenset, recte fecit, qui suas cuique distinctiones adiunxit.

12 *Si uero palpebra, aut labrum, aut nares cum aliquo ex ceteris signis peruertatur, aut liuescat, aut palleat, scire conuenit, mortem instare. portendunt etiam mortem labra resoluta, suspensa, frigida, ac candicantia.*

Aui.l.4. f.2.t.1.c.36.p.823.A.

B Maxima librorum pars ita scriptum habet huius sententiæ initium: in quibusdã uero pro καμπύλον, hoc est peruersum, scribitur ἰσχνὸν, hoc est rigidum: ut hoc nomine significetur palpebræ contractio: uelut ea, quæ ex algore refrigerata sunt: quod extinctionis perinde signum est, ac liuor. at peruersum, indicium est aut tensionis cuiusdam, speciem conuulsionis referentis: aut resolutionis in alterutro musculorum oculum claudentium, ceterum utrunque perniciosum est, si aliorum quoque signorum testimonio comprobetur. quod ipse significauit, cum ait, cum aliquo ex ceteris signis. quasi unum solũ ex his non sit ad mortem indicandam satis.

NOTAE EX DECVBITV.

13 *Medicus autem deprehendere ægrum debet, in dextrum, sinistrumue latus cubantem, brachijs, ceruice, ac cruribus parum reductis: & toto corpore humentem: sic enim plurimi sani cubant. ac cubare quo modo sani solent, optimum est.*

Et hoc etiam attestatur, in tota hac libri parte signa letalia recenseri: constat enim ipsum de signis, quæ in toto corpore sint, non alio sumpto initio, differere: sed ea prædictis coniungere: etenim cum ante de facie letali dixisset, spectanda esse cetera signa & quæ in toto corpore, & quæ in oculis appareant, omnia deinceps persequitur, eaque inter se coniungit. quod uero ait, ægrum deprehendi a Me-
C dicis debere non supino corpore ceu resolutis membris iacentem, sed in alterutrum latus, cum ei Medicus adsit: ideo signum bonum est, quod robur facultatis corpus per musculos firmantis indicat: sicut contra, imbecillitatis argumentum est, si in latus iacere non possit. porrò autem Hippocrates communem epilogismum adiecit his uerbis: sic enim plurimi sani cubant: quod quidem de tempore, quo Medicus ipsos inuisit, intelligi debere, planum est. immo uero id hac oratione subaudire est melius, ut quod potestate ab eo dictum sit his uerbis, cum ait, Medicus autem deprehendere ægrum debet: neque enim absolute dixit, hominem in latus cubare oportere, sed ita cubantem a Medico deprehendi. adiecit autem brachia, ceruicem, & crura modicum reducta, quia sic plurimi sani cubare consueuerũt. ceterum cum plurimos addidit, alteram tibi distinctionem commemorauit, cuius magnus sæpe est ad præsagiendum usus; cuius quidem licet prætermissa quandoque fuerit, te tamen esse memorem oportet. quænam autem ea sit, iam dicam. quæ cuiuis ægro præter ceteros propria, ac peculiaria insint, ea non sunt oscitanter expendenda: si enim eum ita, ut plerique sani solent, cubare conspicias, decubitũ illum probato: si contra, non protinus ut malum signum damnabis, sed interrogabis, num ita cubare æger consueuerit. Quod uero ait corpore humentem iacere, ad differentiam eius dictum est, qui quatuor artus distentos habebit quasi ita dicat, crura & manus modicum reducta sint: atque ita etiam to-
D tum corpus iaceat extra figuras extremas constitutum: extremas autem figuras uoco, quæ summam extensionem, aut flexum habent, siue artuum sint, siue spinę, cuius etiam partes sunt colli uertebræ. itaque extremæ figuræ extentis supra modum neruis fiunt: ut in libro de motu musculorum docuimus: quæ uero inter extremas media est, tensionem non habet: quam ob rem humidam appellauit; cum humida corpora tendi natura non soleant.

*Supinum uero iacere, manibus, collo, cruribusque extentis, minus bonum est.*

14 Hic decubitus nullo modo bonus est, proinde nec minus bonus dici debet. nam qui bonus nullo modo est, quo modo recte minus bonus dicitur? non esse autem ullo pacto bonum, ipse progrediens declarauit his uerbis: Id uero peius est, si decliuis sit, & deorsum ad pedes subinde delabatur: sic enim hunc peiorem esse dixit, quasi prædictus esset malus. hunc autem decubitum, mea quidem sententia, in neutris signis ponit, quæ neque ad sanitatem, neque ad mortem, insignem uim habent: sed uel media plane sunt, uel parum in alterutram partem uergunt, ut qui de eis negligentius dicat, ea possit cum utrisque comparare: ut nunc Hippocrates fecit: qui huiusmodi decubitum minus bonum superiore dixit esse, & hoc etiam peiorem eum, quem dicturus est: nos etiam hoc loco monens, in omnibus eiusmodi distinguendum esse, num æger supinus cubare solitus sit. nam si ita sit, nec magnam ingredientis Medici curam getat, tum ne medius quidem inter bonum, & malum hic decubitus recte ha-

Auic.l.4.f.2. t.1.cap.42. p.844.D.

bendus

bendus erit,ſed potius inter bonos numerandus. ſi uero æger neque hoc modo iacere & medicum re- E uereri conſueuit,id non bonum ſignum eſt. præcipue autem,ſi ipſe ſit natura pudentior. quibus quidẽ omnibus rebus fit,ut hic decubitus, quantum in ſe eſt,inter bonum, malumq; ſit collocandus: ſed in utranque partem,ut natura ægri ferat,trahi poſſit.

*Id uero peius eſt,ſi declinis ſit,& a lecto ad pedes delabatur.* 15 Auic. ibid.

Vt iacere in latus, aliquid roboris adhuc adeſſe ſignificat,ſic ſupinus in accliui decubitus: quo modo omnes cubamus. quocirca ſi cadauer in alterum latus collocaueris, pronum tamen, aut ſupinum omnino recidit:quemadmodum ſi in accliui quoque ipſum ſtatueris, ita quoque ad pedes delabetur. merito igiť hoc ſignũ prauũ eſſe dixit,quod facultatis corpus gubernãtis extinctionẽ quandã indicet.

*Vbi pedes nudat,neque ijs calor admodum ſubeſt,ubi brachia,ceruicem,& crura inæquabiliter diſpergit,ac nudat,malum eſt:ſignificat enim angorem.* 16 Auic.ibid.

Rectiſſime adiecit exceptionem, cum dixit, neque ijs calor admodum ſubeſt: propterea quòd in febribus calidiſſimis,cum pedes quoque unà cum alijs partibus peruruntur,eos nudare ægri coguntur. at ſi febris talis non ſit, qui pedes nudat, ſe uel mollem, uel inquietum eſſe indicat. porrò ſi manus quoque,& ceruicem, & crura non ex more componit, ut ante dixit, ſed eas partes inæquabiliter diſpergit, malum ſignum eſt: ait enim ἀλυσμὸν.i.angorem indicari.quod nomen ſignificat, omnem ſitũ F ei moleſtum eſſe: ac ſubinde mutari. ac ſi te præſente,æger eo modo, quo dictum eſt, cubans, protinus ſe in aliam figuram uertat, & præterea artus,collumque inæqualiter iactet, ſcito ipſum, aut uitio oris uentriculi,aut uirium infirmitate ſic conflictari: modo prius diligẽter perpenderis eius inſtitutũ, utrũ ſit natura mollior,& rebus omnibus,quamuis etiã minimæ ſint,facile cedat,atque uincatur.

*Mortale etiam eſt,cum hians quis dormit.* 17 Auic. l. 1.f. 3. d.2.c.9.p.121 C.

Ideo mortale eſt,quia ſignum eſt imbecillitatis muſculorum os claudentium,ut paulo ante dictum eſt de ijs, qui palpebras committunt. ceterum ſcriptura talis eſt,qualis a me deſcribitur: nec alia habetur in uetuſtis libris. aliqui tamen,ut quibus uſus eſt Dioſcorides,aliter habent,hoc modo,Graue aũt etiam eſt,cum hians quis ſemper dormit:† in qua, duo ſigna ſimul iunguntur, alterum,ut ſemper hiet: alterum, ut ſemper dormiat. ac ſecundum quidem prauum ſignum eſſe, etiã ſi nullus hiatus adſit,ipſe illo aphoriſmo declarauit,quo ſomnũ & uigiliam,ſi modũ exceſſerint, in malis ſtatuit: ſed probabilius eſt,ut hiatũ oris inter dormiendũ intelligamus: ſiquidem ita fieri frequenter uidetur. quod ſi cui non dormienti id nihilo minus accidat,malum certe multo maius indicabit.

† Sic intellexiſſe uidetur Cor. Celſus. li.10.ca.6.ubi totum hũc de ſignis locũ pertractat: ait. n. ubi hiat: ubi aſsidue dormit.

*Et ſi ſupinus iaceat, cruribus reductis, atque diſtractis.* 18

Verbum διαπεπλεγμένα ſcribitur & per γ, & per χ:& ſignificat crura plurimũ inter ſe diſtantia. hicque G decubitus abſurdus eſt,utpote qui delirium indicet: cum nemo ita dormire conſueuerit: ut etiam non aliter iudicandũ eſt,ſi περιπεπλεγμένα legas,id eſt complicata: quando hic quoque decubitus abſurdus eſt,ut quis ſupinus iaceat,cruraq; contractu,& inter ſe circumplexa habeat.

*Si pronus in uentrem cubet, qui per ſanitatem non aſſueuerit, aut delirium, aut partium ad uentrem pertinentium dolorem ſignificat.* 19 Auic.l.4.f.2. t.1.c.42.p.824. E.

Admonet nos perpetuo illius exceptionis,quæ rebus omnibus adiũcta eſt: ut ſpectemus,utrũ ægro quid accidat, quod ei conſuetum ſit:nam hoc etiam loco in uentrem cubare præter conſuetudinẽ, aut delirium ſignificat,ut in decubitu ante dicto; aut dolorẽ qui partes quaſdam illic conflictet: planum.n. eſt, pleroſque,quibus uenter dolet,eiuſmodi ſitum deligere.

*Vbi in ipſo morbi uigore reſidere æger uult, cum in omnibus acutis morbis malum eſt: tum uero in peripneumonia eſt peſſimum.* 20 Auic. ibid.

Qui peripneumonia laborant,magna ſe premi anguſtia in thorace,pulmoneque ſentiunt, ſi quãdo ſupini iaceant: ſi uero reſideant,facilius ſpiritũ ducere: ſupinis enim partes thoracis,quæ pectore cõtinentur,quodammodo in ſpinam procumbunt,quã ob cauſam pulmo anguſtatur, nec poteſt tantum H aeris, quantum ſatis eſt, inſpirando admittere. in alijs autem morbis,cũ uigent (hoc.n.maxime expendendum eſt,ut quod non temere adiectum ſit) grauiſſimum eſt,uelle ut ægri reſideant.tunc enim maxime fatigati cupiunt immoti iacere: ac ſi quis eos excitet,indignantur.itaque ſi uigente morbo æger ſedere conabitur,id uel a magna ſpirandi difficultate,aut angore,aut delirio progredi conijcias.

## NOTAE A DENTIVM STRIDORE.

*Dentibus autem ſtridere in febribus, niſi quis a puero conſueuerit, inſaniam,mortemque portendit: futurum autem ab utriſque periculum prædicendum eſt. ſi uero deliranti hoc etiam accedat,id iam ualde pernicioſum eſt.* 21 Auic.l. 4. f. 2. t. 1. c. 37. p. 823.C.

Cum muſculi temporum,& maxillarum modo conuulſionis commouentur, tum dentibus ægri ſtridunt: nonnulli uero ſolum muſculis a primo ortu, uel poſtea aliquã ob cauſam affectis:nonnulli, quod principium neruorum in eiuſmodi affectionem perductum ſit, unde nerui,qui ab ipſo naſcuntur, conuelli maxime poſſint. ceterum cuiuſque particulæ conſtructio conſideranda eſt, quam ab initio propriam obtinuit: de qua quoniam alibi copioſius actum a nobis eſt, nunc ſatis fuerit, uno uerbo dicere, ac monere, ut reliqua ad memoriam reuocemus,ne mirari ſubeat, quomodo communi neruorum omnium principio affecto,muſculus aliàs alius aut tremore,aut conuulſione corripiatur. quemadmodum

A dum enim in quibusdam corporibus plane uidemus, optimam esse crurum fabricationem, in alijs in ipso statim ortus initio pessimam, usque adeo ut illi uelocissime currant, isti uero uix pedibus consistãt: & alias etiam corporis partes simili modo factas intuemur: ad eundem modum ut leui de causa facile lædantur alijs crura, alijs summi pedes, aut oculi, aut caput, aut alia pars, id ab ipso statim ortus principio fabricationem corporum est consecutum. nihil igitur mirum uideri debet, si alijs imbecilli sunt oculos mouentes musculi: alijs, qui maxillas mouent: ut horum uitio uel semper, uel leui de causa dentium stridor existat: illorum uero, perpetuus sit oculorum motus: dentibus enim a natura stridere, simile est ei oculorum affectioni, quæ quibusdam insita est, quam equum uocant: cum ne momento quidẽ temporis firmi manent, sed perpetuo quasi trementes dimouentur. per febriles porrò morbos ex affectione originis ipsorum, eos conuulsione excipi, simile rursus est illi constructioni musculorum, qui in oculis sunt: de quibus dixit, Aut sublimes appareant: sunt enim corpora quædam, in quibus musculi oculorum citius, affecta origine, noxæ participes fiunt: alia uero, in quibus temporum, aut maxillarum. itaque iure dixit, hoc symptoma insaniam, mortemq; pertendere: atque insaniam quidem, quasi uehementem mentis commotionem dixerit: mortem uero, quia origo læsa est. sed existit hoc loco quæstio, quo modo, hoc significare insaniam scripserit, tum addat, si uero deliranti hoc etiam accedat, id iam
B ualde perniciosum est: nam si dentium stridor delirium denuntiat, cum iam delirare quis cœperit, non modo non cessabit, sed etiam fiet uehementior affectio, cum alij insuper musculi quidam in eiusdem mali consensum perducantur. quare hæc esse uidetur uerborum sententia. dentium stridor, quibus ab initio consuetus non est, futuri delirij symptoma est. si uero unquam ad ægrũ accedas, & utroque modo conflictari eum & delirio, & dentium stridore comperias, mortem in proximo esse conijcito. quocirca prima ratione, cum æger nondum deliros dentibus strideret, id solum absolute significabatur, ut in eo insaniæ mortisque indicium esset: ubi uero deliraret, simulque dentibus strideret, in propinquo mortem esse. id autem ipse aperte declarauit uerbo, iam, adiecto: nã mortale hoc symptoma esse, dictũ etiam superioribus uerbis est: sequentibus uero addidit, iam, & ualde, dixitque id iam ualde mortale est: hoc est, admodum mortale est: quod est, non longo post tempore, sed perbreui ægrum esse moriturum.

AB VLCERE.

22 *Vlcus siue ante, siue in ipso morbo natum est, obseruari debet: si enim moriturus homo est, aridum & liuidum, aut pallidum, & siccum ante mortem erit.*

C Siccum omnino ulcus erit, quoties facultas corpus nutriens imbecilla sit. color aũt nunquã semper unus erit: sed pro humorum, qui in corporibus sunt, uarietate: & pro modo læsionis uariabitur: biliosis enim humoribus exuperantibus, color pallidus erit: melancholicis uero, aut liuidus, aut in altera χλωροῦ significatione. supra enim docuimus, χλωρὸν interdum significare pallidum, interdum uero colorem ferme ærugini similem: qua significatione solent mortales brassicas χλωρὰς appellare. simili quoque modo noxa, si magna sit, liuidum, qui proxime ad nigrum accedit, minor uero rubrum, & uiridem gignit. quã ob rem plerique extremum sententiæ scribunt hoc modo aut pallidum & siccum: alij uero sic, aut uiridem & siccum.

A GESTICVLATIONE MANVVM.

23 *De manuum autem gesticulatione sic statuendum est: si in acutis febribus, in peripneumonia, phrenitide, & capitis*
Aui.l.4. f. 2.t. 1.c.54.p.825. A. *dolore, quis eas faciei, admoueat & aliquid inani labore uenetur & festucas carpat, & in uestibus floccos legat, uel in pariete, si qua minuta eminent, caput carpat: ea omnia mala esse, & mortalia.*

A.l.3 f. 3.t. 4. c.18.p.439. E D Manuũ gesticulationes, hoc est actiones, & motiones, quas modo recensuit, ab imaginatione prouenitunt eo modo, quo fit in ijs, qui suffusione correpti sunt: quæ enim illi inter crystallo similem humorem, & corneam tunicam, qua pupillam ambit, uident, foris posita esse arbitrantur: quia cum integra ualetudine fruerentur, soliti perpetuo erant res in aduerso aere perspicere. simili quoque modo ij, de quibus Hippocrates loquitur, in acutis febribus, in insania, pulmonis dolore, & capitis, ea quæ intra oculos sunt, quasi extra sint, uidere sibi uidentur: ostensum est enim, spiritum, quo uidemus, splendentem esse, sibique similem reddere eum humorem, tenuem quidem & purum, qui inter crystallinum & pupillam intercedit: qui illi simillimus est, qui ouis inest, quo etiam in lippitudinibus utimur. illud etiam docuimus, spiritum per hunc humorem, cum ipsomet humore compactum, ex pupillæ foramine ad aerem externum deferri. iam uero hunc ipsum aere pariter illustrato uti, tanquam congenito instrumẽto, cuius talis facultas est, qualẽ in corpore neruus habet, demonstratũ est in ijs disputationibus, in quibus separatim de aspectu actum est, ut in decimo tertio de demonstratione, & in septimo de Hippocratis Platonisque decretis libro, & item in decimo de usu partium non pauca conscripsimus. ut igitur cerebrũ affectionẽ digiti pedis, exẽpli gratia, per neruũ sentit, sic per circunfusum aerem res aspectabiles, foris positas, quæ ab ipso modice distãt, intuetur. suffusiones igitur in hoc humore, qui ut dixi, oui candidæ ac tenui parti similis est, quique inter pupillam & crystallinum est medius, excitantur. in hoc eodem nonnullis, qui non concoxerunt, uisa suffusis similia contingunt: cum enim

humor

humor niger, aut craſſus ſe opponat, ueterque ne ſplendor ipſius aſpectus foras egrediatur, tum uiſa E apparent pro natura eius humoris, qui conſtiterit: ſi quidem interdum uelut pilos quoſdam, aut ſubtegmen, aut ſtamen, interdum nigros culices, aut muſcas uolitantes, interdum uero etiam quæ lenti, aut nigro milio ſimilia ſint, uidere ſe putant. idem in acutis febribus, & pulmonis inflammationibus contingit, ut ſublatis in caput humoribus, humor etiam ille purus, qui pupilla continetur, inficiatur: ut ut autem ipſe turbidus ſit effectus, ita prædictæ imagines oborientur. in uehementi autem capitis dolore, & inſania, tum quod caput ſit repletum, tum quod humores in oculos conſcenderint, illa eadē ſymptomata fiunt. atque inde originem duxerūt ea uerba, κροκυδίζειν hoc eſt floccos legere, & καρφολογεῖν hoc eſt, feſtucas carpere, quæ Medici omnes in phreniticis uſurpant. ac plerique nobis eiuſmodi feſtucarum, ac floccorum uiſa, tantiſper dum contingerent, atque etiam poſtquam eueniſſent, eorundē memores expoſuerunt. duplex autem eorum differentia eſt: alij enim ſenſuum facultate læſa delirarūt, integro tamen iudicio: alij uero propter eximiam prudentiam, quamuis parua ex parte iudicium affectum eſſet, tamen uiſis reſtiterunt, repreſſeruntque adeo, ut ea uincerent, & expugnarent, quæque fierent, intelligerent. atque hi quidem nobis indicarunt, quibus uiſis manus dimouiſſent, ut ſcripſit Hippocrates: ueſtium enim uilli multis locis eminere illis uidebantur, aut ſtipulæ parietibus hærere: ſæpe etiam multas feſtucas ſtragulis ſparſas cernere, atque ante oculos parua animalia uolitare exiſtima- F bant: quæ cum ipſi uenari conarentur, manus tanquam aliquid comprehenſuri, circūferebant: alia uero, quæ eminere uidebantur, partim a ueſtimentis auellere, partim a pariete carpere nitebantur. graues autem ſunt affectiones, quæ huiuſmodi ſymptomata pariunt: quippe quæ ab acuta febre, pulmoniſque dolore, & capitis propter humoris abundantiam excitētur: in inſania uero, propter affectæ partis dignitatem: quæ ſane ex toto genere pernicioſa eſt: febres uero acutæ, & pulmonis, capitiſque dolores, propter magnitudinem, ut ante diximus.

## A SPIRATIONE.

*Spiritus frequens, aut doloris, aut inflammationis in partibus ſepto tranſuerſo ſuperioribus, indicium eſt: magnus uero & ex longis interuallis, delirium denunciat: ſi uero frigidus naribus & ore expiretur, iam ualde pernicioſus eſt.* 24 Auic.l.3.f.10.t.1.c.17.B.

Totam hanc orationem in tertio de difficultate reſpirationis accuratiſſime explicauimus: itaque nunc capita ſolum perſequar. Hippocrates ſpiritum uocat hoc loco totam reſpirationem: quæ ſi crebra ſit, inquit, dolorem quandoque ſignificat: quandoque inflammationem partium, quæ in thorace ſunt: quæ ſunt cor & pulmo, quorum poſitus ſupra ſeptum trāſuerſum eſt, ſiquidem φρένας, & διάφραγμα idem ueteres appellarunt. atque in doloribus oſtenſum eſt, paruum, frequentemque ſpiritum duci: in G phlogoſi autem (ſic enim uocare inflammationem ſolent) frequentem & magnum. Spiritus uero rarus, hoc eſt longis interuallis ductus, cum magnitudine, delirium: cum paruitate, extinctum natiuum calorem ſignificat: quam affectionem ipſe ex accidenti indicauit his uerbis: ſi uero frigidus naribus & ore expiretur, iam ualde pernicioſus eſt. harum autem tantum modo ſpirandi difficultatum factam eſſe in libro præſagiorum mentionem, cum de morbis acutis differat: in libris uero de morbis uulgaribus plures alias eſſe expoſitas, in tertio de reſpirationis difficultate nobis oſtenſum eſt.

*Exiſtimandum autem eſt, facilem ſpirationem, in omnibus acutis morbis, quibus iuncta febris eſt, quique intra quadraginta dies iudicantur, ualde magnam uim ad ſalutem obtinere.* 25 Auic.l.4.f.1.t.1.c.31.p.422. E.

Naturalem reſpirationem appellauit facilem ſpirationem: quæ nec thoracem, nec cor, nec pulmonē, nec ſeptum tranſuerſum, nec ullam aliam particulam, quæ annexa illis ſit, dolore uexari ſignificat: dolent enim, cum per reſpirationem mouentur, ſine inflammatione obſideantur, ſiue aliqua affectione dolorem inuehente teneantur: ſunt enim hæ, uentriculus, lien, & iecur. quando igitur nulla earum laborat, nec caloris tanta eſt copia, ut exuri, & ardere uideantur: nec contra, tanta penuria, ut natiuus calor iam extinguatur, quis non fateatur, in magna ſpe debere ægrum eſſe, recuperandæ etiam in acutis H morbis ſanitatis, a quibus uel ob febris magnitudinem, uel ob eam, quæ proprie nominatur inflammatio, pericula immineant? morbi autem diuturni quamuis horum ſunt expertes, tamen quia uires diſſoluunt, periculo non uacant. quod in cauſa eſt, ut eos Hippocrates exceperit, ac de ſolis acutis id pronunciarit. cumque hi duplices ſint, quorum alij abſolute, & primo acuti ſunt, alij ex iſtis conſequuntur, utrunque genus ipſe complexus eſt, cum dixit, quibus adiuncta febris eſt, & qui intra quadrageſimū diem iudicantur. dixit autem, quibus coniuncta febris eſt, ut hos a conuulſione, & diſtentione, cholera, atque alijs acutis morbis, qui febris expertes ſunt, diſtingueret: addidit uero, quique intra quadraginta dies iudicantur, ut eos, qui proprie & abſolute acuti ſunt, eos aggregaret, qui ex alijs ſunt decidui. ſunt autem hi initio quidem acuti, ſed decimoquarto die, uel etiam maturius imperfecte iudicantur, & reliquiæ quædam morbi ad diem quadrageſimum extenduntur. atque acuti quidem morbi imperfecte iudicati non ſolum in hos degenerant, ſed etiam in diuturnos, præſertim uero in marcorem, in quartanam, in ſuppurationem, in tabem, & aquam inter cutim: hos tamen Hippocrates ab hac tractatione excluſit: in ijs ſolis, qui ſimpliciter acuti ſunt, quibus iuncta febris eſt, & in alijs deciduis, qui intra quadraginta dies finiuntur, optimum ſignum eſſe ſpirandi facilitatem confirmans, non tamen in omnibus acutis febre uacantibus: nec item in diuturnis. ita fit, ut morborum omnium genera ex temporis

A poris differentia tria sint: quorum unum est acutorum morborum, qui quatuordecim diebus iudicantur, cui contrario nomine diuturni opponuntur: aliud uero tertium ambiguum, & ueluti in medio utriusque constitutum: cuius extremus dies criticus est quadragesimus. hæc ego pronuncio, quæ ijs, quæ in ægris aperte uidentur, consentiunt: quæ si quis in illis diligenter expendat, is rerum naturam eiusmodi esse intelliget. qui porrò dicunt, a sene nostro cũ scribit, acutos morbos quatuordecim diebus iudicari, numerum criticorum dierum doceri, ij tantum abest, ut norint, quæ maxime eos scire cõueniat, ut ne uerba quidem intelligant: nam si hoc ipsum, acutos morbos quatuordecim diebus finiri, multitudinem dierum criticorum designat: certe & quod modo ait, intra dies quadraginta iudicari, dierum criticorum numerum significabit. quærant igitur, an quod in quatuordecim diebus faciunt usque ad quadragesimum: idem in quadraginta diebus, quos nunc memorauit, possint efficere.

A SVDORE.

26 Avic.l.4.f.2.t. 1c.71.p.827. *Sudores in omnibus acutis morbis optimi sunt, si in criticis diebus oriantur, & febrim prorsus finiant. boni autem sunt, qui toto corpore manant: faciuntque ut æger facilius morbum ferat. qui nihil horum efficiunt, non sunt utiles: pessimi autem sunt frigidi, & qui circa caput solum, & faciem, & ceruicem oriuntur: siquidem in acuta febre mortem: cum*
B *mitiore uero, morbi longitudinem denunciant. [& qui per totum corpus eodem modo, quo in capite, proueniunt. qui uero milij instar, & circa ceruicem solum prodeunt, mali: qui cum guttis, & uapore excitantur, boni. ceterum sudores considerare in uniuersum conuenit: alij enim exolutis corporibus, alij uero propter inflammationis uehementiam excitantur.]*

Duas optimi sudoris notas scripsit, omissa tertia, quasi prædictas necessario consequatur: qui enim sudores diebus criticis, fiunt, & ægrum febre prorsus liberant, ij toto corpore manant. inter notas autem boni sudoris, sed non optimi, cum eum toto corpore prodire, & partem aliquam morbi adimere, scripserit; nihil tamen de criticis diebus addidit, quasi id sudoribus bonis necessario comitetur. est alius quoque tertius sudorum modice malorum ordo, de quibus ait, qui nihil horum efficiunt, non sunt utiles: hoc est, qui neque toto corpore profunduntur, neque faciunt, ut æger facilius morbum ferat. inter quos planum est, deteriores esse eos, qui neutrum faciunt: moderatiores, qui alterutrum. inter hos præterea, moderatiores sunt, qui efficiunt, ut æger morbum facilius ferat, quamuis toto corpore non effluant: peiores, qui morbum grauiorem reddunt, licet in totum corpus pertineant. est hoc omnibus his sudoribus tributum, calidi ut sint: itaque in tribus eorum ordinibus statuendis, id non expressit, quippe qui ea, quæ necessario quædam consequuntur, & quæ ex eorum, quæ subijciuntur, oppositione intelligi possunt, solitus sit prætermittere. omnibus autem sudoribus, quos hoc sermone
C expressit, frigidos opponit, his uerbis: Pessimi autem sunt frigidi: atque cum eis malos quoque esse ait, qui circa ceruicem, caputq; excitantur, etiam si frigidi non sint: siquidem animi defectionem minantur. qui si & in illis partibus fiant, & frigidi simul sint, pessimi omnium censebuntur: propterea quod non esse futuram, sed incepisse iam animi defectionem indicant, ceterum ex febris uehementia distinguuntur: etenim si acuta febris est, tam frigidi illi sudores, etiam si ex toto corpore manent, quàm alij qui solum caput atque ceruicem, quamuis forte calidi, occupent; mortem prorsus afferet. at si mitis febris est, poterunt tandem uires uitiosos humores spatio temporis concoquere, nisi prius a febris uehementia consumantur. nullam uero criticorum dierum in alijs sudoribus mentionem fecit: de quibus tamen in principio, cum de optimis sudoribus diceret, locutus est: tum quod uim criticorum dierum proprio libro esset explicaturus, tum quod hoc ipso sermone simul eos indicauit: una enim eorum uis est, iudicationem fidam reddere, siue bonus, siue malus exitus eam consequatur. Scire conuenit, finem huius orationis a Dioscoride sic esse conscriptam: Pessimi autem sunt frigidi, & qui circa caput tantum, ceruicemque excitantur: mortem enim, aut longitudinem morbi significant. quam scripturam esse breuiorem superiore, & eandem sententiam habere planum est: sed interpres addere debet, quod in superiore scriptum iam est: ut in febre acuta mortem, in mitiore, morbi prolixi-
D tatem indicet. quædã postea de sudoribus adscribuntur, quæ non sunt in omnibus scripta libris: & quæ rectè cũ alij, tũ uero Artemidorus, & Dioscorides, tãquã ea Hippocratis nõ essent, expũgẽda cẽsuerũt.

AB HYPOCHONDRIIS.

27 *Optimum autem est, si hypochondria sine ullo sensu doloris in utraque parte æquabiliter mollia sunt. inflammata uero, dolentia, aut intenta, aut dextrum a sinistro uarium, & inæquale: hæc omnia uereri oportet.*

Breuissima oratione totam rem quispiam complectens dixerit, hypochondrium optime affectum esse, quod sit naturali quàm simillimum. Hippocrates uere notas omnes singillatim persequitur, quarum primã sumit ab ijs, quę in re non insunt: quæ recentiores Medici ἀσυμβεβηκότα, hoc est nõ accidentia nominare solent: alias duas notas consequentes, ab ijs ducit, quæ hypochondrijs accidunt. ac doloris quidẽ expers esse, sumptum est ab eo, quod non accidit: at molle esse, & æquale, ab illis, quæ insunt: sed molle ex moderato renixu cognoscitur: cuius contrarium, quod uehemẽter renititur, durũ est. æquale uero non hac solũ nota deprehenditur: possunt enim omnia æque mollia esse, ita tamen, ut aliqua ex parte dolore uacẽt, aliqua uero dolorẽ sentiãt: uel ut alio loco calidiora, alio frigidiora sint: aut partim sublimiora, partim magis depressa: quare optimo, & æquali hypochondrio pessimi, inæqualisq; notas

opponens ait, inflammata uero, dolentia, intenta, inæqualia, dextrum a ſiniſtro uarium. quo loco quod E
dixit inflammata, de totis hypochondrijs intelligendum eſt: hoc enim uerbum inflammatum eſſe, idē
ſignificat, quod exuri, incendi, & igneſcere. ſimili quoque modo, dolentia, de totis dictum eſt, ut etiā
intenta: itemque quod dixit inæqualia: ut cum hypochondria tota eandem affectionem, aut in calo-
re, aut frigore, aut dolore, aut doloris uacuitate, aut gracilitate, aut laxitate, aut tenſione non obtinēt.
tenditur autem quandoque hypochondrium ſine ea, quæ proprie nominatur inflammatio: idque uel
ob uehementem ſiccitatem non modo ipſius hypochondrij, ſed etiam membranæ coſtas ſuccingen-
tis, & ſepti tranſuerſi: uel ob muſculorum hypochondrij inflammationem, quæ tumorem excitet, quę
tamen non proprie inflammatio, ſed tumor ſit, a quo dolor inuehatur.

*Quod ſi in hypochondrijs pulſus quoque inſit, perturbationis, uel delirij indicium eſt. uerum oculos eorum intueri opor-* 28
*tet; ſi enim crebro moueantur, expectanda inſania eſt.*

In quibuſdam libris non pulſus, ſed palpitatio ſcriptum eſt: quod ſymptoma a flatuoſo ſpiritu ex-
citari compertum habemus: in plurimis tamen legitur pulſus: ſiue is ſit, qui magnas inflammationes
comitatur, ſiue ſit motus arteriæ maioris in ſpina, quem æger ſentiat: ut ipſe in ſecundo de uulgaribus
morbis libro dixit: cum uena in cubito pulſat, inſania, furorque adeſt: conſtat enim, ut pulſare dixe-
rit de magna adeo, ac uehementi arteriarum motione, quam uel æger ſolus, uel qui illi aſſiſtunt, non F
admota etiam manu, manifeſto percipiunt. Sed quicquid horum acciderit, non bonum ſignum eſt: ſi-
quidem & magna arteria, & uentriculus, & iecur, & ipſum ſeptum tranſuerſum inter principes partes
habentur: quorum unum omnino affectum eſt, ſiue pulſum, ſiue palpitationem legas. Sed tranſuer-
ſum ſeptum promptiſſime delirium infert: quamob rem φρένας quaſi mentem dicas, a ueteribus uoca-
tum eſſe commemorant. nec minus id facit uentriculi os, cum magna inflammatione exceptum ſit. re-
liquæ uero partes, quæ illic ſunt, ſi aliqua ex his affectionibus corripiantur, plurimum periculi habent.
quocirca iure dixit Hippocrates, ab hoc ſymptomate aut turbationem, aut delirium portendi: turba-
tionem quidem, quod hæc omnibus periculis ex æquo comitetur, quibus non ægri ſolum, ſed Medi-
ci quoque perturbari ſolent. delirium uero, propter ſeptum tranſuerſum, & os uentriculi. de muſculis
uero hypochondriorum conſiderandum eſt: ſiquidem neque delirium neceſſario indicant, neque pe-
riculum inferunt ſiue pulſent, ſiue palpitent. quare uerbum, inſit, non eſt uulgari ſenſu intelligendum,
quo uerbo uſus eſt hoc loco Hippocrates, cum dixit, quod ſi in hypochondrijs pulſus quoque inſit:
quippe qui uoluit eo uerbo ſignificare palpitationem, aut pulſum, qui in ima præcordiorum ſede fiat.
Sed eorum quoque oculos intueri oportet: nam ſi crebro moueantur, expectanda inſania eſt: cum.n.
eo ſymptomate turbationem, aut delirium portendi monuiſſet, modo diſtinguit, ut quando perturba- G
tio, quando delirium expectandum ſit, intelligamus. ducitur autem ab oculorū motu diſtinctio: quos
non modo nunc, ſed in alijs quoque ſymptomatis, in quibus delirium fore ſuſpicaris, diligenter intue-
beris: nam ſi inſtabiles ſint, illud indicant. Sed hoc loco non ſolum ſimpliciter delirium, ſed furorem
expectandum eſſe dixit: indicans ab his ſignis uehemens delirium eſſe futurum, ceterum, crebro ocu-
lorum motu delirij ſuſpicionem confirmari, potes, ut ego quidem puto, facile colligere ex ijs, quæ
modo retulimus, cum muſculos oculorum primos eſſe, qui cerebri affectiones ſentiant, oſtēderemus.
ipſum uero cerebrum cum ab alijs nerueis partibus, tum a ſepto tranſuerſo, & ore uentriculi afficitur:
cum enim ab eo nerui omnes originem ducant, merito fit, ut quæ partes neruos plurimos, aut maxi-
me recipiunt, ſuum quoque principium in affectionis conſenſum trahant.

A TVMORIBVS.

*Oedema in hypochondrio durum, & dolorem afferens, ſi totum hypochondrium obſideat, peſſimum eſt: ſi autem alte-* 29
*ram tantum partem, minus periculi habet, quod ſiniſtram.*

Solet Hippocrates omnem præter naturam tumorem, œdematis nomine ſignificare: Medici tamē H
recentiores unum ſolum ſic uocant, qui ſi comprimatur, nullum dolorem infert, & mollis eſt: rurſus
uero quam iſti proprie inflammationem nominant, Hippocrates compoſita dictione durum, doloréq;
afferens œdema appellat: ſiquidem inflammationis uocabulum de phlogoſi, quaſi dicas, ignitione ef-
ferebat. planum autem eſt, ſi hæc affectio hypochondrium occupet, eam in dextera parte propter
iecur, eſſe deteriorem: mitiorem in ſiniſtra, propter lienem: peſſimam, ſi utrunque latus obſideat.

*Huiuſmodi autem œdemata in principio exorta mortem cito futuram denunciant.* 30

Tumores inquit duri, & doloris ſenſum afferentes, qui hypochondrium teneant, quoſque recen-
tiores proprie inflammationes nominant: periculum cito futurę mortis ſignificant. hoc autem, niſi in-
ternarum quoque partium aliqua ſimul affecta ſit, falſum eſt. internas uero eſſe ſcimus has, iecur, uen-
triculum, lienem, & peritonæum: propterea quod muſculi hypochondriorum inflammatione tentati
mortem afferre non poſſunt: niſi, quod raro accidit, uel inflammationis magnitudo inſignis ſit, uel ui-
res admodum imbecillæ, uel a Medicis male curetur: uel ipſe æger delinquat. quare confuſe, & indi-
ſtincte hæc eſt conſcripta ſententia.

*Si uero diem uigeſimum excefferint, febriſque occupet, neque tumor conſidat, in ſuppurationem uertuntur.* 31

Oēs, qui præter naturā ſunt, tumores diſiectis humoribus à qbus fiūt, curātur, atque cōſidūt. quare ſi
non

A non conſiderint, planum eſt, humores ipſos remanere: eorumque in qualitate fore omnino quandam mutationem: ut uel putreſcant, ſi natura, ut in cadauere, nullam eorum concoctionem præ imbecillitate moliatur: uel ſi illa ualida ſit, in pus conuertantur. recte igitur dixit Hippocrates, ſi partes inflammatæ non ſubſederint, ſimulque febris detineat, in pus mutari: ſedata enim febre uidendum eſt, num quæ inflammatio ſcirrhi ſpeciem referens ſuboriatur: quia ſic plerunque euenire conſueuit: cum tenuior humorum pars, eorum qui inflammationem excitarunt, diffletur: craſſa uero, ac glutinoſa in ipſis affecti corporis maioribus ſpatijs minutatim impacta contineatur. cur uero diem uigeſimum terminum talium abſceſſuum ſuppurationis ſtatuerit, in libro de criticis diebus ſecundo explicabimus.

32 *Accidit autem his, in primo circuitu, etiam ſanguinis e naribus profluuium: ac ualde confert. interrogare uero oportet, num caput eis doleat, aut oculi caligent: ſiquid enim horum adſit, illuc repit.*

Auic. l. 1 f. 2. d. 3. p. 87. c. 10. B. Indiſtincte locutum ipſum eſſe de hypochondriorum inflammationibus, ex hac etiam oratione apparet, qua ipſas diſtinguit: nam & in eis ſanguinis e naribus euenire profluuia atque ex uſu ualde eſſe dicit: quod ſane illis accidit potiſſimum, quæ iecur, lienemque obſident: in quibus etiam alibi ſanguinis e directo fluxionem commendat: eam autem, quæ e contrario fit, damnauit: ipſeque quid intelligat, B cum e contrario dixit, declarauit: ſicut cum in magno liene ſanguis e dextra nare fluat. ait autem in primo circuitu, dierum uidelicet criticorum, ſanguinis eruptionem euenire, idque ſcriptum duobus modis inuenitur, in ſingulari, & numero multitudinis: in ſingulari quidem, in primo circuitu: in plurali uero, in primis circuitibus. quod ſi in ſingulari numero ſcriptum ſit, ſeptenarium circuitum ſignificabit: ſi in numero multitudinis, poterit ipſe quoque ſeptenarius indicari (quibuſdam enim etiam in ſecunda ſeptimana ſanguis erumpit) ſed ſi ita ſcriptum ſit, potius quaternarij circuitus erunt intelligendi: ſiquidem plurimis ſanguis profluit primis ſeptem diebus: paucis nono & undecimo: pauciſſimis uero, decimo quarto. porrò quod humores ſurſum ferantur, unde fieri ſanguinis eruptiones ſolent, notas addidit has, capitis dolorem, & caliginem oculorum. ſed de his perfectius poſtea diſſerat, quo loco nos quoque totam de ſanguinis eruptione tractationem abſoluemus.

33 *Verum potius in iunioribus, qui trigeſimum quintum ætatis annum agunt, ſanguinis profluuium expectandum eſt.*

Docet diſtinctionem ab ætate ductam, qua ad præſagiendam ſanguinis fluxionem utamur, ſperandas uidelicet magis fore ſanguinis fluxiones in iunioribus, qui annos quinque & triginta nati ſint: ſiquidem in ea ætate plurimum ſanguinis eſt, uiresq; ſunt ualentiſſimæ: & calor copioſus.

34 C

*Mollia autem œdemata, dolorem non inferentia, ac digitis cedentia, multo tardius indicantur: ſuntque minus, quàm illa, periculoſa.*

Hæc ſunt, quæ recentiores Medici proprie uocant œdemata: quæ cum ueteres nominant, modo œdemata mollia ſolum dicunt, modo uero addunt, doloris expertia. quod ſi quando omiſerint, id tanquam a molli fere indicetur, omittunt: propterea quod mollia nullum doloris ſenſum afferant. Hippocrates autem hoc loco non ſolum id, ſed etiam cedentia adiecit: cum tamen id quoq; in uerbo, mollia, comprehendi uideatur: niſi uelit ea, quæ compreſſu cauantur, nunc intelligere: quod non omnibus abſolute accidit, quæ cedunt: ſed in quibus cutis ipſa intumuit. quia uero hæc omnia pituiroſa ſunt, ideo diutius perſeuerant, ac minus periculoſa ſunt. diuturniora autem ſunt, quia frigidiora ſunt: minus uero periculoſa, quia dolore uacant: uires enim dolor exoluit.

Auic. l. 1 f. 2. d. 2. c. 10. p. 78 F.

35 *Quod ſi intra ſexaginta dies neque febris deſinit, neque tumor ceſſat, in ſuppurationem & hoc, & quod in reliquo uentre eſt, uerſum iri ſignificat.*

Supra dixerat in œdematis inflammatis, utpote calidioribus, ſi febris poſt uigeſimum diem ſedata D non eſſet, ſuppurationem futuram: nunc uero in frigidioribus ſexageſimum ſtatuit ſuppurationis terminum. ſunt autem & alia quædam, inter hæc media, quorum terminus eſt dies quadrageſimus. totam autem de hiſce omnibus diſputationem in librum de criticis diebus reieci. ceterum non ſolum tumores, qui diutius in hypochondrijs morantur, in ſuppurationem mutatum iri ait, ſed etiam eos, qui in reliquo uentre conſtiterint: quaſi in aliqua ſignificatione hypochondria in uentris partibus numeranda ſint.

36 *Itaque tumores qui dolorem cient, durique, ac magni ſunt, mortis periculum in propinquo eſſe denunciant: molles uero dolore uacantes, & qui digito compreſſi cedunt, illis diuturniores ſunt.*

His uerbis nihil plus docet, quàm quod ſuperioribus docuit: niſi quod tumoribus duris, & dolorem afferentibus magnitudinem adinnxit, quod nos ante quoque indicauimus, cum diceremus, muſculorum hypochondrij inflammationes nihil prorſus afferre periculi, niſi admodum magnæ ſint.

37 *Ventris tumores minus abſceſſus faciunt, quàm qui hypochondria occupant: minime uero omnium, qui ſub umbilico ſunt, in ſuppurationem uertuntur.*

Tumorum, qui per halitum digeſti non ſunt, ſuppurationes non modo citius, ſed etiam magis in hypochondrio fieri ſolent: propterea quod calidior locus ille ſit. quicunque autem ab hoc

loco ad infernas partes recedunt, ij ſerius, minuſque ſuppurant: quocirca qui ſub umbilico eſt, raro inpus uertitur. E

*Sed ſanguinis profluuium e ſupremis maxime partibus expectare oportet.* 38

In quibuſdam exemplaribus adiuncta eſt coniunctio,&: qua ſignificatur, ſanguinis e naribus profluuium non modo affectis hypochondrijs, uerum etiam alijs partibus inferioribus, futurum. in quibuſdam coniunctio &,non eſt. indicat uero fieri, ſi in his quoque affectio ſit, ſed minus. ſunt quædam, quæ non habent aduerbium, maxime: ſed ita in eis legitur: ſed ſanguinis profluuium e ſupremis partibus expectare oportet. non uult autem tumores, qui infernas partes obſident, ſanguinis fluxiones excitare. ueritas autem ſic habet: a tumoribus, qui umbilicum circunſtant, ſanguinis fluxiones excitari: atque ex his,qui in ſuperioribus partibus ſint,magis: qui in ſupremis, maxime id faciunt. ac de ſanguinis profluuio poſtea quoqne loquetur, noſque eo in loco diſputationem omnem retexemus, atque abſoluemus.

*Omnium autem tumorum,qui his in partibus diu manſerint,eſt conſideranda ſuppuratio.* 39

Vno capite complexus eſt omnia,quæ ſingillatim ante declarauit: proinde hic locus nouam explicationem non poſtulat.

F

*Suppurationes,quæ inde proueniunt,ſic conſiderandæ ſunt.quæ foras erumpunt,tum quæ paruæ ſunt, & quàm maxime extrorſum ſpectant,atque in acutum attolluntur,optimæ ſunt: magnæ uero,ac latæ, nec in acutum faſtigiatæ peſſimæ.* 40

[Orationem de œdematis inſtitutam in capita redegit: ἐκπυήσιας uero,& διαπυήματα, hoc eſt, ſuppurationes, appellat mutationem, quæ ad purulentum efficitur. Sed duæ prius diſtinctiones adhibendæ ſunt: nt febris continua ſit, & ut uires non ſint imbecillæ: niſi enim utrunque adſit, ſuppuratio nó fiet. ceterum æſtimat tumorem a loco,a magnitudine, a figura: a loco, ſi intus, uel extra ſit: a figura, ſi acutus,aut planus: a magnitudine,ſi magnus, uel paruus ſit.] Cum pus uniuerſum conſtiterit, concocto tumore aliquo, qui præter naturam ortus eſt, hoc ſymptoma ſuppurationem, purulentiamque appellari plane intelliges, ſi totam eam orationem perlegas,qua de œdematibus hypochondriorum diſſeruit. colligitur autem in eis pus, quandoque ſub cute,ſæpe in imis partibus: idque duabus de cauſis: uel quod pars, quæ ſuppurat, intra peritonæum ſita ſit; uel quod licet muſculus ſit, qui afficiatur, pus ſub aliquo eius inuolucro detineatur, nec poſſit foras propter lentorem, aut craſſitudinem, aut ipſum comprehendentis tunicæ denſitatem erumpere: dat enim operam natura, ut pus excernat, atque ab afflictis partibus expellat: ac ſæpe id facit, cum idoneos ad excernendum meatus, ceu canales quoſdam nanciſcitur. Sed cum non ſemper tales inueniat, in propinqua ſpatia pus propellit: quæ ſi ſint exigua, eorum integumentum erodit, ac ſedem, quæ illi ſubeſt, amplificat. ex his igitur ſuppurationibus illas leuiores eſſe planum eſt, quæ foras, & non intro uergunt: atque ex his, quæ non magnum occupant locum,nec late extenduntur, ſed ita contractæ ſunt, ut in faſtigium tendant, & coni figuram referant. hæ autem & robuſtas eſſe uires oſtendunt,quæ pus foras propellunt: & non magnam corporũ, quæ exedunt, partem corrumpunt.nunc uero ſiue in acutum faſtigiata,ſiue in gibbum ſubducta quis legat,nihil intereſt: ſiquidem eadem eſt utriuſque ſententia. G

Hęc aiunt in v.l.inueniri.

*Quæ uero interius rumpuntur,optimæ quidem illæ ſunt,quibus cum externa ſede nulla communicatio eſt: ſed contrahuntur,nulloque dolore affligunt: omniſque exterior locus concolor apparet.* 41

Huiuſmodi ſuppurationes non abſolute ſunt optimæ: ſed optimæ ſunt earum, quæ interius exteriuſque rumpuntur: propterea quod illæ deteriores ſunt ijs, quæ foras prodeunt: nam illa eruptio in partes, quæ multo ſunt, quàm hypochondriorum cutis, nobiliores, efficitur. præterea intus ruptis non æque poſſumus medicamentum ad curandum idoneum admonere: & pus,dum per inteſtina euacuatur, ea mordet,abraditq;, ac dyſenteriam excitat. quod ſi forte per ieiunum, aut tenuia inteſtina comportetur,cibi in corpus digeſtionem uitiat: ſi uero per uentriculum, etiam concoctioni incommodat. ex quo planum eſt,eas eſſe omnium peſſimas,quæ in utranque partem,tum internam,tũ externam rumpuntur: ita enim malum geminatur: nam nec ſedem, nec ullum uelut renutritionis initium natura habet, quo rupta poſſit reparare: & uelut in ſolo quodam firma iacere regenerandæ carnis fundamenta. H

PVRIS OPTIMI NOTAE.

*Pus optimũ eſt, quod album,æquale,leueque eſt,& quàm minime fœtidum: quod autem eſt huius maxime contrarium, id peſſimum eſt.* 42

Eſt plane perſpicuum,pus debere eſſe minime fœtidum. fœtor enim exuperás nó cócoctionis, ſed corruptelæ indicium eſt.debere præterea ipſum album eſſe, ſi eius ortum noris ex ijs, quæ alibi demonſtrata ſunt,intelliges.omnia autem omnibus in locis demonſtrare, nugantium potius, quàm docentium eſt. quæ autem ſunt in alijs demonſtrata libris, hæc ſunt: libro de facultatibus naturalibus, unam ipſarum alteratricem eſſe,quæ alimentum in uentriculo, atque iecinore concoquit: ut in iecore conuertatẽ in ſanguinem: in uentriculo uero ſuccum ex aliméto ſanguini faciendo accómodatũ gignat:

Auic.l.4.f.3.t.1.c.23.p.846.D.

A gignat præterea singulas animalis partes in suam naturam succum ipsis proximum conuertere: ultima enim concoctio appositione, assimilationeq; nutrientis cum eo, quod alitur, perficitur. quam ob rem perspicuum est, multo ante tempore præparari illud oportere, quo hæc fiat similitudo. dictum autem etiam in libris de semine est, in uasorum tunicis, a quibus testes nutriuntur, sæpenumero sanguinem iã ante in semen commutatum aperte uideri. neque enim uerisimile est ipsas tunicas uasorum ulla alia re nutriri. quem sane humorem Medici quidam [illegible] uocant: & ideo semen ipsum [illegible] nominant: illi præsertim, seminis nomine non corpoream substantiam, sed eius uim appellãt. iam uero inflammationes quoque excitari, sanguine in partes inflammatas decumbente ostendimus: qui quidem primũ ipsa solum uasa repleat, ac distendat: mox uero adiacentes sedes inanes, quæ singulis in partibus multæ, exiguæque sint, occupet: ut in libro de tumoribus præter naturam ostensum est: & de eadem re in libro de inæquali intemperie disseruimus. atque is quidem sanguis qui particulis inflammatis per exiguas particulas dispersus est, redire amplius in pristinam naturam non potest: utpote qui extra sua uasa sit: immutatur uero, ac putrescit non secus, quàm reliqua omnia, quæ alieno in loco uehementius incalescunt. quare si natiuus calor a propria temperie plurimum recesserit, sanguis, ut in corpore inanimo, computrescit. sin autem uim adhuc aliquam seruet, mista quædam sanguinis mutatio efficitur, par-

B tim a causa quæ secundum naturam est, partim ab ea, quæ præter naturam aduenit: quæ ut putrefacit, sic quæ secundum naturam est, concoquit. utrauis autem earum fuerit superior, ex illa necessario indicia & in colore, & in odore, & in consistentia consequentur. ex his igitur, quæ, ut dixi, in alijs sunt demonstrata commentarijs, consequens est, ut sanguinem in pus recte mutatum, ratione inuestiges: ac primum quidem ipsum non computruisse: sed potius concoctum esse: deinde uero, licet notæ quædã putredinis præter naturam in eo appareant, leues tamen eas esse: & ut Hippocrates ait, quàm minime foetidum sit: nam quod ipse ait, quàm minime, significat, quàm paucissimum. ad hæc uero color debet esse seminis similis, albus nimirum, non tamen exquisite, qualis niuis color est: siquidem natura colorem solidorum corporum eis inducit: sed semini exquisitum, puri uero, modicũ: propterea quòd in semine nulla præter naturam causa mista est: in pure autem, ut non semper æquale est, sicut diximus, ita certe aliquid protsus mistum est, cum sanguis extra sua uasa prodierit. hæcque causa est, cur & semen, & pus alba fiant: nam & ipsum pus solidis corporibus quodammodo simile redditur: quæ sunt, *semen et pus cur alba fiat*

22 A.l.1.f.2.d.3. c.6.p.101.A. tunicæ uasorum, nerui, ligamenta, membranæ, chartilagines, atque ossa. eandem quoque ob causam candidum est, quod in urinis subsidet: habet enim similem puri originem: nempe illius, & humorũ, qui secundum naturam sunt, mediam: quicquid enim alimẽti, dum sanguis efficeretur, naturæ actio-

C nem effugit, id in urinis subsidet: non immutatum quidem a natura, ut sanguis, neque tamen, ut pus, causæ, quæ præter naturam sit, in suo ortu particeps effectum.

# GALENI IN PRÆSAGIA HIPPOCRATIS COMMENTARIVS SECVNDVS.

### *De aqua inter cutem.*

1 A.l.3.f.14.r. 36.5.p.590.F D OMNIS *aqua inter cutem, qua ab acuto morbo cœpit, mala est: nam neque febrem discutit, & uehementem quoque dolorem affert, & mortem. incipit autem magna ex parte ab inanibus, & lumbis; interdum uero a iecinore.*

Huius libri initio dixerat, in acutis morbis sic considerandum esse, in primis an ægri facies sit sanorum faciei similis: ex quo nonnulli existimarunt non solum de mortifera facie quæ in acuto morbo sit, sed etiam de ijs omnibus, quæ deinceps sequuntur, ei esse orationem institutam: qui quidem non legerũt id, quod ipse sub finẽ libri scripsit his uerbis: Hæc a me de acutis morbis, deque alijs omnibus qui ab illis oriuntur, dicta sunt. constat tamẽ, ipsum de suppurationibus locutum esse, non ijs solũ, quæ uigesimo die rumpi solent, sed quæ ad trigesimum usque, & quadragesimũ, & sexagesimũ perueniunt. itemque ante de ijs morbis disseruit, qui ad quadragesimũ usque diem producuntur, ubi ait, existimandũ autem est, facilem spirationẽ in omnibus acutis morbis, quibus iuncta febris est, quique intra quadraginta dies iudicantur, ualde magnam uim ad salutem obtinere: ac nunc quidem plane indicat, se non de omni aqua inter cutem, sed de ea, quæ ab acutis morbis originem ducit, uerba facere. quinetiam deinceps de purulentis, ac tabidis, atque etiam de quartanis differet, quos morbos nemo est, qui non diuturnos esse fateatur. itaque omnem, quæ ex acuto morbo existit, aquam inter cutem esse malam dixit, quod neque febrem discutiat, & dolorem afferat.

eius uero ortum etiam oſtendit,dum iecur nominatim memorauit,& partes quæ inanibus alui ſpatijs E continentur,ut lactes,ieiunum,& tenuia inteſtina, uno communi uocabulo complectitur: uerisimile enim eſt,omnes eas partes κενεῶνας appellari, quæ inter extremam thoracis coſtam, & coxendicis oſſa continentur: ſiquidem tota illa regio inanis uidetur,ſi eam tum inferioribus,tum ſuperioribus,utriſq; oſſeis, compararis.eſt uero etiam tota illa pars flaccida: niſi quis paulo ante cibo, potioneq; ſe expleuerit: ac poeta,ut ego quidem puto, has partes flaccidas appellat.communis autem omnis aquæ inter cutem ortus inde extat, quod officium in ſanguine efficiendo poſitum uitietur.ut enim cibi in uentre concoquuntur,ſic alimentum,quod in uentriculo iam concoctum eſt, in iecore, uenisque concoquitur.immo uero,ut in uentriculo plus,minusve concoctio uitiatur: ita etiam in iecore: nam ut uenter,ſic etiam iecur modo per ſe primum, modo ex conſenſu cum alijs partibus afficitur. perſpicuũ aũt eſt,quæcunque ſe mutuo afficiunt,ea uel propter uicinitatem,uel quod magna inter ea per uaſa, neruoſq; neceſſitudo intercedat,affici.ſic autem iecur cum liene uẽtriculo,& inteſtinis per uenas magnas connecti uidetur: atque etiam illis eſſe tam uicinum, ut quædam tangat,quædam uero propemodum ipſum attingant. Sed Hippocrates non fecit lienis mentionem,propterea quod oratio eſt ei de acutis morbis inſtituta.apparet tamen ſi hoc uiſcus in longis morbis ſcirroſa aliqua affectione exceptum ſit,ipſum quoque iecur ſimiliter afficere: atque eius occaſione aquam inter cutem in corpore uniuerſo concitare. iecoris uero & ilium meminit,& aquarum inter cutem,quæ ab illis exoriuntur,differentias docet: quod ex ſequenti oratione planum erit. F

*Quibus autem ab ilibus,lumbiſque aqua inter cutem initium ſumit,ijs pedes tument: fluorq; diuturnus inducitur, qui neque ilium,neque lumborum dolorem ſoluit: neque uentrem ſubducit.* 2 Auic.ibid.

Communis eſt omnium hydropum,tumor pedum: quod nimirum euenire etiam illis ait,qui uitio iecoris in morbũ inciderunt.& item ſi a liene malum oriatur,& uno uerbo in omnibus alijs idem ſcimus contingere. alui autem profluuium peculiare eſt ei aquæ inter cutem, quam ilia ieiuno inteſtino & lactibus inflammatione laborantibus excitarunt: his enim maxime imbecillæ ſunt uenæ, quibus iecur alimentum ad ſe trahit: ut nec uiſceri ad digeſtionem ſubſeruiant, nec alimentum in ieiuno, tenuibuſque inteſtinis immoretur: quæ ſane imbecilla ſi alimento grauata ſint, id totum deorſum ſtatim propellunt,hæcque profluuij uentris eſt cauſa.quinetiam corrumpi alimentum,& plurimũ excrementi bilioſi coaceruari propter partium inflammatarum caliditatem, uerisimile eſt. quam etiam ob rem inteſtina uehementer mordentur,& ad eorum, quæ ipſis continẽtur, excretionem irritantur. atq; hæc rurſus altera eſt alui profluuij cauſa. Sed merito dixit,ipſum nec dolores ſedare, neque uentrem G ſubducere: hoc eſt neque euacuare,neque contrahere uentris tumores. quibus etiam uerbis oſtendit eos, qui ita affecti ſunt, cum dolore alui excrementa reddere,& imum uentrem totum intumuiſſe: dolores enim & propter inflammationes, & propter morſus excitari neceſſe eſt. uentrem autem totum intumeſcere,quod inteſtina ſint flatuoſi ſpiritus plena: quem uerisimile eſt a cruditatibus oriri. quod autem intus non maneat,infirmitas contentricis inteſtinorum facultatis cauſa eſt.

*Si uero a iecore oriatur, tuſsis, eiuſque cupiditas infeſtat: ſed nihil notabile excreant: pedes tument; uenter non deijcit,niſi dura quædam, & coactus: & circa uentrem tumores oriuntur, qui tum dextra, tum ſiniſtra parte conſiſtunt,& deſinunt.* 3 Auic.ibid.

Appellauit cupiditatem propenſionem, quam illi ad tuſſim habent; & ad quã, ut aduerſus ſymptoma,irritantur: ſed confeſtim,uix tuſſire aggreſſi, ceſſant: iecoris enim moles ſepto tranſuerſo incumbens, pulmoni anguſtiam parit. cum autem affectio ueræ illi anguſtiæ ſimilis ſit, qua pulmo inflammatione exceptus, & deſtillatione ex capite preſſus afficitur, ideo fit, ut ad tuſſiendum illi quidem excitentur, ea ſpe ducti, ut eo quod moleſtum eſt, uacuato, anguſtiæ medeantur: ſed protinus ut cœpere, deſiſtunt: ſuamque affectionem experientia docti accuratius cognoſcunt, ſeque fruſtra in eam H ſpem ueniſſe, intelligunt. quinetiam natura ipſa per ſe tuſſim, inducit, ut pulmonis obſtructiones expurget,licet nos tuſſire non cupiamus; idque adeo, ut ſæpe difficile ſit reſiſtere,&,ne id fiat, prohibere.nunc igitur cum ob anguſtiam ad tuſſim ægri fruſtra compellantur,tanquam malum aliqua ex parte leuaturi: tamen facultatis naturalis auxilio deſtituti,ſtatim ceſſant. hinc ita affectis tuſſiendi cupiditas accidit,ſed eos res confeſtim deſtituit: quippe qui nihil notabile expuant: ſed quantum modo ſeroſi,tenuiſque humoris ex uaſis ſeroſum ſanguinem continentibus,in aſperam arteriam,inſtar ſudoris cuiuſdam, exprimitur.his igitur notis, qui uitio iecoris aqua inter cutem laborant, a prædictis diſtinguuntur: itemque paucitate, & ariditate eorum, quæ infra deijciuntur: irritantur enim illi,cum uel inteſtina, uel lactes male afficiantur: at in ijs, in quibus iecur aquam inter cutem excitauit, cum hæ partes male affectæ non ſint, nec corruptum ſit alimentum, nec membra, ut pote quæ ualeant, ab eo grauentur, uenter non fluit: ſed illic diutius alimenti reliquiæ immorantur: eæque partim ad intimas peritonæi partes tranſmittuntur, partim uero ab inflammatione iecoris aduruntur. porrò uniuerſa cutis, quod pituitoſo ſanguine alatur, tumet, ac ſi digito eam comprimas, ſtatim cauatur: & non ita multo poſt ad priſtinam æqualitatem redit: quod tamen non ſtatim, ut ex acuto morbo

in hydropem

A in hydropem mutatur, accidit; sed pedes primum, utpote qui a partibus calidissimis longissime absunt, intumescunt: tum uero subrepens malum, totum etiam uentrem simili affectione occupat: ut si digito tumorem comprimas, locus ipse cauus, ac pene defossus uideatur: deinde paulo post in pristinā sedem reuertatur. quod in causa fuit, cur Hippocrates dixerit, circa uentrem tumores oriri, qui consistant, & desinant. quanquam hoc potest etiam de primo ipsorum ortu dictum esse: nam cum incipiūt, plerunque considunt, ut plane desijsse uideātur: deinde uero iterum exurgunt, rursusque considunt: atque iterum postea renouantur: progressu tamen temporis permanent, nec amplius desistunt. quam ob rem differunt ab illis, qui ab ilibus excitantur, quod ab humore pituitoso, non autem a flatuoso spiritu, sicut illi, procreati, compressu excauentur.

4 *Si caput, manus, & pedes frigeant; uentre, lateribusque calentibus, malum est.*

Auic. l. 4. f. 2. t. 1. c. 48. p. 114. F. In longis morbis, præcipue hiberno tempore, & senibus, non solum in principijs accessionum, quas *ἐπισημασίας* nominant; uerum etiam cum morbus intermisit, si extremæ corporis partes, quæ suapte natura carnis expertes sunt, & longissime a uisceribus absunt, refrigerentur, mirum uideri non debet: sed cum hoc in libro de morbis diuturnis non agatur, necesse est, in acutis morbis hasce partes refrigerari propter affectionem, prope dixerim, illi contrariam, quæ in morbis diuturnis tale sympto-
B ma inducit: nam in illis natiuus calor propter imbecillitatem ad ultimas usque animantis partes peruenire non potest: in acutis uero, ob magnitudinem inflammationis, quæ uiscera obsidet, parum sanguinis in totum corpus permeat. plurimum uero in partibus inflammatione affectis intercluditur. itaque mediæ corporis partes, ut thorax, & uenter, admodum calent. interdum tamen in ipsis etiam acutis morbis accessio cum rigore & refrigeratione tanta inuadit, ut non solum extremæ corporis partes, sed ipsa quoque thoracis, uentrisque cutis frigida reddatur. uerum hæc nihil in uisceribus uitij significat. si uero partes, quæ circa latera, uentremque sunt, calidæ permaneant: uel etiam si, quam earum natura solebant, calidiores fiant, extremæ autem corporis partes algeant, magna inflammatione obsideri uiscera, indicium est. sed melius fortasse est, ut quod Hippocrates dixit, uentre lateribusq; calentibus, sic accipiamus, ut hæc multo calidiora esse intelligantur, quàm cum statum naturalem seruarent: cuiusmodi febrem illam esse nouimus, quæ λειπυρία nominatur.

5 *Optimum uero est, ut totum corpus calidum, & molle æqualiter fit.*

Cum pessimum esse morbi statum dixerit, in quo mediæ corporis partes calidæ sunt, & extremæ frigent: nunc ei optimum qui nobis contingit, ex altera parte opponit: in quo totum corpus æqualiter calidum, & æqualiter molle, fit: nam quod dixit æqualiter, est utriusque commune. est autem æqua-
C liter calidum corpus etiam in ardentissimis febribus: sed in illis affectionibus non molle, sed mordicans, & aridum apparet. at si simul & calidum, & molle æqualiter sit, corpus optime constitutum esse indicat.

6 *Oportet autem eum, qui laborat, facile conuerti, & in assurgendo alacrem esse.*

Totius præsagitionis eorum, qui ex morbo uel mori, uel euadere debent, caput est, magnitudinis morbi cum ægroti uiribus comparatio: nam si maior morbus sit, æger omnino morietur: si sit uiribus ægri inferior, non interibit, modo nulla in re peccet. quod caput ipse illo etiam aphorismo persecutus est, cuius hoc est initium, coniectandum uero est, an æger ea uictus ratione ad morbi uigorem usq;
Auic. l. 1. f. 1. d. 6. p. 47. c. 1. C. sufficiat. hæc igitur prognosticæ contemplationis summa est. cum autem uirium sint tria genera ex tribus orta principijs cerebro, corde, & iecore, earū tum firmitatē, tum infirmitatē ex cuiusq; actionibus cognosces. actiones aūt, quæ ab eo principio, quod in cerebro est, proficiscūtur, partim principes sunt, quæ in memoria, & rōcinatione uersantur: partim ministræ, quæ in sensibus, & ijs motionibus quæ appetitu cientur, consistunt: ab eo autem, quod in corde est, emanant motus arteriarum: ab eo, cuius iecur sedes est, illæ, quæ ad sanguinem, humoresque pertinent. cum igitur in hæc capita distributa sit prognostica contemplatio, ad quod genus singula signa, quæ Hippoc. tradit, referantur, uidendum est: uelu
D ti hoc, quod de nunc agitur, eum, qui laborat, facile conuerti: & dum assurgit, sibi alacrē uideri. sunt enim hæ notæ facultatis, quæ appetitu corpus mouet. nec uero hic quicq̄ interest, siue ex appetitu, siue ex instituto, siue ex uoluntate dicere. erant autem eiusdem generis illa quoq;, quæ de decubitu supra dixit, quorum initium fuit, ceterum Medicum debet ægrum in dextrum, sinistrumue latus iacentem deprehendere. ostendit enim, hūc decubitum, sicut etiam rectum, fieri musculis officio fungētibus: eumque *τονικὸν* id est firmum nominare solent: deque eo plura diximus in libro de motu musculorum. Diocles quoque scriptum reliquit, corpora animantium ex ferente, & eo, quod fertur, constare: ac ferens quidem uis est; corpus uero, quod fertur. quemadmodum igitur illi, qui onus gerunt, uel oppressi pondere, uix mouentur, uel leue esse ducentes, sine molestia ferunt, sic etiam affectæ uires sunt, si robustæ sint, corporis pondus facile sustinent, ut corporis motiones nihil offendantur: si infirmæ sint, oppressæ pondere, partes corporis uix subleuent.

7 *Sin autem tum reliquum corpus, tum manus & pedes graues esse uideantur, maius periculum est.*

Cum uoluntarias obire actiones æger uult, tum partium grauitas se illi indicat: ac crurum quidem, cum surgere cupit, aut ambulare, aut ipsa etiam, dum iacet, transferre: itemque manuum, cum accipere aliquid, & dimittere, & mouere loco tentat: eodemque modo & colli, & spinæ, dum corpus in alium habitum per has partes uertere conatur. præcipuum autem, maximumque imbecillium uirium

rium argumentum eſt, partium grauitas: non omnium tamen, ut ante dictum eſt, ſed earum ſolũ, quæ in neruis, muſculiſque continetur. E

*Si uero præter grauitatem, ungues, digitique liuidi ſint, mors eſt continuo expectanda.*

Eſt a nobis alibi demonſtratum, quemadmodum facultates, quæ animal gubernant, ſimul intereāt: &, quemadmodum uſque dum earum aliqua ſeruetur, eatenus homo quoque prorſus uitam ducat. itaque cum Hippocrates exolutæ uirtutis inditia expoſuerit, qua muſculi mouentur, nunc peculiares alterius facultatis extinctæ notas illis adiũgit: liuor enim calorem innatum, qui a corde manat, extingui ſignificat: quam ob rem ex liuore, qui ad corporis grauitatem accedat, non ſimpliciter mortem portendi dixit, ſed confeſtim: idque ſine mora futurum: quod ſigna utriuſque facultatis intermorientis appareant.

Auic. l. 4. f. 2. 1. c. 24. p. 821. B.

9 *Pedes autem ac digiti penitus nigri minus pernicioſi ſunt, quàm liuidi: ſed alia quoque ſigna conſiderare conuenit. nã: ſi æger facile malum ferre uideatur, & ſignum aliquod ſalubre etiam appareat, morbum in abſceſſum uerſum iri ſpes eſt ex quo incolumis quidem homo euadet, ſed denigratæ corporis partes decident.*

Auic. l. 4. f. 2. t. 1. c. 48. p. 824. F.

Non erat dicendum, minus pernicioſos eſſe, quàm liuidi ſint, ſed interdum, nullo modo; interdum uero maxime pernicioſos. quod forte ignoraſſe Hippocratem quiſpiam ſuſpicabitur, quia non proprie uſus dictione eſt: ſed addita mox diſtinctione, cum utrunque eorum, quæ dixi, docuerit; planum eſt, cognitam ei ueritatem fuiſſe, ipſum tamen non accurate eſſe locutum: nigreſcit enim pars aliqua interdum, quia in eam materia decumbit; interdum uero quia in ea calor extinguitur. quod ut cognoſcatur, aperte indicauit: nam ſi æger facile malum ferre uideatur, hoc eſt, ſi æger facile toleret; ac ſimul aliud quoddam ſalutare ſignum adſit; defluxio eſt: ſin contra, intermortuam partem eſſe, indicio eſt. F

10 *Teſticuli, pudendaque retracta, uehementes dolores, ac mortale periculum ſignificant.*

Aui. l. 4. f. 2. 2. 1. c. 46. p. 824. F.

Hæ partes in ijs, qui dolore uexantur, non ſecus, quàm in morientibus conuelli uidentur: neque id ſine ratione fieri: cum enim iam uitalis facultas deperit, nec poteſt ſe ob eam cauſam ad extremas corporis partes extendere, ſed perturbata ſe ad ſuum principium recipit, neceſſe eſt partes quoque unà cum ipſa facultate intro ſe referre, & ad medias corporis partes adiungi. ac dolores quoque efficere, ut facultas in ſe ipſa contrahat, iam ſæpe didicimus: ut merito etiam ob dolorem partes ad ſuum principium retrahantur.

## DE SOMNO.

11 *Quod autem ad ſomnum pertinet, inire eum oportet eodem modo, quo per naturam conſueuimus: ut interdiu quidem uigilemus, noctu dormiamus. id ſi contra fiat, malum erit: ſed minimum incommodi attulerit ſomnus, qui matutino tempore ad tertiam diei partem, deterior uero erit, qui ab eo tempore inuadit.* G

Auic. l. 4. f. 2. 1. c. 46. p. 825. A.

Non ſolum recte de ſignis, quæ ex ſomno ſumi poſſunt, pronunciauit, ſed etiam ipſorum cauſam adiecit: ut cauſam omnium eorum, quæ proſunt, ad naturalem habitum referat: contraria uero ideo damnet, quod præter naturam ſint. eadem quoque conſuetudinis eſt ratio: quod enim conſuetum eſt, id bonum: quod præter conſuetudinem eſt, id malum cenſetur. ſed temporibus Hippocratis nõ erat aliud ſecundum naturam, & aliud ex conſuetudine. nunc uero cum in alijs quibuſdam, tum in ſomno præpoſtere diuites agunt: ſiquidem interdiu dormiunt, & noctes uigilant. ergo in eis, ut qui præter naturam uiuere conſueuerint, non uera eſt hæc Hippocratis ſententia. conſuetudo autem, his quidem temporibus, non modo in fœminis diuitibus, ſed uiris etiam pleriſque maioris eſt, quàm natura, momenti.

Auic. l. 1. f. 3. d. 2. c. 9. p. 126 C.

12 *Peſsimum autem eſt, ſi ſomnus neque noctu, neque interdiu accedit: id enim ob dolorem, laboremque accidit: aut delirium futurum ſignificat.*

Neque dies, neque noctes dormiunt, qui dolore, laboreq; aliquo confligtantur, quique delirare incipiunt: nam & delirium, ob ſiccum cerebri temperamentum, excitare uigilias ſolet.

## DE ALVI EXCREMENTIS. H

13 *Optimum excrementum eſt, quod molle, concretumque eſt, eodemque fere tempore redditur, quo quis in ſecunda ualetudine aſſueuit; & modo conueniens ijs, quæ aſſumuntur: talis enim deiectio uentrem inferiorem ualere declarat.*

Auic. l. 1. f. 2. d. 3. c. 13. p. 104. F.

Optimã deiectionẽ a cõſiſtentia, quãtitate, ac tempore, quo reddi ſolet, dijudicat: peſſimam uero nõ ab his ſolum, ſed notas etiam a colore, & odore, & ſono, quẽ inter excernendũ emittit, adiecit. naturalẽ igitur cõſiſtentiam habẽt ea excrementa, quæ nec prorſus dura ſunt, ut lapidea: neque ex toto liquida, ut diffluere poſſint: ſed eatenus mollia, quatenus adhuc concreta permaneant. copia uero ingeſto cibo proportione reſpondeat: tempus, quo fit euacuatio, ægro conſuetum ſit. adſint præterea & color, & odor, quales ſecundum naturam eſſe ſolent. quod ipſe non adſcripſit, quod ex ijs, quæ præter naturam dixit, hoc quoque poſſis intelligere: eſt enim eius conſuetudo, ut ſæpe oſtendimus, contrarijs indicare cõtraria, quorum nomina prætermiſerit. ceterum dixit, uentrẽ inferiorem ualere, facta cũ thorace cõparatione, ut nomine inferioris uẽtris & uẽtriculũ, & ieiunum, & reliqua inteſtina omnia accipiamus. non tamen contraria deiectio ſtatim indicabit ipſum præter naturam ſe habere: idq; nec ipſe dixit, nec alioqui uerum eſt: ſiquidem ualere uenter inferior poteſt, & tamen a iecore, aut ſplene aliquid in ipſum confluere, a quo non modo naturalis color, ſed etiam conſiſtentia, odorq; deiectionum immutetur: quin & copia eorum quandoque uariabit admiſtis alijs, qui fluãt, humoribus: ac ne

A ac ne tempus quidem deijciendi consuetum seruabitur. deiectio igitur, quæ sit naturali quamsimillima, non modo uentrem inferiorem ualere indicat, quod ipse dixit: sed etiam nihil a prædictis uisceribus in ipsum confluere: quæ uero contra naturam est, significat quidem interdum uentrem solum pati: sed sæpe etiam humorum aliunde illuc confluentium notas habet: atque eas quidem multiplices, propterea quod iecur non sua modo excrementa, & ichores, & humores, quos præter naturam continet, in uentrem demittit, sed uniuersi etiam corporis: nam per ipsum uenter est omnibus corporis partibus annexus: ac per ipsum omnia illarum excrementa recipit: quæ in ipsum decumbunt quandoque totum corpus: quandoque uero unam, aut duas, aut plures simul partes expurgantia: sæpe uero tanquam symptomata quæ uel totius corporis, uel partis alicuius, aut etiam plurium affectiones indicent. animum igitur ijs, quæ deinceps de illis differit, adhibeamus.

14 *Si liquida deiectio sit, eam sine stridore, nec cumulate, & paulatim descendere expedit. frequens enim desidendi labor uigilias inducit. cum uero affatim sæpeque æger deiicit, ne animus eum deficiat, periculum est.*

Auic. l. 1. f. 2. d. 3. c. 13. p. 104. F.

Constat inter omnes, liquidam deiectionem fore, uel quod ex uentriculo in iecur non sit facta digestio: uel quod aliquod excrementum a iecore, aut liene in ipsum confluxerit. sed id commodum esse B potest, si iecur, aut lien, & uniuersum corpus per iecur expurgetur: non commodum uero, cum symptomatis rationem subit, quod digestio probe facta non sit: uel quod humores, qui a iecore in uentrem dilabuntur, aliquo uitio teneantur. hæc dignosces, si non strideat, quod ipse dixit τρίζειν, quod cum σ, & sine eo scribitur: estque uerbum, utrouis modo scribatur, a sono, qui editur, effictũ. itemq; si nec cumulate, & paulatim descendat: nam quæ sic exeunt, symptomatis habent rationem. quæ uero longiore spatio temporis interiecto affatim excernuntur, sæpenumero sunt bonæ deiectionis notæ: cum natura ea, quæ copia & qualitate superflua sunt, eijcit: aut totum animal, aut unam eius partem euacuat, atque expurgat. uoco autem euacuationem eorum, quæ familiaria sunt, ubi copia exuperent: purgationẽ uero eorum, quæ sunt aliena qualitate. his autem deiectionibus alia quædam comitantur. quorum ipse fecit mentionem, cum ait, Frequens enim desidendi labor uigilias inducit. ac ne multum quidem sæpe excernere cõmendat, quod ea ratione uires dissoluãtur: raro enim huiusmodi excretiones bonæ sunt: quippe cum eis non secus, quàm immodicis, licet criticæ sint, sanguinis eruptionibus, uirium exolutio, quæ bona non est, adiuncta sit.

Auic. l. 1. f. 2. d. 1. c. 13. p. 105. C.

15 *Sed bis, aut ter interdiu, & semel noctu pro copia eorum, quæ assumuntur, deijcere oportet: sed mane quidem subeat plurimum, ut homo consueuit.*

C Hoc etiam ante docuit: sed melius fuisset, ipsum de ijs, quæ critice illa quidem, sed affatim excernũtur, hoc loco dixisse idem, quod ego modo commemoraui. nec probo, quod scripsit, bis, aut ter interdiu, & semel noctu, & quæ deinceps subiunxit, quia superuacaneum id fuit: satis enim fuerat dicere, ut homo consueuit: quod in fine orationis posuit: quod quidem in quibusdam libris cum uerbo ὑπιέναι, in alijs uero, sine eo scriptum inuenitur hoc modo: Sed mane plurimum, ut homo consueuit. sed siue hoc, siue illo modo scribas, nihil interest: seruatur enim utrouis modo, optimum id esse, quod fuerit consuetum maxime.

16 *Cum morbus ad crisin uenit, quod descendit esse crassius oportet.*

Crassius nimirum redditur id, quod aquosum, dilutumque est, non quod crassum, durumque erat. itaque de ijs loquitur, qui in morbi principio liquida deijciunt. est autem hoc priscæ breuitatis, præcipue uero Hippocratis proprium, ut quæ nominatim non expresserit, ex oppositis quãdoq; significet.

*Sitque id subrufum, nec fœdi multum odoris.*

17 Hæc in principio dicta esse oportebat, cum de alui excrementis disseruit his uerbis, optimum excrementum est, quod molle, concretumque est, eodemque fere tempore redditur, quo quis in secunda ualetudine consueuit: & modo conuenit ijs, quæ assumuntur: sitque subrufum, nec fœdi multum odo D ris: quo & consistentiam, & copiam, & tempus excretionis, & item utranque qualitatem, tam quæ aspectu, quàm quæ odoratu discernitur, simul definiret: planum enim est, & inter omnes medicos cõstat, excrementum, quod secundum naturam est, subrufum esse, cum bilem, quæ a iecore in uentrem confluit, qualitate moderatã, & quantitate exiguam excipiat: nam si bilis mera, copiosaque effluat, flauum, aut rufum efficit. quod si nullo modo ad intestina comportetur, id quod descendit, album erit, ut in ijs, qui regio morbo laborant, conspicitur.

A. l. 1. f. 2. d. 3. c. 13. p. 104. D

*Lumbricos etiam teretes cum excrementis sub indicationem descendere, idoneum est.*

18 Cum natura hos quoque cum alijs excrementis deorsum pellit, melius est, quàm si per superiora reijciat: & simul cum alijs appareant, ut symptomata. sed differentiam omnium eorum, quæ critice apparent, in libris de crisibus copiosius exposuimus.

19 *In omni autem morbo uentrem mollem, & modice altum esse expedit.*

Molle opponitur intento, aut pleno: modice altum absumpto: ut primum eorum, quæ uentre continentur: alterum autem uentris ipsius habitum indicet, perinde ac si ita dixisset: in quouis morbo uenter moderate uacuus: & sua substantia modice altus, nec nimis extenuatus esse debet.

*Si quod descendit ualde aqueum sit, aut albidum, aut admodum pallidum aut spumeum, id omne prauum est.*

20 Aquea deiectio cruditatis est signum: alba uero significat, ut ante dixi, pallidam bilem ex iecore in partes

in partes ad uentrem pertinentes, non deſcendiſſe: quæ uero admodum habet eum colorem, quem χλωρὸν uocat, quoniam id nomen duorum colorum eſt, ut ante dixi, altera ſignificatione pallidam bilim copioſam eſſe admiſtam, altera uero, æruginoſam ſignificat: ſpumans uero modo ſpiritum flatuoſum humori ægre diſſolubili miſtum eſſe, modo caloris copiam indicat: ita enim etiam in rebus externis, ut in mari ob impetus uentorum: in lebetibus aliquid coquentibus ob caloris copiam, fieri animaduertimus. E A.l.1.f.2.d.3. c.13.p.104.D

*Prauum etiam eſt, ſi exiguum, glutinoſum, album, ſubpallidum, & leue ſit.* 21

Duplicem deiectionum ſpeciem hoc ſermone nos docet: quarum utraque ex colliquatione prouenit, ſed differunt inter ſe, quod exigua, glutinoſa, albaque deiectio fit, pinguedine a calore quidē igneo, ſed non admodum maligno colliquata: ſubpallida uero, & leuis fit ipſa quoque liquata pinguedine, ſed uel propter calorem multo uehementiorem, uel quod pinguedo ipſa uetus ſit, & ferme ſemiputris. nam non ipſa modo pinguedo exterior, ſed ſeuum etiam temporis ſpatio priſtinum colorem mutant, ſubpallidaque efficiuntur. quod ſi, quod deſcendit, propter æruginoſam bilim ſubpallidum ſit, (hæc enim altera eſt huius nominis χλωροῦ ſignificatio) erit uehementis colliquationis ſignum. ceterum leue eſt, quicquid extra corpus emittitur, uel quod æqualem concoctionem habeat, ut nulla eius pars naturæ alterationem effugerit: uel propter uehementem colliquationē, ut nulla materiæ, quæ illic ſit, pars remanſerit, quæ affecta nō ſit. ut igitur omnia, quæ bona ſunt, meliora cenſentur, ſi æqualiter bona ſint: ita etiam quæ mala ſunt, deteriora ſunt omnia. ſi æqualiter huiuſmodi ſint: eorum enim utraque per ſe tota cernuntur, ut illa naturæ ornatum, hæc uero malitiæ turpitudinem oſtendant. ut uero glutinoſum aliquid ſæpe fiat, quod immodice ſit excalfactum, perſpicuum eſt. nōnunquam uero qualitas alimentorum tales ſuccos gignit: ſed hi, quoties ad excretionem mouentur, non ſunt exigui, quod autem glutinoſum exiguum excernitur, non eſt huius generis: ſed moderatis colliquationibus tribuitur. quanquam interdum uehemens etiam colliquatio deiectiones glutinoſas affatim reddit: ſed tales ſunt odoris prorſus fœdi: eoque a crudis humoribus, qui graueolentes non ſunt, diſcernuntur. F

*Magis autem mortale eſt, quod nigrum, aut pingue, aut liuidum, aut æruginoſum, & mali odoris eſt.* 22

Quæ nigra deijciuntur, ab atra bili ſyncera inficiuntur: liuida autem, ubi modica, modiceque eis admiſceatur: pinguia autem excernuntur, pinguedine ab igneo calore colliquata: fœtida ſunt putredinis indicia. A.l.4.F.2.c.1. c.95.p.830.D

*Varia excrementa longioris quidem morbi nota ſunt, non tamen minus ſunt letalia: ſunt autem ea ramentoſa, billioſa, ſanguinea, porracea, & nigra: quæ modo ſimul, modo particulatim egrediuntur.* 23

Varia deiectio multas eſſe affectiones indicat: quocirca tractu temporis ad concoctionem indiget. cum enim multæ affectiones ſint, ueriſimile eſt aliquas ipſarum eſſe diuturnas. ſin ſecus, at prorſus naturæ occurrunt: quæ ut contra multos pugnatura aduerſarios, plus temporis conſumat, neceſſe eſt. G A.l.4.F.2.c.1. c.77.p.820.D

*Optimum autem eſt, flatum ſine crepitu, & ſono emitti. quanquam præſtat ipſum cum ſono prodire, quàm ibi reuolui. tamen hoc pacto prodiens aut dolere, aut delirare ægrum indicat, niſi ipſe de induſtria flatum emittat.* 24 A.l.3.f.13.c.1 c.17.p.529. B.

Sunt, qui nullo cum pudore flatus cum crepitu emittant: nonnulli uel mortem perpeti malint, quàm id facere: iſtos igitur, ſi quando multis audientibus crepitum emiſerint, ſcire conuenit, duorum alterum, aut non intelligere, quæ faciant: uel doloris magnitudine coactos, quæ nolint, efficere. quod uero ad eos pertinet, qui eos, qui adſunt, nihil omnino curant, exiſtimandum eſt, nihil incommodi ex flatu cum crepitu indicari: ſed tamen in eis quoque utilius eſſe, ut ſine ſono flatus exeat: ille enim flatuoſi ſpiritus copiam, aut inſtrumentorum anguſtiam omnino ſignificat. at cum ſpiritus copia non admodum magna eſt: inſtrumenta uero, per quæ excernitur, laxa plane ſunt, tum flatus ſine ſono emittitur.

*Hypochondriorum dolores, ac κυρτώματα, ſi recentia, ac ſine inflammatione ſint, murmur in ipſis excitatum diſſoluit: præſertim uero ſi cum ſtercore, urina, & flatu exierit. ſi uero ipſum cum non tranſierit, iuuat ſi ad infernas ſedes deuolnatur.* 25 H

Appellauit hypochondriorum κυρτώματα, quæ ante œdemata uocauit: huiuſmodi enim ſunt omnes præter naturam tumores: qui ubi ſine inflammatione ſunt, flatuoſi ſunt: præſertim ubi recentes ſint. ait autem dolorem ſolui, ſi murmur in hypochondrijs excitetur: id enim nō modo flatus indicium eſt, ſed eum quoque humori, corporique ſolido miſtum eſſe indicat. itaque flatuoſus ille ſpiritus in flatum conuerſus ſiue deorſum excedat, ſiue non excedens ad aliquas partes inferiores deſcendat, hypochondrium utroque ſymptomate & dolore, & tumore liberat: ac multo etiam magis, ſi cum urina, ſtercoreque excernatur: ſiquidem huiuſmodi euacuatio nihil ſuperuacanei in hypochondrijs relinquit.

## DE VRINA.

*Vrina optima eſt: in qua per totum morbi decurſum, donec iudicatus ſit, ſubſidet album, leue, & æquale: ſecuritatem enim, & breuitatem morbi ſignificat, ſi uero intermittat, & modo puram urinam æger emittat, modo in ea quadam ſubſidentia ſunt alba, leuiaque, morbus erit longior, & minus ſecurus.* 26 A.l.1.f.2.d.3. c.6.p.201.A.

Quemadmodum paulo ante dixi, unius facultatis, quam ipſe ſupremi principij dixit eſſe; egoque alibi in cerebro conſtitutam eſſe docui, robur atque imbecillitatem ex uoluntarijs actionibus cognoſci. ita nunc Hippocrates alterius naturalis facultatis ſigna partim iam expoſuit, partim uero hac oratione

A tione persequitur. ea autem facultas, de qua nunc agi dico, alteratrix, concoctrixque uocatur. facultatis igitur, quæ in uentre est, signa ex ijs, quæ aluus deijcit, quotidie cognoscuntur: quæ in iecore, & uenis est, ex urinis: quippe cum habeant ipsæ quoque euidentissimas notas concoctionis uel exquisitæ, uel imperfectę, uel penitus nullius, ut etiam in ijs, quæ ex uentre prodeunt, usu uenit, præterea ut illinc externæ affectionis alterius signa quædam, sic inde simul excernuntur. Hippocrates igitur docendi initium sumpsit a signis concoctionis, quibus alia quoque deinceps subnectit: sed nos de illis primũ dicamus, quæ ipse in proposita sententia prima statuit: cum iubet, ea quæ subsident in urinis considerari, an alba, leuia, æqualiaque sint omnia: & an modo talia, modo diuersa: id quod frequentissime contingit. & quidam secundo die urinam, quæ reprehendi non potest, emisit: qui sequenti nocte aliam reprehendendã reddiderit: tum rursus tertio die mane bonam, tum uesperi, malam. quæ sane urinæ aliquam humorum, qui uasis continentur, partem concoctam esse, & a natura superatam: aliquam uero incoctã attestantur. si uero inter coctas urinas nulla cruda inciderit, ea demum optima urina est. quare si subsidentia habeat, ea perpetuo alba, leuia, & æqualia esse oportet: quæ, donec morbus discutiatur, similiter fiant: si non habeat, prorsus aliquam nubem candidam obtinebit. colore autem erit modice pallida necessario; consistentia uero, media inter tenuem, aqueam, & crassam, qualis est ea iumentorum. sed uri-

Al.1.f.2.d.3. c.2.p.96.c.1. D.

B næ, quæ nulla prorsus habent subsidentia, ab ijs emittuntur, qui ualde tenui uictu utuntur: quæ multa habent, ab ijs, qui liberalius uiuunt: quæ exigua, ab ijs, qui moderate. præterea in biliosis morbis quod subsidet magis flauum est: in ijs uero, qui ex crudis humoribus oriuntur, magis ad album uergit. porrò, urinæ, quæ ex crudis humoribus gignuntur, copiosa habent subsidentia: quæ ex biliosis, aut nulla prorsus, aut certe perexigua: sed satis est, si suspensa quædam eis insint. appello autem ἀναιώρημα, hoc est suspensum, quod in urina crassius, albidiusque non in superficię quidem, aut in fundo uasis, sed in medio spatio, uel plane medium, uel magis supra, quàm infra pendet. hæc ego ἀναιωρήματα, hoc est suspensiones appellare consueui: ab Hippocrate uero nubes quoque nominantur, quæ eandem proportionem ad urinas habent, qua nubes ad aerem affectæ sunt: siquidem illæ circunfuso humore; hæ uero aere sunt crassiores. sæpe autem aliquid in urinis sursum ascendit, quod ego nebulam appellare proprie soleo. hæc ergo primum intelligas, & memineris: deinde animaduerte quæ deinceps Hippocrates subiunxerit: urina enim, quæ perpetuo habet subsidentia, qualia descripsit, securitatẽ indicat, hoc est, morbum periculo uacare, & ex toto discussum iri, & non amplius esse repetiturum declarat: ad hæc uero, celerem fore solutionem, ut si primo die, & proxime eum sequenti nocte, ac secundo etiam die, nocteq; primi dierum indicantium circuitus, similis perseueret, morbus non sit longius progressurus. hæc au-

Al.2.f.2.d.3. c6.p.101.A.

Al.1.f.2.d.3. c.7.p.102.E

C tem de ijs morbis enunciat, quibus iuncta febris est: non de ijs, qui sine febre sunt: uel in cerebro, & eius membranis, aut in thorace pulmoneque consistant, quod eos alijs indicijs, an salutares, breuesque: an periculosi, & diuturni sint, cognoscamus. cur autem quod in urinis subsidet, album esse oporteat, in fine horum commentariorum, cum de pure agerem ostendi.

27 *Si uero & ipsa subrubra, & quod in ea residet, subrubrum, leueque sit, ea priore quidem diuturniorem, admodum tamen salutarem fere indicat.*

Cum serum sanguinis cum urina excernitur, ea colore subrubra apparet: ac sanguinis nõ probe confecti redundantiam significat. itaque cum humor ille, qui omnium optimus est, redundet, ideo periculum nullum subest: quia uero & humidior & serosior est, idcirco concoqui debet: quare si maturationes spatio temporum fiunt, non immerito huiusmodi urina serius discussum iri morbum, quàm prior, indicat.

28 *Praua autem sunt urinæ subsidentia, quæ parti farinæ crassiori sunt similia: peiora, si squamulis: tenuia uero atque alba sunt ualde uitiosa. his deteriora sunt, in quibus quædam tanquam furfures resident.*

Κρίμνα appellantur partes hordei resiccati grandiusculæ, reliquæ farinæ permistæ, quæ a mola confici diligenter non potuerunt. quare si huiusmodi subsidere in urinis uidebuntur, non bonum signũ erit:

D nam in farina crassius id est, quod in subtiles admodum partes confractum non est: in urinis uero non iam, siquid cibi unà cum reliquo digestum non est, durum adhuc remanet: sed crasso sanguine nimium assato, aut carnibus inæqualiter contabescentibus, eiusmodi fiunt. inæqualiter autem id fit, cum quicquid carnis molle ac recens est, a febrili calore in ichorem resoluitur: durum uero perinde ac quæ in sartagine torrentur, arefactum consistit. primum enim noua, ac mollis pinguedo his in febribus colliquatur: tum durior, atque uetustior: post hanc noua, teneraque caro: deinde dura & uetus: ac postea solidæ iam corporis partes: quibus rursum inæqualiter contabescentibus, unà cũ urinis particulæ squamis similes excernuntur. quam ob rem huiusmodi urinæ deteriores sunt ijs, in quibus quod residet, farinæ crassiori simile tantum est. sunt autem alia quædam in urinis subsidentia tenuia, hoc est crassitudine uacantia: &, ut ita dicã, spumæ similia. ea protinus alba sunt, propterea quòd multo magis, quàm crassa, circunfusi aeris splendorem in se tota admittunt. hæc e spiritu flatuoso ortum habent: qui cum semicocto humorum excremento est indissolubili ratione permistus: quod enim appellare æquale consueui, id proprium est eorum, quæ perfectam concoctionem adepta sunt. id autem efficitur, cum uniuersa ex similibus inter se particulis constant: siquidem quod cum diuerso corpore est mistum, id partes tum substantia, tum colore differentes habet. ex ijs autem, quæ inæqualia sunt, peiora censentur ea, quę exiguis particulis, quàm quæ magnis inæqualitatem habẽt. nam quæ magnis, magnum esse naturæ ro-

bur

bur ostendunt: ac tantum, quanta est perfecte confectæ substantiæ magnitudo: quæ paruis, uires a ma E teria uinci declarant, & uelut æquali pugna cum ipsa contendere: id quod omnium eorum, quæ inæqua lia sunt, commune est. differentiæ uero quæ singillatim in eis sunt, ex bonitate concocti humoris, & uitio non concocti sumuntur. post has tres subsidentium differentias, quartam commemorat, cum quædam quasi furfures in urina resident, quæ est, quàm tertia, deterior: quando quidem hæc, non secus quàm prima, & secunda calorem febrilem ardentem, & colliquantem esse indicat. eratque non quarta, sed tertia statuenda.

29 *Nebulæ autem, quæ in urinis efferuntur, albæ quidem, bonæ sunt; nigræ uero, malæ.*

Cum de differentijs eorum, quæ in urinis resident, dixerit, ad nubeculas transit: quo nomine suspẽsiones in urinis intelligere se declarat uerbo, efferuntur, quod usurpauit: quarũ nigras damnari, planum est: siquidem nigror uel a uehementi perfrictione fit, quo modo sanguis in grumos concretus, & quæcunque ex toto refrigerata pereunt, nigrescunt: uel ab immodico calore: ipse enim etiam sanguis exustus nigrescit non secus, quàm alia omnia corpore: quique in æstiuo sole diutius uersantur, nigri redduntur.

30 *Quandiu autem rufa, tenuisque urina sit, morbum esse incoctum indicat.*

Vrina naturalis modice pallida est, ut quæ ex humore concocto, qui modicum flauæ bilis accepit, F existat. cum autem ea plus affluat, quàm par sit, aut syncera admodum urinæ misceatur, rufa urina efficietur. si ergo ad huiusmodi colorem accedat etiam consistentiæ tenuitas, incoctum esse morbum significat: ut enim colore modice pallidam esse debere eam, quæ naturalis est, diximus, ita etiam mediocri consistentia esse eam oportet: ut nec tenuis sit, qualis aqua est, nec crassa, ut urinæ iumentorum similis uideatur. omnium autem urinarum naturam, differentiasque in libris de crisibus exposuimus. inde autem ea perdiscat, qui præsagiendi cognitionis cupiditate ducitur. in interpretationibus autem hoc est nobis propositum, ut quæ obscure dicta uideantur, declarentur: iudicare autem quæ uere, quæque falso dicta sint, & singulis demonstrationes adhibere, non est necessarium.

A.l.4.f.2.c.1. c.79.p.818.E.

31 *Si uero & morbus longus sit, & urina talis, periculum est, ne sufficere æger possit, usque dum concoctus morbus sit.*

Si longiore tempore morbus crudus permaneat, periculum est, ne æger moriatur: nisi natura sit robustissima, qua morbo repugnet. quare perspicuum est, id esse ad memoriam reuocandũ, quod in aphorismis est conscriptum, considerandum quantum sit uirium robur: & quantam morbus concoctionem postulet: & an æger ad morbi uigorẽ hisque possit sufficere.

† In lib. de atrabili cap. 8. sic. si uero longo tẽpore talis sit, ut ad urinã tota sententia referatur.

32 *Perniciosior autem urina est, quæ mali odoris, & aquosa, & nigra, & crassa est.*

Aquosæ urinæ tenuem habent consistentiam, albumque colorem: summamque humorum cruditatem, & concoctricis facultatis imbecillitatem indicant. de fœtidis autem omnibus, nigrisque iam diximus. atque hæ tam per se, quàm cum alijs mortiferæ sunt. de crassis uero iure quæri potest, an eas G quoque per se mortiferas esse existimandum sit, an cum præcedentibus & nigris coniungere eas oporteat. qua in re, quod nos diligenter obseruauimus, afferemus: ut eis inductus quispiam, uerum cognoscat, & meliorem explicationem sequatur. urinas nigras, quo crassiores sint, eo deteriores esse obseruauimus: crassas uero, quæ naturalem colorem seruent, duplicem euentum habere: ut interdum ad perniciem, interdum ad salutem propinquam pertineant, ut etiam alia multa, quæ præter naturã sunt: quod corpus illis expurgetur. crassas autem ab ipso dictas esse constat, quæ mirum in modum sunt huiusmodi: nam quæ sunt naturalibus simpliciter crassiores, eæ non prorsus mortiferæ censentur.

A.l.4.f.2.c.1. c.91.p.831.A

33 *In uiris autem & mulieribus nigra pessima est: in pueris uero, aquosa.*

In omni ætate nigræ, aquosæque urinæ perniciosæ sunt: sed in ætate florenti inter perniciosas primũ locum tenent nigræ, in puerili uero, aquosæ. est ante a nobis dictum, quæ sunt naturalibus maxime cõtraria, ea esse perniciosissima. in pueris autem non ita sunt naturalibus urinis contrariæ nigræ, sicut tenues: quod ipsi per naturam crassas, & in quibus multa resideant, meiere soleant: in ætatis uero flore tenuissimæ, & exigua habentes subsidentia emittuntur. quam ob rem in ea ætate perniciosissimæ nigræ H sunt. sed in pueris alia etiam de causa perniciosæ aquosæ censentur: cum enim in eis propter uim alteratricis facultatis omnia celerrime concoquantur, concoctiones autem crassam reddant nõ urinam modo, sed etiam alui excrementa in ijs, quorum uentriculus recte concoquit, & sputa similiter in peripneumonicis, & pleuriticis, & pituitam in grauedine, ac destillatione, & sordes in oculis, & pus in ulceribus fit, ut si in pueris urina aquosa appareat, ac talis diutius perseueret, neque ullo modo in crassiorem mutetur, mortiferum signum habeatur.

A.l.1.f.2.d.3. c.2.p.97. B.

A.l.1.f.2.d.3. c.3.p.98. C.

34 *Qui urinam tenuem, & crudam diu reddunt, & reliqua salutaria signa sunt, ijs abscessus in locis septo transuerso subiectis expectandus est.*

Hoc uerissime quoque ab Hippocrate dictum est: morbi enim, qui difficillime concoquuntur, utpote qui a crassioribus, frigidioribusque humoribus ortum ducentes, per abscessum plerũque iudicãtur: quos uero calidus, tenuisque humor excitauit, per euacuationem. itaque cum urina diu inconcocta manet, distinguendum est, an æger ferendo longo morbo poterit sufficere, an per abscessum iudicabitur. distinctio autem alijs signis efficietur: perniciosa enim mortem: mitiora, salutem indicant, abscessus uero in admodum diuturnis morbis ob refrigerationẽ, crassitudinemq; materiæ, & imbecillitatem uirium, quæ longitudine morbi fatigatæ sunt, in partibus inferioribus oriuntur: in acutioribus uero,

A.l.4.f.2.c.1. c.8.p.828.E. & 829.A.

A.l.1.f.2.d.3. c.3.p.99.A.

A uero, secundum aures: quod in eis humores non ita crassi sint, copiosus uero sit calor, & uires sint firmiores, morbi, qui inter hos sunt medij, abscessus indifferentes excitant: nec in eis ex tempore coniectura sumi potest, sursumne, an deorsum sint potius erupturi: sed id erit alijs signis discernendum.

35 *Si pinguedo telis aranearum similis supernatet, damnanda est: colliquationis enim est signum.*

Veluti in summo pinguis iusculi refrigerati supernatat quod a multis uetula nominatur, sic etiam in urinis, quæ ex colliquatione redduntur, de quibus ipse nunc locutus est, causamque subiunxit.

36 *Obseruandum quoque est, urinarum nubeculæ sursumne, an deorsum ferantur: earumque color æstimandus est. nam quæ deorsum tendunt, coloribus, ut dictum est, proditæ; bonæ sunt atque laudantur: quæ uero sursum attolluntur cum antedictis coloribus, malæ uituperandæque sunt.*

Vt, quæ a me sæpenumero in libris de crisibus ἐναιωρήματα appellatæ sunt, ipse uocare nebulas consueuerit, hac etiam oratione non obscure declarauit. ipse tamen alio in loco dixit, ἐναιώρημα γονοειδὲς, hoc est pendentia genituræ similia, ut duorum alterum dicendum sit, aut ἐναιώρημα esse cuiusdam generalioris rei nomen, quæ res in nubeculas, & alia genituræ similia diuidatur: aut ne nubeculas quidem ab ipso ἐναιωρήματα appellari. ceterum omnia, quæ in urinis deorsum feruntur, tanto esse meliora, quanto magis deorsum subsederint, supra uidemur innuisse, cum diceremus, cum eis spiritum flatuosum quan-

Al.l.2.d.3. c.74.p.102.E B doque esse permistum. itaque quod perfecte concoctum, secretum, æqualeque est, & similibus inter se particulis constat, id quia flatus expers est, ideo in fundum urinarij uasis descendit: quod uero naturam aeriam, uaporosamque admistam habet, id ab illa leue redditum, pro modo eius rei, a qua subleuatur, sursum magis, minusque fertur.

37 *Ne uero te fallat, si uesica morbo aliquo affecta, urinas eiusmodi reddiderit: cum hoc non totius corporis, sed ipsius modo uesicæ indicium sit.*

Hoc etiam optime adscripsit, admonens nos eius, quod interdum in ægris non aduertimus: id quod etiam in alui excrementis obseruandum est: utrique enim excretioni commune est, ut hæc a toto corpore excrementa recipiant, & ab ijs partibus, per quas illa uacuantur. accidit autem, ut dum nos omnes ualemus, excrementa totius corporis per urinas expurgentur: partium uero earum quæ ad uentrē attinent, cum stercore descendant: cum uero male habemus, cum urinis prodire quædam, quæ uesicæ, renumque morborum indicia sint; cum stercore uero, quæ sint totius corporis. itaque non raro quæsitum est in ijs, qui purulenta minxerunt, unde pus ipsum ueniat. quod idem de urinis in quibus quasi squamulæ sunt, quæsitum est: & item de acribus, graueolentibus, ac biliosis: id enim plerunque uesicæ, renumque uitio contigit; plerunque autem totius corporis: hoc est facultatis in toto animali fuc

C cos concoquentis: cuius, ut ostendimus, ut focus ardens & fons est iecur. interdum tamen illa ipsa nullo modo affecta, totum corpus per renes, uesicamque expurgatur. aut partium eius aliquarum excrementa quædam in uenas delapsa, purgato a renibus sanguine, simul excernuntur: sicut etiam abscessus multis in locis exorti per urinas excerni solent.

## DE VOMITV.

38 Al.l.4.f.2.t.1. c.78.p.128.E *Vomitus utilissimus est, qui maxime bilem, & pituitam mistam habet: nec admodum crassus est, nec copiosus: purior enim est deterior.*

Hoc etiam loco indicauit, quid purum uocet, cum ei mistum opposuerit: quanquam satis per se nota est huius nominis significatio: uinū enim purum esse dicimus, cui aut nulla, aut certe exigua aqua mista sit. & alia etiam omnia & sunt & a nobis pura dicuntur, cum ipsa per se alijs non sint mista naturis. flauam ergo bilem interdum uidemus & uomitu, & aluo deijci crassam, & summopere flauā, quam nonnulli quoque uitellinam nominant: sæpe uero liquidiorem, ac minus flauam: quæ magis proprie pallida uocatur: quæ pituitosum succum tenuem, aut aquosum aliquod excrementum per se totam mi

D stum habeat. Hippocrates igitur neutrum succum purum uideri uult: sed eos inter se quodammodo mistos esse: nam qui purus est biliosus, insignem calorē: pituitosus uero frigus indicat. sed & qui puri sunt, ijdem quoque sunt puri: ut pituitosus ferme propter frigus, sit concretus: biliosus uero propter caloris excessum, aridus, & fere torridus efficiatur: sunt enim hæ duæ causæ contrariæ eorum, quæ crassa fiunt, uehemens calor & frigus siquidem calor exiccat: frigus uero compingit.

39 Al.l.2.d.3. c.73.p.104.E *Si uero porraceus, aut liuidus, aut niger sit, quicunque ex his coloribus fuerit, prauus existimandus est.*

De liuido, nigroque colore supra dictum est. at porracei nunc primum facta est mentio: qui propriū nomen nullum habet, ipsum autem a porris ducit. nisi forte quispiam dicat, contra fieri, ut non a porro porraceum, sed porrum a porraceo nomen trahat: nā in quibusdam deriuatio ita aperta est, ut quod sit primitiuū, ut grammatici uocant, quodque ab eo deriuatum, facile intelligas: ut in lacteo colore: in quibusdam uero non ita est perspicua: licet enim dicere, non a phœnice uocatum esse phœniceum, sed phœnicem a phœniceo: & cyanum non magis a cyaneo, quàm cyaneum ab illo nominatū eiusdem generis est ochra, & color ὠχρὸς .i. pallidus: dico autem ὠχρὸν non accentu acuto in ultima, ut cum dicunt adolescentem ὠχρὸν, & mulierem ὠχρὰν: sed in penultima: est enim ὤχρα terræ quoddam genus, in quo Attica præstat cereris. sed hæc a me semel dicta sint. semper autem memineris, tantam esse in uocibus diligentiam adhibendam, quantum satis sit, ut ea, quæ dicuntur, facilius intelligas: siquid operæ præterea

rea in hac re ponas ſuperfluam puta:& in meliorum rerum ſtudio temporis colloca ſane ut in corpore, E quod ſecundum naturam affectam eſt,pallida bilis naſcitur,ſic in eo,quod præter naturã ſe habet, alia porracea generatur: eaq; ſæpe in ipſo gigni uentriculo uidetur ob nõnullorũ ciborum, aut olerũ cruditatem,ut ſunt betæ,cepæ,ac braſſicæ : interdum uero etiam ſine horum uſu, per morbos in uenis oritur,& modo in ſummum,modo in imum uentrem deſluit:& calorem quendam præter naturam in corpore & excrementi proprietatem ita temperati , ut ſuccus eſt olerum , quæ prædiximus , eſſe ſignificat. A.l.1.fen.1.doct.4.c.2.p.13.C

40 *Si idem homo omnes colores euomat,erit id admodum perniciosum.*

Siue de prædictis coloribus porraceo,liuido,nigroque uerbum,omnes, dictum ſit,ſiue etiã de alijs, qui præter naturam ſint,certe utroque modo pernicioſiſſimum id eſt:quod plures in corpore graues eſſe affectiones atteſtetur.

41 *Maturam mortem denunciat uomitus liuidus,ſi malus in eo odor eſt.*

Huiuſmodi namque putredinem cum extinctione indicat,ſi ea, quæ ſupra dicta ſunt,in memoria habemus.

42 *Omnes cum ſubputridi,fœdique odores in quouis uomitu ſunt mali.* A.l.4.f.2.t.1.c.78.p.828.E

Si affectioni putredo accedat,ea deterior,quàm ſit,euadet. F

DE SPVTO.

43 *In omnibus pulmonis,coſtarumque doloribus celeriter,leuiterque excreari ſputum debet.*

Celeriter,ſignificat in morbi principio, leuiter uero,hoc eſt facile , & prompte.id autem contingit ijs,qui cito, & ſine difficultate excreant : fieri enim cito aliquid duobus modis intelligimus,ut uel primum totius morbi tempus indicetur,uel tempus illud,in quo actionem obimus: ſputum enim leuiter, hoc eſt prompte,facileque educitur,cum neque dolor uehemens thoracem obſidet,ſiquidem is interpellat,nec ſinit thoracem inceptum opus abſoluere:neque imbecilla facultas eſt : quando ea quoque medio in opere ceſſat,opuſque imperfectum relinquit.quod autem educitur,ſi admodum glutinoſum ſit,particulis ita adhæreſcit,ut auelli uix queat : ac ſæpe ſublatum , pulmonis fiſtulis agglutinatum detinetur,ut etiam quod ualde craſſum eſt,ac difficulter attollitur ,longiorem affectionem neceſſario faciat,& in anguſtis quibuſdam uijs ſic intercludatur,ut quidam ſint ita ſuffocati.ceterum quod ualde tenue,& ut aqueum eſt,ægre expuitur,circum ſpiritum diffluens : hæc enim prima eſt educendi ſpiritus cauſa:quam etiam continentem nominant:prima enim cauſa duplex eſt , ut in libro de cauſis diſtinximus,materiæ uitium,& quod principium motus habet.motus autem principium in tuſſientibus ab ea G eſt facultate,quæ thoracem mouet:ut in libro de cauſis ſymptomatum eſt a nobis demonſtratum. huius enim uiolenta compreſſio ſpiritũ foras uehementer egredi cogit. hæc uero uehementia ſecum educit quæ in pulmonis fiſtulis,quæ aſperæ arteriæ ſunt,continentur.itaque ſi thorax fortiter ſuo munere fungatur , & humor,qui in pulmonis fiſtulis eſt, modice craſſus ſit, facile expuetur : ſin adſit neutrum, ægre & uix reijcietur.quod ſi altera cauſa adſit,abſit altera,ſputi euacuatio inter optimam & peſſimam media continget.uno uerbo,ut cauſa aliqua magis,minuſue uehemens, aut remiſſa ſit,quidam facilius quidam difficilius excreabunt.quid igitur ſit leuiter excreare, mihi & perſpicue , & uere declaraſſe uideor.id ſi uerum eſt,ut etiam eſt:uerum quoque erit cito:non enim temporis ſpatium tuſſi cõiunctum, ſed primum morbi tempus ſignificat ; de quo in aphoriſmis dixit,ſi ſputum in pleuriticis cito, incipiente morbo appareat,cum fore breuem oſtendit.quod ſi quis de tempore , quo actio obitur, cito dictum eſſe uelit(quod in uerbo leuiter contineri docui)dupliciter errabit:& quod tempus bis dixerit ,quod cum minime decet : & quod alterum,cuius etiam in aphoriſmis mentionem fecit , prætermiſſum ſit : quod magnam alioqui uim habet.ac non modo ob hæc,ſed etiam ea,quæ deinceps ſcripta ſunt, ſic intelligendum ſit,planum tibi erit,cum locum ipſum exponam. A.l.3.f.10.c.4.p.494.F.

H 44 *Et permiſtum ſputo flauum uehementer uideatur.*

Vehementer ad permiſtum,non ad flauum referri debet,ac ſi ſic dixiſſet: & flauum ſputo uehementer permiſtum uideatur.porrò uehementer idem ſignificat,quod ualde,& maxime.ipſe autem paulo ante dixerat,uomitum eſſe utiliſſimum,qui maxime bilem & pituitam miſtam habet:nunc uero in ſputis addidit,uehementer,nos uero eſſe recte interpretatos,ex ſequenti intelliges ſententia.

45 *Nam ſi multo poſt,quàm dolor cœperit,flauum,aut rufum excreet , aut quod multam tuſsim excitet, nec uehementer permiſtum ſit,peius cenſetur.*

Pollicitus ſum , me hoc loco oſtenſurum, utranque interpretationem,quàm ſupra adhibui,uerborũ cito,& uehementer,ueram eſſe: nam ad contraria tranſiens, ut ſolet, uerbo cito oppoſuit hoc , nam ſi multo poſt, quàm dolor cœperit,excreet:ei uero,quod uehementer permiſtum eſt, quod nõ uehementer permiſtum ſit:& ei,quod facile expuatur,id quod multam tuſſim excitet: ſiquidem quod ſine dolore,citoque attollitur,exiguam tuſſim requirit.ante autem dictum eſt,melius eſſe,ut quæ euacuantur,inter ſe miſta quodam modo ſint,ac nihil ſyncerum,purumque excernatur.dictum etiam a me eſt , in libris de criſibus , & in commentarijs aphoriſmorum , expedire , ut ſputa cito in pleuriticis appareant.

Quippe

46 A *Quippe flauum, si purum quoque fuerit, periculum subesse testatur: album uero glutinosum, & rotundum, inutile est.*

A. l. 3. f. 10. c. 4. c. 8. p. 498.

Nihil aliud hoc loco dicit, quàm quod ante proposuit: quod enim commistum non est, id purum est: fitque flauum, nimirum ob flauam bilim: album uero, & glutinosum, & rotundum ab adusta pituita: ostensum autem sæpe a nobis est. fluxiones, quæ in partes aliquas irrumpunt, & inflammationes, & ignes sacros, & tumores molles, ac duros, & cancros excitant, pro humorum uarietate, qui in ipsis redundant, mites, malignosque effici: nam affectiones sanguineæ, pituitosæque, moderatæ sunt: quæ a flaua, atraque bili existunt, molestæ: earum enim utraque pari modo exest corpora. estque id earum commune: sed flauæ bilis proprium est, febres acutas ut afferat: atræ uero, ut affectionem ægre dissolubilem pariat: cum enim crassus, terreusque humor sit, partibus, a quibus excipitur, ita impingitur ut inde detergeri uix possit.

47 *Malum uero etiam est, quod ualde χλωρὸν, spumosumque est.*

Aui. l. 3. f. 10. t. 4. c. 8. p. 498.

Dictum sæpissime est, χλωρὸν dici consuesse de pallido, quod ab aliquibus æruginosum nominatur. quorum utrumuis si in summo tale sit, non iam opus est, ut malum esse dicam: cum id iam de omnibus puris humoribus pronunciauerim: omnis enim purus humor, præter sanguinem, prauam affectionem indicat: utpote qui ab inflammato calore originem ducat: ac flauus quidem ipso humore seroso torrefa-B cto: pallidus uero, immisto: æruginosus ualde torrefacto gignitur: niger uero, aut eodem supra modũ torrefacto, qui tunc atra bilis pessima, & maxime exedens efficitur: aut crasso sanguine pari modo siccato: aut ab extinctione, ac frigiditate prouenit. quorum debes memor esse, nec uelle, eadem tibi de ijsdem sæpe iterari. ceterum spumosum sputum, (id enim in fine orationis est etiam memoratum) ex pituitosa, aereaque substantia simul mistis constat: unde omnis quoq; spuma generatur: ac in mari quidem, cum aqua minutas in partes discissa ui & impetu uentorum discinditur: in ijs uero, quæ elixantur, ob uim caloris. est autem utriusque commune, ut multas, minutasque bullas excitent, quæ ægre dissolui possint, præsertim si aer turbidus, & caliginosa humiditas quæ quidpiam glutinosi, crassique habeat, simul iungantur: humor enim tenuis, qualis exquisita aqua est, cum aerem purum conceperit, continere eum diu nõ potest, sed statim bullis ruptis, illum in suum recurrere locum sinit: ex quo fit, ut in mari spuma statim dissoluatur, crassus uero, glutinosusque humor, si turbidam, ut dictum est, & nebulosam substantiam quampiam in se incluserit, longo spatio continet: cum nec ipsa, sicut aer purus, sursum ferri conetur: & ille disrumpi ægre possit. ut enim bullæ ex humida substantia aerem intra se concludente gignuntur: sic eadem substantia disrupta dissoluuntur. rumpitur autem spiritu tenui in sublime elato. nõ rumpitur autem, si ille nec tenuis sit, nec in sublime feratur. talis autem est nebulosus, quippe qui nec C sursum feratur, nec tenuis sit, sed ualde humidus, ut humorem ipsum circũfusum sustinere queat. quam ob rem bullæ, quæ in aqua, dum coquitur, exoriuntur, non difficulter dissoluuntur: sed tum denique, cũ crassus, aut pinguis humor eas excitauerit: ex quo spiritus prodiens flatuosus, uaporosusque est, & humor, qui in lebete in superficie est, oleosus, pinguis, & glutinosus est. itaque in corporibus quoque animantium ita gigni spumam oportet: neque enim uehementes uentorum procellas, tanquam in mari, sic in corporibus animantium esse, existimare conuenit: at calorem igneum quidem esse posse, qui tũ consumat, tum spiritum flatuosum pariat: quem uel ipsis etiam oculis in plerisque ægrotis intueri licet. sed hæc satis dicta sint nobis, tu uero manda memoriæ, quomodo uel sputa, uel alui excrementa, uel urinæ spumam contrahant. (nam & in his quoque bullæ, quas diximus, quandoque fluitant) ne eadem rursus audire desideres

A. l. 1. f. 2. d. 3. c. 5. p. 100. F

48 *Si uero ita purum sit, ut nigrum appareat, erit aliis deterius. malum quoque est, si nihil expurgetur, nec pulmo reiiciat, sed ob plenitudinem in gutture ferueat.*

A. l. 3. f. 10. t. 4. c. 8. p. 498.

Diximus ante de omnibus puris in uniuersum: & quædam etiam priuatim de nigris: quorum si oblitus es, ea denuo relege: id enim melius erit, quàm me eadem eisdem de rebus inculcare.

D

## DE GRAVEDINE ET STERNVTAMENTO.

49 *In omnibus pulmonis morbis grauedines, ac sternutamenta præcessisse, & superuenisse, malum est: sed in aliis maxime mortiferis morbis sternutamenta utilia sunt.*

A. l. 3. f. 5. c. 13 p. 450. D.

A. l. 3. f. 5. t. 1. c. 11. p. 444. E

Tenuem, crudumque humorem, qui per nares excernitur, ueteres medici omnes grauedinem appellare consueuerunt: ut etiam consimilem, ubi per palatum descendit, distillationem uocãt: ac miror, cur Hippocrates non distillationem, sed sternutamenta cum grauedine cõiunxerit, grauedines autem uno modo prauæ sunt, si his morbis superuenerint, distillationes uero duobus. est autem a nobis ante persæpe dictum, nonnulla noxia esse, quæ inter mala signa per accidens numerentur: alia uero esse solum mala signa: ut quæ nihil mali inferant: sed difficilem quandam esse affectionem a qua exorta sint, indicent: alia esse ab his tertia, quæ utroque modo mala sint, & sicut signa, & sicut causæ: ac signa quidem, cum a difficili affectione quapiam excitantur: causæ uero, cum ab eis alia quoque maligna oritur affectio. quare distillationes, grauedinesque morbis pulmonis superueniunt, ubi caput calidos ad se uapores traxerit. nec tamen ambæ pulmonem lædunt, sed sola distillatio: quippe cum quod ex grauedine descendit, per nares foras pellitur. ita fit, ut distillationes sint grauedinibus deteriores. quam ob rem non uideo, cur eas Hippocrates in proposita oratione prætermiserit, nisi quis uelit sub grauedine comprehendi, ac forte etiam librarius, qui primo librum descripsit, eas omisit, siquidem hoc modo sexcenta deprauata

uata eſſe conſpicio.quare grauedines ac deſtillationes nunquam eſſe bona ſigna putandũ eſt: utpote E
quæ ſi præceſſerint,pulmonem uitioſo humore expleant:ſi uero morbo ſuperuenerint,& uehementem
pulmonis affectionem indicent,& ab eo læſum eſſe caput atteſtentur. grauedinem uero ſternutamen-
ta plerunque conſequuntur.ſed hæc pulmonem etiam aliquo modo lædunt, propterea quod totũ tho-
racem uehementer concutiant.in alijs autem morbis nũquam ſimul incidunt, ut nec aliud ſymptoma:
ſi uero procedente morbo ſuperuenerint:ſalutem oſtendunt, etiam ſi mortiferum eſſe alia ſigna de-
clarent: ſunt enim concoctionis indicia, & cerebri facultatem expultricem robuſtam eſſe oſten-
dunt: quæ deiectis in nares flatuoſis ſpiritibus, quadam cum humiditate, quæ interdum ſenſu per-
cipitur, manifeſtaque eſt: interdum uero ſenſum effugit, & obſcura eſt, ſternutamentũ excitat.

*Sputum uero flauum,cui modicum ſanguinis admiſtum ſit, in peripneumonicis, ſi in principio excreatur, ſalutare eſt,ac* 50
*ualde iuuet:ſi uero ſeptimo die,aut etiam tardius,minus ſecurum eſt.*

Hæc oratio eſt omnibus inflammationibus communis: eſtque id a nobis iam ſæpe alibi memoratũ,
humoris,qui aliquam in partem decumbens inflammationem gignit,partem tenuiorem exudare,mo-
do ne id,quod partem inflammatam contegit,tam denſa ſuapte natura ſit, quàm exterior hæc cutis eſt.
quocirca ſiue narium meatus,ſiue oculos,ſiue os inflammatio obſederit,tenuis humiditas ab ea delabi-
tur ſimilis ei ſaniei,quæ ab ulceribus manat. ſic etiam pulmo inflammatione exceptus humiditatem F
quandam in interna ſua ſpatia,quæ aſperæ arteriæ ſunt,effundit,& eam per tuſſim ſublatam reijcit: eſt-
que id indiciũ eius fluxionis,quæ peripneumoniam genuit:eſt enim illius ueluti ſerum. quare ſi humor
admodum bilioſus eſt,ea ſolum erit flaua:ſi uero ſanguineus,rubra:ſin ex utroque concretus, rubra ſi-
mul,flauaque.atque hæc quidem humiditas bona eſt:& ab ea non multum diſtat ſyncerus ſanguis,qui
ſpuendo emittitur:ſed hoc indicium forte quempiam terrebit,ut cum ulcus, rupto uaſe, in pulmone
eſt:nam tum quoque ſanguis expuitur. quin etiam quibuſdam peripneumonicis ſanguis perexiguus
excerni uidetur eo prorſus modo,ac ſi per exilitionem, quam medici uocant,eijceretur.id autem ſym-
ptoma contingit,cum ſanguis qui tenui ſubſtãtia ſit, per os effluxerit,ita uero rarefactæ gingiuæ ſint,ut
continere eum non poſſint.interdum quoque eadem cauſa ſeroſus ſanguis a gutture non ſecus: pro-
fluit. ergo non debet abſurdum uideri,ſi idem pulmoni contingat. idque facile diſcernes, tum ex ſan-
guinis conſiſtentia,tum ex eius copia: hic enim neque craſſus,neque multus eſt, qui ita excreatur. cæ-
terum hoc ſymptoma ad ſeptimum uſque diem perſeuerare non debet: ſed potiſſimum intra quatuor
primos dies mutari,& concoqui:ſin minus,ſaltem ante ſeptimum: ſi enim quale ab initio fuit, tale etiã
perſeueret,non dubium eſt,quin morbum fore diuturniorem oſtendat:nam ubi ad ſeptimum diem uſ-
que nullum concoctionis principium accepit,longo poſt tempore perfectam concoctionem fore in- G
dicat.ſed cum in tanto ſpatio multa accidere abſurda ſoleant, uel ægri errore,uel eorum, qui ei mini-
ſtrant,uel ab externis etiam rebus,quæ præter opinionem eueniunt,uel aliquando medici culpa,certe
periculum eſt,quamuis nihil horum interim acciderit,ne prius, quàm concoctus morbus ſit,ægri ui-
res diſſoluantur. quibus quidem rebus ſcribit, minus ſecura eſſe eiuſmodi ſputa, ſi pluribus diebus
perdurent.

*Sputa,quibus dolor non leuatur,mala ſunt omnia: peſsima autem nigra,ut dictum eſt:quæ uero dolorem ſedant,ea ſunt* 51
*omnium optima.*

Hæc quoque ſententia ad omnia,quæ ex corpore excernuntur, æque pertinet: de qua cum alijs in
libris,tum in aphoriſmis ipſe memorauit,cum ait,ſpectandum eſſe,quàm facile æger ferat: natura e-
nim perſæpe praua ſuperata affectione potuit corpus expurgare:idque multis terrorem inijcit, qui ex-
crementorum malitiam intuentes neſciunt,ſymptomatis ne ratione illa euacuatio fiat, an quod natu-
ra uitioſos humores expellat.atque in aphoriſmis ſolum dixit,facile ferre: hic uero doloris uacuitatẽ
adiunxit:ac ſputa commendat,quibus dolor leuatur. paulo autem poſt omnes notas morborum, qui
ad meliorem ſtatum perducuntur, recenſebit,quas ſub ferendi facilitate complexus eſt: deinde uero
cenſet omnium eorum,quæ ipſe dixit,ſignorum uires diligenter expendi,ut qui ea inter ſe compara- H
rit,facere coniecturam poſſit,quantum in toto corpore ſit uel ad peius,uel ad melius momẽti.id quod
in hac ſententia,quam interpretamur,ipſe fecit:nam ſi dolores ſputis non diſcutiuntur,non bonum ſi-
gnum eſt:id tamen non ſatis eſt,ut accurate,quid futurum ſit,præſagias: ſed alia quoque ſymptomata
ſpectanda ſunt:quod ipſe nigris ſputis commemoratis indicauit.quare cum ſignum commune ſit, do-
lorem non ſedari,ſi quod excernitur,pallidum,rubrumue ſit, minus erit periculoſum: ſi nigrum, per-
nicioſiſſimum. omnibus igitur conſideratis, & non ijs ſolum, quæ dicta ſunt, ex eis facultatem accu-
rate præſagiendi conſequeris.& ipſe quoque Hippocrates omnia bona,malaque ſigna,ijs repetitis,de
quibus ante dixerat,ordine deſcripſit.

### DE SVPPVRATIONE.

*Dolores autem harum partium,quos neque ſputi expurgatio,neque alui deiectio,neque ſanguinis miſsio, neque uictus ra-* 52
*tio,neque medicamentum ſedare potuit,ſcire conuenit,ſuppurationem eſſe excitaturos.*

In doloribus,qui pectus,pulmonemque exercent,& remedijs non cedunt: in quibus id ſolum malũ
apparet, neque aliud mortiferum ſignum accedit,expectare ſuppurationes cõuenit:medij enim ferme
hi ſunt inter eos,qui cito deſinunt,& qui diſcuti non poſſunt.

Inter

53 A *Inter ſuppurationes uero illa ualde pernicioſa ſunt, quæ ſputo adhuc bilioſo fiunt: ſiue ſeparatim bilioſum ſputum & pus, ſiue ſimul excernantur.*

Quæ in manifeſtis corporis partibus ſupputant, ſi eiuſmodi ſint, ut una in parte pus, in alia reliquã materiam contineant, nullo pacto curari facile poſſunt. ſi uero nihil puris confectum ſit, & malignum aliquod ſignum eis accedat, multo erunt deteriora, quibus deinde multo peiora cenſenda erant, quæ principes partes occuparint: indicat enim id, humorem moleſtum eſſe ferociſſimum, ſi, cum natura ſe ad concoctionem eſſe paratam oſtendat, ipſe tamen ei nullo modo ceſſit.

54 *Præſertim uero ſi a die morbi ſeptimo pus ab huiuſmodi ſputo procedere inceperit.*

Hoc quoque commune eſt eorum omnium, quæ criticis diebus fiunt: dies enim criticus ad certiorem præſagitionem facit. quod uero euenit, bonum ne ſit, an malum, alijs argumentis deprehendes: nam ſi die ſeptimo ſudor prouenerit, ſiue aluus deſcenderit, ſiue ſanguis profluxerit, ſi ex eis æger releuetur, bona ſigna ſunt: ſi peius habeat, mala: & horum utrunque certum eſt: incertum alioqui, ſi alio die contigiſſet. his de rebus copioſius in libro de criticis diebus, & eo, qui eſt de criſibus, eſt a me diſputatum: quibus in libris debet prius eſſe uerſatus is, qui Hippocratis ſententiam conſequi diligenter uelit.

55 B *Eum uero, qui talia expuat, decimo quarto die moriturum eſſe, ſpes eſt: niſi ipſi boni aliquid interea contingat.*

Vos, me prædicentem experti, horum ueritatem re ipſa comperiſtis. quare adhibere animũ diligẽter debetis ijs, quæ ab Hippocrate dicuntur: neque exiſtimare, hæc paria eſſe illis, quæ plerique Medici ſcripſerunt, quæ ſcripto quidem & uerbis ueri ſimilitudinem habent: ſed in morbis ipſis falſa deprehenduntur: nam ſi in eum ſcopum intuearis, quem ipſe inter omnia alia bona, malaq; medium propoſuit, diem, in quo aliquis moriturus ſit, poteris prædicere: eſto enim æger, qui die ſeptimo purulentum expuerit, idque neque ſyncerum, neque toto deinceps die ſed uel cum illo bilioſum, uel hoc ſolũ, ſine purulento: ſint uero alia omnia in ipſo media, ætas, natura, anni tempus, regio, propriæ uires, nec robuſtiſſimæ, nec debiliſſimæ: ſimili quoque modo ægri temperatura nec temperatiſſima, nec intemperatiſſima: ac tempus anni æque, & regionem, & aeris conſtitutionem, & ægri ætatem inter optima, peſſimaque ſtatuamus: ſic uero & ſigna cuiuſque generis in ægro media ponamus: eum die decimo quarto moriturum puta: quod hic terminus mortis ſit utrinque medius. alijs uero ſignis accedentibus, ſi bona ſint, terminum mortis protrahunt: ſi mala, mortem ante quartumdecimum accelerant. quæ uero bona, quæque mala ſint, ipſe tum nominatim, tum ſummatim poſtea recenſuit. ſed caue putes, eis omnibus pares uires eſſe: uerum memor eorum, quæ ipſe ſcripſit, quæque nos ſubiunximus, eorum
C numerum, uimque perpende. ac primas quidem illis tribue, quæ ipſe ualde ſalutaria, ac ualde pernicioſa eſſe dixit: quorum illa inter bona, hæc inter mala referuntur: ſimiliter ubi proximam eſſe mortẽ ſcripſit, aut perniciosiſſimũ addidit, nec ſimpliciter pernicioſum dixit, iam in ſignis quoque ſalutaribus aduertas, cum ait, ea magnam uim habere ad ſalutem: & item, cum ſcribit, ſecuritatem, breuitatemque morbi indicant: aut cum aliquid tale adiecit. quæ uero abſolute mortifera, & abſolute ſalutaria dicuntur, hęc pro ſua natura in medio ordine cenſenda ſunt. quæ uero his utrinque adiacent, ipſeq; per comparationem extulit, ea uel pernicioſiora, uel ſalubriora uel magis, uel minus talia eſſe dixit: nã ſi cum mortiferis illis ſputis, quæ quinto, ſeptimove die prodierint, malum aliquod primi ordinis ſignum appareat, nemo utique æger eſt, qui ad undecimum peruenire diem poſſit: ac magis etiam, ſi plura uno illa ſint. eodem modo ſi quædam multum bona ſigna appareant, morbus in tertiam uſque hebdomadã prorogabitur. quod ſi mortifera, & ſalutaria inter ſe miſta ſint, aut ea, quæ in utroque genere plus poſſunt, cum ijs, quæ imbecilliora ſunt, aut alio quouis modo, fiet, ut ſi plura, ualentioraque ſigna bona ſint, ſpes ſit, ægrum eſſe diutius uitam ducturum: ſin contra acciderit, citius moriturum. pari modo ſi ſenex: aut imbecillus æger ſit, aut tempus anni, & regio, & aeris conſtitutio praua, intemperataque: mortem celerius expectabis: in quo plurimum quoque ualere indicationem, quæ a uiribus
D ſumitur, exiſtimabis.

56 A.l.1.f.2.d.3. p.87.c.10. B. & 496.E. *Bona autem ſunt hæc, ſi æger morbum facile ferat, ſi facile ſpiret, ſi ſedatus dolor eſt, ſi facile ſputum excreet, ſi corpus æqualiter molle, calidumque appareat, ſi nulla ſitis ſit: præterea urina, deiectiones, ſomni, ſudores ſint, quales a nobis ſupra ſunt dicti. hæc omnia ſi ſuperuenerint, homo utique non morietur. ſin autm alia ex his appareant, alia non, is decimumquartum diem non excedet, quin moriatur. mala uero ſunt his contraria, ut morbum non facile ſuſtinere, ſpiritum magnum eſſe, & frequentem: dolorem non ſedari, ſputum ægre reiectari, ſiti cruciari, corpus a calore inæqualiter affectum eſſe: uentrem & latera uehementer calere, frontem, manus, & pedes refrixiſſe, urinas, aluum, ſomnos, ſudoreſque prouenire, uti diximus: nam ſi aliquod ex his ſputo ſuperuenerit, certe æger nono, aut undecimo die, morietur, nec quartum decimum attinget. ita igitur coniectura facienda eſt. quod hoc ſputum admodum mortiferum ſit, nec ad decimum quartum diem uiuere ægrum ſinit: tum bona, malaque ſigna, quæ ſuperueniunt, expendenda ſunt atque ex eis ducenda eſt præſagiendi ratio: ſic enim uerum quis dicat uel maxime.*

Incipit hoc loco & bona, & mala indicia recenſere, de quibus ante dictum eſt: quare his omiſſis, quæ ſequuntur, aggrediar. ſi ſeruari æger debet, omnia bona ſigna adſint, neceſſe eſt: ad mortem uero afferendam ſatis eſt, ſi unum ex malis adſit: quæ citius, an ſerius futura ſit, multitudo, uel paucitas bonorum, aut malorum ſignorum indicabit.

*Alia uero suppurationes rumpuntur, plurima quidem uigesimo die, alia trigesimo, alia quadragesimo: alia ad* E 57
*sexagesimum usque perueniunt.*

Incertum est, quasnam alias dicat: potest enim hoc de illis intelligi, quæ alias partes, præter thoracem, & pulmonem, occupant, de quibus hactenus disseruit. uel potest etiã de illis dicere, quæ easdẽ partes obsident, sed dissimiles a prædictis sunt: aut forte etiam de utrisque uerba facit. quod autem dixi dissimiles a prædictis, explicandum est. quæ igitur ante dixit Hippocrates, ea ad omnes suppurationes non pertinent: sed ad eas, quæ biliosum quid permistum habẽt: neque ad has quidem omnes, sed quæ septimo ruptæ sunt die: id autem perraro fit: siquidem plurimæ uigesimo, & quædam etiam tardius rumpuntur, de quibus modo loquitur. omnino autem differentiæ duæ communes sunt: quibus inter se tempore quoque differunt: ab affecto scilicet loco, & redundante humore ductæ: etenim calidiores, molliores que partes maturius suppurantur: frigidiores uero, & sicciores, tardius: eodemque modo calidi humores citius, frigidi tardius: atque hæ quidem differentiæ a rei natura ducuntur: aliæ uero externæ accedunt, ab ætate, natura, anni tempore, regione, aeris constitutione, præterea uero ab ægri uiribus profectæ. in quibus omnibus humores calidiores promptius, frigidiores tardius in suppurationẽ conuertuntur. hæc autem de omnibus suppurationibus in uniuersum scire, operæpretium est: mihi uero de ijs adhuc loqui uidetur, quæ thoracem, pulmonemque obsederunt. F

*Spectare autem principium suppurationis oportet, ac reputare eius initium eo die fuisse, quo primum æger febricitauit, aut inhorruit, aut pro dolore, grauitatem eius partis, quæ dolore afficiebatur, sensit: hæc enim inter initia suppurationum solent contingere. ab hoc igitur tempore usque ad tempora ante dicta ruptum iri suppurationes, expectandum est.* 58

A. l. 1. s. 2. d. 3. c. 10. p. 87. B.

Hoc unum est, de quo inter Medicos omnes constat, propterea quod manifeste cõspicitur, omnes inflammationes, quæ principes partes tenent, nisi remedijs digerantur, sed suppurentur, rigorem, & deinde febrem inuehere. In libro autem, qui de rigore est, ostendimus, acrimoniam puris, quod efficitur, mordentem atque exedentem uicina corpora, rigorem eo modo excitare, quo acria medicamenta solent: quæ si malignis ulceribus, aut putridæ affectioni imponantur, rigorem, febrimque afferunt, febrisque illi horrori succedit. Hippocrates autem fecit utriusque mentionem: febrimque prius nominauit, hoc modo: eo die, quo primum æger febricitauit. in quo non eum diẽ significat, qui totius morbi primus fuit, sed quo rigor, & febris multo uehementior, quàm quæ præcessit, occuparit. quinetiam eo tempore grauitatem manifeste ægri sentiunt, quod humor, qui per corpora inflammatione excepta multis, exiguisque particulis sparsus erat, postea quàm in pus est conuersus, in aliquod inane corporis spatium parti omni, quæ inflammatione obsidetur, continuum delabatur. itaque ab hoc tempore, in quo hæc primum acciderunt, expectandum est, suppurationes ruptum iri, alias die uigesimo, alias G trigesimo, alias quadragesimo, alias autem sexagesimo. signa autem, quibus cognoscantur, tria sunt, grauitas, rigor, & febris, quæ sit, ut dixi, præcedente multo uehementior.

*Si uero alteram solum partem suppuratio occupet, uerti æger debet, & ab eo intelligi, an dolorem in alio latere sentiat, & an alterum sit altero calidius: & ubi in partem sanam, decumbit, interrogare, num illi a superna parte pondus aliquod impendere uideatur. id si erit, in eo latere, in quo pondus est, suppurationem esse scito.* 59

A. l. 3. f. 10. c. 4. c. 18. p. 560. D.

Ex dissectionibus cognouimus, membranas, quæ a pectore ad spinam protenduntur, thoracem ita distinguere, ut duos sinus faciant. ex quo fit, ut uomicæ, quæ alteram partem occupant, alteram permeare non queant: ut in illis fieri solet, quæ in peritonæo sunt: siquidem in eo pus circum omnia intestina diffunditur: hic uero nec a dextra thoracis parte ad sinistram, nec contra, a sinistra ad dextrã permeare potest. quocirca iubet, ut sciamus, an pus utraque parte, an altera tantum contineatur: cum enim peripneumonia in suppurationem uertitur, tum pus uel in utraque parte, uel in alterutra coaceruatur: in pleuritide uero in altera potius, quàm in utraque colligitur. locus autem affectus dignoscitur tum ex caloris differentia, quia ubi malum est, ibi maior est calor: tum quod homo in latus oppositũ decumbens, pondus in superiore parte sentit: perspicuum enim est, pus illa in parte coaceruatum, ponderis sensum afferre. H

*Quibus signis purulenti cognoscantur.*

*His autem notis suppuratos omnes deprehendes: primum si febris eos non dimittit: sed interdiu leuior est, noctu maior: multique sudores oriuntur, ac tussiendi cupiditas est: & nihil pene in tussi excreatur: oculique concaui redduntur, malæ rubent: ungues manuum adunci fiunt: ac digiti, potissimum summi, calent: in pedibus tumores sunt, cibi fastidium adest: ac pustulæ in corpore exoriuntur.* 60

A. l. 1. f. 1. d. 3. c. 10. p. 87. B.

Qui pus intra corpus accumulatum habent, siue adhuc in parte inflammata detinetur prius, quàm ea rumpatur, siue etiam rupta iam suppuratione effusum est, dici suppurati recte possunt: sed apud Medicos uel soli, uel potissimum supputati uocantur, quibus in thorace, ac pulmone hoc uitium consistit. postquàm uero rupta uomica est, pus illud in medio thoracis, pulmonisque spatio continetur, ac nisi protinus excreetur, ægros tabe consumit: hi enim leuiter quidem febricitant, semper tamen calor uidetur noctu augeri. quod accidere solet omnibus, qui febrim hecticam habent: non quod nox febrem ipsis propter affectionem augeat, sed aliquo accidenti id fit, quod huiusmodi est: in his febribus, quæ hecticæ nominantur, ipsæ animalis solidæ partes ignem concipiunt. itaque febris sibi similis perpetuo manet, eiusque calor, ut calcis quoque, ad tactum est obtusus: at potu, ciboque assumpto, fit multo uehementior, non secus, quàm calx, cui affusa aqua sit. id quod illi aperte sentiunt,

qui

A qui manum admouent. atque hoc ego in ægris ſæpe uobis oſtendi, qui febre illa tenerentur: cum diuerſis temporibus eos ali imperarem, ut id a cibo, non a morbo proficiſci crederetis: cernimus enim perſpicue febris calorem in cibi tempore protumpere: quippe qui, dum cibus ſumitur, in creſcere: dum in corpus digeritur, ſe ipſo uehementior fieri uideatur. ſudores autem propter uirium imbecillitatem frequenter oriuntur: cum alimentum, quod digeſtum eſt, per halitum diſcutitur. tuſſiendi quoque cupiditas urget, & nihil fere expuitur: nam ſi ſpuerent, purulenti non manerent. quod autem nihil notabile expuant, triplex cauſa eſt, lentor & craſſitudo puris, denſitas membranæ, quæ pulmonem continet, & uirium ægrotantis imbecillitas. ſed ait quoque concauos oculos fieri: quod diuturnis febribus omnibus commune eſt: atque ijs potiſſimum, quæ uehementer exiccant. malæ autem rubent propter pulmonis calorem, & tuſſim: quæ ſane ambo & faciem, & caput totum calfaciunt. præterea uapores ex fluxione, quæ in pulmonem decubuit, eo comportantur. Vngues autem adunci fiunt, abſumpta utrinque carne, qua firmantur. digiti uero quamuis fere ſemper in diuturnis morbis refrigerentur, tamen in hecticis febribus ideo calidi permanent, quod illæ ſolidas corporis partes maxime prehenderunt. atque hi quidem extrema ſui parte, non extra, ſed intra, ubi ipſorum caro eſt, aperte calidiores ſentiuntur: cuius rei B in promptu cauſa eſt, ſi eorum, quæ de offerendo cibo diximus, recordamur: nam ubi plus humiditatis eſt, ibi etiam calor copioſius redundat. præterea uero temporis progreſſu, pedes intumeſcunt: quod totius corporis extinctio ab illis potiſſimum incipiat, utpote a partibus a principio remotiſſimis. ijſdem quoque cibi cupiditas concidit, extincta nimirum unà cum alijs appetendi facultate. puſtulæ etiam quædam exoriuntur, quod erodens ſanies collecta ſit in corpore: ſic enim eas in ſecundo de uulgaribus morbis libro gigni docuit Hippocrates, cum hoc modo ſcribit, Sanies inquit, in cute ſuperuenit: illicque detenta incaleſcit: hæc enim cum rariſſimam cutis partem pertranſierit, in extima ipſius ſuperficie, quæ denſior eſt, ſubſiſtit. hanc autem illa ab interna cute dirimit, & diſiungit, atque in ea collecta puſtulas gignit.

61 *Ac diuturnarum ſuppurationum hæ ſunt notę, quibus multum fidei adhibendum eſt: at breues, deprehenduntur, ſi aliqua ex his apparent, quæ inter initia contingunt: ac ſimul etiam ſi æger difficilius ſpiritum ducat.*

Recte dixit, adhibendam eſſe fidem diuturnatum ſuppurationum notis: tanta enim earum uis eſt, ut nullus dubitationi de ſe locus relinquatur: quæ uero breues ſunt, prædictis ſignis cognoſci: ſunt autem hæc, rigor, febris, & grauitas: ac ſi quod eorum, quæ in diuturnis explicata ſunt, appareat, &, ſi æger difficilius, quam prius, ſpiritum trahit: id enim neceſſe eſt, ut a pulmonis anguC ſtia, quam pus uacua eius ſpatia occupans parit, efficiatur.

62 *Quæ uero citius, tardiuſque erumpent, his indicijs diſtingues: ſi ſtatim in principio dolor fuit, & ſpiritus difficultas, & tuſſis, & ſcreatus ad uigeſimum diem perſeuerat, tum, uel etiam prius erumpent. ſin mitior dolor eſt,* Auic.l.3.f.10.t.4.c.7.p.497.B. *cęteraque illi proportione reſpondeant, ſerius rumpentur. ſed prius quàm pus erumpat, dolor, & ſpiritus difficultas & ſcreatus accedant, neceſſe eſt.*

Ex quibus notis deprehendis, periculoſam eſſe ſuppurationis ruptionem, ex ijſdem an rumpi ſerius debeat, cognoſces. ſunt autem hæ, dolor, ſpirandi difficultas, tuſſis, ac ſcreatus: quæ quidem ſi continenter, ualdeque infeſtent, eruptionem cito futuram ſignificabunt: ſi neque continuæ, neque uehementes ſint, ſerius. ceterum dum corpus puri uicinum ab acrimonia eroditur, dolorem inde excitari neceſſe eſt: tuſſim uero, atque ſcreatum, cum ſanies aliqua iam tenuis per corpus, in quo pus concluſum eſt, pertranſit. difficulter autem illi ſpiritum ducunt propter totius morbi conſtitutionem, præcipue autem propter eum, qui acceſſit, dolorem.

63 *Ex ijs autem potiſſimum ſeruantur, quos effuſo pure, febris eodem die dimittit: ac cibum citius appetunt: & ſiti liberantur: & aluus pauca, & conſiſtentia deiecit: & pus album, lene, eiuſdemque coloris eſt, & pituitæ* Auic.l.1.f.2.d.3.c.10.p.87.B.& 500.E. *expers, itemque ſine dolore, ac tuſſi ualida reijcitur. atque ita quidem optime celerrimeque liberantur. ſin mi*D*nus, qui proxima his ſint conſecuti. pereunt autem, quos febris non deſeruit, aut quamuis deſeruiſſe uideatur, tamen repetit, & ſitis cibique faſtidium eos tenet, aluus liquida eſt, pus per pallidum, liuidumque excernitur, aut etiam pituitoſum, ſpumeumque: ſi hæc inquam adſint omnia, moriuntur. ſi uero horum quædam adſint, quædam non, alij pereunt, alij longo temporis ſpatio ſaneſcunt. ſed ex omnibus eiuſmodi ſignis tum in his, tum in alijs cunctis facienda conectura eſt.*

Tota ſententia, quæ ab hac oratione ducit initium, plane perſpicua eſt ijs, qui memores eorum ſunt, quæ ante dicta ſunt nobis. quare ea prætermiſſa, ad conſequentem progrediar.

DE ABSCESSIBVS.

64 *Quibus ex pulmonis inflammatione abſceſſus circa aures fiunt, & in partibus inferis ſuppurantur, ac fiſtulam* A.l.3.f.10.t.4.c.10.p.498.F. *efficiunt, ij ſaneſcent.*

Quod ait, fiſtulam effici, ſolum obſcurum in hac ſententia eſt: translatum enim eſt: nam quæ fiſtulæ proprie uocantur, quibus nimirum muſici utuntur, oblongos ſinus habent. itaque ſi eis ſimiles ulli in corporibus animantium præter naturam oriantur, eodem nomine declarantur. mihi autem A.l.1.f.2.d.3.c.10.p.87.B. uidetur Hippocrates propter uiæ, per quam pus fertur, longitudinem, fiſtulæ nomen uſurpaſſe. eſt autem totius ſententiæ caput de abſceſſibus, qui inflammato pulmoni ſuperueniunt: & modo glandulas quæ ſub auribus ſunt, modo partes thoraci ſubiectas aggrediuntur.

*His quoq; aduertere animum oportet: si febris detinet, si dolor sedatus nõ est, si screatio non satis pro ratione eijcitur:* E 65
*si aluus nec biliosa, nec solutu facilis, nec syncera descendit: si urina nec admodum multa, nec crassa est, nec multa habet subsidentia: ac reliqua omnia signa salutaria incolumitatem pollicentur, his tales abscessus expectandi sunt.*

Quomodo prædictos abscessus præsentire possimus, declarat, ratione duas in partes distributa: quarum priore futurum abscessum ostendit: posteriore uero distinguit, utrum supra thoracem in glandulis, quæ sub auribus sunt, an sub septo transuerso sit ortum habiturus. itaque nos quoque de prima dicamus, cuius hoc est caput, morbum difficulter quidem concoqui posse, mortiferum tamẽ non esse: si enim facile concoquatur, non per abscessum, sed per excretionem, aut paulatim cõcoctus cessabit: si uero letalis sit, nullus bonus abscessus potest oriri. quare inter faciles & perniciosos medium esse illũ oportet. quam ob rem Hippocrates notas quasdam bonas, quasdam malas attulit, quas ego tibi modo singillatim explicabo, a prima sumpto initio, de qua ipse scribit, his uerbis: Si febris detinet: hoc ẽ, si hominem ita occupat, ut corpus nunquam integrum sit. &, si dolor sedatus non est: nam si is cessauit, nihil opus abscessu est, quo morbus, qui placidus est discutiatur. si screatio inquit, non satis pro ratione eijcitur: non oportebit enim abscessum in eo morbo fieri, quem sputa perpetuo purgant. tum addit. si aluus biliosa non descendit. ostendimus iam in biliosis morbis abscessum non excitari: siquidem & crassi & crudi esse humores debent, ut & morbus longum in tempus producatur, neq; excretione, sed F uel abscessu, uel sola concoctione sanetur. quod autem sequitur, quidam hoc modo scribunt: nec solutu facilis, nec syncera descendit: ut, sicut dixit, nec biliosa, sic nec solutu facilis, nec syncera descendat: ut syncera intelligatur, quæ nullum alium humorem admistum habeat: quod biliosi excrementi qualitate uacet. facilem uero solutu ad excretionis copiam referunt. idque adeo, ut si aluus biliosa sit, ac facilis solutu, crisis per excretionem potius, quàm per abscessum expectanda sit. alij cõtra scribũt, hoc modo: si aluus non biliosa sit, sed solutu facilis, & syncera descendat: ut solutu facilis dicatur, quæ moderate deijcit: syncera uero, aquosa, & non permista; diximus enim ante, synceri nomen de qualitate non permista dici. quare cum Hippocrates, inquiunt, aluum biliosam a syncera, hoc est non permista, & una summa qualitate prædita separarit, nõ dubiũ est, quin aquosam intelligat, quæ incocta est, & ideo temporis spatiũ in quo creari abscessus solent, ad concoctionem postulat; acuti enim morbi per excretionem potius, longi uero per abscessum iudicari solent. sed de utriusque scripturæ differentia, alias plus otij nactus considerabis: nunc uero totius sententiæ summam, ut usum, quem ad medicinam faciendam præstat, consequaris, tibi breui proponam. est igitur ei propositum, morbos, qui in abscessum uertuntur, coniecturis informare. hos autem ex crudis, crassisq; humoribus, non tamen mortiferis constare omnino oportet: hi enim si diutius producantur, abscessus excitant: nisi prius per con- G coctionem, quàm εὐμοτψιν Hippocrates uocare solet, discutiantur. concoctionis autem inditium erit urina copiosa, & quæ multa habeat subsidentia. in qua autem multa subsidunt, ea est naturali prorsus crassior. quare merito factum est, ut duplex scriptura huius loci extiterit: ut alij sic scribant, si urina nec admodum multa, nec crassa est, nec multa habet subsidentia: alij uero ita, nec urina admodum multa est, ac multa in ea subsidentia sunt.

*Excitantur autẽ in partibus inferioribus, si circa hypochondria φλέγμα aliquod sentiatur. in supernis uero, si mollia, dolorisq; expertia hypochondria sint: & quæ per aliquod tempus tenuit spirandi difficultas, sine alia occasione cessauit.* 66

Causas euidentes consueuit Hippocrates occasiones appellare. itaque si quando repente oborta in his affectionibus spirandi difficultas, rursus statim cessat, & sicut cœpit, ita etiã sine causa euidenti desinit, humores in caput ascendere significat: sicut rursus in partes infernas descendere eos declarat calor aliquis in hypochondrijs manifestus. nõ enim existimare conuenit, humorẽ pituitosum ab eo nunc intelligi, cum ait, si circa hypochondria φλέγμα aliquod sentiatur: siquidem magis accõmodatum est, ut phlegma hoc loco significet calorem igneum præter naturam conceptum: qui & ab igne sacro, & ab ea, quæ proprie nominatur inflammatio, concitatur. si uero contra eueniat, & hypochondria mollia sint, uacentque dolore, humores autem sursum efferantur, quod prædicta spirandi difficultas indicat, H in superioribns partibus fore abscessum expectabis.

*Abscessus autem, qui in uehementibus pulmonis inflammationibus, & periculosis in crura erumpunt, utiles quidem omnes sunt: sed si pure iam mutationem consecuto exoriãtur, optimæ censentur. nam si tumor, dolorq; proueniat, postea quàm sputum pro flauo factum est purulentum, & excerni cœpit, ita sine dubio homo conualescet: & abscessus celerrime sine dolore cessabit. si uero sputum non probe excernatur, nec bona sint, quæ in urina resident, periculum est, ne aut articulus claudicet, aut multum negotij facessat.* 67

Cum in uehementibus pulmonis inflammationibus aliquid in crura abscedit, bonum illud est, si modo prorsus uerum est, qnod secundo de uulgaribus morbis libro de bonis est abscessibus conscriptum: eos omnium optimos existimari, qui deorsum, & longissime a morbo discedunt: præsertim si concoctio eis comitetur. id quod ipse primo epidemion libro commendarat, his uerbis, maturationes celeritatem iudicationis, & securitatem salubrem pollicentur. concoctionis autem indicium est sputi mutatio, & facilis, largaque euacuatio. idque ipse indicauit, cum ait, Et excerni cœpit. quod si non cõcocto morbo abscessus in cruribus excitetur, ille quidem hominẽ periculo liberabit, quod ei a pulmonis inflãmatione impendet, sed articulns, in quẽ humor decubuit, abscessum curatu perdifficilem excipiet: & ex eo forte homo ipse interdũ claudicabit. Hippoc. aũt hoc loco nõ unã cruditatis, ut

concoctionis

A concoctionis notam expoſuit: ſed præter ſputa, ex urinis quoque ſigna peti cenſuit: maligna enim ſputa deſcribens non dixit, non cocta eſſe, quamuis hæc concoctis opponantur: ſed tantum dixit, non excernatur, ratus id ſatis magnum eſſe maligni morbi argumentum: etenim non ſatis eſt, expui, aut concoqui, quoniam & multum, & ſæpe expuitur, cum adhuc morbus incoctus eſt: & interdũ morbus concoquitur, nec tamen ſatis ſputi excernitur: idque ſiue propter imbecillitatem facultatis thoracem mouentis, ſiue propter ſputi lentorem, ac craſſitudinem: quæ duæ etiam cauſæ cõuenire ſimul poſſunt. quare in ijs affectionibus, in quibus ſalus ſperatur, & cõcoctum eſſe morbum, & ſputa optime reijci decet. in contrarijs autem, ſatis erit ad cognitionem, ſputum non excerni: ſed ex abundanti illa eædem affectiones iudicari poterunt, ſi præterquàm quod ſputum non probe reijcitur, nec quæ thoracem, pulmonemque occupant, euacuantur, accedant etiam aliqua crudi humoris indicia: tunc enim perſpicuum eſt, illam grauiorem affectionem eſſe, in qua nec æger expuit, & cruditas perſeuerat: mitiorẽ uero, ubi concoctio eſt, ſed non quantum opus eſt, expuitur, nec integra fit purgatio. Atque huiuſmodi quidem abſceſſus in articulos decumbere, quod & in libro de uulgaribus morbis ſcriptum reliquit, hoc loco obiter indicauit, cum dixit, periculum eſſe, ne articulus claudicet. horum autem abſceſſuum cauſa eſt, amplitudo articulorum, fluxiones irruentes excipiens: quam etiam ad rem facere poteſt eorum mo-
B tus: ſiquidem ad motas, calenteſque partes humores omnes promptius confluunt.

68 *Si uero abſceſſus euanuerunt, & reuertuntur, ſputo non exeunte, & manente adhuc febre, graue eſt: periculum enim eſt, ne æger deliret, ac moriatur.*

Non idem eſt, ſi dicas, tumores præter naturam euanuiſſe, & ſedatos eſſe; nam ſedatos eſſe, generalius quid indicat: euanuiſſe uero, ſignificat celeriter, ac quaſi repente ſedatos eſſe: id quod fieri ſolet propter humoris tenuitatem, partis raritatem, aeris nos ambientis calorem, admoti medicamenti potentiam, & robur uirium ægrotantis. quæ omnia ſi conuenerint, tumor, qui præter naturam ortus eſt, protinus diſcutitur. at euaneſcunt illi plerunque, humoribus, qui eos excitant, in eadem loca, unde uenerant, refluentibus, quod Hippocrates reuerti proprie dixit: uel etiam in alia quędam, quæ in imo ſunt corpore. ut igitur a cauſis maxime contrarijs tumores præter naturã euaneſcunt, ſic etiam maxime contrarios exitus conſequuntur: ex eo enim indicatur, uel omnia quæ moleſta erant, celerrime diſcuti, aut deterioris affectionis metum imminere, cum uitioſi humores in principes partes remeent. atque hæc quidem ſunt abſceſſuum omnium communia. ſed & ipſa communis eſt euaneſcentium tumorum diſtinctio. uerum præter hæc, alia quoque ſigna conſideranda ſunt: atque ea præſertim, quæ ſunt partium affectarum propria: quod modo Hippocrates in inſtrumentis reſpirationis docuit diſtinguere: ea formula
C uidelicet, quæ ad omnes æque pertinet: ſcribit enim his fere uerbis, Si uero abſceſſus euanuerunt, & reuertuntur, ſputo non exeunte, & permanente adhuc febre, graue eſt: perſpicuum eſt enim, ſeſe in imum corpus ad partes principes recipere: quia ſi per halitum digeſti eſſent, febris quoque eſſet ſublata, ac facile expuerent. quare conſentaneum eſt, fluxionem totam in pulmonem reuertiſſe: unde futurũ quoque delirium fit ueriſimile: cum id unum de numero illorum ſit, quæ pulmoni ſic affecto ſolẽt contingere. eos uero difficulter ſpirantes eſſe morituros, dicere prætermiſit, quod intelligat, nos ex prædictis id eſſe facile cognituros.

69 *Ex ſuppuratis uero, qui ex morbis pulmonis facti ſunt, fere ſeniores moriuntur: ex ceteris uero ſuppurationibus, iuniores.*

A.l.3.f.4.c.14 p.440.E.& 500.D.

Seniores hoc loco, non ſimpliciter ſenes, intelligendi ſunt: ſed per comparationem, uel collationem aut ſi aliter appellare placeat, cum ijs, qui iuuenes ſunt. nam qui ætate multum progreſſi iam ſunt, ij ex nullo morbo facilius, quàm iuniores incolumes euadunt. at qui inter hos, & florentem ætatem interiecti ſunt, qui ſemicani ſunt, & crudæ ſenectutis homines appellantur, a morbis interdum facilius, quàm florentis ætatis homines liberari conſpicimus: ut ipſe etiam Hippocrates docuit, cum in aurium inflammationibus, tum uero nunc in purulẽtis ex morbis pulmonis declarat. nam quia curatio in his, quæ ex
D puendo perficitur, ui magna indiget, ideo iuniores potius, quàm ſeniores ſeruantur. ex ceteris uero contingit, ut iuniores propter dolores & febres ut ipſe de auribus dixit, potius moriantur: febres enim & deliria minus illis ſolent accidere, ac proinde aures antea ſuppurantur. iuniores uero inquit, prius quàm auris ad ſuppurationem uertatur, plerique moriuntur: nam ſi pus ex aure profluat, ſalutis ſpes eſt. in alijs autem ſuppurationibus, ſub ipſum ſuppurationis tempus, propter febrium, doloriſque magnitudinem mors prius iuniores occupat.

# GALENI IN HIPPOCRATIS PRÆSAGIA COMMENTARIVS TERTIVS.

### DE DOLORIBVS LVMBORVM.

DOLORES, *qui cum febre lumbos, inferioresque partes fatigant, si relictis inferioribus, præcordia attingant, ualde perniciosi sunt. itaque alia signa animaduertenda sunt: quorum si quod aliud malum appareat, desperatus homo est [qui uero suppurati uruntur, si pus fluxerit purum, album, & fœdi odoris, seruantur: si uero subcruentum, cœnosumque, pereunt] si uero morbus ad septum transuersum ascenderit, & alia signa non mala accedant, magnam spem futuræ suppurationis affert.* 1

†Hæc sunt & in græcis lib. & Hippo. Aldino.

Quod ait, si præcordia attingant, sunt qui dè delirio intelligant, perinde ac ita dixisset: dolores, qui cum febre lumbos, & inferiores partes fatigãt, si sursum ascendant, deliriumque excitent, graues sunt: alij melius, qui particulam corporis præcordia dici ab Hippocrate uolunt, quæ etiam septum transuersum appellatur: quam sententiam ueram esse, confirmat id, quod sub finem dicitur, magnam spem futuræ suppurationis afferre: uult enim, si morbus in thoracem conscendat, horum alterutrum euenire, aut hominem repente esse moriturum; aut si optime secum agetur, omnino suppuratum iri: idque ex alijs signis esse distinguendum: quæ si non mala erũt, purulentus fiet: si aliquod malum apparebit, omnino morietur. F

### NOTAE EX VESICA.

*Vesica dura, dolensque graue periculum prorsus, letaleque portendit: cui si præterea continua febris accedat, perniciosissimum est: quandoquidem uel ipsi uesicæ dolores ad hominem necandum satis sunt: & uenter eo tempore nihil reddit, nisi dura quædam, & necessitate coactus.* 2

Est a me dictum sæpissime, Hippocratem nomine inflammationis pro phlogosi, quasi ignirione uti: quo uocabulo significat eam, quam Erasistratus, quique eum secuti sunt, uno nomine inflammationem uocant. ut nunc ipse quoque accepit, cum ait, Vesica dura, dolensque. ceterum, cur hãc affectionem esse grauem dixerit, præsertim uero, cum acuta febris adsit, ipse plane declarauit: siquidem causam in dolores, aluique excrementorum & urinæ suppressionem coniecit: cohibentur enim ob recti intestini angustiam, & dolorem, quo uesica uexatur: nam ubi aluum reddere ægri aggrediuntur, si repente dolor excitetur, ab opere desistunt: quod est commune dolorum omnium. dolor autem excitatur tum inflamatis instrumentis, quæ actionem edunt: tum partibus, quæ illis annexæ sunt: sic enim quibus inflammatio lienem, aut uentriculum, aut iecur, aut musculos hypochondriorum occupauit, respirando dolorem sentiunt: proinde illa spirandi difficultate necessario laborant, qua spiritus paruus & frequens efficitur: cuius causam, ut aliarum omnium, in primo de difficultate respirationis libro reddidimus. G

*Vrina autem purulenta, in qua album, leueque subsidet, id discutit.* 3

Cum uesicæ inflammatio concocta est, tum concocti humores in internum ipsius spatium confluũt: & cum urinis nimirum excernuntur: & in ijs quæ subsederunt, bonæ concoctionis notas habent.

*At si nec urina quicquam remittat: nec uesica fiat mollior; & febris continua detineat; ne primis morbi circuitibus æger pereat, metus est.* 4

Quod ait, uesicam non esse factam molliorem, & febrim perseuerare, perspicuum est. at quod ait, si nec urina quicquam remittat: obscure dictum est: hoc enim uerbum in affectionibus, symptomatisque usurpare consueuit, ut ceteri quoque post eum omnes fecerunt, qui inflammationem, tumorem, duritiam, tentionem, ac dolorem remitti dicunt: sed nemo unquam remitti urinam dixit. Hippocrates ergo fortassis hoc uerbum ab his ad urinam trãstulit: ut sic eam meliorem esse redditã intelligeremus. quod si concedatur, poterimus etiam intelligere, urinæ ante suppressæ uacuationem ab eo significari: ut simul cum uesicæ inflammatione urinam quoque suppressam fuisse accipiamus: id quod euenire etiam quandoque consueuit. sed morbus tum perniciosissimus est, & ægri raro ex eo seruantur. atque hoc quidem modo scriptum habent tum alia exemplaria, tum ea, quibus Artemidorus, & Dioscorides sunt usi: in alijs autem ad hunc modum, At si urina nulla sit, nec dolor remissus est: quo modo nulla quæstio existet, nec uerba trahi in controuersiam poterunt. H

*Id autem pueros a septimo anno ad decimum quartum usque potissimum attingit.* 5

Quia pueri & intempestiue, & multum edunt, ideo plurimum crudi humoris in eorum corporibus accumulatur: qui cum per renes quotidie expurgetur, & per ureteres in uesicam comportatus coaceruetur, modo calculos in ea parit, sæpe inflammationes: quoties uesica continuo eiusmodi humorũ transitu fuerit uexata uehementius.

### DE FEBRIBVS.

*Febres ijsdem numero diebus indicantur, ex quibus homines tum seruantur, tum moriuntur.* 6

Duos habetis libros, (uos enim alloquor sodales, qui me nihil hmõi meditantẽ cõmẽtarios in libros

Hippocratis

A Hippocratis scribere coegistis)in quibus omnia,quæ ad criticos dies,& crises pertinēt,explicata sunt: atque eos quidem scitis a me,non ut ederentur,sed ut uobis tantum gratum facerem,esse cōscriptos. exciderunt tamen,& in multorum manus peruenerunt: ut alia quoque permulta a nobis cōfecta. quo circa non cogitaram in ullos Hippocratis libros commentarios componere:siquidem quæ ab eo perci pienda erant,ad artem accommodata,ea sæpe multis in scriptionibus attuleram,& declarauerā.sed cū sententias quasdam obscuriores plerique male essent interpretati,& uos neminem eorum probaretis, cuius cōmentarij editi essent,ego autem uobis uiderer,melius Hippocratis assequi sententiā; ideo pe tijstis,ut illa ipsa mandarē litteris,quæ uos aliquando in nostris colloquijs, congressionibusque audie- ratis.hæc autem uobis sum præfatus,propterea quod inæquales, nec omnes sibi similes sententiarum explicationes esse necesse est:nā de quibus nihil prorsus alijs in libris diximus,ea erūt accuratius enar- randa:quæ aūt sunt iam in alijs tradita,de ijs breuius uerba faciemus,ne de ijsdem rebus sæpe scribere cogamur.cum igitur oēm de criticis diebus,deque crisibus tractationem tribus libris absolutā habea- tis,hoc loco summa tantum capita eorum, quæ illic scripsimus, afferemus. hinc autem exordiar. κρίσις, hoc est iudicium,quod in morbis uersatur,a causis,quæ in foro aguntur,nomen transtulit,& subitā mu tationem illam,quæ morbo accidit,significat.ea autem quadruplex est: nam uel statim morbo liberat, B uel eum multo mitiorem reddit:uel statim interficit,uel facit morbū multo deteriorem.sed duas prio- res crises, appellant simpliciter crises: ceteris uero,semper aliquid addunt,ut malam, aut prauam cri- sim,aut alio eiusmodi nomine appellent: interdum uero etiam simpliciter crisim uocant, neque aliud adijciunt.nostis etiam omnes crises cum aliqua insigni euacuatione,aut abscessu fieri solere: soli enim pueruli raro admodum ex profundo somno,atque longo subitam mutationem ad meliorem statū sunt adepti:sed eam plerique crisim appellari censent, alijs uero eam dici crisim non placet. dies autem cri- ticos uocant,in quibus hæ mutationes firmæ simul,& plurimæ fiunt.in alijs uero diebus certas & fre- quentes crises euenire non uidemus.atque admirandus ille Hippocrates non solum primus,sed etiam summa cum præstantia criticorum dierum naturam deprehēdit,eorumq; causam demonstrauit, quam nos quoque in libris de diebus criticis explicauimus.illic enim ostendimus, septimum dierum criticio- rum circuitum reliquis esse ualentiorem:& ab eo secundum potestate esse quaternarium, quod septi- mus in duo diuidatur:ac crises per septenarios futuras circuitus a quaternarijs indicari:quartum enim diem septimi indicem esse,undecimum quartidecimi.hos autem Hippocrates indices,& contempla- tione dignos uocat:hebdomadas autem sic numerari censet oportere: ut duæ priores inter se uicinæ per disiunctionem,tertia, quæ has consequitur,per connexionem numeretur. disiunctio autē est, cum C prior hebdomas in unum diem desinit, & quæ illam proxime sequitur, ab altero incipit: connexio est,cum dies unus utrique hebdomadi communis est, ut in eundem prior desinat, & ab eodē incipiat posterior. quæ causa facit, ut uigesimum diem tertiæ hebdomadis postremum constituat: si enim hæc quoque per disiunctionem numeraretur, certe uigesimum primum diem facultate præstare ui- gesimo oporteret.at non ita se habere intelligimus: siquidem uigesimus & plurimum, & certo iudi- care deprehenditur. itaque cum tres hebdomades uiginti dies contineant, quarta autem hebdo- mas a uigesimo primo die incipiat, & tres consequentes uiginti dies itidem contineant, merito Hippocrates dixit, diem quadragesimum indicare: & non quadragesimum secundum: simili quo- que sexagesimum, & octogesimum, non sexagesimum tertium, nec octogesimum quartum. atque hoc quidem modo septenarij circuitus numerantur: quibus quidem diuisio, quæ per quaternarios efficitur, respondet: etenim si singulas hebdomadas in duos, quos complectitur, quaternarios diuiseris, quartus dies a primo, quo morbus inuasit, erit primi quaternarij finis, & ab eodem se- cundus incipiet: deinde tertius quaternarius, qui hunc sequitur, ab octauo die initium ducet: quia secunda hebdomas ab eo incipit. ita fiet, ut dies undecimus, sit tertij quaternarij finis, & quar- ti principium. quintus porro quaternarius a decimo quarto die oritur, quod tertia quoque hebdo- D mas ab eodem auspicetur. is igitur decimo septimo die finit, qui dies est etiam duobus quater- narijs communis quinto inquam, & sexto: in quos tertia est hebdomas distributa. atque ita uige- simus morbi dies finis trium hebdomadum & senum quaternionum est. qui sane dies per circuitus distincti iudicant. sed alij quoque in ipsos in morbis acutis incidunt: cuius rei causam in libris de crisibus exposui: sunt autem hi tertius, quintus, nonus. incidit autem inter eos interdum sextus, ma lus is profecto index, & quod aliquando cum periculosis symptomatibus iudicet: & quod acer- biorem crisin, quam ἐπισφαλῆ uocant; & quod non ex toto, sed imperfecte morbos discutiat: aut si quando perfecte dissoluerit, recidiuas omnino afferat. sed cum de his, tum de alijs permultis di- ctum nobis est in libris de criticis diebus: quæ quidem fere omnia modo in his, modo in aliis li- bris Hippocrates scripta reliquerat: nos autem unum in uolumen, quo dies critici explanarentur, redegimus: simulque quæ obscura erant,illustrauimus,& ea sumus perfecte persecuti, quæ ab Hip- pocrate minus absolute scripta esse uidebantur. quam ob rem qui certo præsagire uolet, ei legendi sunt libri, quos de criticis diebus, & quos de crisibus conscripsimus: quippe qui hic instituerimus, eorum solum, quæ hoc libro nobis Hippocrates tradidit, sensum aperire. quod ergo ait, ex quibus ho mines tum seruantur, tum moriuntur, uel de crisibus, uel de diebus criticis intelligitur. sed præstat,

ut non de diebus,sed de crisibus dictũ intelligamus:quamuis enim id uel maxime ad dies referri pos- E sit,primum tamen crisibus ipsis conuenit,deinde per crises,diebus . quod autem scriptum est,ex eis homines seruati,aut moti,indicat plane crisim ab eo appellari omnem repentinam mutationem , ac non eam solum, quæ est ad salutem afferendam accommodata .

7 *Febres enim simplicissimæ,& tutissimis comitatæ signis,quarto die,aut etiam ante,desinunt:malignissimæ uero,& quæ grauissima signa habent,quarto die,uel etiam prius,occidunt.* A.l.4.f.2.t.2. c.3.p.836.E

Dicuntur autem εὐήθεις hoc est simplices homines etiam malefici,simulatione quadam ; ut etiam simia formosa.dicuntur etiam ij,qui bonis præditi sunt moribus.sed prima significatio frequens apud Græcos est,secundæ rarior est usus.neque solum ita nuncupant simplicem hominem,sed simplicitatem pro illa animi affectione usurpant,quæ bonis sit morbis conformata : quo sensu est apud Dinarchum in oratione,quam in Daonem habuit:cum Cephalion inquit,fortunas suas iuueniliter gubernaret,natura probus erat,& simplex.Demosthenes in oratione contra Aeschinem his uerbis iudices alloquitur: Nũc uestra simplicitate,ac facilitate fretus quæstiones , quoties hæc eum cupiditas incessit , exercet.Plato quoque in tertio de rep.sic scriptum reliquit : Honestus igitur sermo,& congruentia,& condecentia,& concinnitas,& simplicitas comitatur.quo loco nomen simplicitatis non pro amentia dictum est , sed eam mentem significat,quæ re uera bene, recteque instituta est.ita etiam in Euthydemo F simplicem uocat eum,qui moribus simplicibus & honestis sit ornatus:&,inquit , ut admiratus est , hic adolescens est,& simplex.atque hæc quidem exempla satis sunt,ut intelligatis , Græcos nomine simplicis,ac simplicitatis in duabus significationibus uti consuesse. ac nũc Hippocrates in altera earum significatione dixit εὐηθεστάτους febres pro eo,quod est, mitissimas,ac simplicissimas , ac nihil maligni habentes : in quibus si signa,ex quibus sperari securitas solet,adsint,ultra primos quatuor dies non extenduntur:sed uel quarto die,uel ante,desinunt.simili quoque modo malignæ febres, quibus perniciosa signa adiuncta sunt,quarto die,aut prius,occidunt.hinc perspicuum est,tertium diem inter criticos censeri: cum ait , quarto die,aut ante desinunt . quod in primo etiam de uulgaribus morbis uoluit , ubi tertio diei inter criticos dies primas dedit.signa autem tutissima intelligit, quæ particulatim maxime laudauit:quorum paulo post nominatim exempli causa mentionem faciet.

8 *Primus autem earum incursus ita desinit:secundus uero in septimum diem perducitur, tertius in undecimum,quartus in quartum decimum,quintus in decimum septimum,sextus in uigesimum. & hi quidem per quaterniones ex morbis acutissimis ad uigesimum diem ex additione perueniunt.*

Sæpe scriptum apud auctores inuenies ἔφοδον pro hostium,& prædonum incursione : unde nunc Hippocrates ad criticorum dierum circuitus nomen transtulit.cetera autem omnia cum per se clara sunt, G tum uero multo magis ijs,qui eorum,quæ nuper diximus,meminerunt.

9 *Nec uero quicquã ex his põt integris diebus recte numerari:quod nec annus,nec mẽses integris numerari diebus possint.*

Quoniam tres hebdomadas uiginti diebus conclusit,ideo dixit,hæc integris diebus numerari non posse:cum neque annus,neque menses integris diebus numerentur.id quod uero ab eo dictum est : nã annus non est solum tricenum sexagenum & quinque dierum:sed ei quoque quarta diei pars accedit, & præterea fere centesima.mensis autem quinque minor est triginta diebus,& uigesimum nonum excedit.ueteres autem Græci μῆνα hoc est mensem uocauerunt, ut nunc quoque in plerisque ciuitatibus Græciæ faciunt,illud spatium,quod inter duas Solis ac Lunæ coitiones erat medium. quod tempus si quis accurate uelit proprijs demonstrationibus expendere,quantum sit,huic liber integer ab Hipparcho conscriptus,ut alius quoque a me de anno editus suppetet.& hoc quidem modo Hippocrates hebdomadem accepit:ac planum est,nec quaternionem ex integris diebus constare : sed particulã tantam deesse,ut tres hebdomadas uiginti dies cõficiant:quorũ causam in tertio de criticis diebus libro conati sumus afferre:cum tamen nemo antea de ea quicquam dicere,ne aggressus quidem sit.

10 *Deinde uero ad eundem modum,& simili adiectione primus circuitus est dierum triginta quatuor:secundus quadraginta dies continet.tertius sexaginta.* H

Non hoc dicit nunc Hippocrates,quod nullus criticus dies inter uigesimum,& trigesimum, quartũ intercidat:quia ita sibi aduersaretur,qui medios quosdam dies criticos in morbis uulgaribus recensuit & quæ in ægris apparent,eius orationem plane conuincerent: sed quia tres hebdomades quæ mutuo sese consequentes uiginti diebus continentur,non eodem modo componuntur (nam secunda disiuncta est a prima,itaque die decimoquarto finita est:tertia uero illi connexa est, ideoque uigesimo die finem capit)idcirco eas hebdomadas,quæ uigesimum diem sequuntur progredi eodem modo uult : ut ex duabus disiunctis,& coniuncta tertia uiginti dies conficiantur: & diem quadragesimũ trium posteriorum hebdomadum ultimum terminum esse statuit : duabus autem terminum circunscripsit , quartum & trigesimum diem : quod fuit in causa, ut ipsum ante quadragesimum nominarit . eadem quoque ratione tres hebdomades consequentes ad sexagesimum diem perueniunt : & octogesimum quoque , non octogesimum quartum in libris uulgarium morborum iudicantem esse perhibuit . sic tres hebdomades numerum uiginti dierum continent,quod fit,duabus primis per disiunctionem numeratis, ut die decimo quarto finem habeant : tertia autem connexa secundæ, ut & ipsa die uigesimo concludatur.

A.l.4.f.2.t.2. c.5.p.834.F

Huiusmodi

11 A *Huiusmodi autem morbos, qui longissimo spatio iudicari debent, perdifficile est discernere, quod simillima sint eorũ principia: sed a primo statim die diligenter animum aduertere conuenit, & singulos quaterniones, qui accesserint, obseruare. sic quo se conuersurus morbus sit, non te latebit.*

Hoc etiam loco uerbum iudicari, ad utranque pertinere partem uoluit, ut mutationem quæ tam ad bonum, quàm quæ ad malum statum perducit, intelligamus. ait autem in principio morborum facile perspici, quem non illi, qui intra paucos dies iudicari debent, sint exitum habituri: id enim ipse paulo ante ostendit: cum de illis dissereret, qui primo quaternione iudicandi sunt: febris enim, quæ curanda est, mitior est: quæ uero est interitum allatura, est malignissima. ac signa quoque utranque comitantur, omnia quæ priorem optima; quæ posteriorem, pessima: itaque neutra diem quartum excedet: scimus enim fieri iudicationes semper, uel natura morbum uincente, uel a morbo uicta. morbos uero mitissimos natura facile superat: eadem a sæuissimis protinus superatur, atque hac potissimum ratione differunt inter se morbi, qui breui iudicantur. quibus illi quoque respondent, qui longum tempus ad solutionem postulant: etenim ut in breuibus morbis interdum natura, interdum morbus ualde præstat, ita cum neque illa, neque hic ualde excellit, sed ueluti aduersarij quidam, quorum uires pares sint, dimicant, etiam tempore opus est longiore, ut alteruter uictoriam consequatur. Sic etiam eos qui luctan-
B tur, dignoscunt palæstricæ artis periti: eumque statim uictoria potiturum sperant, quem multo ualidiorem esse conspiciant: aut si neuter uiribus longe præcellat, certi sunt, longam inter eos luctã fore: nec tamen eis adhuc compertum est, uter illorum uincet: sed progressu temporis id quoque prius, q̃ plebei cognoscent: quippe qui uel minimum excessum accuratius animaduertant. atque hoc quidem peritus artis imperito interest, quod uel minima rerum discrimina persentiat. Sed quia nonnulla eorũ propter sui exiguitatem percipi sensibus non possunt, etiam eius, qui peritus artis est, cognitionẽ effugiunt: mox autem ubi cadere sub sensum possunt, tum demum cognoscuntur. quam ob rem Hippocrates iussit, eas mutationes, quæ singulis quaternionibus fiunt, animaduerti: neque enim inquit, te latebit, quo se uertet, hoc est, ad salutem ne, & sanitatem ægri, natura scilicet uincente: an ad mortẽ, eadem superata. atque hæc summa est: quam quomodo consequi quispiam possit, is ex nostris commẽtarijs, quos de crisibus conscripsimus, poterit perdiscere.

12 *Ac quartana quoque constitutio hanc concinnitatem habet.*

Hoc quoque permulti ignorant, eamque ob rem admirantur, et nos sæpe diuinatione quadam putant prædixisse, cum qui quartanam febrim habeat, post dies quindecim, exempli gratia, a febri liberum non fore: sed in tertianis id prædici non admirantur. cum tamen communis sit utriusque febris
C ratio: ut enim in continuis omnes deinceps dies numeramus, ut futuram crisin præsagiamus, ita in intermittentibus accessiones, ut quod in continuis septimus dies, sic in intermittentibus septimus circuitus ualeat. quocirca tertiana exquisita non septem diebus, sed circuitibus iudicatur, præterea quã tationem quartus habet ad septimum, eandem prorsus quartus circuitus ad septimum habet: nã quartus dies index septimi est, & quartus periodus septimũ indicat. de his autem omnibus dictum est in libris de crisibus. itaque id sufficiet nunc intelligere, febrium quartanarum iudicia non dierum, sed circuituum numero fieri. quod autem ait κόσμον concinnitatem habent, dierum criticorum ordinem significat. ut enim inconcinnitatis est propria inordinatio, sic concinnitatis proprius ordo est. unde etiam hoc uniuersum appellant κόσμον. i. mundum, quod omnia, quæ eo continentur, ornatam sint concinnitatem consecuta: nam terra sita in medio est, ipsi exterius circumfuso mari, atque aere ipsum undique ambiente, & hunc rursus æthere, deinde uero cælo hæc omnia in orbem comprehendente: sed & fixarum stellarum motiones quid attinet dicere, quantũ habeant ornamenti? quippe quæ perpetuo eædẽ sint: errantium uero siderum motus etsi quotidie non sunt æquales, at certi tamen sunt, & paribus temporum interuallis definiti, cum semper easdem signiferi partes percurrant.

13 D *Quæ autem breuissimo tempore iudicari debent, propensius prænoscuntur: siquidem ab illis statim in principio maxime differunt. nam qui incolumes euasuri sunt, facile spirant, dolore uacant, noctu dormiunt, ceteraque signa securissima habent: perituri uero difficulter spirant, delirant, uigilant, aliaque signa eis sunt pessima.*

Dictum iã est εὐσημώς hoc est propense, significare prõpte, & facile. quod uero hoc loco ait, propensius, significat faciliora, & ad cognoscendum promptiora. dixerat igitur paulo ante, febres simplicissimas, & signis securissimis coniunctas quarto die, uel etiam ante desinere. quod nunc repetit, ut exẽplis plane doceat, quænam optima signa sint: ait enim, nam qui incolumes euasuri sunt, facile spirant, dolore uacant, noctu dormiunt: morituri uero, difficulter spirant, delirant, uigilant. tum utrique parti adiecit hæc: priori, ceteraque signa securissima habent: posteriori uero, aliaque signa eis sunt pessima. quibus quidem perspicue ostendit, se exempli causa, signorum utriusque generis fecisse mentionem. hoc autem uidetur etiam recte addidisse: quoniam ab illis statim in initio differunt plurimum: qua de re ego quoque ante dixi: morbos inquam illos multum inter se differre, qui intra paucos dies mortis, aut salutis iudicium sunt subituri: ut eorum, qui in longum tempus producuntur, signa similia esse memoraui. ceterum quod dixit, ἀλλοφάσσοντες, non admodum usitatum uerbum est: significat autem aut eos, qui delirant, aut qui huc, & illuc sese iactant: qui etiam ἀσώμενοι quasi fastidio affecti dicuntur. sed prior, ut ex ipsa uoce licet facere coniecturam, magis probanda interpretatio est: ut uerbum

bum διαφέρειν ἐκ τοῦ ἄλλοτε φάναι ἄλλα,hoc eſt ex eo,quod alia,atque alia quis loquatur,deriuetur: alij E
uero ἀπὸ τοῦ μεταβάλλειν ἄλλοτε εἰς ἄλλο σχῆμα τὰ φάη , hoc eſt,quod ſubinde oculos huc illuc circumferant, ductum eſſe uerbum exiſtimant.

*His ſic ſe habentibus,tempora & ſingulas additiones in iis morbis,qui ad criſim tendunt, conſiderare conuenit.* 14

Vt quæ de primo quaternione dixerat in principio,repetijt,atque exempla ſubiunxit: ſic denuo tra ctat hoc loco eadem,quæ illic ſcripta ſunt,ubi ait,ſed a primo ſtatim die animum aduertere conuenit, & ſingulos quaterniones,qui acceſſerint,obſeruare: ſic quo ſe conuerſurus morbus ſit,non te latebit.

*Quomodo indicationes a die partus in mulieribus exiſtant.*

*Eodem autem modo indicationes mulieribus a partu contingunt.* 15

Ab eo die,quo mulier peperit,non a quo febricitare cœpit, numerare incipias. aliquæ enim ſunt, quæ ſecundo, aut tertio, poſtquam partum ediderint,die in febrim cadunt: atque ab eo pleriquc futu ram iudicationem enumerant: ſed res ſecus habet: ſiquidem ab eo die, quo fœtus in lucem editus eſt enumeratio debet incipere. cum autem hæc omnia de criticis diebus Hippocrates breuiter dixerit, libet mihi,te eius rei, de qua me ſæpe loquentem audiuiſti, admonere ea autem huiuſmodi eſt: quædā eorum, de quibus quæritur,nihil ad artis opera prorſus conferre: ſed eſſe logicæ cōſiderationis: uſus F enim præſenſionis eſt,ut diem certo noſcas. quo morbus iudicabitur: qui quidem acutus ne ſit uocan dus, an peracutus,an longus, an acutus productus, an acutus ex commutatione de nominibus potius, quàm de rebus controuerſia eſt. quas tamen quæſtiones ſi de rebus eſſe quiſpiam contenderit, certe nunquam de illis erunt, quæ ad præſagiendum, aut recte curandum pertinent. ponatur autem, nos certo præſagiſſe, ægrum uigeſimo die a morbo ſolutum iri: deinde cum res, ut ſperabamus, euenerit, aliquem dicere, ægrum acuto morbo laboraſſe: alium uero dicere, hunc morbum acutum non uocari: quod acuti morbi decimoquarto die finiantur: tum eos inter ſe controuerſari, & ab altero morbum plane longum uocari, quod fines acutorum pertranſierit: nec exiſtimandum ullam eſſe aliā tertiam in morbis differentiam, quæ a temporis quantitate ducatur: ab altero uero hunc appellari acu tum morbum ex commutatione: ab alio uero productum nuncupari: ab alio denique non ſic,ſed acu tum parum productum nominari.ſi quis igitur iam horum omnium rationes audire auet, quibus ipſi inter ſe diſſidentes opinionem ſuam tuentur,ac poſtea iudicare, quæ melior,quæue deterior ſit, is non parum temporis fruſtra conſumet,nec interim ulla re ipſam artem adiuuabit.ſimili quoque modo,qui præſentire poteſt morbum uigeſimoſeptimo die finitum iri,nec tamen ſtatuere,acutus ne ſit,an lōgus, an acutus productus,an acutus ex commutatione,is certo nihilo minus eſt ad artem idoneus: conue- G nit enim maxime, ut tot ſint morborum differentiæ a tempore ductæ,quot ſunt critici circuitus: ut ille breuiſſimus ſit morbus,qui primo quaternione circūſcribitur: poſt eum, qui ſecundo: deinde, qui tertio; mox qui quarto:tum qui quinto; demum qui ſexto: id quod accidit die uigeſimo: poſtea uero quaterniones aboleantur,& iudicationes hebdomaticæ fiant: & eæ quoque temporis progreſſu tandem ſupprimantur: ut per uicenos dies morbi ſoluantur, ac tandem in menſium numerum tranſeant: ſunt enim duo præfinita in morbis tempora,ut uel acuti, uel diuturni uocentur: quos, ut facilius intelligamur, ita ſæpe nominamus: deinde uero res ipſa nos cogit,inter eos,ſtatuere alios medios, qui ex commutatione acuti ſint: & omnes differentias tres efficere; deinde earum ſingulas diuidere: ut inter acutos primo ſtatim alius ſimpliciter acutus, alius peracutus etiam ab ipſo Hippocrate nominetur. quorum peracutus dicitur, qui ſeptimum diem non excedit: ſed uel illo ipſo die,uel etiam citius iudicatur: acutus uero, qui in diem quartumdecimum trahitur. cui cum parum quid accedit, ut iudicatio in diem ſeptimum decimum proferatur, ambigimus, quo nomine morbum huiuſmodi nominemus, cum proprium non habeat. quod etiam accidit in eo,qui die uigeſimo iudicatur: ut hac in re dubitatio illa,quæ ſoritica dicitur oriatur.inde fit, ut probabile quandoque uideatur, uigeſimum potius diē, quàm decimum quartum morborum acutorum finem conſtitui oportere. Sed eſt alia quoque non par H ua de hac re dubitatio: morbus enim acutus non ſine febris magnitudine,& continuitate intelligitur: atque eum,qui non eſt eiuſmodi, non ita cenſemus appellandum,etiam ſi decimoquarto die, aut etiā citius diſcutiatur. atque hæ quidem, & tot ſunt præfiniti finis acutorum morborum differentiæ. ſunt uero aliæ quoque eorum dierum,qui poſt uigeſimum, critici ſunt, qui & ipſi magnam latitudinem ha bent.ego uero conſentaneum eſſe arbitror,ut qui ad diem quadrageſimum uſque perueniunt, propriā differentiam quandam conſtituant: & poſt hos aliam, qui in ſeptimum menſem porriguntur: ſimili quoque modo annuos in alia differētia uerſari:& illos item,quos non menſium, ſed annorum ſpatijs dimetimur. Sed hæc, ut ego ſemper monui, prætermittenda ſunt, ac danda eſt opera diligenter,ut tem pus, quo ſolui morbus debet, ſciamus præſagire: eſt enim perſpicuum, Hippocratem in uno morbo quem ſuppurationem uocat, ruptionis diem ſtatuere interdum uigeſimum; interdum trigeſimum,aut quadrageſimum, aut ſexageſimum. quam ob rem finito alios qui id optime ſciunt,nomina,quæ uolēt, ijs imponere, tu uero diſce præſagire, quonam die uomica rumpi debeat.id quod duo tibi, tanquam inſtrumento,commoſtrabunt,experientia,atque ratio: quarum illa quidem docet, unam, atque alteram ſuppurationem certo tempore eſſe diſruptam: hæc uero materiæ quoque, ex qua ſuppuratio orta eſt, ſubſtantiam indicat: tum cauſam aperit, quæ ipſam effecit, & eas, quæ unà cum illa agunt:nam qui

A qui primam ſuppurationem ſpectauit, quæ, exempli cauſa, quadrageſimo die rupta eſt, ab humore parum frigido, & item tempore, ætate, regione, natura totius corporis, & partis affectæ moderate frigidis ortum duxiſſe, & rurſus alteram uidit, die ſexageſimo ruptam, cum eſſent omnia, quæ dicta ſunt, frigidiora: & aliam fortaſſe die uigeſimo apertam eſſe, quod eſſent calidiora omnia; ſi is hæc ſequatur, poteſt omnium aliarum ſuppurationum facere coniecturam, ſcopis illis utens, quos per experientiam obſeruauit: & conferens cum ipſis eum calorem, qui nunc eſt, & frigus non modo humorum, qui alterantur, ſed etiam agentis cauſæ (quæ quidē eſt ipſe natiuus calor) a qua illi alterantur, tum ea æſtimans, quæ cauſam ipſam adiuuant, ut regionem, anni tempus, cæliq; conſtitutionem: & ipſius agentis cauſæ magnitudinem perpendens ex ætate, ex propria ipſius natura, & partis, quæ ſuppuratione excepta eſt: tum ſignis alijs, quæ uires & imbecillitatem facultatis, quæ in arterijs, uenisq; ſita eſt, indicāt: nam qui nihil eorum nouit, ſed expectat, uſque dum omnium ſuppurationum cognitionem per obſeruationem ſit conſecutus, ei ne mille quidem anni hoc ad agendum ſufficient. contra uero, qui natiuū calorem, quantus eſt, perpendit, & cum eo confert humorum, qui concoqui debent, naturam, quanta ſit, is uiam tenet, qua rem, quam inueſtigat, inueniet: atque is eſt, qui ex his, quæ nouit, poteſt eorū etiā, quæ non nouit, artificioſe facere coniecturam. is ſolus dicet, hanc die uigeſimo, illam trigeſimo ſuppu-
B raturam eſſe: & de alijs eodem modo: nec aliud quicquam addet, acutum ne hunc morbum, an longū, an ex commutatione acutum uocare oporteat. ſiquidem non Medici, qui artis opera perſequuntur, hęc dijudicant, ſed ſophiſtæ potius, qui tempus & operam in uerbis inanibus ponunt. proinde fit, ut multi de ſuperiore loco de huiuſmodi quæſtionibus grauiter admodum diſſerentes, auditores fabulis perfundant: qui autem caſus ægrum maneat, magis, quàm maris congios ignorant. alij rurſus poſſunt morbos diſcernere, & futura præſagire, & de logicis quæſtionibus nihil habent, quod in medium proferant: ex quo fit, ut alij ab hominibus Medici exiſtimentur, alij ſophiſtę, & λογιατροὶ hoc eſt Medici uerbotenus (ſic enim appellant.) ac ſi quem uiderint, librum quendam legentem, & rationem in medicamentis utilibus explicandis adhibentem, cum ſtatim aliquem ex ijs, qui uerbo tenus Medici ſunt, eſſe ſuſpicantur.

*De affectionibus, quibus caput, os, & fauces affliguntur.*

16 *Capitis dolores uehementes, ac continui cum febre, ſi aliquod mortiferum ſignum præterea accedat, ualde pernicioſi ſunt. ſin autem nullum tale ſignum adeſt, & dolor diem uigeſimum exceſſit, neque febris conquieuit, ſanguinis e naribus eruptionem, aut aliquem in partibus inferioribus abſceſſum expectabis. Sed & cum dolor etiam recens eſt, ſanguinis per na-*
C *res profuſio non ſecus expectanda eſt, aut ſuppuratio, præſertim uero, ſi dolor tempora, frontemque obſideat.*

Inordinate id exponit, quod ad præſagiendum maxime utile eſt: ita.n. ordine diceretur, capitis dolores uehementes, atq; continui cum febre, ſi aliquod mortiferum ſignum præterea accedat, ex toto pernicioſi ſunt. at ſi ex his, quæ didiciſti, ſperas ægrum conualiturum, principio ad diem ſeptimum, ſanguinem e naribus erupturum, expecta: progreſſu autem temporis id etiam expectabis: quanquam & pus per nares, aut aures ad ægri ſalutem excerni poteſt. ſi autem capitis dolor ad uigeſimum uſque diē perſeueret, tunc quoque, etſi rarius, ſanguinis profluuium fore ſperabis: at ſæpius ſuppuratio, aut abſceſſus in partibus inferioribus excitantur. nam quo tempore ſanguinis eruptionem fore ſperabis, eam ſpem augebit uehemens dolor, qui tempora, frontemque obſideat.

17 *Sanguinis autem eruptio magis expectanda eſt, qui minus quinque & triginta annis nati ſunt: ſuppuratio uero, in maioribus natu.*

Indicium ab ætate ſumendum eſt, an ſanguinis per nares eruptio expectari magis debeat. cauſa autem perſpicua eſt, & ante ſæpe dicta: ætatem uidelicet, quæ uſque ad trigeſimum quintum annum pertinet, ſanguinem plurimum gignere. ad hoc accedit, ut eo ætatis tempore calidior, bilioſiorque ſanguis ſit: quem, ſupra etiam diximus, ad eas ſanguinis eruptiones, quas natura molitur, eſſe accō-
D modatum. in ſenioribus uero qui trigeſimum quintum annum exceſſerunt, potius eſt expectanda ſuppuratio.

18 *Auris autem acutus dolor cum febri continua, uehementique coniunctus, grauis eſt: nam delirij & mortis periculum*
A.l.3.f.4.t.1. *minatur. quare, cum periculoſa hæc nota ſit, protinus ad omnes alias, quæ a primo die apparuerunt, animum aduerte.*
c.6.p.435.A.
& 440.E.

Vehemens dolor nunquam has aures, quæ conſpicuæ ſunt, inuadit: nec ſi inuaſerit, periculum inde ullum imminebit. quod particula hęc neque princeps ipſa eſt, neque principi ulli parti continua. ſed aurium dolorem uocare conſueuerunt, cum in imo meatu audiendi ſenſus doloris excitatur: tunc .n. neruus, qui auditorius appellatur, quique cum cerebro non longo interuallo copulatus eſt, afficitur: itaque merito factum eſt, ut plurimi præ uehementia doloris aurium interierint, cerebro in doloris producto conſenſum. quare multi ægri delirant, & quidam etiam repente moriūtur, perinde atq; attoniti, ubi fluxio, quæ dolorem aurium concitauit, in cerebrum confertim peruenerit.

19 *Ex eo autem caſu iuniores ſeptimo die, aut etiā celerius moriuntur: ſeniores multo ſerius: quippe qui non æque magnas febres experiantur, neque adeo delirent. ita ſuſtinent, donec fiat ſuppuratio. quod ſi morbus in hac ætate reuertatur, plurimos interficit. iuniores uero prius quàm auris ſuppuretur, intereunt: niſi pus album ab ea defluens ſpem ſalutis iuueni afferat: ſi & aliud quoddam ſalubre ſignum appareat.*

Iuuenes

Iuuenes uehementius febricitant, & facilius delirant, quod biliosa calidaque natura sint: quare nõ E immetito citius, quàm aures suppurentur, intereunt. senibus uero hæc minus periculi apportant, sed morbus reuerti solet, quia humor, qui dolorem creat, propter temperamenti frigiditatem non absolute concoquitur. cetera, quæ in hac insunt oratione, satis aperta sunt.

*Graue quoque est, fauces cum febre exulcerari: ac si aliquod præterea signum ex ijs, quæ nos antea mala esse indicauimus, accedat: in periculo hominem uersari, denunciandum est.* 20

Fauces ulceratæ malitiam succi erodentem indicant: quæ res non paruum negotium exhibet, propterea quod transglutire nisi cum labore, non possunt. itaque ut quid euenturum sit, accuratius intelligas, alias quoque notas debes contemplari. hoc autem præceptum in omnibus notis tibi commune sit, præcipue autem in ijs, quæ neque optimæ, neque pessimæ exquisite sunt; in quibus ipse quoque Hippocrates alia signa simul spectanda esse, solet admonere.

## DE ANGINA.

*Anginæ terribiles maxime sunt, ac celerrime hominem iugulant, cum nec in faucibus, nec in ceruice quicquam apparet: & tamen maximus dolor est, & spiritus, nisi recta ceruice, trahi non potest: hæ etenim & eodem die, & altero, & tertio, & quarto strangulant.* 21 F

A. l. 3. f. 9. c. 9. p. 468.

Fauces appellari spatium illud, quod inter gulam, & guttur situm est, cõstat etiam ex his, quæ nunc ipse scribit, cum ait, anginas maxime terribiles esse, quæ in faucibus, nec in ceruice affectionem ullam præter naturam in colore, & calore, & tumore ostendunt: nam per ceruicem, collum intelligit: per fauces uero, eam capacitatem, quæ adaperto ore, & depressa lingua, cernitur: in qua duo ostiola, unum gulæ, alterum gutturis, apparent. si igitur in neutro horum aliquid præter naturam uideatur, existimãdum est, aliquod eorum corporum, quæ intra guttur habentur, inflammatione tentari, qua æger suffocatur. cum autem uia spiritus angusta suapte natura sit, si eam inflammatio adiacentium partium ex toto occludat, strangulari ægros necesse est. quam ob rem coguntur, recta ceruice spiritum ducere. ut meatum parumper adaperiant. supinus enim decubitus eum penitus obturat, quod priora corpora in colli uertebras plus, quàm par sit, procumbant. hac igitur de causa, & quod musculi gutturis inflãmati sint, non præter rationem dolore conficiuntur.

*Quæ uero dolorem æque afferunt, sed in faucibus tumorem, ruboremque excitant, perniciosæ ualde sunt: longiores uero prædictis erunt, si magnus rubor fuerit.* 22

Alteram anginæ differentiam exponit, in qua ceruix intumescit, & fauces rubent. dolore etiam hi G non secus, quàm superiores cruciantur: sed recta ceruice spirare non coguntur: hoc est, non magna spirandi difficultate premuntur, quod musculi gutturis non uehementi inflammatione laborent. recte igitur has perniciosas esse dixit, non tamen, ut prædictas, celerrime homines tollere.

*Vbi uero & ceruix, & fauces simul rubent, tum longiores hæ sunt: atque ex eis ægri potissimum euadunt, si rubor ceruicem, pectusque obsideat: nec sacer ignis intro se recipiat.* 23

Tertiam hanc anginæ differentiam explicat, quam plerique συνάγχην, non κυνάγχην uocari uolunt: ubi enim insigniter suffocantur, ac dolore urgentur, nec inflammatio, aut sacer ignis in ceruice, aut faucibus apparet, eam affectionem κυνάγχην nominant. Sed quod ego perpetuo admoneo, id Hippocrates perspicue facere uidetur, ut non sit de nominibus admodum solicitus. Sed, ut quicque occurrit, sic appellet. ac sane in uetustis quibusdam libris initium sermonis, quem de angina instituit, per σ, literã scriptum est, hoc modo: αἱ δὲ συνάγχαι: ex quo planum est, nihil utile esse, controuersari siue per κ, siue per σ scribendum hoc nomen sit, ut recentiores Medici faciunt: cum enim de re constat, absurdum est de nominibus contendere. conuenit autem de re inter eos, qui artis opera norunt: siquidem ex ijs, qui adeo suffocantur, ut residere cogantur, pessime affecti sunt illi, qui uehementi quidem dolore torquentur, H nullum tamen in ceruice, ac faucibus symptoma habent. ab illis secundi sunt, qui non spirant quidem difficulter, sed grauiter dolent: simulque ceruix eis intumuit, & fauces maiore sunt rubore perfusæ. tertio loco statuuntur ij, de quibus Hippocrates hic disserit, qui nec magnopere dolent, nec difficulter respirant: cum guttur nulla in te affectum sit, sed fluxio uel in fauces, uel in ceruicem, uel in utrunque decumbit. hæc porrò fluxio magna ex parte biliosior est: ut repente aut ignem sacrum aut inflammationem illi similem excitare queat. quam ob rem ipse ait, nec sacer ignis intro se recipiat. si quando uero œdema † inflammationis speciem referens obortum sit, celerrime curatur: atque hic morbus ab ipsis etiam primordijs acutus non est. cetera quæ hic dicuntur, manifesta sunt.

†Videtur legẽdũ φλεγμονώδεος: non φλεγματώδεος, id est sanguificet, quod supra lib. 2. cõ. 66.

*Si uero nec in criticis diebus erysipelas aboletur, nec, tuberculo foras se non conuertente, pus expuit, sed leue, ac dolore uacans uidetur, id uel mortem, uel ruboris repetitionem significat.* 24

Quàm noxium sit erysipelas, aut ruborem, (utroque enim modo scriptũ est) sine tuberculo, aut sputis, quæ facile educantur, aboleri, perspicuum est. quod uero ait, nec in criticis diebus, est perpendendum, an hoc modo intelligi debeat, ut diebus criticis aboleatur, siue nullum signum malum adsit, siue aliquod adsit (sic enim aliqui sunt interpretati) an id sit sequentibus adiungendum: ut uelit Hippocrates, ea diebus criticis fieri, quo certiora habeantur: quod mihi uerius uidetur: nam si criticis diebus materia

11 A teria in pulmonem transferatur, erysipelate intro recurrente, nec per halitum in exteriore superficie discusso, tantum abest, ut bonum sit, ut etiam maximum malum censeatur: quod ex certo die maioré esse prauitatem confirmetur. Si uero & tuberculum foras prodeat, & facile extussiat, ipsumq; erysipelas, aut rubor euanescat, tunc minime expectandum est, ægrum esse interiturum.

25 *Est uero tutissimum, ut tumor, ac rubor quàm maxime in exteriorem partem prorumpant: sin autem in pulmonem uertantur, insaniam, suppurationemque plerunque pariunt.*

Auic.l.4.f.1.t.1.c.16.p.819.C.

Et hæc, & quæ sequuntur, nota sunt ijs, qui prædicta meminerunt.

## DE GVRGVLIONE.

26 *Gurgulionem, quandiu rubet, & magnus est, incidere, aut scarificare periculosum est. nam & inflammationes, & sanguinis profusiones inde proueniunt: sed eo tempore alijs artibus extenuare conandum est. cum uero iam totum id, quod uuã uocant, separatum est, imaque gurgulionis pars crassior, rotundaque est, superior autem gracilis facta sit, tunc manu moliri aliquid tutum est: sed præstat aluum prius subducere, quàm manus admoueas, si & tempus permittit, & æger non suffocatur.*

Prognostico theoremati admistum est quoddam curationis præceptum: sine quo præsagium expli-
B cari tuto non poterat: gurgulionem inflammatione exceptum si dissecueris, aut scarificaris, sanguinis profusiones & inflammationes esse secuturas. cum uero id, quod uuam appellant, separatum est, imaq; pars gurgulionis crassior, rotundaque, & superior tenuis euasit, eo tempore manu moliri aliquid tutum est: præsertim si uel sponte, uel Medici prouidentia aluus abunde sit subducta.

*Signa, cum locus affectus incertus est.*

27 *Febres, quæ neque salutaribus notis apparentibus, neque in criticis diebus finitæ sunt, fere repetunt.*

Cum neutrum eorum, quæ dixit, euenerit, tum expectare recidiuam oportet: non cum unum adest, abest alterum: nam quæ sine ratione conquieuerunt, repetere solent: etiam si id criticis factum sit diebus. ea autem sine ratione fieri perspicuum est dici, quæ sine signis salutaribus, & non criticis diebus cessasse uideantur.

28 *Si febres longæ, sed tamen salubres, sine dolore perseuerant, quem uel inflammatio, uel alia manifesta causa excitarit, abscessum cum tumore, ac dolore in aliquo articulo, præsertim in imis partibus expectare oportet.*

Quæ antea particulatim dixit, primum de abscessibus, qui in hypochódrijs, deinde de ijs, qui in thorace, pulmoneque oriuntur, ea nunc repetens, in uniuerso pronunciat: cum.n. tribus de causis febres omnes longæ sint, aut propter aliquam particulam male affectam, cui ægre adhiberi curatio possit: aut
C humores crudos, crassos, & incoctos, aut errorem aliquem commissum, si nec pars ulla affecta est, nec alia subest causa, quam uel ægri, uel ministrorũ error attulerit, uel aliquid eorum, quæ extrinsecus adueniunt, ut tempus anni, regio, constitutio, habitatio mala, molestiæ, curæ, tristitia, restat, ut febris non aliam ob causam, nisi ob crudos humores, & concoctu difficiles protrahatur. hos ergo natura solet in aliquam ignobilium partium regionem deponere: quando excretione extra corpus expellere eos nó potest: dictum enim sæpe est, calidiores, tenuioresque corporis humores esse ad excretionem accommodatissimos: crudos uero, & crassos a natura uel per abscessum, uel per iunctam concoctionem curari consuesse. est autem ea concoctio, uacuatio quædam, quæ plerunque per urinas, rarius autem per aluum efficitur.

29 *Huiusmodi autem abscessus magis, ac minore tempore in ijs, qui trigesimum ætatis annum non attigerũt, oriuntur.*

A.l.4.f.2.t.1.c.4.p.819.C.

Est a nobis dictum persæpe, morbos, qui a calidioribus humoribus oriuntur, si ægri uires ualentiores sint, excretione iudicari. horum contrarij sunt, cum & uires imbecillæ sunt, & humores frigidi, nec per excretionem, nec per abscessum iudicantur: sed uel ægros interimunt, uel longo admodum temporis spatio uix tandem cócoquũtur. medij sunt, qui abscessu finiunt. in quibus ex duabus oppositionibus prædictis, alterũ ab una, alterũ a reliqua est: duas.n. esse oppositiones diximus: unãq; ex humorum
13 D natura, alterã ex uiribus sumi: in quarũ utraq; duo inter se opponuntur: ut in humoribus calidi frigidis: in uiribus imbecillæ ualẽtibus. itaq; si humores calidi sint, nó oportet robustas uires esse, si effici abscessus debet: si frigidi, robustas uires ad abscessus gignẽdos postulát. uiriũ aũt dignotio maxime propria est, quæ a singularũ actionibus, ut ante dictũ est, sumitur. quæ uero ab ætate ducitur, in iuuentute, ac senectute uersatur. de qua nũc Hippocrates agit: aitq; magis, ac citius huiusmodi abscessus oriri in ijs, qui nondum triginta annos sunt nati: qui uero his natu maiores sunt, nec dum tamen senes sunt, eos & minus, & serius corripi: senibus uero minime eos accidere. qua in re meminisse debemus, quæ Hippocrates in huius sermonis initio dixit, Si febres longæ, sed tamen salubres, sine dolore perseuerant, quẽ inflammatio, aut alia manifesta causa excitarit: quæ ipse in memoriã nobis reuocans, huiusmodi abscessus in iunioribus magis oriri consuesse dixit.

30 *Statim autem considerandum est, orto abscessu, an febris, hominem occupans, uigesimum diem excedat.*

Ante quoq; de morbis diuturnis disserés, fecit diei uigesimi mẽtionẽ: quasi ante hũc diem diuturni nódũ sint. causam aũt prius attulimus, cur certus atq; unus acutorũ morborũ terminus nó possit cóstitui. itaq; nó mirũ est, si dicat, morbos acutos die quartodecimo iudicari: ac rursus mentioné uigesimi faciat: nam & in aphorismis, ubi scriptũ reliquit, summum terminum, quo acuti morbi iudicantur, esse diem quartum decimum, fecit etiam decimi septimi mentionem. illius aphorismi hoc est initium,

Acuti

Acuti morbi quartodecimo die iudicantur: finis autem, eſt uero & decimus ſeptimus cõtemplandus: E
quippe qui quartus eſt a quartodecimo,& ſeptimus ab undecimo.

*Senioribus uero,cum febris longa ſit,minus accidunt.* 31

Merito: nã ſi morbus per abſceſſum debet iudicari,neceſſe eſt,uires aliquod robur habere:nec ad extremũ concidiſſe.quocirca quo ægri prouectiores ætate erũt,eo minus abſceſſus gignẽt:ſenes uero nõ minus,ſed minime.ceterum hoc loco nõ dixit ſimpliciter ſenes,ſed eos cũ ijs comparans, qui triginta annos nati ſunt,ſeniores uocauit,ac nomen ſenioris ita ab eo uſurpari,ſupra quoque demonſtraui: & in ſequentibus æque perſpicuum erit.

*Abſceſſus autem huiuſmodi in continua febre expectandus eſt. ſi uero febris intermittat,erraticaq; ſit, in quartanam mutabitur,præcipue ſi proximus autumnus ſit.* 32

In libris,qui de febriũ differẽtijs ſunt,dictũ eſt,quartanas ab humore melãcholico oriri.dictũ etiam eſt,duplicẽ huius humoris ortũ eſſe: partim ex ſanguine craſſo,qui in uenis ꝓportione reſpõdet ei uini fæci, quæ in dolijs deſidet: partim ex flaua bili nimiũ exuſta. atq; hæc quidẽ atra bilis, cũ alioqui maligna eſt,tũ partes ẽt in quibus redũdat,erodit:illa uero mitior eſt,præſertim ſi in corpore animantiũ nõ diu permanſerit:nec eam copioſior præter naturã calor accenderit.cum igitur hæc ita ſint, ſi cõtinua F
febris eſt,hoc eſt,ſi nunquã integrũ corpus dimittit,inueteraſcens in ſupradictos abſceſſus uertitur:ſin aũt intermittit,idq; ſub finẽ æſtatis,uериſimile eſt morbũ in quartanã conuerſum iri:qui etenim humores, poſtq̃ æſtate ferueutes fuerunt,continuis febribus in atram ſunt bilẽ conuerſi, extincti ſunt quodammodo,eamq; ob cauſam æger febrilẽ calorẽ eſſe leuatũ perſentiſcit:præcipue aũt poſtquàm ſudores prodierint.uerum ſi natura illũ, ueluti cinerem humorũ ſupra modũ exuſtorum uacuare non anteuerterit,ille rurſus in corpore manens,& concaleſactus magnã quandam ad putredinẽ propenſionem contrahit,quã ſimul atq; nactus eſt,feruidus factus febrẽ excitat:tum ſudore iterum erumpente, quicquid atræ bilis feruens fuerat,in aerem euanuit. ac rurſus aliæ reliquiæ concepto feruore aliam febrẽ denuo ſuſcitant.quare cum non una ſit uniuerſi corporis affectio, ſed quibuſdã in partibus atra bilis adhuc moueatur,in quibuſdam uero motu nullo cieatur,in quibuſdã putreſcat,aut efferuere incipiat, ideo inconſtantes oriri febres neceſſe eſt.cum uero atra bilis redundans uenas oẽs æque afficit, quartana febris gignitur,eo præſertim tempore,quo æſtas in autumnum commigrãs prohibet,ne humores extra ferantur,ac tranſpirent: eoſque potius intro repellit. atque hanc quidem affectionẽ,hyems excipiens,utpote quæ humorum recurſum ad interna ſuo frigore adiuuet, in quo morbo corpus inuenit, in eodem ipſum uſque ad aliam rurſus aeris calidiorem mutationem,conſeruat. G

*Quemadmodum minoribus triginta annis abſceſſus fiũt,ſic annos natis triginta,& ſenioribus quartana potius oritur.*

De ætatis mutatione dictũ eſt alibi copioſius: nunc ſatis erit capita rerum commemorare. pueruli 33
igitur plurimum ſanguinis habent: ac ſi ætatis temperamentum ſpectemus,cum ſolũ humorem habe- A.l.4.f.2.c.1.
re deberẽt. uerum cum & multos,& ſine ordine cibos ingerãt,aliquos ẽt crudos humores accumulãt, c5.p.828.D.E.
cum uero ad adoleſcentiã peruenerint,aliqui ex eis melius uitã inſtituentes,uictu bono utũtur: eamq; ob cauſam in eis ſolus ſanguis redundat:alij uero multo deteriorẽ,quàm parui pueri,uiuẽdi rationẽ ſequuntur.quo fit,ut coaceruata crudorũ humorũ copia,aſſiduis,uehementibuſq; morbis excipiantur. ætate uero ſequenti bilioſus humor gignitur,præcipue aũt ijs,qui prauis uſi ſunt cibis. atque ita nõ modo ſanguis redundat,ſed humor ẽt ille,qui pallida,flauaq; bilis nominatur.id autem fit uſque ad annũ trigeſimum: uel uſque ad quintum et trigeſimum:eſt enim primum frigoris aduenientis initium,annus trigeſimus:extremum uero,trigeſimus quintus. pleriſque autem ætas florens in medio circumſcripta eſt,tum propter naturam ab ipſo ortu contractam: tum propter alia omnia,quæ circumſtantijs,aut cõſuetudinum,aut ſtudiorũ uarietate permutantur.quã ſane ob cauſam Hippocrates plerunq; trigeſimũ memorat,ut hoc loco,ſæpe uero quintũ & trigeſimum: neque.n.unus omnium communis modus ſtatui poteſt,quod aliæ alijs mutationes eueniant.Sed tu eius perpetuo recordare,quod etiã libro tertio H
de criticis diebus prius dictũ eſt.quod ſi fecẽris,ac præcedentibus coniunxeris,cauſam eorũ, quæ hic ſcripſit Hippocrates,facile reperies.nam ut in ipſis anni temporibus,neceſſe eſt humores plus, quàm par eſt,per æſtatẽ excalfactos,atque, ut ita dicam,feruefactos in atram bilem conuerti,quam in corpore congeſtam autumnus excipiens non ſinit æque diſſlari,nec facile excerni,quia frigidus eſt:ita etiam in ætatibus declinatio:quæ totum illum humorem,qui florenti ætate feruens in atrã bilim abijt, ægre per halitum digerens, multo eſt ad quartanas febres propenſior.& qui hanc ætatem agunt,maius ſpatium ad huiuſmodi humorem excernendum deſiderant. quam ob rem uſque ad ſenectutem quidã magis,quidam minus morbis omnibus melancholicis,quales ſunt elephas, cancer, lepra, melancholia, & quartana febris, corripiuntur.

*Scire autem conuenit,abſceſſus hyeme potius excitari:tardius deſidere,minuſque reuerti conſueſſe.*

Tres de abſceſſibus enunciationes hac oratione Hippocrates complexus eſt. earum prima eſt, eos 34
potius hyeme oriri: ſecunda, tardius ſedari: tertia, minus repetere.eos aũt hyeme magis gigni humor A.l.4.f.1.c.2.
in ipſa exuperans indicat: eſt enim etiam prius dictum, calidos excerni, frigidos abſcedere. tar- c.18.p.820.E.
dius uero ipſos deſinere, ad naturam humoris, & aeris frigidum ſtatum cauſa referenda eſt: nam neceſſe eſt, ut humor, qui abſceſſit, digeratur: quo abſceſſus ipſe curetur. at frigidi, craſſique

humores

A humores difficillime digeruntur, præsertim si frigidus aer sit. quam ob rem, cum frigidi difficulter moueantur, qui uero repetunt, motum quendam necessario requirant, efficitur, ut illi minus reuertantur.

DE VOMITV, QVI SPONTE FIT.

35 *Si quis in febre non mortifera sibi caput dolere dicat, eique ante oculos tenebricosa quædam obuersentur, insuper uero cordis dolor accedat, in bilem euomet: ac multo citius, si & rigor cœpit, & ima hypochondria refrixerunt. quod si hoc tempore aliquid ederit, aut biberit, uomitus perquàm cito subsequetur.*

Agit hoc loco Hippocrates de uomitu, qui spõte fit, ratione iudicationis: cuius prima distinctio est, ut ne letalis morbus sit: quem Hippocrates ante sæpe salubrem nominauit: secunda uero, ut æger capitis dolore conflictatus nigra quædam, quæ tenebricosa ipse uocat, obuersari ante oculos putet: quod usu uenit, quod flaua bilis syncera uaporem emittit: hæc enim ubi supra modum incaluerit, &, ut ita dicam, superadusta fuerit, atrum quendam uaporem fuligini similem in caput transmittit, a quo dolores capitis excitantur. quod autem ex eo in oculos peruenit, id eum humorem, qui in illis splendens, purusq; natura inest, offuscat adeo, ut purissimo, splendidissimoq; aeri, quem repente fumus, aut fuligo ob B scurauit, similis esse uideatur. quem sane uaporem ille uidẽdi spiritus, qui a cerebro in oculos permeat, nigra illa, quæ memorat Hippocrates, sicut per suffusiones, concipit. sed cum idem uapor possit etiam a pulmone efferri, eum ab illo quẽ uentriculus mittit, cordis dolore discernimus: hi enim humores pulmonem latent, quod ipse non facile sentiat: uel quod nullam prorsus sentiendi uim habeat. at os uentriculi, quod etiam cor appellari omnes sciunt, propter neruorum sentientium, quos habet, magnitudinem, percipit omnia, quæ in ipso sint. itaque demorsum ab humore bilioso cordis dolores, qui sic nominantur, inuehit: unde & bilis uomitus oriũtur. id quod etiam Thucydides indicauit, qui hoc modo scribit, Vbi autem cordi adhæsit, ipsum subuertit, ac bilis euacuationes, quas medici dixerunt, sunt subsecutæ. nam quod ait, cor esse subuersum, de impetu illo uomendi intellexit: atque etiam, cor uentriculi os nominauit. quocirca eius etiam morsus, cordis tum morsus, tũ dolores uocant. Iam uero scripsit alibi Hippocrates, in his, qui ita affecti sunt, id ipsum a labro inferiore non quieto, sed motu uehementer agitato indicari: nam interna stomachi tunica a bili demorsa talem in labro motum ciet: nos uero ex corporum dissectione didicimus, totam hanc tunicam omni ex parte cõtinuam esse, tum uniuerso uentriculo, tum gulæ, tum linguæ, tum palato, tum toti ori. labra igitur motu ab hac concitantur, siquando ab acri bile, in ore uentriculi coaceruata, mordeatur. huic enim humori natura comparatum est, ut præ leuitate supernatet. quam ob rem relicto uentriculi fundo ad eius os conscendit, ac uomitu facile reie C ctatur. quod si tum rigor quoque hominem inuadat, ille bilem non solum multo citius, sed etiam copiosius reijciet: rigor enim sæpe uomitum biliosum prouocat: quemadmodum in libro qui de ipso scriptus est, docuimus. si uero hoc tempore aliquid æger ederit, aut biberit, multo etiam celerius euomet: propterea quod bilis in uentriculo contenta, quæ sumpta sint, corrumpat.

36 *Quibus autem primo statim die dolor superuenit, ij quarto, aut quinto die magis conflictantur: septimo uero liberantur: plerique tamen tertio die dolere incipiunt, quinto maxime uexantur: tum nono uel undecimo tuti euadunt. sed quos dolor quinto die uexare cœpit, & reliqua præcedentibus respondent, decimo quarto die indicantur.*

Tres doloris capitis differẽtias, a tempore sumptas, expressit, totidemque dies præscripsit, in quibus singulæ iudicantur: quarum prima est doloris capitis, qui primo die, quo morbus cœpit, inuadat: secunda, tertio: tertia autem quinto horum dolorum omnium commune est, fere die septimo, postquàm inuaserint, desinere. ergo qui primo die exortus est, septimum habet criticum: qui tertio, decimum, si numerum septenarium spectemus: at quia decimus non solet esse criticus, ideo nono, uel undecimo fiet iudicatio, uno scilicet die celerius, aut tardius, quàm sit definitum illud per hebdomadas tempus. ceterum memoriæ mandato, hoc loco diem nonum esse memoratum, ut criticum, sicut etiã prius, ut osten D di tertium quoque esse allatum: non quod hi dies ex quaternarijs, septenarijsque circuitibus uim iudicandi habeant. sed quod ratio ad hunc ordinem eos aggreget: ut in libros de criticis diebus ostẽdimus. tertia uero doloris capitis differentia die quinto prodiens in quartumdecimum pertinet: quod nec calor magnus nec multa uehementia sit. planum est autem, cum dolor quinto die hominem occuparit, & prioribus illis quinque septem alij dies accedant, omnes effici duodecim: ac diem duodecimum non esse criticum, nec posse uno die maturius fieri crisin. hoc autem esse acutissimorum morborum propriũ ostensum est. quare in quartum decimum diem iure cadit.

37 *Hæc tum uiris, tum mulieribus, præcipue autem in tertianis solent contingere: iunioribus uero cum in his ipsis, tum præcipue in continuis febribus, tertianisque synceris usu ueniunt.*

Qui ætate integra sunt. quos uiros & mulieres appellare Hippocrates solet, eis hæc in omnibus tertianis febribus eueniunt propter bilem, quæ in ea ætate copiosissima est. natu uero minoribus, non in omnibus, sed solum in exquisitis, quæ biliosissimæ sunt. excitantur uero etiam in acutissimis morbis, siquidem illi quoque biliosi sunt maxime: atque id multo magis in ipso ætatis flore. quod ipse non adscripsit, quia ex præcedentibus consequitur, & intelligi a nobis facile potest.

Quibus

E 38 *Quibus autem in eiusmodi febre caput dolet, & pro oculorum caliginibus caecutiunt, aut splendentia quædam oculis obuersantur, ac pro uentriculi dolore, in alterutra parte hypochondria tendantur, ac neque dolor infestat, nec inflammatio, ijs pro uomitu, sanguinis e naribus profusio expectanda est, præsertim si iuuenes sint: minus uero, si triginta annos iam nati sunt, aut prouecta magis eorum ætas est: in his enim expectari potius uomitus debet.*

Febrem eiusmodi intelligit eam, quam initio huius sermonis declarauit his uerbis, si quis in febre non mortifera sibi caput dolere dicat, id igitur in utraque febre cõe seruans, hoc præterea esse illarum commune addit, ut per excretionem iudicentur: uerum utrique propriam quandam uacuationis formam tribuit: ac priori quidem uomitum biliosum, alteri uero sanguinis profluuium. ac priori notas, uomitum indicantes esse dicit spectra quædam nigra, quæ animo concipiantur, & cordis dolorem: posteriori uero oculorum hebetudinem, splendores, tensionem hypochondriorum sine dolore, atque inflammatione: quæ sane maxima sunt doloris sursum ascendentis documenta. dictum etiam ante est, ex inflammationibus hypochondriorum sanguinem critice solere effundi; præsertim iunioribus, in quibus sanguinis magna copia inest. quod ipse nunc quoque adiecit. & item uomitus biliosos in ipso ætatis uigore existere. primo autem de uulgaribus morbis libro ait eos etiam inuitos illachrymare, quibus sanguis per nares est exiturus. quæ omnia si in unum componas, eisque præterea addas quæ sunt ab eo in alijs conscripta libris, futuram sanguinis profusionem perpetuo præsagies. præcipue autem si uacuationis signum, quod pulsus indicant, quodque semper criticas sanguinis profusiones procedit, eo tempore adesse cognoueris. F

### DE CONVVLSIONE.

A.l.3.f.2.c.5. p.396.

39 *Pueri conuulsionibus corripiuntur, si febris acuta est, si aluus nihil reddit, si uigilant, si expauescunt, si flent, si color mutatur, ac modo pallidus, modo liuidus, modo ruber euadit. his autem obnoxi sunt pueruli nuperrime in lucem editi ad septẽ annos. grandiusculos uero pueros, & uiros non item conuulsiones in febribus corripiunt: nisi signum aliquod ualentissimum pessimumque accesserit: qualia in phrenitide pleraque apparent.*

Agit nunc de conuulsionibus, non ijs quidem, quæ unam solam partem occupant, sed quæ totum corpus exercent. hæ uero promptissime in pueris excitantur, præsertim uero lactentibus; cum alias ob causas, tum maxime ob lac ipsum, eoque magis, quo id crassius fuerit: deinde uero quod multo, eoque intempestiuo alimento utantur: quippe qui ex his, quæ in uita geruntur, nihil illi aliud, quàm manducare, intelligant. omne autem neruosum illorum genus imbecillum est: nam cum tres facultates sint, quibus corpus regitur, pueri duas habent, quàm ceteri, ualidiores: unam autem, quæ in neruis est, imbecilliorem: quam ob rem facillime conuelluntur, ac rursus in naturalem statum facile redeunt. at qui ætate integra iam sunt, ijs neque facile accidit, conuulsio, neque recedit, propter robur eius facultatis, quæ in neruis posita est. excitatur igitur conuulsio etiam sine febre, a uehementi refrigeratione, & cruditate, crassorumque humorum copia: præterea uero a neruorum, tendinumque inflammationibus, si quando ipsum principium in mali consensum sit perductum. at hoc loco ipse mentionem illarum conuulsionũ facit, quæ in febribus oriuntur: sicut initio sibi proposuerat præsagiendi rationem tam in acutis morbis quàm in alijs, quæ ex ipsis degenerant, exponere. quæ igitur in eiusmodi morbis conuulsiones excitantur, eas in adultis quidem indicant notæ illæ potissimum, quæ in graui insania apparent: præcipue autem in partibus faciei, ut cum ipsæ distorquentur, aut dentes strident, aut oculi dimouentur, aut inuertuntur: in pueris uero satis est solum uigilare: interdum uero supra modum timuisse, quod Hippocrates expauescere dixit: itẽ fleuisse magna cum uehementia, & aluum non deiecisse. quæ sane rationem obtinent causarum. ac præter has causas futuræ conuulsionis signa sunt colores præter naturam oborti, ex quibus prauitas humorum, qui afferre conuulsionem solent, indicatur: nam pallidus, aut liuidus humorem malignum significat: ruber uero sanguinis subesse copiam testatur. G

H

40 *Qui autem morituri, aut superstites futuri sint tum pueri, tum alij, ex omnibus iis signis, quæ singillatim in unoquoque descripta sunt, facienda coniectura est.*

Hoc & supra dixit, & nunc repetit, & paulo post iterabit, propterea quod utilissimum est: id tamen plerique medici paruifaciunt: qui si aliquod signum malum quandoque conspexerint: & ægrum postea incolumen euasisse, Hippocratem falsi accusant: rursusque eundem, si bonis aliquot indicijs apparentibus æger moriatur, non uera locutum exclamant: cum non animaduertant, unum malum signum etiam ualentissimum, a multis salutaribus superari: contra uero, multa mortalia uni bono, eique uel maximo præstare.

*Atque hæc de acutis morbis, deque iis, qui ab illis nascuntur, enuncio.*

41 Hanc quoque, sicut superiorem sententiam Hippocrates adscripsit: diuinans fore quosdam, qui negligenter, & inconsiderate eius essent libros lecturi: & quæsituri, cur hoc in opere quadragesimi diei & sexagesimi, ac suppurationis, & eorum, quos aqua inter cutem exercet, & quartanarũ febrium mentionem fecisset: nam cum ipse aperte scripserit, se non modo de acutis, uerum etiam de alijs, qui ex horum mutatione diuturni sunt, uerba fecisse, & tamen sunt, qui huiusmodi quæstiones in medium afferunt, quid porrò facerent, si ipse hoc non expressisset?

42 A *Oportet autem, eum, qui certam morborum salubrium, & mortiferorum, ac diuturnorum & breuium præsensionem habiturus sit, notas omnes habere perspectas, easque, uiribus illarum interse comparatis, diiudicare: ut proditum est, cum de alijs, tum de urinis, & sputis, quando æger pus, bilemque simul extußit.*

Omnia signa perpetuo consideranda esse, nec uni adhibendã fidem, supra etiam admonuit: uerum hoc loco adiecit, quod maxime est ad hanc rem accomodatum: hoc autem est, ut ait, signorum uires expendere, neque id solum, sed eas etiam inter se conferre: quædam enim signa apparent, quæ ex se magis, minusve mala sunt, quorum uires sunt uocabulis metiendæ, ut ipse ante declarauit: uocat enim uel perniciosum, uel magis mortale, uel ualde mortale: & alicubi, iam, adiecit. simili quoque modo, cum bona signa recenset, aut salutiferum appellat, aut simpliciter salutare, aut magnam uim ad salutem habere, aut ualde magnam dicit: plus enim est, si dicas, ualde magnam uim habere ad salutem, quàm si absolute, habere magnam uim, dixeris. nunc uero monet, comparandas esse inter se uires signorum, non eorum solum, quæ sunt eiusdem generis, ur bona cum bonis, & mala cum malis, sed etiam bona cum malis conferantur. atque hac comparatione ea etiam complectitur, quæ præter rationem eueniunt: si quidem in primis inrelligendum est, id præter rationem euenisse, tum non terreri homo deber, tum perpendere, unde acciderit, aut quid indica-
B re aptum sit, quæ omnia quanquam in nostris libris sumus persecuti, præsertim in ijs, qui de crisibus sunt, tamen non erit inutile, si quædam exempli gratia repetamus, a communi totius prognosticæ artis principio exordientes. igitur ante oĩa considerandũ est an una pars sit præcipue male affecta: an morbus sit humorũ, qui intra uasa continẽtur: tum a qua potissimũ facultate ægro periculũ immineat. has autẽ tres esse diximus: mox quæ bonas, quæ malas ea facultas notas afferat. statue aũt eã facultatẽ quæ a cerebro est, noxa uacare: partes itẽ corporis, esse uitij expertes, ac totũ, huiusmodi morbum ex putrescentibus solũ humoribus exortum, hoc est febrim, pati: tum rebus ita cõstitutis, omnia bona signa in urinis principio apparere: certe ut hic pereat, fieri nullo modo poterit. itaque si quod formidolosum symptoma interueniat, nõ modo non debebis terreri, ut uulgus medicorum solet, sed etiam ab eo iudicationem nunciari existimabis: nam per iudicationem capitis dolore conflictantur, delirant, nigra, flauaq; intuentur, oculi hebescunt: cordis dolor uexat, ægre spiritus ducitur, hypochondriaq; tenduntur. deinde uero deiectiones malignæ, sputaque, & uomitus, qui inde consequentur: partes præterea nigrescentes, putrescentes, atque emorientes hominem ad meliorem statum perducunt: nam & spirandi faciliratem, & cibi cupiditatem ægri recuperant, tum melius dormiunt, minus dolent, alacrius exurgunr, atque, ut uno uerbo complectar, sæpe post huiusmodi euacuationes leuius omnino habent.
C quo fit, ut quæ euacuantur, manifeste ostendant, corpus ipsum expurgari, cum narura præter opinionẽ ea profliget, a quibus ante prope uicta uidebatur. hæc aurem omnia sunt hoc in libro potestare explicata iam, ac definita: nunc uero indicia, quæ a pulsibus sumuntur, solum adijci par est: quæ cuncta in libris de pulsibus exposuimus, nullis ullo in loco propositis sphingis ænigmatis, ut plus millies Archigenes fecit. hæc igitur omnia, prompta memoria complectens, considera, atque inter se cõpara: siquidem ex eis poteris illa etiam, quæ ægri omittunt, prædicere: quæ ne ipsi quidem domestici accurate cognouerunt: ut sæpenumero me dicentem uidistis de ijs, qui dentibus stridebant, eos sic stridere suapte natura solitos, ut qui me ex domesticis audirent, me non iam arte medica, sed uaticinio prædixisse existimarent: interdum uero de ijs, qui oculis apertis dormiebant, hoc quoque eis secundum naturã euenisse: ac de quodam qui pronus iacebat, talem illi decubitum per naturam necessario fuisse. sed & mulieris cuiusdam, ad quam adibam, dexter oculus uisus est altero mulro prominentior, dixi, priusquàm ille morbus eam corriperet, eo casu laborasse: in alio magnam temporum intuens cauitatem, eam quoque illi esse a natura tributam iudicaui: aliorum uero suffusos sanguine oculos secundum naturam se habere prædixi: ut etiam conuulsam in alio supercilij partem, aut oculorum, aut labrorum: & item quædam ante morbum ex quadam externa causa extitisse. quinetiam pulsum intermirtentem, ac
D uarium, aliaque huius genetis dixi nonnullis secundum naturam esse, quæ interdum ne ipsi quidẽ ægri sciebant, sed postea, cum bene ualuissent, perseuerare intuebantur. uocem quoque asperam, raucam, & clangosam in hoc secundum naturam esse, in illo uero † ex morbo esse factam. de quibus cum ego in eo libro, qui de præcognitione est, abunde disseruerim, non est necesse, iterum hoc loco disserere: sed summo explicato capite, quo inueniri ista possint, finem dicendi faciam: quoties enim alijs, ex notis morbum periculo uacare deprehenderis, existima symptoma illud formidolosum secundum naturam esse, aut certe euidentem aliquam ob causam, ante morbum, extitisse. quare & mihi, & Hippocrati fidem adhibete, ac considerare, ut supra dictum est, & signorum uires, ut ipse ante monuit, expendite. quod autem ait, cum pus, bilemque simul extussit, pro exemplo protulit. scriptum autem hoc ab eo est, quo loco sic ait: In suppurationibus uero eæ ualde perniciosæ sunt, quæ sputo adhuc bilioso suppurant, siue biliosum sputum, & pus inter se separata, siue etiam mista excreentur. quibus sane uerbis censuit, diligentissime expendenda esse ea, quæ in ægro simul cõcurrunt: quorum aliqua bona commemorauit, ubi scribit: Bona autem sunt hæc, morbum ipsum ferre facile, & facile spiritum ducere, doloréq; sedatum esse, ac sine labore excreare: quibus omnibus enumeratis, de malis sic incipit: mala autẽ sunt his contraria, si morbum non facile ferat: si spiritus magnus, & frequens est, si dolor non desinit, si sputum ægre excernitur, si sitis magna est, si corpus inæqualiter calidum est. hoc autem est initium ora-

† vetus tralatio habet ante morbum, ut uideatur legendum esse πρὸ τῆς νόσου, & non ὑπὸ ut est in impressis.

tionis ab eo de malis ſignis prius inſtitutæ, in qua ſputa pro exemplo, ut dictum eſt adiunxit. quare, in- E
quit, quod in his factum eſt, idem in alijs, nullo ſigno prætermiſſo: ſed ſingillatim conſiderata cuiuſque facultate, tum facta eorum inter ſe comparatione, erit faciendum.

*Morborum quoque, qui ſemper uulgantur, impetus, & temporis anni conſtitutiones obſeruare accurate oportet.* 43

Ad ſymptomata in ægris futura prænoſcenda, maxime facit pnpularium morborum cognitio; ac non eorum ſolum, qui uagantur, ſed etiam qui futuri ſunt. ipſe autem in aphoriſmis per capita perſecutus eſt morbos, qui ſingulis anni temporibus frequentius oriuntur. & quos uel præſens, uel præterita gignit conſtitutio: dixit enim uere frequentes eſſe atræ bilis morbos, itemque inſanias, & alia, quæ deinceps numerauit, quæ & uerno ſunt tempori propria, & alijs temporibus exoriuntur: ſi modo illa naturam ſuam ſeruarint. at ſi non ſeruarint, dicit alios morbos præcedenti conſtitutioni congruentes uulgari. atque ex eis, qui nam poſtea futuri ſint, quique ſimul cum ipſa prima conſtitutione proueniāt, declarauit. ac de ijs, qui poſtea naſcuntur, ſic ſcriptum reliquit, Si hiems ſqualida & aquilonia fuerit, uer autem pluuium & auſtrinum, & reliqua, quæ deinceps conſequuntur. de illis uero, qui ipſa adhuc uigente tempeſtate excitantur, ſic ait, Ex anni conſtitutionibus ſalubriores omnino ſunt ſiccæ, quàm pluuiæ: & cetera, quæ ab ipſo adiecta ſunt. quare in aphoriſmis ſummatim morbos uulgares attigit: in F libris autem epidemion de ipſis ſingillatim diſſeruit: quorum ſane quanta ſit utilitas, etſi quodammodo ex ijs, quæ uniuerſe ſcripta ſunt, intelligi uideatur, tamē in ipſis epidemiarum commentarijs, quos ſtatim poſt hos ſcribere inſtituam, perſpicietur. nunc uero totius præſenſionis ſummam exponam: de qua Hippocrates hoc loco uerba facere ſibi propoſuit: nam præter notas ipſorū morborum proprias, quas in hoc de præſagijs libro conſcripſit, habendam etiam monet aeris nos ambientis rationem. ponatur autem, notas quaſdam apparuiſſe, ſi ita morbus ferat, ſanguinis eruptionis: ſi uero præſens etiā conſtitutio calida, humidaque eſt, ac duorum, triumve anni temporum conſtitutiones ad gignendum ſanguinem accommodatæ præceſſerint, certe ſanguinis etupturi ſpem habemus adhuc multo firmiorem. & quod de ſanguinis profuſione dicimus, in cetera conuenit omnia: ac ſatis erit, ſi unum exemplum de futuris ſudoribus ſubiunxero. per æſtus igitur ſiccos, febres ut plurimum ſine ſudore ſunt: at ſi cum æſtu minuta pluuia decidat, ſudores copioſiores erumpent. quam ob rem perſpicuum eſt, ſi præter alias notas, quæ ſunt morbi propriæ, quæ uenturum ſudorem indicent, aliæ etiam ab aeris conſtitutione acceſſerint, ſpem futuri ſudoris multo firmiorem fore.

*Nec latere quenquam debet, ſed recte intelligendum eſt, & propriæ notæ argumenta, & alia ſigna, mala quidem, malum: bona uero, bonum & in omni anno, & in omnibus anni temporibus denunciare.* 44 G

Quæſitum eſt non modo a Medicis, ſed etiam a rhetoribus, quid inter propriæ notæ argumentum, quod τεκμήριον dicitur, & ſignum interſit: quæ ſane quæſtio non ſolum uocabula, ut alia quæpiam, ſed res etiam attingit: inuenienda enim duplex rerum natura eſt, ex quibus Medici præſagiunt, oratores uero demonſtrant, aut perſuadent. eorum autem, quæ ad demonſtrationem aſſumuntur, ſiue illa certā afferat ſcientiam, ſiue probabilis ſit, una quidem differentia eſt, ut alia neceſſaria ſint, & alterum ex altero ſemper conſequatur: ex quibus propoſitio conficitur: alia uero, ut neq; neceſſario, neque ſemper ſed ut plurimum concludant: altera uero, ut quædam per empiricam obſeruationem, quædam per logicam conſecutionem hoc eſt per indicationem oſtendant. hęc quidem eſt in rebus ipſis differentia. at his non omnes nomina pariter impoſuerunt: ſed qui elegantius loquuntur, (alios enim uolens prætereo) in prima differentia id, quod perpetuo aliquid oſtendit, propriæ notæ argumentum; alterum uero ſignum appellant: in ſecunda uero, quod ab obſeruatione proficiſcitur, ſignum: quod ex indicatione concludit, propriæ notæ argumentum. ac Græcos quidem hoc modo his nominibus uti, non modo utile eſt Medicis ſcire, ſed etiam omnibus, quos recte Græce loqui decet. ceterum huiuſmodi rerū cognitionem maxime ad demonſtrandum, & ad præſagiendum pertinere, perſpicuum eſſe omnibus H exiſtimo: utrum uero utraq; eandē uim ſemper habeant, ſiue bonum, ſiue malum ſignificent, iure inueſtigandum eſt: ipſe enim in aphoriſmis ſcripſit, morbos minus periculoſos eſſe, qui cum natura, ætate, habitu corporis, annique tempore magis conueniunt: quàm qui cum aliquo horum nō conſentiunt: quod ab hoc, quod modo ait, non diſcrepat: dicit enim mala perpetuo malum indicare, nec tamen in aphoriſmo additum eſt, aut æque, aut non æque. neutrum autem in contrariam naturam tranſit: ſed magis, & minus utrique eorum ineſſe dicit, prout ratio naturæ, ætatis, atque aliorum omnium, quæ attulit, poſtulat. itaque non uidetur hac in re Hippocrates ſecum pugnare. eo autem loco magis uidetur his dicere pugnantia, in quo ait, non eſſe magnopere adhibendam fidem ijs, quæ morbum ſine ratione leuiorem reddunt. nec admodum metuenda mala, quæ præter rationem incidunt: horum enim pleraque incerta ſunt, nec permanere, ac diu perſeuerare ſolent. quam ſane ob cauſam uidetur eam ſententiam, quam modo explicamus, in hoc libro conſcripſiſſe: nam ſymptomata ex malis bona quodammodo & ex bonis mala efficiuntur: at ſigna nunquam in contrariam naturam uertuntur: ſed maioris, ac minoris mali, aut boni ſunt indicia. nec tamen quod nunc bonum eſt, poſtea erit malum, aut quod nunc malum, poſtea bonum. ita fit, ut quæ in urinis mala eſſe ſigna docuit, nunquam bona ſint futura: ut neque etiam bona unquam mala cenſebuntur. ſic etiam quæ ſputa, aut alui excrementa bona

A bona, uel mala esse dixit, nunquam in contrariam naturam commutantur. simili quoque modo quas notas in facie descripsit ex colore, aut tumore, aut figura sumi, nec quæ dixit de decubitu, nec quæ de liuore, aut nigrore partium, aut de ulla eiusmodi affectione, uariantur: cuncta enim uim propriam retinent: non parem eam quidem magnitudine, quippe cum dixerimus ea augeri, atque minui, sed eandem genere: etenim nihil, quod bonum sit, in malorum genus migrat: nec quicquam malum in bonorum genus desciscit: si modo propriæ distinctiones in eis dijudicandis adhibeantur. at in symptomatibus non ita se res habet: nam multi cum magna difficultate spiritum trahunt, & insaniunt, & eis hypochondria intenduntur, & splendores oculis obuersantur, & nigra quædam ante oculos habere se putant per crisim: præterea uero cordis dolore corripiuntur, labrum inferius crebro motu cietur, parotides, aut alij quidam abscessus oriuntur. quæ quidem omnia partim, ut dictum est, per crisim fiũt, partim uero increscentibus morbis succedere uidentur. quocirca illud merito ab ipso dictum est, quæ iudicandi uim habent, nec iudicant, alia mortem, alia difficilem crisim portendere. sed hæc omnia cum alijs quibusdam in libris, tum in ijs, qui de crisibus sunt, aperte declarauimus, ut iam nihil ad præsagiendi rationem deesse uideatur. quam ob rem, quod ego dare semper consilium consueui, nunc etiam explicare non grauabor. in primis igitur, potissimumque in ediscendorum Medicæ artis B operum studium incumbendum esse censeo, alias uero eiusmodi de uocabulis, & significationibus quæstiones, quæque logicam considerationem continent, postremo, & cum permultum otij suppetit, esse pertractandas: quemadmodum hoc etiam loco de propriæ notæ argumenti, & signi, significatione facimus: cum enim quicquid pertinere ad artem uidetur, exposuerim, aliam nunc ipsorum interpretationem a superiore diuersam adijciam. est autem huiusmodi. de symptomatis criticis licet aliquando nomen signi dici, sed propriæ notæ argumentum non licet: illa enim tantum signa simul & propriæ notæ argumenta uocant Græci, ex quibus salus, aut pernicies ægri certo conijcitur. quæ si quis uno nomine complecti uelit, dicet esse facultatum, quibus corpus gubernatur, notas, quæ quàm imbecillæ, aut robustæ uires sint, indicent: inter quas etiam cruditatis, ac concoctionis signa continentur. at nulla critica symptomata sunt huius naturæ, sed futuram crisim per excretionem, aut per abscessum indicant: præterea uero excretionis, aut abscessus speciem, ueluti sanguinis profusionem, aut uomitum, aut parotidas significant. utrum uero bona, an mala crisis futura sit, per hæc intelligere signa nullo modo potes: nam eiusmodi crises bonum æque ac malum exitum sortiuntur. sed ipse certissimam dijudicandi rationem nos docuit, non quibusdam symptomatis, sed ex signis, ac propriæ notæ argumentis quibusdam: concoctiones enim inquit, crisim cito futuram, & C securitatem pollicentur: cruda uero & incocta, quæque in malos abscessus uersa sunt, aut nullam, aut seram crisim, aut dolores, aut mortem, aut eorum recidiuas minantur. itaque futuram quidem esse crisim ex symptomatis criticis, quæ etiam signa critica licet appellare, præsciri potest: an uero bona an mala sit futura, ex ijs, quæ concocta sunt, erit sumenda cognitio. sed hæc non iam fore crisim, sed salutem, aut perniciem futuram indicant. atque hæc quidem est, præter eam, quæ ante dicta est nominum interpretatio unà cum ijs, quæ ad artem pertinent, nobis exposita. illud quoque scire conuenit, signa critica, genere symptomata esse, quæ uenturas excretiones, aut abscessus denunciant. hæc autem in primis causæ sunt, cur morbus discutiatur, aut etiam, cur uires dissoluantur: inter signa uero etiam per accidens censentur.

45 *Nam & in Africa, & Delo, & Scythia signa ante descripta, uera esse apparet.*

In hac de regionibus oratione, non usus est ea, qua solet breuitate: nam si superiori sententiæ duas modo syllabas adiecisset, non fuisset necesse, hanc adscribere. ego uero illis additis, declarabo qualisnam fuisset oratio: Nec latere quenquam debet, sed recte intelligendum est, & propriæ notæ argumenta, & alia signa, mala quidem, malum: bona uero, bonum, & in omni anno, & in omnibus anni temporibus, & terra denunciare. cui sententiæ adiecto terræ nomine superuacaneam esse propositam D dictionem ostendi. in hac enim nihil aliud docet, quàm utrunque genus signorũ, quæ bona, quæque mala sunt, sibi ipsis idem significare in omni † regione, siue ea calida, siue frigida, siue temperata sit: nam Africam pro calida, scythiam pro frigida, Delum pro temperata, & inter utranq; media regione, exempli causa commemorauit.

† In impressis libris est ὥρῃ: sed legẽdum, χώρῃ: ut Gal. ipse aperte indicat.

46 *Itaque recte intelligendum est, in ijsdem regionibus nihil difficile esse, quamplurima eorum consequi posse eum, qui ipsa didicerit, & recte iudicare, & expendere nouerit.*

Quod nos quodam in loco prius diximus, ut usus orationis postulat, hoc nunc ipse scripsit: qui signorum uires recte didicerit, si non perpetuo poterit futura accurate præsagire, multo tamen sæpius uera dicturum esse, quàm ut secus eueniat, ac prædixerit: qua in re alter alteri in præsagiendo præstat: nam nunquam errare, hominis conditionem excedit: quàm minime uero, solius est artificis. cumque in hoc quoque sit magna uarietas, certe qui in uiginti prædictionibus semel tantum fallitur, non parum illi excellit, qui in decem, semel errat: & huic rursus ille, qui in centum semel modo decipitur: sicut huic quoque, qui in ducentis. itaque non recte a nobis empirici quærunt, quid causæ sit, cur theorema magna ex parte uerum, ratione addita firmum, perpetuumque efficiamus. quod cum ostendere non possimus, uidetur se conuicisse, rationem a nobis esse frustra subiunctam: nos enim, quamuis non perpetuo, sæpius tñ, quàm illi, ut in futuris præsagiendis, sic in ægris curandis, finem artis adipiscimur

*Nullius uero morbi nomen desiderari oportet, de quo non sit hoc loco dictum: omnes enim, qui prædictis temporibus iudicantur, iisdem indicijs cognoscentur.* E

Videtur extremo libro hoc adiecisse, quod in eo de acutis morbis, deq; illis, qui ab ipsis oriuntur, se locutum esse dixit: quam ob rem, cum in memoria habeat, signa quàmplurima tam bona quàm mala a se simpliciter esse prolata, ut morborũ omnium communia, pauca aũt certis quibusdã morbis attributa, hoc nobis in memoriam reuocauit: simulq; addidit, nullũ prorsus esse prætermissum: quod nobis fortasse falsum esse uideretur: propterea quod nonnullos ipse nominatim expresserit, alios uero nõ itẽ. id enim nec temere, nec sine causa ab eo factum esse declarat: sed quia morbi quidam præcipuam doctrinam a ceterorum tractatione seiunctam postulabant, ideo illorum mentionem separatim fecit: alij uero omnes, quorum omissa sunt nomina, sub signa communia cadunt. ac, ne uager latius, quæ primũ ab eo descripta est, cadauerosa, ut uocant, facies, in omni morbo acuto perniciosa esse, uere dicitur: simili quoque modo quæ de decubitu, aut respiratione, aut somno, aut uigilia, aut alijs scripsit, quæ omnino in morbis omnibus contingunt, qui iam dictis temporibus iudicantur, neque enim de morbis longis scriptus est ab eo liber: sed ut ipse ait, de acutis, deq; ijs, qui ab acutis oriuntur: quorum tempora ipse quoque declarauit: quorum nonnullis extremum diem uigesimum, nonnullis uero quadragesimum, aut sexagesimum constituit. F

# GAL. IN PRIMUM PRÆDICTIONUM LIBRUM HIPPOCRATI ATTRIBUTUM, COMMENTARII TRES.

*Ioanne Vassao Meldensi interprete.*

Plerisque in locis ad ueterum Codicum græcorum fidem a Io. Bap. Rasario emendati: atque illustrati.

## ARGUMENTUM.

G

*Ex multis, quæ habet liber falsa, diminuta, empirica, & quæ ad uniuersales prædicendi regulas reduci nequeant, non esse Hippocratis existimatur. Est tamen auctoris eiusdem cum Hippocrate artis, & ex Galeni commentarijs multis summæ utilitatis documentis refertus.*

### Commentarius primus: cuius initium desideratur.

SENTENTIAM Herophili, qui præsensionem a prædictione certo & incerto distinguere conatur, probare nõ oportet: præsentimus siquidẽ modo utroq;, & prædicimus, ueluti & in cunctis artibus & cetera omnia. Imbres siquidem siccitatesq;, & frigora & æstus, & uentos & uentorum trãquillitates quibusdam ex signis præsentiunt tum gubernatores nauium, tum rustici: atque interdum tum exacte, tum certo, interdum & ad probabilem usque expectationem. De signis autem huiusmodi cum alij pleriq;, tum Aratus in libri, eorum, quæ in aere conspiciuntur, calce scripsit. At quonam quis pacto futura H prædicere ualebit, nisi ea præcognouerit? Quod sane demonstrauit Hippocrates in exordio præsagiorum ita scribens: Præsentiens enim & prædicens coram ægris. Præsensio autem in anima est nostra: Prædictio uero eorum, quæ sunt præcognita, per uocem efficitur: constatque non alia in anima nos opinari, alia prædicere. Ceterum, quonam pacto liber inscribatur, ceteris, qui opera artis non ualde curauerunt, peruestigandum relinquentes, quæ in libris singulis sunt conscripta, ipsi contemplemur: quomodo in alijs quoque fecimus, quæ antea exposuimus: alijs quidem distinctiones aliquas tum necessarias, tum a scriptore prætermissas adijcientes: alia uero non esse uniuersalia demonstrantes, quamuis dictionis forma, tanquam de eiusmodi, auctor disserere uideatur.

*Qui comatosi inter initia fiunt, cum capitis, lumborum, hypochondrij, colliq; dolore uigilantes, phrenitici ne existant; stillatio e naribus his perniciosa, tum aliàs, tum si quarto cœperit die.* 1

Complura ueterum exemplaria uerbo, phrenitici, uerbum, existant, non habent adiectum: hinc exorta est quæstio, utrumne eos, qui ita habent, quis iam phreniticos appellabit, an eos fore expectabit. Adiecto uero uerbo, existant, atque in hunc modum simul scripta oratione, phrenitici ne existant? quæstio est, an, qui ita affecti sunt, iam phrenitici sint, uel non sint. Quæstioni autem eiusmo-

53 A di iam & alia quædam non parua annectitur, quam & de febrilium accessionum principio mouerunt. Nempe in illis rationi consentaneum esse uidetur, non postea uenturam præcognoscere nos accessionem, sed incipientem iam dignoscere ex permutatione pulsuum. Quoniam uero nondum insignem acceperit magnitudinem, ut ægro quoque conspicue uideatur, ut prædici queat: a nobis uero, ut tanquam iam facta, cognoscatur, res hæc non aliter, quàm plantæ recens e terra ortæ, dignoscitur: quas rusticus quidam, uel qui in herbis omnibus dignoscendis est peritus, confestim internoscit: cæteris uero incognitæ manent. Agros siquidem herbas germinatione simillimas sæpius ferre conspicimus: quas nos quidem non internoscimus, rustici uero internouerunt, quidnam scilicet ex his herba sit, quid triticum nuper enatum, quid hordeum, quid zea, & quidnam aliorum unumquodque. Ad hunc quoque modum res habet in arboribus: Nempe & eas, cum omnibus suis partibus absolutæ sunt, uniuersi cognoscimus: cum uero enasci incipiunt, omnino a paucis cognoscuntur. Sermonem igitur hunc, ueluti admodum probabilem, commendare oporter. Sed deinceps est inquirendum, quidnam per phrenitim oporteat intelligere. Nempe Hippocrates in libris Epidemiorum morborum, ut in eorum docuimus commentarijs, continuam eam, quæ cum acuta febre est, dementiam, phrenitim appellare uidetur: continuam autem dixi, quia non nunquam in uehementium febrium uigoribus desipientiæ su-
B peruceniunt, sed in declinationibus confestim desistunt. μαίνεσθαι siquidem, id est insanire, omnes homines dicunt eos, qui desipiunt citra febrem: φρενιτίζειν uero, qui cum febre id patiuntur. Quod uero in febris uehementis uigore accidit, appellant & παραλῆσαι, & παραχθῆναι & παραληρῆσαι, & παραφρονῆσαι hoc est, insanire, de statu mentis deturbari, delirare, desipere, phrenitim uero non appellant, nisi febriat æger, & continue deliret. Continuitate igitur dementiæ, quodque simul cum febre fiat, phrenitim agnoscemus.† Videmus & phreniticos esse, qui comatosi existentes sapiunt, sed & delira loquũtur, atque a præsentibus expergefacti stupefactis similes uidentur. In hunc itaque modum, & in epidemiorum tertio ita ait. Nullus aũt phreniticorũ uehemẽter insaniuit, ut in alijs, sed alia quadã ueternosa in somnũ delatione capite grauati moriebantur. Sermonem itaque hunc tanquã maxime uerisimilem recipio, uocarique oẽs ab Hipp. phreniticos existimo, qui mente læsi continue fuerint: quo modo & qui μαινόμενοι appellantur, sola febre ab his discrepant. Sed, quoniã his magna ex parte insit, ut palpebris apertis uigilent, ob id quàm plurimi medicorum uigiliam ẽt huiusmodi inter ea, quæ phrenitidem indicant, scripserunt. Dixi huiusmodi, quoniã & cum comate uigiliæ fiant, ut Hippocrates ipse in epidemiorum tertio ostendit inquiens: Prehendebat aũt eos uel coma continuum non somniculosum, uel laboriosa uigilia. Vt coma sit in somnũ delatio, nequeuntibus, qui ab hoc occupantur symptomate, uigilantiũ mu-
C nia obire, sed tum palpebras claudere cupientibus, tum dormire sperantibus. Contingit autem interdum horum quibusdam, ut clausis palpebris dormire nequeant, sed plurimum uigilent: quod Hippocrates coma non somniculosum appellauit. De eo autem, quod per uocabulum Coma significatur, librum habes integrum nostrum: in quo pluribus testimonijs Hippocratem propensionem in somnum, coma appellare demonstrauimus. Quo fit, ut in præsentiarum eosdem comatosos & uigilantes dici mirum non sit.† Si itaque comatosi absque uigilijs fuerint, non quæsierim, phreniticos ne eos uocare oporteat, an iam existentes uel futuros, ita enim semper me loquentem intellige, ob ea, quæ primam rerum omniũ non solarum affectionum generationem prægrediuntur. Neque uero, si neruosæ partes male cũ uigilia† inter morbi initia afficiantur, ne ita quidem quæsierim, an phreniticos eos appellare opus sit. Nempe, qui sine uigilia comatosi existunt, nullo pacto sunt phrenitici. At, qui sine comate peruigilant, si id per initia cum prædictarum partium dolore perpessi fuerint, de necessitate phrenitici existunt. Si uero uigilia comati annexa fuerit, ambiguitatem res habet: atque ob id in oratione, ἆρα, coniunctionẽ, idest, ne, adiecit: qua cum tono circumflexo utimur, cum de quibusdam rebus addubitamus. Quod aũt & in sequentibus memoria tenere commodum existit, id semel intellectum perpetuo habere in promptu debemus, & quæ propter causarum externarum aliquam facta sint, & quæ morbi ratione superue-
D niant, distinguentes. Nam, si quis contente ambulauerit, uel alia ex actione lassitudinem senserit, uel & unà cum his exustus simul febrire cœperit, capite item dolere, & lumbis, hypochondrio, & ceruice: nullam magnam profecto ex his accepturum te uel ad futurarum, uel iam nascentium affectionum discretionem speraueris notam. Verum, si absq; externa causa prædictas partes infestauerint dolores, si uigiliæ quidem ægro contigerint absque ea, quæ in somnum fit, delatione, deliraturum eum sperabis. Quòd si unà cum comate hæc coniungantur, tunc diem unum expectes, in quo, motionem ægritudinis dignosces Phrenitis siquidem, quæ exquisita est, & nulli alteri morbo permiscetur, fit, cum bilis flaua locum, in quo princeps animæ pars resider, prehenderit, lethargus uero, cum locum eundem humectarit dilueritq; pituita. Nam, quæ partibus in alijs ex bile & pituita noxæ cerebrum ipsum ad affectionis consensum trahere possunt, continue hæ non sunt. Quoties igitur uterq; humor cerebro molestus fuerit, prehendunt contraria hominem symptomata, ita ut tum uigilet, tum paulatim in somnum deferatur. Cum uero & ad somnum defertur simul & desipit, mistam ipsi permanere affectionem est putandum. Non nunquã & in horum alterum res ita deflexit, ut uel bilis, uel pituita superior sit, ægerque redditur aut phreniticus exquisite, aut lethargicus. Ego uero, quoties ad finem usq; tũ desipientia, tum coma perlistũt, affectionẽ hãc ex phrenitide & lethargo mistã appello: quidã typhomanian uocauerũt ut & in libro de morbis ab Hippoc. scriptum est. In tertio uero epidemiorum, ut paulo ante dixi,

†Alias ex antiquis. Nihilo uero minus phreniticos esse dicimus, quicũq; comatosi cũ sint, nõ sapiũt, sed delira loquuntur.

†Alias ex antiquis. Si.n. comatosi quidẽ, sed absq; uigilijs fuissent, nõ quæsiisset, phreniticos ne eos uocare oporteat, uel iã existentes uel futuros.

†V.l. addit, sine comate.

Al. 3 f. 2. t. 3. c. 1. p. 16. C.

phreniticos omnes appellat, qui continue desipiunt cum febre. Iam reliquum est, ut quæramus, quam E ob causam dictionis principio dixerit, Qui comatosi inter initia fiunt. in calce autem, tum alias, tum si quarto cœperit die. Nempe principij nomen indicat quidem & primum morbi insultum: indicatque & eum, qui secundum latitudinem ad tertium usque uel quartum extenditur diem: indicat præterea & primum morbi tempus, cum morbum in quatuor diuidentes tempora, constare ex principio, incremento, statu, & declinatione pronunciamus. Sed de his ex principij nomine significatis in primo de iudicationibus est demonstratum. Nunc autem, in quo significatu dictum hoc nomen sit, consideremus. (A l.1 f.2 d 1. c.6 .p.55. F.) Arbitror equidem Hippocratem in prima dictionis parte principium dixisse, morbi totius ingressum, qui secundum latitudinem intelligitur: In calce autem cum ait, tum alias, tum si quarto cœperit die, dicere tunc solum incipere prædicta symptomata ægro iam quatuor ante diebus febre correpto, ut in eo, quod secundum latitudinem sumitur, principio generētur tum coma, tum uigilia, tum partium neruosarum dolores. Nempe primo uel secundo die præ copia sanguinis propter bilis permistionem tū acris, tum mordētis potest reddi idem æger tum comatosus, tum uigilans, grauata quidem ob sanguinis copiam cerebri facultate, sed a bile usque adeo irritata, ut somnus inhibeatur. Quarto uero die copia iam imminuta, & præsertim si Medicus eam uacuare præuerterit, atque acrimonia cocta, desinere utrunque symptoma, tum coma, tum uigilias par est. Si ergo, quo tempore cessasse debuerunt, ea fieri uideantur, bilem uel pituitam cerebrum inuasisse, non sanguinis copiam, id commōstrat. F De potentia autem quarti diei in libris de diebus iudicatorijs est dictum, cum inibi mentem Hippocratis explicaremus, ut etiam in explicatione præsagiorum. Nempe hunc ait indicem septimi esse: quod est, eam habere naturam, ut, qualisnam septimus futurus sit, indicet. Cum ergo signum malū quarto apparuerit die, malus de necessitate septimus est futurus: si uero salubre & bonum, septimus bonus erit. Nam proportione uirtutis signi tum magis, tum minus uel bonum uel malum fore septimum sequens est. Quæ autem signa magis minusque tum perniciosa, tum salutaria existunt, in præsagijs ostendimus. Septimum igitur proportione quarti magis minusque tum bonum, tum malum fieri continget. Cum itaque stillatio e naribus semper malum signum sit, absoluta morbi malitia significatur, si quarto fiat die. Videtur siquidem natura collectam in cerebro abundantiam conata esse, ut expelleret, sed nequiuisse. Talium autem signorum genus deterrimum esse constat. Nempe quæ uel tubercula uel pustulæ ex imo ad cutem enata recurrerunt, grauissima omnium existunt. Sudores quoque, qui cœperunt quidem, sed protinus cessauerunt, praui sunt: deiectiones item, & quæ per sanguinis eruptiones, uel in mulieribus per uterum uacuantur. Omnia siquidem hæc deteriora his sunt, quæ nullo apparent pacto, si, ubi cœperint, cessent. Contingit enim interdum coquentem adhuc contristā- G tia naturam nondum ad horum expulsionem excitari. In illis uero, quæ cœperunt quidem, sed protinus desierunt: apparet ueluti excitatio quædam, natura excernere, quæ molesta sunt, conante, atque ita ob imbecillitatem, quod proposuerat, perficere nequeunte.

*Ventris ualde rubens proluuies mala quidem in omnibus morbis, non minime uero in prædictis.* 2

Signorum singulorum uires docet in præsagijs Hippocrates: uultque in calce libri uiribus dictorū signorum æstimatis, id est inter se collatis, fieri ita prænotionem. Nempe signorum quædam ὁμοειδῆ, id est speciei eiusdem existunt, (cum autem ὁμοειδῆ dico, quasi & ὁμογενῆ id est eiusdem generis iam dixerim, ita me audias:) alia uero neque genus habent idem neque speciem. Speciei ergo eiusdem sunt, quæ in una aliqua fiunt affectione: quæ quidem per sputa excernuntur, affectionis tum pulmonum, tum thoracis, tum asperæ arteriæ, tum gutturis, atque (ut in summa dicam) respirationi subseruientiū instrumentorum signa sunt: horum autem ipsorum, quæ & in respiratione uitium per se & primum cōtraxerunt. Nam ab his separantur, quæ per consensum afficiuntur. Cerebri quoque & membranarum, quonam afficiantur modo, signa sunt: per ea, quæ excernuntur, ut quæ per nares, & palatum uacuātur: per functionum uero læsionem ut quæ in propensionibus in somnum, uel uigilijs, uel desipientijs, uel H conuulsionibus, uel totius corporis tremoribus uisuntur. Si quis igitur simul tum desipiat, tum cōuellatur, quòd affectio ea grauior sit, quàm si alterum illorum dūtaxat fuerit, liquido constat omnibus: pari modo si difficulter spirās, protinus & nigra expuat. Sed forsan hæc nō recte inter se quis permiscuerit iuxta eam, quæ in libris esse debet, doctrinam. Sufficit.n. cuiuslibet uirtutem recensere permissa discentis arbitrio omnium in ægrotantibus contemplatione. Signorum autem diuersi generis connexio prorsus inutilis est, & cum in libris scribitur, & cum exercitationis causa in congressionibus instituitur. Nempe definita cuiusque simplicium uirtute satis est postea semel duntaxat dicere, quod dixit Hippocrates, perpendendas scilicet signorum uires, conferendasque inter se, ut de ægrotantibus quippiam enuncietur. Si quis autem signum malum esse urinas nigras dixerit, adiecerìtque & peius esse si nigra quoq; expuerit: & deinceps hoc rursum peius, si & nigra deiecerit, atq; si inter initia id cōtigerit: præterea & peius adhuc esse, si quarto id fuerit die, adiecerìtq; & his, tū quod in exordio præsagiorū est scriptū, tū faciē illā, quam proprie cadauerosam Medici appellāt: uanā sane signorū permistionē scripserit. Nullus siquidē ita amēs, ut nō intelligat minus male eū habere cuius pulmonē uel thoracem, morbosa urget affectio, deterius uero eū, cuius partē utranque fatigat: sicuti & adhuc deterius, quem, unà cū his uentris exercet affectio: atq; adhuc deterius, quem uel iecoris uel cerebri affectus premit.

Quæ

A Quæ igitur uniuersi uel non scripta norunt,ea frustra temereq; scribuntur: nisi quis uel chartas uel tẽpus perdere uoluerit:quod perpetua seruari memoria uelim.Sed ad institutum redeamus. Capite dolentibus non absque ratione lumborum dolores,ceruicisque, & hypochondrij adiecit: nempe pluribus generis eiusdem simul factis signis non solum species uel genus[actionis]compertius erit, uerũ quoque & magnitudo ipsius dignoscetur.Cum autem desipientiæ coma adiunctum fuerit, eaq; cerebrum male habere demonstrent, securior nostra erit cognitio, uidebiturq; affectio maior.Cũ uero & e naribus stillatio accesserit,iam non securiorem cognitionem esse dixerim,sed scientificam & certam, cum signa uictam a morbo cerebri facultatem commonstrent. Quòd si & quarto die factum esse id, adiectũ fuerit,certissime ita cerebrum in magna quidẽ esse affectione cõstabit,sed perniciose hominẽ habere: quibus si adiecerit quis frigidum tum e naribus,cũ ex ore expiratũ,perniciosum quidẽ in omnibus esse,nõ minime aũt in prædictis:uerũ quidẽ aliquid enunciabit, sed doctrinæ, qua liber pollere debet,superuacaneũ:quo modo & si his adiecerit nigra sputa,nẽpe & hæc quidẽ mala sunt, sed alterã a prædictis commonstrant affectionẽ:ueluti & urinæ.Nam & hæ,si nigræ fuerint,uitiosam præstant non tam,uitiũ tamẽ aliud ostendunt. In præsagijs igitur seorsum signorum singulorum uirtus declaratur: atque eorum,quæ affectionem unam indicant,concursus aliquando est scriptus,ut in exordio quidem B in ea facie,quæ mortem portendit,infra uero in suppurationibus, aqua inter cutem, & alijs quibusdã: in hoc autem libro sæpius in una diuersi generis signorũ concursione cõplura superflue implicantur: quo fit,ut ualde rubens proluuies,quæ in iecoris fit affectionibus,perperam hoc in loco cerebri uitijs adiuncta sit.Est sane & ea per se non bonum signum, iecinoris scilicet imbecillitatem ostendens: sed adiecta cerebri affectioni,propter duas ualidas affectiones periclitari hominem prænunciabit. Sed quidnã hoc?nam si pleuritis & peripneumonia uno fiant tempore,periculosius id existit,quàm si horũ alterum duntaxat factũ sit. Nec minus,si præter hæc dysenteria quoque æger uexetur, aut quæuis alia cũ his oboriatur affectio.Sed nemo permistiones huiusmodi scripto docet. Ventris autem proluuies, appellat tenuium substantia humiditatum deiectiones,ut si quis abluto aqua,sanguine consperso uentre,aquam excreuerit:sic & biliosa dicitur proluuies,cum,quod excernitur,tale apparet: quasi ex aqua & pauca bile mistis fiat.Imbecillitas autem retentricis facultatis est hepatis, atque ut plurimum sanguificæ symptoma comitatur: hoc autem superfluis,quæ reuomuntur, proportione respondet. Nam, cum uentris concoctio inculpata fuerit,nullum symptoma huiusmodi subsequitur: cum uero ob copiam uel corruptionem,uel & superfluas humiditates non ualde utiles in ore uentris relictas grauata fuerit,uenter ad horum excretionem insurgit,& uomitum facit. Tale quippiam,& cum sanguis in ie- C cinore generatur,contingit:atque ob id cruentæ interdum fiunt deiectiones: interdum autem & impense rubentes proluuies,aquosa scilicet simul & cruenta tenui humiditate ex hepate in uentrem cõfluente:uel modico sanguine tũ acri tum mordente & uelut semicocto tenuibus & aquosis humiditatibus permisto,atque colorem illis præstante.

3 *Densæ lingua,atque aridæ,phreniticæ.*

Melius erat, asperas,quàm densas scripsisse: nam cum lingua connatam tum ex uasis, tum glandulis,quas a fundenda saliua σιαλοχόους uocant, humiditatem habeat:primus quidem ipsius defectus densam eam facit:maior uero asperam:immoderatior autem siccitas perrumpit eam,†[sed madentem]nõ secus,quàm pinguem terram diutini squallores: quapropter,ut lingua sicca simul & densa sit,fieri non potest. Melius est igitur,ut retuli,asperam scribere. Necesse est ergo,sit alterum e duobus: nempe aut scriptor negligenter enunciauit,aut,qui primus descripsit dictionem,uitiauit. Talis uero lingua siccitatis immoderatæ nota est: quo fit, ut & ardentibus superueniat febribus: idque ostendisse ei, qui secundum præsagij legem ad doctrinam accedit,fuerit satis:nempe qui discit, siccam linguam ratione eadem fieri intelligit tum in huiusmodi febribus,tum in phrenitico: siquidem & phrenitica affectio, D quam flaua bilis parit,calida & sicca est.Præstat igitur mea sententia dictionem uitiatam esse affirmare,quomodo & alias multas ita uitiatas esse demonstrauimus apud plerosque me superiores ueteres, non Medicos modo,uerum quoque & philosophos & grammaticos & rhetoricos.Sunt ex libri expositoribus, qui hoc ipsum defendere sunt conati, linguas densas dici, quæ densam efficerent uocem, affirmantes: nempe uoces quasdam ita appellari aiunt, a quibus,qui eas proferunt, δασυφώνους, idest densiores appellitari dicunt. Voces ergo huiusmodi cum sicca lingua phreniticas esse aiunt, perinde quasi scriptor dicere non potuerit, densæ uoces cum sicca lingua phreniticæ. Sed pro uocibus linguã dicere absurdum uidetur:nempe & hoc pacto quis dixerit tum graues,tum acutas, tum paruas, tum magnas linguas,ubi uel grauem,uel acutam,uel magnam,uel paruam indicare uocem uoluerit. Adde, quòd neque uoces illas densas appellari audierim, quemadmodum nigras & albas per metaphoram quosdam appellare intelligam:proinde nec noui quidem,qualnam uocent densas. Raucas quidem, & *nigras in libro de uoce,propter uoci deputatorum organorum humiditatem fieri ostendi. Densas uero si alias quasdam præter has dicant, explicare debuerunt:& si ex his aliquas uoces sane eiusmodi, ob humiditatem potius,non ob siccitatem fiunt,sicuti tum acutæ,tum clangentes ob uocalium instrumentorum, quæ circa guttur sita sunt,ariditatem. Ceterum linguam non uocale instrumentum,sed ad uocem explicãdam comparatum,esse cõstat:atque ob id,cũ ea patitur,balburiẽ blæsitateq; in locutionibus

†Non est in antiquis græcis cod.

nibus fieri contingit,& non raucam habere uocem,uel nigram: cuius generis esse quosdam suspicor E eas existimare,quas ipsi appellant densas.Ego enim,ut retuli,neminem,qui ita uocaret,audiui: tametsi plerosque medicos audiuerim dicentes,palpebras densas,quæ asperitatem quandam exiguam haberent,sicuti est densa lingua:nempe absolutas densitates[in palpebris]non amplius densitates appellãt, sed asperitates:quæ quidem linguæ asperitati proportione respondent.

*Vrinæ in turbulentis uigilibusq; decolores,nigræ,sublime petentes,atque in sudoribus,phrenitica.* 4

Soloecismum continent non paucæ libri huius orationes:ut ob eam rem iure suspicati quidam sint; librum Hippocratis non esse:†[nempe & ob sermonis breuitatem reiectus erat eo libro,qui est de impellendis ossibus,qui Mochlicus inscribitur,inter libros Hippocratis recepto,neq; eo solũ,uerũ quoq; & aphorismis ipsis:qui quanquã maxima cũ breuitate enunciẽtur,non tñ,quod soloeci particeps sit, in ipsis reperias.]Adde,ꝙ enũciationes adeo excellũt,ut plane dicãt grauẽ eius libri auctorẽ esse. Præsens uero liber absurdã in multis orationibus habet enũciationem.Vt cũ in præsenti dictione de urinis ait: Nempe hoc pacto improprie dictũ est sublime petentes,cum,quæ in urinis sublime petant, dici ita debeant,nõ urinæ ipsæ.Ob eam causam nõ nulli permutata dictione ita scripserunt: Vrinæ in turbulentis uigilibusq; decolores,nigris sublime petẽtes. Sed proculdubio reperitur & in ea scriptura soloecophanes,& si quã maxime uitare ipsum uideantur,qui dictionẽ permutãt:nempe hæc oratio,sublime petentes,manifestã ad urinas relationẽ habet.Hæ igitur ipsæ & phrenititicæ dicuntur,id est phrenitim uel significãtes,uel facientes:ꝙ faciant,nõ consentaneũ uidetur:ꝙ significent, nõ uacat ratione. Quòd si indicent,phrenitidem cum effectrice causa quadantenus cõmunicare indicant.Demonstratũ autẽ est nigras urinas ob serũ bilis atræ unà cum excrementis aquosis emissum,procreari.Gemina uero bilis atræ existit generatio:nẽpe & ex flaua bile supra modũ exusta,assataq; , uel ex crasso sanguine. Supra modũ aũt assatur propter uehementem caliditatem. Iure ergo in febribus,quæ ardentes appellantur, & phrenitidibus talia meiuntur,cum tum calidæ,tũ siccæ affectiones eiusmodi existant. Inter urinas aũt , quæ per se totas nigræ sunt,deteriores his habentur , quæ suspensionẽ duntaxat nigrã habent . In præsenti uero dictione,neque an urinas totas nigras dicat,uel solas suspensiones,conspicue est explanatũ. Vult aũt dictionis huius auctor, quicũq; fuerit, urinas huiusmodi,cũ in turbulẽtis uigilibusq; apparuerint, phrenitidẽ indicare.Vt turbulentos eos intelligamus,qui†[nõ insigniter]turbantur:quod offensa paulatim mente fieri consueuit. Adaucta uero huiusmodi,quæ exigua fuerat, offensa,non turbulenti simpliciter,sed iam desipientes; tum dicuntur,tum sunt. De uigilia autẽ quid attinet dicere,ꝙ ex phreniticis symptomatis unũ sit?Superuacaneũ præterea in dictione est uerbũ hoc,decolores,in urinis, cũ per G nigras cõsignificatũ sit.Oratio autẽ hæc,in sudoribus,sudores quidẽ circa caput fieri ostẽdit,præ copia ipsum conflictari indicãtes:quod & si inter cetera phreniticũ sit,improprie tamẽ enũciatur,cũ, quidnã intelligere,oporteat. excogitare nequeamus,ubi dicitur, in sudoribus:an urinas, quanquã ipsa totius enunciationis sequela hoc uideatur maxime uerisimile intellectu:an affecta corpora:an præter hæc & affectiones.Sed,quouis modo quis intellexerit,quòd enũciatio impropria nõ sit,effugi nõ põt.Omissa igitur ea,quouis modo habuerit, scripta cõsideremus.Vigiliæ igitur,& turbationes ægrotantiũ re uera sunt phreniticæ:urinæ uero,& sudores,nullo pacto.Nẽpe,quo succi tũ arteriarũ,tum uenarũ habeãt, urinæ indicant.Signa uero phrenitica cerebri ostendunt affectionẽ.Pari modo sudores, quanquã aliarum quarundam affectionum notæ existant, de quibus mentionem sæpius fecimus ; non tamen cerebri affectionẽ sufficienter demonstrare possunt. Sunt sane nõnulli ex his,qui librũ hunc exposuerunt, qui ex scriptis in libris epidemiorũ ægris desipientes colligãt,quibus pati quippiã cõtigit eorum,quæ hic referuntur,tum symptomatum,tum signorũ,uel in deiectionibus,uel urinis,uel uomitibus, uel sudoribus,uel pustulis,uel sputis,uel partem aliquã infestantiũ,cum sane talia signa phrenitica non sint, quanquã ægris de necessitate insint.Fieri siquidẽ non poterat,ut talis,uel non talis urina in his non inueniretur. Pari modo,& de sputis deiectionibusq; & ceteris omnibus est dicẽdũ.Si igitur in ægro quo- H piam deiectio eiusmodi, uel tale aliud quippiã unà cum signis phreniticis uisum fuerit , atque deinde æger phreniticus reddatur,perperam quis ea omnia phrenitidis indicatoria esse pronunciauerit . Necesse est enim ut proprijs morborum signis alterum e duobus insit,nempe ut uel perpetuo,uel solis cõtingant.Cum autem neque solis insint,neque perpetuo,propria illorum nõ sunt.Ob eam causam phreniticorum signorum ea sunt certissima,quæ perpetuo,& solis insunt phreniticis. Deinde ab his, quæ perpetuo quidem,sed non solis: quæ in suis tractationibus distincte sunt tradita a nobis : demonstratumque neque in urinis,neque in deiectionibus,neque in sudoribus,neq; in sputis,neque in uomitibus phrenitica esse signa.Consueuerunt autem libri interpretes propemodum omnes,ut dici,adnotare ex epidemijs ægros,neque solum in præsenti dictione,uerum quoque & similibus huic omnibus, Eam ob causam,qui sese eorum æmulos præstant, ij apud ægros quotidie multa quidem effutiunt, sed,quantum ad prænotionem attinet,idiotis conspiciuntur similes. Nẽpe, quod in omnibus prognosticis speciei morborum signis in affectorum locorum methodo exercitati esse debeant, est perpetuum. De ea autem methodo a me seorsum scriptum est, ueluti & de his, quæ iudicationes significant . In quibus parum exercitati quidam ueterum libros exponere audent, plane ignorantes, quòd bonum enarratorem oporteat esse idoneum prius iudicare, quæ bene, & quæ perperam ab auctore

dicta

†Alias ex antiquis. Nam ob sermonis breuitatẽ mochlicũ aiũt a propria enunciatione recessisse librorũ,qui Hippo.eẽ cõcessi sunt, & nõ solũ aliorũ sed & aphorismorũ quoq; : licet & ipsi ẽt (aphorismi) maxima cum breuitate enũcientur: nõ tamen soloeca in ipso (mochlico) enũciatio est.

† In impressis cod. ἀλίγως.i. præter rationem legitur. interpres uidetur legisse, οὐκ ἀξιολόγως

A dicta sunt, ne his, quæ perperam dicta sunt patrocinatus, opinionem uel ignorantiæ, uel contentionis
reportet. Verum, quoniam non in hac dictione solum, sed etiam per librum totum inserunt, quos ex epi-
demijs collegerunt ægros, præsentem sermonem totum ad finem usque perducere satius esse arbitror.
Quòd si quis prolixitatem moleste tulerit, proprium dictionis huius sermonem, non libri totius com-
munem esse existimans, ubi a nobis audierit, quonam pacto expositoribus quidem in omnibus fere di-
ctionum expositionibus, quas perperam in medium afferunt, non prolixus modo, sed ediscentibus etiã
ipsis nocuus sermo sit: quæ uero a me nunc semel dicta & commodissima sint, & dicendorum omnium
breuem compendiosamque faciant explanationem: desinet certe prolixitatem incusare, habebitque
mihi gratiam tum ob eorum, quæ ostensa sunt, utilitatem: tum ob eorum, quæ dicentur, breuitatẽ. Erit
autem sermo, tanquam in exemplo phrenitidis, sed morborum omnium communis. Quoniam igitur
phrenitica signa omnia methodo inuenire proposuimus, ab affectionis notione exordiemur. Nempe
quòd optimum omnium dicendorum principium sit, rei, quæ inquiritur, notio: in libris de demonstra-
tione est ostensum. Cum ergo phrenitim mortales omnes eam appellitent affectionem, in qua φρένας
id est mentem læsam esse uideant, quam tum νοῦν tum διάνοιαν idest intellectum, & intelligentiam etiam
uocant: prius, qua corporis in parte animæ intelligentia sit, inuenire oportet: id quod primum in li-
B bris de Hippocratis & Platonis placitis demonstrauimus: quare ab ipsis nunc exorsi, summatim quan-
dam uelut epitomen eorum, quæ in libro de affectis locis descripta sunt, recenseamus. Necesse erenim
dico esse, ut affectio, siue cum incipit, siue cum absoluta iam est, ex functionum partis affectæ noxa, &
ex his, quæ in ea apparent, reperiatur. Dixi autem & ante, exordientis affectionis notas, prognostica si-
gna esse eius, quæ iam completa est. Qui igitur cerebri naturaliter habentis munia nouerit, is ex offen-
sa horum, primum, quòd perpessum sit, deinde, qualisnam is morbus sit, inuenire ualebit: inuenta autem
a nobis sunt hæc, arbitraria functio, intelligentia, sensus, & memoria. Offensæ igitur horum cerebrum
ipsum tali uexari malo, qualis fuerit offensæ species, demonstrabunt. Verbi gratia, Functionum arbitra-
riarum instrumenta musculi existunt. Fiunt autem hæ tum his, qui per manus cruraque agunt munera,
tum his, qui caput spinamque mouent, atque his, qui loquuntur, uociferantur, & respirant. Demonstra-
ta est enim & hæc functio primum motionis initium habere per neruos a cerebro ad thoracis muscu-
los peruenientes. Cum igitur functio quædam ex dictis læsa esse uidebitur, inquirendum est tibi, an af-
fectio ea propria sit eorum, qui functionem hanc obeunt, musculorum, an ob eam, quæ a principio in
ipsos procedit, uirtutem offensa hæc oriatur: deinde, si offensam ob eam, quæ a principio est, facultatẽ
esse inueneris morbum quempiam, qui principium infestet, reperiẽdum esse puta, si, quæ apparet, offen-
C sa non leuis fuerit, incrementumque effatu dignum habuerit: Verbi gratia, ut sermo cõspicuus fiat, ubi
thoracis musculi, a quibus respiratio cõficitur, affectione uacauerint, peruestiga, num quædam cetera-
rum partium, per quas spiritus in respirationibus tum intro, tum foras feratur, perpessa sit. Nam, si nul-
lam ex his læsam inueneris, cerebrum læsum esse existimabis. Vt autem & res exquisite definiatur, con-
sidera quoque, & quæ unà cum thorace moueantur partes: nempe & eas respirationem lædere in libro
de difficultate spirandi est demonstratum. Si ergo hæ omnes plane morbi expertes inuentæ fuerint,
tunc difficultatis spirandi speciem inspice, quamnam scilicet cerebri affectionem indicare possit: quo-
" modo, ut exemplum integrum sit, ait in prognostico Hippocrates: Spiritus frequens quidem significat
" dolorem, aut inflammationem, quæ locos septo transuerso superiores fatiget: Magnus uero & ex lon-
gis interuallis, delirium. Vocat autem spiritum ex longis interuallis, etiam rarum, ut in commentarijs
†magnus & de difficultate spirandi ostendimus. Nam † rarus proprium simul & inseparabile desipientiæ est signũ.
Demonstrauimus quoque & in libris epidemiorum omnes, quibus magna & rara respiratio fuerit, de-
sipuisse. Si quis igitur in urinis, uel deiectionibus, uel sputis, uel uomitibus, uel sudoribus, uel aliorum
quopiam signum aliquod demonstrare possit, quod seorsum desipientiæ soli proprium insit, uel, si non
soli quidem, ab ea tamen inseparabile: iure id phrenitica inter signa collocauerit. Si uero neque ex rei
D natura demonstrationem aliquam expromere possit, neque in libris epidemiorum, desipientijs omni-
bus inesse, uel perpetuo: uel si non perpetuo, saltem his solis ostendere queat: non rationabiliter signũ
huiusmodi inter phrenitica constituit: hoc siquidem unum duntaxat asserere potest, quòd phreniticis
quibusdam adfuisse uisum sit. Eadem uero ratione contraria phreniticis signa esse intelligimus. Iam
age ponamus uisos a nobis phreniticos, quorum alijs supprimi aluum: alijs plura, quàm naturæ iustum
sit, excerni contigerit: nempe & cum signis phreniticis scribat aliquis alui suppressionem: †deinde exi-
stimemus, quænam eorum, quæ ad phrenitidem perduxerunt eos, quibus aluus suppressa sit, rei huius
testimonium esse possint. Nam, si proteruus quidam in suis enunciationibus suppressam aluum phre-
niticum esse signum scripserit, potest sane & alter, qui etiam proteruus sit, sermoni non subscribere,
eosque asserere phreniticos esse, quibus perturbatam aluum conspexerit. Sane, cum Hippocrates in
epidemijs scribat omnia, quæ ægris cõtingunt: necesse est, quo modo in phreniticis, ita & peripneumo-
nicis, & cynanchicis, alijsque omnibus, ut, his quidem si aluus suppressa sit uel fluat, una cum proprijs
morbi indicijs & hæc scribat: expositores uero ea morbi esse signa existiment, non cognoscentes alia
quidem esse pathognomonica, idest affectionem indicantia, prognosticaque morbi propria: alia uero
& inseparabilia: ueluti paulo ante dixi in ea, quæ magna & rara est, respiratione. At, cum de his non du-
bitamus, quòd nullum inquiramus proprium uel inseparabile morbi indicium, sed an perniciose salu-

†deinde existimet aliquis huius rei testimonium esse, eos phreniticos, quibus aluus suppressa sit: nam si. &c.

briterve

briterve æger habeat: tunc necessaria consideratio ipsi erit omniũ, quæ in corpore apparẽt, signorũ & B symptomatum. Continentur autem in his, & quæ iudicationes præmonstrant. Sed rursus oratione ad principium reuocantes, dicamus, quomodo auctor in proposita dictione, Vrinæ in turbulentis uigilibusque decolores, nigræ, sublime petẽtes, atque in sudoribus, phreniticæ, propria, & inseparabilia phrenitidis signa scripsit, cum inquit, In turbulentis uigilibusque: non inseparabilia uero neque ei soli propria, cum ait, Atque in sudoribus. quanquam sudor, cum affectum occupauerit locum, unà cum prædictis demonstrare possit. Quæ de urinis dicta sunt, a phreniticis quidem separata sunt: sed ad inspiciendum, utrum perniciose an salubriter æger habuerit, conducunt. Immo uero, cum ad ægros introducimur, primum inueniri conuenit, an laborante uno ex principijs, tribus, uel duobus, uel etiam omnibus æger perniciose ægrotet: uel principiorum quidem nullum affectum sit, sed quidpiam eorum, quæ ab horum aliquo enata sunt, uel quouis modo societate coniuncta obstrictaque. Si ergo, cum in turbulentis uigilibusque urinas inspicis, nullum in ipsis prauum signum uideatur, neque etiam in pulsibus, (nempe & id dignotionis exactissimæ gratia adiecisse est necesse,) nihilo quidem minus ita affectum hominem, phreniticum fieri posse contingit, ubi phrenitidis signa huic affuerint: uerum inter hos periclitantur minus, qui principes facultates reliquorum duorum principiorum illæsas habent. Hæc ut dixi, semel a me sint dicta, totoque libro memoria non excidant, uelim, ne sæpius ea cogar repetere. F

*Insomnias *quoque in phreniticis conspicua.* *Al. quæ. 5

Satyrus Quinti discipulus, quem ante Pelopem habui præceptorem, dictionem hanc ita exposuit: Eorum, quæ in phreniticis conspicue nidenẽ, atq; ab ipsis fiunt, quæcunq; & cerni & fieri nobis uidenẽ, re uera non existunt: sed insomnia oĩa cõspicua. Quòd ergo & alij quidẽ e somno surgẽtes obambulẽt, dormiẽtes quidẽ, sed apertos, uigilantiũ instar, oculos habentes, in multis est narratũ scriptumq;. Si uero talia sint, quæ a phreniticis fiunt, inter ea, quæ nobis conspicua non sunt, reponũt. Sed, quouis modo uerum hoc sit, ita tamen exposuisse nihil ad prænotionem contulerit. Si uero prægredientia phreniticorum insomnia conspici dico euidenter, ita ut exturbentur e somno exilientes, uel loquentes propter ipsorum conspicuitatem, præsensioni morbi huius adiumentum id confert. Nempe siccitas ipsa uigiliæ causa est, & repræsentationis * somniorum. Sic sane & melãcholicis ob siccitatem prorsus conspicua uidentur in somnis phantasmata: atque ex sanorum genere, his quidem, qui ieiune parciusque sunt cibati, somnia conspicua fiunt: repletis uero temulentisq; ita, ut uisis uidui destitutiq; uideaẽ tur, phantasmatibus propter obscuritatem paruitatemque ita effluentibus, ut ne reliquias quidem, & uestigia in memoria relinquant: sic & affectiones, quæ cum cerebri humiditate fiunt, comatosæ sunt, somniculosæ & uisis destitutæ. Prauus itaque est eorum sermo, qui neque somnium phreniticis uideri conspicuum putant, quod utique, ut dicũt, ij ueluti somno destituti somnia prorsus non uideant. Primũ quidem promptè illud adsumunt, solos uidelicet eos morbos, qui cum proprijs magnitudinibus absoluti sint, proprijs nominibus appellari, confirmantes non paruum eum sermonem, qui inter initia a nobis dictus est: nempe, nullum futurum affectum a medicis præsentiri. Verum eorum, quæ iam principium quidem generationis habent, sed nondum multis propter paruitatem cognita sint, facta ab artificibus cognitio, idiotisque pronunciata, præsensio apud illos existit ita, ut & phrenitici iam ab artificibus cognoscãtur, affectione in cerebro nuper consistente. Postea uero, si quis non permiserit iam phreniticos appellari eos, qui nondum conspicue delirant, tamen, quòd phrenitici fient, prænoscere ex insomnijs est possibile: ut dici in præsenti dictione potuerit: In futuris phreniticis somnia prægredientia omnibus his conspicua uideri. *Al. conspicuitatis. G

*Screatus frequens, & si aliud quodpiam signum affuerit, sunt phrenitica.* 6

Commodius forsan erat, si sermoni adiectum fuisset, nullo per eum exeunte sputo. Nam, si quid exspueretur, quomodo in destillationibus interdum usu euenit, ob ea, quæ in os ipsum per narium foramina confluunt, fieri id consueuit. Contingit autem & aliquando frequens huiusmodi screatus, ubi respirationis robur externum, quippiam attraxerit, meatibusque in ipsis tum adhæserit, tum impactum fuerit. Sed, quod antea dixi, propter eos, qui uel negligentius uel simplicius citra distinctionem enarrant, quæcunque in hmõdi doctrinis dicunẽ, ꝗ ea omnia seclusis externis meminisse dicantur, oportet. Ob eam igitur causam screatus, qui ex arbitrarijs functionibus una existit, frequens oblæsa redditur cogitatione, quomodo & arbitraria alia quæuis functio. Non nulli quidem cum strepitu flatum excercenunt. qui, cum extra morbum sunt, summopere sibi cauẽt, ne id agant, idque præsertim si quis audiat: alij manum absque ratione mouent, uel crus, aut quiduis aliud simile uel faciunt uel dicunt. Communi igitur ratione functionum arbitrij omnium præter rationem uel exuperantium uel deficientiũ, phrenitica inter signa screatio annumeratur: quanquam non usqueadeo ualens sit, ut uigilia, & potissimum, quæ turbulenta existit: nempe propria hæc phreniticorum est. Turbulenta autem existit, ut dixi, cum pet uisiones uel exclamant, uel exiliunt, & uix familiares agnoscunt. Bene itaque in screatione adiecit, & si aliud quodpiam signum adfuerit. Nempe signum hoc, quod parum momenti habeat, alia, quæ subscribant patrocinenturque, expostulat. Quando igitur frequens screatio contigerit & ob glu- H

A tinoſum ſputum, quod in canalibus a naribus ad os pertingẽtibus infarctum ſit, ut ea deliraturis quibuſdam propter calidam & ſiccam cerebri affectionem pariter obringat, impoſſibile non eſt. Quod autem in orationis calce dictum eſt non ſingulariter phreniticum, ſed pluraliter phrenitica, uel ad ſigna uel ad morbos prorſus referetur. Modo uero utroque abſurdam facit enunciationem.

7 *Qui in hypochondrio refrigerata febre ardores relinquuntur, tum alias, tum in ſudoribus mali ſunt.*

Secure protulit, refrigerata febre: non enim uere dixiſſet, ſedata: nempe in præcipuis manet partibus, quanquam in ſuperficie placata fuerit. Febrire ſiquidem exiſtimamus non eum modo, qui in cute & ſuperficie exteriori igneam habet caliditatem, uerum etiam & hoc magis, qui eam in corporis imo & uiſceribus continent. Letalis igitur ardens febris interna quidem extorret, externa uero ne mediocriter quidem calefacit. Febrem ſimilem recenſuit Hippocrates in aphoriſmis cum inquit, Si in febre non intermittente frigida exteriora fuerint, & interna exurantur, ſitimque æger habuerit, letale. Ceterũ, cum orationem hanc, in ſudoribus, dicere conſueuerit interdum de his, qui ex capitis thoraciſque ſedibus oriuntur, ſudoribus: interdum quoque & de his, qui per totum corpus, ſed exigui effluunt, utrũ impræſentiarum dixerit, ſignum bonum non eſt. Nempe, qui per totũ corpus ita fiunt ſudores, ſed exi-
B gui, quód non flammeam illam, quæ hypochondrium fatigat, ſoluant caliditatem, ob id boni non ſunt: neque etiam boni ſunt, qui in ſuperioribus oriuntur partibus, cum geminam ob cauſam fiant, nempe uel ob languentem, uel præ copia grauatam facultatem.

8 *Prælanguentium deſipientiæ peſſimæ: ut & Thraſynonti contigit.*

Peſſimæ prædebilitatorum deſipientiæ ita ſunt, ut nullum ex ipſis ſanari ſperaueris: ſed de his intelligendum deſipientijs, quæ ex ſapientis in nobis partis laborantis affectione fiunt. Temporariæ ſiquidẽ aliæ ab externis eueniunt cauſis, ut ex carbonum caliditate, uel uini potione, uel domo calcis ſeruante qualitatem: noxiæ enim tales ſunt, ſi prælanguẽtibus accidant: ſed letales plane ſunt eorũ, qui ex phrenitica cerebri affectione deſipiunt. Nempe magnitudinem quandam in uirtutis debilitate oſtendir nomen προεξαδυνατούντων, id eſt prædebilitatorum, propter adiectam πρὸ præpoſitionem nomini huic ἐξαδυνατούντων, quod ei per ſe ſufficientem uirtutis læſionem oſtendit: atque in exemplaribus quibuſdam ita ſcriptum reperitur: Neque deſipientiæ ſolum uirtutem expoſtulant robuſtam, ut æger ſufficere morbi coctioni poſſit: uerum quoque & peripneumonia, & pleuritis, & angina, & graues aliæ affectiones id deſiderant. Præcedit autem & ex abundanti deſipientiam tum uigilia, quæ uirtutem non minus exoluit, quàm ſenſibiles euacuationes: tum qui in motionibus multis inordinatiſque committitur error. Quod
C autem dicitur, ut & Thraſynonti contigit, commentarium magis, quàm opus, id decet. Neque enim in prognoſtico, aphoriſmiſque, & libris de fracturis articuliſque, neque in libro de uictus ratione in morbis acutis, neque in libro de capitis uulneribus ullo pacto nominis meminiſſe uidetur, ſicuti neque in alijs præter quàm in libris epidemiorum. In quibus dũtaxat propoſitum eſt, ut quæ in uniuerſo docuit, perquirat per ea, quæ particulariter in unoquoque ægroto uidentur.

9 *Phrenitica uehementer trementia finiuntur.*

Aduerbium τρομωδῶς pro γενναίως uel σφοδρῶς uel ἰσχυρῶς, ideſt generoſe uel uehementer uel ualide dixit Hippo. In medio autem horum nominum, phrenitica trementia, ordinatum, poteſt (quantum ex ordine eſt) cum utroque enunciari: ſed, ſi ſecundum rei ueritatem ſermo perpendatur, non poteſt cum hoc nomine, trementia, ordinari, fieret ſiquidem talis intellectus: Phreniticæ affectiones in tremorem uehemẽtem finiri conſueuerunt: quod manifeſte falſum exiſtit, cum ſolas uehementiſſimas phrenitidas conſequantur hoc ſymptoma. Nempe neruorum infirmitates propter affectionis ſiccitatem phreniticis diutiſſime inſunt. Exoluta autem uirtute tum uigilijs tum motionibus multis, ſimul uero & neruis ſupra modum arefactis, tremores fiunt.

10 D *Qui in capitis doloribus æruginoſos uomitus habent, uigilantque cum ſurditate, cito hi uehementer inſaniunt.*

*γένεσιν. i. generationẽ, ut in antiquis cod.

Si *migrationem humorum cum aliorum tum atræ bilis in memoria tenueris, quod æruginoſi uomitus progreſſu ad nigrum humorem fiant, mente concipere difficile non eſt. Nempe atram bilem ex flaua ſupra modum aſſata & craſſo ſanguine fieri nouiſti. Flaua autem bilis, cum ſupra modum aſſatur, primum quidem in æruginoſum migrat ſuccum, deinde in nigrum: ſupra modum autem aſſatur propter febris magnitudinem. Cum igitur flaua bilis in phreniticis affectionibus cerebrum prehenderit, febriſque uehementia aſſatum hunc ſuccum melancholicum reddiderit, propter atræ bilis malignitatem uehementes fiunt inſaniç, quas μανιώδεις ideſt furioſas in libris epidemiorum appellauit Hippocrates. Aeruginoſus igitur humor, ſiue per uomitum, ſiue per uentrem inferiorem, ſiue per ſputa, ſiue per urinas apparuerit, & ſuccum, ex quo ortum habet, & morbum uehementer tum calidum tum ſiccum eſſe demonſtrabit. At, cum perſpicuum non ſit, quantum ex humore eſt, qui uacuatur, an is progenitus ſit non affecto præcipuo aliquo loco, an principe aliqua parte eryſipelatoſam habente affectionem, coniunctis id dignoſcitur diſtinguiturque ſymptomatis. Nam & ob iecur ita phlegmone affectum æruginoſus

generatur

generaſ ſuccus, cuius nũc meminit. †[Quæ igitur dictarũ tũ partiũ tum affectionũ ꝓpria ſunt, ea digno E tionẽ per ſymptomatũ aliorũ ſocietatẽ efficiunt.] Nã & uigilia, & capitis dolor, & ſurditas morbũ in capite eſſe demonſtrant. Grauiter autẽ affecto cerebro, uentris os excitari ad uomitũ nouimus: nempe de his dictum ſæpius. Ratione igitur optima homo hic ex ſicca & calida capitis intemperie, propter flauæ bilis ſupra modum aſſatæ redundantiam, uehementer inſaniet. Cito autem id fiet tum propter affectionis magnitudinem, tum propter ſpeciem redundantis humoris. Nam, quæ ex frigidis uel craſſis uel lentis uel omnino difficulter mobilibus affectiones oriuntur, tardius hæ ad uigorem aſcendunt. Verum, quæ ex tenuibus ſubſtantia, & temperatura calidis, & qualitate mordentibus procreantur, non multum hæ cunctantur: ſicuti neque quæ Philiſto, ſcripto in tertio epidemiorum facta ſunt, quem uomuiſſe quidem biliosa pauca, flaua primum, mox æruginoſa plura, deinde ſimul accidiſſe homini ſurditatem, atque demum uehementer inſaniuiſſe eum pronunciauit. Recte igitur nunc non ſolum, ꝙ inſanient ita affecti, uerum quoque & quòd uehementer inſanient, oſtendit, cum uerbum hoc, [illegible] adiecit, quod magnam deſipientiam indicat.

† Al. ex antiquis. Per communionẽ igitur aliorũ ſymptomatum, quę prædictarum cum particularũ tum affectionum propria ſunt, dignotio ipſorum facienda eſt. legitur. n. [illegible] non [illegible].

*In acutis morbis faucium ſine tumore dolores & puſilli & ſtrangulantes, atque, cum æger biauerit, non facile os tum cogere, tum aperire, mentis aberrationem portendunt: ex his phrenitici fiunt, & pernitioſe habentes.* 11 F

Quòd ex ſymptomatis huiuſmodi phrenitis interdum oriatur, quodque, ſi fit, prorſus pernicioſa ſit, recte eſt pronunciatum. Neque tamen, quòd ex dictis ſymptomatis neceſſario futura ſit phrenitis, intellexeris. Nihil enim eorum, quæ affectum cerebrum commonſtrant, concurſioni adiacet. Ex quo autem æger is male in faucibus abſque tumore præter naturam affectus, cum hiauerit, prompte tum maxillam reducere, tum os aperire nequeat, conijcere quis poſſit principium neruorum aliquando affectum eſſe. Nempe, ut in conſpicuis nobis partibus affectiones exordium aliquod ſumunt, & non confertim totæ uel inflammantur, uel œdema uel eryſipelata contrahunt, ſed in uno aliquo harũ loco: ita & his, quæ in imo corporis poſitæ ſunt, fieri eſt uériſimile. Cum igitur cerebrum ipſum magnitudinem inſignem habeat, multaſque neruorum propagines, phlegmonem ipſius alias ab alijs earum primum exordiri par eſt. Qua uero parte membrum affectum fuerit, ea & neruorum propagines affectæ muſculos, quibus inſeruntur, mouere non poſſunt. Cum igitur maxillam inferiorem muſculi quidem alij aperiant, alij uero claudant, cum in aperientium muſculorum neruis affectio fuerit, difficulter aperiunt: ubi uero in claudentium, non facile claudunt. At, cum fieri poſſit, ut ſoli ipſi muſculi interdum abſque neruorum principio ſint affecti, quòd phrenitis prædicta ſymptomata ſubſequatur, neceſſe non eſt. Neque enim, quod ipſum maxime adduxit, ut affectum eſſe muſculorum principium ſuſpi- G caretur, (id eſt autem fauces non tumere,) inter neceſſaria cenſetur. Fieri ſiquidem poteſt, ut faucium muſculi inflammatione laborantes ſtrangulationis efficiant ſymptoma, nequeant tamen uideri, etiam ſi plurimum quis os aperuerit. Si igitur abſque horum inflammatione prædicta fiant ſymptomata, inſpiciendum eſt, an ſolorum muſculorum maxillam inferiorem mouentium propria quædam ſit affectio: nam, ſi neque hi, neque qui in gutture exiſtunt, aliquatenus affecti fuerint, ratione optima offenſum eſſe neruorum principium quis pronunciauerit. Quòd ſi ob principium neruorum oborta ſint huiuſmodi ſymptomata, grauiſſimam eſſe talem affectionem rationabile eſt, ut & conuulſio ſubſecuta ſit. Nempe eas muſculorum, quæ ob principium fiunt tenſiones, conuulſionem ſequi didicimus. Non feci autem in eo, quem percurri, ſermone mentionem eorum, qui anginam ex colli uertebris in anteriorem partem luxatis perferunt, tum quòd raro contingat affectio, tum quòd gutturis muſculi tunc quoque ſimul inflammari mihi uideantur.

*In phreniticis, principio clementer habere, ſed crebro permutari, malum id eſt: malus quoq; & frequens ſcreatus.* 12

Nihil, quod phrenitidi peculiare ſit, ſermo hic habet: nempe & in ceteris affectionibus, ſi permutetur huiuſmodi clementia, uires uinci a morbo ſignificatur: quod circa morbi initia exiſtit, nec forſan H alias fore poteſt. Nempe in principio permutationes aſſiduas uidemus, non autem cum morbi protracti fuerint. Continguntque hæc ex ratione in his affectionibus, quæ ex copia uel qualitate fiunt malignorum humorum in aliam, aliàs partem, interdum quidem in principem, interdum uero in non principem tranſmigrantium. Quæ igitur in principes partes transfluxiones fiunt, morbi clementiam corrumpunt: quæ uero in non principes, quo maxime tempore Medicis ad infeſtantium uel copia uel qualitate humorum uacuationes procedendum ſit oſtendunt: quod ſane morborum omnium, ut dixi, commune exiſtit. Ceterum frequens ſcreatus & propter os uentris ex humiditate imbecillum, & propter cerebrum humiditatibus refertum oritur: ex quibus non nihil & in os confluit, lachrimæ tenui, quæ ex inflammatis oculis manat, ſimile. Nunc ergo, quòd phreniticis crebrum ſputum fieri ait, cerebri male affecti id eſt repleti ſignum exiſtit.

*Phreniticis alba deiectio mala eſt, ut Archecrati: an & in his torpor fiat? peſſimus autem & in his rigor.* 13

Quòd albæ deiectiones & ob ciborum colorem fiant, liquido conſtat. Videmus ſiquidem eos, qui lac ſolum ingeſſerunt, uel panem purum, uel alicam uel lupinos, uel tale quippiam, deiectionem habere albam, ſi his comparentur, qui lenticulam ederunt, uel braſſicas, uel decoctum leporinum ſangui-

nem,

A nem,uel ius nigrum eorum,quæ cum multa conficiuntur ſapa.At certe his, qui alba ingeſſerunt edulia
flauæ bilis quiddam adueniens deiectionem colorat,ita ut ingeſtis pallidior efficiatur. Cum igitur me
dicum quempiam audieris dicentem albas eſſe morbo regio deiectiones, quòd ad naturales eas com
paret,quodque ad collationẽ harum ſermo ipſi ſit,oportet,& quo modo plerique alij medici deiectio-
nes in morbo regio albas fieri dixerũt,ita & nunc in phreniticis dixit: quaſi eas prorſus flaua carere bi
le dixerit.Fit autem id,cum ea non amplius in uentrem confluat,ſed unà cũ ſanguine, qui in uniuerſum
corpus diſtribuitur,*ſurſum fertur:idque uel propter adſtrictionem quandam eius,qui bilem ad uen-
trem defert,canalis,ueluti in morbo regio laborantibus uſu euenit: uel propter uehementem ardorẽ,)
qui in ſuperioribus iecinoris partibus exiſtens ſanguinem unà cum bile ſurſum rapit.Priore igitur mo
do*emergente in totum corpus bile,cerebrum læditur,iam & antea bile ipſa affectum.Poſteriore mo-
do bilis diſtributio non ſolum cauſa noxia,uerum quoque & caliditatis multæ,quæ in ipſo eſſe demon
ſtratur,ſignum erit.Oratio autem hæc,ut Archecrati,operi quidem non admodum conuenit, ut retuli,
ſed commentarium magis decet,& potiſſimum quando ſcriptor ſeipſum admonere uoluerit. Inter ea,
quæ conſequenter dicta ſunt,oratio hæc.An & in his torpor fiat? uidetur mihi adſcripta eſſe, perinde
atque Archecrates ita affectus fuerit:ſed non congrue quidem,quoniam non perpetuo dici debere in
B his torporem demonſtrant tum experientia tum ratio.Nempe torpor ex frigidis craſſiſque & glutino
ſis & omnino moueri coutumacibus humoribus,& non ex calidis tenuibuſque & acribus, cuiuſmodi
eſt flaua bilis,fieri conſueuit,niſi æger morti ita propinquus fuerit, ut ob extinctionẽ uirtutis iam con-
quieſcat.Nempe torpor huiuſmodi non propter humorem, ſed propter uirtutis extinctionem factus
eſt:fieri autem nequit,ut,qui ita deſides facti ſint,ſeruentur. Eſtque id ſymptoma commune omnium
ob immoderatã intemperiem morientiũ:& non propriũ phreniticorum. Si igitur torpor Archecrati fa
ctus ſit,hac occaſione factus eſt.Atq; prorſus obijt, non, ꝙ alba deiecerit,torpore uel morte accita,ſed
propter morbi magnitudinem,cuius ſignum alba deiectio fuit.Rigorem uero ipſis contingere peſſimũ
non ſimpliciter eſt intelligendum.Nempe & interdum criticus rigor phreniticorum morbum ſudori-
bus ſoluere uidetur.Sed ſane rigorem pernicioſum dici eo tempore eſt exiſtimandum, quo alba excer
nunt. Nempe in libro de iudicationibus, crudo in morbo iudicationem bonam fieri non poſſe eſt
demonſtratum. Crudus autem eſt, in quo unà cum ſanguine bilis ſurſum fertur, quocunque tem
pore id fiat: magiſque tale quiddam contingit, cum igneæ caliditatis in cerebro collectæ immodo
ratio fuerit.

14 C *Mente ob melancholiam aberrantibus,tremores ſuperuenientes, maligni.*

Melancholicam mentis aberrationem intelligere oportet uehementem & ferinam, quæ irrigante
cerebrum aſſata flaua bile oritur.Nempe & ex hoc commentario permutari eã in nigram didicimus.
Cum igitur talem ob affectionem tremor fiat,uehementer exiccatos oſtẽdit neruos:atque ob id homi-
nem letaliter habere: quod ſane perperã enunciauit cum dixit, malignum. Nam, quod ſumme perni-
cioſum exiſtit ſymptoma,aliam exigebat appellationem. Qui ergo ex atra bile mentem aberrantem
ſuperueniente tremore certo moriturum affirmat,non fallitur.κακοήθεις autem morbos, id eſt malignos
appellamus,quicunque periculum minantes, ſpem ſalutis non adimunt. Melius igitur erat ſcriptam
concurſionem dici,uel pernicioſam,uel mortiferam,uel quiddam huiuſmodi.

*Mente aberrantes acute ſuperfebrientes cum ſudore phrenitici fiunt.*

15 In concinnam talem dicimus enunciationem:ſed obſcura huius intelligentia ideo fit,quòd nomina
inter ſe omnia tum coniungi tum ſeparari poſſunt.Componuntur ſiquidem uno tali hæc modo:Mente
aberrantes acute:deinde altero principio,ſuperfebrientes acute. Rurſus quoque & alia eſt orationis
huius cũ ſudore,cõpoſitio:quæ tum præcedenti,tum ſequenti coniungitur. Põt præterea, *& ita dictio
D legi,ſuperfebrientes cum ſudore:deinde altero principio,phrenitici fiunt.Poteſt autem,& qui hæc ſcri
pſit,quòd cum ſudore phrenitici hi fiunt,enunciare.Conſtat itaque,quod ſemper dico, nihil obſcuras
enunciationes docere:ſiquidem nos,qui intelligimus,dictioni,quæ rationem admittere poteſt, uerita-
tem accommodare oportet,aut temporis plurimum conterere,nihilque addiſcere. Quatenus enim ſin
gulis dictionibus ab auctore acceptis ueritas accommodanda nobis eſt,eatenus iuuamen quoddam a
nobis dictioni periclitanti,ne uideatur uitioſa,ceterum nihil ab ea docemur. Quanquam uero hæc ita
habeant,uideaturque conſpicua eſſe obſcurorum inutilitas, non pauci tamen libentius in obſcuris,
quàm manifeſtis,uerſantur operibus.Nemo igitur expoſitionis prolixitatem mihi obijciat,ſed irratio-
nabile accuſet eorum deſiderium,qui libros huiuſmodi ſtudioſe legunt. Nempe quòd inuitus ad horũ
explanationes ueniam,familiares mei omnes nouerunt:& potiſſimum qui me ad ea,quæ nunc ſcribun
tur,incitauerunt.Cum igitur librum hunc perperam omnes expoſuerint, aggreſſus ſum & ipſe expoſi-
tionem,ab ijs perſuaſus,qui me impulerunt,a qua rurſus incipientes dicimus:Siquidem ſimul coniun-
xerimus,& mente aberrantes,& aduerbium,acute:deinde ſilentio facto dicamus, ſuperfebrientes cũ
ſudore:& deinceps,phrenitici fiunt: talem faciemus expoſitionem. Sed primum quidem lectionum
omnium commune dubium conſideremus.Nam mente aberrãtes acute dixit per exordia, quos in cal
ce dictionis phreniticos fieri dixit:tanquam mente aberrantes non iam phrenitici exiſtãt. Diſtrahi er-

go dictionem dicimus per uerbum, superfebrientes: quæ ostendit prius eos, qui mente aberrarunt, E
acute febrientes: postea desinere: deinde rursum, ex reuersione febrire cum sudore: quos phreniticos fieri ait: quòd phrenitici quidem fient ex uehementi ea, quæ ipsis ante facta est desipientia, quam per orationem, mente aberrantes, indicauit, arbitratus. Ex eo uero, quòd cum sudore reuersio fit, confirmans suspicionem: quoniam tales febrium ingressus, siue ab initio, siue cum reuersione fiant, plenitudinem significare nobis constat. Quoniam igitur, quæ ex succis uel quantitate uel qualitate superflua in corpore colliguntur, fluere in affectos locos consueuerunt, affectum autem fuit cerebrũ (non enim mente moti fuissent acute, etiam si superfebrierint, & præsertim cum sudore,) ratione igitur optima phreniticos ita fore est sperandum. Nota siquidem tota horum affectio ita euadet, [ quæ talis est: ] Copia biliosorum acrium protinus ab initio ad cerebrum fluente, mente moueri cuipiam contingit: quæ si rursus aliam in partem transfluat, desinit mentis motio: si uero cum sudore hi superfebrierint, in affectum locum recurret biliosorum copia, ita ut phrenitici fiant. Si uero aduerbium acute, nomini superfebrientes, composuerimus, talis erit sermo: Mente aberrantes, deinde desinentes, & rursum superfebrientes acute cum sudore, phrenitici fiunt. Sed prædictio tum hæc, tum antedicta, quod perpetuo fit, non habet: sed quod magna ex parte fit, ueluti & aliæ multæ. Verum si orationi huic, cum sudore, orationem hanc, phrenitici fiunt, coniunxerimus, sermo secundum alteram E
earum, quæ in capite enarrationis dictæ sunt, lectionum talis erit: secundum priorem quidem: Mente aberrantes acute, deinde superfebrientes, phrenitici cum sudore fiunt: secundum uero alterã: Mente aberrantes, deinde acute superfebrientes, phrenitici cum sudore fiunt. Potest quidem, & qui hæc scripsit talem ægrum uidisse, sed, quod sæpius prædictum sit, non habebit. Multa uero & alia ex his, quæ in hoc libro scripta sunt, non magna ex parte fiunt, auctore quidem libri huius non nullo tales ægros contemplato & nondum, siue, quod continuum est, habuerint, siue quod magna ex parte, cognoscente. Nempe ex obseruatione magis, non ex peculiari affectionum conditione auctor has enunciationes uelle facere est uisus. Qui autem medicinalem speculationem ita congerit, aceruatque, is non centum, sed mille annis opus habet: atque ob id paruam eam plurimum adauxit Hippocrates, ijs, quæ & ex historia didicit, & ipse inspexit, logicam adijciens censuram. multis igitur argumẽtis librum hunc Hippocratis non esse, quis existimauerit: Mulra siquidem loquitur empirice ipsum commentus, cum præcepta ad uniuersale ratione perducere non possit. 16

*Phrenitici modo utentes potu, strepitum tentantes, tremorem incurrunt.*

Non hi ψόφου καταψώμενοι, id est strepitum tentantes, sed ὃν ὁ ψόφος καταψᾶται, id est quos strepitus tentat, dicere erat melius. Quod uero dicitur, uerum existit. Nempe ob strepitus tumultuantur, non secus quàm timidi, cum magnum aliquod tonitruum de repente audierint, uel feram aliquam propius conspexerint. Prorsus item βραχυπόται sunt phrenitici, [ id est bibendi desiderium his exiguum est, ] quanquam affectionem habeant calidam & siccam, ita ut & linguam præ multa siccitate asperam habeant: sed docuit nos Hippocrates mentem his ægrotare in eo aphorismo, qui ita habet: Quicunq; G
parte aliqua corporis dolent, atque ut plurimum dolores non sentiunt, his mens ægrotat. Præterea in tertio epidemiorum, ubi de pestifero agit statu, de phreniticis idem inquit: Non ualde autem hi sitibundi erant. Nõ aũt phrenitici omnes tremorem incurrunt, sed qui deterrime habent, ut diximus. Sunt qui non βραχυπόται, sed βραχυόπται, id est parum suspicantes scribant, intelligi uolentes ὑποτοπούμενοι, id est suspicantes breuissime: aiuntque rei huic fidem facere, quod dicitur ψόφου καταψώμενοι quod ταραττόμενοι, id est turbati pro breuissime ὑποτοπεῖσθαι, hoc est suspicentur.

*Ex uomitu graui fastidiosoque uox clangosa, oculique concretum puluisculosum habentes, uesaniam ostendunt: ut Hermozygi uxori, quæ uehementer furens & muta obijt.* 17

Si æstiuo tempore & uehementissimo æstu, & uia puluerulenta proficiscentes quosdam uideris resiccatis ita oculis, ut puluere pleni uideantur, eosque animo fueris complexus, quid præsens dictio indicare uelit, intelliges: nempe id eorum, quæ in ea dicuntur, maxime proprium existit, commune H
nimirum & tabescentium, & uehementer insanientium: neque ei cognitu difficile, qui ex tabescentibus unum aliquando etiam conspexerit. Nempe tabescentibus colliquatum est id omne, quod tum in facie tum in temporibus carnosum existit, factis unà & cauis admodũ oculis. Phrenitici uero absq; his oculum habent ἐπίχνουν, ( quasi dicas puluerulentum. ) Præterea phreniticis, aspectus audax feroxque: marcescentibus, timidus existit. Vomitus autem fastidiosus, commune quidem symptoma talibus est phreniticis cum malignis quibusdam febribus: ueluti & uox clangosa. Fit autem huiusmodi uomitus ex humore tum bilioso, tum mordenti. Vox uero clangosa propter siccitatem uoci asseruientium instrumentorum, ut in commentarijs de uoce ostendimus. Cum igitur phreniticis hæc obtigerint, μανικῶς desipiunt: quod idem cum σφοδρῶς, id est uehementer, uult significare: fitque tum propter humoris malignitatem, tum propter immoderatam siccitatem: quo fit, ut & muti euadant. Auic. l. 3. f. 1. t. 3. c. 2. p. 362. E.

*Si in ardente febre aurium sonitus cum caligine fuerit, proueneritque in naribus grauitas, mente ex melancholia aberrant.* 18

Febris ardens tum ob alias causas, tum propter cerebri inflammationem æque fit. Nempe & huic succedit ex proprijs phrenitidos signis continua desipientia. Ex ea uero, quæ in capite redundat, humiditate spiritus flatuosus procreat: quapropter & auriũ tinnitus fiũt: Pari modo caligo cũ crassus quidã humor

A humor uel spiritus oculos inuadit. Naribus præterea ingruens humoris copia sensum grauitatis in ipsis facit. Probabile est autem & non nunquam dictorum symptomatum concursionem propter assiduã fieri febrem ex biliosa materia, quæ per uenas fertur, inibique est condita: a qua flatuosi spiritus ad caput mittũtur, ad aures, ad oculos, atque ad nares humoris copia. Quòd si flaua bilis quodammodo adusta siue in capite, siue in toto corpore fuerit, ad id, quod melãcholicum magis est, uergit, atque hinc in cerebrum ipsum emittitur: ob idque mente ex melancholia alienantur.

19 *Vacillationes mentis cum uoce clangosa, linguæque conuulsiones cum tremore, & uoces ipsæ obtremiscentes, mentis in dicant alienationem, duritiesque his perniciosa.*

Quamq̃ ex phrenitide, quæ calida & sicca est affectio, desipiẽtia proficiscatur, atque ex ipsius siccitate, quæ asperæ arteriæ communicata est, uox clangosa fiat, ueluti & ex humiditatibus imbibitis rauca: non tamen propria phrenitidis existunt. Nempe & alijs in morbis reperiuntur, & non perpetuo simul phrenitidi insunt. Tremor linguæ accidit debilitata propter siccam prædictæ affectionis intemperiem animali facultate. Conuulsiones uero siccitatem musculorum ipsius unà cum capite affectorum consequuntur: sicuti & uox obtremiscit propter infirmitatem, quæ ab horum contracta est intemperie. Prædicta autem hæc omnia symptomata, quæ ob siccitatis capitis intensionem fiunt, mentis motionem subesse indicant. Vniuersis autem his induratis perniciosum est, propter immoderatam eam, quæ in cerebro facta est, siccitatem.

B

20 *Linguæ obtremiscentes signum non constantis mentis.*

Dixi sæpius linguas ob facultatis animalis imbecillitatem contremiscere, estque signum non constantis mentis, quòd ex phrenitide fiat. Patiente siquidem cerebro, calidaque existẽte affectione, quiescere non potest. Nempe, ut frigidi est tum stabilia, tum retarda, tum immobilia ea efficere, in quibus moram facit: sic calidum semper mouet, & non finit quiescere. Ostensurus igitur Hippocrates, quali sinã capitis affectio sit, non constantem mentem nominauit. Non est autẽ hic tremor linguæ peculiare phrenitidis signum, sed per consensum compatientium alteri cuidam primum patienti, uel propter uicinitatem, uel propter societatem, quæ in ea sunt, partium.

21 *In biliosis sincerisque deiectionibus spumosus ueluti sursum erumpens flos, malus, tum alias, tum ei, qui lumbis ante doluerit, atque eiusmodi deiectiones intestina permearint.*

C Quod spuma tum propter frigiditatem tum propter caliditatem fiat, indicium faciunt tum uenti, in aquis ipsis spumam concitantes, tum efferuescens ea, quæ in lebete est, caliditas. In biliosis igitur deiectionibus spumosum ἐπάνθισμα, idest ueluti flos superne incumbens, bilis huiusmodi feruorem non modicum ostendit. Sed lumbis ante dolent, propterea quòd bilis per intestina penetrans, acris fit & mordax: talibus siquidem excrementis per intestina deductis translatisque, non lumbos modo, uerũ quoque & reliquas partes dolores subsequuntur.

22 *Rari in his laterum dolores delirium ostendunt.*

Comminute hoc pacto indistincteque prolata de laterum doloribus oratio obscuritatẽ non uulgarem efficit. Nos uero, qui obscure ab eo dicta, perspicue docere omni ope affectamus, explanationem attingemus. Dolor rarus in lateribus progignitur, cum spiritus quidam flatuosus in ipsis procreatur. Nempe is tum extenuatus tum discussus dolorem sedat: deinceps rursus procreatus alter dolorẽ ipsum inaugebit: quo modo, si rarus fiat dolor, desipientiã non indicat. Cum uero latus inflammatũ fuerit, & interdum quidem continue dolorem sentit æger, interdum uero & per interuallum: mentem ægrotare indicat. Hoc itaque non planẽ est signum desipientiæ.

23 D *Vocis priuationes cum singultu pessimæ.*

Vocis priuationes fiũt & propter uoci asseruientium instrumentorum læsionem, & pp principij neruorum affectum. Singultus autem est ueluti conuulsiua quædam oris uentriculi affectio, quòd ex humorum copia grauatur, uel mordetur, uel propter frigiditatem contristatur. Quam ergo uocalium instrumentorũ læsionem subsecutus est singultus: Relinquitur itaque aut copiã humiditatis, quæ uocis priuationem procreauit, in os uentris defluxisse, aut quòd acris sit, aut frigida.

24 *Quæ cum exolutione fiunt uocis priuationes pessimæ: spiritusque in uocis priuatione ueluti his, qui strangulantur, promptus, malus, an & tale delirium portendat?*

Strangulantur iure optimo, quoniam aeris copia non sit: estque ipsi consuetudo, ut talem spiritum φανερὸν, idest apparentem dicat. Videntur autem omnes, qui talem inspirant inspirationem, scapulas mouere totas, ita ut per uestimenta motio conspicue appareat: tanquam ualide ipsi superioribus thoracis partibus operẽtur. Non igitur absque ratione hoc in loco talem spiritum promptum appellauit, quem in secundo epidemiorum dixit sublimem ac promptum quidem, quoniam prompte faciliterque his, qui ægrũ cernunt, uidetur: quoniam & nos ipsi consueuimus absconditis latentibusque, non apparentibus

parentibus quod in promptu est, opponere. uocauit autem sublimem, quoniam, qui ita respirat, subli E mes thoracis partes mouere uidetur. Potest sane respirario huiusmodi & propter respirationi delegatorum instrumentorũ fieri angustiã, & ob affectũ neruorũ principium: quod si læsum fuerit, magnã efficere respirationem recte Hippocratem existimare ostendimus. Cum ergo possit quispiam uoce destitui, ipsis uocalibus instrumentis læsis, etiam ob affectum neruorum principium, pariterque spiritus esse promptus: incertum erat, quantum ad hæc, an futurum esset, ut desiperent: atque ob eam rem ambigue protulit, An & tale delirium portendat? Quòd uero malum signum sit, non dubitanter, sed certo pronunciauit. Si enim non perpesso neruorum principio, sed oblæsis tum respirationi tum uoci deputatis organis talis respiratio cum uocis priuatione facta sit: periculum non qualecunque adfert, cum, qui ita affecti sint, celeriter strangulentur.

† [*Tantulum feroces desipientiæ ferinæ sunt, & solum, si tantulo fiant tempore.*

†[Forsan quis orationem uitio uerterit, desipiẽtias, quę ualde feroces sunt, ferinas magis esse, quàm quæ tantulum feroces sunt inquiens:] sed neque ut has cognoscamus, opus habemus. Eas uero quę 25 † [non ualde] feroces, deinde desinunt, suspectas haberi admonet, ipsisque, tanquam non redituris, haud fidendum esse. Nam, quæ in calidis febribus fiunt desipientiæ, ferocitatem non habent. Phreniticis uero appellatis id inest. Talis igitur potentia sermo erit: Cum uideris quempiam cum feroci F tate desipientem, etsi paulo post sedetur, cognosce mentẽ eius non febris ratione læsam esse, sed phreniticam subali affectionem, quæ post adaucta, ferina tibi uidebitur. Ferinas autem desipientias appellat, in quibus ægri calcitrant, pedibus feriunt, mordicus impetunt, & excandescunt, eos qui ingrediuntur, tanquam hostes, existimantes.

> † Al. ex antiquis ita uerti dum Hippoc. uerba. Desipientiæ, quæ pauco tẽpore feroces sunt, ferinæ. sunt.
> † Gal. explanatio.
> Non solũ, si pauco tẽpore fiunt feroces desipientię, ferinæ sunt, forsan dixerit quispiam, orationem uitio uertẽs, existimãs eas desipientias, quæ multo tẽpore feroces sunt, magis esse ferinas, quàm illas, quæ pauco sunt.
> † pauco tempore sunt. Nõ est in Græcis cod. nec esse debet.

*Quæ cum refrigeratione, non sine febre, superioribus sudanti partibus fiunt* [*morbi*,] *implaciditates inquietationesque, phreniticæ existunt, ut Aristagorę: præterea & perniciosę.* 26

Non nulla quidem, ut & antea dixi, incipientium morborum indicia certa sunt: alia autẽ magna quidem ex parte sint, sed certis prope accedentia: alia uero, etsi non prope quidem accedant, non tamen iam longe recedunt: alia præterea ambigua: & alia his iam inferiora. De quibus cum scribit, interdum sese addubitantem confitetur: interdum quoque & nominatim mentionem ægrorum facit, in quibus tale fieri conspexit: sicut & nunc omnia, quæ percurrit symptomata, aliarum quoque sunt febrium. Phrenitim quoque & ex ipsis fieri est possibile, & potissimum propter partium superiorum sudores. Quòd autem tales affectiones, siue phrenitim inferant siue non, perniciosæ sint, his constat, qui non incuriose hucusque dicta intellexerunt, atque eorum meminere, quæ in præsagijs recensent.

*Frequentes in phreniticis permutationes conuulsionem indicant.* 27 G

Supra quidem clementiam in his, qui circa morbi initia permutantur, non bonũ signum esse dixit: nunc uero, de quorum agat permutationibus, explanare proposuit. Possunt siquidẽ & symptomata uiribus contraria inuicẽ transmigrare, ut in sequentibus ipse dixit, Summæ corporis partes si celeriter in utrãq; conditionem transeant, malum. sitisq; huiusmodi, mala: Nempe in utrãq; conditionẽ intelligere oportet, in summis quidẽ corporis partibus, ut uehementer calefiant, deinde rursum refrigescant ualide: In siti uero, ut uehemẽs sit, & post paulo prorsus restinguatur: quod cũ clementer & cito transmutari, idem non est. Nempe in illo ex bono ad prauũ est transitus: & rursus ex illo ad naturalẽ habitum fit regressus: In nunc uero proposita dictione ex prauis symptomatis ad praua ostenditur permuratio. Migrationes autẽ huiusmodi ex migrantibus fiũt humoribus. Nẽpe firmatos stabilitosq; una in parte species una symptomatis tum naturæ partis, tũ humoris uirtuti peculiaris cõsequitur. Atqui, ꝙ phrenitis in ipsis perduret, ex eo firmatũ in capite eum, qui affectionẽ parit, humorẽ quis fuerit suspicatus. Vere igitur in cerebro ipso transfluxio est, aliàs in alia quapiã ipsius parte orta, speciem quidẽ affectionis seruans, sed pro parte affecta symptomata ipsa permutãs. Et sane libri huius auctor nunc de huiusmodi permutationibus agit, ut. s. uel floccos euellentes, uel festucas colligentes in quiete multa, post paulo exiliant, uel etiã quippiam uiolentius agant, deinde rursus conquiescãt, aut externũ quippiã, quod præ H sens non sit, incusent: quõ & expelli iubent tubicinas, tybicinasq;, q̃q̃ ex his adsit nemo. Vt. n. floccos euellere, & festucas colligere sensus uidẽdi est offendiculũ, ita hoc audiẽdi. Fit quoq; & in olfactu symptoma non dissimile, cum. s. graueolentes quosdã odores, qui non adsunt, inculpãt. Sunt, qui incũbens quippiã sustolli iubẽt: tanq̃ graue admodum, uel calfaciẽs, uel mordens, uel refrigerãs portent, sensu tactus in huiusmodi symptomatis oblæso. Quòd igitur libri huius auctor migrationes symptomatũ permanente phrenitide culpet, consentaneũ est. Vidimus siquidẽ sæpenumero tales dementias perpetuo quidẽ delirante adhuc ægro, sed modis secundum oĩa functionũ aĩalium genera uariante. Quo aũt modo in sensitiuis percurrit, ita in rõne, mente, memoria, & cogitatione permutationes phreniticis fieri uidemus, ita ut nũc excandescant, nũc lætentur desipientes ipsi, uel studiosa quadã detineantur cogitatione. Nempe & rethorẽ, cum desiperet, meditantẽ andiui, grãmaticumq; librum legere putantẽ Bacchylidis uel Sapphus: Alium arithmeticũ uel geometrã theoremata artis narrantẽ. Si igit̃ hæc honeste casteq; proferentes, post paulo turpia obscœnaq; cõmemorent, quod in epidemijs turpia loqui uocauit, permutatio hæc non ex uitiosis ad clemẽtia, sed ex prauis ad praua est. Quo pacto audacissimi interdũ tẽpore aliquo uisi desipiẽtes, post paulo timidi & perterriti uident̃. Talia siquidẽ circa ipsos uident̃ symptomata, ita ut interdũ ne horrendissima quidẽ timeãt, interdũ uero & minimis perterrefiãt. Taliũ permutationum

A mutationum exemplũ ſcripſiſſe mihi uidetur & in ſequenti dictione, cum inquit, Mictus in non admo-
nitis pernicioſi. Imaginare itaq; mihi ægrum aliquẽ dictas permutationes oẽs habuiſſe & circa urinas,
& circa alia, quibus memoria in nõ nullis offenditur. Imaginator item & in ſenſilibus repræſentationi
bus uiciſſim offenſas fieri, pari modo & in ĩtellectualibus. In tali cauſa quidẽ in cerebro exiſtit: ſed aliàs
alium ipſius locum infeſtat, quod trãsfluit. Demonſtrauimus aũt transfluxiones huiuſmodi fieri, una-
quaq; partiũ ſuſcipientiũ in alterã a ſeſe, quod ſuperuacuũ eſt, expellente. Si igiẽ aliàs ex alia cerebri par
te in aliã defluẽs, qui cõtriſtat humor, ab oĩbus reijciaẽ, ut enatis ab ipſo neruis aliqñ obrepẽs cõuulſio
nem inferat, eſt uериſimile. Nempe affectionem hanc a repletione & inanitione fieri dixit Hippoc.

28 *Vrina excretio in non admonitis pernicioſa. Excernatur ne & his, tanquam ſubſidentiam returbaueris?*

De phreniticis, quod dicitur, intellige. Comparat ſiquidẽ auctor meientes ex præſentium admoni
tione, cum his, qui abſq; illa meiunt. Quidã .n. neq; matellam petunt, ſed citra ordinem rõnemq; urinã
in lectum effundunt. Quòd igitur longe hi deterius habeant, q̃ qui nullo pacto niſi admoniti, urinã ex-
cernunt, liquere arbitror: in his .n. ſeruatur naturaliũ intellectus functionum unà cum urinã in lectũ ex-
cernere auerſentur: in illis autẽ perijt & ea. Quod autẽ in calce orationis adiacet, ubi inquit, Excerna-
B turne & his tanquã ſubſidentiam returbaueris? ob id adieciſſe arbitror, ꝙ talẽ urinæ ſpeciẽ in uno uel
duobus ita meientiũ conſpexerit. Cum igitur ex rei natura fieri non poſſit, ut indicatiue uniuerſaliter
hoc pronuncietur, neq; præter hoc probabile quippiã experimẽto ipſo habuerit, ꝓpterea ꝙ res ipſa ra
ro uiſa ſit, iure coniunctionẽ dubitandi ἆρα .i. ne adiecit. Audebimus itaq; nos uniuerſaliter pronũciare,
ut antea in alijs fecimus, ꝙ copiæ crudorũ humorum, uel eorũ, qui coquunẽ, uel in flatum uerſorum ta-
lis urinæ ſpecies ſymptoma ſit, & non phrenitidis: immo & hoc phreniticis aliquando fieri poteſt & nõ
fieri, ueluti & ſymptoma aliud quoddam eorũ, quæ phrenitidi neq; propria neq; contraria exiſtunt.

29 *Palpitantes per totum an uoce deſtituti moriantur?*

Conſtat ꝙ & hic palpitantem aliquẽ uiderit, uel toto corpore uel quauis parte: nõ etenim liquet, u-
trum dicat oratio hæc, per totum: deinde ægrũ proxime mortẽ uoce priuatũ uidens, neq; empirice ne-
que logice, ꝙ uocis priuatio palpitationẽ de neceſſitate ſequatur, reperire ualẽs, ob id quærens & ad-
dubitans ſermoni coniuctionẽ, an, adiecit. Nos ſane rurſum & impræſentia pronũciabimus palpitatio
nem, quatenus demonſtratum eſt, flatuoſum ob ſpiritũ fieri, cõgeſto .ſ. ob frigiditatẽ flatuoſo ſpiritu. Cũ
igitur corpus totũ palpitauerit, fieri poteſt, ut, qui ita affectus ſit, propter frigiditatẽ uoce deſtitutus pe
C reat, non amplius muſculis, qui guttur mouẽt, aut ijs, qui in eos proruũt, neruis ſuo fungi munere que-
untibus. Quare, ut hi per totũ corpus palpitationis motũ habeãt, intelligere eſt melius: neq; .n. ut cuiuis
parti, uoci aſſeruientes partes cõpatiantur, experientia demõſtrauit, neq; eſt conſentaneum.

30 *Si in phreniticis frequens cum refrigeratione ſit ſcreatus, nigra reuomuntur.*

Quoniam nihil aliud ſuſpicari liceat per uocem πτυαλίζειν ſignificari, quàm ſæpius πτύειν, id eſt ſpue
re, uel os ipſum aſſidue ſputo plenum eſſe, ob id tum ego, tum ceteri omnes, qui librum expoſuerunt,
ita intelleximus. Adde, quòd & os ipſum uomituris ſputo tenui plenum eſſe uideatur, propter tunicæ
continuitatem, quæ ori toti interno continua eſt, faucibusque & ſtomacho & uentriculo: hinc fit, ut
labrum inferius interdum cõcutiatur, uentris ore ad uomitum excitato. Nempe labij concuſſio tu-
nicam eam, quæ ab ore in uentrem extenditur, tum morderi, tum uellicari, tum concuti oſtendit: In his
igitur, qui ſuam affectionem recenſere poſſunt, ſtomachi morſus, futuri uomitus ſignum exiguum non
“ eſt. Dolent prærerea & hi capite, & atra quædam ante oculos obuerſantur: quo fit, ut in præſagijs di-
“ ctum ſit, Si quis per febrem letalem ait ſe capite dolere, & atrum quippiam ante oculos cernere, ſtoma
“ chi quoque morſus huic aduenerit, bilioſus aderit uomitus. In phreniticis uero, qui affectionem ſer
D mone aperire nequeunt, ſolis his, quæ cernimus, prænotionem adſtruimus. Cernimus autem in phre-
niticis tenue ſubſtantia ſputum: quod, ut uomitum indicet, eſt maxime idoneum. Non enim alias phre
nitidi, quæ ſiccus morbus eſt, in qua & ſæpius lingua ſicciſſima eſt, ſuperfluere in ore ipſo uideretur te
nuis humiditas. Perfrictio autem huic adueniens uomendi humoris qualitatem oſtendit. Quòd ergo
ob frequens ſputum uomitus fiet, quodque ob frigiditatem nigra reuomentur, licet prænoſcere.

31 *Surditas, urinaque abſque reſidentia prærubra, & ſublime petentes, mentis aberrationem portendunt: quibus mor-
bus regius malo eſt, mala quoque & ex morbo regio fatuitas, hos uoce quidem priuari, ſed ſentientes contingit: uen-
terque, arbitror, his copioſe fluit: ut Hermippo factum eſt, unde obijt.*

Dixi antea, quòd, in quibus morbis neque multos obſeruauit ægros, neq; certam naturæ rei demon
ſtrationem habet, in his conſueuit homines nominatim perſtringere, in quibus ſymptomata conſpexit
aut, de his ubilibet enarrationem fecit, peruеſtigare adhuc, & addubitare ſeſe fatetur, quatenus ueri-
tatem habeat. Videtur igitur, & nunc quæ in præſenti recenſentur dictione, ſymptomara in quodam
conſpexiſſe Hermippo, qui & mente aberrarat, & morbo regio fuerat correptus cum ſurditate, & uri-
nis prærubris non ſubſidentibus. Surditas autem unum eſt ex ſignis, quæ cerebrum affectum indicant.
Prȩrubrȩ uero urinæ a ſubrubẽtibus, quas in præſagijs diuturnitatis nõ periculi ſigna eſſe pronũciauit,

discrepant. Quas uero alias intelligat quis prærubras, quàm quæ a cūctis uocantur cruentæ, quales E in nephriticis multis excernūtur? quas si indicare uoluerit, proportionabile quippiā significat ei, quod antea est dictum, Ventris ualde rubens proluuies. Quo igitur modo uentris ualde rubram proluuiē affecto iecinore fieri diximus, ita prærubram urinam ex renibus suo perperam fungentibus munere effici affirmamus. In urina uero subsidentiæ priuatio, simulque crassiora quædam tota urinarum substantia sublime petere uisa, perturbationem in uenis unà cum caliditate præter naturam esse demonstrant, non pauco aceruato flatuoso spiritu. Vt igitur in dictis symptomatum concursibus delirare ægrum contingens est: sic & non necessarium. Nempe signorum permistio non omnium eiusdem generis existit. Surditas etenim, caput affectum indicat: prærubræ urinæ, renes: priuatio subsidentiæ, & quæ sublime petent, primum quidem & per se, crudorum humorum in uenis perturbationem significant: per accidens uero, & ad desipientiæ generationem conferunt. Quod autem postea scriptum est, morbum regium his malo esse, uerum quidem est: sed, quòd signorum diuersi generis concursiones facere in talibus disciplinis non oporteat, supra est demonstratum. Præterea, quòd ex morbo regio mala sit fatuitas, dictum est antea, cum, ubi in phreniticis dixisset, Deiectio alba malum. subintulit, An & ex his torpor fiat? Nempe sermonem in alias transfert uoces, pro alba quidem deiectione, quæ ictericorum peculiare symptoma est, affectionem ipsam commemorans: pro torpore, fatuitatem. Hos F igitur, inquit, uoce quidem priuari, sed sentientes contingit. Qui autem in acutis morbis sine uoce, fiunt, quidam horum non sentiunt, propter principij affectionem utrisque ipsos sequentibus symptomatis: alij duntaxat uoce priuantur: atque horum quidam læsis quoque & alijs omnibus, quæ ex arbitrio sunt, functionibus: alij sola uoce oblæsa. Si igitur tum uocis tū functionū aliarum oblæsio fiat, principij neruorum affectio est: si uero solius uocis, solorū uoci asseruientium organorum. Sed in prædicta concursione, cum iam prope mortem uentum sit, uocis priuationis consequitur symptoma. Quod item in orationis calce dicitur, Venterque his copiose fluit, ut Hermippo factum est, unde obijt: ita auctorem dixisse probabile est, quoniam neque sæpius symptoma hoc præsentem concursionem sequi uiderit, neque ratione Inueniri potuerit.

*Surditas in acutis, & turbulentis succedens mala.* 32

Fit surditas & ob humorem quendam in auditorijs meatibus impactum infarctumque, nihil, quod malignum sit, habens. Fit quoque & interdum extincta audiendi facultate: quam in acutis turbulentisque morbis contingere cernimus: quam nunc pronunciauit malum esse symptoma, neque adiecit coniunctionem, an, neque nomen ipsum ægroti, quoniam certo de talibus symptomatis G pronunciare licet.

*Tremula, obscura, & contrectabiles desipientiæ, ualde phrenitica: ut Hidymarcho in Co obuenit.* 33

Fit & talis quædam desipientiæ species non raro, ut æger quietus iaceat, neque solum non tumultuose exclamet, exiliatque, ut antea, sed neque prorsus loquatur, neque figuram decubitus permutet: sæplusque, qui ita affecti sunt, familiaribus præbent opinionem, quòd mox sint, si quod fiat silentiū, dormituri. Clausis itaque fenestris conquiescunt custodes, tempusque in his interdum longum conterunt: dormire ægrum, quòd neque loquatur, neque moueatur, arbitrati, ægro ipso non dormiente, & manus quiete mouente, non secus, quàm qui per leuem contrectationē aliquid uel tangere uel inuenire uolunt. Deinde his ita se habentibus quidam clausis palpebris hæc agunt: &, si quis accedens cum eis colloquatur, quidam neque prorsus oculos aperiunt: alij, postea quam aperuerunt, aut paulo post clauserunt, aut immotos obseruant. Alij neq;, si quis eos inclamauerit, uel stimulauerit, palpebras aperiūt. De phreniticis huiusmodi Hippoc. in tertio epidemiorum, ita scripsit: Nullus uero phreniticorū uehementer insaniuit, ueluti alijs usu uenit: sed alia quadam torpente ad somnum inclinatione capite graua ti peribant. Ceterū hos ipsos in præsenti dictione phreniticos, obscuros nominauit: perinde atq; multis cognitu difficiles dixisset, neq; idiotis solum, uerum quoque & Medicis. Nempe solos illos opinan H tur esse phreniticos, qui exclament, uel exiliant, Hippoc. mente oblæsos ita appellante, tametsi in quadam in somnum propensione perpetuo fuerint. Desipientia igitur unà cum comate statim ab initio † simul inuadit. Nempe in libro de comate apud Hippocratem, ad idem utrasque appellationes tum cataphoræ, tum comatis referre ipsum demonstrauimus. Atqui tales phrenitides quietem obscuram non habent, sed obscura, ut dictum nunc est, phrenitidis species ex procedente tempore efficitur: omnesque, quos ita affectos uiderim, languidum, durumque & angustum, & exiguū habuerunt pulsum: ita ut quies fieri ipsis, fatigata uirtute conijciatur, qui scilicet ualidissime moueri nequeant. Quidam horum, ut manus quiete pacateque mouent, sic & breuissime loquuntur: id quod multos latet, solisq; illis patescit, qui propiores facti sese in eos inclinauerunt: sunt autem, qui aurem prope faciē ipsorum deponere tentant, ut manifeste audiant. Præterea manuum motio his exigua & tremula existens multos etiam latet, solis his, qui diligenter inspiciunt, conspicua: hoc igitur arguit uirtutem horum languere, atque hecticam quandam esse affectionem phrenitidis, ueluti febrium earum, quas ob id hecticas appellamus. Sed de his dictum est in commentarijs de differentijs febrium, atq; in libris de morbis curandis, præterea & in libro de marasmo, solidas animalis partes prehendisse tales febres, nō ex putri humore fieri indicantes. Phrenitide igitur ipsa ex bilioso succo generationem habente, cum is in

† Additur in antiquis ἐνίοτε .i. aliquādo.

A in cerebrum decubuerit, principio quidem qualitate ipsius nondum toti cerebri corpori permista tumultuosæ fiunt desipientiæ: procedente uero tempore simile quippiam cõtrahitur lanis, quæ ab ijs, qui infectores uocantur, tincturam accipiunt. Nempe & hæ uix eluibiles redduntur, non secus, quã quæ proprium ab initio colorem habent. Talis igitur cerebri ueluti tinctura desipientiam hecticam habet: atque ob id affectio horum, ut febrium hecticarum, praua est: quas quidem, cum incipiunt cõstitui, uix solui: exquisite uero constitutas absolutasque solui non amplius posse demõstrauimus. Recte igitur pronunciatum est tales desipientias ualde phreniticas esse. Dictionem hanc, ueluti & alias quasdam medicorum, prætercurrentes expositores, in sophisticis quæstionibus cunctantur. Voco autem, ut scitis, sophistica, quæ nihil ad melius sanandum conferunt. Talia autẽ non pauca & in expositionibus reperiuntur: quorum non nulla ab eo, quod sanationi commodat, recesserunt magis, alia uero minus: quomodo profecto & causam peruestigare, ob quam in calce præsentis dictionis adiecit, ut Didymarcho in Co obuenit. Nempe in eo, qui præcedit, sermone, quòd auctor nominatim ægros in illis adscribat dictionibus, in quibus non audet rei, de qua agit, unum quippiam, quod commune sit, uniuersaliter pronunciare, est demonstratum. Nunc autem uerum dicere uidetur de omnibus ita habentibus uniuersaliter pronuncians, nõ tanquam dubius, sed tanquam ualde persuasus. Adiecit autem sermoni, ualde phreniticæ,
B quanquam simpliciter phreniticæ dicere potuisset. Videtur autem mihi & sermoni adscripsisse ægroti nomen, quòd multos non idiotarũ modo uerum etiam & medicorum, in talibus falli cõtingat. Immo & de quodam aliquando quis quæstionem mouit ita desipiente, neque hunc perniciose habere, neque prorsus phreniticum esse existimãs. Et forsan huic, qui prædictionem hanc scripsit, talis quæpiam dubitatio cum aliquo facta est: ideoque nominatim ægrum memorauit.

34 *Ex rigore torpores non ualde apud sese existunt.*

Haud scio, cur libri huius auctor orationibus in multis aliena utatur dictione: qui interdum ab affectibus ad affectos homines pertranseat, interdũ uero & ab affectis ipsis ad affectus. Præfatus igitur & nunc, Ex rigore torpores subintulit, Non ualde apud se existũt. cum dicere potuisset, Ex rigore torpentes non sibi admodum constant. Quod ergo inquit, tale est: Cum rigorem consequetur torpor, hi non admodũ incolumi mente existunt. Nempe corpus uehementer refrigeratũ ex eo, quod contingit, ostenditur. Constat autem, quod totius corporis intemperaturas † consequitur mentis læsio, affecto non secus, quàm totum corpus, cerebro.

† Additur in antiquis μεγάλας i. magnas.

*Circa umbilicum dolores palpitantes, quod mentis permutationem ostendat, quippiam habent: circa indicationem uero*
35 C *his spiritus satis cum uehementi cupiditate penetrat. Sura quoque dolores in his, mentis aberrationem indicant.*

Quidam non solum satis quod simul totum, significat, scribunt: uerum quoque & multum, uerbo satis adijciunt: alij γόνῳ per γ scribunt, & non per τ, τόνῳ adijciuntque γόνῳ εἴκελον, id est simile, totam dictionem talem facientes, genituræ similis penetrat: alij pro πνεῦμα, idest spiritus, φλέγμα, id est pituita scribũt. Palpitationem ergo flatuoso a spiritu proficisci demonstrauimus. Ideo circa septum transuersum collectus lædit non nihil & mentem, propterea quòd neruosis partibus principium compati assueuit. Cum uero aliam quandam earum, quæ inibi sunt, partium occupauerit, mens quidem incolumis manet, sed indicatoriæ his pituita multa μετὰ τόνου, id est cum uehementi cupiditate, qualis in tenesinis fieri solet, deorsum agitur. Tales tensiones euenire consueuerunt ex crassis lentisque humoribus uix ad internas intestinorum sedes commeantibus. In exemplaribus quibusdam non est scriptum, per τ, τόνῳ διέρχεται τὸ κενούμενον, sed per γ, γόνῳ εἴκελον, id est genituræ simile. Si uero uel substantia, uel colore, uel utroque uelit genituræ simile esse, quod uacuatur, non constat nobis. Qui autem a Praxagora uitreus appellatur humor, quòd uitro fuso similis sit, eiusmodi est, ut maximos uehementesque inferat dolores, cum per intestinorum meat tunicas. Est autem temperatura omnium, qui in corpore generantur, humorum frigidissimus. Quòd autem & ex crassioribus humoribus spiritus flatuosus oriatur, id antea audiuisti, cum
D de palpitatione ageremus. Non tamen qui suram infestant dolores, desipientiam in ipsis indicant. Vnde fit, ut qui dictioni opem præstant, subaudiri uelint, καταπαυόμενοι, idest absque ratione de repente occultari: citantque scriptum in tertio Epidemiorum ægrum, qui in Dealcis horto iacebat, in quo præfatus Hippocrates, quòd genibus & tibijs doluerit, sedatis ipsis consecutam ait insaniam. Sed dixi antea expositiones faciendas non esse per talium ægrorum citationem. Omnia siquidem omnium signa hac ratione erunt. Præterea, suræ dolores mentis perturbationem indicaturos, quòd sese occultauerint, cum in oratione nõ sit appositum einsmodi cessasse dolores, absurdissimã habet enarrationẽ. Nã hoc pacto liceret, quicquid uellemus, in contrarium trahere, ut, si & capitis dolorem scriptũ alicubi inuenerimus, non qui existit, sed qui placatus sit, audire oporteat. Tussim item, & spirandi difficultatem, aurium etiã strepitum, atque quodcunque aliud.

# GAL. IN PRIMVM PRÆDICTIONVM HIPPOCRATIS.

## COMMENTARIVS SECVNDVS.

*Si quippiam in urina ſublime petierit occultato coxæ dolore, delirium portendit: & quę circa* 1
*aurium ſonitus talia exiſtunt.*

Multa quidem in libro toto carent perſpicuitate:ſed,quem ſenſum habeant,
deinceps uideamus.Si occultato,ut interpretes dicunt,coxarum dolore quip-
piam in urina ſublime petierit,nos ſecurius certiuſque de futura deſipientia
pronunciabimus.Non tamen uerum eſt, quod dicunt , ſi tanquam uniuerſale
proferatur . Nempe quod ſublime petit, optimum eſt tum album, tum læue,
tum æquale. Non eſt igitur ſimpliciter dicendum futuram eſſe deſipientiam,ſi
quippiam in urina ſublime petierit,occultato coxarum dolore,ſed ſi quod ſublime petit, prauum fue-
rit.Neque hoc ſatis facit,ſed ſi unum delirij ſignum ſimul cum dictis apparuerit. Nam fieri poteſt, ut, ſi F
delapſus in coxam humor recurrerit,pars quædam alia capite inferior,eo recepto ipſa quidem afficia-
tur,caput uero lædi inhibeat,ſi coxæ dolor apparere deſierit,atque id quod ſublime petit,comparuerit,
capite nihil patiente:†[quoniam eſt urina inculpata,quæ enæorema non habet.] Sola quidem una eſt
inculpata,quæ colore quidem ſubluteo mediocriter fuerit, & ſubſtantia moderata, quæ ſcilicet tum
craſſæ,tum tenuis urinæ medium obtinet.Ego ſane,quæ in libro indiſtincte prolata ſunt,atque ob id le
gentes offenſura , perpetuo attempero definioque. Nam, quæ indiſtincta eſt expoſitoribus doctri-
na,nouitios ea lædit magis,quàm iuuat.Virtutem ſiquidem expoſitionis exiſtimant eſſe,ſi ſcripta omni
ope,omnique pacto,etiam ſi conſpicue falſa fuerint,defendant.Quod ubi in manifeſtis conſpicuiſque
ſtudio ſe faciant,multo utiquę magis in obſcuris abſconditiſque nihil ipſis curæ eſt ueritatis. Quod in
calce dictionis dictum eſt:Et quæ circa aurium ſonitus talia exiſtunt . bene per ſe ſcriptum fuiſſet ſinę
urinarum conſideratione,ut ſermo particularis eſſet,quem paulo ante uniuerſalem dixi: nempe dolo-
res coxæ:ſi,qui eos fecit,humor recurrerit,poſſunt aliquando deſipientiam inferre , ſi ad caput humor
peruenerit.Aſcenſus igitur humoris ad caput,ſignum erunt,quæ in eo apparent ſymptomata:quo e nu
mero habentur & ſonitus . Scribunt autem non nulli : Et quæ in ueſica talia. Aiunt ſiquidem oratio-
nem hanc oſtendere non ſolum conſideranda eſſe quæ in urinis ſublime petunt,tanquam delirij ſignũ, G
uerum quoque & ſi aliud quippiam tale uideatur ex his,quæ ex ueſica excernuntur,tanquam citra hoc
affirmare,quòd ſcriptor enunciare hoc pacto uoluerit,nequeuntes .

†Verba hæc nõ ſunt in co. anti. quãquam in. nonnullis in margine, ut gloſſema poſita ſunt.

*Multoque magis,ſi urina in ſublime elata ſit, & quæcunque alia in ea fiunt deſipientiæ ſigna.* 2

Rurſus & impræſentia memoria tenere tyrones ipſos oportet,nullum in urinis eſſe ſignum,quod de
lirium portendat.Nempe hæc partium hepatis renumque & ueſicæ affectionem indicant,uaſorumque
ſanguinem continentium,& uirtutis ſuccos generantis tum robur tum imbecillitatem. Affectionem
uero cerebri alia ſunt tum ſymptomata,tum ſigna,de quibus antea audiuiſti.

*Quibus aluus liquida, laſsitudo, capitis dolor, ſitis, uigiliæ, obſcuritas, & impotentia fuerit, ut hi mente moueantur,* 3
*ſpes eſt.*

Liquida aluus(ita autem appelletur,in qua liquida deijciantur) & laſſitudinis ſenſus , qui ſcilicet æ-
gro fit,morboſa quidem ſunt ſymptomata: ſed delirium non portendunt,ſi,quæ ante dicta ſunt, memo
ria non exciderint:ubi,quonam pacto ſingulorum morborũ ſigna,atq; alia omnia,quæ in ægri corpore
appareant,cognoſcere oporteat,percurrimus . Quędam.n. ſunt,ut morborum ſingulorum differentiæ
inter ſe diſiungantur ſeparenturq;: alia uero,ut ſingularum affectionũ mores cognoſcantur,uel futura H
cognoſcatur iudicatio,qualiſnam futura ſit,& quando. De ſingulis autem tum ſymptomatis,tũ ſignis
ita docendum eſſe oſtendimus,quõ Hippocrates in præſagijs fecit,ſingulorum uires aut per ſe aut cũ
pluribus eiuſdem generis demóſtrans:quo modo libri huius auctor capite dolentes commemorauit,ui
gileſq; & obſcuros. Nam,ſi obſcuros dici intellexerimus eos,qui obſcure loquuntur,uel propter uocẽ
explanantiũ organorũ offenſam,quam ex neruorum uitio contraxerunt,uel propter mentis læſionem,
tria eiuſdem generis erunt ſigna . Dolor ſiquidem capitis fetè locum affectum demonſtrabit . Vigilia
uero,quę in diuerſis cerebri affectionibus fiunt,uigiliam ſomnumq; , & uigilias comaq; , cognoſcenti
oſtendet.De obſcuritate quo ſenſu intelligentibus delirium portendat,nuper egi.Hæc igitur uel gene
re,uel ſpecie,uel quouis modo quis appellare uoluerit,inter phrenitica connumerantur ſigna.At,quo
niam maxime ſiccam phreniticam affectionem cernimus , quæcunq; ſiccitatis ſymptomata in uicinis
capiti inſtrumentis,aut quancunq; cum eo habeant ſocietatem,exiſtũt,ea quoq; & futuram deſipien
tiam commóſtrant.Quo ſignorum in genere in præſentis dictionis morbo dictum eſt,ſitis . Laſſitudo
quòd multis modis fiat , ut in commentarijs de tuenda ualetudine demonſtratum eſt, nihil aliud no
bis manifeſti indicat.Quum enim laſſitudo,quæ ulceroſum ſenſum habet, ob mordaces acreſque hu-
mores fiat : quæ tenſiuũ,ob copiã,quæ phlegmonoſum,ob utrunq; : Si ſane ea uel ulceroſa uel phleg-
monoſa

A monoſa fuerit,ad ſpem deſipientiæ generandæ quippiam conferet:ſi tenſiua,nihil.Sic & aluus liquida, bile quidem flaua ſyncera exeunte,uel & ex colliquamentis, de generatione phreniticæ affectionis quippiam demonſtrabit:magiſque ſi ſpumoſæ fuerint deiectiones.Cum uero non adiecta ſit in dictione,exeuntium qualitas,ſed dicta ſimpliciter aluus liquida,nihil ad morbi huius prænotionem ex ea ad ſumere ualebimus.Nempe,ut antea dictum eſt,ex proprijs affectionis ſignis, quæcunque generis, in quo affectio eſt,indicatoria exiſtunt,ea quippiam demonſtrant. Primum ſiquidem non affectionis ipſius indicatoria talia exiſtunt,ſed generis,in quo affectio continetur, quæ calida & ſicca eſt. Quoniã uero unumquodque genus ſpeciebus familiare ſit,ad præcognitionem ſpecierum conferet, ſi ſignorũ generis propriorum quædam apparuerint.Verbum autem,impotentia,in dictorum ſignorum concurſione adiectum nihil prorſus ad affectionis delirij præcognitionem affert auxilij, ſicuti neque ad magnitudinis ipſius cognitionem.Nempe inquiens, ut hi mente moueantur, ſpes eſt,delirij quidem affectionem fore oſtendit,non tamen hanc uel paruam uel magnam: unde igitur magnitudinem ipſius accepit? Neque enim æruginoſus neque niger uomitus factus uidetur, non urina, non deiectio talis, ſicuti neque alia,quæ exceſſus mentis ſigna recenſuit. Non igitur dictam nuper ſyndromen in phrenitim finituram ſperamus & periculoſam, propterea quòd uerbum, impotentia, adiecit: talem autem
B ſequi phrenitim ut mente moueatur,neque ipſe ſperabis,neque alteri prædicere audebis. Talis ſiquidem fieri poteſt:ſed prænotio non ex his,quæ rarenter contingunt, ſignis fit,ſed ex his, quæ continua ſunt,uel magna ex parte ueritatem habent.Volumus ſiquidem in prædictionibus ipſis perpetuo, ſi fieri poſſit,uoti compotes eſſe.Quo fit,ut,ſi quis octies animi ſententia fruſtretur, bis uero ei ſuccedat ex uoto,is idiota abiectior,& contemptibilior ſit.Poteſt ſiquidem idiota coram ægris pronuncians ſemper,quod euenit,ſi ſæpius aſſequatur,quod uelit,uera loqui uel falſa.

4 *Siqui ſudantes & præſertim capite in acutis paulum implacidi fuerint, malum: tum alias, tum ex urinis nigris. Turbidus quoque & in his ſpiritus,malus.*

Pernicioſa quidem & abſque alijs eſt nigra urina,uerum,ſi & illa adiecta fuerint, præcognitionem ualde augebunt.Sed,quidnam indicet turbidus ſpiritus,inter obſcura collocare oportet: & potiſſimũ, quòd neque in præſagijs, neque in aphoriſmis, neque in legitimo alio libro ſpiritum turbidum dixerit,quo pacto urinam.Sed,quænam urina ſit turbida,non nos modo ex his, qui turbidas aquas perpetuo dicunt,intelligimus,uerum quoque & Hippocrates ipſe docuit,cum inquit, Tanquam ſubſiden-
C tiam returbaueris.aſſimilat quoque & eam iumentorum urinis: non tamen, quid per ſpiritum turbidum intelligere oporteat,liquet, quoniam nullus dicat, ut aquam turbidam, ita & aerem turbidum: niſi quis uapore plenum intellexerit,quomodo expoſitores quidam huius orationis intellexerũt.Quo etenim pacto ſudorem in animi deliquijs foras effundi conſpicimus,ita effluuium humiditatum in his, qui intus diuaporantur,ægris internum fieri dicunt:atque ob id per expirationem uaporẽ effundi perquàm multum,idque turbidum ſpiritum eſſe.Si uero,ut nonnulli primam ſyllabam nõ per ο θολερὸν, ſed per α θαλερὸν ſcripſeris,non amplius, qualiſnam ſit; ſpiritus θαλερὸς, coniectura eſt colligendum. Faciem enim θαλερὰν forſan quis intellexit,ueluti bene habitam & bene coloratam: ſed, quidnam ſignificet ſpiritus θαλερὸς, noſſe non eſt, niſi uehementer magnum indicare uoluerit. Nominum ſiquidem alienus uſus,cauſam præbet his,qui uolunt, quoquo pacto euenerit,intelligendi. Proinde quidam per ο ſcriptum θολερὸν graueolentem intellexerunt, ut alij raucum. Alij rurſus turbatum, ut difficultatem ſpirandi ab eo ſignificari uelint,ac ſi ita dixiſſet.Spirandi quoque difficultas in his mala. Neque tamen libri huius auctor poſſe ſimpliciter ſpirandi difficultatem indicare uidetur, ſed unam quandam eius differentiam: ſiue enim per α θαλερὸν ſiue per ο θολερὸν ſcriptum ſit, uidetur ea appellatione ſpeciem unam difficultatis ſpirandi, non ſimpliciter difficultatem ſpirandi omnem indicare uoluiſſe.
D

5 *Quæ præter uacuationis uaſorum rationem contingunt impotentiæ, infirmitateſque, non exiſtente uaſorum uacuatione,mala.*

Quod dicitur,neque obſcurum eſt,neque ipſius cauſa inuentu eſt difficilis: nempe,quod dicitur,tale eſt:Inualidos languenteſque in operationibus,ſicuti plurimum uacuatos,in periculo eſſe exiſtima, ſi nulla in ipſis facta fuerit inſignis uacuatio.Nam,ſi uirtus ſine ulla manifeſta uacuatione imbecilla fuerit grauantem oſtendit copiam,uel unius principiorum intemperiem. Cum uero tria ſint, ut didiciſti, principia,cerebrum quidem functionum earum,quæ ex uoluntate oriũtur,cor uitalium appellatarum iecur uero earum,quæ alimoniæ inſeruiunt,quas & naturales uocant: naturalis uirtutis uitaliſque imbecillitas deterrima eſt,& cito hominem tollit:nempe & unà cum ea,quæ a cerebro eſt,cõfeſtim exolnitur:quæ ſi afficiatur,non protinus cor ipſum læditur.Sed de huiuſmodi cunctis in multis noſtris lucubrationibus didiciſti.

6 *Si intercepta aluus, parua, nigra, & in ſpyras circumducta ad neceſſitatem demiſerit, & per nares eruptio fiat, malum.*

Σπυράθους uocant caprarum deiectiones: ſunt aũt hæ ſiccæ, atque id, quod excernitur,propria cir-

cunſcriptione rotundum exiſtit. Cum igitur quis hoc pacto ſicca, & circũducta deiecerit, σπυραθώδη, id E
eſt in ſpyras uoluta appellantur: fiuntque talia & quòd pluſculo tempore retineantur, & propter co-
piam igneæ caliditatis. Si igitur præterquàm, quòd talia exiſtant, nigra quoque fuerint, ardentem cir-
ca medium corporis affectionem eſſe declarant: atque ob id mala exiſtunt. Sermoni adiectum eſt,
& per nares eruptio fiat, malum. ueluti in alijs multis dictionibus fecit, ut quod multorum commune
eſt, tanquam proprium ſcribat: quòd ſermone uno uniuerſali doctrinam comprehendere non poſſit. Eſt
autem commune in ipſis tale. Bilis uacuationem multam tanquam turbationem uehementem, atque
multis in morbis commode factam non ſuſtinent reſiccati, neq; rigorem, neq; alui excretionem, neq;
ſudores, neque parotidas inſignes, uel alium quempiam abſceſſum. Ita enim eos, qui in epidemijs facti
ſunt, abſceſſus incuſamus, uel minores, ut dixi, tanquam nihil iuuantes: uel maiores, tanquam ſuſtineri
nequeant. Sanguinis itaque eruptiones hoc modo non ferunt, qui ante ſunt areſacti. Talis autem eſt
prædicta affectio, cum ne uni quidem per morbi initia, rotunda exeant excrementa: neque ea ſimpli-
citer, ſed cum medici diligentia & operatione uel per clyſterem uel glandulam. Nempe quod ait, ad ne
ceſſitatem, tale quippiam oſtendit.

*Quibus lumborum dolor diu perſeuerans cum æſtu faſtidioſo fit, ſi ſudent, malum: an & his tremor fit, & uox ut in rigo* 7
*re uidetur?* F

Rurſus concurſio dictorũ ſymptomatũ ab ipſo uiſa eſt, non a ratione ducta: atq; ob id ipſe quoq; de
hoc addubitans inquit, An & his tremor fit? Malam uero ait concurſionem, de ea re non dubitans, q
lumborum dolor unà cum æſtu faſtidioſo diutius maneat: ſudor autem his adueniẽs certiorem efficit
præcognitionem. Siue nanque ſudorem exiguum toto fieri corpore ab ἱδρῶσιν nomine ſignificari in-
tellexerimus, ſignum bonum non eſt: cum ab eo, & ſi non lumborum dolorem, certe faſtidioſum æſtũ
ſolui oporteret: Siue ſudores eos, qui circa thoracem caputque fiunt, intellexerimus, certe hos ſemper
malos eſſe conſtat, quia uirtutis imbecillitatem, uel in his partibus copiam indicant. Ob hæc quidem
omnia, prædicta ſignorum concurſio mala eſt. Cum uero multæ in lumbis ſint partes, non liquet ex au
ctoris uerbis, quæ nam patiatur, in qua dolor diu perſeuerer, & æſtus faſtidioſus non deſinat, ſed ſignis
alijs dijudicare conuenit. Si igitur renes fuerint perpeſſi, ſcis horum affectiones per urinas cognoſcen
das eſſe: ſi uero aliquis uel eorum, qui inibi ſunt, uel dorſalis medullæ, muſculorum paſſus fuerit, iam ti
bi & cum alio adiecto ſigno conſtat. Nempe affecta dorſali medulla, ſenſus ſtuporis erit in his parti-
bus, quæ ex affecto enaſcuntur loco. Didiciſti autem ex diſſectione neruorum dorſalis medullæ, & qui
ab unaquaque uertebra enaſcantur nerui, & partes corporis, ad quas diſpertiantur. Si igitur ſignum ali
quod patientis dorſalis medullæ tibi adfuerit, tum tremorem, tum aliam omnem neruorum affectionẽ G
fere expecta: quas inter una exiſtit, tremulæ uocis oblæſio. Nempe oratio hæc, ut in rigore uocem tre-
mulam indicat.

*Summa corporis partes ſi celeriter in utranque conditionem permutentur, malum: ſitis quoque huiuſmodi mala eſt.* 8

Quidam cum præſcripta dictione præſentem annectunt copulantque: atque ob id eam cum coniun
ctione, autem, hoc ſcribunt pacto. Summæ autem corporis partes, ſi celeriter in utranque cõditionem
permutentur, malum. Sed, quæ in ea dicuntur, ab ante dicta concurſione diſtinguuntur: quapropter &
ſcriptor, qui cum illis ea ſcripſit, ueluti & multa alia, inter ſe coniunxit, quanquam nullã habeant com-
munitatem. Nos igitur horum expoſitionem ſeparatim conſcribere oportet. Nam, ſi ſummæ corporis
partes facile in utranque permutentur conditionem, malum ſignum eſt. Summæ corporis partes pe-
des ſunt, manus, aures, & naſus, quæ & in his, qui cum frigore ſiunt, acceſſionũ ingreſſibus primæ om-
nium frigeſcunt. Quòd autem oratio hæc, In utranque conditionem caliditatem dicat & frigiditatẽ,
liquido conſtat omnibus. Cum igitur ſecundum naturam habemus, temperate habent ſummæ corpo-
ris partes, nulla repentina facta in his mutatione. Nam, tametſi quàm maxime hyeme frigidæ, & æſtate
calidæ fuerint, paulatim tamen ſenſimque talem aſſequuntur permutationem: non celerem quidẽ nec
uſque adeo ualidam, ut uel hyeme ſimiliter glaciei refrigerentur, uel æſtate his, quæ ab igne multo ca- H
lefacta ſint, aſſimilentur. In morbis autem ſumme malignis permutatio harum hora una ad contraria
efficitur: interdũ quidẽ ut, tanquã hyeme, perfrigeſcãt, interdũ uero, tanquã æſtate, caleſcãt. Id aũt con
tingit, cũ propriã caliditatẽ nõ habuerint, atq; a febrili calfiant: quæ a corporis medio incipiẽs, flãmæq;
ſimilis corpus totũ depaſcens, extrema concalfacit: quæ & cum tranſpirauerit, ſtatim ea refrigeſcunt,
extincta. ſ. naturali caliditate. Sitis quoq; huiuſmodi (inquit) mala eſt: ubi uerbum huiuſmodi, quòd eã
dicat, quæ celeriter in contraria permutatur, ueluti de ſummis dictum eſt partibus, nemo ignorat. Per
mutatio aũt ſitis ad contraria fit, cũ paulo ante ſitiens, cõfeſtim ſine ſiti reddaẽ: & rurſum poſt paulo ſi-
tiens erit, non deſinente ſiticuloſa affectione: fieri ſiquidem non poteſt, ut æger paulo ante ualenter
exiccatus ita perfecte humectetur, ut ſine ſiti fiat. Quidnã ergo eſt, quod in ita affectis contingit? Sane,
quod his, qui toto die totaque nocte interdum nullo pacto ſecernunt urinam. Prius ſiquidem neq; cor
poris affectiones mens ægri conſecuta eſt, collectaque urina nondum ualenter ueſicam diſtendit. At
poſteaquam mens conſecuta eſt, & ueſica impleta, ob hæc ambo ſenſit affectionem æger. Quo igitur
modo id deſipiẽtiæ eſt ſignũ, ſic & quod in ſiti dictũ eſt: cũ ægri quidem ſitiendi affectionem ſemper ha-
beant, ſed non ſentiant, donec eorum anima ſenſu prædita magis reddatur, & ſitiendi affectio ad ſum-
mum augeatur. Summarum igitur corporis partium ad contraria permutationem malum eſſe putan-
dum,

A dum, utpote quæ caloris natiui imbecillitatem ostendat, & eius, qui præter naturam est, robur. Sitis uero permutationem, languorem quidem sensificæ facultatis, robur uero siticulosæ affectionis.

9 *Ex composito modestoque homine ferox responsio, mala.*

Sermone hoc generalior uniuersaliorque existit alius, qui non solum hunc continet, uerum & alios quosdam non paucos. Omne siquidem, quod præter naturam propriam, malum, genus horum est atq; multorum aliorum sermonum. Cui enim propria natura composita est, is non solum, cum incõpositus desipit, perniciose affectionem habere demonstrat: uerum quoque & cum ferocitate respondens prope ad phrenitidem accessit. Cui uero uice uersa responsio in feroci natura cõposita est, ut is uel in propensionem ad somnum uel lethargum uenturus sit, expectabis.

10 *Quibus uox acuta est, his hypochondria intro tracta sunt.*

Secundum naturam sane dicendum erat, Quibus in morbis uox acuitur, trahuntur his hypochondria ad internam sedem. Cur nam uero libri huius auctor ita alienis dicẽdi rationibus oblectetur, haud scio. Relicto igitur de hac re studio, ad eorum, quæ dicuntur intelligentiam ueniamus: quæ neque ipsa uniuersalis est, ut aliæ multæ eorum, quæ in hoc libro dicuntur, uera tamen ita enuncietur, quòd plerisque, qui in morbis uocem mittunt acutam, ad internam sedem trahantur hypochondria. Nempe
B id, uerbum εἰρύαται significat: neque quòd hypochondrium ipsum propria quadam affectione intro ac currat, sed, quòd interna magis ipsum trahant. Nẽpe septum transuersum symptomatis eiusmodi causa est, cum uel inflammatur, uel arescit, propter igneam caliditatem, uel a membrana costas succingente retrahitur: cum rursus & ob phlegmonen, & ob siccitatem tendatur. Suntque ex medicis plerique, qui retractum hypochondrium inter ea, quæ simul cum phrenitide adsunt, scripserunt. Nam plerique phrenitici ita affici uidentur. Sed præsens oratio retrahi hypochondria non dicit, sed ad interna trahi. Tu autem, si uerum prorsus loqui lubet, ex dimidio utrunque compones, dicesque intro sursumque trahi hypochondrium, neque immerito id fieri propter obliquam septi transuersi posituram. Incipit enim ab ossis pectoris, termino: atque hinc sensim oblique descendens, tum intro tum infra ad lumbos peruenit: ita ut plurimum quidem totius ipsius substantiæ profundis hypochondrijs subiaceat, supernum uero principium altius sit. Ob hæc igitur ad internam supernamque sedem trahi uidetur. Quòd si hæc inter se comparaueris, plus intro, quàm sursum, transpositum esse tibi uidebitur. Relicta itaque, quæ præter naturam ob instrumentorum siccitatem phlegmonenque musculorum acuitur, uoce, quoniam angina hæc affectio uocetur, de ea, quæ alijs in morbis acuitur, uoce pronunciauit, inquiens, His hypochondria intro trahuntur. Vocem præterea acui ex uocalium instrumentorum angustia in com-
C mentarijs de uoce demonstrauimus. Atque ob id tum spadones, tum pueri, tum mulieres uocem reddunt acutam. In febribus uero siccitas horum angustiam efficit.

11 *Hebetatus oculus, uitiatusque & concretus, immobilisque & tenebrosus si fuerit, malum.*

Oculus hebes tenebrosusq; tum ipsi ægro, tum uidẽtibus fit manifestus: ægro quidẽ, cum nõ amplius conspicue uidet, quõ antea in hebetibus cõspectibus: ueluti in turbulentis, præter id, q obtuse respicit, adhuc per quandam turbulentiam uidere putat. (Vocat autẽ ἀχλὺν aeris turbationem, quæ medium tũ nubis tum nebulæ habet crassamentum, ita ut, quàm nebula quidem, magis concreuerit, quàm nubes uero, minus.) Fit autem talis in oculis affectus & non paucis, qui febre carent, ueluti & ἀμαύρωσις, quæ obscura imbecillaque instrumentorum sensio existit sine turbulentiæ apparitione: iam uero laborantibus multis. Est autem ἀμαύρωσις, turbulento aspectu generalior. Nempe, cum in utroque obscure cernatur: Aegris tamen ipsis sensio ueluti turbationis cuiusdam in turbulentis conspectibus euenit: Extrinsecus uero uidentibus oculus acie hebes, nullam humidi præter naturam habere uidetur substantiam: perijt autem ex eo tum splendidum tum lucidum, quod in acute uidentibus oculis inest. Hebetes item imbecillique mortuorum oculis similes existunt: multisque morientium, atque adhuc tamen ui-
D uentium tales oculi uidentur, ueluti & his, quos extrema habet senectus. Turbulenti uero non omnibus, sed solis his, quibus turbatum in pupilla uidetur humidum, quod sanitatis tempore tum lucidum tum candicans erat. Ex dictis itaque affectiones oculorum utrasque prauas esse manifesto liquet. Concretus oculus propter mouentium oculos musculorum immobilitatem fit. Immobilitas autem ea propter omnium ipsius musculorum uel resolutionem, uel æquam, & quæ in neutram partem uergat, tensionem, proficiscitur, uel propter exactam mouentis musculos potentiæ imbecillitatem. Talis constitutio ei, qua oculi intus agitantur, ex aduersum pugnat. Nempe instabiles sunt, non secus, quàm qui equũ appellatum habent, ita ut nunquam conquiescant. Contra autem, concreti nunquam mouentur. Si igitur causas talis constitutionis oculorum intellexeris, constat & eas prauas esse. Scribunt aliqui in dictione, & concretum turbulentum malum, turbulentiam quandam concreuisse in oculis uolentes ex affectionis tum siccitate tum caliditate.

12 *Vox clangosa, mala est.*

Non nulli quidem κλαγγώδης, id est clangosa: alij κλαυθμώδης, idest querula plorabundaque scribunt. Quòd autem clangosa uox fiat, cum siccitas uocificorum organorum intenditur, est demonstratum. Plorabunda uero secundum eandem noscitur intensionem: sed difficilior, quàm clangosa, existit, quanto maiorem indicat affectionem.

*Dentium stridor perniciosus, quibus non est sanitatis tempore assuetus: suffocatio quoque in his ualde mala est.* E 13

Cum libri huius auctor memorare nõ consueuerit, quæ in præsagijs scripta sunt, nũc tñ de stridore dentium mentionem fecit: adiecitque in calce, quòd suffocatio in his ualde mala sit. At, cum dicideris, quonam pacto stridor dentium procreetur, quonam item modo suffocatio: nihil in hac etiam dictione fusius recensere est necesse. Nempe ex illis uniuersa ipse cognosces.

*Faciei color bonus, & mœstitia multa, malum.* 14

Quòd sæpius fallat coloratior facies, putentque hanc uel sanguinis per nares eruptionis iudicatoriæ, uel abscessuum post aures significatoriam esse, ob id iure etiam, si cùm multa tristitia fiat, malum esse signum scripsit. Fieri siquidem nequit, ut ægri ita bene colorentur, ut qui optime ualẽt, pro ea quidẽ, quæ in illis est, affectione: sed ob caliditatem multam impense rubros ipsos factos, & bene colóratis si miles uideri relinquitur. Quod autem ualde rubrum est, id ad melancholiam idoneum esse ait in epide miorum secundo: cuius signum mœstitia existit: atque, si multa ipsi adfuerit, multo magis. Cum itaque florida quidem apparuerit facies: æger autem ualde tristis fuerit, quædam in cerebro ualde calida affe ctio esse uidetur, quæ sanguinem exurit, eamque ob causam bilem atram, ut demõstratum est, procreat gignitque. Sed forsan alienum non erit, ut quædam per totum librum sensu carentia simpliciter com- F memoraui, ita & nunc faciam, scribamque ex enarrationibus sensu & intelligentia carentibus aliquam gratia exempli. Neque sane eum, qui primus de his dixit, sum admiratus. Commune siquidem id omnium est uitium, ut, quomodo filios, ita & quæ ab illis excogitantur, diligant: nisi quis ualde securus Aesopi fabulam perpetua in memoria habuerit, quæ duas nos gestare manticas ait: anteriorem quidem uitiorum alienorum plenam, posteriorem nostrorum: atque ob id delicta aliorum uidere nos, nostra ue ro non cernere: is etenim solus ad uerorum cognitionem sese exercebit. Non igitur, ut dixi, eum, qui primus expositionem scripsit, demiror, sed eos qui dicta prius inepte laudant: quomodo & nunc quidã laudibus extollir eorum explicationem, qui intelligendum esse aiunt faciei quidem bonum colorem, in ægrotantis ipsius colore: mœstitiã uero multam, in medico colorem bonum præter naturam, ut signum malum, cernente. Nam, si id docere uoluisset, prædictionum auctor, ita dixisset: Faciei color bonus† ualde mœstum reddit medicum: neque ad hoc in calce postea adscripsisset, malum. Absurdum siquidem admodum atque ab omni intelligentia alienum, dicere, Faciei colorem bonũ ualde mœstum signum medico, malum: uel rursum hoc pacto: Faciei color bonus ualde mœstum reddit medicum, & est signum malum. Nempe uel id, mœstum reddit medicum, & signum est malum: uel malum esse colo rem bonum, duntaxat dictum, sat fuerit: sed, ut utrunque simul dicatur, fieri nequit. Adde, quòd etiam G coniunctio Et, apposita, clare indicat in ægroto hæc ambo contigisse, tum coloratam faciem, tum uehementem tristitiam. Vt ergo quis prætermissa huius lectionis indicatione ad id quod recẽ setur ueniat, falsus est eorum, qui ita exposuerunt, sermo. Non enim de necessitate color faciei bonus ualde mœstũ reddit medicum, sed interdum bonum magis, quàm antea reddit: cum scilicet faciei colorem bonum uel sanguinis eruptionis, uel abscessuum post aures iudicatoriorum signum esse sperauerit. Si itaque di ctione ipsa summe tum ambigua tum obscura existente talia quædam excogitarent, ueniam hi a nobis mererentur: Sed, quoniã rem commodissimam clare distinguens docet, quando sane quidem bonum existat signum bene colorata facies, quando uero non bonum, quisnam ipsis ignosceret? sicuti & his, qui præsentem sermonem de mutua inter se transmutatione boni faciei coloris, & mœstitiæ esse dicũt, Existimant siquidem, cum hæc sibijnuicem succedunt, quando scilicet colore bono desinente æger ual de mœstus reddatur, rursusque & mœstitiam illam subsequatur color bonus, difficile signum esse, ac si ambo simul esse nequeant, uel ipse de contrarijs antea non dixerit mutuã in sese transmutationem non bonum signum esse: inibi siquidem generatio alterius, tollit alterius essentiam, quo fit, ut simul esse nequeãt. Sed, quòd mœstitia simul cum colore bono consistat, non est impossibile. Si igitur, quæ in unaquaque oratione ab aliquibus perperam dicta sunt, redarguamus, commentariorum prolixitatem nõ H pauci incusabunt: si uero nõ reprehensa prætermittamus, iam postea erunt, qui auditam peregrinam expositionem, tanq̃ a me prætermissam uitio uertant, & maxime cum expositionis tum uitium tum uir tutem nondum discernere queant. Cum ergo fieri non possit, ut incusationem deuitemus, qua uel superuacue sermonem, protrahamus, uel utile quippiam prętermittamus: ad alterum diuertã, quod lectu ris scriptas a me explanationes commodius fore credidi.

† Ex antiquis hæc adduntur ualde mœstũ signum (medico.) aut, si non ita, faciei color bonus.

*Deiectiones in spumosas synceras que desinentes exacerbant.* 15

Causam, cur, qui librum exposuerunt, ut multas dictiones alias, ita & hanc perperam obaudierunt, non noui. Nempe, cum dixerit, desinentes, expositionem hi faciunt deiectionum spumosarum syncera rumque. At idem non est, aut, cui talia deijciuntur, exacerbandum morbum: aut, cui desinent deiectiones ĩ talia. Prauæ igiť affectionis signa sunt spumosę & syncerę, si memoria tenuerimus deiectiones syn ceras appellari, quæ duntaxat unum, qui excernitur, humorem ceteris impermistum habent: non est ta men, ut talia excernentibus morbus exacerbetur, necesse: cũ fieri possit, ut cocta paulatim affectione, in qua talia excernebantur, conquiescat æger. Quando igitur necesse est, ut morbus exacerbetur? cum scilicet deiectiones præter id, quòd non desinant, in spumosas quoque synceras que permutabuntur. Nempe hæ alijs, quæ ante excernebantur, deteriores exacerbandum morbum indicant.

Vrinarum

16 A *Vrinarum in morbis acutis ex refrigeratione interceptiones pessima.*

Morbi acuti ex calidiore materia ortum habent. Si ergo urinarum retentio ex uesicæ refrigeratione fiat, malum. Nempe ex tali intemperie, secretoriæ, quæ in uesica est, facultatis factam imbecillitatē, uel sensus ob refrigeratum ipsius neruum priuationem, neruumq; ipsum, quod contristat, haudquaquam sentire ostendit. Refrigeratio autem uesicæ fit discusso ab eo, qui præter naturam est, naturali uesicæ calore. Sed forsan quis obiecerit, quam ob causam, si febris totum occupauerit corpus, uesica refrigerata est? Quæstionem sane diluit partis aptitudo: non.n. omnia naturam eandem pariter sortita sunt.

17 *Perniciosa sine signis leuantia mortem indicant.*

Sine signis, inquit, uel excretionis, uel concoctionis: non autem aliud docet, quàm uniuersale illud in aphorismis ita scriptum: « Quæ non ex ratione leuant, his fidendum non est: neque ualde formidanda « mala, quæ præter rationem eueniunt. Præsens siquidem dictio ab uniuersali recedens, eorum, quæ uniuersali subiecta sunt, quippiam edocet. De perniciosis siquidem duntaxat pronunciat, non de prauis omnibus. Neque enim prorsus, quicquid prauum fuerit, mox idem & perniciosum existit. Demonstrauimus siquidem in præsagijs malorum signorum differentias non paucas dictas esse, in quibus Hippo B cratem ipsum ex nominum propriorum adiectione magnitudinem horum indicare ostendimus. De prauis igitur simpliciter & non perniciosis nosse id duntaxat satis est, non esse his fidendum, si absque signis desierint: redibunt siquidem, sed non tollēt hominem. Quæ uero eo prauitatis deuenerunt, ut & inter perniciosa censeantur, ꝙ hæc quidem mediocriter praui infida magis sint, nequeantque secure, & cū fiducia sine manifestis signis sedari, in libris de iudicationibus est latissime a me demonstratum. Nempe, ubi talia tractu temporis læsionem habitualem indissolubilemq; confecerint, reuertentur pro malitiæ suæ magnitudine, periculi magnitudinem afferentes. Nam causæ aliquæ eorum, quæ in corpore procreantur, potentia uirtuteq; tum uirus rabidorum canum, tum letalia ea medicamenta repræsentant, quæ & si in affecto loco nullum protinus, quod notabile sit, pariant symptoma, post quatuor tamen uel sex menses uel longinquiorem temporis usuram hominem perimunt. Scimus autem non nullos & a cane rabido morsos, qui postea tum aquas formidauerunt, tum a morsus initio post duos uel tres uel quatuor, uel multo plures menses intercurrunt. Noui sane & quendam, qui exacto anno eam incurrit affectionem, quam aquæ timorem uocant. De quo Medicis omnibus summa in solidis animalis partibus siccitas esse uidebatur, atque unà adaucta naturalis caliditas, in igneam conuersa. Affectionem hanc caninum uirus parit longo tempore paulatimq;, atque ob id immedicabilior existit, ꝙ partium solidarum substantia in aliam transeat conditionem: ueluti in uitiliginibus, leucis appellatis C fieri consueuit: nempe & altius descendit hæc præter naturam affectio. Cum autem hæc alterent quidē solida corpora, sed nondum alterauerunt, simul ut uacuata sunt, solidorum quoque alteratio cessat: interdumque die uno, interdum uero citius etiam ad naturalem redeunt habitum. Nempe, cum affectio fit, & nondum facta est, breuiter, separata efficiente ipsam causa, sedatur: si uero completa ea fuerit, etiā si uacuata fuerint, quæ affectionem procreauerint humida, nihil in sanationis ratione amplius existit. Simile quippiam in lignis ipsis contingit, quæ proxime mediocrem ignem sunt apposita: calefiunt siquidem ualde, sed nondum inuruntur: quæ si prius ab igne separaueris, quàm accendi incipiant, celeriter contractam caliditatem, deponunt: si uero tantum in se exceperint, ut inuri incipiant, etiam si ab igne tollantur, nihilominus inuruntur. Quòd si lignum humidum in ignem eundem conijciatur, non protinus accenditur, ut si uel stuppam, uel calamum siccum, uel ellychnium conieceris: &, si post paulo lignum huiusmodi sustuleris, breui post interuallo deponet eam, quam ab igne contraxerat, alterationem. Non est igitur absurdum, ut talis in corpore paulatim progenitus sit humor, qualis est & rabientium canum, & tractu temporis longiore corrumpentium medicamentorum: ita ut plerosque Medicos lateant: quomodo in eo, qui ob lassitudinem, ut uidebatur, † [maxime modicam] febrijt, qui post quartum diem urinam secreuit substantia quidem tenuem, sed colore nigram, ut in utroque eam, quæ D ex pauco atramento scriptorio aquæ multæ diluto consurgit, mixturam repræsentaret: atque modo alio, si non atramentum ipsum dilutum intellexerimus, certe eam, quæ a multis ἀσβόλη appellatur, fuliginem. Visus est æger hic quarto die bene habere, ita ut sequentibus diebus lauaret: deinde die septimo uesperi, eum febrire cœpisset, tabefactus obijt. Docetur autem in præsenti dictione id, quod optimis Medicis opem affert, non uulgaribus. Neque enim perniciosorum morborum signa hi nouerunt. Adolescens præterea quidam excernebat cum febre imbecilla rubidam proluuiem nō paucam: sepiusq; die uno nocteque cum tepida febre: qui hinc mediocrius habere est uisus, ita ut tertio die a febre immunis esse uideretur. Ego itaque urinas ipsius, quæ tum tenues, tum albæ, aquæ instar, essent, conspiciens, iecinoris infirmitatem permanere conieci, præcepiq; ut occurreren huic idoneis: tum epithematis, tum esculentis, & ratione uiuendi uniuersa. Deridens uero me Medicus quidam a Thessalo edoctus, qui non solum ipse nunquam urinas contemplatus erat, sed & contemplantes, fullones appellabat, prohibuit, ne homini præsidium ferretur, sola post inanitionem refectione utendum esse inquiens. Sed morbus septimo a principio die superueniens patuit omnibus esse hepaticus. Talia igitur omnia, quæ ualde utilia sunt, prætermittunt expositores, tempusque interdum circa dictiunculas nullo pacto utiles conterunt.

Al. 4. d. 6. t. 4. c. 3. p. 912. D. E.

†Alias moderatissime. ut intelligēdum sit de febre.

*In acutis biliosis albicantes,spumosæ & perichole hoc est circum biliosæ,deiectiones,malæ:malæ quoque & urinæ huiusmodi:an & his iecur laboret?* E 18

Quod sæpius iam & antea dictum est,dicam & nunc.Qui librum hunc composuit, uidetur quidem eiusdem cum magno Hippocrate esse artis: sed ipso longe est inferior:atque ob id quidam librũ hũc, Draconis Hippocratis filij,alij Thessali esse putauerunt:Duo siquidem magni Hippocratis filij fuisse perhibentur,Draco & Thessalus: quorum utriusque rursus filius Hippocrates.Siue igitur ab horum alterutro,siue ab alio quodam scriptus sit liber,siue,qui scripsit,prius quàm Græcis publicaret, obierit: peruestigare superuacuum uidetur.Nam,quæ de ipso dicta sunt,sufficiunt. At legentes conquirere intelligentiam eorum,quæ dicuntur,studeãt,sitq; gemina inquisitio,quod ab ipso dicatur, tum ad librorum Hippocratis confessorum,tum ad rerum ueritatem referentibus nobis. Et nunc sane, quod proponitur,ita inuestigabimus: quòd auctor plerunque symptomata implicet, quorum uniuscuiusque uires per se in præsagijs didicimus.Nempe,quòd deiectiones tum albicantes,tum spumosæ,malæ sint, » dictum est in libro illo.Quòd præterea minus periclitentur,quorum naturæ cõuenit morbus, ex aphorismis constat:quare,quibus non conuenit,hi magis periclitantur.Biliosæ igitur deiectiones & biliosa uesicæ excrementa cum biliosis hominibus,biliosis & morbis habent cognationem:non biliosa autem & albicantia his præter naturam sunt,atque ob id praua censentur.Spumosa uero deiectio naturis F omnibus mala est.Quæ si tantummodo in oratione dicantur,nulla oborietur quæstio.Verum,si adieceris perichola,maximam mouebis quæstionem.Quo etenim pacto fieri potest,ut albicantia simul & biliosa deijciantur?Vitiatam equidem & hanc dictionem,ueluti & alias multas,existimo. Nempe commodius fuit,ut in ea scriberetur non perichola,uel omnino omissa fuisset hæc dictio perichola.Si uero dictionem,tanquam uitio carentem existimare cogimur,e duobus alterum ut sit,oportet. Nã uel uno tempore albicantia,in altero perichola deijci est putandum:uel,si tempore uno secerni utraque quis asserere uoluerit,albicantia quidem tum constantium,tum durorum excrementorum colorem indicabunt:perichola uero excrementa,ea bilem substantia tenuem circiter habere,atque ea circũuolui ostẽdent.Consueuerunt autem tales excretiones περίχρους,id est circiter coloratas appellare. Vrinæ autem permisceri quidem hoc pacto non possunt,sed in his alterum eorum,quæ dicta sunt,uel alterum intelligere est necesse:atque utraque esse mala,& albicans,& pericholum. In urinis autem pericholum, quod† superflue biliosum est,de necessitate est intelligendum. Neque enim fieri potest, ut, quomodo in deiectionibus perichola cum albicantibus fieri posse retuli,ita & in urinis intelligaẽ. Quod autem in calce dictionis scriptum est,An & his iecur laboret?recte est dictum.Nempe alijs dolet,& alijs non, proptetea quòd hæc ob tum phlegmonem,tum obstructionem, tum flammantem quandam affectio- G nem & pet uentrem,& per uesicam excetnantur: sed de talibus omnibus unà cum peculiaribus demonstrationibus in nostris tractationibus diximus. Vt neque nunc singulis in dictionibus physicas audire demonstrationes conueniat, sed solis his, quæ ex ipsis demonstrata sunt,unumquenque cõtentum esse oporteat.

†uinis.

*Si in febribus uocis priuationes conuulsiuo modo in motionem mentis transeant cum silentio, perniciosum.* 19

Quanquam uetera omnia exemplaria ita scripta sint,librique interpretes omnes hoc pacto recipiant,quidam tamen ex his,qui tum heri,tum nudius tertius nati sunt,in eam,quæ expositu ipsis facilis sit,transcribunt dictionem.Ego uero eum,qui de expositione dubitans,uitiatam esse dictionem suspicetur,& ad id,quod uerum appareat,transcribat,non increpo:sed,quòd expositionem faciat,ut ipse transcribete est ausus,perinde atque ab initio ita scriptum sit, increpatione dignum esse arbitror.Cum uero plurimis in dictionibus fecerint id non nulli,malam ipsorum in omnibus adulterationem memorare longum esse puto. Quo autem modo & alia multa hoc toto libro scripta semel aut bis adnotaui, ita & hoc.Dicta igitur a me sunt hæc propter eos,qui prorsus a præsenti oratione auferunt uerba hæc duo,cum silentio perniciosum. Ego autem sensum talem esse aurumo: Si in febre uocis priuationes, H quæ conuulsiuo modo fiunt,desinant in eam, quæ cum silentio fit, mentis alienationem perniciosum: perniciosum autem uel pathema uel symptoma subaudire oportet, libri auctore ita ex consuetudine enunciante.Nomen igitur σιγῇ idest cum silẽtio,in casu dandi est intelligendum,& cum uerbo ἐξίστανται id est mente mouentur,construendum.In casu autem dandi intellectum non amplius hoc solum significat,si in mentis scilicet motionem transeant cum silentio, ualde malum.Nam rursus eum nomini, silentio,uerbum,perniciosum,subiecisse constat:quod sane intelligendum pro latenter & obscure uulgo.Cum ergo uocis priuationes multis fiant modis,ut dictum est,nunc eam,quæ cõuulsiuo modo fit, in eam,quæ cum silentio efficitur, mentis alienationem desinere ait. Sed quorumnam conuulsiuum modum intelligemus? dixerit quis,uoci asseruientium organorum,quæ,tum quòd resoluta sint, tũ nullo pacto a uoluntate moueantur,uocis priuationis causa existunt:† quorum affectionem,quæ cum cõuulsione est,definiens,ob id inquit,Si in febribus uocis priuationes conuulsiuo modo. Non hæ igitur cum tumultu & clamore,(non enim uociferari possunt,qui uoce sunt destituti) sed cum silentio in mẽtis alienationem perueniunt. Nulla sane quæstio est,quonam modo cum silentio mente moueantur, qui nullo pacto uocem emittere possint.Vnde igitur,inquiunt, mente aberrantes eos cognoscimus? ridiculam admodum interrogantes interrogationem,solisque his interrogari dignam, qui nunquam ægros

†Ex antiquis ab his ergo affectionib' cõuulsiuã distinguens inquit.

A ægros mente læsos conspexerint. Nempe, & si non loquantur quòd familiares conuenienter ipsi non uideant: neque, cum interrogantur, affectionem dicant uel scripto uel nutibus: q item motus ostendāt a ratione alienos, exilientes, uel inordinate conuulsi: hæc desipientiam ipsorum indicant: &, si ualenter horum affectio excedat, iam non desipientiam simpliciter, sed mentis alienationem iure appellamus.

20 *Quibus ex dolore uocis priuationes hi cum dolore moriuntur.*

Verbum δυσθανατοῦσι, modo, qui tardius moriuntur, modo, qui cum dolore, significat: quod optima ratione in præsenti oratione dicitur: & maxime, quia uocis priuationem huiusmodi in antecedente dictione memorauit. Nempe conuulsio doloris plena est affectio.

21 *Febres ex hypochondriorum doloribus, malignæ.*

Orationem hanc siue libri huius auctor, siue alius scripserit, non laudo. Nisi etenim limitetur, bifariam falsa est, quòd & gemina indigeat limitatione. Cum ergo non paucæ in hypochondrijs sitæ sint partes, febres non sunt omnibus in his malignæ: sed in septo transuerso, uētriculo & iecinore. Scimus quoque & musculos quosdam, qui inibi iacent, si inflammentur, febrem accendere. Quinimmo neq;, ubi in iecinore, uel uentre, uel septo transuerso phlegmone oriatur, febris hæc continuo maligna est:
B sed acuta forsan fuerit, quanquam ne hoc quidem perpetuo, nondum uero maligna. Quòd autem neque acutam perpetuo fieri dicam, testatur experientia, & ratio demonstrat, ab externis inflammationibus conspicuam reportans fidem. Nam, cum inflammationum magnitudinem perpetuo febris ex proportione sequatur, ut in hypochondrijs non perpetuo partem aliquam ex præcipuis ualenter inflammari est necesse: sic neque febrem inferri acutam. Orationem igitur his dimitto, qui & false dictorum causas falsas, tanquam ueras pronunciant. Ego uero, ut retuli, neque ueterum cuiquam patrocinari, neque illis pertinaciter contradicere proposui: sed, quæ uere tum fieri, tum apparere in ægris uidi, ea his, qui medicam exercent artem, narrare.

22 *Sitis, quæ præter rationem in acutis morbis soluitur, mala est.*

Est & hic sermo pars illius uniuersalis, qui omnia non ex ratione leuantia, primum quidem suspecta esse ait: Deinde & periculosa sæpius, cum & ea ipsa, quæ præter rationem leuant symptomata, periculosa existant. Dictus autem & alius quidā in aphorismis uniuersalis sermo, in quo & id, quod nūc dicitur, est pronunciatum: Qui etenim parte aliqua corporis dolent, & magna ex parte dolorem non sentiunt, his mens ægrotat. Quòd igitur in acutis morbis sitim præter rationem solui signum malum
C sit, declarat abunde, quæ præter rationem sit, solutio. Quòd uero mentis læsio significetur, ex eo patet, quòd æger manentem adhuc affectionem non sentit, quanquā affectio doloris expers non sit. Quodnam autem præter rationem, indicet, tametsi sæpius plerisque in locis dixerim, non perperam tamē & impræsentiarum dicetur. Cum igitur neque per uomitum, neque per sudorem, neque per deiectionē, neque etiam per abscessum iudicatorium solui sitim contingat, non quòd affectio sedata fuerit, sed q sensus elanguerit: id si fiat, signum bonum non est. Quòd si & lingua sicca manente urinisque crudis existentibus sitis tollatur, certius adhuc malitiam affectionis dignoueris: atque adhuc, si Medicus nihil tum refrigerantium, tum humectantium exterius adhibuerit: quandoquidem talia in acutis morbis magis sitim non tollere, sed mitigare nata sunt. Prorsus autem in acutis morbis malum, si sitis perfecte tollatur. Atque hæc, quæ nuper dicta sunt, in exemplo eius, quæ præter rationem est, solutionis, memoria teneri uelim, ne sæpius eadem audire tibi opus sit.

23 *Sudor multus, si cum febribus acutis fiat, inutilis.*

Ad nomen, multus, mentem potissimum conuerte: quoniam sæpius, qui in acutis assidue sudant mediocriter, quanquam cunctentur, non tamen moriuntur. Si uero multus fuerit sudor, qui febrem non soluat, quòd ægri uirtus cito exoluetur, liquido ostendit.

24 D *Et urinæ coctæ, malæ.*

In non paucis exemplaribus οὖρα πέπονα. i. urinæ coctæ scriptum est: libriq; interpretes ita scriptum norunt: nisi quòd Rufus ephesius ueteres scripturas obseruare conatus, hoc in loco Zeuxidem increpet, tum uetustissimum empiricum, tum qui in omnes Hippocratis libros commentaria scripsit, his usus uerbis: Zeuxis autem, si utique & ipsius meminisse oportet, cum diu effugisset inscitiæ opinionē, hic aperuit: obuiam enim uitio factus, in ipso immoratus est. Vult enim urinas coctas scriptas esse, ut purulentas & prauum continentes crassamentum, nequaquam, quòd hæ inter præsentissima numerarentur auxilia, conspicatus. Hæc Rufus non ingenerose aduersus Zeuxim scripsit, uitiatam quidem scripturam, qua οὖρα πέπονα. i. urinæ coctæ, scribatur, asserens, atque huic οὖρα ἐπίπονα. i. urinæ, quæ cum labore excernuntur, præferens. Qui scripturam πέπονα recipiunt, hi non nulla quidem tum improbabilia, tum memoratu indigna effutiunt: sed probabile quiddam, quod uulgus in errorem pellere possit, hoc est: uidetur siquidem dicere Hippocrates, Iudicatoriorum non iudicantium alia letalia, alia difficilem faciunt iudicationem. Ob eam causam, & coctas urinas, ubi morbum non soluunt, non bonum esse signū ait. Ignorant hi iudicatoria ab Hippocrate appellari tum symptomata, tum signa, quæ iudicationē indicant, uel ex sese etiam faciunt: ut est sanguinis eruptio, per uētrem uacuatio, urinarum copia, uomitus,
A.l.1.f.2.3d.3. c.7.p.107.A. menstrua, hæmorrhois, parotides abscessus & quodcunque aliud: quorum alia coctionis signa existunt,

ſtunt,de quibus in primo epidemiorum ait, Coctiones celeritatem portendunt iudicationis,ſecurãq; E
ſanitatem. De urinis autem in præſagijs ſcripſit: Vrina optima eſt,ſi,quod ſubſidet,album fuerit, læue A.l.1.f.1.d.3.
& æquale per totum tempus,donec morbus iudicetur: ſecuritatem enim morbumque breuem fore c.6.p.101.A.
oſtendit. Tibi autem,qui in libris epidemiorum morborum enarrationem legeris, conſtat nullum ex
his,qui mortem obierunt,coctas urinas excreuiſſe. Ceterum te latere non debet exemplaribus in mul
tis ſimpliciter ſcriptum eſſe, Vrinæ etiamnum coctæ,non adiecto nomine,malæ. Nempe paulo poſt tũ
his tum deinceps dictis urinis adiectum eſt nomen,malæ.

*Rubra quoque ex his effloreſcentia ſi retinentur, ac æruginoſa, mala: atque exigua paruaque, uelut ſtilla, ſuper-* 25
*apparentia.*

De urinis iam dictis eſt ſermo: ſed claritatis gratia copulanda ſunt hæc,ut tota dictio talis fiat: Vri-
næ etiamnum * coctæ,& rubra ex his effloreſcentia ſi retinentur,& æruginoſa,mala. quod autem ait,
ex his,uult indicare,ex urinis,quæ cum labore excernuntur,& non ex coctis. Nunquam enim ex co-
ctis urinis effloreſcentia colore rubida neque æruginoſa ſuperueniunt. Verbum,ſi retinentur, adiectũ
eſt talibus urinis, uel quòd ægre excernantur, uel quòd prorſus detineantur, indicans. Sed forſan
quis dixerit fieri non poſſe,ut,cuiuſnam coloris ſint,cognoſcatur,ſi retinentur: uerum,cum talia prius F
minxerint,& poſt retentioné excreta fuerint,ubi uel ægri ui expreſſerint,uel arte ſua Medici prouoca
uerint,atq; unà cognitis tum colore,tum retentione quiſquis ita excerni dixerit,nequaquã mẽtietur.
Ex eo autem,quòd ſermoni adiectum ſit,atque exigua paruaque, uelut ſtillæ,ſuperapparentia: adhuc
quoque coloris ipſorum notitia euidentior erit, & retentionis ueritas. Volo autem, ut memoriæ
mandes, quæ de ſubrubentibus urinis in præſagijs dicta ſint, his uerbis: Vrina ſubrubens ſi fue-
rit, ſedimentumque tum ſubrubrum, tum læue, hæc priore quidem diuturnior, ſed ualde ſalubris.
Subrubens igitur urina, cuius meminit in præſagijs, ab impenſe rubra, de qua nunc agit, ualde di-
ſtat. Nempe,quòd impenſe rubra cruda & incocta ſit, ſupra explicauit. Subrubentem uero com-
mendat quidem tanquam ſalubrem,ſed diuturnioris temporis ſignum eſſe ait. Quòd uero rubens uri-
na in medio tum impenſe rubræ tum ſubrubentis conſtituta,medium tum laudis tum uituperij obti-
neat,palam eſt omnibus.

*Vomitus quoque cum uarietate,mali: tum alias,tum ſi mutuo ſeſe prope conſequantur.* 26

Permutauerit quis interpretationis abſurditatem, qua libri auctor delectari uidetur: erit autem ſer-
mo talis: Vomitus quoque cum uarietare eorum,quæ uomuntur,malum ſignum exiſtit, tum alias, tũ G
ubi,quæ uomuntur,propius.i.non multo poſt tempore ſeſe conſequantur: atque per adiectum illud,
cum uarietate,eorum,quæ uomuntur,mentionem facit. Neque enim omnium,quæ in præſagijs dicun
tur,uidetur meminiſſe, niſi quis adijcere maluerit. Nempe in præſagijs de uomitibus ita ſcriptũ repe
ritur: Si uero,quod uomitur,porri colorem repræſentet,uel liuens,uel nigrum fuerit: quicunque horũ
fuerit color,malum eſſe,eſt exiſtimandum: quòd ſi colores omnes idem homo uomuerit,ualde perni-
cioſum exiſtit. Clare quidem in præſagijs explanata ſunt hæc, uarietatem eorum,quæ uomuntur,accu
ſante Hippocrate,quòd affectiones multas in ægri corpore,quæ prauæ ſint,demonſtret. At in præſen-
ti dictione,ut modo dixi,adiectum eſt,ꝙ redundantes præter naturã in corpore humores continenter
uiciſſim uomuntur. Quòd aũt,qui cõtinue uacuãtur,deteriores his ſunt,qui intermittunt, cuiuis patet.
Plerique uero eorũ, qui librum hunc expoſuerunt,dictionem unam ex omnibus conficiunt, quæ ante
dicta ſunt, ab hoc principio: Sudor multus,ſi cum febribus acutis fiat,malus. copulata eſſe omnia uo-
lentes ad uſque orationem hanc, Tum alias,tum ſi propius ſeſe conſequuntur. ut in ægro uno concur-
ſionem ſcriptorum in medio nuper dicti principij,& finis huiuſce præſentis dictionis comprehenſo-
rum exiſtiment: fieriq; poteſt, ut hoc ſenſu ab auctore libri coniuncta fuerint prædicta hæc ſymptoma
ta. Nempe & ex diſſimilibus genere concurſiones interdum facere uidetur. H

*Quæ in indicatorijs diebus cum inquietatione & abſque ſudore perfrictiones fiunt,mala exiſtunt: atque ex his ſuper-* 27
*uenientes rigores mali.*

Quòd cõcurſionem orationis huius ex his aceruauerit,quæ ſeorſum ab Hippocrate dicta ſunt, ne-
mo ignorat. Nempe inquietatio ſemper mala eſt,pari modo & perfrictiones tanquam conſequentes,
malæ ſunt. Quòd uero omnia,quæ iudicatorijs diebus apparent,ceteris fideliora ſint, ab ipſo Hippo-
crate didicimus: hoc autem in loco inquietationi perperam adiacet abſque ſudore. Nempe inquieta-
tio cum ſudore non mala eſſe uidebitur: aut ſi eſt,nihilominus,immo mala magis: Non ſolum igitur
ſuperuacue oratio hæc,abſque ſudore,adiecta uidebitur, uerum quoque & in detrimẽtum librũ legẽ-
tium: qui eam,quæ ſine ſudore eſt,inquietationem,ea,quæ cum ſudore eſt,deteriorẽ eſſe exiſtimabũt.
Præterea,quod in calce orationis dicitur,atque ex his ſuperuenientes rigores mali. falſum eſt ſimpli-
citer ita dictum,ut nunc dictum eſt: niſi ut, inquietationi,ita &, rigori,adiectum ſit,abſque ſudore: ma-
giſque rigori,tum familiaris tum commoda adiectio exiſtit. Nam,quæ ſine ſudore inquietatio eſt, mi-
nus mala eſt: rigor uero ſine ſudore maius malum. Nam,ſi iudicarorius rigor ex inquietatione fiat,mor
bum ſoluit,ſuperuenientibus ſudoribus,uel uomitionibus commodis,uel aluo ſubducta.

*Vomitiones*

28 A *Vomitiones ſynceræ & faſtidioſæ malæ.*

Compoſita ſunt rurſus hoc in loco ſigna duo ex his, quæ ab Hippocrate mala eſſe dicta ſunt. Nempe & cum uniuerſaliter ſynceras humorum uacuationes & faſtidium omne in morbis mala eſſe doceret, didicimus. Non ſolum igitur uomitiones ſyuceræ & faſtidioſæ, malæ ſunt: uerum quoque & deiectiones, & ſputa, & urinæ, & quiduis aliud.

29 *Sopor an ubique malus?*

Ambiguitatem nobis mouet dictio, quia ſignificatum ex uoce κάρου, id eſt ſoporis, nõ clare dictum ſit. Neq; n. cũ ex liberaliore uini potu ſoporatũ quempiam dicamus, ut Plato in conuiuio de Poro dixit, morboſam ullam affectionẽ oſtendimus. Caros aũt, quem quis interpretando dixerit ratione longiorẽ, profundũ, ægreq; excitabilẽ ſomnum, hic uidetur ſignificare non bonum. Præterea quæſtio non parua de morboſo caro oborta eſt, an eandem genere cauſam habens cum eo, qui ob uini potionem obortus eſt, difficilem ſolutionem adſumpſerit, an alterum genus cauſæ exiſtat. Iure igitur ambigit de ſopore, quærens, an omnino eſſe malũ exiſtimandum ſit, an interdũ ẽt bonum & medium inter ea, quæ bona & quæ mala dicuntur. Si. n. & profundus & excitatu difficilis ſomnus, carus intelligitur, nullâq; genere diſſidentem affectionem carus morboſus habeat, erit ſane aliquando carus bona tum cauſa,
B tum nota. Vidimus enim in ægris quibuſdam, qui tribus, uel quatuor deinceps diebus uigiles permãſerant, difficilem excitatu ſomnum ſuperuenientem, qui prorſus nocte dieq; perſeuerans magnum attulit auxilium. Sæpius quoque & in infantibus ſomnum eiuſmodi ſuperuenientem non uno die ſolũ, uerum quoque & duobus ex ordine diebus magno ipſis fuiſſe cõmodo conſpexi. Si uero morboſi cari alia genere fuerit affectio, ſomnum profundum a caro diſcrepare aſſeremus, atq;, quod καρώδες, id eſt ſoporoſum ſit, ubique malum eſſe. Demonſtrauimus autem uigilantiam quidem fieri propter tum ſiccitatem, tum caliditatem primæ ſentientis partis. i. cerebri: ſomnum uero ex contrarijs, cum ſcilicet ex humidi utilis copia grauetur corpus, quo modo ex crapula profundus ſomnus oritur: quem carum, ſi lubet, appellare potes. Non diſcrepante autem affectione, in uomine ſolum controuerſia eſt. Cum uero cerebrum ob pituitam tum humectetur, tum refrigeretur, in lethargicis affectionibus coma erit; quod & ipſum, ſi lubet, carum appellare poteris. Sunt, qui, ubi æger tum motu tum ſenſu tempore aliquo priuatur, etiam ſi uel ſtimules, uel ferias, uel inclamites, carum appellant: qualis in quibuſdam uiſitur, ubi temporalibus in muſculis uehementer percuſſi fuerint. Videtur quoque ſæpius & in febrilium morborum acceſſionibus, in quibus neque ſtimulantes, neque ferientes uedum inclamitantes ſentiũt ægri. Si ergo affectus eiuſmodi quis carum appellauerit, difficilem uero excitatu conſtitutionem, & co-
C ma & cataphoram, tertium autem ab ipſis ſomnum profundum, cuius primum meminimus: nunquã, quòd coma bonum ſit, nedum quòd carus, dicere oportet. Si uero quis de recenſitis affectionibus dubitauerit, alias eas eſſe affirmans, uel non, ut ego uunc dico, in re controuerſus erit: ſi uero, ut dictũ eſt, fieri conceſſerit, nominibus aliter uſus, in his ſolum a nobis diſſidebit.

Al. 3. ſ. 1. t. 4. c. 1. p. 368. E.

30 *Ignorantia cum rigore, mala: mala quoque & obliuio.*

Siue cum rigore ſiue poſt rigorem ſcriptum ſit, non admodum diſſident inter ſe ſermonis utriuſq; intelligentiæ. Nam eum rigore ignorantia & obliuio uictum calorem natiuum ab ea, quæ ſymptomatica eſt, refrigeratione indicant. Quòd enim non cognoſcant familiares, neque factorum recordentur, ex cerebri refrigeratione enaſci id conſtat. Patetque utrũque per ſe malum ſymptoma eſſe, &, ſi ambo ſimul fiant, geminari perniciem.

31 *Ex rigore refrigerationes, quæ non recaleſcunt, mala.*

Languorem caloris natiui extinctiouemque talis refrigeratio indicat.

32 D *Si ex perfrictione ſudantes recaleſcant, malum: ex his quoque laterum æſtus cum dolore, & rigor ſuperueniens, malus.*

Recaleſcentes, nunc intelligere oportet eos, qui rurſus febricitant. Sermo autem talis eſt: Si in morbo quis, poſteaquam ſudauerit, frigidior quidem protinus, quàm naturæ conueniat, fiat, rurſuſq; febricitet, non ſine periculo afficitur. Quòd autem & idipſum malum ſit, cuiuis patet. Connectit autẽ huic, ueluti & in alijs, ſymptomata quædam, quæ diuerſas concomitantur affectiones: lateris ſiquidem æſtus cum dolore, ſignum eſt phlegmones, quæ partem eam infeſtet, ob quam febricitauit: ſi uero & rigor ipſis ſuperuenerit, ſuppuraturam expecta phlegmonen. Quo autem modo fieri poteſt, ut ex latere phlegmone obſeſſo æger rurſum febriat, ſic & ex pulmone, ex hepate, uel uentre, uel quauis alia parte. Particularis igitur ſermo & is eſt, & nou uniuerſalis, præterea & ſecundum compoſitionem diſſimilis generis ſignorum.

33 *Aeſtuoſi rigores quadantenus pernicioſi, flammans quoque cum ſudore facies in his, mala: poſteriorumque refrigeratio in his, conuulſionem accerſit.*

Siue καυματώδεις, id eſt æſtuoſi, prima ſyllaba per α & υ, ſcriptum fuerit, ſiue κωματώδεις, id eſt comatoſi per ω: difficilem grauemque uerbum utrunque in dicat affectionem. Nam, qui uniuerſaliter de rigore intellexerunt, perpetuo eos meminiſſe oportet, q, ſi uel in tertiana, uel quartana excitetẽ, talium

febriũ

febrium peculiare est symptoma. In morbis uero postea apparens, si iudicationem nō intulerit, deterrimum existit. Scis etenim, quòd iudicatoriorum non iudicantium quædam letalia sint, & quędam difficilis iudicij. Rursum huic symptomata coniunxit affectionum, quæ non necessario cum rigore fiūt. Dictum quoq; antea, quòd, quanto plura periculosa homini fiant symptomata, tanto fideliorem in eo efficiant prædictionem: quomodo, si & signorum salubrium multa appareant, eo certior sit salutis expectatio. Neque ignoramus flammantem sine rigore & cum sudore faciem malum esse signum, quoniā & unum ex iudicatorijs sudor sit. Cum igitur non iudicauerit, malignitatem morbi ostendit. Ex his autem, refrigeratis posterioribus partibus conuulsionem non absque ratione sperauerit, quoniam & partes neruosæ sint, & frigus conuulsionem pariat.

*Si in sudoribus uigiles recalescant, malum.* 34

Si, quod de ita complicatis dictum est, memoria non excidit, non est, quòd amplius nostra indigeatis explicatione. Nempe talia omnia subiacent tantulo huic uniuersali: Iudicatoriorum non iudicantium quædam letalia, & quædam difficilis sunt iudicij.

*Ex lumborum recursione oculi peruersio mala.* 35

Fieri non potest, ut aliud quippiam intelligatur, quàm lumborum dolores ad superiorem transire sedem: principiumque neruorum affici possibile est, cuius symptoma est oculorum peruersio. Nam, quæ à cerebro neruorum propaginē assumunt partes, non affecta, quopiam tali, spinali medulla, suas affectiones demonstrant. Hic sermo his similis est, quæ in præsagijs ita dicta sunt: Qui cum febre circa lumbos & infernas sedes fiunt dolores, si septum transuersum, relictis infernis sedibus, attigerint, letales admodum existunt.

*Dolor pectoris firmatus cum torpore, malus: superfebrientes hi, si acute ardent, moriuntur.* 36

Miscuit rursus dictione in hac duarum affectionum symptomata. Dolor etenim pectori firmatus ut ægre auferatur, thoracis indicat phlegmonem: torpor uero, cerebri humiditatē uel frigus, uel utrunque. Quòd in talibus sermonibus omnibus meminisse te oportet coniunctionis disiunctiue significātis, cuius patere potest. Non est tamen necesse ita affectos, si caustici acute fiant, mori: si utique nomē καυσικοὶ idem, quod uelut καυσώδεις id est ardentes, significat. Quidam uero torporem, mouendi difficultatem corporis intellexerunt. Nempe quod sæpius dixi in obscuris & luce carentibus dictionibus, cuipiam, ut lubet, intelligere conceditur.

*Nigra reuomentes, cibos fastidientes, deliros, in pube parum dolentes, quibus oculus ferox claususque, purgare non oportet, perniciosum enim.* G 37

Quòd hi omnes perniciose habeant, ut in calce dictionis retulit, ueritati est consentaneum, sicuti & quòd eis medicamentum dare, quod est, purgare, dici sæpius est demonstratum. Hic autem sermo illi dissimilis non est: Corde uulneratis promittenda curatio non est: morientur enim. Siue igitur singula ea, quæ in dictione continentur, seorsum quis intelligat, prauæ affectionis signa ea sunt: siue multa quoque simul, æque perniciosa fuerint. Quod ergo primo dictum est, reuomere nigra, inter perniciosissima censetur signa, etiam si absque alijs solum fuerit. Deinde scriptum est cibum fastidientes, quod est cibos auersantes: quod quāquam minus, quàm illud, malum existat, uerūtamen & ipsum malum. Pari modo deliri, hoc est desipientes, & delirantes. Verum oratio hæc, parum in pube dolentes, neque clara existit: neque, qui librum exposuerunt, idem censuerunt. Quidam enim utrāque seorsum explicantes, nomine, pubis, pubertatis ætatem intellexerunt: parum uero dolentes, unum & ipsum ex symptomatis, quorum catalogum fecerunt: alij autem in pube parum dolentes, de parte dictum esse aiunt, in qua uesica suam posituram habet. Vult siquidem partem eam grauiter esse affectam ostendere, sed eos desipere, quòd ægri exiguam habeant a principio ipso sensionem. Deinceps autem duo alia scripsit symptomata, quæ manifeste phrenitica ostendunt, ferocem oculum, & clausum. Duo siquidem sunt hæc, quanquam de parte una dicantur. Potest siquidem alterum ipsorum per se solum constare, ut oculus ferox quidem interdum existit, non tamen clausus: interdum uero clausus quidem, non tamen & ferox. Claudi siquidem oculorum palpebras contingit uel propter conuulsiuam claudentium oculos musculorum tensionem: uel propter aperientium imbecillitatem. Qui igitur ita affectos purgare ingreditur, is indoctus est, & artis medicinalis plane inscius. Neque sane, qui non purgare consulit, sapiens est: nec uero, quòd hi perniciose habeant, nosse magnum quippiam existit. Nullam itaque artificiosam speculationem, quæ libro digna sit, nos docet dictio: quomodo nos uniuersaliter docuit in aphorismis una, in qua inquit. In acutis morbis raro, & in principijs medicamentis purgantibus utitor, alia, in qua dicitur: In acutis purgare, si turgeant, eodem die. Hæc siquidem Medico insigni digna sunt, ut in horum explicatione demonstrauimus: quæ uero nunc dicuntur, super uacua. Nullus etenim ita affectos purgare ingreditur, ut dictio ostendit, cum hoc, quòd procedente morbo fieri hæc commonstret, & non circa principia: quando in acutis solum purgandi est occasio.

A. l. 1 f. a. d. 1. c. 4. p. 54. A.

*Neque intumescentes, uertiginosque, neque in errando deficientes, neque cibos auersantes, neque decolores.* 38

Ac si libri scriptor perspicuum quippiam promere sit ueritus, ita tum propria, tum perspicua ubiq; nomina

16 A nomina pertransiens, alijs uti studio sibi habet. Nempe, si per orationem hanc, in errando deficientes, hos significare uoluerit, qui, quanquam quiete leuiterque moueantur, tamen forti animi deliquio corripiantur, is per nomina, quæ nunc dico, clare explicare poterat. Præter hæc quoque satius erat ita uniuersum, quod Medicis omnibus est confessum, & non minime idiotis notum dixisse, Imbecillas habentes uires purgandos non esse. Nempe ex eo, quòd intumescant, sintque uertiginosi, quod est, in motionibus obtenebrari, purgatione indigere uidebuntur, qui per præsentem significantur dictionem: ex eo uero, q uires collapsæ sint, uacuationem non ferent.

39 *Neque in febre comatosos, inclinatosque: perniciose etenim habent.*

Inclinatos, in hac dictione rursus propter obscuritatem dicere maluit: quoniam clare dicere potuisset, exolutos. Subiacent etenim hi uniuersali sermoni omnibus plane cognito. Quis enim non nouit, aut quis non dixit exolutos purgandos non esse? Superuacue igitur est adiectum uerbum κωματώδεις i. comatosos, bifariam scripta prima syllaba & per κ & ω, & per κ & α & υ. Cum enim in confesso sit nullum exolutorum esse purgandum, licebit nobis hinc unumquemque affectum assignando, mille particulares sermones conficere.

40 B *Cordis dolor cum hypochondrio contento, dolorq; capitis, malignum, & suspiriosum quippiam. An repente hi moriantur? ut in Dysode, cui & urinæ fermentatæ erant uiolente & faciei rubor.*

Quòd quærat, an, sicut uidit hæc in Dysode accidere, ita de ipsis uniuersaliter pronunciare conueniat necne, clare ostendit. De talibus autem antea dixi, cum ostenderem, quæ in uno affectu fiunt symptomata, commode continuo inter se ordine doceri: quæ uero in diuersis, non recte copulari, cum nulla, quæ artificiosa sit doctrina, ex eorum miscella fieri soleat. In ægris itaque utilissimum est omnia contemplari, nihilque prætermittere: quod utrunque fecit Hippo. tum in præsagijs, tum in aphorismis prænotiones per uniuersalia efficiens: in epidemijs uero, quæ ægris contigerunt, omnia scribens. Docentur quoque & in ijs ipsis libris quædam citra ægrotantium mentionem uniuersalia. In hoc uero prædictionum libro sæpius confusa est doctrina, his omnibus, quæ in ægris uidentur, unam in congeriem reductis, quanquã in diuersi generis affectibus fiant: quomodo & nunc in Dysode inquiẽs, cordis. i. oris uentris dolor cum hypochondrio contento, & capitis dolor, adiecit, & suspiriosum: deinde post hæc in dictionis calce, & urinæ fermentatæ erant uiolentæ. Nam & sermoni adiectum, ut hic inuestigemus, an fermentatas uehementer urinas factas dicat uiolente pro uehementer accipiendo: an cũ aduerbio uiolente subintelligere oporteat excretæ ostendente auctore urinas tum ægre, tum cum uiolen C tia excerni. Quin etiam in oratione dictum est, fermentatæ, quod neque in præsagijs dictum est, neque in libris epidemiorum. Præterea, iam cum omnia percurrerimus, nihil amplius nobis accedit: sed, quia explicare instituimus, de fermentatis quoque dicamus. Cum igitur in terram acetum acre effusum fuerit, protinus intumescens, sursum quasdam terræ partes simul tollit: fitque compositum quoddam ex terrestri substantia, & aceti humiditate, & ex facto uaporoso spiritu. Simile rei huic contingit, cũ atra bilis in terram effusa fuerit, nempe & in utroque spirituosa quædam motio euidenter fieri uidetur, ei similis, quæ in feruente musto apparet. Simile quoque & in panibus quotidie fieri uidetur, cum remista aquæ tritici farina misto illis & fermento, mediocriter macerari permiserint, fermentatio fieri uidetur, fusa simul & intumescente, quæ fermentatur, substantia. Quapropter & urinæ, quæ fermentantur, ut prorsus crassitiem notabilem habeant, oportet: deinde & in ea leuem quandam efferuescentiam, quodque pars spirituosa motionem nacta, tumorem habeat maiorem, quàm, cum excerneretur, habebat. Quòd autem urinæ eiusmodi fiant perturbatis agitatisque crudis humoribus, in commentarijs de iudicationibus didicimus. Præterea ante dictus æger, forsan non multo post repente defunctus, quæstionem scriptori mouit, An omnes ita affectos repente morituros dicere oporteat necne. Constat uero, & quonam pacto nos respondere oporteat ita interrogantibus, ut pronunciauit scriptor, An D hi repente moriantur? respondebimus enim uerisimile esse hominem repente strangulari. Nẽpe id ex asthmate significatur. Sed, quænam fuerit affectio, in qua efficitur hoc symptoma, est diuinandum, q nihil fuerit locutus auctor. Nẽpe & ob flatus, pituitæq; multæ ex capite in pulmonis brõchia per asperã arteriam delapsum, atque ex pleuritide in ea translata, & pure multo propter affectionem aliã mediũ instrumentorũ duorũ occupante locum, asthmatica acuta oritur spirandi difficultas, crebrescente admodum respiratione, & ualde sese dilatante thorace. Cum igitur fuerit talis difficultatis spirandi species, rubens iure optimo redditur facies. Si uero & capitis dolor simul fuerit, nil miri, si ualde rubens fuerit, Oẽs siquidem in morbis eiusmodi capitis dolores cum caliditate multa fieri consueuerunt.

41 *Ceruicis dolor malus quidem in febre omni, sed pessimus, quibus insania speratur.*

Particulare & hoc quoque, tanquam uniuersale, scripsit. Nam, si dolor uel propter adfectum cerebrum, uel spinalem medullam, uel ipsas cerebri membranas oriatur, malum est signum: si uero affectis quæ extrinsecus uertebram circũiacent, partibus enascatur, malum non est. In quibus autem insaniæ spes est, quænam affectio deterior esse potest, quàm ea, quæ cum insania existit?

42 *Febres cum comate, labore, lucis turbulentia, uigilijs, & sudoribus, malignæ.*

Ex supra dictis manifesta sunt, quæ hic dicuntur. Nempe catalogum malorum symptomatum efficiunt, nullamque, ut simul fiant, habent necessitatem.

*Ex dorso frequentes horrores celeriter in aliam transeuntes conditionem, implacidique, urinæ interceptionem cum dolore indicant.* E 43

Præfinita in uerbo, implacidi, priore dictionis parte, secundam efficere licet, urinæ interceptionem cum dolore indicant, quasi ita dixerit: Ex dorso frequentes horrores celeriter in aliam transeuntes cōditionem, implacidi sunt atque adhuc urinæ interceptionem, id est retentionem cum dolore indicant. Sed melius est, quòd urinarum retentio ex dictis omnibus significetur, protulisse. Cōstat siquidem uidisse ægrum quendam affecto in lumbis dorso, uel his, quæ circa ipsos sunt, membranis, uel utroque: deinde affectus participatione urinarum interceptionem cum dolore habuisse. Nempe, quòd, qui celeriter transmutantur horrores implacidi, ex dictarum partium phlegmone fiant, uerisimile est.

*Qui cum fastidio & sine uomitu exacerbantur, male habent.* 44

Debuit auctor adiecisse, an nausearent, necne: quidam enim nauseant, & non uomunt: alij ciborū, ueluti ex repletione, fastidio correpti nunquam nauseauerunt: quos per præsentem dictionem significate mihi uidetur. Bifariam enim fastidiosi, fiunt, uno modo, cum uirtus a corpore grauatur, nullamque figuram facile sustinet: altero modo, cum os uentris a prauis mordetur humoribus. Priores perniciose afficiuntur: nauseabundi sunt posteriores. F

*Refrigeratio cum duritie signum perniciosum.* 45

Duobus modis corpora indurantur, interdum quidem cum in imo tota uehementer refrigerantur, interdum uero cum ualenter exiccantur. Refrigeratio autem, si ita uiolenta fuerit, ut tota omnino refrigerentur corpora, indurescantque, extinctionis signum existit: si uero & siccitatem acceperint, nomine utroque signum bonum non est. Quòd si in solis accessionibus id fiat, moderatius indicat malum: si diutius permaneat, maius: si uero perpetuo, in foribus mors est.

*Si ex uentre tenuia non sentienti ægro exierint, si apud se sit, malum, ut hepatico.* 46

Bene fecit auctor, cum adiecit, ut hepatico. Nempe & nos tenuia excrementa morsu carentia hepaticis nonnullis fieri narrauimus: quanquam talia excrementa, magna ex parte mordeant. Videtur igitur in his uel non generari biliosos humores ob caliditatis hepatis imbecillitatem, uel non defluere ad intestina. Si uero proprie orationem, non sentienti ægro, intellexerimus, dixerimusque nunc ab auctore factum esse sermonem de his, quæ inuoluntarie excernuntur, & non de morsu carentibus, absurdum quippiam continget. Nempe, cum duobus modis inuolūtarie excernat æger, aut quòd mens ægrotet, aut quòd partes, per quas excretio fit, minime sentiant: quòd mens quidem non ægrotet, explicuit, inquiens & apud se fuerit, hoc est, intellexerit, & sana mente sit: reliquum uero non uerisimile existimandum. Frustra quidem in sermone dixerit de excrementis, tenuia, cum partes insensibiles nihil, quod per ipsas transeat, sentiant: nullumque aliud in dictione scriptum sit symptoma, quod neruorum affectum indicare possit. Nempe hæc oratio, ut hepatico, alijs quidem tenuibus excrementis iuncta esse potest, per sympathiam uero neruorum inferre noxam non potest, quòd solum tum cerebro, tum spinali medullæ neruorum propagines condolere uideantur. Neque enim condolentiam huiusmodi hepar sequi uidimus: neque id natura commonstrat uisceris, quod minimis neruis participat. G

*Si uomitus exigui biliosique fuerint, malum: tum aliàs, tum si ægri super uigilauerint: narisque in his stillans, malo est.* 47

Excerni pauca in ægris unum quoddam ex signis est, quæ ex toto prauitatem habent, siue sanguis per nares excernatur, siue deorsum per uentrem, siue per uomitus tale quippiam, quod superfluum sit, excernatur. Idem & in sudoribus est, & his, quæ per uterum excernuntur. Nihil etenim eorum, quæ decretoria existunt, exigue secerni conuenit. Sed, quæ ita uacuantur, omnia duorum alterum subeunt. H

Nam uel, quòd non queant tolerari ob copiam, ab affectis effunduntur partibus: uel imbecillitatem ostendunt naturæ, quæ proponit quidem superflua excernere, sed nequit. Hoc igitur uniuersali intellecto particularia inuenire oportet: idque est, quod nunc de biliosis pronunciatur: cui adiecta est ex signis proprijs uigilia, quæ biliosos consequitur humores, & non pituitosos. Nempe propensiones in somnum in talibus fiunt, & non uigiliæ. Cum igitur pituitosi exiguum uomatur, longiusque & tardius solito dormire uideantur, ex somniferis morbis quempiam expecta, seruans in memoria aphorismum illum: Somnus & uigilia, utraque, si modum excedant, malum.

*Si mulieri a partu alba cum febre retineantur, surditasque fiat, atque lateris acutus dolor, perniciose uehementer insaniunt.* 48

Quod item nunc dicitur, ueluti & quod antea est dictum, atque alia multa, quæ in hoc libro scripta sunt, uniuersalibus subiecta sunt theorematis. Non enim in albis solum, si eorum, quæ a partu uacuantur, retentio fiat, praua est tum causa tum nota, uerum quoque in biliosis, & sanguine ipso. Nempe λοχία purgatio est, atque etiam ex nominis ratione purgatio uitiosorum, quæ gestationis uteri tempore in uenis aceruata sunt: absumpto quidem in fœtus alimentum utili, qui in ipsis erat, sanguine: sed per- Auic. l. 2 .f. 1.
manente uitiosiore, qui singulis mensibus antea per uterum excernebatur. Cum igitur is uacuatus nō d. 5.c.2.p.18. E.
fuerit

A fuerit a mulieris puerperio, aut uterum ipsum in phlegmonem agit magnam, aut ad superiorem aliquā sedem uectus, parti excipienti proprium affectum periculumque infert: ad quam autem peruenerit, mox apparentia symptomata indicabunt, quomodo & nunc tum thorax, tum caput, uitiosum sanguinem ab utero sursum latum exceperunt.

49 *In ardentibus febribus cum aliquantula perfrictione, deiectionibusque aquosa bilis, multis oculorū peruersio, signum malum tum alias, tum si catochi fiant.*

Rursus hoc in loco malorum tum signorum tum symptomatum catalogum fecit: quorum singula seorsum, & per se ab Hippocrate praua esse didicimus, in morbis quidem febrem, ardentem, in deiectionibus uero aquosæ bilis excrementa. Signorum autem malorum, quæ oculis obuenire solent, unum existit & peruersio. De catoche id est detentione occupationeque quid dicere attinet? Si igitur signorum prauorum nomina omnia recensere uoluit, longe plura prætermisit, quàm recensuit: Si uero tanquam congeriem unam, non sunt generis eiusdem, quæ dicta sunt. Nam febris ardens cum refrigeratione, grauissimum est symptoma. Quæ uero deijciuntur, & plane omnia, quæ in oculis contingunt, diuersi hæc sunt generis. Catoche uero generis alterius symptomatum existit. Palpebrarū B peruersiones rursum alterius sunt differentiæ.

50 *Subitaneis apoplexijs si febris soluta & diutina superuenerit, perniciosum: ut Numenij filio.*

Declarauit quidem & hic sese ex ægro uno ad uniuersalem peruenire enunciationem, unaq; ex consuetis quippiam circa dictionem facit. Nam ἐπιπυρεταίνοντι λελυμένως id est solute superfebrienti dixit, a proprijs nominibus discedere constituens: ut curiosarum expositionum materiam sophistæ haberēt: ut, uerbi gratia, sunt in hoc loco, qui aduerbium λελυμένως pro μετρίως, id est mediocriter in apoplecticis intelligunt: alij transferunt in proprie dictas paraplegias, in quibus ad partium aliquarum immobilitatem sensusque priuationem decumbit morbus. Nempe & has apoplexias dixisse uolunt per abusum. Præterea, cum hæ bifariam fiant, ut Erasistratus in commentarijs de resolutione ait, (nam hæ dearticulationes contrahunt contenduntque: aliæ uero exoluunt laxantque) speciem paraplegiæ in neruosorum corporum exolutione & relaxatione consistentem ab eo nunc dici aiunt. Sed in talibus omnibus neruosi generis affectibus, cum ob pituitosos & frigidos fiant humores, ut sunt tum apoplexiæ tum paraplegiæ, febris calida superueniens non modico adest iuuamento. Quæ igitur in aphorismis dicta sunt, hic nos docet: Febrem scilicet a conuulsione fieri melius, quàm a febre conuulsionē. C Item: Si ebrius quisquam repente obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febris prehenderit, uel, ubi in horam, qua crapulæ soluuntur, uenerit, loquatur. Accidit itaque, ut dictio ostendit, Numenij filio, q; oborta apoplexia, non acuta & calida, sed debilis & diuturna subsecuta febris nihil profuerit.

51 *Et lumborum dolore ad os uentriculi recursiones febriles cum horrore, aquosa tenuia & multa reuomentes, mente aberrantes, uoce priuatæ, nigra uomentes moriuntur.*

Congesta sunt & hoc loco praua & multa symptomata, atque unà inepte pronunciata. Nam recursiones dixit, & uomentes, & mente aberrantes, ubi ægros & uomentes & mente aberrantes dicere debuisset. Tu uero, qui symptomatum singulorum uires nouisti, non magno negocio inuenies, adquantum periculum æger ueniat. Hoc uero in calce præsagiorum sufficienter admonuit Hippocrates.

52 *Oculi clausio in acutis, mala.*

Iam supra inter plurium signorum aceruationes, quas syndromas empirici uocant, oculi clausionē scripsit Sunt, qui κατάκλασιν per α, & non κατάκλεισιν per η scribunt, non magno sane circa amborum significata existente discrimine. Vult enim ostendere palpebram uel confractam, uel clausam. In quo D duorum alterum: nam uel robur contentionemque claudentium ipsam partium, uel imbecillitatem aperientium sequitur affectio.

53 *An in fastidiosis, non uomentibus, & lumbos dolentibus, si ferociter delirauerint, ut nigra exeant, spes sit.*

Ad hoc quoque prompte tibi respondemus, quòd non omnibus, sed quibusdam id erit, ut supra est demonstratum.

54 *Fauces dolentes absque tumore cum implaciditate, strangulantesque acute, perniciosa.*

Memineris uelim eius orationis, quæ in prognostico est, hoc principio: Anginæ grauissimæ sunt, & celerrime enecant, quæ neque in faucibus, neque in ceruice conspicuum quippiam habent, plurimum uero doloris inferunt, ac spirandi, quæ non nisi recta ceruice fit, difficultatem. Nempe hinc uiri docti interpretationem rerum earum, quas promit, comparare poteris cum interpretatione errantis in concursionibus, propterea quòd eas ad uniuersale reducere nequeat. Nam Hippocrates & nomen affectionis prædixit, & differentias omnes continuata serie recensuit, a grauissima earum exorsus, cuius nunc dictionem adnotaui. Qui uero librum hunc scripsit, primum quidem peccauit, fauces strangulantes inquiens, cum angina strangulans dicere debuisset: neque enim est dicendum, q parte affecta pro affectu sit abusus. Primo neque ita affectis affectæ quippiā sunt fauces, ut Hippocrates ostendit, grauissimas inquiens esse anginas, quæ neq; in faucibus, neque in col-

lo conspicuum quippiam efficiunt. Qui autem prædictiones has scripsit, ait, Fauces dolentes absque E tumore. Nempe uox sine tumore, idem potest, quod nihil conspicuum habere. Adiecit hoc modo frustra, cum implaciditate, quod alterius symptomatum generis existit: deinde & uerbum strangulantes. Qui quidem librum hunc scripsit, indistincte & communiter est locutus: Hippocrates uero proprio differentiæ nomine appellauit, inquiens orthopnœam id est rectam spirãdi difficultatem inferre ipsas. Vocant autem cum ipse, tum ceteri omnes orthopnœam, illam difficultatis spirandi speciem, in qua iacentes suffocantur, & uix recto thorace sufficiunt nihil dilatato dorso. Nam, cum aspera arteria principium a gutture habens in pulmonem diuidatur, quoties quidem thoracem cum collo recte extendimus, arteriam ipsam dilatari contingit, atque etiã, quæ ex ea in pulmones distribuuntur, propagines omnes: atque interim regionem augeri eis internam. Ob id sane & in peripneumonijs orthopnœa fit & in appellatis asthmaticis affectibus: Ob id ipsum & in grauissima angina, in qua phlegmone obsessi gutturis interni musculi uiam respirationis intercludunt. Intenditur autem & huiusmodi affectio cubantibus, suscipiente augmentum angustia. Præterea & anginarum differentias alias in præsagijs scripsit Hippocrates tum euidentissime, tum accuratissime in ea libri parte, in qua dicta a me nunc recensetur dictio. In hoc autem prædictionum libro & si faucium sæpius meminit libri auctor, nihil tamen nos, quod manifestum articulatumque sit, de his, qui inibi sunt, morbis docuit. F

*Quibus spiritus retrahitur, uoxque strangulabunda est, & uertebra intro fugit, his in fine uelut contrahentis cuiuspiam spiritus redditur.* 55

De spirandi difficultate commentarios scripsi, quot in singulis ipsarum differentiæ omnes sint demonstrans: quænam item causæ cuiusque effectrices, & quid significare natæ sint. Demonstraui quoq; & in eisdem commentarijs eas, quæ ab Hippoc. in legitimis ipsius libris dictæ sunt, spirandi difficultates: neque sane differentiam ullam reperi, qua spiritus retrahitur, neque ab Hippoc. didici: atque ob eam causam, quodnam tale difficilis respirationis genus dicat libri auctor, peruestigaui. Sunt sane & aliæ duæ orationis huius scripturæ, quarum hæc quidem significat, ab altera parum quidẽ uoce euarians, sed intellectu eodem. Nempe in ea, uocẽ ἀνθέλκεται, id est retrahitur, litera θ, interiacet post duas primas literas α & ν, ut dictio talis sit, quibus spiritus ἀνέλκεται, id est sursum trahitur. Recentiores autem quidam ualde discedentes ἀνέρχεται scribunt, nullo ex antiquioribus agnoscente scripturam de qua quidem circa finem agemus: de prioribus uero, quæ tum certorum, tum confessorum sunt, considerabimus: de quibus qui, quod probabile esset, diceret, ne unum quidem reperi: alios uero palã conuitiantes: quemadmodum eos, qui in uocem ἀνέρχεται transcripserunt: siquidem quasi priores scripturæ sine præsidio essent, ad transcribendas eas accesserunt. Videtur autem mihi auctor, spiritum retrahi, uel G sursum trahi dicere, quem superius tum promptum tum sublimem dici asserui: cum uidelicet thorax inter inspirandum partibus superioribus magnam efficit respirationem, ita ut scapulæ moueri uideantur: & quam ob causam, qui suffocantur, omnes hoc respirent pacto, demonstraui. De his item, qui strangulatione afficiuntur non propter pulmonis angustiam, neq; propter musculorum gutturis inflammationem,† sed propter eorum, qui tum gutturi tum stomacho incumbunt, dixi. De musculis autem spinalibus, qui partibus anterioribus adiecti sunt, tum alibi tum in hoc prorrhetico libro recensui: atq; in his, quibus secundum epidemiotum librum exposui, ubi inquit, Erant autem angina laborantium affectiones eiusmodi: Ceruicis uertebræ ad interna uertebantur, alijs quidem magis, alijs uero minus: Exteriusq; ceruix euidentem ostendebat cauitatem: doloremq;, qui hac parte tangebatur, sentiebat. Erat & cuidam sub ea uertebra, quam dentem nominant, sed non adeo est acuta. Quòd autẽ uertebram secundam a parte totã dentem appellauit, uel solam ipsius propaginem illam, quam non nulli dentiformem alij plane dentem, quod canino denti appellato similis quodammodo uideatur, constat omnibus. Quia aũt ubi dixerat, Erat autem cuidam sub ea uertebra, quam dentem nominant, adiecit, quod non similiter acuta est, ostendit, qui hæc scripsit, uertebram hanc periculum non similiter inferre acutum: ueluti & cum in aphorismis puerorũ affectiones recensens dixit, Vertebræ, quę in occipitio, ad interna luxationes, non H aliam intelligere oportet uertebram, quàm eam, quæ dicta est. Cum enim adiacentes partibus anterioribus musculi uel inflammati, uel quouis modo intẽsi uertebram totam ad se traxerint, posterior sedes cauatior uidetur, in angustum guttur redigitur, & ob id strangulantur ægri. Talis autem angina rarissime cernitur. Nunc igitur uertebra ipsa intro fugere dicta est. Periculum autem affectus per propositã dictionem est demonstratum, cum inquit, His in fine ueluti contrahentis cuiuspiam spiritus efficitur. In fine autem, cum moriuntur, significat: uelut uero contrahentis, quòd morientibus his cõuulsiua efficiatur respiratio, uehementer quidem trahente thorace, spiritu uero uiam sufficientem non habente, sed per angustum foramen uiolenter inspirato. Id igitur & ex uoce ἀνέχεται quidam significari putantes scripserunt: Quibus spiritus ἀνέχεται id est cohibetur.

† Forte. sed propter inflãmationem eorum musculorum, qui gutturi quidẽ & stõ subiacent, anterioribus autem partib' spinalium musculorum superiacent: cũ supra in hoc ipso prorrhetico libro recensui, tum in ijs, quibus secundum epidemiorũ &c.

*Capite dolentes, cum catoche delirantes, intercepta aluo, oculoque feroci, & florescentes, in scapulas rigent.* 56

Supra demonstrauimus uirum hunc signorum diuersi generis concursiones, quas in ægro uno, uel duobus conspexerit, scribere: atque ob eam rem sæpenumero coniunctionem an, adijcit: quam si & in hac dictione adiecisset, satius fecisset dicendo, an in scapulas rigent? Nempe capitis dolor caput ipsum affectum ostendit: quod uero ait, cum catoche, cerebrum ipsum: quomodo & uerbum, delirantes: demonstratũ est quoq; antea symptomata huiusmodi nequaquã cõtrouersa esse, quo pacto

existimant

A existimant quidam, fieri non posse asserentes, ut æger catocho laboret simul, & mente uacillet. Sed de his antea egi, cum primam omnium enarraui dictionem, atque eam, ubi dicitur, Tremulæ, obscuræ, blãdæque & contrectabiles desipientiæ, ualde phreniticæ. Quocirca nihil amplius de his dicendum uidetur, satiusque est exponere reliqua duo hæc, quæ præsenti in dictione sunt adscripta: unum quidẽ, quo ait, intercepta aluo: alterum uero, quo dicitur, oculo feroci. Nempe intercepta aluus id est retenta, affectionis cerebri signum proprium non est: auget tamen, & deteriorem ipsam reddit. Oratio uero, oculo feroci, de necessitate concursioni adiecta est. Nam quòd κάτοχοι proprie appellati tensos apertosque habeant oculos, norunt tum Archigenes, tum Philippus: non, ut comatosi & cataphorici: clausos. In his siquidem humiditas affectionis causa est, neruorum dissoluens firmitatem, roburq;, in illis uero propter siccitatem tensio oritur. Quidam etiam ex nostris condiscipulis, cum assiduo disciplinarum studio se fatigaret, malo hoc correptus est. Iacebat enim ueluti lignum prorsus inflexus, atque extensus, uidebaturque oculis apertis nos ita intueri, ut ne conniueret quidem: nihil tamen loquebatur. Is quoque tempore eodem, quæ loqueremur, audire se dixit, quanquam non euidenter clareque: non nulla item & memoria tenens referebat, præsentesque omnes sese conspicere dixit, ita ut quorundam actiones recordatus exponeret: sed neque loqui posse, neque membrum, ullum moue
B re. Quare & in dicta concursione exoritur ambiguitas, quonam modo adiectum sit, delirantes. Nam in ea dictione, ubi dicitur, Tremulæ, obscuræ, blandæque & contrectabiles desipientiæ, nõ prorsus immotos esse ita affectos ostendit. Quo igitur modo neque in comate desipientes, neque in catochis prorsus immotis dementiam cognoscere ualemus: sic forsan uidit catochi speciem, ut immotum quidem & concretum corpus totum esset, exiguum tamen homo quippiam loqueretur, unde dignosci poterat desipientia: uel desipientiam, ueluti ducem, subsecuta est catoche, scribendumque secundũ eam expositionem, Capite dolentes, cum catoche delirantes. Fieri autem potest, ut secundum primã ipsius constitutionem declaretur loquentibus ipsis desipientia: completa uero catoche, non amplius loquantur ægri florescentes uocauit eos, ut par est, sicut paulo ante impense rubẽtes nominauit: quod copiæ in capite unà cum caliditate collectæ signum fuerit: huic & antecedens capitis dolor, atque ab hoc sequens in scapulas rigor: sed & hæc quidem in ipsorum generationem quispiam prius signum acceperit, posterius uero interceptam aluum semper capitis symptomata exacerbantem.

57 *In oculorum peruersione cum febre & lassitudine rigor pernitiosus: comatosiq; in his male habent.*

Demonstrauimus etiam supra libri huius auctorem permiscere inuicem implicareque grauia & dif
C ficilia symptomata: de quorum singulis, per se dicendum simul erat: cum, quoties plura inter se permisceantur, grauius ægris quidem ex ipsis periculum reddi, nobis uero certiorem effici præsensionem intelligere ualeamus. Nihil igitur noui dictum est. Nempe, quonam in affectu peruersio oculorum fiat, quænam item lassitudinum differentiæ, & quando rigorem commode apparere oporteat, pręterea qualenam coma sit, & quænam cerebri affectio ipsum pariat, didicimus.

58 *In febribus ad hypochondrium dolores sine uoce, sudore si soluuntur, maligni: his ad coxas dolores, cum ardente febre, & si aluus profluxerit, perniciosum.*

Dubitationem legentibus pariunt non obscuræ dictiones modo, uerum quoque & ex perspicuis quæ contra euidenter apparentia pronunciantur. Quædam modo utroque ambiguitatem inferunt, in quo genere præsens dictio collocatur. Exuperat tamen in ea, quòd, quæ in ipsa dicta sint, minime his consentiant, quæ in ægris cernuntur. Prompte igitur talem quendam sermonem ostendere præsens dictio uidetur: In febribus ad hypochondria dolores cum uocis priuatione, sudore si soluuntur, maligni. At, cum falsum esse uideatur, ut solutiones cum sudore malignæ dicantur, in hoc ipso primum ambiguitas quædam nos occupat. Nam quæ absque ullo auxilio uel artis, uel naturæ
D cessauerunt affectiones, quòd infidam habeant solutionem, in confesso est: Quæ uero cum tali quodam, qualis nunc sudor dictus est, non firmiter solutæ esse uidentur. Contrario siquidem prorsus modo, quoties sudore, uel aliquo alio naturæ auxilio non soluantur, morbus malignus existimatur. Atque ob eam rem probabiliter quis deficere in ea dictione negationem, non, aiebat, atque ab eo, qui primus librum transcripserat, prætermissam: quomodo & alia multa sæpius in libris multis nemo negat alia quidem prætermissa, alia uero permutata esse, nullo postea delictum emendare ausо. Verus siquidem erit sermo, si ita scripserimus: In febribus ad hypochondria dolores sine uoce, sudore si non soluuntur, maligni. Sed pleriq; hominum relictis tum claris tum notis, ænigmatice dictis pronunciatisq; oblectantur. Sunt etiam, qui patrocinari manifestis erratis documentum sapientię arbitrẽtur, eorum instar, qui apud tribunalia oratoris obeũtes munus, manifeste uel cædis uel talis cuiuspiam flagitij conuictos a iusta liberant poena, iudices ipsos, cum sermonum rudes fuerint, & subdolas eorum uafricias ignorauerint, decipientes: sic sane non nulli in præsenti oratione sine uoce, pro sine sermone dici putauerunt: quia sermo, in uocis genere sit. Dicitur autem apud ueteres φωνὴ, non ita solum uerum quoque αὐδή: atque hoc translatu ἀλόγως ex ἀναύδως significari *dicimus. Quæ autem absque ratione desierunt, infida omnia existunt. At, cum sermoni huic aduersentur, & quòd tales excretiones malignæ dicantur, non suspectæ, & quòd non absque ratione cum sudoribus soluan-

*Al. dicunt.

tur, ut ipse dixit: quidam aiij sapientia præstantiores sine ratione solui dicunt, non solum quæ E
nullo auxilio uel artis uel naturæ leuata sunt, uerum quoque & hæc facta quidem, sed non pro ma-
gnitudine morbi: tanquam scriptor exiguum factum sudorem dixerit, etsi absque ulla adiectione
scripserit, sudore si soluuntur: subintelligendum autem, modico, aiunt. Forsitan vero & alius quispiam
audacius ceteris pronuncians, multo & immoderato subintelligendum uolet. Deinde pueris tum rudi
bus indoctisque, tum disciplinæ omnis inexercitatis, de symmetria, multa nugatus, aliquis sapiens ui-
debitur. Quòd si prorsus, ut licet, orationi, sudore si soluūtur, uerbum, multo, adiectum fuerit, melius
erat adiecta syllaba, non, & scripta oratione, si non soluuntur, a negocijs nos extricare. Nam hypochō
driorum cum febre dolores, quos sudor non soluit, maligni existunt. Re ipsa igitur ostendi & nūc, qūo
iam sæpius in obscuris multis dictionibus nihil quidem eorum, quæ non nouimus, ab ipsis doceri, sed
insumi tempus ueluti in ænigmatis, si, quæ nouimus, dictioni accommodauerimus. Itaque, & quod in
fine dictionis recensēt, nō paruā habuit quæstionē: quare, si uenter profluxerit .i. confertim multa ex-
creuerit, letalem morbum indicabit? Nam, ut inquit Hippocrates, Deiectiones multitudine æstimandę »
non sunt, sed si talia deijciantur, qualia conueniunt, & æger facile tolerat. Hic quidem sermo, quòd & »
manifestus sit, & uniuersaliter quippiam doceat, contemnitur: quæ uero ænigmatice dicuntur, sophi-
stis quidem iure affectantur, ut discipulos mirum quippiam docere uideantur: discipulis uero, propter F
primarum disciplinarum, in quibus antiqui pueros alebant, inscitiam. Inexercitata autem horum co-
gitatio neque, quæ dicuntur, assequitur, neque ueritatem in ipsis discernere potest. Nam quis sine limi-
tatione profluentis alui pronunciationem aliquam audiens, non continuo sermonem incusat, tanquā
nihil docentem? Nempe aluus in quouis morbo profluens sine coctionis signis, quæ sæpius audiuisti,
nihil iuuat: si uero implacidius operata fuerit, præter id, q̄ nihil iuuat, noxam etiam attulit: cum his ue
ro iuuat, magisque si contristans humor uacuetur: atque adhuc magis, si æger post uacuationem pla-
cidior sit: certiusque, cum in die iudicatorio apparuerit quippiam, quod per indicem significatum fue-
rit. Qui ergo hæc nouit, dictam dictionem neglectui habet, atque alias omnes, quæ particularium sym
ptomatum, uel morborum mentionem faciunt. Nempe, in quibus aluus confertim fluit uel morbis,
uel symptomatis, si cum ea, quam nuper dixi, fiat limitatione, securam efficit cognitionem. Absque ea
autem limitatione nunquam uerus erit sermo, qui profluentem aluum uel iuuare uel nocere asserit.
In omnibus siquidem utrunque fit. At in definitis limitationibus nihil est dicere, in hepatis quidē in-
flammatione uitiosum esse symptoma profluentem aluum, in alio uero quodam bonum. Verum in om
nibus, ut dictum est, & bonum & malum fit cum proprijs limitationibus.

*Quibus uoces cum febre deficiunt post iudicationem, hi cum tremore & comate pereunt.* G 59

Hæc item dictio his, quæ in obscuritatem de industria nituntur, similis existit. Quidam enim uerbū,
deficiunt, de solis uocibus intellexerūt: alij uero & febres uocibus adiecerunt, dictum esse, quòd utra-
que deficiant, asserentes, & uoces, & febres: ut sermo talis sit: Quibus cum soluta febris uidetur, uocis
priuatio fit, & post iudicationem: hi cum tremore & comate pereunt: febribus scilicet non sine signis,
sed cum mala iudicatione uisis desijsse. Constat autem malas dici iudicationes, quæ cum naturalibus
uacuationibus, uel abscessibus factæ, non solum ægros nihil iuuerunt, uerum quoque & deterius ha-
bere, quàm antea, fecerunt. Alij autem non uocem cum febre, sed solam uocem deficere existimantes,
totum sermonem ita efficiunt: Quibus uoces, manente febre, deficiunt, si id fit post iudicationem, hi
cum tremore & comate moriuntur. Atqui rursus impræsentiarum discordia alia inter expositores or-
ta est. Quidam enim aiunt, quando ex prædictis trementes fiunt, perire hos tum comatosos tum tre-
mentes. Alij autem comatosos factos ita interire. Nemo autem inter eos ex rerum natura logicā scri-
psit demonstrationē, neque attestantem experientiam ostendere potest. Neque enim ex prædictis &
trementes & comatosi magna ex parte interire uidentur. Quòd si quidam rarenter tales fiant, ab artis
parte præsagiendi & prædicendi desciuerunt. Non enim ad prædictiones talibus utimur, sed his, quæ
uel assidue, uel ut plurimum fiunt. Immo uero & his, quæ ambigue contingunt, non tamen raris. Nul- H
lus enim uult sæpius animi uoto frustratus semel assequi, quod petijt.

*Quibus deurentia, fatuitatem inferentia, inducentia catochen, uariantia hypochondria, uentrisque tumor cibis interclu* 60
*sis, cum sudoribus, in his turbidus spiritus, & genitura quippiam simile superueniens, singultum inducet: uentrique tum spu*
*mosa, tum biliosa procurrant? emictum in his splendidum iuuat, & uenter his perturbatur.*

Aceruauerit iterū hoc in loco affectionum diuersi generis symptomata, in quibus nullā artificiosam
doctrinam esse supra demonstrauimus. Omnia siquidē, quæ in ægro sunt, contemplari, nihilque neque
negligere, neq; ociose inspicere oportet: singulorum uero horum uires seorsum discere cōuenit: ut uer
bi gratia, uerbi deurentia, quod primum omnium dictum est. Nempe intelligi possunt affectiones deu-
rentes, quasi calidas & æstuosas dixerit: possuntque eiuscemodi intelligi excrementa, quorum uirtus
est morbū & acutum & uelocis iudicationis reddere, præterea & periculosum, si uehementer talia fue
rint fatuitatem inducentia uocat, quæ fatuitatem menti inducunt. Ea autem est symptoma ci-
tra delirium ægros naturalibus fatuis similes reddens, quales etiam ex ijs, qui dicuntur consene-
scere, non nullos fieri nouimus. Cui pathemati simile quidem est, quanquam non idem, quod uocant
ignorantiam: de qua & Thucidides scripsit in his, qui ex peste seruati sunt, hoc pacto: Ignorauerunt q;

tum

A tum seipsos, tum familiares. Quo autem modo differat ab obliuione, non est, ut in præsentia cósideremus, necesse. Cum autem κάτοχα, id est, quæ catochen uocatam inferant, intelligamus, alij morbos stabiles, & ueluti hærentes appellata esse catocha dicunt. Variantia item, assiduas contraria in symptomata permutationes facientia, quidam intellexerunt: separantesq; a uoce hac, hypochondria, uno cótextu legunt, uentrisque tumor. Alij autem uno etiam contextu legentes, uariantia hypochondria, per se rursus legunt, uentrisque tumor: aiuntque, uariantia, de hypochondrijs dici. Nam, ut antea in his, quæ in toto corpore ad contraria fiunt, transmutationibus dixerunt, sic in hypochondrijs fecerũt. Qui uero totam hanc copulant dictionem, hypochondria uentrisque tumor, significari aiunt eos, qui præter naturam his partibus intumuerunt. Quomodo & per orationem, cibis interclusis, cuius deinceps meminit, non nulli quidem cibos auersantes dictos esse aiunt: ac si dixisset, a ciborum exhibitione exclusos. Alij eos, qui uentrẽ habent retentũ: nempe & in libro de uictus ratione in morbis acutis uocẽ hanc de deiectionibus dictã esse aiunt. Præfatus igitur hæc omnia, qui librum hunc scripsit, adiectoque in calce, cum sudoribus, (quod & ipsum totius corporis sudorem exiguum ueluti humiditatem significare potest, uel eum, qui thoracem & caput solum occupat) his superintulit ænigmaticam magis, quàm ea ipsa, dictionem, inquiens, An his turbidus spiritus, & genituræ quippiam simile superueniens sin-

B gultum indicet? Nempe & hic turbidum spiritum, ueluti iam antea, ambiguum habere intellectum reperimus. At in ea quidem dictione turbidum spiritum, ab eo de expiratione dictum esse, ut enarratũ est, uerisimile uidebatur. Nunc autem & ipsum de ructibus dictum esse quidam nos existimare iubent, quomodo alij de flatibus. Diximusque antea uerbum θολερὸν a quibusdam graueolens, & ab alijs uaporosum intelligi: quomodo & θαλερὸν quidam per α, scribentes, id est ueluti θάλλον, id est germinans & uigens & magnum dictum esse aiunt. Prædixi quoque & Hippocratem sæpius in libris, qui omniũ doctorum consensu ipsius legitimi censentur, alias alibi difficultatis spirandi differentias cum enarrarit, in secundo & sexto epidemiorum omnes deinceps, nusquam tamen turbidum nominasse spiritum, sicuti neque turbidum singultum, neque turbidum flatum, neq; aliud quippiã tale. Magis ẽt ænigmatice & hoc, genituræ quippiã simile superueniẽs, dictũ est: siue urina fuerit, siue deiectio. Post hæc, & quã ob causam adiecerit singultũ significare & turbidũ spiritũ, & genituræ quippiã simile superueniens, difficile est reperire. Népe in symptomatũ causis singultũ fieri demóstrauimus, cũ uẽter ad excernéda ea humida, quæ tunicis obstinatius adhærẽt, mordentesq; habẽt uires, excitatur. Non contentus aũt auctor symptomatũ multitudine, deinceps adiecit: Ventriq; tum spumosa, tum biliosa προδιεχῆται, id est procurrant? quod & ipsum rursus bifariã scribunt, alij quidẽ in prima syllaba ο adijcientes, alij auferentes:

C quod si adijciendum sit, tépus prædicto succedés significabit: si uero auferendũ, quod præcedit. Nó est tamen par neq; simile alterũ alteri succedere, aut præcedere. Nempe, quod præcedit, signũ erit futuræ excretionis: quod uero excernitur, a præcurrente nũciabitur. Cũ igitur tãta in his omnibus existat obscuritas, neq; ex his, quæ post ipsa inferuntur, licet quippiã ad præsentiũ explanationem accipere, sicut neque ad illa: inquit enim, Emictum in his splẽdidum iuuat. Duplex autem & in hoc sermone est obscuritas: una quidẽ est, quidnã λαμπρὸν, id est splendidum, significet: scriptum quidem ab aliquibus per duplex ππ: ab alijs uero per μ & π: Altera uero ĩ hac oratione, in his. Népe in quibus dicit? an prædictis omnibus accómodabit, an ultimis? & quibusnã ultimis? possunt siquidẽ ẽt ultima dici omnia, quæcũque post principium dixit: An his turbidus spiritus, & genituræ quippiam simile procurrens singultũ significat? an sola hæc ultima dixit: Ventriq; tum spumosa tum biliosa procurrant? Præterea his omnibus in fine adijciens: uenter his perturbatur: atq; hic sermonẽ absoluẽs, nullius gratia uidetur eorũ, quæ in principio sunt, meminisse. Népe fatuitatẽ inferẽtia, & inducentia catochen, magnam membri principẽ animæ partem habentis, noxam indicantia, frustra dici uidentur: & sine deurentibus quidem interficere ualentia, cum illis uero, magis. At certe nihil de morte dictum est, sicut in alijs antea non paucis: sed adiectis uariante hypochondrio, uentris tumore, & cibis interclusis: copulato insuper cum his

D sudore: An his (inquit) turbidus spiritus & genituræ quippiam simile superueniens singultum indicet? quibus nam his? quibus prædicta omnia symptomata insunt. Atqui cum his omnibus turbidus spiritus factus unà cũ excretionibus genituræ similibus singultũ indicat. Quodcunq; ergo uel unum ex dictis deficit, singultus non erit. Et forsan quis semel in annis pluribus talem cernet ægrũ. Quod autem dictorum omnium est absurdissimum, iam tibi referam. Cum multos ægros sim contemplatus, & mille futura præfatus, neque tamen experimento signis ex talibus singultum adfuturum noui, neque ex rerum natura indicatiue uel ipse inueni, uel in scriptore aliquo legi. Sed præsens dictio ei, quod per ludũ prouerbio dicitur, similis est: parturiebat montem, & murẽ peperit. Multa siquidẽ ubi recẽsuit pathemata, alia quidem summe perniciosa, alia his minus, alia uero mediocria, singultus prædictioné prius scripsit. Deinceps splendidũ, inquit, in his emictum iuuat. Sed quibusnam his inquit? deurẽtibus scilicet, fatuitatem inferentibus, uel inducentibus catochen, uel quibus uariantia hypochondria, & uenter intumuit, uel cibos auersantibus, uel quibus aluus retenta est, uel quibus sudor, uel quibus turbidus spiritus, uel quibus excretio geniturã repræsentans, uel singultientibus, uel quibus uenter spumosus & biliosus procurrit: quoniam & hoc ipsum bifariam scriptum est, cum ο, & sine ο. Nam, siue quibus unumquodque dictorum, siue quibus omnia dicta esse asseritur, admittere est consentaneum. Nempe uox, his, singulis apte cohæret: quapropter omnino simul intelliguntur, etsi dictum non fuerit. Nem-

pe & unumquodque horum iuuat ſplendidum emictum: atque etiam, ſi duo, & tria, & plura concurre- E
rint, auxilium his præbet. Mirum autem fuerit tot pathemata diuerſas differenteſque aliarum atque
aliarum partium ſequentia affectiones cum ſplendido iuuari, prorſus quidē ſpumoſo exiſtente: ſi utiq;
album, quod in urinis detinetur, ſplendere nouimus. Omnes autem ſpumoſum inquiunt appellari, fa-
cta utique ſpuma, cum flatuoſa ſubſtantia uel crudis pituitoſiſque humoribus, uel pinguitudinis liqua-
tioni remiſta fuerit: ut & prætetea eandem hæc enunciatio limitationem requirat, quam & in ea, quæ
hanc præcedit, dictione in his, quæ iudicatorie excernuntur, dixi. Omnia ſiquidem tum bonarum tum
malarum iudicationum communia diſtinguuntur, præſertim quidem & primis coctionis ſignis, quæ
perpetuo bonum quippiam indicant: ſed cum ipſis, ut dixi, facili ſcilicet tolerantia, contriſtantis hu-
moris uacuatione, & diei, quo hæc fiunt, fiducia & ſecuritate: prætermiſſa a nobis inueſtigatione, ſi nō
λεππῶδες, ſcriptum per duplex ππ, ſignificat λαμπῶδες, quod per μ & π quidam ſcribunt. Vt.n. per eos ſcri-
ptum ἀπὸ τῆς λάμπης, ita λαμπῶδες ἀπὸ τοῦ λάμπειν appelletur. Hæc igitur omnia congeſta ſunt, ueluti ænig-
mata, etiam ſi quis omnia percurrerit. Scripti etiam in calce ueluti epodi, & uenter his perturbatur,
ratio afferenda non eſt. Neque enim ratio neque experientia eorum, quæ ut plurimum dicta conſe-
quuntur, uentrem perturbari oſtendunt.

F

## GAL. IN PRIMVM PRÆDICTIONVM HIPPOCRATIS, LIBRVM COMMENTARIVS TERTIVS.

*QVIBVS coma ſpumoſis prodeuntibus oritur, febris exacerbatur acuta.* 1

Primam omnium præſentis libri dictionem dum exponerem, libellum, cui
titulus eſt, De comate ſecundum Hippocratem, ſcripſi. In quo ſignificatum
uocis huius, delationem in ſomnum eſſe oſtēdi, uigilare quidem apertis ocu-
lis nequeuntibus comatoſis, at non prorſus dormientibus, ubi eos clauſerint,
atque interdum uigilantibus. Docui autem id ſignificari per ea, quæ Hippo-
crates in confeſſis germanis libris, tum primo tum tertio legitimorum epide
miorum recenſuit, ex ijs, quæ ſimul cum comatis nomine explicantur, uel apparent, uel quouis modo G
quis nominare uoluerit. Solum enim hoc pacto ſignificatum ab unaquaque uoce reperitur. Nec tamē
hoc in libro fieri potuit hucuſque, ut, quod a comate ſignificatur, per coenunciantia inuenirem, dictio-
nibus nempe omnibus ænigmatice pronunciatis: immo neq; in ſequentibus fieri pōt, ut, quod ſignifi-
catur, per coordinata ipſi nomina inueniatur. Quo fit, ut in obſcuris dictionibus ſecurius exiſtimaue-
rim uocem eam ita intelligendam, ut uſus eſt Hippocrates. Eſſe autem cataphoram, id eſt in ſoporem
delationem, ut in quibuſdam docui commentarijs, atque ijs, quos de affectis locis confeci, interdum
quidem grauato ob utilis ſucci copiam cerebro, ut in ebrioſis: interdum uero & propter pituitoſum hu
morem: uel & propter ægre ſeparabilem abſque humore frigiditatem. Cum autē uigilantiæ coma iun
ctum fuerit, ſucci mordentis permiſtione fieri affectionem hanc oſtendi. In libris igitur epidemiorum,
ſiue ex coordinatis, ſiue ex his, quæ ſimul enunciantur, quis nominare uoluerit, demōſtratæ ſunt coma-
tis differentiæ, atque unà demonſtratum eſt Hippocratem diſtincte interdum quidem profundum co
ma, interdum uero ſomniculoſum, & interdum uigilans, uel quippiam tale dixiſſe. In præſenti uero li-
bro neque ex eiuſmodi diſtinctionibus, neque ex coenūciātibus differentiā comatis intelligere, neq;
ex his certā conſtituere prænotionē ualemus. Vbi igitur uel deſipientiā, uel phrenitim, uel fatuitatem,
uel catochen in ea, quā ſcripſit, concurſione prædicit, differentiā comatis ſcire cōmodum exiſtit. In pre H
ſenti uero concurſione prorſus inutilis exiſtit talis notitia. Vt.n. libri huius auctor in ceteris concurſio-
nibus non pauca ſymptomata in eā quā pronūciat prædictionē, nihil conferētia adiecit, pari modo &
nūc inutilis eſt ad præſentē iudicationē mentio comatis. Nēpe febrē ex ſpumoſis deiectionibus prori
tari ego quidē continue uidi: ſinguli uero alij eorū, qui ipſimet uiderūt, reminiſcātur: nō tū in comati-
bus febres omnino exacerbantur. Sed fortaſſe quendā uidit comatoſum ſimul & ſpumoſa deijcientē,
deinde febrem exacerbatā, atque ob id coma inuadēti febris acceſſioni conducere putauit. Vocaui au
tem plane ſpumoſam deiectionem, quo fecit Hippocrates in præſagijs inquiens, Deiectio aūt ſi ualde ”
aquoſa fuerit, uel alba, uel pallida, uel admodū rubēs, uel ſpumoſa, mala hæc ſunt omnia: atq; in epide- ”
mijs ſæpiuſcule. Quidā interpres libri huius dicebat Hippocratē uocare ἀφρώδεα, quæ ſpumā ſurſum ue-
ctā habēt, tanquā fluxilibus quibuſdā exiſtentibus uel deiectionibus, uel urinis, uel ſuccis: in quibus
ſpuma poni alio ordine apparet. Quare aūt in ſolis febribus ad inſtar ignis urentibus ſpumoſum deij-
ciatī, dixi ſæpius: ſicuti & ꝙ uſitata nomina permutare ſtudioſe cōtēdat, qui librū hūc ſcripſit, quanquā
id facere nequiuerit. Significata itaq; permutando, ſimul & horū conſtructionē, ſuo arbitrio ſtatuēdo,
figuras committit ſolœciſmum referentes. Quòd ſi non conſtructionem appellare lubet, potes eam
compoſitionem, uocare.

Si ex

A 2 *Si ex capitis dolore uocis priuationes fiant, atque cum sudoribus febrientes soluantur, & mala repetant, diutius perdurant: & superrigere his malum non est.*

Discordia quædam non parua inter dictionis huius expositores orta est alijs aliter eam exponentibus. Ego uero, quæ ex dictis in ea ueris adiungere potero, facere id conabor. Quod autem reliquũ est, non mea, sed obscuritatis scriptoris culpa existit. Nempe, quòd uiri eiusmodi, qui adhibita multa diligentia, quæ dicuntur, & declarare & defendere uolũt, omnes male creduli uideantur, scriptoris est culpa. Videntur autem mihi ex dolore capitis uocis priuationes ob id dici, ꝙ capitis dolorem uelit signum esse affecti neruorum principij, non autem localem ipsius uocis priuationis affectionẽ, quales fieri sæpius consueuerunt uel propter tensionem uehementem, uel propter uocificorum tum musculorum, tum neruorum exolutionem & laxamentum. Oratio autem hæc, cum sudoribus, tenuis humiditatis copiam, uel retentricis facultatis exolutionem indicat: hoc autem soluantur (si quidem, ut quàm plurimi expositorum intellexerunt, de ijs scilicet, quæ præter uoluntatem excernũtur, ita & nos intellexerimus) uel mentis ostendet læsionem, uel sedem claudentium tum musculorum, tum neruorũ. Si uero uerbum soluantur, ut non nulli existimant, de affectione exponatur, quod est moderatiorem ipsam efficere, & remittere, ob sudores uiridẽ, inquiunt illi, morbum diuturniorem fieri continget. Ob B eam causam prætermittunt hi uerbi & mala repetant, expositionem, quoniam idem dicere cogerẽtur, quod in uerbo soluantur antea dixerunt. Ob id igitur permutantes ι literam, scribentesque ε, in ea, quę finem præcedit syllaba, ἐπανιόντα dici aiunt, declarantes eo uerbo, morbos repetentes: Vocant autẽ ita morbos, qui paulum quidem remittuntur, moderatioresque fiunt, sed rursus accessione repetunt. Si uero oratio χαλῶνται ἐφ' ἑαυτοῖς de inuoluntarijs deiectionibus dicatur, totus sermo talis erit: Si ex capitis dolore uocis priuatio fiat, febriẽte ægro cũ sudore, & absq; arbitrio superflua excernunt: &, si repetitio quædã symptomatũ pari modo fiat, in longius mutatur morbi eiusmodi tẽpus. Quod aũt in dictis grauibus symptomatis non dicendum erat solum, quòd morbi protraherentur, sed ante hoc an sperandũ esset seruandos, qui ita ægrotant, an morituros, constat omnibus. Prætermittens autem hæc scriptor, de diuturnitate tantum explicauit. Sed rursus rei huic aduersatur, quod in calce dictionis narratur, Superrigere his malum non est. in quo quidam erratum esse dicunt. Nam, malum, sine negatione, non cum ea, non malum, scribendum fuit. Concessa uero ea, quæ in exemplaribus omnibus cum negatione reperitur scriptura, iure inquiunt rigorem dici non malum esse, propterea, quòd exolutam excitet naturam. Quòd autem exoluta sit, tum uocis priuationem, tum inuoluntariam superfluorum excretionem, tum sudores id ostẽdere.

C 3 *Quibus manus tremulæ, capitis ceruicisque dolores, subsurdique fiunt, & nigra densataque meiunt, his uentura expectare nigra, perniciosum.*

Capitis dolor caput his affici, ueluti & sensus auditorij læsio cerebrum ipsum, ostendit: quo fit, ut & colli dolor, & manus tremulæ neruorum principium offensum esse portendant. Quòd uero nigræ urinæ principij alterius affectionem indicent, sæpe est dictum, fitque hoc propter uehementissimam caliditatem. Vrinæ uero densatæ ex eorum sunt numero, quæ ad obscuritatem tendunt, ueluti & alia libri huius multa, adeo ut impræsentiarum quoque nugari possint, quibus id placet. Nempe Hippocrates in præsagijs differentias urinarum omnes, quæ in acutis morbis fiunt, enarrans, nullam de densis mentionem fecit: sicuti neque in epidemijs, neque in aphorismis. At, qui talia quidem pronunciare audent, (de quibus notitiam exquisitam habere nõ possumus, neque, si habuerimus, plus aliquid ijs, quæ scimus, habemus) uere autem commoda non agnoscunt, inæqualem habere superficiem aiunt urinas densas, eminentijs scilicet tum paruis tum albis, ueluti capillis, exasperatas: suntque inter hos nõ nulli, qui spumosas tales urinas esse dicant, spumam scilicet tenuem in superficie inæqualiter dispersam habentes: alij uero crassas eas, duritiem in superficie, sabuli instar, ualde tenuem obtinentes. Sed sane D percurrentibus omnia hæc nobis nihil commodi accedit. Nempe auctor ipse ad dictionis calcem, uentura expectare nigra, scripsit: & huic rursum ipsi adiecit, perniciosum. Dixit uero antea nigra meiere ægrum: quare restat, ut spes uenturorum nigrorum de his, quæ uel deijciuntur, uel uomuntur, intelligatur. superfluum autem existit illa expectare in gratiam prædictionis eum, qui perniciosiora uidit signa, urinas scilicet nigras. Adde, quòd neque perpetuo, neque ut plurimum nigrarum urinarum excretionem consequuntur per uentrem uel uomitum nigra. Eamque ob causam uidetur Dioscorides subnigras tales scripsisse urinas, sub, præpositionem adijciens, ut prædictionis quippiam, tametsi exiguum, sermo haberet. Superuacanea aũt prorsus erit ceterorum symptomatum adiectio. Nam subnigræ urinæ, ut nigræ fiant, inclinationem habentes, febris speciem expostulant, quæ certiorem definiat prædictionem: aliud uero nihil. Si.n. abunde tum acris tum ignea febris fuerit, subnigræ urinæ in nigras prõpte transibunt: si uero non talis neque magnopere ignea fuerit, huic tremulæ manus erunt, ueluti & dolor capitis, subsurditas, & ceruicis dolor. Hæc etenim omnia phrenitica sunt signa.

4 *Quæ cum exolutione fiunt & catochæ & uocis priuationes, perniciosæ sunt.*

Rursus hoc in loco particularem scripsit sermonẽ, ueluti & antea, cum dixit, Desipientiæ pessimæ: cõmuniter autem talibus omnibus inest, quod & idiotis ipsis patet, ut magni affectus languentibus

potestate perniciosi fiant: sed,quod ibi,prælanguentium,dixit,id impræsentiarum,cum exolutione,di- E
xit.Potest autem quispiam & cum exolutione uel infirmitate uel imbecillitate inquiens, multitudini
indoctisque,quasi aliud quippiam dicat,præbere opinionem:potest quoque & de particularibus affe-
ctibus ita agere,ut interim alias alia dicere uideatur.Nam & peripneumoniæ & pleuritides, quæ cum
uirtutis fiunt imbecillitate,omnis item huiusmodi fortis affectio perniciosa est. Si enim neque ex ip-
sis,qui uiribus ualent,omnes seruantur: ꝙ nemo ex ijs,qui imbecillam habent uirtutem,seruari possit,
liquido constat omnibus: hoc igitur in loco duo symptomara,quæ cerebri læsionem concomitantur,
memorauit:quorum,qui uel alterutrum tantum dicit,uera loquitur. Nam catochæ cum exolutione
prauæ sunt.uocis item ptiuationes cum exolutione similiter his habent.

*Lateris dolor ex sputis biliosis si absque ratione euanuerit,in furorem aguntur.* 5

Sermonis quoque huius uniuersale sæpius est dictum,Quòd scilicet omnia sine ratione euanescen-
tia malum quippiam portendant.Adest quoque & impræsentiarum particulæ aliquod malum, quod
ex biliosis sputis in pleuriticis affectionibus repente euanescentibus fit,neque tamen perpetuo , neq;
sæpius:sed,cum biliosi humoris ad caput ipsum transitus fuerit,tunc solum ægri ἐξίστανται,id est in furo-
rem aguntur.Atqui sueta iam enunciatione usus,qui librum scripsit absurdam fecit dictioné,cũ nó ha- F
beamus,cui nam orationem,in furorem aguntur,adiungamus.Nempe,quantum quidem ex dictione
est,lateris dolori ordinamus:dicente utique ipso, lateris dolor absque ratione si euanuerit, in furorem
aguntur.Valde uero improprie dictum fuerit,lateris dolor absque ratione si euanuerit,in furorem agũ
tur.Nam,& si pro in furorem aguntur, scribamus in furorem agitur,sine ν syllaba,quæ finem præcedit,
per sola τ & α scripta,non minus & sic absurda fuerit interpretatio,atque priore deterior longe. Nem-
pe in illa ab affectionibus ad ægrum per solœcismum trãsitur.Hoc autem ἐξίστανται, tametsi absque ν enũ
cietur,ne sic tamen prorsus,quid ptius illud significet,inuenire queas.Ceterum secundum naturam di
xisse licebat,lateris dolore ex biliosis sputis absq; tatione occultato ægri ἐξίστανται. uerbo illo uidelicet
significante dementiam uehementem & maniæ participem.

*Ex ceruicis dolore comatoso,& sudante uenter inflatus,si ad necessitatem liquida dimiserit sublutus,ex his bile caren-* 6
*tia in ecstasin aguntur. Talia autem si seruentur,diutius æger laborabit. An & his bile carentes proluuies mitiores melio-*
*risque moris existant,& flatuosum adiuuerint tumorem?*

Aceruantur quoque in hac dictione dissimilis generis symptomata. Ceruicis etenim dolor cum
comate morbosam in cerebro affectionem esse ostendit. Sudor uero, tanquam symptoma,& non iudi G
catorius,aut redundantiam,aut retentricis facultatis imbecillitatem indicat.Venter autem inflatus eã
ipsam partem affectam esse indicat,uentrem scilicet. Ad necessitatem autem liquida demittere, sublu-
tumq; id facere,iecur ostendit affectum:ἐξίστασθαι autem,quod est ualde desipere eos ait,etsi nullũ for
tis desipientiæ,quam ἔκστασιν uocant,signum effectum fuerit.Dictum est enim comatosum tantum,quæ
est affectio cerebri,contraria ecstasi: Nisi quis ceruicis dolorem signum ecstasis esse dicat.quod neque
simplicem desipientiam absque signorum aliorum coniunctione significare potest: ut sunt uigiliæ , ca-
pitis dolores,ferox oculus,responsio audax,somni turbulenti,aut aliqua in sensibus uel motionibus ar
bittarijs offensa.Iure igitur quidam pro ἐξίστανται.i.in furorem aguntur,ἐφίστανται,id est cohibẽtur,de alui
excrementis dici aiunt,atque melius copulari illis:ut ita cõtinuetur dictio:Venter inflatus si ad neces-
sitatem liquida demiserit sublutus,ex his bile carentia excrementa cohibentur.Post hæc uero inquiẽs,
Talia autem si seruẽtur,diutius æger ægrotabit,tandem scripsit,An & his bile carentes proluuies mi-
tiores meliorisque moris existunt?& quod flatuosum est tumores adiuuerint?quasi ita dixerit , & fla-
tuosum tumorem adiuuerint?quod rursus idem in significatu potest,quod & flatuosis tumoribus opẽ
ferre.Quòd si aliena tibi uideatur constructio,ignoscendum est ijs,qui ita enarrant. Permulta siquidẽ
talia libto in hoc uidentur pronunciari nominibus inusitatis. Iure aũt optimo inuestigare uidetur , an H
bile carentes proluuies tales iuuent tumores, flatuosos non a bile sed a frigidis humoribus consisten-
tia aquosis & flatuoso spiritu fieri conijciens.Secundũ hanc igitur expositionem cõsentire hæc inter se
uidẽtur:& nó perperã a quibusdã scriptũ est , συνίστανται, uel ἐφίστανται .i.cõsistũt uel cohibentur , de deie-
ctionibus,& magis ipsum cohibentur:nam quia bile carent,ob id cohibẽtur,atq; ad necessitaté uix de
mittũtur,hoc est cũ Medici auxilio.Superflue aũt inter initia cõiunctũ esse uidetur, ex ceruicis dolore
comatoso & sudãte:nullo pacto uẽtris symptomatis cohærẽs.Quo igit̃ modo cõcursiones alias multas
in uno uel duobus cõtẽplatus,ad eas scribẽdas peruenisse est uisus,ita & nũc fecisse est uerisimile, non
præscripto ægrotãtis nomine,ut in alijs fecit.Et si res ita habet,fieri põt, ut in principio quidé morbi
copia quædã humorũ & tẽperatura frigidorũ,& substãtia tenuiũ particulas circa caput ceruicẽq; infe-
stauerit:defluensq; in uentrẽ & flatuosam in eo molẽ pepererit,& deiectiones tũ tenues,tũ aquosas fe-
cerit,atq; ob id manẽtes in uentre & nó penetrãtes,quo penetrãt modo,quæ tum biliosæ,tũ mordẽtes
existũt.Ceterũ nó parũ interest,an auctore libri,quæ cuipiã euenerũt,narrãte,cãs nos reddere eorũ ꝓ-
babiles tẽtemus,quẽadmodũ in opere de epidemijs fecimus:an ueluti uniuersales sermones indagare.
A capite.n.ad uentrẽ defluere põt humor,ueluti & in fauces,gutturque,& pulmonem,& thoracem,&
septũ transuersum,& lienem,& hepar,& quiduis aliud,ueluti & ex unoquoque horum rursus ad caput
aduehi.

A aduehi. Sed, quòd uel perpetuo uel magna ex parte in unum dictorum permeatio fiat, falſum exiſtit: id quod plurimæ libri huius dictiones oſtendunt, in quibus ſimpliciter enunciatur abſq; adiectione coniunctionis dubitatiuæ, uel nominis ægrotantis: uerum in hac dictione inquiens, an & his acholæ proluuies εὐηθέστεροι, id eſt melioris moris, exiſtant? ſeſe haudquaquam ſermoni uniuerſali confidere declarauit. εὐηθέστεροι autem ſignificat quidē & κακοηθέστεροι, id eſt maligniores, & ſæpius in hoc ſignificato pleriq; ueterum uſi uidentur: uerum & εὔποροι ſignificat, id eſt mitiores, &, ut uertantur promptiores: uſi ſiquidem ſunt & hoc ſignificato quidam ex antiquis, iuxta quod & nunc dictum eſſe uidetur. Nēpe id commonſtrat, quod in calce dictionis dictum eſt, adiuuerint.

7 *Ventris circuntentio ad neceſſitatem liquida demittens, cito intumeſcens, conuulſiuum quippiā habet, ut Aſpaſii filio: ſuperrigere bis letale: conuulſuſque ex his, & inflatus diutius ægrotabit, ſuperueniet que in ore putredo uiridis.*

Quòd medicinalis ſpeculationis doctrina ab Hippocrate in legitimis omnibus libris per uniuerſalia facta ſit, atque aliquando particularia quædam, gratia exempli, ad eorum, qui diſcunt, perſpicuitatē ab eodem exprompta ſint, antea expoſuimus. Sed, quoniam non ſatis eſt præcepta uniuerſalia condiſcere, ut ea prompte in operibus dignoſcantur abſque exercitatione, ob id gratia exercitationis ægros in epidemijs ſcripſit: in quibus nihil eorū, quæ his cōtigerunt, eſt omiſſum. Quòd uero, quæ a prædictionū
B auctore emanauit doctrina, non habeat uniuerſale, niſi utiq; rarēter, iā ſæpius eſt oñſum. Deficit quoq; & ea ab exquiſita illa particulari explanatione, quæ in epidemiorum ægris deſcripta eſt: ubi primum quidem, ſi quoquo pacto cauſæ præincipiētes indicare ualeant, indicat, recenſens, ſi quis, uerbi gratia, uel ex laboribus, uel exercitationibus intempeſtiuis, uel ebrietate ægrotare cœperit. Deinde, quòd primo quidem die hæc circa ægrum contigerunt: & ſecundo alia, & ita tertio, & quarto, & alijs deinceps diebus, omnia, quæ fuerunt, explicat, his, qui ab ipſo didicerunt præceptionem uniuerſalem conſentaneā ijs eſſe, quæ in ægris apparuerunt, oſtendens, ducitque ſimul interdum is ad exercitationem, ut in eorum explicationibus oſtendimus. Qui uero ægros in hoc ſcribit libro, ab huiuſmodi explanatione ex quibuſdam ſemel uiſis iam uniuerſalia præcepta conſtituere intendit, nō parum in multis errans, ut in hoc, quod alteri factum ſit, alteri attribuere, quomodo & nunc. Nempe, ubi Aſpaſij filij, uentris ſymptomata ſolum ſcripſit, ea conuulſionis quippiam habere ait. Tria autem ſunt ab eo ſcripta ſymptomata, unum quidem eſt uentris diſtentio: alterum ad neceſſitatem liquida demittere, quod pro deijcere, dicere conſueuit: tertium ab ipſis eſt cito intumeſcere: ſignificat autem cum hoc & quòd uenter minuatur forſan ex liquidis deiectionibus. Nempe mox poſt ipſas dictum eſt, cito intumeſcens. Solis autem his ſymptomatis iunctam conuulſionem quandam ſi quis in ita ægrotante homine prædixerit, fal-
C letur ſæpiſſime, uerum aliquando uel etiam in paucis ſemel uoti fiet compos. Is quoque qui hæc ſcripſit, ubi dictis nunc uentris ſymptomatis ſimilia in antecedente dictione commemorauit, de conuulſione nullum fecit ſermonem, etſi ceruicis dolorem factum cum comate dixerit. Ita autem habet oratio: Ex ceruicis dolore comatoſo & ſudante uenter inflatus, ſi ad neceſſitatem humida demiſerit ſublutus. Quòd igitur ſymptomata uentris hæc ſimilia ijs ſint, quæ nunc ſunt dicta, liquido cōſtat omnibus. Sed præter hæc ceruicis adiectus eſt dolor, neruoſæ partis & prope cerebrum ſitæ, & dorſalem medullam continentis, cum hoc quòd cerebrum iam erat affectum, cum enim comatoſum eſſe ſit illius ſymptoma, uериſimile erat, in eiuſmodi ægrotante ſcriptum eſſe, habere aliquid, quod conuulſionis ſpeciem afferret, non autem in præſenti: in quo fieri poteſt, ut ſymptoma aliquod aliud conuulſionis indicatorium factum ſit, quod in expoſitione omiſit, niſi ipſum ſuperrigere, in ea dictum, quis conuulſionis ſignum eſſe exiſtimauerit: quod ſane & ipſum a quibuſdam expoſitoribus eſt dictum, qui quotidie tertianos quartanoſque circuitus quibuſdam cum uehementiſſimo rigore fieri nihil conuulſionis habentes non uident. Verum, quia talia ſcribunt, adeo in re medicinali ſapientiſſimi ſunt, ut rigorem, neruorū affectionem eſſe, ut conuulſionem tremoremque exiſtiment. Neque ſane, cur Aſpaſij filius conuulſionem paſſus ſit, poterit quis dicere, non ſcriptis omnibus, quæ ipſi contigerunt: neque cur uiridis putre-
D do in oris locis facta ſit: ſucci etenim uitioſi ſoboles ſunt eiuſmodi pathemata: quam unde aliquando aceruauerit, eſt incertum, cum, quanam uictus ratione ſit uſus, ignoremus. Neque uero, quæ in ipſius uentre facta ſunt, putredinoſi & ſucci uitioſi ſignum præferunt: adde, quòd neque quamnam dicat putredinem uiridem, manifeſte cognoſcitur, quoniam χλωρὰ, & quæ ærugineum, & quæ pallidum habent colorem, uocitant.

8 *Quibus lumborum tenues & diuturni dolores ad hypochondrium euntes, & ciborum auerſio cum febre: dolor bis contentus ad caput perueniens, cito cum quadam conuulſione perimit.*

Siue ὑπὸ λεπτὸν, ſiue κατὰ λεπτὸν. i. tenues ſcribatur, (utroque enim modo ſcribunt) multam habet obſcuritatem. Eam ob cauſam quidam ὑπὸ πλευρὸν, ideſt ſub coſtam ſcripſerunt. Qui ergo uel ὑπὸ λεπτὸν uel κατὰ λεπτὸν ſcripſerunt, ſententijs ſunt diuiſi. Nempe alij tenue inteſtinum dici aſſerunt: alij latum os & ſacrum appellatum: ſunt qui horum tertium quippiam fecerunt, ita ut ſimul utrunque dicant, rationēq; ſimul ijs, quæ inferuntur, adiungant. Nempe a uena, quæ ad iecoris portas, propagines ſciſſuraſque plurimas in meſaræo fieri aiunt, atque illis affectis lumborum dolores non continuos, ſed tenuibus quibuſdam interuallis infeſtantes ſuccedere: quas ad dextrum hypochondrium in iecinoris portas tum reduci tum contrahi & ueluti conuelli aiunt, ubi uelut radicem eſſe affectionis ſupponunt, cum hæc

uena

uena unà cum propaginibus phlegmone laboret. Quare autem ita intelligendum sit uerbum γριπόμενα E
idest griphi modo euntia, prætermittunt quidem hi, sed quidã alij παρὰ τὸν γρῖφον nomen accepisse aiunt:
uocatur autem ita rete quoddam piscarorium, non, ut hi existimant, per φ scriptum (nempe aliud uocis
huius significatum existit) sed per π. Quare quidam in præsenti dictione scribunt γραφόμενα: alij inuolu-
tas membranas γραφομένους dici ex consuetudine inquiunt, cum quis digito descripserit discreueritque:
atque ob id per metaphoram dolores, qui morsis descriptisque fiunt, γραφομένους uocatos: alij & a
principio dictionis dictum esse aiunt, lumborum tenues diuturnosque dolores, quasi hoc pacto dixis-
set: dolores κατὰ σμικρὸν, id est exigui minutique, quod est imbecilli. Condonantes igitur tum ijs, qui
ita exponunt, tum his, qui portas iecoris pati asserunt, recte dicta esse omnia, (nam ciborum auersionẽ
argumentum quoddam affecti iecoris esse inquiunt) ab eo, quodnam ex sic dictis futurũ sit nobis emo
lumentum, audiamus. Inquit enim orationis scriptor: Dolor his contentus ad caput perueniens, ciro
cum quadam conuulsione perimit. Num igitur hæc nos admonent, ut hæc omnino prædicamus? Nem-
pe, quòd infestantium commutatio non solum in caput, uerum quoque & in quamlibet aliam partem,
siue mesenterium siue & hepar pati uelint, fieri queat, condonet quis. At certe, quonã pacto commuta
tio fiet, prænosse possibile non est, priusquam peculiaria parti symptomata adsint, quanquam cum fa-
cta est cognosci queat: & præsertim cum, quæ prius infestabant, sedata sint. Quinetiam commutationes F
eiusmodi in ægrotis, in epidemiorum libris scriptæ sunt, ac si nunc quoque scriptum ita esset, quibus-
dam talibus symptomatis in uentre exortis, postea repente occultatis, doluerit uehementer in capite
æger, diceremus in ipsum commutationem factã: neq; tamen, quid faceret, certo licebat dicere, prius-
quam aliquod aliud signum compareret uel cataphoræ, uel delirij, uel conuulsionis: nempe & id fieri
potest: potest quoque & natura morbo robustior proritata sanguinis per nares eruptionem moliri, uel
parotidas suscitare: didicisti siquidem horum omnium incipientium esse signum: sed, priusquam inci-
piant capitis dolorem solum existentem suspicionem quidem omnium præbere, certam uero nullius
ex ipsis prænotionem.

*Superuenientes rigores & nocte magis quodam modo exacerbantes, cum uigilijs & uenarum agitationibus in somnis,* 9
*atque urinas præter arbitrium excernentes, in comatosas quandoque finiuntur conuulsiones.*

Libri huius auctor, ut in singulis dictionibus uel nomen aliquod inusitatum, uel compositionem in-
ueniret, magnopere laborauit: quomodo & nunc utrunque fecit. At, quæ in singulis dictionibus inusi-
tata sit compositio, transeunte eo uel ab affectionibus ad affectos, uel ab affectis ad affectiones, præte
reunda nobis est, propterea quòd, quantum in ipsis est, nullam sermo sit habiturus *perspicuitatem. In G *Obscuritatẽ.
præsenti uero dictione φλεβοδονέοντα nouum peregrinumque nomen fecit, uenas agitari, quantum ex uo
ce est, ostendens: uel etiam, ut quidam nomen scripserunt, per φλεβοτονέοντα, uenas extendi. Siue igitur
proprie appellatas uenas, siue arterias ipsas, quòd has interdum uenas antiqui appellent, agitari uel ex
tendi audire oporteat, mirari licet, quomodo nunc primum eas memorauit. Nam, si arterias indicare
uoluerit uel tendi, uel agitari, quod de uibratitia motione est intelligendum, de ipsis aliquid in multis
ægrotantibus dixisse oportebat. Nam, si auctor circa arteriarum motiones usque adeo diligens erat, ut
& uibrari eas & tendi obseruaret, nequaquam alias pulsuum differentias ignorauit. Quomodo igitur
de ipsis nihil scripsit? Si uero proprie appellatas uenas tendi memorauit, quomodo & non huius sym-
ptomatis iam antea mẽtionem fecit, quod scilicet in uehementibus capitis doloribus fieri consueuit?
Videntur siquidem in his, & præsertim ubi cum multa caliditate fiunt, pulsantes, & quasi uibrari tem
porum uenæ. Sæpius autem & colli iugularias, quæ uidelicet in superficie collocantur, motione pulsui
cuidam non dissimili agitari uidimus. Videtur quoque & in temporibus ex subiacentibus arterijs mo-
tio accidere, quo tempore illæ maxime pulsant. Ambiguitates ergo huiusmodi quidam effugere uolen
tes pro φλεβοδονέοντα, φλεδονέοντα inquiunt: nomen ἀπὸ τῶν φλεδόνων facientes: quòd autem φλεδόνας & nu-
gas & deliramenta quidam ueteres nominauerint, non te præterit. Affectiones igitur (inquit) cum uigi H
lijs existentes & in somnis delirantes urinam inconsulto χαλῶντες, quod est ἀπουροῦντες, id est excernen-
tes. Nempe ab affectionibus ad ægrotantes transijt, & rursum ad affectionem reuertens inquit, In co-
matosas aliquando finiuntur conuulsiones: inquiens autem, aliquando, nos a molestijs liberauit. Prin-
cipio siquidem neruorum affecto, ut uigiliæ, nugæ, & urinarum inuoluntaria excretio ostendunt, nil mi
rum inde phrenitim fieri, & coma, & conuulsionem, & uocis priuationem, & quod uis aliud tale pathe-
ma. Superfluum itaque fuerit ad hanc prædictionem tum superrigere, tũ nocte magis exacerbari. Sed,
quod iam sæpius est demonstratũ, scribit etiam, quæ prædictionibus ab ipso dictis minime conueniunt,
communia a proprijs separare nescius.

*Qui principio sudant urinis coctis, deuruntur que, & absque indicatione refrigerantur, & celeriter peruruntur, torpi-* 10
*di item comatosique & conuulsiui perniciose habent.*

Rursus hoc in loco, qui principio sudant urinis coctis, superuacaneum est. Nempe & deuri, & absq;
iudicatione refrigerati: perimere hominem sufficiunt. Deinde & celeriter deuri, ueluti & quæ prin-
cipium alterum faciunt, per seipsa ægrum corrumpere queunt: de quibus ita scripsit, torpidi item
comatosiq; & conuulsiui perniciose habent. Ab his utrisque, principio sudantes cum urinis coctis, scri-
psit:

A psit: quod perinde est, atque quispiam dicat in periculo mortis uideri hominem, quoniam & cerebri membrana perforata sit, & thorax simul perforatus, atq; in coxa ulcusculum æger habuerit, aut si quis periclitari hominem dicat propter aquam inter cutem & unguium abscessum. Quidnam proinde adhuc desideremus, quasnã dicat urinas coctas? de quibus antea dixi a Rufo Ephesio Zeuxidẽ empiricũ increpatũ fuisse, nempe falsum esse id, neque malũ esse aliquod, ubi tales vrinæ factæ fuerint: Verũ aũt esse, quòd laboriosæ urinæ malum aliquod significent: nempe eas indicari, quæ cum labore excernuntur. Secundo uero loco scriptum hoc de urinis coctis in utraque dictione, æque sermonem uitiasse nõ amplius credibile est, ut Rufus censuit Zeuxin redarguens. Sed forsan auctor coctas urinas crassas & albas uocauit, quoniam subsidentiam huiusmodi & in uere coctis urinis uidit: Quæ uero returbatæ iumentorum modo, non coctæ sunt.

11 *Vterum gerentibus si capitis dolores, soporesque cum grauitate fiant, uitiosi sunt: forsitan uero & his conuulsionis aliquid prodest.*

Quidam rursus præsentem nominum compositionem solœcismum habere uidentes, uerbum his, permutauerunt, talem efficientes dictionem: Forsitan uero & hæc conuulsionis aliquid pati iuuat. Ve-
B rum, ut antea retuli, dum intelligentia ipsa maneat, scribere unicuique suo arbitratu concedentes, de eorum, quæ referuntur, ueritate disseramus. At de ea certe iam disserere non sinit dictioni adiacens nomen, ἐγκυμόνεσι idest uterum gerentibus, quod explicatione eget. Non solum etenim nominum inusitatam compositionem dictionibus in singulis excogitare contendit auctor, uerũ quoque & ex nominibus ipsis unum duntaxat, atque interdũ & duo & tria inserit uel plane peregrina, uel nõ in eo significatu, qui apud græcos usui fuit. Quidam igitur ἐγκύμονας, grauidas eas, quæ non longe a cõceptione absunt intellexerunt: alij, prompte concipientes, atque assidue uterum gerentes: inquit igitur, Si capitis dolores, soporesque cum grauitate fiant, uitiosi existunt. Sed commune omnium ita habentium nomen ἐγκυμονεῖς adiecit: quomodo & orationem, cum grauitate, ut peruestigemus, utrum ne præter id, quòd laborantis totum corpus graue uideatur, id adiecerit, uel capitis dolores cum capitis grauitate, uel soporem cum grauitate. Sed, ubi quis uniuersa hæc transcurrerit, ad prædictionem nihilo plus assequetur, neque secundum hunc scriptorem: inquit ergo, Forsitan uero & his conuulsionis quiddam prodest. Cum autem uirum audieris dicentem, forsitan, atque ex particularibus tãquam uniuersalem inconsulto fecisse orationem, raro rem usu euenire liquido cognoscas. Quæ uero rarenter contingunt a prædicendi speculatione desciuisse sæpius tibi diximus. Nam, si tanquam contingentia fieri quis dixerit, sæ-
C pius iam audiuisti affectum cerebrum posse quoduis symptoma, uel in sensibus, uel arbitrarijs motionibus comitari: Si uero tanquam sæpius fieri non solum non fit sæpius, sed neque ambigue, quod nũc dixit.

12 *Dolores in faucibus gracilibus strangulantes, conuulsionis quiddam habent, tum alias, tum a capite orti: ut Thrasynontis fratris filiæ obuenit.*

Ex hac quoque dictione librum hunc non esse legitimum Hippocratis quis dixerit, ubi inquit φάρυγγι λεπτῇ, idest faucibus gracilibus. Nempe scripturam hanc habent tum antiqua exemplaria omnia, tũ interpretum cõmentarij, nisi scribentis uitio id uertatur, quomodo & alia multa in exemplaribus multis uitiata reperiuntur. Artemidorus tamen & Dioscorides manifeste φάρυγγι λεπτῇ scripserunt. Nempe, quòd φάρυγξ fœmineo scribatur genere, superioribus omnibus est confessum. Reperitur quoque & in hac dictione φάρυγξ ὀδυνώδης ἰσχνὴ μετὰ δυσφορίης πνιγώδης .i. fauces graciles dolentes cum implaciditate, strangulantes. Quod autem ægros cernens, concursiones horum scripserit, neque ex ijs, quæ uiderit, seipsum instruxerit, neque ad uniuersale particularia reduxerit, uel ex hoc palam fecit. Non enim fauces semel memorauit, ueluti in præsagijs Hipp. fecit, omnia, quæ de eis sunt continuata serie, & non sæpius alias in alia libri parte percurrens. Quod ergo in præsenti dictione ait auctor, si sæpius seorsum
D dictorum memor fueris, etiam in hac cognosces, quonam pacto ex inuento particulari in enunciationem ire uniuersalem ausus sit, nominatim Thrasynontis fratris filiam perstringens: In qua scriptam concursionem conspexit.

13 *Quibus tremores, conuulsiones, facti cum sudore, redire consueuerunt, judicatio his euenit, ubi superriguerint, superrigent hi occluso in uentre ardore.*

Dictionem hanc quidam in duas dispertiunt orationes, unam quidam, quæ ita habeat: tremores conuulsiones facti. Fatentur uero hi orationem hanc mancam esse, subaudiendumque aliquid, de quo paulo post dicam, uolunt: alteram orationem principio altero efficiunt, cum sudoribus, redire consueta, iudicatio his euenit, si superriguerint. Qui uero orationem utranque connectunt, sine articulo, τὰ; scribunt: Tremores conuulsiones facti, cum sudoribus redire consueuerunt: id quod quia falsum sit, ab expositoribus est damnatum: alterum uero, quòd mancum. At, quod dictioni deest, scribentis delicto id accidisse potest: falsitas autem ipsa nullam admittit excusationem. Nempe, q tremores conuulsiones facti cum sudoribus redire consueuerint, falsum est, cum redire non consueuerint, sed letales existant, siue cum sudore fiant siue non. Considerabimus igitur ea, quæ hi dicunt: Tremores conuulsiones, facti, mortem inferunt. Aut tremores, uel conuulsiones, per se

legi

legi præcipientes. Nempe & hoc intelligi pacto posse inquiunt: Tremores conuulsiones facti mortem inferunt: Posse autem & in hunc modum: Tremores uel conuulsiones si fuerint, praua existunt: ut prius quidem plane perfectam absolutamque ex tremoribus in conuulsiones degenerationem doceat: posterius uero, tremoris affectionibus ubi superuenerit conuulsio, sequi mortem: utrunque siquidem est letale: sed prius quidem tanquam tremoribus ad conuulsiones ante hominis mortem transmigrantibus, posterius uero tanquam plane cum hoc factis, atque ubi firma fuerint, mortem inferentibus. Cui uero hæc placent, ipsis licet uti. Ego autem ad eos pergam, qui principio altero dictionem cum articulo τὰ legunt, τὰ ἱδρῶσι παλινδρομέοντα id est cum sudore redire consueta: deinde subticentibus nobis & postea legentibus, iudicatio his euenit, si superriguerint. ut sermo huiusmodi sit: Cum sudore desistere uisæ affectiones, rursumque reuertentes, & rursum ignescentes, atque iterum sudoribus solui uisæ, ueram certamque habent solutionem iudiciumque, ubi superriguerint. Quod autem deinde dicitur, superrigent hi præcluso in uentre ardore, eiusmodi habebit sententiam: uentris æstus antecedit superuenturo rigori. E

*Lumborum dolor cum & capitis & stomachi dolore, atque ex screatu uiolento, conuulsiuum quippiam habet, submutumque cum iudicatione rigorem.* 14

F

Quidam dictionem coniunctione, &, semel scripta exponunt, conuulsiuum quippiam habere nõ ex prædictis quatuor fieri, sed ad ueritatem de omnibus prædici uolentes: quatuor dico lumborum dolorem, capitis, stomachique, & uiolentum excreatum. Ita fit, ut hoc scribant modo: Lumborum dolor capite & stomacho dolenti: alij coniunctionem, &, bis scribunt: quo ego modo protinus ab initio scripsi, propterea quòd exemplaria complura ita habeant. Descriptio autem tale quippiam indicabit. Lumborum dolor, si & capite doluerit quis, & stomacho, uel cum screatu uiolento, cõuulsiuum quippiam habet: quanquam & dictio ita scripta utrunque simul ægrotanti factum significare possit, & lumborum dolorem, & cephalalgiam. Ego autem neque experientia neque rei natura, conuulsionẽ prædictis consequentem esse pronunciare possum. Quinetiam auctor adiecit, conuulsiuum quippiam habet, quod idem est, ac si dicas symptomata huiusmodi conuulsiua esse. Docui porrò antea, quòd nõ similiter audire conueniat caurum hominem tales exprimentem uoces: & eum, qui facile de particularibus, tanquam uniuersalibus, pronunciat. Nam, cum temerarius ille hæsitans dicat, conuulsiuum quippiam habet, uel exiguum esse, uel raro contingere, quod dicitur, ostendit. De singulorum autem quæ in omnibus tertij huius commentarij dictionibus referuntur, symptomatum uirtute, paucis quidem docui in horum commentationum prima & secunda: Longe autem lateque in præsagiorum commentarijs, uberius uero ac fusius in libris de iudicationibus & symptomatum causis: Non pauca quoque de his in libris epidemiorum sunt enarrata. Satis ergo hoc loco fuerit solam dictionem explicare, atque insuper, uerumne an falsum sit, quod enunciatur, aut frequens, aut ambiguum, aut rarum, sententiam adiungere. Post orationem, conuulsiuum quippiam habet, scriptum est nomen submutum: quod quidam cum prædictis connectunt, ita ut fiat talis dictio: Conuulsiuum quippiam habet submutum. Alij, principium dictionis, quæ infertur, esse existimant, commutantque iterum ij ipsi dictionẽ. Nempe alij sine articulo scribunt, alij neutrum articulum adiungunt, talem fabricantes dictionem: τὸ ὑπόκωφον id est submutus cum iudicatione rigor, uentris deiectiones subliuidæ turbationis plenæ & urinæ tenues. Quidam legunt per se, cum iudicatione rigor, neque cum prædictis neque cum sequentibus ordinantes. Alij totam dictionem commutant, atq; ita scribunt, ὑπόφοβον ἅμα κρίσει ῥῖγος. id est subterrefaciens cum iudicatione rigor. Consequenter autem tibi utrorumque expositionem per se exacte scribam. Quidam igitur cum iudicatione rigor per se scriptam esse uolunt, multasq; fieri cum rigore iudicationes significare. Orationem uero ὑπόφοβον ἅμα κρίσει ῥῖγος dixi iam antea quosdam permutare, & pro ὑπόκωφον ὑπόφοβον scribere: geminamque faciunt expositionem, alij quidem pro φοβερὸν ἅμα κρίσει ῥῖγος dici putantes: alij pro μετρίως φοβερόν, quasi mediocriter terrificum dixeris: ut τὸ ὑπόκωφον simile sit τῷ ὑπόφοβον. Fuerit autem & tertia quædam scripturæ huius expositio talis. Componere quouis modo rigorem bonum non est: ueluti si uel per sanguinis eruptionem quis, uel uomitum, uel uentris uacuationem, uel sudores, uel hæmorrhoidem iudicetur, uel mulier per menstruam purgationem rigeat. Sæpius autem fieri uidetur, ut bonam aliquam uacuationem antecedat rigor: cum uero iam excernunt, rigorem incipere malum. Quòd autem id uerum sit, qui multos ægros diligenter contemplati sunt, norunt. Si uero prædictionum auctor ita censuerit, est diuinandum. Principio siquidẽ neque, an ab illo scriptum τὸ ὑπόφοβον sit, nouimus. In antiquis enim exemplaribus plurimis non ita scriptum est. G H

*Ventris deiectiones subliuentes cum perturbationibus, & urina tenues aquosaque, suspicionem habent.* 15

De his utrisque seorsum in præsagijs disseruit Hippocrates tum liuentes uentris deiectiones prauas esse inquiens, tum urinas tenues aquosasque. Nunc suo more diuersi generis notas complectens nihilo plus docet. Potuit sane & his auctor praua sputa coniungere, uel spirandi difficultatem, uel aliam quampiam uitiosam notam. Quidam uero expositores dictionem hanc huic, submutus cum iudicatione rigor, coniungunt, unamq; totam efficientes, super dictis omnibus illatum esse ab auctore

dicunt,

A dicunt, id quod in calce dicitur, ὕποπτα idest suspicionem habent. Nempe & his subliuentibus, scilicet uentris deiectionibus urinisque tenuibus & aquosis, non absque ratione infertur, suspicionem habēt. Si uero quispiam his addiderit & submutum, non suspectam solum ait esse concursionem, uerum quoque & euidenter malam.

16 *Fauces si parum exasperentur, uenterque inanibus surrectionibus murmuret, & frons doleat, contrectatique fatigentur, atque in stragulis uestimentisque doleant, quæ ex his augentur, difficilia existunt: somnus multus in his conuulsiuus, & dolores in frontem graues, & mictio proteruiens.*

Ventrem murmurantem cum inanibus surrectionibus quidam phreniticum esse symptoma contendunt: Nempe duobus modis errare eos, uel quòd quæ sub sensum cadunt, non sentiant, quanquā cū dolore persæpe fiant: uel quòd, quæ sub sensum non cadunt, sentire uidentur: altero autem modo resurgere quidem eos tanquam morsos aiunt, sed nihil operari, quoniam neque, quod morderet, erat: morderi siquidem sese putant, sed nō mordentur. Oratio autem, In stragulis uestimentisque dolentes, ex assueto sibi enunciandi modo absurde dicta est, quæ talem habet sensum: tactum eorum, quæ ipsis substernuntur, non fetentes sed dolentes. An ne quidem & ob id, q̄ ab incumbentibus grauētur: (dura siquidem esse arbitrantur uel mordentia, quæ substrata sunt, atque inuisam habent, quæ circunfunditur, uestem stragulam) aut, si ob aliud quippiam ipsis cōtingit, prorsus est incertum. Deinde & alia deinceps recensens, cum inquit, somnus multus in his conuulsiuus, sophistis præbet peruestigandi occasionem, an possit aliquando somnus lædere. Nam aut iuuare ipsum inquiunt: aut, si non iuuet, nequaquam tamen unquam lædere. De ea re autem in aphorismorum cōmentarijs antea disserui. Neque uero, si somnus multus lædit conuulsionem efficere uidetur, at solum periculosum esse morbū ostendit. Mictio aūt proteruiēs miro modo ab auctore in obscuritatē est excogitata: ita ut inter expositores alius dicat ἀναλ-λαλιδ[illegible], eam, quæ fit cum dolore, esse dictam: alius eam, quæ retinetur: alius eam quæ ægre fit, & eam quæ cōtinue, & eā, quæ in stillicidio urinæ fieri solet: eam uero, quæ præpotēter mordet, alius. Vbi uero omnia percurrerimus, nihil, quod effatu dignum sit, ad prædictionem consequemur propter eam, quā sæpe retuli causam, quòd scilicet permulta diuersi generis confundit permiscetque symptomata. Argumentum rei huius maximum est, uel hoc, quòd interpretum non nulli eo quidem ierint, ut dictionē pertingere ad hanc usque orationem, somnus multus in his conuulsiuus, existimarent, principio aliorum quæ consequuntur, legi præcipientes: alij uero coniungant, at ex coniungentibus alij alia in parte C consequenter dictorum circunscribi dictionē uelint. Si igitur omnia ad finem usque quis persequatur, quæ in singulis suspicionibus separatim expositores dixerunt, longum sane efficiet sermonem, nihilq; eos, qui in hunc incident librum, iuuabit.

17 *Vrinæ detentio & quibus rigores ex his conuulsiones: ut & ipsa, ubi inhorruit, sudauit.*

Si coniunctionem, &, permutauerimus, sermo erit dilucidior, talis redditus: Vrinæ retentio quibus rigores & ex his conuulsiones: hæc particula, quibus rigores, dicta est & in libris epidemiorum in hac dictione: Ante rigorem urinarum retentiones. Quòd aūt & in conuulsiuis affectionibus urinæ retineantur, præposuit auctor in præsenti dictione. Quæ autem temere a quibusdam dictionis huius explanatoribus dicta sunt, subticere est melius. Ego aūt explanationem ad eam, quæ idonea sit, prænotionem dico. Sequitur, & ita, ubi inhorruit sudauit. Quintus quidē solam hanc cum sciret scriptionem, quā in antiquis, ut ait, exemplaribus reperit, fatetur se nō intelligere. Verum in compluribus exemplaribus scriptum est, & ipsa, ubi inhorruit, sudauit. Vt mulieris nomē ea uoce intelligamus, quam, ubi inhorruit, sudare contigit.

18 D *Syncera desistentes purgationes alibi quidem exacerbantes. his uero & ualde si fuerint, ex talibus parotides exurgunt.*

Præstabat pro purgationibus uacuationes dicere. Nempe, cum excerni contigerit, quæ corrupta sunt, purgatio est corporis: Cum[ uero] excernantur, quæ ui morbi fiunt, [uacuatio.] Cui uis autem, q̄ de his dicatur, patet ex uerbo desistentes, quòd expurgantes corpus uacuationes principium quidem à synceris interdum habent, sed desinunt in benignas mitesque deiectiones, his uero & ualde tales exacerbātes esse uacuationes, ad antedicta relationē habet. Antea aūt dictū est: urinæ retentio, quibus rigores, & ex his conuulsiones. Prænotio autem in ea re est, q̄ parotis suscitari possit: atque ob id scribitur, q̄ ægro cuidam ex ijs, quæ in dicta concursione relata sunt, parotida habere contigerit: non tamen perpetuo, sed magna ex parte parotidas prædictam sequi concursionem est rationis consentaneum: diximus siquidem talium abscessuum notas

19 *Turbulentæ ferocesque e somno excitationes, conuulsiuæ, tum alias, tum cum sudore.*

Iam antea concursiones huiusmodi explanauimus, nihil sane, neque quod necesse sit, neque magna ex parte, habentes: atque ob id præsentem dictionem quidam ijs, quæ inferuntur, nectunt: cæteri autem distrahunt.

Ceruicis

*Ceruicis dorsique perfrictiones apparentes per totum corpus, in his & spumosæ urinarum excretiones cum animæ deliquio, atque in oculis totius lucis impedimentum, conuulsionem prope esse indicant.* E 20

In multis quidem exemplaribus dictio ita scripta est, perfrictiones apparentes. in alijs uero melius hoc pacto, apparentes per totum corpus. tanquam fieri non possit, ut totum simul refrigeratum sit corpus, atque ob id bene adiectum sit, apparentes. Quod deinceps dicitur, non paruam habet in scriptura controuersiam: quidam enim scribunt ἀφρώδεις idest spumosæ mictiones, alij autem πυώδεις, idest purulentæ: sed ad totum rei sensum uerbum, spumosæ, est rationabilius. Nam purulentæ mictiones, si proprie utique intellexerimus, & non, ut libri huius auctor improprijs nominum metaphoris uti consueuit, pus urinis permistum esse indicant. Puris autem generatio, tantum abest, ut conuulsionem significare possit, ut etiam in aliquo, qui conuulsionis incurrit suspicionē, signum bonum sit, morbum concoqui ostendens. Spumosæ uero siue ob colliquationē, siue ob perturbationē quandam, flatuosumq; spiritum exoriantur, suspectæ utroque modo ad conuulsionem existunt: non tamen purulentæ his similiter. Si uero improprie purulentas dixit urinarum tum crudarum, tum crassarum excretiones, neque ita suspectæ sunt, neque ad conuulsionis generationem proficiunt. Animæ autem defectio, & totius in oculo lucis impedimentum, quod ἀμαύρωσις dicitur, imbecillæ animalis facultatis signa existunt. Conuulsionem igitur non ea symptomata dictis adiecta, sed sola illa possunt indicare: illa dico, ceruicis dorsique perfrictiones unà cum toto corpore: urinam item spumosam, aut crudam, aut incoctam. Totius autem in oculo lucis impedimentum per accidens conuulsionis expectationi fidem faciet, quòd principium neruorum affectum significet. Nosse autem oportet & concursionem hanc *uirtutum inferre conuulsionē, non tamen perpetuo, uel ut plurimum, sed ambigue magis, si spumosas scripserimus: neque si scribatur, purulentis expers, ut dictum est, expectationis erit medium utriusque obtinente, si ὑπνώδεις, i. somniculosæ, scriptum sit, sed illis adhuc magis, si crudæ & incoctæ uideantur. Quæ autem ex ipsis cessauerint, his prope esse tum conuulsionem, tum mortem indicant, & in oculis totius lucis impedimentum & apsychia. Dicit autem animi deliquium. Dioscorides pro ἀψυχίη scribit ἀτονυχίη. F * facultatū.

*Cubiti & ceruicis dolores conuulsiui: a facie autem hi, atque in faucibus sonitus multi cum saliuatione, sudores in his per somnos boni: an & sudore quam plurimos leuari non malum?* 21

Orationem, a facie autem hi, intellexerūt omnes, ut æquam habeat conditionem cum hac, a capite. Nempe & supra in alia dictione dixit, tum alias, tum a capite orti. Quare autem conuulsiua hæc dicat symptomata, non est incertum ijs, qui antedictorum meminerunt. Quidam uero primam dictionis partem per se tum scribunt, tum legunt, ut sermo talis sit: Cubiti ceruicisque dolores conuulsiui: a facie autem hi non amplius indigentibus nobis ad conuulsionis prænotionem consequente oratione. Hi autem coniunctionem, atque, tollentes, principium consequenter scriptorum hoc fecerunt, in faucibus sonitus frequentes. Quidam pro ἦχοι idest sonitus, scribunt ὄχλοι, idest tumultus, ita: in faucibus tumultus multi. ut Dioscorides. Capito autem ita scripsit: Atque in faucibus ὦχροι idest pallores frequentes. Prompte siquidem, ut persæpe est dictum, recentiores in obscuris libris ueteres scripturas pro arbitratu mutabant. At hæc quidem, quoquo modo habeant symptomata, mala sunt: uidenturque ad præsentis dictionis ueritatem quippiam conferre. Sed iusta est quæstio, quam ob causam adiecit, sudores per somnos in his boni. Nihil enim est peculiare hoc pacto laborātibus, ut a sudoribus per somnos duntaxat iuuentur. Nempe commune est commodis sudoribus tum in dictis affectionibus, tum in cunctis alijs limitationes habere alias, ut si ex morbi coctione fuerint, si per uniuersum corpus, si diebus iudicatorijs, si febres & symptomata sedauerint. Sudores autem, qui in somnis fiunt, uigilantibus fieri sit peruacaneum. Quidam uero sermoni opem ferre cupientes, sudores in ijs, qui conuelluntur, ob morbi robur fieri aiunt. Si igitur corpore tum exoluto tum relaxato, quod in somnis fit, id oriatur, sudare hos secundum naturam est existimandum. Quod deinceps dicitur, maiorem habet dubitationem scribente ipso, An & sudore quamplurimos leuari non malum? nullam siquidem ambiguitatem habet, quod manifeste est bonum: si minus, at prorsus certe non malum. G H

*Doloresq; si ad infernas dilabuntur partes facile ab his perferuntur.* 22

Quòd, quasnam infernas dicat, non adiecit, propterea geminam expositores fecerunt scripturam: alij siquidem εὔφοροι idest facile perferuntur, scripserunt: alij autem δύσφοροι idest difficulter perferūtur. Nam, si ad thoracem, & os uentriculi peruenerint dolores, maiorem inducent tolerandi difficultatem, quàm cum in ceruice cubitoque essent: si ad crura, morbosam totam affectionem insigniter iuuabunt.

*Qui in febribus sudant cum capitis dolore suppressa aluo, conuellentur.* 23

Ex breuissima interdum expectatione conuellendos scribit. Nempe forsan semel quendam ita habentem conuulsum uidit, non sæpius. Liber autem fere totus ad delirij conuulsionisque prædictionem expenditur. Si quis igitur auctori crediderit, & in febre capite dolentes cum sudore & alui retentione conuellendos enunciare ausus fuerit, sæpius admodum aberrans, semel petitum assequetur.

24 A *Subarenosa & liquida deiectiones, perfrictionesque non sine febre uitium habent: rigores ex eis tum uesicam, tum uentrem prehendentes dolorem pariunt: an & his comatosum conuulsionem quandam habere fuerim admiratus?*

ψαδυρὰ per δ attici scribunt: per θ, uero ψαθυρὰ ceteri omnes, uocantque ψαθυρὰς hoc est friabiles carnes, quæ duris fibrosisque & ægre diuellibilibus atque mandi contumacibus cōtrario habent modo: tales autem maxime sunt, quæ a multis ταρχεῖαι appellantur, diem unum uel duos a iugulato animali repositæ. ἕωλας autem eas Græci uocare consueuerunt, quasi biduanas uel triduanas dixeris: & ἑωλίζειν ita ante putrefacere: hinc edulium summe recens ἐπὶ βραχὺ προσαπεσηπότα, idest parum adputrefactum, mortificatumque dicitur. Constar autem ex eo, quod postea ita dictum est: Senibus ad finem accessit. Ego igitur ostendi, quænam dicant homines ψαθυρὰ, in edulijs, & non excremētis orationem habentes. Sed libri huius auctorem æquum erat nobis dicere, quænam excrementa subarenosa uocet: nempe quæ mediocriter arenosa, constat. Prorsus siquidem ad eum spectabar nobis ostēdere, quænam dicat subarenosa. Cum autem prophetæ uaresque ipsi inter se controuersi existant, maior adhuc nobis, qui prophetæ non sumus, existit dubitatio. Nempe est, qui liquida nunc simpliciter dici ait: alius cum aquositate liquida, crassitiemque & substantiam nullam habentia: alij ea tanquam pinguitudine uacua: alij ueluti non glutinosa, alij, nescio (quod ipsis uisum sit,) aiunt ea quæ humidis alijs, olei instar, non miscentur: alij in B liquida deiectione biliosos & incoctos globos: alij autem, quæ facile dissoluuntur, ut si arenam aqua consperseris, deinde digitis componens constrinxeris, & mox, ubi solueris, diuulsam dissolutamque dixeris. Videnturque hi ceteris probabiliores esse. Eadem uero potestate dicunt, qui non glutinosa esse aiūt: quæ quis composita & una uoce dixerit ἀγλισχρα, idest non glutinosa: si enim ab arenulentis edulijs ad deiectiones transferre similitudinem liceat, probabilius fuerit dicere ψαθυρὰ alui excrementa esse, quæ de facili dissoluuntur, nullamque habent ægre dissolubilem unionem. Talia uero excrementa fiunt & a cibis, qui arenulentam, & solutu facilem habent substantiam. Vidi ego, cū in agro essem, hortulani pueros frumenti quidem indigos, pyris uero abundantes, talia deijcere. Qui milium panicumq; edunt, uel hordeaceos panes, similia his excernunt. Si uero triticeos panes quis edens talia deiecerit, quòd tenuis & dissoluens humiditas excrementis permista sit, quæ mutuam prohibeat unitionem, est suspicandum. Dioscorides, ut multa alia in obscuris libris prompte commutauit, ita & uerbum ὑποψάθυρα permutauit, fecitque ὑποζόφερα, appellarique is ita ait subnigrantia: Nempe & tenebras ζόφους dictas esse apud Pindarum. Post uero ψαθυρῶν ut uaticinium, uel coniectationem, uel temeritatem, (nempe, quòd quis in talibus, tanquam certe nouerit, enunciet, temerarium existet,) ad consequentes pergamus dictiones: ex quibus prima est, perfrictionesque non sine ardore. quod rursus ipsum certo nosse, C quid sibi uelit, temerarij est hominis. Cōijcientes uero & in hac re, ut in alijs libri huius multis fecimus perfrictiones non sine ardore dici assereremus, cum quis superficie quidem perfrixerit, in imo autem corpore sentiat igneam caliditatem. Has igitur uitiosas esse ait. Quis enim cute quidem perfrigescentem, intus uero ardorem sentientem uitiose habere non nouit, etiam non quærētibus nobis, an subarenosa deiecerit? Nempe scriptis in præsagijs contenri ad dignotionem tum bonarum, tum malarum deiectionum, non fallemur. Deinceps autem in præsenti dictione scriptum est ita: Rigores ex his tum uesicam rum uentrem prehendentes opprimentesque, dolorem pariunt. Quærere igitur rursus nos hoc loco uult scriptor, quidnam significet uerbum ἐπιλαμβάνοντα, idest prehendentia. Nempe antea ipsas ἐπισχέσεις, i. retentiones, uocauit, ἀπολήψεις, idest interceptiones. Nūc aūt, qui ἐπιλαμβάνοντα scripsit, alijs quidē in re eiusmodi nomen ferre uidetur de interceptionibus retentionibusq;, quas ἀπολήψεις uocant: alijs uero, quòd ueluti admodum extendantur, indicare. Quod uero dicitur, dolorem pariunt, sufficit ostendere ægrotationē quandam significari per uocē ἐπιλαμβάνοντα. In ceteris quidem operibus plurima eorum quæ dubitationem afferunt, ex illatis dignoscuntur: in hoc uero libro maior perpetuo priore infertur quæstio: quomodo & nunc, cum inquit, An & his comatosum quandam habere conuulsionem fuerim admiratus? Nempe uel tale est, quod ait, in ijs, quæ dicta sunt, uel tum omnibus, tum consequentibus. D Nam & id patet comatosam affectionem habere quippiam simul existens, quod conuulsionem repræsentet, ueluti in quo quidem & ipsa etiam simul existit, quòd prædicta comatosum sequatur. Sed neutrū horum neque est necessarium, neque ut plurimum euenit: & quidem auctor ipse cōsentit: adiecit enim coniunctionem dubitandi, an. Deinde ipsi acclamauit, cum dixit, non admiratus fuerim? Nempe ita in compluribus & fide dignis exemplaribus est scriptum, ueluti & in alijs quibusdam nullo pacto scriptum reperitur.

25 *Quæ in acutis morbis uomendo trahuntur, uitiosa: atque albæ deiectiones difficiles. Lentore carentia ex his percurrentia multo cum æstu in mentis eunt aberrationem: an ex his comatosi, torpidique postea fiunt: morbus ex talibus diutius manet: an & circa indicationem * arescentes difficulter spirent?*

*tussiculosi

Quæ in acutis, inquit, morbis in uomendo trahuntur, uitiosa sunt: tale aūt quippiam & antea est scriptum: nosque in similibus similia dicere cogimur. Adijciam uero & nūc & illud, quod ante dictum non fuit, cum nauseam fieri dicebam, quando ad expurganda, quæ contristant, uenter cietur. Quidam & ob phlegmonen ipsius nauseabundam fieri affectionem dixerunt: quod in uniuersali sermone continetur. Nam, si phlegmone sua propria ratione nauseam pariat, nunquam uenter phlegmone obsideri citra nauseam reperietur. Incidit autem huic symptoma eiusmodi, cum phlegmone obsidet, duobus modis, altero

altero quidem,cum tenues quædam humiditates ex inflammatis particulis ad interiorem ipsius capaci E
tatem decumbentes,collectæque in eo loco os ipsius contristauerint. Altero autem,cum permistio af-
fectionum fuerit. Duabus siquidem inter se complicatis affectionibus,per se in utraque fieri solet. Per-
mista igitur ea,quæ nauseam parit,affectione,cum phlegmone,propter alteram earum nauseãtes ægri
fiunt,non propter phlegmonem. Contingit autem non nunquam ut ex moderatis nauseis uomitus sta
tim incidat, non nunquam sane & conturbatio quidem plurima & frequens fiat, uomatur uero uel
nihil, uel prorsus paucum : quod conijcere licet his uerbis, uomendo trahuntur, ipsum uelle signifi-
care,quæ in præsentis dictionis capite sunt posita. Prauum autem est,non ut signum tãtum, uerum etiã
ut causa,symptoma huiusmodi. Nempe,quatenus succi malitiam, excerni contumacem contineri in
uentris ore ostendit,catenus signum prauũ est. Quòd uero continuis lacerationibus uellicationibusq;
uentrem afficiat grauetque,ob id rursum tanquam causa ipsius erit,phlegmones quidem nondum exi
stentis,tanquam modo futuræ: eius uero,quæ iam adest,tanquam incrementum suscepturæ. Præterea
albicantes,ut inquit,deiectiones difficiles:quod quidam ab antedicto separant,ceteri,coniungunt. Ce
terum,quod de prædictis antea diximus,idem & de his nunc dicimus:albæ etenim deiectiones fiunt
non defluente ex hepate in uentrem bile:quod sane & per se & cum dicta ante oratione constare po-
test. Quia uero auctor dissimilia multa inter se commisceat,legentes ob id ea & copulare, & separare F
ab inuicem possunt. Sed,quod mox post albicantes deiectiones scriptum est, Lentore carentia ex his
percurrentia multo cum æstu,in mentis cunt aberrationem: inter ea,qua semel forsan uel bis uisa sunt
auctori, est, nullam,quæ necessaria sit,habentia consequentiæ causam,sed,ut sæpius iam dictũ est, quæ
fieri possint,interdum quidem quòd infesti transmittantur humores,interdum uero quòd diuidantur,
atque aliquando quòd increscente affectione plures occupent locos. Adde, quòd neque comatosos
eos fieri inter necessaria annumeretur,sed contingentia: quod & ipse confessus est,cum inquit, An ex
talibus comatosi?uisus est siquidem & id supra perpetuo adscribere,ubi enũciare quippiam nõ audet.
Cetera,quæ deinceps ad finem usque dictionis dicuntur,similem habent absurditatem, ut forsan iam
ab earum,quæ huic libro supersunt,dictionum explanatione temperandum sit. Nempe,qui exacte di-
dicerunt,tum quæ in libris Hippocratis scripta sunt,tum quæ in ipsorum explicationibus sunt dicta,hi
cognoscere possunt,quænam sane ex signis scripsit,quæ uim præsagiendi æqualiter perpetuo haben-
tem obtineant,quænam magna ex parte,& quæ ambigue uel raro:atque amplius quas in ipsis pro ma-
ioris minorisue ratione continuerint differentias: ut nihil ope mea ad præsentia indigeant. Ceteris ue
ro,qui priusquam illa didicerint,sese ad hæc conferunt, prolixissimæ in horum singulis orationis est
necessitas, ut non tribus, sed triginta opus sit libris. Ego uero consentientes uerisimilesque fide di- G
gnorum exemplarium scripturas in præsenti percurri dictione. Sunt uero & aliæ multæ scriptu-
ræ, aliæ aliter pro cuiusque arbitratu,sed ad infinitam,ut dixi, prolixitatem incidere cogar, si omnes
memorauero.

*Quæ ex lumbis ad collum caputq; redundant, resoluuntque paraplectico modo conuulsiua,& mentis uacillationem parientia: an & talia conuulsione soluantur? ex his uaria ægrotant per ea profecti.* 26

In hac quoque dictione est incertum,quonam pacto legere nos uoluerit, qui librum hunc scripsit:
an ex ordine uniuersa connectentes symptomata,deinde ab his dicentes, an & talia conuulsione sol-
uantur? an ad hanc usque orationem,resoluuntque paraplectico modo, serie continuata legere, mox
silentes rursum postea dicere,conuulsiua & uacillationem mentis parientia. Nempe quidam hoc mo-
do,alij illo legerunt. Deinceps etenim inquit,an & talia conuulsione soluantur? Conuulsiua, conuul-
sione solui,inter absurda est. Prædicta uero solui conuulsione probabilius quis intellexerit, (prædicta
autem sunt,quæ ex lumbis ad collum caputque redundant,resoluuntq; paraplectico modo) postea.si
fieri conuulsiua,& talia reddita paraplegiam soluisse. Hæc siquidem sensum quendam habere uidetur,
propterea quòd paraplegia affectio unius partis corporis talis sit,qualis est * paraplexia totius,huicq; H
aduersissimum sit secundum motionem pathema conuulsio. Nempe,cum partes affectas motu priuet
paraplegia,conuulsio ad motionem agit naturali uehementiorem,ita ut uiolenter hæ concutiantur: q
si obstructio uel humidorũ aut crassorum aut glutinosorum impactio in neruis fuerit,ob id paraplegiã
iuuare ui debitur. Quod uero in calce orationis dictum est,ex talibus uarie ægrotant per ea profecti:in
quopiam id factum conspexisse mihi uidetur. Nẽpe & semel ego ita affectum quendam, permutatio-
nẽq; uarie sese mutuo excipientiũ symptomatum habentẽ uidi. Fiebãt aũt & illi hæc prægressis lũborũ
colliq; & capitis doloribus:manus tota ab his ægre tũ sentiebatur,tũ mouebatũ:sicuti & in dictione di-
ctũ est,paraplectico modo cũ non esset exacta paraplegia:mox superueniens conuulsio sensiliorem eã
atque ad motiones expeditiorem fecit. Placata autem conuulsione,sensim rursum deterior reddeba-
tur: Deinde rursus tum lumborum,tum colli,tum capitis dolore correptus uniuersam subitamque ha-
bebat paraplegiæ in manu adauctionem:atque rursus postea non parum conuellebatur.

*Forte, apoplexia. uide lib.4. de uict. rõne in morb. acutis. cõ. 27. & ifra cõ. 68.

*Conuulsiones in hystericis sine febre faciles sunt: ut Dorcadi contigit.* 27

Et in hoc loco,quod a nobis cognoscitur,dictioni adaptabimus:nihil ab ea discentes. Nomẽ siqui-
dem facile ambiguum,quantum in se est,existit. Potest enim quis intelligere ex eo rationabilẽ earũ,
quæ

A quæ in histericis affectionibus fiunt, conuulsionum generationem. Potest quoque & dici securitas ipsarum. Nihil itaque dictio nos docet: sicuti neque alius, qui ambiguus sit sermo. Qui in rebus, quæ dicũtur, ueritatem scire præuertunt, uni ambiguitatis parti conueniunt, interdum autem & duabus: quo pacto & nunc hi legunt. Nempe mulieribus hystericis appellatis, quæ strangulationibus uteri capiuntur, fiunt & continue totius corporis contractiones conuulsiuæ, nec simile ceteris conuulsionibus periculum habent. Sed, quoniam & in magnis uteri inflammationibus conuulsiones interdum assident, ab his nunc dictas separauit, adijciens dictioni ἀπύρως, quod sine febre est. Nempe, quòd magnas uteri inflammationes febres consequantur, neminem latet. At non sæpius fiunt ex uteri inflammatione conuulsiones: si fiunt, periculosæ sunt.

28 *Vesicæ intercepta tum alids, tum cum capitis dolore, conuulsiuum quippiam habet. Quę ex his cum stupore exoluũtur, difficilia existunt, non tamen perniciosa, an & in mentis pellat uacillationem, quod huiusmodi est?*

Interceptionem tum urinarum, tum deiectionum pro retentione appellare consueuit: conuulsiuum autem quippiam habere ait: quod idem cum hoc est, posse aliquando conuulsionem prouocare: & præsertim cum dolor capiti aduenerit. Fuisse siquidem neruorum principium in societate affectus uesicæ B ostendit. Quod uero postea scriptum est. Quæ ex his cum stupore exoluuntur, bifariam est expositum. Nempe quidam de urinis dictum inquiunt, tanquam ex retentione cum stupore excretæ sint: uolunt siquidem quæ exoluuntur, dictum esse pro quæ excernuntur: alij uerbum exoluuntur de corporis partibus dictum esse intellexerunt: alij de uniuerso corpore: quasi sensione quidem torpens ipsum, uoluntaria uero motione exolutum fuisse dixerimus. Volunt igitur difficilia pro periculo uacantia dici, non tamen perniciosa. An uero in dictionis calce dubitanter enunciet in dementiam pellere, quod tale est, nec ne, sæpius mentem ipsius didicimus, in quibus addubitat.

29 *An & ossium, quæ in temporibus sita sunt, pertusiones conuulsionem accersant? uel temulentum sauciari, uel sanguinem ualenter erumpere, in principijs si id faciunt, conuulsiua?*

Quod in calce orationis dictum est, conuulsiua, in exemplaribus quibusdam adiectum non est: neq; si non adiectum sit, quantum ad intelligentiam rei spectat, quippiam refert: quia sub eo intelligatur, quod principio dictum est, Conuulsionem accersant? Dilucide igitur hoc in loco idipsum, quod in unoquoque ægrotante apparuit, demonstrauit: cum iustum esse sibi scripturam interpretari uisum fuerit, interdum quidem tanquam uniuersale enuncians, interdum uero addubitans: sicuti & nunc in ali- C quo, cui os capitis positum in temporibus, traiectum fuit, qui temulentus sauciatus est, confestimque erupit uehementer sanguis, & tandem est conuulsus. Cum ergo tria ipsi euenerint, unum quidem ossis temporalis traiectio, alterum quòd temulento id factum sit, tertium uero sanguinis eruptio: inquirit a quonam horum sit orta conuulsio: cui respondebo facile. Nam de ossis temporalis discissione ait Hippocrates. Quòd plagæ temporibus inflictæ letales sunt & perturbantes: quòd item in conuulsionibus distentionibusque temporum musculi primi patiuntur. De ebrietate uero aphorismum illum dixit: Si ebrius quispiam repente obmutuerit, conuulsus moritur. De sanguinis autem eruptione, quòd conuulsio a repletione fiat, uel uacuatione, non autem totius corporis, sed neruorum ipsorum: quo fit, ut ex sanguinis eruptione haudquaquam contrahantur, nisi refrigeretur uel propter præsentium incuriam, uel quòd sedare uelint fluxionem sanguinis per refrigerantia remedia.

30 *In sudore sputa præterfluentia febrienti ægro, leuia. An ad dies aliquot uentres humectentur? arbitror: an his abscessus in articulum futurus?*

Quidam dictionis antecedentis finem principium huius efficiunt, bifariam: alij quidem cum articulo τὰ σπασμώδεα id est conuulsiua, in sudore sputa præterfluentia: uerum, quod ad intelligentiam ipsam attinet, nihil interest, siue adiectus, siue ademptus fuerit articulus. Qui uero deinceps dictis, con- D uulsiua, præordinant, magnam faciunt sensus permutationem. Atque adhuc magis scriptura alia, quã recentiores quidam moliti sunt, pro ἐν ἱδρῶτι id est in sudore, nomen compositum ἀνιδρωτὶ id est non in sudore & absque sudore facientes. Si igitur non sæpius in dictionibus multis, quæ nihil conferant ad prædictionem, pro conferentibus adscripsisset, confestim culpassem eos, qui dictioni, conuulsiua, præscribunt, præordinantque. Cum uero & ipse adiecerit, quod nihil conferret, ignosco ijs, qui conscripserunt, conuulsiua, quanquam ad præsentia nihil, quod effatu dignum sit, conferat: siquidem in febribus cum sudoribus non iudicatorijs præterfluentia sputa, ob copiam immoderatam uel uirtutis imbecillitatem oriuntur: atque ob id sunt leuia, quasi non contumacia & uersu facilia dixerit. Absurdior autem fuerit intelligentia, si ἀνιδρωτὶ id est non cum sudore scripserimus: quanquam, qui scripturam antiquam permutauerunt, tanquam sapientius quippiam inuenissent, ita scripserunt, pro ἐν ἱδρῶτι ἀνιδρωτὶ facientes. Orationem autem hanc, an ad dies aliquot uentres humectentur? in ægro factum id uidelicet conspicatus ita scripsit, an multis euenire id possit, inquirens. Nihil autem certi, quantum ex dictis est, quod ipsi respondeamus, habemus. Nempe, quo pacto tali in ægroto cetera habeant, limitare oportet: de quibus dixit nihil. Modus idem est de futuris in articulos abscessibus. Constat enim quibusnam ex signis talia definire oporteat: de quibus impræsentia nihil dictum est.

*Quæ cum tantula ferocitate in desipientiam pellunt, melancholica: si uero a muliebribus fuerint, ferina: maiore ex par* E 31
*te autem incidunt hæc: an & hæ conuellantur? an cum caro quoque uocis priuationes conuulsiuæ? quo modo coriarij filiæ*
*obuenit: cœpit autem malum præsentibus menstruis.*

Quamnam appellet melancolicham desipientiam, dixi antea. Nam is dictionis eiusdem, quam nũc retulit, scripsit principium. Præsens uero sermo, ut auctor fatetur, est, quòd coriarij filiam ex menstruorum retentione ferinum in modum delirasse conspexerit: demonstrauit autem per uocem hanc melancholici intẽsionem. Prompti siquidem sunt ad inferenda propinquis mala, qui ex melancholia delirãt: ubi autem ingentia mala designant, ferinas desipientias appellat. Sed, quòd ex purgationis menstruorum retentione talis oriatur desipientia, neque prorsus uerum, neque magna ex parte. Nam, si melancholicus fuerit sanguis, atque in cerebrum ierit, desipientiam huiusmodi parit: si uero biliosus, non talem sed consuetam familiaremq;: si copia pituitæ fuerit, cataphoram lethargumq; magis efficiet: si uero mistum ex his, mistam etiam affectionem ex cataphora & uigilia, uel desipientia cõficiet. Vt autem horum nihil uniuersale ipsis inest: sic neq; consequẽtium aliquid, quæ coriarij filiæ euenisse scripsit.

*Quibus conuulsis oculi fixe relucent, non apud se hi sunt, diutiusque ægrotant.* 32

Quidam pro παρ' ἑαυτοῖς scribunt παρὰ σφίσιν αὐτοῖς: sed, quòd utraque oratio, & παρὰ σφίσιν αὐτοῖς εἶναι, F
& παρ' ἑαυτοῖς εἶναι de his dicatur, qui tum intelligunt tum sentiunt, cuius patet. οὐκ εἶναι παρ' ἑαυτοῖς autẽ
est non intelligere, sed mente circumagi, distrahique iudicium: sed, quòd nota habeatur ex oculis fi-
xe relucentibus, ut ex alijs quibusdam, ignorant: satis uero fuerit in eam rem, quod ab eo dictũ est: Ocu »
li ferocitas desipientiã indicat: quo modo & idiotis ipsis dilucet, qui non prorsus stupidi existunt. Nem-
pe, quòd id semper subaudire oporteat, constat omnibus. Vocamus siquidẽ in eiusmodi omnia testes
idiotas, qui rudes tum existunt, tum uocantur: sed maxime quidem si fieri possit, natura prudẽtes: si nõ,
at non mente torpentes. In præsenti uero sermone supra modum relucere oculi ponuntur, quod per se
ipsum signum irascentium erat: sed forsan id oculo fixo, quod est feroci concurrens, uehementiorem e2
indicabit fore desipientiam. Superuacue autem ad prædicendum, quòd deliraturi tales sint, conuulso-
rum meminit: Nam & sine his procreari potest desipientia, & præsentibus his, non procreari. Aegrota-
turos autem diutius, temere magis dictum est. Nempe, in quibus conuulsis fixe ferociterque relucẽt
oculi, hos acute ægrotaturos, non diuturnius, rationi est consentaneum.

*Sanguinis ad latus diuersum eruptiones, malæ, ut si cum lienis magnus fuerit, dextra ex nare fluat: atque res in hypo-* 33
*chondrijs ita habet: cum sudore deterius id existit.* G

Si quippiam aliud sæpius contingere ipse uidi, ita & hoc. Videtur autem Hippocrates ex multis experientia, quam ex particularibus sibi fecit uniuersalia collegisse. Nempe & in epidemiorum libris ægrotos scripsit multos, alios quidem, quibus sanguis salubriter erupit: alios uero, quibus insalubriter. Causam horum alibi enunciantes considerauimus. Nunc id nosse satis fuerit, quòd, qui asserunt, quomodo ex hepate caua uena sursum per thoracem fertur, ita & ex liene aliam ortam partibus distribui sinistris, non uera dicant: cum una sola uena sit, quæ ex partibus septo transuerso inferioribus ascendit. Quæritur autem non sine ratione ab expositoribus, quam ob causam uerbo, lienis, adiecerit, magnus: aiuntque, qui maxime probabilia dicere uisi sunt, in paruo liene non admodum manifestam esse in utraq; uel præsidij uel offensæ inclinationem. Ego uero sermoni adiectum esse existimauerim uerbum, magnus, quasi uel tumefactus, uel in molem assurgens, uel phlegmone obsessus adscripserit. Nam, si lienis, simpliciter scripsisset, rursus alia oriretur quæstio, quonam uitio lienem affici dicat. Si igitur hoc non inquiramus, sed nobis constet in omni tumore præter naturam lienem fatigante, in latus diuersum sanguinis eruptionem nocuam esse, limitationis gratia uerbum, magnus, adscripsit. Exemplum autem hoc ipsum, uidelicet de liene, omnium commune est, quibus ad latus diuersum sanguis erum-
pit: atque ob id sermoni additur aduerbium, ut, perinde atque si ita dixisset: ut si, cum iecur magnum H
fuerit, ex sinistra nare erumpat sanguis. Ceterum ita a liene, tanquam exẽplo, ad iecur transire in promptu esse arbitratus, iecoris non meminit. Quòd autem a uiscere ad uiscus migratio fieri possit, adiecit hypochondrium, inquiens, Atque res in hypochondrijs ita habet, ne tãtum ex uisceribus directas sanguinis eruptiones bonas esse existimemus, uel malas, quæ in latus diuersum fiant, sed etiã ex hypochõdrijs ipsis. Cum autem uitiosa sit, quæ in latus diuersum fiat sanguinis eruptio, deterius adhuc fuerit signum, si cum desudatione contingat. ἐφίδρωσιν autem id est desudationem iam sæpius quidem in hoc scripsit libro, sed nusquam ita lucide, ut cognoscamus, nunquid sudores circa thoracem caputque apparentes ita appellet, an eos, qui toto emanant corpore, ubi tum pauci, tum nihil conferentes sint. Prauum autem utrunque horum est: deterius autem, quod in superis sit partibus. Nempe, cum omnis desudatio demonstret uel copiam in sudantibus partibus, uel facultatis retentricis imbecillitatem: utrũcunque eorum in locis tum thoracis, tum capitis fuerit, deterius est signum, quàm si in alia quapiam parte fuerit.

*Ex naribus exiguo cum sudore perfrigescentia, maligna prauaque.* 34

Rursus hoc loco interpretatione est usus, non adiecto orationi ex naribus perpetuo erumpenti sanguine, quod nos de necessitate subaudire oportet, propterea quòd nihil aliud intelligere ualeamus.

Fiet

A Fiet autem ſermo integer,ſi ita interpretari liceat:Si ex naribus ſanguis erumpat, cum ſudores uel fuerint uel ſuperuenerint,perfrictionem quidem ferunt,quæ malum indicant morbum.At,cum perfrictio tum in extremis fiat,tum per totum corpus,grauior certe,quæ per totum corpus eſt.

35 *Poſt ſanguinis eruptionem deiectiones nigræ,malæ:prauæ autem & impenſe rubræ:an & quarto die talis eruptio fiat? comatoſi ex his conuulſione finiuntur:an nigris procurrentibus & tumefacto uentre?*

Rurſum & hoc loco,ut in alijs multis,ſermonem manifeſtum utilemque ab Hipp.dictum confudit. " Eſt autem ipſius primum quidem uniuerſale huiuſmodi:Iudicatoriorũ non iudicãtium alia quidem le- " talia,alia uero difficilem faciunt iudicationem. Cum autẽ iudicatoria multa ſint, in horũ ſingulis ſuus eſt ſermo,particularis quidem ad eum,qui dictus eſt,relatus:uniuerſalis uero ad ſubiectos qualis & talis:Sanguinis eruptio non iudicans uel mortalis,uel iudicium reddit difficile. Ita ſudor, uel copia tum urinarum,tum deiectionum,tum uomituum,uel quæ per hæmorrhoidas,uel uterum excernuntur, & parotides,& ceteri abſceſſus. Omnia ſiquidem hæc,ſi non iudicant,interdum quidem letalia,interdum uero & difficilis ſunt iudicij,hoc eſt morbos iudicationis expertes faciunt. Cõmuniſſima autem ex his efficitur oratio,uniuerſaliſſima, generaliſſimaque, (uocet enim unuſquiſque pro ſuo arbitratu,) Iudi-
B catoriorũ non iudicantium alia quidem letalia, alia nõ iudicabiles faciunt morbos. Præſtat autem hoc loco,quando ſint letalia,& quando non iudicabiles faciant morbos,definiuiſſe: id quod ab Hippocrate ipſo eſt demonſtratum.Quæ nanque ex iudicatorijs nihil iuuant,ſunt iudicatu difficilia: quæ uero etiam in contrarium repunt,ſunt letalia. Iam, quæ ad contrarium inclinant, alijs ex ſignis certitudinem capiunt:quomodo & malignas ſcripſit hoc in loco deiectiones. Acciderit quoque aliter cuipiam altera talis affectio maligna,ut uomitus,uel prauæ urinæ,ueluti & perfrictio,quæ cum difficultate excalfieri poſſit,aut totius corporis,aut extremarum tantum partium:ſic etiam profunda ſitis,æſtuſque, & caligo,& implaciditas & uigiliæ,atque prauorum aliorum quippiam. Didiciſti uero hæc eadem omnia ex commentarijs de iudicationibus,atque ex præſagijs:quædam item ex epidemijs. Scripſit certe & hoc loco ſermonem uniuerſalem,particularium ſpeciem unam commemorans. Nempe, qui modo artem diſcit,putat ſola hæc maligna eſſe,de quibus audiuit.Si uero acri eſt ingenio, poteſt & alia quædam talia eſſe ſuſpicari,tempuſque expectare aliud,in quo & ipſa perdiſcat.Quod ſi non ita didicerit,ſed quæ particularia exiſtunt,rurſus expectabit,inſcius,quantum doctrinæ adhuc ipſi deſit.Qui uero uniuerſale didicerit,particularia omnia cognoſcit.At,qui hunc prædictionum librum ſcripſit, in particulari uerſatur:atque ob id interdum ex diuerſi generis ſymptomatis cõcurſionem aceruat:interdum uero ex uno
C ægro,aut duobus uniuerſaliter pronunciat: atque aliquando addubitat ambigitque, quomodo & nũc inquiens,An & quarto die talis eruptio fiat?Nempe, quòd quempiam uiderit, cui quarto die ſanguis erupit,omiſſo nomine ſermonem fecit,quãquam dies ipſi uniuerſalem in præſagijs habeant doctrinã. Rurſus autem particularia enuncians harum prædictionum auctor,non tanquam particularem,ſed tanquam uniuerſalem fecit ſermonem,ſcribens ita: Comatoſi ex his conuulſione finiuntur. non neceſſario fieri inquiens,ſed interdum cõtingere,ueluti & aliud quippiam inutile, quod habet generationem, ſed id quidem ſimpliciter enunciauit. De nigris autem procurrentibus & uentre tumefacto, reſpondemus ipſi & hic poſſe quidem & ea fieri,ſed neque perpetuo,neque ut plurimum.

36 *Sanguinem profundentia cum deſudatione uulnera,mala,loquentes ita affecti occulte pereunt.*

Quidam τρώματα, ideſt uulnera per τ & ρ & ω primam ſyllabam ſcripſerunt: alij autem τρομώδεα per τ ρ & ο: & uſitatiſſimæ quidem ſcripturæ hæ ſunt tum expoſitoribus, tum ſcriptoribus: ſed concurſionibus raræ exiſtunt:ueluti & quæ primam ſcriptam habet per τ ρ α & υ. Exordiendum igitur eſt & nobis a conſueta uſitataque, quam per τ ρ & ω ſcriptam reperimus, & quæ idem ſignificat cum ea, quæ per τ ρ α & υ ſcribitur.Nempe τραύματα læſiones eas appellat etiam Hippo.quæ ab externis infe-
D runtur cauſis.Feciſſe igitur in præſentia ſermonem non ſolum in uulneribus uel exanthematis, uel abſceſſibus,uel diuiſionibus,uerum quoque & in ſanguinis eruptionibus par eſt: quin in uulneribus conſonant magis,cum ſola hæc ſanguinem profundant.Quidam ſcriptorem hunc etiamnum de ſanguinis e naribus profuſione nunc agere dicunt,non in febribus ſolum, uerum quoque & in nuper dictis affectionibus†[interficere.]Siue igitur de omnibus his ſermo ſit,ſiue & uulneribus duntaxat, ſanguinis cũ deſudatione profuſiones malignæ ſunt:nec diſſimili modo, ſi & τρομώδεα, ideſt tremores ſcriptum fuerit. Illud autem,loquentes autem eos occulte perire,tale quippiam indicare aiunt, quòd tales nihil mali habere uideantur,ſed tanquam extra periculum conſtituti, & præſentibus loquentes, repẽte pereãt. Quòd ſi aduerbium λαθραίως.i.occulte hoc uelit ipſis ſignificare,naturalem interpretationem alienis metaphoris permutare ſummopere ſtudere uidentur. Putant nanq; uirtutem eſſe orationis ſemper a communi loquendi conſuetudine recedere:perinde ac ſi nihil referret,ſi quis uel ad deterius recedat.

†Non eſt in antiquis.

37 *Poſt modicam ſanguinis eruptionem nigramque deiectionem, in acutis morbis ſurditas malo eſt, ſanguinis deiectio in his pernicioſa:ſurditatem uero ſoluit.*

Continetur In hac concurſione uerum quippiam & uniuerſale. Nempe in acutis morbis, nigris ex deiectionibus ſi ſanguinem deiecerint,pernicioſum uere exiſtit:id quod & nos ſcimus & ceteri, qui in

artis operibus consenuerunt. Atqui symptoma esse uidetur secundum eam rationem, quã in suppurgationibus ultimum excernitur, quod sanguineum est: sed particularium est, in quibus scriptor nominauit. E

38 *Lumbis dolentibus stomachi dolores accedentes, signa eruptionis sanguinis puto notamque progressam.*

Non recte explanauerunt dictionem hanc plerique, qui in hunc librum commentarios scripserunt: simulque & pugnantia dixerunt. Videtur autem mihi quidam eam in discentium utilitatem exposuisse, sed hoc modo nõ meminit febrium uel acuti morbi, ut consueuit. Vt ergo sermo eius in non febrientibus sit, uerisimile est, ex nulla manifesta causa plures consequentes dies lumbis dolentibus atq; ore uentris. In his igitur uacuationem per hæmorrhoidas expectare oportet. Posses autem non solum id fore prædicere, sed & propter hæmorrhoidum retentionem ea fuisse conijcere: magisque si eius, qui hæc patitur, temperaturam uideas* melancholicã, ut tibi ex dictis prædictio nõ solum futuri, uerum & præteriti, & tertio præsentis sit. Nempe, cum ab alijs dictinctus fuerit lumborum & oris uentriculi dolor, præteriti quidem erit prænotio, quòd & antea fuisse illi per hæmorrhoidas uacuationem noueris: futuri, quòd & nunc erit: præsentis aũt affectionis perspicua sunt symptomata. Nempe copia in uenis aceruata tenue quoddam serum in uentrem confluens cardialgias parit in os ipsius ascendens, quod omnium fere partium maxime sentiendi facultate præstat. Plurima autem abũdantiæ portio ad inferum repens locum, in quem & primum deferri consueuerat, lumborum dolores efficiet. F

39 *Qui statis temporibus sanguinem profundunt, siticulosi hi, difficiles & exoluti si non profuderint, epileptici moriuntur.*

Hoc rursum loco satis erit uniuersaliter dicere, primum quidem, quibus uacuatio sanguinis consueta retenta fuit, his morbos fore plethoticos, manante ipso ad eas corporis partes, quæ retẽtis excretionibus propinquæ sunt, uel ad eas, quę imbecilliores existũt: particulatim uero de ijs, qui ex hæmorrhoide, utpote excrementis existentibus melancholicis, alunt uel melancholiam, uel phthisin, uel hyderũ, uel* scirrhos, uel cancrum, uel elephantem: præter hos autem unicuique in ea parte fore affectionem, quæ ceteris manifeste imbecillior existit. Non recte autem duorum symptomatum concursionem adiecit, sitis & exolutionis, in sanguinis retentione. Nam sitis nullo pacto retentionis sanguinis proprium existit: exolutio autem immoderatas excretiones non retentiones consequitur: & recte dictum est in secundo epidemiorum, Sanguine multo fluente lassescere. ubi, & quod ex uoce exolutionis significatur, exposui.

*al. uarices.

G 40 *Qui compositi perturbantur, peruigilant, naribus stillant, sexto die leuantur, nocte laborant, postridie sudant, in somnũ feruntur, delirantque, abunde sanguinem profundent: an & aquosa urina tale quippiam indicat?*

Dilucide rursus hoc loco ostendit, quod in particularibus apparet cõcursionibus. Nempe profluuij sanguinis peculiaria sunt signa clare in commentarijs de iudicationibus deinceps scripta. Nunc autem in homine, qui abunde sanguinem profudit, omnia, quæ sanguinis profusionem antegrediuntur, scripsit.

41 *Quibus sanguinis eruptio multa fuerit, procedente tempore aluus male afficitur, si non urina concocta fuerit.*

Dixit in aphorismis Hippo. Quibus in febribus sanguinis quacunque ex parte copia eruperit, cum reficiuntur, alui his humectantur: hic autem simpliciter inquit male afficiuntur: forsan in uerbo, male afficiuntur, complecti uolens, & humectantur, & quæcunque in uentre perperam fiunt, alijs quidẽ morsis, alijs inflatis, uel ructu acido correptis, uel prorsus non coquentibus. Omnia autem caloris natiui inopiam consequuntur, ob quam & urina aquosa uidetur.

42 *In iudicatorijs perfrictionibus sanguinis eruptiones uehementes, pessimæ.*

Couspicuus est sermo nullamque quæstionem habet, si uehementes & pessimæ scriptum fuerit: si uero, ut nonnulla exemplaria habent, pro κάκισται .i. pessimæ, scriptum fuerit κράτισται, idest optimæ, maxima oritur quæstio: quod defendentes non nulli tale quippiam significari aiunt: Quæcunque sanguinis eruptiones uehementes refrigerantur in iudicatorijs diebus optimæ sunt: tanquam refrigeratio sanguinis eruptiones retineat. Hi autem non scriptam enarrant dictionem, sed alteram, qua ita dici oportebat. Quæ in iudicatorijs diebus fiunt eruptionum sanguinis uehementium refrigerationes, optimæ sunt. Adde, quòd frustra additum sit, iudicatorijs diebus. Nempe, quocunq; die sanguinis eruptionibus uehementibus perfrictiones aduenerint, sanguinis eruptiones sistunt. H

43 *Capitis affecti grauitate, & sincipite dolentes, peruigilesque, sanguinem profundunt, tum alias, tum si quippiam in ceruice tendatur.*

Sanguinem profundunt quidem & in huiusmodi concursionibus, sed non * multi.

*al. multoties

44 *Qui peruigilauerint, repente cum inquietatione quadam sanguinem profundunt, tum alias, tum si quippiam non antè fluxerit: an & ubi perfrixerint?*

Concursioni quoque huic sermonem adijciam eundem, quòd quidam horum sanguinem profundunt in capitis doloribus.

45 A *Ceruicis dolores,impense rubri oculi,sanguinis eruptionem ostendunt.*

Vere hæc, quòd sæpius ad sanguinis eruptiones cõcurrant,intulit:cetera uero, quæ ante dicta sunt, raro concurrunt.In re eiusmodi magna præstant uirtute impense rubri oculi.

46 *Quibus uenter tenditur,sanguinem hi profundunt,superrigentque: an uenter intestinorum incurrat læuitatem, fiatque durus,uel ascarides fatigent,uel utrunque?*

Verbum αἱμοῤῥαγέει.i.sanguinem profundunt,auctorem uelle intelligere sanguinem e naribus fluere sæpius,non semel,ostendi:arbitrorque eum adnotasse aliquem,qui suppressa aluo sanguinem profuderit,deinde superriguerit,& postea intestinorum læuitate correptus sit.Sed, quòd aluus cum intestinorum læuitate indurуerit,controuersiam habet manifestam.Nempe quidam duritiem in ipso uẽtris corpore intellexerunt,nõ in excrementis:alij nihil id prohibere inquiunt, alijs quidem ita sanguinem profundentium adhuc magis,quàm antea,superinduratum esse uentrem: alijs uero contractam intestinorum læuitatem,ueluti & habere ascaridas. Alij fieri posse inquiunt lienteriam duram,si, quæ permeauerint, non solum qualitate uel inuertibilia, uel immurabilia manserint,uerum quoque & dura,qualia deuorata sunt,citra ullam madefactionem. Dioscorides præsentem dictionem in duo secans seor-
B sum quidem scripsit,Quibus uenter renditur sanguinem hi profundunt,& superrigent:an ad sanguinis profusionem tale consequatur? deinde principio altero,inquit, Venter intestinorum læuitate correptus,uel durus,uel ascarides,uel utrunque.Scribit autem non ἐπίσκληρος,sed ὑπίσκληρον per υ, & iuxta illud superne imponens ʽ, utrinque punctis includit: uult autem per uocem hanc ὑπίσκληρον, corpus induratum significari.

47 *Quibus ad caput manusque ex lumbis fit recursio,stupefacti hi,uentriculi ore dolentes, & saniosi sanguinem abunde profundunt,uenterque turbatis his copiose finit.*

Diligenter rursum hoc consideres loco auctorem,qui concursiones ita scribit,ut in quibusdam sanguinem profundentibus uidit.Et,si,quæ a me sunt demonstrata,memoria tenueris,iudicare ipse, quænam superflue scripta sint sanguinem profundentibus facta indicia, poteris. Cetera quidem dictionis similiter quàm plurimi scribũt: quidam uero non ἰχωρώδεες,id est saniosi,sed χολώδεες.i.biliosi scripserunt. Si uero corũ,quæ supra dicta sunt,memor fueris,quonam modo utrunque defendi possit,non ignoras.

48 *Quibus ex copiosa sanguinis eruptione & frequenti nigrorum multorum est deiectio, & tensio, sanguinem hi profun-*
C *dunt uentre dolentes:cum quadam uero fluxione facile ferunt.An hi sudores frigidos habeant multos?returbata his urina mala non est,neque, quod residet,genituræ simile:frequentius uero meiunt aquosa.*

Conspicatus quoque hæc omnia,uniuersale inde cõprehendisse ostendit, quòd singulorum, quæ dicta sunt,uires non cognouerit:quæ tibi cõstant,si es memor eorum, quæ dicta sunt tum in his commentarijs,tum in ijs,quos in præsagia fecimus,tum in libris de iudicationibus. Meditationem quoque eorum exercitationemque in epidemijs perdidicisti.Lectis autem aut semel aut bis talibus, ut memoriæ tuæ confisus a reliquo temperes,non oportet. Vix enim eam tum facilem, tum promptam habebit, qui etiam assidue in omnibus uersetur commentarijs.

49 *Quæ ex naribus cum surditate & torpore parua est stillatio sanguinis,difficile quippiam habet:uomitus his confert, uentrisque perturbatio.*

Nescio,quomodo paruum malum esse intelligat sanguinẽ e naribus,stillicidij instar,fluentẽ. Nempe orationem difficile quippiam habet,in paruis dicere homines consueuerunt,sed non paruum id malum existit,& si absque surditate torporeque fuerit:cum ijs,quæ cerebrum affectum esse indicant, letale signum erit sanguinis e naribus,stillicidij instar,fluor.An uero uomitibus, uel uẽtris perturbatio his
D conferat,non potest simpliciter absque distinctione pronunciari. Distinctio autem est quibusdam mor-
* bi in principio si uires ualentes, uel sanguinis redundantiam habeant,uel pituitæ,uel alterutrius bilis. Nam,si ualenter excernant,sanguinisque redundantiam habeant,quòd sectione uenæ,non uomitu,uel uentris perturbatione indigeant,neminẽ latet.Quod uero in uomitibus uentrisque perturbationibus antea est dictum,patefecit:cum medicus uomitum ciere & uentrem perturbare uolens non de ijs, quæ a natura fiunt,enunciet.

50 *Quibus ex rigore febres cum lassitudine febres fuerint,muliebria his decurrunt:ceruix autem in his dolens,sanguinis indicat eruptionem.*

Mulieribus quoque recte ualentibus,etiam citra rigorem cum febre,menstrua fit purgatio,siue cum sensione quadam lassitudinaria.Cum igitur & rigores fuerint maiorem totius corporis motionem parientes & sanguine in eo redundante naturam ad superflui uacuationem excitent, magis utique muliebrium,idest menstruarum purgationum uacuationem fore spes est:si & purgationis, quæ per circuitum repetit,tempus adfuerit.Si uero ceruix ex prædictis doluerit, uergentis ad superas partes humoris signum constituitur.

*Quibus per nares quoque spes est, ut per caput concutientia sonitusque sanguinem profundant, profundunt hi, uel mulie-* E 51
*bria deducuntur, tum alias, tum si spinæ æstus consequatur: forsan & id dysenteriam facit.*

Rursus hoc loco nomen unum adscripsit ambiguum, totam dictionis seriem quæstionis cuiusdam opus habere efficiens. Nempe, quænam sint caput concutientia, obscurum admodum uidetur. Quidam enim capitis symptomata omnia ita dicta esse inquiunt, inuenta generali quadam hac uoce ab eo ut antea, cum de uentre ageret, uocem hanc male affici inuenerat. Alij in palpitationibus pulsationibusque temporalium uenarum, uel tremulis, uel quodammodo uibrantibus, motionem quandam totius corporis. Hæc igitur caput concutientia mouent interdum & sanguinis e naribus eruptiones, ueluti & menstrua. Sperat autem id fore magis, si mulier sensionem æstus ardorisque circa spinam habuerit. Potes autem contristantium humorum ad caput impetum afferere, nisi per uterum uacuentur, uel dysenteriam procreent.

*Ventris quoque palpitationes cum hypochondrij tensione sublonga, & tumente, sanguinis indicant eruptionem inhorrescunt autem hi.* 52

Incertum est, de quonam symptomate dictum sit palpitationum, nomen. Nempe præter id, quòd neque appellationes antiquorum aperte discretæ sunt, ut & ostendit liber de palpitatione, in quo de F arteriarum pulsibus disseritur, sic & libri huius auctor ad nomina constituenda uel ex abusu uel metaphora promptus existit. Non ignoramus autem, quòd, cum Hippocrates in præsagijs diceret, Si uero pulsus in hypochondrio insit. subintulit, perturbationem aut dementiam indicat. Ceterum & ibi quidã intellexerunt pro pulsu palpitationem dictam esse: non nulli uero proprie de uehementi spinam perreptantis arteriæ motione. Quanquam autem & hi palpitationem scripserunt, non tamen sanguinis profundẽdi signum iudicatorium pulsum hunc esse enunciauit in præsagijs Hippocrates sed postea de hypochondrij inflammationibus scribẽs sermoni adiecit: Fit autem his & sanguinis per nares eruptio & ualde iuuat. atque ut magis fore quis ex naribus sanguinis eruptionem speret, interrogandos esse ait, an capite doleant, aut oculi caligent. Nam, si horum quippiam fuerit, in eam partem sanguis repet. Vt autem bene Hippocrates in hypochondrij inflammationibus dixit, Fit autem his & sanguinis per nares eruptio. sic hoc loco sermonem ex uniuersali in particularẽ transtulit, inquiẽs, Cum hypochondrij intentione sublonga. fuerit autem ob sanguinem tensio ea mediorum musculorum, qui a thorace ad pubis ossa pertinẽt: fit autem & lienis sublonga phlegmone. Sed nemo phlegmonas huiusmodi, quę cum palpitatione fiant, hæmorrhagicas esse dixerit. Phlegmonas uero [ hepatis ] ceterorum [ quæ ] hypochondrij musculorum, ( sex enim reliqui a duobus prædictis existunt) bene quis hæmorrhagicas G affirmauerit. Quòd ergo in dictionibus multis libri auctorem redarguerim, redarguere quoq; & nũc non pertimescam, qui scilicet particularium enuntiationem multam fecerit, breuem autem & ueram doctrinam uniuersalium reliquerit. Præterea in calce dictionis adiecit, Inhorrescunt autẽ hi. tãquam uniuersaliter his contingens, quanquam uniuersale non fit: fit enim ex talibus concursionibus interdũ & hoc symptoma: perpetuo autem, uel magna ex parte non fit. Scribenda uero sunt in prædictionũ doctrina, quæcunq; uel perpetuo, uel magna ex parte fiunt: ut si in proposito ueluti exemplo sermo manifestus fiat: Si quis dixerit inter musculos abdominis octo numero existentes, medios rectos hæmorrhagiæ indicantiores ceteris esse, plus edocebit, quàm qui hæmorrhagias superuenire dicunt. Si uero simpliciter solos hos dixerit inflammari, si & aliud quoddam hæmorrhagicorum signorum his superuenerit, hæmorrhagiam infert.

*Quibus e naribus copiosa, uiolenta, & multa fluunt, ad conuulsiones hi interdum deducuntur, uenæ autem sectio soluit.* 53

Si in huiusmodi sanguinis eruptionibus conuulsionem asciscі simpliciter dixisset, hominem reprehendissemus, quòd, ut in ceteris multis, ita & nunc particulare, tãquam uniuersale, pronunciasset: quia H uero, interdum, apposuit, laudamus, & uera loquitur. Nempe & nos sæpius uidimus in hæmorrhagijs huiusmodi conuulsos aliquos non solum ob exuberantem purgationem, sed etiam propter refrigerationem: si Medici caput refrigerauerint, sanguinis profusionem retinere uolentes. Quod autem in dictionis calce dictum est, uenæ sectio soluit, tale quippiam indicare uidetur: tales affectiones, in quibus uehementer sanguinem profundunt, uenæ sectio soluit, ante sanguinis profusionem exhibita. Constat autem, quòd grauata sanguinis multitudine natura excitata quidem sit ad ipsius euacuationẽ, sed modum obtinere non ualens, uocatam a recentioribus Medicis superuacuationem fecerit. Potest autem & uehementis ipsius hæmorrhagiæ auxilium sectionem uenæ dixisse. Nempe & nos sæpius auxilium experti sumus, perspicue immoderatam sanguinis lationem sistentes. Quòd autem manum recto tramite nari, unde sanguis abunde fluit, respondentem secare, manusque eiusdem humeralem uenam ferire oporteat, liquido constat omnibus: si uero ex nare utraq; fluxerit sanguis, secare utrasque nihil prohibebit: non enim per eas uacuationis, sed reuulsionis gratia sectionem facimus.

*Frequentes & parua surrectiones, sufflauæ, lentæ, stercoreum exiguum habentes, cum hypochondrij dolore & lateris, morbi regij participes existunt. An hi, cum flant, exoluantur? simulque sanguinem profundant? lumborum tensio his, & dolores sanguinis indicant eruptionem.* 54

Congessit

A Congeſſit rurſus hoc loco ſymptomatum diuerſi generis multitudinem, quam uidit, nec ipſe affirmat, ſingulorum autem uires didiciſti in his, quos paulo ante dixi, Hippocratis libris, & noſtris commentarijs.

55 *Hypochondrij tenſio cum capitis grauitate & ſurditate, & quæ conſequenter fatigant, ſanguinis denunciant profuſionem.*

†Al. τὰ τὰς αὐγὰς ἐκλάμποντα, uelit quæ ſplẽdores perturbant.

Vult ſane, quæ circa aſpectum Hippocrates tenebroſa dixit, in dicta ſymptomatum concurſione hæmorrhagica oſtendere, ſicuti per commentarios noſtros didiciſti. Nempe rurſus admonere, quæ nuper ſæpius memorauimus, commentarios in ſermonis prolixitatem eſt extendere.

56 *Vndecimo die ſanguinis ſtillicidij inſtar fluores difficiles, tum aliàs, tum ſi ſuperſtillauerint.*

Verbum quidem ſuperſtillauerint, ſuperuacuum exiſtit. Nam, ſi & quarto & quinto, ſimiliter abſurdum. Cum autem omnes e naribus ſtillationes difficiles ſint, quoties craſſæ & nigræ deſtillationes fuerint, maxime pernicioſas has reperies. Si uero tale quippiã diebus quibuſdam uel indicatorijs uel iudicatorijs cõtingat, certius prę oſtẽdiſſe licet. Vndecimus autem decimiquarti eſt index. Vbi ergo theore B mata uniuerſalia diximus, nunc libri huius auctor particulare aliquod unũ dixit, undecimi diei in ipſis mentionem faciens. In uniuerſali autem de indicibus & iudicatorijs id dixiſſe par eſt.

57 *Qui in horrore ſimul indicatorie ſudant, poſtridie uero, ubi inhorruerint, præter rationem uigilant, hos ſanguinis eruptionem incurſuros puto.*

Bene dixit, puto, prædictionis eorum, quæ neque aſſidue, neque magna ex parte fiunt, affirmationẽ adimens.

58 *Quibus principio largum ſanguinis profluuium, rigor fluxionem ſiſtit.*

Eſt, quando rigorem moderatum uidemus prægreſſum ſanguinis profuſionem in corporis plenitudine: turbationem etenim in ipſis faciens naturam ad excernendum, quod infeſtat, irritat. Magna igitur ex parte ſudores, uomituſque bilioſorum, & deiectiones ex rigore fiunt: contingitque & interdum ut dixi, propter ſanguinis profuſionem, copiam uacuari.

59 *Sin copioſa ſuperuenerit ſanguinis profuſio, in contrarium reuellitur: ex hæmorrhagia rigores, longi.*

C Vbi morbum non ſedauerit ſanguinis eruptio, exceperitque eam rigor, utrunque longum redditur ex eo quòd corpus difficulter calfiat: quod pluribus ſuperuenit diebus, ex circuitu quidem plurimum: contingit autem interdum & uagabunde.

60 *Quibus capitis dolores, ceruicis labor, atque totius corporis cum tremore infirmitas, hæmorrhagica ſoluunt: ceterum & tempore ita ſoluuntur.*

Multas in hoc toto ſermone concurſiones ex ordine ſcripſit, methodum uniuerſalem in ijs, qui ſanguinem profundunt, paucis deſcribere non ualens. Cõſiderare autem oportet duo hæc prima, febrem ualde æſtiuam, cuiuſmodi ardentes ſunt: ſymptomata item tum capitis tum ceruicis, & præſertim plethorica. Connumerat quoque haud dubie & cum ſymptomatis capitis, quæ circa faciem fiunt. Deinde & quæ toto in corpore abundantiæ ſanguinis ſigna exiſtunt: hiſque nihilominus ex anni tempore æſtiuo uel regione uerna, uel commoderatis uel calidioribus, ſi in hypochondrijs phlegmone quædam fuerit: poſtea quæ circa caput faciemq; ſunt hæmorrhagica ſigna, & ſi aliquod in thorace hypochõdrijſq; inclinationis ad ſuperas partes ſignum fuerit. Hæc ſiquidem omnia in commẽtarijs de iudicationibus expoſui, præterea in præſagiorum, primique epidemiorum: in quibus diſtincta ſunt, & quæ iam iam D uenturæ ſanguinis profuſionis ſunt ſigna, & quæ talia non ſunt.

61 *Vrina, quibus abſceſſus poſt aures fiunt, ſi celeriter & exigue concoquuntur, uitioſa: & ita refrigeſcere, malum.*

Quod in hac quoque oratione recenſetur particulare, eſt ſermoni uniuerſali ſubiectum. Nempe urina in morbo omni celeriter & exigue cõcocta, deinde uero ceſſans, uitioſum quippiam indicat. Liquet autem, quod & refrigerari malum ſit non in his ſolum, uerum & omnibus. Neque enim in communibus adeſt quippiam peculiare, ueluti in ardentibus febribus. Nempe, quòd urentes hæ, ſummas partes non calfaciant, malignæ exiſtunt, benignis totum corpus æqualiter urentibus.

62 *Qui ſubſoporantur arquatiq; exiſtunt, neque ualde ſentiunt, uenter his copioſe fluit: forſan quoque & ſi detinetur, exoluuntur: an & his parotides fiant?*

Si ex nobis propria parotidum ſigna didiciſti, pernicioſe item habentium ſigna: facile, quæ nunc dicuntur, propria non eſſe tibi conſtabit.

63 *Suppreſſa cum rigore urina, mala: tum aliàs, tum ſi ante ſoporatos parotides prehenderint: an ſpes ex his?*

In his quidem, quæ antecedunt hanc, dictionibus, futurarum ſanguinis eruptionum concurſiones

scribere uoluit, sed complecti, quæ propria essent, paucis, ut dixi, nequiuit. Rursus quoque & alteram E
hanc dictionem ad prædictionem futurarum parotidum scripsit: sed, quod peculiare sit, nihil habet & ipsa, præter id, quòd & permista sint, quædam perniciosa symptomata, ex quibus raro parotides fiant. Quòd autem neque ipse de parotidum generatione enunciare ausus sit, id sane ex adiectione coniunctionis, an plane constat.

*Ex torminoso sedimentum limosum subliuidumque malunt: an ex hypochōdrijs dextrum dolere uideatur, exoluaturque? atque his parotides parum dolorificæ, uenter his omnibus copiose fluens perniciem affert.* 64

In ceteris omnibus exemplaribus scriptum in principio dictionis reperi, torminoso, præterquam in exemplaribus Dioscoridæ & Capitonis. Nempe hi scripserunt, [illegible]: dictaque apud eos est de urinis oratio; atque ob id residentias harum tum ab Hipp. tum ab ipsis considerari, & non deiectionū, inquiunt. Dioscorides igitur [illegible] recenseri ait, quæ concreta quædam per ipsas inuecta habent, facto nomine a uerbo [illegible], quod est concrescere. Neque enim ignoramus poetam ita dixisse, [illegible] [illegible], quod est circulariter cócrescit. Ceteri fere omnes expositores limosas subliuidasq; in deiectionibus residentias dici nunc aiunt, quoties humectetur aluus, putantque torminosa conuenire. Nempe eiusmodi deiectiones cum torminibus prorsus fiunt. Subsidere autem inquiūt ita deiectis li F quidis residentias tum limosas tum subliuidas, ubi praua affectio fuerit, in qua talia excernuntur: prorsusque ijs, qui talia deijciunt, affectum esse hepar aiunt, atque ob id auctorem adiecisse dictioni: An ex hypochondrijs dextrum dolere uideatur? Nempe, quanquam deiectiones eiusmodi perpetuo hepaticæ existant, non tamen semper sunt cum uisceris inflammatione: quomodo fit, ut orationi adiecerit coniunctionem, an quòd scilicet ita affectis dextrum hypochondrium perpetuo dolere asserere non potuerit. Præterea, quod deinceps dictum est, exoluatur, hepaticum proculdubio symptoma est: ut in secundo epidemiorum est demonstratum. Post hæc de parotidibus scripsit. Videtur autem in his omnibus dictionibus ex concursionibus quibusdam prænotiones harum scribere, atque id esse maxime & in eo, quod ipsi proponitur, & in præsenti dictione: sed de his enunciare ausus non est, quanquam in particularibus persæpe uniuersales enunciationes scribere cósueuerit. Præterea, inquit, Atque his parotides parum dolorificæ? rursus quendā talem ægrum uidisse se se ostendens, in quo a natura, impetus quidam factus sit ad parotidum generationem, a qua tamen reijci non potuerunt, quæ contristarent, contigitque ægrum copiose fluente aluo perniciose habere: non iudicationis scilicet ratione, natura contristantes humores deorsum excernente, sed propter facultatis, quæ in hepate est, imbecillitatem. G

*In fastidiosis quibusdam uigilantiis parotides maxime.* 65

Adiecit in præsentia hæc, quòd sæpius uiderit & non semel: quocirca per eam, quæ subsequenti succeder, dictionem uerum est fastidiosos esse, quibus excitant parotides, sed id sufficiens non est. Nempe: quòd dementiam denuncient talia symptomata, supra declarauit. Si igitur, quæ Hippoc. nos docuit ante, contēplatus parotidas fore speraueris, deinde ægrū ueluti ex ciborū repletione fastiditū uideris, parotidas excitādas expecta: signa aūt, per quæ parotidas fore sperabis, sunt hæc: Primū sane abscessuū oīum cōe est, quod diutius trahēti euenit ægro, deinde si morbus deses fuerit & deorsum uergat, uel calidus & sursum repat, uel ceruicis capitisq; grauitates fuerint, & dolores, & faciei rubor. Nā per hoc, si parotidas fore ante speraueris, certior p̄notio erit, cū, quæ in dictione relata sunt, apparuerint. Sermonē quidē illū ante oīa memoria teneri uelim. Post hæc uero signa oīa singulatim dixi ab Hip. duobus iā libris scripta ipsa, quibus apponenda sunt, quæcunque per pulsus in singulorum prænotionē conferunt quæ & si prætermissa quidem ab Hippocrate existant, habes tamen scripta ea a nobis in pulsuum libris.

*Ex uoluulis male olentibus cum febre acuta hypochondrioque sublimi diutius perseuerante, parotides exurgentes pereunt,* H 66

In dictione hac facta quidem est obscuritas quædam & ob scriptorem, facta quoque & ob interpretes quosdam, incertum esse existimantes, utrumne ex unoquoque dictorum symptomatum uir nos sperare uelit, ut parotides fiant, an omnia unà concurrere. In principio quidem libri huius, cum mens auctoris adhuc ignoraretur, congruenter incerta talia esse quis existimare potuerit. Vbi uero in toto libro propositi ipsius experientiam habuimus idoneam, cognoscamusque prænotiones ex eorum, quæ ipse uidit, concursione scribere, constat, & nunc ex omnibus, quæ scripsit, simul factis nos sperare, ut parotides fiant, uelle. Quòd uero letales sint, si fiant, est manifestum, quòd & nūc uiderit in ita laborantibus factas parotidas secutam mortem, quæ ob parotidas facta non est: quodque talia uideantur, constat ex ijs, quæ scripsit: nempe, quòd febris acuta erat non sine periculo, quodque ueluti perniciosa affectio. Quoniam uero amplius nihil scripsit, sed graueolentem hunc esse uult: multo sane magis: quonā siquidem pacto graueolentem intelliges uoluulum perniciosiorem esse non graueolente? Fieri autem potest, ut graueolens intelligatur, primum quidem, in quo stercus euomatur, signum maxime letale: deinde, si graueolens fuerit respiratio: tertio, si ructus graueolens: quarto, si flatus talis: & quinto, si graueolens corpus. Nempe talis uoluulus aliquando a nobis uisus est.

67 A *Surdis mansuete parotides fiunt, tum alias, tum si fastidiosi quippiam superuenerit, & comatosis magis.*

Qm̃ aduerbiũ ἠπίως.i.mansuete in medio dictũ est eorũ,quæ multã & eorũ quæ paucã habẽt spẽ in omnibus symptomatis:sic & hominẽ uocamus ἤπιον moderatum, & a quo nihil per uitam fit nimis.
* Totus itaque sermo talis quidem est: Si surditas accidat,parotidas fore mediocriter spera. Adiectione autem orationis,fastidiosi quippiam,sperat fastidioso facto ægro fore: idque magis, si comatosus fuerit. Verum tum hæc tum antedicta non minus desipientiæ & phrenitidis signa sunt,quàm parotidũ, cum non præfinite dicat,in biliosis quidem humoribus ab initio morbi desipientiæ ipsius potius esse signum,procedente uero morbo in crudis crassioribusque,& magis ubi iam occupasse parotidum generatio apparuerit:hoc siquidem uniuersale caput est in parotidibus, si non amplius lateat,quod inua-
* sit,ita ut æger impetum infestantium humorum caput petere sentiat. Potest itaque quis hic denuo hallucinatus in unoquoque eorum,quæ ad supernas partes motum indicant,scribere,tanquam ex præ-
* dictione,parotidas secuturas. Sunt uero & modo dicta impetus ad caput signa. Dico sane surditatem & comatosum,non magis horum,quàm eorum,qui uentre & thorace laborant, esse symptoma: cum utriscunque autem fuerit,horum simul præcognitionem augebit.

68 B *Paraplegicis parotides uitiosæ.*

Paraplegias quibusdam corporis partibus accidere ab affectu didicisti, qualis est totius corporis affectus apoplexia. Videtur autem mihi uisis forsan uel duobus uel tribus paraplegicis nihil a parotidibus adiutis,signum uitiosum eas esse pronunciasse. Ego autem non simpliciter dixerim malum signum esse superuenientes paraplegicis parotidas,sed,quod is abscessus morbo minor sit,referre fuerit satis. Constat siquidem ex Hippocrate abscessus bonos esse * cum morbi circuitus ad infe-
* ras corporis partes insigniter deuoluitur,quorum neutrum parotides habent. Nempe & † [affectus
* minoris] sunt,& ad inferas partes non deuoluuntur: quare, si id duntaxat, perniciosum pronuncia-
* re satis erit.
*

69 *Quæ conuulsiuo modo cum catoche exacerbantur, parotidas mouent.*

†Alias affectu minores.

Quòd ex concursione nihil obseruatio reperiat,rerum fide didicisse in promptu est:nisi enim naturã rei,in qua prænotionem dicendo curationem faciemus,fuerimus contemplati,de singulorum signorũ ui iudicare nequaquam licebit. Et, nisi rerum singularum uires noueris,conflari ex ijs quippiã nequit: id quod uos edocui in omni arte fieri,nedum in medicinali. Atque hinc,quantum Hippocrates supe-
C riores suos in uirium cuiuslibet simplicis medicamenti inuentione euicerit, in omnibus suis est demõstratum libris:id quod memoria tenere oportet. Ad præsentem autem sermonem,qui particularis est, tantum rursus ex uniuersali accepisse conuenit,quantum ad quod nunc dicitur, congruit. Catochæ etenim cerebri affectus sunt,ut didicisti,ueluti & per totum corpus conuulsiones: de quibus nunc ipsum dixisse par est. Non enim simpliciter de manu uel crure uel alia quapiam parte pronunciauit, inquiens, Quæ conuulsiuo modo exacerbantur,quanquam licebat. Conuulsionem autem ex repletione malam esse inquit Hippo. Constat autem conuulsiuos affectus appellari, in quibus principio, aut non multo,post quàm fieri cœperint,conuulsiones perseuerant ex repletione ortum habentes. Veluti uice uersa,quæ ex uacuatione, post sudores multos,uel uomitus,uel deiectiones, uel sanguinis eruptiones,uel inediam,uel uigilias,uel motiones tum multas,tum uehementes fiunt. Nempe ex conuulsionibus aliæ uacuationes consequuntur magis,alię statim a principio repletiones. Propterea,ut parotides ex conuulsiuis comatosisque,ubi protrahunt,fiant, est rationi consentaneum cunctante ægro.

70 *Ex conuulsione, tremore, fastidioque, & celeriter exigui post aures abscessus proritantur.*

Non in exemplaribus omnibus,quibus scripta est hæc oratio,eadem habet uerba. At in quibusdã
D prædicto uerborum scripta est tenore. In alijs autem tali: Quæ conuulsiuo tremuloq; modo accedunt, cum catoche abscessus post aures suscitant. * Laudo eos, qui in suis exemplaribus dictionem non scripserunt: abunde siquidem nobis erat permiscẽte eo symptomata multa multis dissimilis generis huc usq; peruenisse,& non ab ægris recessisse. Nempe symptomatum græcis ignotorum permistionem facere summe absurdum per se existit. Non autem ferme apparent in conuulsione tremoris symptomata:fieri siquidem non potest,ut ægris ipsis in conuulsionibus tremores deprehendantur:nisi utique talem sit auctor contemplatus symptomatum uicissitudinem,ut,cum conuulsiones quidem relinquerẽt, tremulus fieret homo. Vbi uero conuulsio superuenerit,non posse dignosci modum arbitrantur. Symptomatum implicatio eiusdem generis quædam existit,uerum superuacua. Nempe ex catoche parotidas fieri abunde a nobis dictum,augente simul & generationis expectationem fastidioso ipso. Immo uero & urinarum affectiones expectationem simul adaugebunt: nomẽ præterea, σπασμοτρομώδεις, id est conuulsiuum tremulumque,prauum existit.

71 *An primum capite doleant,uel & superiore sudent parte,& superrigeant? deinde & uenter deijciat, & comatosum quippiam fuerit? an & aquosæ urinæ pendentia alba habentes? & nares albæ graueolentes quodammodo,deinde post aures abscessus? an,& quibus eadem urina,stillationes e naribus frequentes? an & lingua bis lænis?*

Si,ut dixi,prænotionem ab his exordiretur,quæ scripsit Hipp. tum in præsagijs, tum in epidemijs, de abscessibus

de abſceſſibus omnibus uniuerſale quoddam fieret,& ex ijs,quæ ab ipſo dicta ſunt,ad ſecurius pronũ E ciandum adiumentum. Nam,ſi abſceſſum fore ſperaueris,humorum conſidera inclinationem, ad quã uidelicet fiat partem:atque ita,ubi ſingulorum capitis ſymptomatum uires adnotaueris, parotidas fore tum magis,tum minus ſperabis. Exempli igitur gratia de ijs,quæ nunc ante oculos poſuit, ſermonẽ facere non malum fuerit. Capitis dolor ex eorum eſt numero,quæ humorum ad caput inclinationem ſignificant:ſed quòd ſuperiori ſudauerit parte,puſillam ad eiuſmodi præſenſionem facultatem habet: ſed maiorem habet,quòd ſuperriguerit. Deiectionem uero alui quonam quis pacto generationis parotidum ſignificatorium eſſe dixerit,haud ſcio: cum potius modo contrario contriſtantium humorũ ad infernas partes inclinationem operetur. Comatoſum ad parotidum generationem ſignum effatu dignum exiſtit. Aquoſæ præterea urinæ,in quibus alba ſublime petunt, ad prænotionem per accidens conferunt:quoniam aquoſæ quidem abſque albis pendentibus incoctum eſſe morbum ſignificãt: quæ uero conſiſtentiam ſecundum naturam habent,atque præter id pendens album continent,coctũ morbum eſſe indicant abſque * ſedimento. Oportet igitur eas neque prorſus incoctas,neque abſolute cõ coctas eſſe,ubi natura abſceſſum molita fuerit. Quæ uero uarie albæ & graueolentes fuerint,raro quidem abſceſſum,qui fiat,habent:quòd ſi aliquando habuerint, malum habebunt. Bene igitur adiecit addubitans, an,& quibus eiuſmodi urinæ ſtillationes e naribus frequentes? Malignitates ſiquidem in F ſuccis incoctis,& ſi ad caput ferantur,ſtillationes magis e naribus malignas faciunt,nõ parotidas. Oratio præterea,an & lingua his læuis?dubitatiua eſt. Nempe in prædictis & febres malignas fieri, & linguam exaſperari eſt rationi conſentaneum.

* forte ἀποσ-τασι.i.abſceſſu

*Quibus crebro ſpirantibus morbus regius & febres acutæ cum duris hypochondrijs refrigeratæ fuerint, his abſceſſus magni ſecundum aures ſuſcitantur.* 72

Πνευματούμενοι eos,quibus magna eſt & frequens reſpiratio,dixiſſe uidetur: quoniam & in libro de uictus ratione in morbis acutis hoc pacto eos nominauit Hipp. Iure optimo ſuſcitandos poſt aures abſceſſus ſperat:nempe & ratione non caret,atque hoc ſæpius fieri uidimus. Si uero πνευματούμενοι eos dixerit,qui uentre inflantur,ut non nulli intellexerunt,qui & πνευματῶδες ſcribunt & πνεύματα, nihil hoc ad parotidum generationem contulerit,ſicuti neque morbus regius. De febribus acutis & præſertim ardentibus dictum eſt antea ſanguinis eruptiones mouere,ſanguinem tum fundentes, tum ad caput ſurſum ferentes. Quænam præterea dura hypochondria dicat,non clare cognoſcere poſſumus, propterea quòd dolentia non adiecerit. Nempe hoc adiecto iam phlegmonen horum indicabit:non adiecto uero,frigidiuſculum tumorem ſcirrhoſum magis,quàm flagrantem. Soluuntur uero talia abſceſſi- G bus magis,non ſanguinis eruptionibus. Nempe in ijs, quæ inflammantur, ſanguinis eruptiones maxime fieri conſpicimus. Propter alienam uero auctoris enunciationem cognoſcere exquiſite non poſſumus,an prætermiſſum ſit nomen doloris,obſcurius tum pronunciante tum ſcribente ipſo:an hypochõdriorum duritiem uere ſcirrhoſam intellexerit. Verbum uero,refrigeratæ fuerint,(nempe & id dictum eſt)poteſt ſignificare non ſolutam eſſe febrem,ſed partes corporis inferiores, cum alijs collatas minus calidas eſſe:ut caliditatis reuerſionem ex ea re conijciamus. Cum magnos abſceſſus in eiſdem fieri dixit,uidetur mihi in aliquo uidiſſe:& ita de particularibus pronunciaſſe,tanquam uniuerſaliter pronuncians:ſatis ſiquidem fuerit pronunciationem ſine nomine, magnæ,ſcriptam fuiſſe.

*Quibus comatoſa, faſtidioſa, hypochondria dolentia, & cruenta exigua, in his parotides excuntur: antea autem faciei ſigna.* 73

Quòd futurus quidam abſceſſus ex ijs,quæ Hippocrates ſcripſit, ſperabis, deinde in qua corporis fiet parte,utilem habebis dictam concurſionem. Nam comatoſum,ſi & aliud ſymptoma,parotidas antegreditur. Dolentia uero hypochondria phlegmonem habent,ſi quis animaduerterit. Cum autẽ hæc ita habeant,ad generationem conferent,& faſtidioſa,& ſanguinem habentia ſymptomata. Quod ue- H ro in calce orationis dictum eſt,antea autem faciei ſigna, ualde utile exiſtit,ſi quis conuenięter orationem intellexerit:conuenit autem hoc pacto intelligere,ut uerus fiat ſermo:uerus autem erit,ubi intelligi hoc ſenſu intellexerimus: Ante parotidum generationem faciei ſigna conſiderare oportet, ſunt autem hæc: rubor, tumor præter naturam, oculorum humiditas, caligi noſa uiſio, & quæcunque talia. Si quis uero non omnia, quæ circa faciem apparent, intelligere uoluerit, ſaltem tumorem præter naturam prorſus intelligere oportet. Poſtquam enim dixiſſet,in his parotides excіuntur: deinde ſerie continuata dicens, antea autem faciei ſigna, uidebitur enunciare à communi intelligendum uerbum exciuntur.

*Ventre nigra ſtercoroſaque deijciente, coma ſuperueniens parotidas excitat.* 74

Haud recte ſcripſere quidam uentre nigra ſtercoroſaq; bilioſa deijciente, neq; in antiquis reperi exẽplaribus, neq; quiſquam eorum, qui librum enarrauerunt, hanc nouit ſcripturam. Quin & bilioſa, quæ de pallida bile ab antiquis dici conſueuerunt, non ſanè dicta eſſent eodem ſenſu, quo nigra * ſeparant. Hac de cauſa uocabulum bilioſa expunxi ſcriptum, nigra quidem a capitone in ipſo contextu, in margine uero à Dioſcoride. Videtur autem mihi libri huius author concurſionem hanc in ægro contem-

* διαχωρεῖ. i. deijciuntur.

A templatus, totam uoluisse explicare, ea, quæ ex consequentia rei, parotidas significantis antegressæ, efficiuntur, nequaquam distinguens. Sufficiens nanque ipsi erat signum coma.

*Tussicula cum frequenti sputo abscessum post aures tollunt.*

75 Potest & thoracem scribere: fieri siquidem potest, ut facta intro inclinatione, per canalem naturalẽ effluat, quod tenuius est ex conficientibus parotidas succis, ad oris capacitatem, & ita frequens fieri sputum: consistentibus autem ita rationabile quidem alias apparere parotidas. Nempe uerbum ἀπολύεσθαι proprie uacuare significat, ipsum autem uacuari consequuntur & dissolui & mollius esse.

76 *In capitis dolore coma & surditas abscessum aliquem post aures eructant.*

Vere semper hæc signa sunt parotidum, quoniam ita fore abscessum quendam ante sperauimus: succi enim ad caput recurrentes calidi quidem & tenues desipientias & sanguinis * eruptiones procreãt: crassi autem & frigidi comata & parotidas. Capitis dolor utrisque communis existit, ueluti & surditas: sed calidis magis capitis dolor: frigidis uero, surditas. Comatis uero nomen scriptori satis fuit, qui scilicet lethargi appellationem toto subticuit libro.

B

77 *Hypochondrij contentio, cum comate fastidioso, & capitis dolore, parotidas effluere faciunt.*

Rursus & hoc loco coma unà cum capitis dolore signum demonstrandæ parotidum generationis effatu dignum existit, simulque hoc monstrat & hypochondrij contentio: per hanc itaque appellationem phlegmone indicatur: neque enim magna est ipsius indicatio. Si uero absque phlegmone contẽtio fiat, in humorum ad superas partes inclinatione signum ad parotidum generationem notabile existit, sanguinisque ostendit eruptionem. Fastidiosum uero per se quidem parotidas nullo pacto indicat, sed simul apparens dictæ concursioni fidem addit.

78 *Dolores absque indicatione soluti inutiles.*

Iam sæpius sermo hic tum particulariter, tum uniuersaliter dictus est: meliusque ostenditur, si adijciatur repente occultati. Nam καταφανισθέντα, solutionem quæ sensim fit, significat. Repente uero occultari dolorificas affectiones absque hoc, quòd in alia quadam, quæ manifesta sit, parte abscessus fiat, transmigrationem contristantium succorum ad uiscera ipsa factam ostendit.

# GAL. IN PRIMUM HIPPOCRATIS

## DE MORBIS VULGARIBUS

## COMMENTARIUS PRIMUS.

*Io. Bap. Rasario interprete.*

*In prima huius libri parte austrina, squalida, ac ueluti nebulosa tempestas describitur: estque uerus Hippoc. lib.*

D

HIPPOCRATI Coo non est hoc in libro propositum, de ijs morbis agere, quæ sunt cuiusque regionis proprij, sicut alibi quandoque fecit, sed omnis ipsius oratio est de morbis, qui uulgares nominantur, instituta: qui quidem ab ijs, qui sunt proprij regionum ita differunt, ut illi aliquam regionem per aliquod tempus peragrent: hi uero incolas non secus, quàm si cognati essent, omni tempore comitentur. quam ob rem in libro, qui est de aere, aquis, & locis eos regionum morbos docuit, qui in singulis habitationibus oriuntur: hoc autem loco eos persequitur, qui per aliquod tempus uel ciuitates, uel nationes passim grassantur. consueuit autem utrunque morbi huiusce genus & commune, & passim grassans nominare. ceteras uero ægritudines σποραδικὰς hoc est dispersas, quæ inquam non multos omnino, sed unũquenque separatim adoriantur: hoc enim uerbo σπείρειν Græci persæpe pro dispergere, atq; inter se disiungere, uti solent: qua etiam in sententia Thucydides de iuuenibus dixit, Vere autem alij in alia ciuitatis parte dispersi mortui sunt. atque horum quidem morborum ut origo, sic etiam causa communis est. itaque cum tres causæ sint, ex quibus morbi oriuntur, quarum una posita est in ijs, quæ offeruntur, altera in actionibus, tertia in ijs, quæ nobis extrinsecus occurrũt, hæ singulæ, præsertim uero per aeris

Al.1 f. 2. d.1. c.8. p.56. E.

nos

nos ambientis affectionem,communes creare morbos consueuerunt.neque enim sæpe accidit, ut pro E pter cibos,quibus uescuntur homines,uel ciuitatem,uel nationem,uel exercitum communis morbus inuadat:ut neque etiam propter communes occupationes,atque labores contingit.at aer nos ambiës si immoderatius calefiat,aut refrigeretur,aut humescat,aut exiccetur,corporis contemperatione,quæ sanitas est,confundit,perturbat,atque corrumpit.ceteræ causæ neque omnes simul se nobis offerunt, neque in eis integros dies uersamur:sed solus aer omnes foris ambit,& intro per spiritum attrahitur: quocirca fieri non potest,quin corporum animantium temperaturæ cum eius permutatione afficiantur,ac commutentur.ideoque,ut ipse Hippocrates docet,uerno tempore humor temperatissimus in constitutione temperata abundat:hyeme pituita,frigidissimus nimirũ humor in frigidissima anni parte:ut flaua bilis,calidissimus humor in calidissima constitutione,& atra bilis autumno, duobus humoribus sanguine & pallida bili,quæ etiam flaua nominatur,perustis.simili quoque modo morbi pro cuiusque tempestatis ratione oriuntur,habentque cum natura humoris redundantis similitudinem.at ue ro si ex dictarum tempestatum appellationibus humores huiusmodi generarentur , qui fieri posset, ut interdum a sua natura degenerantes,alios procrearent?uerum quia unaquæque non propter nomen, sed propter suam temperaturam prædictos humores auget,efficitur,ut cum ambientis nos aeris temperatura mutatur,humores quoque ita necessitate compulsi permutentur: sicut ipse in aphorismis scri F ptum reliquit : In tempestatibus inquit, quando eodem die modo calor , modo frigus fit , autumnales morbos expectare oportet : sicut cum singula tempora suam temperaturam seruabant , ad temperaturæ proportionem morbi creabantur : ita si præter naturam mutentur , etiam pro constitutione morbi exorientur.quid igitur causæ est,cur in unaquaque tempestate non omnes uno , eodemque morbo corripiuntur?quia nimirum non patum differunt inter se,tum ea temperatura,quam ab origine sunt nacti,tum ætate,tum etiam genere uiuendi. quibus quidem fit rebus,ut alius facile cedat huius tempestatis malitiæ,alius admodum resistat,alius uero ab ea nihil omnino lædatur: alius uero propter malam uictus rationem prius in morbum incidat,quàm noxam tempestatis sentiat:nam ut , cum ab aere læderetur,tali morbo laborabat,qui illius temperaturæ responderet,ita etiam pro ratione erroris,qui in uiuendi forma committitur,ægrotabit.quicunque igitur hæc nouit,is cum morbos, qui in singulis tempestatibus oriuntur,prænoscet,tum uero etiam uictus ratione,immoderatis nos ambientis aeris constitutionibus contraria,instituta,prohibebit,ne exoriantur.planum enim est, si bona primorum temperies est sanitas,eandem ab aeris intemperie corruptum iri,a contraria autem uiuendi ratione conseruari. quam ob rem Quinctus & hos,& aphorismorum libros male interpretatus est : in » quibus est hoc modo fere scriptum: De temporibus autem,si hiems squalida,aquiloniaque sit,uer plu G » uiosum,& austrinum,æstate febres acutas,lippitudines,ac rormina intestinorum fore, necesse est. idq; sola experientia,& non item causæ ratione cognosci Quinctus asserebat.qua in re primum lapsus est, quod ignorauit,causas eorum,quæ in aphorismis dicuntur,ab Hippocrate in libro de aere,aquis, & locis esse expositas: deinde uero,quod utilem doctrinæ partem præterijt: sunt enim duplices hæ uirtutes interpretum,ut libri sensum seruent,& suorum commentariorum lectores utilia doceant . has ambas Quinctus corrupit,cum morbos uigentes cum aeris constitutione non coniunxit.& tamen Hippocrates ipse hæc iungi uult,præsertim cum futuros morbos prænosse,oriẽtibus occurrere,&, qui iam sunt, curare non ualeamus,nisi affectionem in nostro corpore ex aeris intemperie exortam cognoscamus: hac enim ratione aliarum quoque constitutionum,quæ prætermissæ sunt,uim ipsi inueniemus.quicũq; igitur ex horum de uulgaribus morbis librorum lectione magnum ad artem fructum ferre uolet,permagni intererit,ut librum de natura hominis,eumque,qui de aquis,aere & locis est,& item eos aphorismos,in quibus de anni temporibus agit,ac uires frigidarum,calidarum, siccarum, humidarumq; cõstitutionum docet,prius euoluat.his uiis necessaria quoque erit præsagiorum lectio: propterea quod, quæ docuit ijs in libris,quos memoraui, libri de morbis uulgaribus consequuntur: ac primum quidẽ, calidi,frigidi,humidi ac sicci contemperationem quandam primorum corporum sanitatem esse: dein- H de uer,cum propriam temperiem seruat,esse temperatissimum: ac proinde sanguinem in eo redundare:ut etiam æstas,quàm par est,calidior & siccior, hiems uero humidior,ac frigidior:inæquali denique temperamento autumnus,in quo siccum,frigidumque dominetur. itemque unum aliquem humorem, ut paulo ante dixi,in singulis temporibus redundare. præterea uero tertio,quartoque loco illis in libris ostensum est,atque in libro quidem de natura hominis,uulgarium morborum causam esse aerem nos ambientem; in præsagijs uero,signorum,quorum ope futura præsagimus,quæ uis tum in qualitate,tum in magnitudine sit,explicatum est.te autem,qui hanc tractationem es sumpturus in manus,rogo,ut omnes eos libros,quos memoraui,in promptu habeas, ut ea, quæ dicemus,facilius consequaris: præcipue autem uelim,librum de aere,aquis, & locis tibi esse perlectum,ut,ubi hæc scripserit ipse Hippocrates,perspicias.& ego probabo genera morborum,quorum memini,ita esse ab Hippocrate distincta:qui uulgarium morborum causam aeri acceptam refert:siquidem in libro de natura humana hæc ipsa conscripsit: Morbi autem tum a uictu,tum a spiritu,quem trahentes uiuimus , oriuntur : utrunque » autem sic dignosces: cum eodem morbo complures homines eodem tempore corripiuntur, causa » conijcienda in illud est,quod & communissimum est,& quo maxime cuncti utimur:id autem est,quod » respiramus:est enim perspicuum,non esse causam in cuiusque nostrum uictum conferendam,cum mor »

bus

A bus omnes pariter attingit & iuniores, & seniores, & mares, & foeminas, & temulentos, & abstemios, & qui maza, & qui pane uescuntur, & qui parum, & qui multum laborant. cum igitur homines quacunque uictus ratione utentes, in eundem morbũ incidunt, causa nõ est uictus rationi accepta referenda: at cum eodem tempore uarij morbi exoriuntur, tum sine dubio uictus cuiusque in causa est. his uerbis, non uictus rationem, sed aeris constitutionem esse omnium uulgarium morborum causam ait. potest tamen interdum etiam aquæ infectæ haustus uniuersalem morbum efficere: id quod etiam in exercitu accidisse, memoriæ proditum est: sicut ex loci quoque natura, ubi omnes uno in loco castrametati morabantur, idem usu uenit. interdum uero, cum ex barathris, quæ Charonia uocant, frequentes uẽti spirant: qui quidem, quoniam aerem inficiunt, morbos pariunt, & ante conscripta oratione continentur. qui uero ab esculentis, poculentisque originem ducunt, ij & raro fiunt, & facillime cognoscuntur. quare in libro de natura hominis causam eius, quod multis morbis commune est, communissimam uocauit: in libro uero de aere, aquis, & locis, morbos, qui hoc modo fiunt, πάγκοινοι hoc est omnibus cõmunes, his fere uerbis nominauit, Poterit autem prædicere, qui quoque futuro tempore, atque anno omnibus communes morbi, aut æstate, aut hieme sint ciuitatem inuasuri, & non ita multo post, atque hi quidem morbi sunt ipsis peculiares: præterquam quod si quis morbus omnibus communis ex tem-
B porum mutatione oboriatur, eius quoque illi participes fiunt. itemque paulo post, ac uiris quidem hi morbi peculiares sunt, nisi quis cõis ex mutatione temporum ingruat. deinde inferius, atq; hic morbus ipsis æstate, & hieme familiaris est: sed ne id quoq; in his orationibus expositũ te lateat, quod est ẽt ab Hippocrate alibi traditum, morbos qui in aliqua regione perpetuo uigent, quos ἐνδήμους, hoc est publicos uocat, esse ex eorum numero, qui multis communes sunt, ut pestis quoque est. nam & hæc inter communes est, ut ipse in libro de ratione uictus in acutis aperte docuit, his uerbis: cum enim nullus pestiferi morbi modus passim grassetur, sed morbi uage homines corripiant, & dissimiles, ab ijs plures, quàm ab alijs omnibus intereunt. hinc perspicuum est, inter uulgares morbos, referri eos qui maliguissimi sunt, ac pestilentes nominantur: uulgares uero esse de genere popularium, & eorum, qui communes sunt omnibus, quod genus morbis uage dispersis diuidendo opponitur. hæc autem nomina ipse illis imposuit. pestes autem & uocant omnes, & esse perniciosos morbos, norunt: ac sæpe etiam ad deos mittunt, qui eos de curatione consulant. Nunc uero non solum hoc loco uerbum ἐπιδημεῖν, hoc est, uulgari, usurpauit, sed in præsagijs quoque, cum dixit, Morborum quoq;, qui semper uulgantur, impetus ac temporum anni constitutionem obseruare accurate oportet. in his autem uulgarium morborum libris, quandoque accipies ipsum dicentem, Vulgabantur autem tormina intestinorum æstate plurima:
C quandoque autem, alia quoque febrium genera uulgabantur. itemque, alijs etiam morbus uulgaris erat. atque hoc quidem nomen ἐπιδήμιον, hoc est uulgare, in quibusdam libris scriptum est quatuor syllabis, quarum ultima ex ν, ο, ῦ, constat. in quibusdam uero, quinque & ex ι, & ο. & ultima syllaba ex ο, & ν. horum autem meminisse oportet ad ea, quæ post dicentur: ac sciendum, quosdam morbos esse, qui multos communiter corripiunt, eosque communes nominari: quosdam, qui priuatim singulos, eosque appellari dispersos: ex cõmunibus autem alios esse publicos, alios uulgares, quos ἐπιδήμους, & ἐπιδημίους tam quatuor, quàm quinque syllabis & scribunt, & nominant. horum autem perniciosissimi, pestilẽtes uocantur, qui non secus, quàm ceteri omnes uulgares morbi, ex aeris constitutione causam ducunt. Conscripsit autem quasdam etiam pestilentes constitutiones, quales sunt, quæ in tertio describuntur, propterea quòd pestis quoque genere uulgarium continetur. atque hæc quidem prius explicanda esse operæ pretium duxi, quàm reliqua singillatim exponerem, ad quæ tractanda modo aggrediar, si hoc solum ero præfatus, quod iam sæpe est in alijs a me scriptis libris, ante memoratum, ubi illos, qui artem medicinalem uolunt perdiscere, cohortor, ut se se in singularibus, quæ sub sensum cadunt, exerceant: quo ea cognoscant, quæ prius in uniuerso didicerunt, hæc autem singularia empirici esse uniuersalis cõstitutionis principium putant, aiuntque ea denique præcepta uera esse, quæ ab experientia constituun-
D tur. nobis non ita placet, sed multa quoque præcepta ratione esse inuenta uidentur: de eorum tamen ueritate statui, prout eam experientia confirmat, atque testatur. Sic enim quamuis credamus ea, quæ per rationem inuenta, demonstrataque sunt de magnitudinis Solis ac Lunæ distantia, tamen cum eadem & multis alijs, quæ sensibus percipiuntur, quæ geometricæ rationes docent, & singularibus defectionibus confirmentur, eis maiorem fidem adhibemus. cum igitur, quæ per geometriam demonstrantur, ab experimentis comprobata singularibus maiorem fidem adipiscuntur, & ab ea fide firmius stabiliũtur, certe multo magis, quæ in medicina in uniuerso inuenta sunt, probationibus rerum singularum confirmari debent: quæ nos in libris uulgarium morborum fieri ostendemus.

## PRIMA CONSTITVTIO.

*Thasi, autumno, circa æquinoctium, & sub uergilias, pluuiæ multæ, continentes, lenes, ut cum Auster spirat.*

Ad uulgarium morborum disciplinam esse quoque loci cognitionem accommodatam, infra declarabo: nunc aũt auctoris uerba prius explicãda sunt. ut cum dicit, circa æquinoctiũ, & sub Vergilias. nã cum duplex æquinoctium sit, duplicesque Vergiliarum significationes, utrum ipse intelligat, nomine autumni adiecto indicauit. uere enim alterum fit, cuius in nostro tractu hoc est initium: ut eius etiam finis

finis est sub ortum Vergiliarum: alterum uero æquinoctium autumno fit,& item Vergiliarũ occasus: E quas siue in numero multitudinis,siue in singulari dicas, nihil interest. Occidunt autem Vergiliæ post æquinoctium autumnale,diebus circiter quinquaginta:præcipue cũ sciamus & æquinoctia,& solstitia in omnibus mundi plagis eodem tempore fieri: cum tamen ortus , obitusque siderum ita uarient, ut quæq; plaga suum habeat: illis enim tantum,qui sub eodem uertice habitãt,cões sunt ortus, occasusq; siderum. ceterum quod ex multis stellis constat,sidus uocant; ut Taurum totum,aut aliquam eius partem,ut Hyadas,aut Vergilias:quandoque tamen singulas stellas,sidera uocant : non tamen quod ex multis constat,id stellam appellant,sed semper hoc modo sidus solum: unam uero quanque solam non modo stellam,ut dixi,sed etiam sidus, ut Arcturum,ut Caniculam,ut Luciferum, ut Hesperum . Nunc uero,cum sidera nobis anni tempora designent, est ad totam propositam tractationem in primis necessarium,in quacunque regione facere medicinam uelis,ortus,obitusq; cuiusq; astri cognoscere.exẽpli gratia in Hellesponti parallelo ueris initium facit æquinoctium, quod eo tempore fit : finem uero ortus Vergiliarum:qui itidem æstatis est principium : sicut etiam æstatis finis,& autumni principiũ Arcturi exortus facit:qui quidem autumnale æquinoctium duodecim ferme diebus antecedit : occasus autem Vergiliarum hiemi principium,& autumno finem affert.arbitror autem & admiratione,& quæstione dignum esse,cur in oratione,stellæ maxime insignis quam caniculam uocant,ortum, qui æstate F fit,prætermiserit. sunt etiã,qui totius sideris nomine abutentes,Canẽ appellent:Canis.n. totum sidus est: quæ uero stella in mandibula ipsius est,caniculam nominant,quam quispiam recte non canem,sed antecanem nuncupabit.cuius quidem stellæ ortus principium est eius temporis partis,quam oporam uocant. Qui autem in septem tempora annum diuidunt,ij ad huius usque stellæ exortum æstatem protendunt.atque ex eo tempore usque ad Arcturũ,oporam uolunt pertinere. ijdem quoque hiemem diuidunt in partes tres,cuius medium tempus constituunt id,quod sub brumam est, quæ uero utrinque adiuncta sunt,primum sementem,postremum uero inserendi tempus uocant: siquidem his ipsi nominibus utuntur.& uero in eo etiam libro,qui de septimanis est,quem Hippocrati tribuunt,annus est septẽ in partes distributus:cũ autumnus & uer nõ diuidantur,hiems uero tripliciter,æstas bipartito. atq; illa quoq; partitio utilis est,ut progrediẽs declarabit oratio.Sed & utilis est in quatuor partes facta diuisio:id quod ẽt Hippocrates ipse prius declarauit,ubi de humorũ exuperantia, deq; morborũ generibus agit:&,quæ hæc ambo præcedũt,de aeris tẽperamẽtis,quorũ sunt quatuor differentiæ : etenim ut maxime duas in partes tẽpus,quod inter Vergiliarũ ortũ & Arcturum intercedit, diuidas, id tamẽ erit omni cõe,ut moderatã siccitatem excedat:ut etiam hiemi,ut frigidior,humidiorq; sit, licet tres in partes diuidatur.atq; ita magnæ temperamenti differentiæ,quas genericas merito quis appellarit,annum G in quatuor tẽpora diducunt,genere,aut specie inter se diuersa,utrũ dicere quispiã uelit: si uero singulas horum differẽtias in maiores,minoresq; distribuas,æstatẽ duas in partes, hiemẽ in tres distribues. hæcq; huiusmodi tẽporum diuisio ex ipsorum spatio ducitur.siquidẽ tẽpus quod inter Vergilias,Arcturumque intercedit,quatuor est mensium: quod uero inter Vergiliarum occasum, & uernum æquinoctium interest,pluriũ est,quàm quatuor: ueris autẽ tempus,ne duos quidem integros menses cõtinet. quam ob rem merito non est diuisum: hinc etiam est effectum,ut autumni tempus sit uerno maius : siquidem in duos menses protenditur: hoc tamen ab æstiuo,atque hyberno longe superatur . atq; hæc quidem nunc semel dicta sint nobis:quæ ad omnia,quæ deinceps dicenda sunt,haberi in memoria uelim,ut ad omnium nationum menses, qui alijs alij sunt,facilius transeas. qui si ijdem apud omnes essent, profecto neque Arcturi,neque Vergiliarum,neque Canis,neque æquinoctiorum , neque solstitij mentionem Hippocrates fecisset : sed satis ei fuisset dicere, apud Macedonas, uerbi gratia,in principio mensis, quem Dium uocant,talem fuisse in aeris temperatura constitutionem. nunc uero cum Dium Macedones solum intelligant, Athenienses ceterique homines ignorent . uolebat autẽ omnibus gentibus Hippocrates æque prodesse,melius esse existimauit,si neglectis mensibus, æquinoctium adscripsisset.nam æquinoctium uniuersale est , menses aũt sunt singulis gentibus sui.qui igitur astrono- H miæ imperitus est,is potissimum sciat,se non esse Hippocratis,ad illam nos ob prædictorum usum cohortantis,dicto audientem:at quia humana res uidetur, eiusmodi quoque homines adiuuare , dabo operam,ut quantum res ferat,ipse auxilium præscribam: cui si adhibere mentẽ uelint,ex omnibus,quæ Hippocrates dicit,fructum ferent. Diuidatur igitur totus annus in quatuor tẽpora ad æquinoctij , & solstitij rationem: tum roget quis uirum astronomiæ peritum, in quot menses hæ quatuor partes incidant,certe his perceptis,quæ de alijs singulorum siderum significationibus dicentur,poterit assequi:ut si,uerbi gratia,norit in principio mensis Dij autumnale æquinoctium fieri , sciet etiam brumam post tres fere menses fore, in principio mensis , quem per se finem uocant : siquidem hoc nomine mensis ille apud Macedonas denotatur: uernum uero æquinoctium in principio Artemisij : sicut æstiuum solstitium initio Loi: siquidem in horum mensium initijs & æquinoctia , & solstitia apud Macedonas fiunt , qui menses ita numerant , ac nominant . hæc si perceperis , atque insuper duodecim fere ante autumnale æquinoctium diebus Arcturum oriri didiceris , Vergilias uero occidere post dies circiter quinquaginta , quoto mensis cuiusque anni die utrunque sidus oriatur , plane cognosces: ac, si sequi Hippocratem uelis, quæ temperamenti mutatio aeri acciderit , obseruabis. ceterum menses nõ sunt ad Lunæ rationem subducendi, ut in plurimis Græciæ ciuitatibus fieri solet,sed ad rationẽ

Solis

A ſolis tum in omnibus antiquis urbibus, tum multis etiam gentibus numerantur. atque apud Romanos
annus totus in duodecim eſt menſes diſtributus: quorum unus eſt octo & uiginti dierum, quem a ſol-
ſtitio hyberno ſecundum numerant: primus autem poſt ſolſtitium, quem etiam totius anni primum fa-
ciunt, unum ſupra triginta diem aſſumit, ut etiam facit poſt ſolſtitium tertius: qui ipſe quoque dierum
eſt unius & triginta. quartus triginta continet dies, quintus unum præterea capit: ſextus ex triginta
conſtat: duo conſequentes unius & triginta dierum ſunt: qui hos excipit, triginta dies habet: huic pro
ximus, unum plus habet, qui totius anni eſt decimus: triginta uero eſt dierum undecimus, & duodeci-
mo unus præterea accedit. ſi uero omnium menſium dies connumeres, erunt omnes trecenti ſexagin-
ta quinque. numeratis autem hoc modo quatuor annis, anno quarto tertium menſem duum & trigin-
ta dierum faciunt, ut ſinguli anni ſint tricenum, ſexagenũ, quinque dierum, ac quartæ diei partis. ut au
tem Palæſtini numerant, duodecim menſes conficiunt dies trecentos quinquaginta quatuor. cũ enim
tempus a Lunæ cum Sole coniunctione uſque ad aliam quamuis coniunctionem, ſupra dies uiginti no
uem, alterius etiam diei dimidium aſſumit, ideo duos menſes, qui ex uno de ſexaginta diebus con-
ſtant, in partes inæquales diuidunt, atque alterum triginta dierum, alterum uigintinouem faciunt. qui
igitur menſes ita habent, intercalarem facere aliquem coguntur, ut primæ annorum præteritorum reli
B quiæ in unum conducantur, & unius† menſis tempus fiat. ceterum quando intercalandi menſes inter-
calares ſint, cum ab alijs quibuſdam aſtronomis, tum uero ab Hipparco ſcriptũ eſt. quocirca apud eos,
qui menſes hoc pacto numerant, non licet, ut dixi, dies conſtituere, in quibus æquinoctia ſolſtitiaque
fiant, & Stellæ inſignes oriantur: apud eos uero, qui ad Solem numerum dirigunt, licet definire, quem-
admodum a Romanis, Macedonibuſque, & Aſiaticis noſtris, ac pleriſque alijs populis obſeruari di-
cebã. itaque cum hæc toti ſequenti tractationi communia, ſint a me dicta, ad inſtitutam orationem redi
bo, in qua cõſtitutionem, quæ in Thaſo erat, ita exorſus memorauit, Autumno, circa æquinoctium, ſub
Vergilias, pluuias multas extitiſſe. cum autem autumnus circa æquinoctium ſit, & duorum menſium
ſpatium contineat, non ſtatim ſub initium ille ſtatus cœpit, ſed circa æquinoctium exortus ad Vergilia
rum uſque occaſum, dies circiter quinquaginta, pertinuit. In Thaſo, autumno. Ex Quincti ſententia, re
gio nihil quicquam adiuuat ad morbos præſagiendos: neq; futuri morbi ullo pacto præſagiri queũt:
ſed ſolum prænoſci, morbos quoſdam accidiſſe corrupta naturali temporum temperatura: interdum
uero eorum formam non rationali methodo, ſed ſola experientia eſſe cognitam dicit. Iam uero intem
perierum complicationes, quas medici empirici, qui aphoriſmos declarant, cõcurſus uocant, fieri quo-
rundam morborum cauſas, aiunt eſſe experientia compertum: ut cum hiems ſqualida, aquiloniaque
C fuerit, uer autem pluuium & auſtrinum. æſtate febres acutæ, lippitudines, & tormina inteſtinorũ erunt:
& item, ſi hiems pluuia, auſtrinaq; fuerit, uer autem ſqualidum & brumale, mulieres, quibus uere par-
tus inſtat, ex quauis occaſione abortum faciunt: & cetera, quæ deinceps addidit, ubi quatuor ſolas con
ſtitutionum differentias deſcripſit, cum tamen multę ſint: quod animaduertere Quinctus debebat, ac
conſiderare, & perquirere in primis, quod ad anni tempora pertinet, quænam a natura deflectant: de-
inde cum ea eſſe multa comperiſſet, omnium numerum perueſtigare: tum cauſam indagare, cur illorũ
quatuor modo Hippocrates meminiſſet, quibus omnibus inuentis, aliquam uiam ac rationem inueni-
re, cuius uſu aliarum omnium conſtitutionum uim cognoſcamus: ſiquidem is pręnoſſe poteſt, quæ ſiũt,
quique morbi uulgares futuri ſint, immo uero ſolus præcauere, ne, quoad eius fieri poteſt, quiſpiam
prorſus in eos incidat, qui prædictam uiam teneat: aut, ſi propter cauſæ magnitudinem, id fieri non poſ
ſit, ut ſaltem his moderatiſſimis corripiatur. melius autem morborum curationem inuenturum eſſe eũ,
qui in his omnibus, quæ dicta ſunt nobis, mentem exercuerit, quàm eos, qui nihil ante meditati ſint, ne
minem plebeium, nedum recte inſtitutum, ignorare arbitror. ipſi autem Hippocrati plures conſtitutio
nes, quàm eæ quatuor, quas in aphoriſmis deſcripſit, notas fuiſſe, ex his libris, quos modo ſuſcepimus
explicandos, plane conſtabit. atque in primo quidem primum ſtatum memorauit, de quo in extremo
D dixit, cum autem totus hic ſtatus auſtrinus, ſqualiduſque eſſet: alterum uero, cum ait, cum totus annus
eſſet frigidus, humidus, & aquilonalis: tertium inæqualem, & uarium, qui paulo ante Arcturum ince-
pit, frigiduſque, & humidus fuit: tum ab autumnali æquinoctio ad occaſum Vergiliarum omnino au-
ſtrinus, cum immoderatis humiditatibus: poſtea frigidus, ſiccuſque cũ uentis aquilonijs maximis per
totam ferme hiemem: deinde frigidus & ſiccus ad canis ortum uſque: dehinc magni affatim uſque ad
Arcturum æſtus, ſub quem imbres auſtrini uſque ad æquinoctium fuerunt. & quanquam hæc inæqua-
lis erat conſtitutio, tamen frigus ſiccitaſque in ea ceteris præſtabant. In tertio autem horum librorum
ſtatum ſcripſit, quem poſtea in unum caput redegit hoc modo, Annus auſtrinus, pluuius, uentis omni-
no uacans. alium quoque ſtatum in principio ſecundi attulit, his uerbis, In Cranone carbunculi æſtiui
erant: pluerat per æſtum largo imbri, aſſidue: magis autem acciderant Auſtro ſpirante. ut enim hic
ſtatus eſt calidiſſimus, & modice humidus in uno anni tempore, in quo accidit, in æſtate inquam, ita il-
le, de quo libro tertio loquitur, per annum uniuerſum. ſed alij quoque ſtatus in his libris deſcripti com
periuntur, quos in aphoriſmis non attigit: quatuor autem illos, qui frequentius, quàm alij, ſolent exi-
ſtere, cum cauſæ ratione coniunctos, quam in libro de aere, aquis & locis expoſuit, ut exemplum eſſent
in aphoriſmis deſcribendos iudicauit. quin etiam ſi prorſus cauſæ rationem omiſiſſet, nos tamen eam
ex ijs, quæ in aphoriſmis ſcripſit, inueniremus. illa enim homini, rationem meditato, inuẽtionem præ-
dictorum

† quiuis græci libri habent μηνὸς, tõ puto legẽdum, ἡμέρας, diei: quia ex quatuor quadrãtibus, non menſis, ſed dies conſtituitur.

dictorum ſuppeditare ſatis poſſunt. Illud autem ſcire te uelim, quod licet ſæpe ſit a me pleriſque lo- B
cis declaratum, nunc tamen, quatenus neceſſe eſt, ut memoretur, iterabitur. ſingulas in omnibus artibus ſimplicium† medicamentorum coniunctiones, propter multitudinem, cognoſci experientia non poſſe: ſed in ipſis omnibus unam eſſe inuentionis uiam, quæ ex proprijs cuiuſque elementis exiſtit, ut etiam in arte grammatica uſu uenit. quænam igitur ſint propria conſtitutionum elementa, ab ipſa rei eſſentia exorſi, uideamus, quemadmodum in libris de demonſtratione didicimus. quocirca rem a capite arceſſam, tibique, nihil omittens, omnia ordine declarabo. anni tempora differunt humiditate, caliditate, frigiditateque ac ſiccitate: atque ut hiems humiditate, frigiditateq; ſuperat cetera, ſic æſtas caliditate, & ſiccitate: uer eſt plane in medio utriuſque conſtitutum: ſiquidem in utraque appoſitione neutrum alteri præſtat, neque humidum ſicco, neque calidum frigido: ſed eſt quædam quaſi oppoſitionum ambarum æquabilitas, & omnium totius diei, noctiſque horarum ſimilitudo: ut nulla magna in eis aut immutatio, aut exuperantia fiat, prout in autumno conſpicitur, in quo mane frigus uiget, meridie magnus æſtus, cum uero ad ueſperam uergit dies, ad frigus redit: in ipſo tamen ſiccum humido, & frigidum calido dominatur. atque huiuſmodi quidem eſt anni temporum temperatura: quorum fere mutatio in paucis fit, ut ne toto quidem tempore ſentiatur: ſi uero in magnis fiat, ſentietur, non tamen repē-
te, neque immoderate in † humidorum, naturaliumque temporū mutationibus. Arcturo igitur orien- F
te, pluit fere, uentique frigidi ſimul ſpirant: hincque autumnus incipit, & æſtas deſinit. deinde uero tēpore conſequenti mutatio paulatim, atque ita, ut ſenſum effugiat, in frigidius fit: tum Vergiliarum occaſus ipſam uiciſſitudinem ſenſibilem facit. dehinc ex omni parte ſimiliter ad uernum æquinoctium peruenit: ac quandoque ſimilis acceſſio fit uſque ad ortum Vergiliarum. ſæpe uero etiam ſenſibilis quædam uſque ad tempus æquinoctij, ſed tamen moderata. atqui ab ortu Vergiliarum & calor augetur, & ſiccitas ad canis uſque ortum, moderate, & paulatim: ubi autem ipſe adſit, Auſtri aliquantulum regnabunt. his ſuccedent pluuiæ tantæ, quantæ ſolent Eteſijs flantibus, ad Arcturi ortum uſque. quam ob rem & uſu, & ratione didicimus, cum anni tempora hoc modo procedunt, atque in ſe uiciſſim commutantur, neque peſtem, neque ullum præterea uulgarem morbum omnino uagari, ſed eos morbos ſolum, quos diſperſos ipſe uocat, qui ex ratione uictus conſequuntur. quoniam autem ſingulis anni temporibus proprij uigent humores, ut ipſe docuit, ut hieme pituita, uere ſanguis, æſtate bilis, autumno acida bilis, efficitur, ut qui mala uictus ratione utuntur, nō ab eiſdem morbis omni tēpore corripiātur: ſed ut ipſe ſcriptum reliquit, uere melancholiæ, inſaniæ, morbi comitiales, ſanguinis profluuia, alijque morbi, quos deinceps recenſet, oriantur: æſtate uero alij, & alij item autumno: & alij hieme: qui ex errore quidē in uictus ratione proficiſcuntur, eorū tamen formæ pro anni tempore, ætateque, & natura G
commutātur. cum enim pro naturis & ætatibus tū corporum temperamenta immutentur, tum exuperantiæ humorum differant, ideo ad earum etiam rationem morborū formæ commutantur. de differentijs autem, quæ in ætatibus ſunt, hoc modo ſcripſit: in ætatibus autem exercent paruos pueros, & infantes oris ulcera, & uomitiones, & reliqua, quæ per omnem ætatem adiunxit: de naturis uero ſic, Naturæ quædam ad hiemem, quædam ad æſtatem bene, aut male comparatæ ſunt. ex quo conficitur, ut corpus laborantis parem uim cum aere obtineat ad cauſam efficiendam. quibus utriſque coeuntibus aduentitium temperamentum efficitur, ex quo uulgarium morborum eſt origo. itaque ſi uiderimus, quantum aeris calor in corpus humanum efficere poſſit, quantum frigus, ſiccitaſque & humiditas: ipſamq; patientem materiam qualis ſit, intueamur, certe nihil iam difficile erit & inuenire & item præſagire morbos futuros: immo uero ante hæc illud quoq; recte dictū intelligemus, in conſtantibus tēporibus ſi tēpeſtiua tempeſtiue proueniāt, morbi conſtantes, bonique iudicij oriuntur: in inconſtantibus uero & inconſtantes, & difficilis iudicationis. ceterum quænam ſint prædictarum qualitatum, humiditatis, ſiccitatis, caliditatis, ac frigiditatis facultates, ab ipſo Hippocrate in aphoriſmis percipiamus: ex anni conſtitutionibus, in uniuerſum ſiccitates ſunt imbribus ſalubriores, & minus letales: morbi autem in imbribus plerunque ſunt febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, attoniti, & H
anginæ. in ſiccitatibus uero, tabidæ lippitudines, articulorum dolores, & urinæ ſtillicidia. hæc ipſe de conſtitutionibus in longum tempus productis memorauit. & quemadmodum in his de humiditate, ſiccitateque locutus eſt, ita de caliditatis, frigiditatiſque, differentia ubi de aquilonijs, auſtriniſq; ſtatibus ſcripſit. in noſtro autem tractu, Aquilo frigidus eſt, calidus Auſter, niſi forte, quod tamen raro fit, ineunte uere ſit frigidus: aut aliquo alio anni tempore talis parumper ſpiret: ſed ne tum quidem eſt Aquilone frigidior. quare attende ſequentia, ut de his in aphoriſmis ſcripſit hoc ſumpto initio: Auſtri auditum hebetantes, caliginoſi, caput grauantes, pigri, diſſoluentes. cum hi uigent, in morbis talia patiuntur: at ſi aquilonius ſtatus fuerit, tuſſes, fauces, alui duræ, difficultates urinæ, horrores, coſtarum, pectoriſque dolores: cum hæc conſtitutio dominetur, talia in morbis expectanda ſunt. hæc de uehemētibus auſtrinis, aquilonijſque conſtitutionibus, quæ diu durant, ab eo dicta ſunt: illo enim uerbo, dominari, indicat, hæc nomina non dici de eo, qui aut in uere, aut modico tempore ſpirat: nec de eo, qui licet multis diebus ſpiret, imbecillus tamen eſt. de quotidianis autem uentis aquilonijs, & auſtrinis accipe, quæ dicat: Quotidianę autem conſtitutiones, aquiloniæ quidem corpora denſant, contendūt, roborant, coloratoria, & melius audientia reddunt, aluos exiccant, oculos mordent, ſi pectus aliquo dolore obſideatur, dolorem augent: auſtrinæ uero diſſoluunt corpora, & humectant: auditum caputque

† Aliqui putāt legēdum eſſe στοιχείων. i. elementorum.

A. l. 1. f. 2. d. 2. c. 3. p. 59. B.

† Sunt, qui ὑγρῶν in ὡρῶν mutēt, ut ſic legas, in tēporū mutationibus quæ ſecundū naturā ſunt.

A putque grauant, uertigines creant, oculis & corporibus difficilem motum afferunt, & aluos humectant. alia autem ab eo in aphorismis dicta sunt, de temporum natura, deque subita inter se conuersione: quæ singula suo loco afferemus. hic autem sat erit, didicisse, primas constitutionum uirtutes, quæ tanquam elementa sunt, ab ipso Hippocrate dictas esse: quarum uestigijs in quibusuis statibus, qui inciderint, oportet nos uia & ordine progredientes inuenire, quales morbi impendeant, & quẽadmodum prohibendi sint, aut, si iam constent, qua sint ratione curandi: siquidem hic est huiusce tractationis fructus maximus. in horum autem elementis est etiam locus, qui ipse quoque ad prouidendos morbos nonnihil indicationis affert: prout facit etiam cuiusque natura, ætasque, & institutum, & uictus ratio. ipse enim perspicue in libro de aere, aqua, & locis, qui in quaque regione morbi exuberent, declarauit. unde igitur sumis, aeris constitutionem immoderate frigidam, & humidam, ut natura eius postulat, facturam esse morbos, quos ipse declarauit: illinc etiam indicium simile a loco, ab ætate, a natura, a uitæ institutis, ac tota uictus ratione ducere poteris: etenim qui humidi, frigidique natura sunt, hi etiam ob externas circunstantias facilius morbis, quos humidus & frigidus status gignit, corripientur: contrarij uero, difficilius. si igitur plaga humida & frigida sui ratione sit, talemq; statum habeat, facile gignentur morbi ei statui familiares, cum ad eorum etiam ortum plaga conse-

B rat: ut etiam facit omnis constitutio nimium calida, atque humida, qualem in secundo horum librorum descripsit in principio, ad hunc modum, Pluebat inquit, per æstum, largo imbri, assidue. adiumento certe est etiam locus ipse ad huiusmodi putridorum morborum originem, præsertim si ab utraque parte intemperatus sit, calidior nimirum, & humidior. Sed adiuuabit etiam, si alterutra parte sit intemperatus, ueluti Cranon in loco concauo, & ad meridiem sita: quam ob rem morbis putridis, ut carbunculis uexata est, ac præter cetera incommoda, est etiam ab aquilonijs auersa uentis: & uentorum subiecta tranquillitatibus, quas νηνεμίας uocant. Cranon autem talis est, Thasus contra: exposita enim est aquilonijs, frigidisque uentis, ex aduerso Thraciæ constituta. itaque cum totus status ad austrina spectaret, idque cum squaloribus, locus, quantum in se erat, non facile a constitutione corripiebatur. quod si ad meridiem & in conualli situs fuisset, certe hic status ei pestilentissimus extitisset. pluuiæ multæ, continentes, lenes. tribus modis pluuiæ multæ fiunt, tum ob pluuiam confertim decidentem, tum diuturnitate temporis, licet guttatim modo singulis diebus cadat: tum ambobus coniunctis. quorũ omnium descripta exempla tibi in libris uulgarium morborum suppetunt: ac primi quidem modi statum habes, cuius hoc est initium, in Thaso ante Arcturum pluuiæ multæ: quas sane magnas fuisse, multitudo pluuiæ confertim decidentis indicat. secundi autem modi exemplum est id, de quo modo mẽ

C tio facta est: pluuiæ multæ, inquit, continentes, lenes. earum enim multitudo collecta est, quia longo tempore perpetua pluuia fuit, & non prorsus uno tempore larga. tertij porrò modi exemplum in principio secundi de uulgaribus morbis describitur hoc modo, Pluebat per æstum, largo imbri, assidue. largum enim cum superiore modo conuenit: assidue uero, cum secundo. Sed illas constitutiones suo quanque loco alias exponemus. hæc uero, de qua est instituta oratio, quæ intra æquinoctium autumnale, & hiemis principium incidit, pluuiam, quandiu uiguit, lenem habuit, ut ipse dixit: quod his confertum, large & uehementer, contrario nomine opponitur.

2 *Hiems austrina.*

Perspicue declarauit, se quoque nosse, finem autumni esse occasum Vergiliarũ, quã ipse Vergilias breui appellat. cum enim ante dixisset, circa æquinoctiũ, addidit, & sub Vergilias: ac deinde scripsit hiems austrina: quasi nullum tempus intercesserit, quod propriam explicationẽ postularet, sed hiems sit cum Vergiliarum occasu coniuncta.

3 *Parui uenti aquilonij.*

D Paruos uentos fuisse hieme ait: quæ si in suo naturali statu constitisset, magni omnino fuissent. id autem eis duplici ratione accidit, ut nunc parui fuisse uideantur, & sua ipsorum magnitudine, & temporis diuturnitate. nam & paucis diebus spirarunt, & non uehementes fuerunt: cum tamen hiems & magnum habere Aquilonem, & longo tempore soleat.

4 *Squalores.*

Constitutionem, quæ siccior est, quàm par sit, non parum usitato nomine squalorem uocauit: siquidem nõ simpliciter sicciorem, sed extreme siccam ita appellare solemus. nam nec fieri potest, nec credibile est, hiemem adeo siccam reddi, ut terra æque, ac in æstate squalida fiat: neque enim huiusmodi status in uere fit, cui nunc hiemem fuisse omni ex parte similem dicit.

5 *Hiems autem omnino similis ueri fuit.*

Ait, hiemem quidem slcciorem fuisse, quàm eius natura ferat, non tamen æque siccam, atque æstatem: itaque squalorem, quem paulo ante non satis proprie usurparum diximus, accipere debemus, nõ absolute hoc loco dictum ab ipso esse, sed cum aliquo comparatum: quemadmodum formicam magnam, & montem paruum dicimus. nam in eo, quod hiems erat, nõ absolute squalida erat: sicut neq;

etiam magna formica, est absolute magna, sed ut magna formica, quæ etiam paruo monte minor est: E
itemque hiems squalida est æstate humidior: sicut hiemem præsentem comparando ait, hiems autem
omnino similis ueris fuit.

*Ver austrinum, frigidum, parua pluuia.* 6

Videtur autem uer austrinum dixisse, nō quod omnino uentis aquilonijs caruerit, sed quod paucissimi illi initio fuerint, atq; adeo pauci, ut totum illius temporis statum austrinum appellarit.

*Aestas fere tota nubilosa: nihil pluit: Etesiæ pauci, parui, sparsim spirarunt.* 7

Si quis omnia, quæ de æstate dicta sunt, colligat, hanc austrinā, simulq; squalidam fuisse affirmabit.

*Cum esset autem totus hic ductus austrinus, & squalidus.* 8

Non ideo squalidū dixit, quod toto anno non pluerit, sed, quod quàm paucissimū: nā præter primū
tempus, ab æquinoctio autumnali, usque ad Vergilias, totū reliquū pluuia abunde caruit. Ductū aūt
appellauit aeris constitutionē. quocirca si uerum est, animantiū corpora simul cū aere immutari, certe
per imbres humidiora, per squalores uero sicciora fient. cumque calores dominantur, caput erit * firmum, cum frigora, ipsum quidem erit leuissimū, sed pulmonis, thoracisq; partes laborabunt. quā ob rē
quæ corpora ei statui, qui nobis propositus est, quique mediam naturam inter serenū, & exquisite pu- F
rum & pluuium obtinet, similia sunt, ea mediam temperamenti constitutionem habebunt, quā conce
dito, ut nebulosam uocem. cum enim talis aer sit, positumq; sit, corpora cū eo simul immutari, eiq; reddi similia, certe, quo nostra clarior sit oratio, nihil causæ erit, cur statum in ijs factū, ueluti nebulosum
quendam non appellem. ut igitur, cum hiems suum tēperamentum seruat, pituitā, humidum, frigidūq;
humorem gigni necesse est: æstate uero contra, calidum & siccū, ut pallidam bilim, ita cū nubilus aer
fit, aliquis humor dominatur: ut in pituitosis naturis, nebulosa, ac caliginosa, ut ita dicā, pituita: in biliosis uero nebulosa, ac caliginosa bilis. etenim semper aliquid e nostro corpore uaporosum emanat:
sed in siccis constitutionibus plurimū, in humidis uero paucissimū: quod in corpore fit aceruatū, spiritum nobis innatum similē nebulæ, caliginiq; reddit: uapor.n.in aere animantes ambiente, est spiritui
similis. unde est effectum, ut non sit ueritus quispiā affirmare, in tali statu, huiusmodi in nobis spiritū
gigni. atqui ubi eodem tempore nebula aut caligo has duas affectiones patitur, ut in sublime feratur,
& stipetur, nubes alba efficitur. cum enim aer sit plane aquilonius, sine humiditate nunquam nubes
existet. siue autem splendida, siue atra fiat, raritas, aut spissitudo in causa est. ac rarescens quidem nubes, lucem Solis in se recipit, ac proinde splendore perfusa uidetur, quod eam Solis splendor illustret:
ut in pellucidis corporibus usu uenit: at stipata, condensataq; nube, quia Solis lumē in eam nō ingredi G
tur, merito atra uidetur: qualis est & nocturnus aer, Solis lumine destitutus. ea aūt nebula sæpe in terram decidere perspicue uidetur, eiq; roris est nomen: interim uero supera petere, fierique nubes siue
alba, siue atra: atque alba, cum, ut dixi, tota Solis radios in se admittit: atra, cum eos plane excludit:
ceteros uero colores intermedios nubes accipiunt pro quantitate splendoris, qui eis mistus sit. Sed ui
debitur fortasse, hæc secū pugnare oratio, cū in sublime efferri humorē, & cōstipari eundem dicamus:
in sublime autem ferri, est caloris opus, constipari uero, frigoris. idem autem calidum, frigidumq; esse
simul non potest. Sed si animaduertas, uaporem calidū esse, qui sursum fertur, & eius rei causa in sublime uehi, aerē uero, qui uaporē excipit, frigidum esse, non iā, quomodo attollatur, ac stipetur, dubitabis. ut enim attollatur, a se habebit: ut cogatur, constringaturq;, ab excipiente aere proficiscitur: qui
quo frigidior erit, eo magis ascendentem nebulam constipabit, & coget. cum igitur aer nec euidenter
calfacit, nec perinde refrigerat, nebula sublata in eo necessario morabitur talis, qualis initio erat, ac
per se plane candida fiet, cum a Solis splēdore cieatur: media uero inter albā, & nigrā, cum eā Sol non
omni ex parte collustret. itaq; desine mirari, cur animantiū corpora quandoq; similē huic cōstitutioni
affectionē in se habeāt: quin potius crede Hippocrati dicenti, Austri auditum hebetant, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes: siquidē his uerbis uitia corporis persequitur: quæ in austrinis consti H
tutionibus pati solet. quam ob rem, ut hæc, caput grauantes, dissoluentes, & pigri, ad ea plane pertinent, quæ ab Austro in nostris corporibus concitantur, ita existimandum est, caliginosum esse dictum,
ut indicet, non aeris caliginem, sed eam, quæ in nobis ab illo sit coaceruata.

*Ante uer ex priore constitutione, quæ huic fere contraria, quæque aquilonia fuerat, paucis ardentes febres exortæ sunt: eisque admodum stabiles: paucisque sanguis profluxit: neque ex his moriebantur.* 9

Breuē fuisse constitutionē aquiloniā ante uer, planū est ex eo, qđ nuper totū tēperamentū austrinū
uocauit: quod sane minime fecisset, nisi Aquilo permultos dies spirasset. & tamen cum aer paucis diebus aquilonius fuisset, ardentes quidam morbi paucos inuaserunt, atque hi quidem ualde mites,
quique consisterent; ait enim, eisque admodum stabiles. Scribunt autem quidam οὐ πάνυ ἐνσταθ
id est, non admodum firmæ. alij uero ἐνσταθέα, more Ionico, hoc est, in æquali tenore, & nihil perniciosum habentes. addit etiam, paucis sanguinem profluxisse: quod proprium est ardentium febrium, quæ uehementes sunt, ut etiam delirare, & mori: quæ non etiam comitabantur eis febribus, quæ tum uigebant: sed erant illæ & moderatissimæ, & paucissimos inuadebant: quod uehemens, &, ut ita dicam, legitima febris ardens a flaua bili, quam etiam pallidam uocant, oriatur.

hanc

A hanc autem, ut in proposita constitutione ostendimus, æstate superiore tantum habebant, qui natura erant biliosa, eamque non multam: postea uero, non item: propterea quod cum humidus esset prædictus status, magis, magisque caliginosus, nebulosusque fieret. quocirca febris ardens merito paucos corripuit, qui mirum in modum biliosi essent: neque tamen ea exquisita, neque uehemens, sed lenis, & quæ facile discuteretur. itaque quos corripuit, hac de causa inuasit. æstas porrò autumnum præcesserat, quæ naturalem suum statum obtinuerat: Hippocrates enim inde orditur constitutionum narrationem, unde aer primum de sua natura deflexit. necesse autem erat in æstate naturali, in ijs, qui perquam biliosi sunt, maiorem huius humoris copiam aceruari. constitutio autem, quæ successit, per totam hiemem usque ad uer, cum calida uehementer, & sicca non esset, sicut æstas est, hunc humorē nō auxit: nec etiam quicquam imminuit, cum non satis frigida esset, qualis est hiems, quæ suam naturā seruet: nec per halitum digessit, cum non esset sicca exquisite. restat igitur, illum integrum esse seruatum, sibiq; formam quasi caliginosam, & nebulosam, propter modicam aeris humiditatem, ac caliditatem, quæ cum uapore nutrita erat, assumpsisse. Cum autem ante uer subito, præter morem, Aquilo spirasset, humoresque in intimas corporis partes compulisset, tenuissimus primus fluebat, & ita febrē ardentem excitauit. hic tamen humor in quibusuis corporis partibus coaceruatus non potest arden-

B tem febrim excitare, sed cum in uentriculo, præcipueq; in eius ore, & in simis iecoris partibus colligitur. simili quoque modo sanguis non profluebat. est autem proprium, si quid aliud, exquisitarū febriū ardentium, ut per sanguinis eruptionem iudicentur. Appellat autem Hippocrates sanguinis profluuiū non addito membro, & quo sanguis fluat, id quod e naribus fit. non est autem mirabile recludi, rumpiq; uenas, quæ in ea parte sunt, a sanguine, qui præ calore, in sublime effertur: a quo necesse est ipsum inflari, ac tum aperiri uenas, rumpique ob spiritus copiam, qui utres quoque, ac dolia disrumpit, cum in feruescente musto accumulatur. sed hoc symptomà febribus, quæ tunc ortæ sunt, quia lenes essent, ut dictum est, non comitabatur.

A.l.4.f.1.t.22 c.40.p.788.D

10 *Tumores autem multis secundum alterutram aurem, plurimis uero secundum utranque extiterunt, febre carebant, recti erant. nonnullis parum accendebantur: sed omnibus sine incommodo extincta sunt, nemini etiam suppurarunt, ut quæ ex alijs occasionibus eueniunt. erat eorum hæc natura, laxa, magna, fusa, sine inflammatione, & dolore, & obscure omnibus euanescebant.*

A.l.1.f.2.d.3. c.10.p.87.B.

Prædicta omnia propter caliginosæ substantiæ redundantiam facta sunt, a qua alia apta sunt, ut cum pituita existant, alia cum flaua bili, ut quæ igni sacro obnoxia sunt: alia cum sanguine, ut quæ inflammantur: omnia tamen facile consistebant, cū huiusmodi materia prompte digeratur. contra autē, quæ

C crasso, glutinosoque humore constant, ægre discutiuntur. quæ autem in hac constitutione acciderunt, laxa erant, hoc est mollia, & digitis cedentia, quæque ad illorum impressionem cauabantur: sine inflāmatione, hoc est sine adustione, ac sine dolore, quod corporū cōtentione, & magna intemperie, a quibus duobus, creatur dolor, uacarent. contentio autem fit ob crassos, glutinososq; humores affectis partibus ita impactos, ut sine difficultate resolui non possint: ualida uero intemperies, quod illi nimiū uel calidi, uel frigidi sint. quam ob rem laxi, & exulcerationis expertes tumores merito dolore uacabant: qui quoniam erant huiusmodi, ac facile dissoluebantur, ideo non suppurarunt, ut qui ex alijs occasionibus oriuntur. Hippocrates autem προφάσιας hoc est occasiones quandoque, ut uulgus solet, appellat causas, quæ falso afferuntur: sæpe uero causas manifestas sic uocat, nonnunquam uero omnes absolute: sed nunc suppurationes ex alijs occasionibus ortas appellauit, quas ipse in febribus docuit contingere, in quibus multi, crassi, & crudi humores collecti sunt: sed propter uehementiam & acumen & copiam caloris, quem febris excitat, ad caput efferuntur: eos deinde natura in aurium glandulas deponit, unde parotides, quas uocant, oriuntur. non erat autem hoc in statu tanta humorum redundantia, & qui ad aures constiterant tumores, quod spirituosæ erant substantiæ, statim sunt digesti: itaque perspicuum est, morbos ardentes ineunte uere extitisse, cum Aquilones spirassent: prædictas uero pa-

D rotidas, toto reliquo tēpore uiguisse. merito aūt erāt moderatissimæ propter eas causas, quas memoraui: ut homines ab eis recte affligerentur, hoc est, eas sine dolore ferrent, ambularentq;, ac solita munera obirent, neque, ut in grauioribus fieri morbis solet, decumbere cogerentur. præter cetera autem, ne febri quidem notabili erant affecti: sed si quis eorum incalesceret, id non diu patiebatur. quod fiebat ob naturā humoris exuberantis, ut dictū est, qui aerius, ac frigidus maiore ex parte erat.

11 *Hæc autem adolescentibus, iuuenibus, adultis, ac præter ceteros luctatoribus, & qui in gymnasiis uersabantur, accidebant: mulieribus uero paucis.*

Scire cōuenit, hanc cōem cuiusq; decubitus humorū causam ab ipso alias esse explicatā: humores inquam calidiores in sublimiores corporis partes decumbere, frigidiores uero in infernas. cum igitur redundans in hac constitutione humor subfrigidus, aeriusq; esset, mediamq; naturam obtineret inter eos, qui facile sursum feruntur, & deorsum uergunt, ideo solis ijs, qui propter tēperamentū, uel ætatē, uel uitæ instituta calidiores erant, impetum in caput faciebat. scimus aūt adolescētes ob ætatē, non ob uitæ institutū, calidos esse, ut sunt ēt qui sunt in florēti ætate cōstituti, qui uero in palæstris, gymnasijsq; uersantur, ex institutis uitæ calidi sunt. iure autem paucis mulieribus hæc acciderunt, iunioribus uidelicet, quæque natura essent calidiores, & quæ uitam non admodum in otio transegerant.

12 *Multos præterea aridæ tusses obsidebant: qui nihil excreabant: & uoces raucæ, non ita multo post, reddebantur.*

Quæ aridæ tusses sint, ipse declarauit, cum dixit, nihil excreabant. fiunt autem hæ, interdum exaspe- E ratis solum faucibus, & gutture, nullaque humorum exuberantia pulmonem occupante. qui ita affecti sunt, nihil expuunt, quod nihil omnino superuacaneum habeant, quod expelli, reijcique oporteat. aliæ quoque tusses aridæ fiunt ob intemperiem instrumentorum respirationis, in quibus nihil itidē est, quod expui oporteat. aliæ præterea excitantur, ubi illis humores inhærescunt, qui euacuationem illi quidem postulant, sed tamen duabus de causis non excernuntur: uel quod glutinosi, crassique sint, & ita sint pulmonis fibris infixi, ut ægre auellantur, quod in lateris doloribus, qui quoniam in eis nihil expuitur, ἄπτυστοι nominantur, usu uenit: uel quod humor, qui a capite defluit, non secus, quàm aqua, tenuis sit: hic enim prius per guttur, asperamque arteriam delabendo in pulmone funditur, quàm a spiritu per tussim concitato subduci possit. quod tum accidisse Thasijs uidetur, cum eorum caput ab austrina constitutione repletum esset, hocque ad omnes thoracis regiones destillationem transmitteret: talem enim tum fuisse tussim, symptoma, quod ei comitatur, declarat. rauci enim facti sunt inquit, qui hac tussi conflictabantur: quod uidelicet instrumenta uocis, a destillante humore irrigarentur: ut in libris de uoce declarauimus.

*Alijs longo post tempore id accidit quibusdam uero alter testiculus, quibusdam uterque cum dolore inflammabatur.* 13

Pars illius, quod a capite in pulmones comportabatur, per consensum instrumentorum, ad testicu- F los peruenit. de consensu autem genitalium membrorum cum thorace est ab ipso alijs in libris dictū. ceterum quod in testiculos decubuit, iam erat malignius, nec amplius simile primo: ut quod diuturnitate temporis in thorace computruisset. itaque merito factum est, ut testiculorum inflammationes essent cum dolore coniunctæ, & non perinde, ut parotides, dolore uacarent. iam uero humorum copia in causa erat, cur aut alteruter testiculus, aut ambo humorum redundantiam exciperent: siquidem quibus paucus eo comportabatur, ijs in unum, quibus copiosior, ijs in utrunque impactus est.

*Quidam febricitabant, quidam non item.* 14

Diximus, redundantes humores neque ualde calidos, neque nimiū frigidos esse: sed inter utrosque & natura, & temperamento medios. quocirca pro ætatibus, temperamentisque naturalibus, & institutis ægrotantium, in alijs ad maiorem calorem uergebant, itaque febris oriebatur: in alijs pristinum tēperamentum, quod excitare febrim non poterat, conseruabant.

*Hæc plurimis laboriosa fuerunt.* 15

Hoc de omnibus ijs, quæ dixit, enunciauit. prædixit enim tusses, raucitatem, & abscessus in testiculum, & nonnullos etiam febrem habuisse. hæc ergo inquit, symptomata plurimis eorum, qui ægrotabant, laboriosa acciderunt, hoc est, non facilia fuerunt: neque ut facile ea sustinerent, recti incedētes: G sed eorum plurimi decumberent. quod semper, ac magis progressu tēporis collecta excremēta acriora, maligniora que redderentur: etenim austrinæ constitutiones, si diuturnæ sint, corruptelas afferunt, præsertim uero cum humidæ sint. cum autem hęc humida non esset, corpora nihil molesti plurimo temporis spatio passa sunt: sed temporis progressu, patiebantur: eaque quibusdam illorum posterius acciderunt, quæ, si austrinus status humidus fuisset, omnibus in principio statim euenissent.

*In ceteris quantum ad ἰητρεῖον pertinet, sine morbo degebant.* 16

In exemplaribus uox ἰητρεῖον duobus scripta modis inuenitur: in quibusdam, ut nunc scripsimus, extrema syllaba per ō, in quibusdam per ω notata. significat autem prior lectio ea, quæ in medica officina fiunt: altera uero, quæ conuenienter materiæ medicinali geruntur: ut aut ab operibus, quæ in medica officina in ægrotis administrantur, Thasij abstinerent, aut qui prædictis malis afficerentur, quæ in materia medicinali tractantur, non attingerent. ex utraque autem lectione, atque sententia elicitur, leuiter afflictos fuisse homines, dum uer durauit: quod causa, quæ morbum procreabat, nondum maligni quicquam haberet, quod postea progressu temporis nacta est.

*Ante ineuntem æstatem, perque æstatem, & hiemem multi, qui longo iam tempore subtabescebant, ex tabe decubuerunt: quando etiam multis in quibus adhuc erat dubium, tum sit tabes confirmata.* 17 H

Quos supra dixit tussi conflictatos in uere nihil excreauisse, eos æstate, & post æstatem tabidos ait euasisse. id quod cum ijs, quæ perpetuo uidemus, plane consentit: etenim quæ capitis destillationes tussim primo, & raucitatem hominibus afferunt, neque longo post tempore consistunt, hæ alteram tabis differentiam gignunt: sunt enim duæ eius maximæ differentiæ: altera constat ex ijs defluxibus, qui a capite manant: altera ex pulmonis affectionibus oritur: ac prorsus quidem, cum sanguis expuitur, potissimum uero uase rupto, sæpe etiam cum in uiscus comportata fluxio est alia de causa, ex alijs partibus, non ex capite promanans. itaque si ab austrino uere in aquilonium statum æstas commutata esset, non deprehensi essent, qui a tabe clam exedebantur, neque perfecte contabuissent: quia uero austrinus status non modo in aquilonium non transiuit, sed etiam nubilosa fere æstas erat, ideo perpetuæ erant capitis destillationes, & humores omnes destillantes, præcipue autem in pulmone, computruerunt: quocirca nihil eis ad exquisitam tabem gignendam deerat.

*Quibusdam autem cœpit primum: atque his natura ad tabidum uergebat.* 18

Tabidos ueteres Medici uocant eos, qui ad tabificū morbū, quem & φθόην nominant, sunt apti. tales autem manifestissime sunt, qui thorace tam angusto, testrictoque sunt, ut a tergo in morem alarum scapulæ promineant: unde etiā hos πτερυγώδεις, quasi alatos appellant. præterea, quibus caput facile

impletur

A impletur, & quod instrumentis respirationis multas destillationes demittit, hi quoque facillime tabescunt. si uero hæc ambo, hoc est thoracis conformatio, & capitis imbecillitas simul coeant, huiusmodi naturæ, propter utranque naturæ causam, sunt tabi exquisite obnoxiæ. nam quorum caput ad pulmonẽ fluxiones demittit, ij diuturnitate temporis tabidi fiunt, ac sæpe etiam uas eis in pulmone propter uisceris angustiam, atque infirmitatem rumpitur. atque hæc quidem de tabidis. Cum autem dixerit Hippocrates, quando multis, in quibus adhuc erat dubitatio, tum sit tabes confirmata, intelligendum est, æstate: tum subiunxit, quibusdam autem cœpit primum, atque his natura ad tabem uergebat: mihi nõ uidetur hoc esse consentaneum: erat enim multo probabilius hos incipere uere potius, quàm æstate: quod qui accommodati sunt, ut certis incommodis facile corripiantur, ij citius, quàm, qui ad ea non sunt apti, incidant. uidetur igitur, ut alijs etiam in locis horum librorum de uulgaribus morbis, inuersus ordo uerborum: cum is, qui primũ descripsit, lapsus esset, nec postea sit error sublatus. quod quidẽ in hac oratione cõtigit, ut sit hæc eius cõtinuata series: quãdo in multis ẽt, in quibus dubitabatur, tum confirmata sit, quibus natura ad tabem uergebat. tum addas, quibusdam autem primum cœpit. postea subiungas.

19 *Multi autem mortui sunt, & plurimi de his, & de illis, qui decubuerunt. ac nescio, an quis uel mediocri tempore uitam*
B *produxerit.*

De tabidis inquam: id enim subaudiendum est: siquidem tota hæc oratio sic scripta est. nam & quæ post hæc deinceps præterea dicuntur, omnia sunt tabidorum communia. quod intelliges, si dictiones ipsius attendas: a quarum prima exordiar, quæ deinceps scripta est.

20 *Celerius mortui sunt, quàm talibus esset consuctum.*

Ait tabidos celerius, quàm consueuissent, mortuos esse. cuius causam ipse mox subiungit, ubi ait, Plerosque eorum hæc incommoda urgebant, febres horrificæ, continuæ, acutæ. id enim non consueuerat tabem comitari, quod tum factum uidetur. cur autem in unum coiuerint hæc duo tabes & huiusmodi febris, in causa fuit status antecedens, qui erat ad affecta corpora comparatus. dixi enim paulo ante, eos, qui temperamento calidiore erant, in primis ex capitis destullationibus laborauisse: siquidẽ horum caput erat præcipue in austrina constitutione repletum. cumque nebulosus status longius protractus esset, eisdem contigit, ut humores, qui in corpore erant, computrescerent: atque inde malignitas febrium extitit. qui uero minus calido temperamento erant, in ijs neque humorum corruptela facta est, neque caput est repletum, nisi eorum perpaucis, idque temporis progressu. quod .n. breui tẽpore patiuntur naturæ, quæ iniurijs opportunæ sunt, id longiore spatio ceteris accidit. neq; sane mirabile erat,
C cum priori austrinæ constitutioni æstas non austrina modo, sed etiam nebulosa succederet, inde quandam humorũ corruptelam non modo in calidioribus, sed etiã in frigidioribus corporibus prouenisse.

21 *Alios autem, & diuturniores, & cum febribus coniunctos facile ferebant, nec moriebantur: de quibus scribemus.*

Alios morbos dicit, præter tabificos, de quibus erat ei instituta oratio: qui licet longiores essent, febremque adiunctam haberent, tamen facile ferebantur. causa autem est a nobis paulo ante declarata quod humor in eis non ita malignus ex corruptela esset factus.

22 *Sola enim, & maxima eorum morborum, qui tum uiguerunt, tabes multos peremit.*

Huius rei causam paulo ante attulimus, cum temperamentum corporis in causa esse diceremus, cur & tabificis morbis, & malignis febribus, de quibus deinceps aget, corriperentur.

23 *Plerosque eorum hi affectus urgebant, febres horrifica, continua, acuta, omnino non intermittentes: modus erat semitertianus, uno die leniores, altero grauius iterum inuadebant. ad summam acutiores indies fiebant.*

Quãplurimos tabidos, de quibus loquebatur, ait ijs affectibus cõflictatos esse, quos ipse deinceps
D numerauit. ac παθήματα quidem, hoc est affectus, Græci omnes uocant quæcunque præter naturam in corporibus nostris oriuntur. commemorat aũt primũ febres, quæ horrificę fuerũt: quod significat, per ascensum, & incrementũ, quod uocãt accessionis ægros diutissime esse horrore uexatos. neq; .n. ita appellauit eas, quæ in principio accessionis horrorẽ afferebãt, sed in quibus per totã fere accessionẽ hoc symptoma horroris producebãt. fit aũt duobus modis, interdũ cũ intẽtio reduplicationes facit, interdũ uero cũ hoc ipsum solũ, hoc est ascẽsum inæqualẽ. uarietas in tẽporis spatio uersatur. nã si breuibus

A. l. 4. f. 1. 2. 4. c. 18. p. 813. A

interuallis motus horrifici sint inter se distincti, tum inæqualis, horrificusque motus nominatur: si uero maiora interualla sint, id symptoma reduplicatio efficitur, & appellatur: fitque ea potissimum in febribus, quæ semitertianæ nominantur, quocirca ternæ plerunque, & quaternæ sunt: a nobis autem in libris de febribus est declaratum, semitertianam ex humore inæquali constare: qui partim amaram bilem, quæ acris est, partim pituitã putrescentẽ habet. huiusmodi igitur horrificas febres tũ uiguisse ait propter superiorẽ cõstitutionẽ, ut supra docuimus. Vocauit autẽ eas cõtinuas, indicans, eas ad integritatem non redijsse: quod ipse declarauit his uerbis, omnino non intermittentes. proprie enim illas intermittentes febres uocãt, quæ post statũ integritatem quandam præstãt: quæ uero declinationẽ sensui manifestã habẽt, nullã tamen integritatem habent, eas acutas, cõtinuasque nominat: quæ totũ circuitũ habent, ut plurimum, duarũ de quinquaginta horarũ: quantũ ẽt † semitertiana: sed ad integritatẽ nõ

† Veteres libri habẽt τριταῖος i. tertiana.

ueniunt:& in altero die mitiore alteram iterum accessionem afferunt:quæ tamen est minor, quàm illa, E quæ alterius circuitus est:neque habet reduplicationes:sed & quæ ægre incalescat,& quæ ad uigorem uix perueniat.eius quoque proprium est,ut circuitus,qui primum consequuntur,non ita inter se se acuti sint,ut primus: sed ut usque ad totum morbi statum semper augeantur,atque intendantur.

*Sudabant semper,at non toto corpore: magna extremitatum perfrictio urgebat:ut uix incalescerent.* 24

Hæc esse febrium malignarum symptomata in præsagijs didicimus.

*Alui turbata erant,biliosæque,& pauca,mera,tenuia,mordicantiaque deijciebant: & assidue desidebant.* 25

Excrementa mera solet uocare ea,quæ exquisite biliosa sunt.cum uero hic humor cum aquea humiditate mistus excernitur,eum non merum nominat. quinetiam hoc ipsum de meris excrementis, quorum malitiam in præsagijs declaranit,& de tenuibus humoribus didicimus,eos omnes crudos esse, & ad sui concoctionem natura robusta opus esse.merito etiam erant mordacia,quippe quæ biliosa, meraque erant.præterea ex ea mordacitate consequebatur,ut assidue desiderent. ex quo fiebat, ut ex hoc quoque symptomate uires ægrotantium laborarent.

*Vrinæ tenues,incoctæ,decolores,& paucæ: aut crassitiem habentes,& parua subsidentia, nec probe subsidentes, sed cũ crudo,& intempestiuo sedimento quodam.* F 26

Id quoque de urinis didicimus,tenues,paucas,decoloresque, uel crassas, & paucas esse prauas: ut fuut etiam crassæ,sed subsidentia uel nulla omnino,uel pauca admodum habentes.id quod eis accidit, quod non bene subsideant.id autem in illis febribus usu uenit,in quibus multus,flãmeusque calor quẽdam crudorum,crassorumque humorum feruorem accendit.itaque in ijs merito aut prorsus nõ est,aut id, ut ipse dixit,crudũ,& incoctum est.Sed de prauis sedimentis ipse in præsagijs egit.

*Tussiebant pauca,densa, concocta,paulatim, uix reiectabant. quibus hæc uiolentissima accidebant, in his ne parũ quidem erat concoctio:sed perpetuo cruda spuebant.* 27

In pessima tabe,& cui proxima mors est,sputa ne paululum quidem concoquuntur: in alijs uero, quæ moderatæ sunt,quæque in longius tempus producuntur, ob hanc ipsam causam humorum redundantia,quæ pulmone continetur,recte concoquitur,ac facile expuitur. Sed ijs,qui tũ tabidi facti sunt, nihil tale contigit: nam uel omnino incoctum expuebant,uel coctum quidem,sed parum,& quod paulatim uix excreabatur. quo de sputi genere in præsagijs dictum est. G

*Plurimis autem fauces assidue ab initio dolebant:& cum inflammatione rubebant. destillationes paruæ,tenues,acres, statimque liquescebant,atque affligebantur.* 28

Cum symptomata prædixerit,quæ in faucibus tabidorum conspiciebantur; causam eorum attulit, cum dixit, destillationes paruæ,& acres.nam propter malitiam humorum,a capite nimirum descendẽtium,fauces dolore conflictabantur.quod uero ab eisdem mordicarentur,ruborem, & inflammationẽ contrahebant.quia autem ipsa etiam destillatio calida erat,nihil mirum erat in Thaso,si præ ceteris tabescentibus,qui ita affecti erant,ad extremam gracilitatem perducerentur.

*Cibos omnes perpetuo fastidiebant.* 29

Qui non appetunt, eos Græci uocant ἀσίτους,qui cibos non sumunt:qui uero oblatos fastidiunt, ἀποσίτους.ceterum hoc fastidij symptoma tabidis accidisse planum est,quod aliqua pars destillationis, quæ fauces,pulmonemque uexabat,in uentriculum deflueret.

*Non sitiebant.*

Hoc symptoma * nõ ex malignitate destillationum,quas ipse acres appellauit,tabidis accidit. quocirca cum Hippocrates,mea quidem sententia,eas absurdas fuisse uellet indicare,adscripsit, non sitiebant.maxime enim malignitatis signum est, cum aut calida & æstuosa febris est, aut fluxio acris in uẽtriculum delabitur,& non sitiunt. hoc autem symptoma indicat facultatem sentientem particulæ ipsius esse deperditam,& extinctam:siquidem partis affectus non sentit. 30 H

*Plerique prope mortem delirabant: sed de tabidis hactenus.*

Ne hoc quidem alijs accidere tabescentibus consueuit: sed propter febrium, quæ tum uigebant, malignitatem huius constitutionis morbos comitabatur. 31

*Aestate uero iam, & autumno febres multæ, continuæ,non uehementes: diu quidem ægros tenebant, sed in ceteris minus incommode uitam transigebant.* 32

Ante quoque dixit,solam tabem fuisse perniciosam: nosque causam subiunximus.ergo cum illis cõueniunt,& quæ hac oratione continentur,& quæ deinceps adijciuntur,cum ait.

*Plurimis aluus turbata, sine ulla molestia,erat,& prope nihil offendebat: urina item plurimis boni quidem coloris, & pura,sed tenuis,& post tempus,circa indicationem concocta.* 33

Et cetera,quæ de urinis dixit: ut enim quæcunque de tabidis ante memorauit, maligna erant omnia,sic quæ nunc exponuntur,admodum moderata sunt.

Non

34 A *Non admodum tussiebant, neque tussi reiecta difficulter excreabantur: nec solum cibos non fastidiebant, sed etiam maxime offerre licebat.*

Complures eorum, qui hunc librum interpretati sunt, eum ad tabidos hoc loco pertransisse existimant. ego uero puto, id de ceteris febribus, de quibus differit, etiam dici. qua enim ratione, cum supra de tabidis loqueretur, dixisset, eos quosuis cibos perpetuo fastidiuisse, nunc uero scribat, non solum cibos non fastidiebant, sed etiam maxime licebat offerre? quid igitur est, quod hoc loco scripsit, Non admodum tussiebant? hoc enim illos in opinionem adduxit, ut de tabidis uerba hic fieri crędát. mea sententia est, cum adhuc de alijs febribus ageret, hæc eum adscripsisse: tussi enim corripiuntur, quę loco symptomatis eos aggreditur hi tamen non plane tabidi sunt. itaque non mirum est nónullos Thasios in præcedenti constitutione febricitare incepisse, &, quia eo tempore caput repletum erat, accedente ad constitutionem febre, tussi fuisse correptos: sed neque hoc symptoma eos ualde conflictabat, neque quæ tussi reiectabantur, difficultatem afferebant: siquidem hi tabidi non erant.

35 *Ad summam tabescentes leuiuscule ægrotabant, non modo tabidorum, febribus horrificis, parum sudantes, aliàs a lijs, ut quos febris non stato circuitu inuaderet: &, uno uerbo, nũquã intermitteret: sed more febris, quæ tertiana naturã referret.*

Tota hæc dictio superiori subiuncta multo magis plerosq; interpretes in eam sentẽtiam adduxit, ut B etiam superior sit de tabidis pronunciata. sed illam de tabidis intelligi non posse, probatum est a me, cũ docui, tabidos ab ipso dictos esse, cibum fastidiuisse; quos uero superiore oratione cõmemorat, non item. quæ autem modo proposita oratio est, duobus exponi modis potest: primo ut dicamus, (sed repetam superiorem orationem, eamq; cum hac coniungam, unãq; syllabam perspicuitatis causa interponam.) Non admodum tussiebant, neq; tussi reiecta, difficulter excreabantur: nec solum cibos non fastidiebant, sed etiam maxime offerre licebat: ad summã enim tabescentes, leuiter ægrotabant, non modo tabidorum. uerisimile autem est, cum ita dixisse de illis, qui alio modo febricitarent, ut scriberet. commune symptoma eorum morborum, quibus tussis comitaretur, & non ipsorum tabescentium. iterũ uero repetere tabidorum tractationẽ uidetur, ut ad memoriam redigeret, hos ægrotos, de quibus nunc agit, a tabidis, de quibus supra dixit, differre. etenim quæ supra attulit, eadem hic quoque symptomata cõmemorat. atq; hæc quidem una causa efferri potest, cur sermonem de tabidis repetiuerit. altera est, quam sæpenumero multis in libris accidisse cognouimus. cum.n. interdum de eadẽ re duobus modis scribamus, alteraq; scriptura in contextu ipso sit, altera uero in alterutro margine, ut per otium expendamus, & de altera iudicium faciamus, qui primus librum descripsit, utrãq; exarauit: quod erratũ, quia non animaduersum est, neque correctum, postquam liber ad multorum manus peruenit, ita in C emendatum permansit.

36 *Qui breuissime iudicabantur, ij ad uigesimum diẽ iudicabantur: plurimi uero ad quadragesimum: multi ad octogesimum nonnullos ne sic quidem, sed non stato tempore, & citra iudicationem deserebant: quorum plurimos, cum non multo tempore febris intermisisset, iterum inuadebat. atq; hi ex recidiua ijsdem circuitibus iudicabantur, multis sic producebantur, ut sub hyemem ægrotarent.*

Quorum morbum ait die uigesimo iudicatum? nempe aliorum ægrotantium, de quibus erat ei sermo institutus, non autem tabescentium, ut ego quidem sentio: cui sententiæ assentiuntur omnia, quæ deinceps consequuntur: quibusdam enim eorum ait morbum ad octogesimum usque diem esse productum: alijs uero non stato tempore, & citra iudicationem desijsse: & plerosque horum in morbum iterũ incidisse: ac febres ex recidiua ijsdem esse circuitibus iudicatas: multis deniq; eorum in hyemem morbum esse protractum. hæc autem omnia, cum ijs, quæ supra dicta sunt, conueniunt: ubi ait, Aestate uero iam, & autumno febres multæ, continuæ, non uehementes: diu quidem ægros tenebant: sed in ceteris minus incommode uitam transigebant. hæc quidem cum his symptomatis conueniunt, quæ hoc loco exposuit: at quæ de tabidis dixit, non conueniunt: quod cognosces, si tecum particulam quandam eorum, quæ de illis conscripsit, ad memoriam reuocaris: ut cum scripsit, Celerius mortui sunt, quàm tali- D bus esset consuetum. quod sane de tabidis est ab eo enunciatum, quos celerius mortuos esse dixit. at de ijs, qui alio modo ægrotabant, deinceps scripsit his fere uerbis, Alios autem & diuturniores, & cum febribus coniunctos facile ferebant, nec moriebantur: de quibus scribemus. hæc igitur conueniunt cũ ijs, quæ hac oratione de febricitantibus per autumnum, & hiemem, continentur. quinetiam ex eo, quod prædixit, de quibus scribemus, cum nos nullam aliam de his ab eo scriptam orationem, præter hanc, afferre queamus, certe necesse est totum hunc sermonem de ijs, qui non tabifico, sed alio modo ægrotabant, ab eo nunc habitum esse.

37 *Ex omnibus autem, quorum in hac constitutione facta est mentio, soli tabidi in letalia inciderunt: qui uero aliam febrem habebant, non item.*

Hæc extrema uerba sunt eorum, quæ de prima constitutione facta sunt: quæ nihil nos præterea docent: sed solum unam in summam, quæ ante dicta sunt, colligunt: quod hic uir plerũq; facere cõsueuit.

# GAL. IN PRIMVM HIPPOCRATIS DE MORBIS VVLGARIBVS COMMENTARIVS SECVNDVS.

## ARGVMENTVM.

*Io. Bap. Rasario interprete.*

*Duæ constitutiones describuntur, altera humida, frigida, aquilonia, & procellosa: altera frigida, sicca, & partim inæqualis.*

De mutua temporum anni mutatione dictũ est superiore libro: cuiusq; præterea naturalis tẽperatura exposita est, itemq; eorum principij ac finis status F dies. illis igitur tãquã in memoria nobis insidentibus, nũc ubi hæc oratio explicationis indigebit, eã subiungam. nec solũ eorũ ingeniũ intuebor, qui sunt ꝑrorsus imperiti, nec eorũ, qui eius acumine multum ualent: sed erit mea hæc oratio ad omnes mediocriter accommodata: ex ceteris uero, quæ omnino rudibus apta erit, molestiã sua prolixitate doctis afferet: quæ uero his conueniet, ab indoctis non intelligetur. Sed non debent in horum commentariorum lectione conquiescere. uerum aliud ab alio atque alio, sæpe eadem diffusius, & sæpe hæc ipsa audientes, si diligenter animaduertant, aliquid boni poterunt perdiscere.

### CONSTITVTIO SECVNDA.

*In thaso ante autumnum frigora non in tempore, sed repente, Aquilone, Austroque multum spirantibus, humida, & quæ prius proruperunt.* 1

Diximus autumnum ab occasu Arcturi incipere, qui autumnale æquinoctiũ antecedit. ait igitur, eo tempore, prius quàm oportuisset, magna frigora fuisse. hoc enim apud ipsum significat, quod dixit, non G in tempore, &, quæ prius proruperunt. ac quod ait, non in tempore, solum indicat, ea anticipasse: quod uero addit, prius proruperunt, etiam cum largis pluuijs ea fuisse coniuncta.

*Hæc autem usque ad Vergiliarum occasum, & sub Vergilijs perdurarunt.* 2

Occasu Vergiliarũ finiri autumnum, ante diximus: itemque duos menses esse ab Arcturo ad Vergilias: atque unam esse ab Arcturo in aere significationẽ, duas a Vergilijs, alterã, quãdo hiems autumno coniungitur, cũ in fine sit: alterã, quando uer æstatẽ attingit. de Arcturo aũt, non solet Hippocrates, nisi solum de eius ortu, facere mentionem: quia sub eo incipit autumnus, æstasque terminatur. diximus pręterea paulo ante, de totius anni in quatuor partes, & itẽ in septem diuisione: & æstatem ortu Vergiliarũ & Arcturi circũscribi: atq; hanc diuisionis totius anni in partes septem, quandam esse particulam, cum in duas partes æstas, in tres hiems diuidatur. dictum etiam est, siue Pleiada, siue Pleiadas, hoc est Vergilias dicas, nihil interesse.

*Hiems aquilonia.* 3

Post Vergilias meminit hiemis declarans manifeste, Vergilias esse autumni terminum. itaq; ipsum H de illa hieme differentem attente audiamus.

*Pluuiæ multæ, largæ, magnæ: niues, mistæ sudis plurimæ. hæc autem inerant omnia. frigora autem non admodum erant intempestiua. iam uero post hybernum solstitium, & cum Fauonius spirare cœpit, aspera erat extrema hiems: aquilones multum spirabant: niues, pluuiæq; multæ, & continuæ: cælum procellosum, ac nubilum, hæc autem durauerunt, nec ad æquinoctium usque remissa sunt: uer autem frigidum, aquilonium, pluuium, nubilum: æstas non admodum feruens fuit: Etesiæ perpetuo spirarunt: mox circa Arcturum, Aquilone perflante pluuiæ admodum multæ fuerunt.* 4

Multas effici aliquo tempore pluuias dicimus, propter diuturnitatem temporis, licet ipsæ nõ largetũ decidãt. multas quoq; dicimus, si uel breui tẽpore largæ cadãt: quæ ẽt appellari magnæ possunt. Sed cũ quis deinceps largas, magnasq; fuisse pluuias ait, ut Hippocrates fecit, tũ largas intelligemus repẽtinas, uehemẽtes, ac breues: magnas uero neq; repẽtinas, neq; breues prorsus, neq; diurunas. sed perspicuitatis gratia, nihil est, cur nõ paulo prolixiore narratione utamur. cadat igitur subito permulta pluuia horas tres, aut quatuor: tum statim cesset, eã largam appellabimus: alia uero paulatim incipiat, & paulatim augeatur, atq; ita totũ diem, noctẽq; fiat, cũq; in statu cõsistat, detrahaẽ paulatim de eius copia sequẽti toto die: postea cesset, eiusmodi nos pluuiã nõ largã, sed magnã uocabimus. ergo hiems, quã,

A explicat, modo largas, modo magnas pluuias per interualla habuit: cum interim aer esset plerunq; purus. id quod significat etiam quod ipse scripsit, mista suda plurima. ait quoque hac hieme niues extitisse. nec addidit, nec multas, nec paucas, perinde ac neutrum magnopere esset: sed quæ potius urbis consuetudini responderent. quocirca adiecit, Frigora autem non admodum erant intempestiua. & cetera, quæ sequuntur omnia, hiemem frigidam, humidamque fuisse declarant: atque in eo solum naturalem fuisse: ceterum humidiorem, quàm par esset, maiorem tunc extitisse. Iam uero etiam uer pluuiosum, frigidum, & aquilonium fuisse scribit: itemque nubilum: æstatem uero quodam modo moderatam. post hæc omnia, circa Arcturum, nonnihil Aquilone spirante, multas pluuias fuisse commemorat: ad hæc, totius constitutionis summam oratione persequitur: cum totus annus humidus, frigidus, aquiloniusq; fuisset: cælum procellosum, nubilum. cælum autem more uulgi eum aera, qui supra nos est, usque ad nubium regionem, appellauit: quod uero ab astronomis, philosophisque cælum uocatur, a Lunæ regionibus incipit λαίλαπας uero, hoc est procellas, repentinos, uehementesque uentos Græci uocāt: præsertim autem, si cum larga pluuia sint coniuncti.

5 *Cum totus annus humidus, frigidus, aquiloniusque fuisset, per hiemem commode fere habebant: sub uer autem multi* B *atque adeo plurimi laborabant.*

Est a nobis ante ostensum, consuesse Hippocratem, exordiri narrationem constitutionum, quæ in aere fuerunt, ab eo tempore, quo primum aer de naturali temperamento deflexit. neque id sine ratione facit: quippe qui uulgarium morborum species uelit cum aeris intemperie coniungere, cum igitur ab autumno initium sumpserit, planum est ei æstatem, & huic uer antecedere. autumnus igitur frigidus & humidus corpora, quæ quantum ad anni tempora pertinebat, in naturali statu erant, excipiens, nihil mali attulit, immo uero etiam fortasse quibusdam corporibus magno adiumento fuit, quæ calidioribus siccioribusque prædita temperamentis, a iusta temperatura deflectere per æstatem solent: quibus quidem autumnus frigida, humidaque constitutione quædam quasi medicina fuit. ac ne hieme quidem uulgatus est morbus narratione dignus: quod ipse indicauit his uerbis, Per hiemē commode fere habebant. erat enim hiems humidior quidem, at frigidior nihilo, quàm natura eius ferret. quocirca cum eius constitutionem exponeret, dixit, frigora autem non admodum erant intempestiua. erat porrò consentaneum ibi morbos incipere, ubi plurima esset aeris facta mutatio, ut cū dicit, Ver autem frigidum, aquilonium, pluuium, nubilum: debet enim uer esse temperatum, non frigidum, nec nubilum, nec pluuium. ueris autem initium esse æquinoctium, quod hiemem sequitur, superiore commentario diximus: C idque ipse Hippocrates hoc sermone aperte indicauit, qui cum dixisset, asperam fuisse extremam hiemem; addidissetque, hæc autem durauerunt, nec ad æquinoctium usque remissa sunt, subiunxit, uer autem frigidum, aquilonium, pluuium, nubilum. sed iam, qui morbi sint illam aeris constitutionem consecuti uideamus.

6 *Primum igitur cœperunt lippitudines manantes, dolorem afferētes, humida, incocta, lemia parua, ægre multis erumpentes, plurimis redibant, sero sub autumnum recesserunt.*

Cur morborū uulgariū origo uerno tpe inceperit, iā diximus: quā uero ob causam lippitudines magis, q̄ ceteri morbi, mortales uexarēt, si illius cōstitutionis memor sis, intelliges: dixit. n. frigidius, aquiloniūq;, & pluuiū, & nubilum uer fuisse. Si igit a uentis solū oculi percussi essent, lippitudo citra fluxionē eos inuasisset: sed cū aquilonij flatus cū multa fuerint humiditate cōiuncti, ideo iure dixit, lippitudines manantes, hoc est humidas, ut ab humida constitutione profectas, extitisse. dolorem uero utroq; modo afferebant & cum fluxione, & sine fluxione, propter frigoris diuturnitatem: siquidem id quoq; satis est ad oculis dolorem inducendum. nunc autem uerisimile est, dolores auctos esse, cum oculorum frigus cum eorum fluxione iungeretur. erant autem incoctæ, & longo tempore durabant, propter hu-D miditatem & frigus: siquidem fluxiones tum concoquuntur, cum a natiuo calore superantur. facile autem superantur, cum humor exiguus est, nec admodum frigidus: cum uero† multum frigidus est, difficulter concoquuntur. ac calor quidem natiuus, qui in animantibus inest, si ualidus sit, humiditates in eis contentas celerius concoquit: sin imbecillus, uix longiore etiam interuallo superior euadit, uincereque humores potest. quocirca si qui curati sunt, iterum in morbum inciderunt: debilitatos enim lippitudine oculos aer frigidus, aquilonus, pluuius, nubilusque iure lædebat. huiusmodi autem lippitudines lemiæ paruæ comitari consueuerunt, ægre ob tunicarum densitatem, quàm ex frigore aeris contraxerunt, excidentes. quam ob rem toto uere oculos peius se habere necesse erat: æstate uero affectio illa scirrhi speciem referēs, quam contraxerunt paulatim ad concoctionem deducebatur: qui enim longo tempore collecti morbi erant, præcipue autem, qui a frigoribus, humiditatibusque orti erant, dissolui cito non potuerunt. itaque merito dixit, morbos oculorum esse penitus autumno sublatos.

† ὑγρὸν δὲ πολὺ καὶ ψυχρόν. i. cum & multus, & frigidus est.

7 *Iam uero æstate & autūno lienteria, dysenteria, tenesmi, alui fluxiones biliosa, tenues, multa, cruda, & mordaces, quibusdam etiam aquea: multis præterea profusiones cum dolore, biliosa, ramentosa, purulenta.*

Non solum hi morbi, hæcque symptomata Thasios infestos habuerunt, sed etiam alia, de quibus post

post loquetur:cum enim in diuersi generis morbos incidissent,maxime uarijs modis ægrotabant. nunc E
autem communem rationem, quæ fecit, quo minus omnes, qui in ea constitutione uersati sunt,ægro
tarint, prius exponam, deinde ad singulos morbos deueniam. in omnibus autem constitutionibus
cuiusque hominis ætatem, naturamque spectabis, ut affectæ ad constitutionem sint: inuenies enim
eas, uel facile, uel difficulter, uel mediocriter illi cedentes: tum uitæ instituta, & uniuersam uictus ra-
tionem salubrem constitutioni contrariam institues. causam uero, cur facile,aut difficulter corpus ex-
ternis causis cedat, ex similitudine, ac dissimilitudine temperaturæ oriri sæpe diximus. Cum enim sa-
nitas ex quatuor elementorum,(siue eas qualitates,siue facultates,ut humiditatem, siccitatem,calidi-
tatem, & frigiditatem uelis appellare) moderata mensura constet, quædam corpora, itemque natu-
ræ, & ætates intemperatæ sunt. his autem constitutiones, quæ similes sunt, insalubres sunt: contra-
riæ uero,salubres.corporibus uero temperatis, constitutiones temperatæ sunt salubres: intemperatæ
sunt noxiæ:& quemadmodum nulla intemperata constitutio est temperatis accommodata, ita ne ma-
gnopere quidem noxia,sicut intemperatis esse solet:etenim humidæ, frigidæque uehementer constitu
tiones corpora,quæ in humiditate,algoreque intemperata sunt,maxime lædunt non secus, quàm hu-
midæ,& calidæ humidis,calidisque, itemque calidæ, & siccæ similibus nocent.quæ enim corpora ini
bi sunt,ut tali morbo corripiantur,eorum indicat intemperies:quæ uero contra temperata sunt, quàm F
aer,ea præterquàm quod nullam iniuriam patiuntur,etiam ab intemperie correcta fiunt meliora. con-
traria enim sunt contrariorum medicamina.quocirca calidis siccisque temperaturis humidæ, & frigi-
dæ constitutiones prosunt potius,quàm obsint,quatenus ad contrarium statum perducendo tempera
menti mediocritatem efficiunt,quod in causa est, ne omnes in constitutionibus intemperatis ægrotẽt.
quæ siquis norit,is uictum contrarium instituens,bonam ualetudinem in corporibus conseruabit: si e-
nim aer humidus,frigidusque sit, corpora,præsertim humidiora, frigidioraque, sunt calfacienda. hu-
iusmodi igitur plures exercitationes prosunt,& modicũ uinũ, quod calidiore natura sit, & aquã†acci-
piat,tum edulia calfacientia.cuiusq; aũt ipsorũ quantitatẽ & ex corporis & ex aeris nos ambiẽtis tem
peramento intelligemus.si quantum utrunque de optimo statu deflexerit, considerabimus. nã pro eo
ac deflexerit,etiam uictus est mutanda quantitas:ut quod corpus longissime a temperatura ad humidi
tatem,ac frigiditatem recesserit,hoc nos in hac constitutione plurimum exiccabimus, & calfaciemus.
si in idem mediocriter declinarit,absurdum sit huic idem omnino facere,sed proportione.multo igitur
minus in siccis,calidisque corporibus uictus uehementer calidus & siccus adhiberi debet: cum id sua-
pte natura habeant.hoc autem solum considerandum est,quantum aer a conuenienti temperaturæ me
diocritate declinarit:qui si parum,non est omnino media uictus ratio in calidis, siccisque corporibus G
immutanda: sin amplius,satis erit mediocris commutatio.hæc qui norit, is causas, e quibus quisque
morbus in quaq; constitutione gignatur, obseruabit.Quinctus autem,dum unà cum empiricis negat,
eorum affectuum,qui ita oriuntur,sciri causas posse,easque ad unam solam experientiam refert, conue
nientium auxiliorum inuentione destituitur: & tamen uel ob id ipsum utile est uulgarium morborum
originem cognoscere.consideremus igitur hanc constitutionem, atque ab initio repetamus. fuit hæc,
ut Hippocrates indicauit,humida,& frigida,& initium ab autumno sumpsit: quam ob rem in ipso au-
tumno,& hieme consequente Thasij mediocriter uitam transegerunt.at uero, cum hoc quoque frigi-
dum & humidum fuerit,oculi primi omnium laborarunt: propterea quod aer non modo humidus,fri
gidusque esset,sed quod antea fuisset etiam procellosus.cum autem oculi essent a frigidis uentis per-
cussi,erat etiam probabile,ut primi reliquarum corporis partium morbo corriperentur, ut natura effi-
cientis causæ postulabat: quam ob rem non sine causa humidæ,frigidæque fluxiones in eos inciderũt.
quia uero constitutio non est ad extremam perducta humiditatem,ideo nullus ex alijs affectibus, qui-
cunque in tali aeris constitutione dominante solent contingere,est subsecutus, attonitos morbos di-
co,conuulsiones,palpitationes,distentiones neruorum,pulmonis inflammationes, ac lateris dolores:
sed postea,cum iam humores ob nimiam in corpore moram computrescerent, morbi plethorici cum H
corruptione eruperunt:etenim causæ frigidæ cutim constipantes uetant,ne humores per halitum dige
rantur:tum uero aeris humiditas tantum abest,ut aliquid a corpore abducat,ut etiam adijciat.quæ am-
bo cum in constitutione simul iuncta essent,plenitudo in corporibus ægrotantium, non eadem tamen
in omnibus,collecta est:in quibus erat biliosum excrementum,id non digestum per halitum, affectum
biliosum excitauit:in quibus pituitosum,aut melancholicum,aut sanguineum, statim morbus non eua
cuato humori similis exortus est.quia uero huic excremento est natura comparatum, ut in corpore
corrumpatur,& putrescat,erat etiam consentaneum,ut alij alijs morbis corriperentur. ad hoc accede-
bat,quod non omnes similiter affectus corporis partes habebant, sed huic iecur erat imbecillius, illi
lien,illi uenter,illi intestinum,illi denique quicquam aliud. cumque partes infirmiores excrementum
a robustioribus semper exciperent,consequens etiam erat,ut pro membrorum natura, Thasij alij alijs
morbis conflictarentur. ergo tormina intestinorum, crebra desidendi cupiditas, alui fluxus,& leuitas
intestinorum fluentibus in intestinum excrementis oriebantur:urinæ uero difficultates, ijsdem in uesi
cam deflectentibus: uomitiones uero,ad os uentriculi peruenientibus.sed hæc in corpus per aeris per-
frictionem sese insinuarunt. in æstate uero corporum temperamentis calidioribus, & internas partes
robustiores habentibus,cieri sudores erat uerisimile,eosque aliquibus citra febrim,cum nondum sa-
tis

†Græce ἄλκτιν .i. aquam ferat: legitur & προσαλθεῖν .i. aqua adaucta.

A tis excrementa computruiſſent, accidere: aliquibus uero etiam cum febri coniunctos. temporis uerò progreſſu, cum putreſcentes humores uarij eſſent, uariæ quoq; formæ febriū extiterunt: nec. n. illi erāt ab aere geniti, ſed coaceruati, quippe cum frigida, non calida eſſet conſtitutio: quemadmodum cum ſua ipſius ratione Canis ortus corpus calfacit, febres æſtuoſæ oriri ſemper ſolent. at nunc id non ab ipſa conſtitutione præcipue, ſed cutis conſtipatione intercedente, factum eſt. atque ita quidem ſummam eorum affectuum, qui tum in uulgus graſſabantur, expoſuimus; nunc ad ſingulos accedam, ſimulque Hippocratis uerba, ſicubi obſcura erunt, interpretabor.

8 *Strangurioſa, non nephritica: ſed his alia pro alijs.*

Prauæ quoque per ſedem excretiones ſæpe fiunt, cum uenter quidem ab affectione purus maneat, & per eum tamen totum corpus expurgetur, aut abſceſſus ab aliqua effluxione ipſum obſideat: ſiquidem ex Hippocratis ſententia, non ſolum quòd in aliquam partem aliquid decumbat, ſed etiam quòd effluat, abſceſſus oritur. ita etiam per renes, atque ueſicam, cum interim hęc ipſa membra nullam propriam affectionem habeant, totum corpus expurgatur, ut in hac conſtitutione uſu uenit. itaq; ipſe progrediens. hæc ad uerbum dicet, unum autem bonum, maximum eorum ſignorum, quę extabant, quodque plurimos e maximis periculis eripuit, fuit in ijs, quibus ad urinæ ſtillicidium diuerteret, & in hoc
B abſceſſus fierent: atque id eſt, quod hic ait, non ad renes, ſed his alia pro alijs. cum enim totius corporis excrementa in renes, ueſicamque defluerent, excretiones nephriticis conſimiles ſubſecutæ ſunt.

9 *Vomitus pituitoſi, bilioſi, & incoctorum ciborum reiectiones.*

Cum humorum redundantia intro uergeret, quod ad ſedem defluxit, alui fluores, tineſmos, tormina. & leuitatem inteſtinorum excitauit. aliud per renes & ueſicam excretum eſt. atque ita etiam quod ſuperuacaneum erat, in uentrem ſuperiorem fluxit: cumq; ſupernataret, uomitu extruſum eſt, ita tamen ut qui natura eſſent pituitoſa, ijs pituoſi uomitus: qui bilioſa, ijs bilioſi fierent: dictum enim eſt, propter aeris conſtitutionem congeſta eſſe ſuperuacanea, quæ pro corporum naturis inter ſe qualitatibus differebant. nec mirum eſt, ſi cibos incoctos reiectabant, cum pituitoſi, bilioſique humores in uentrem cōfluerent.

10 *Sudores.*

Quibus, inquam, complures per cutim effluxiones fiebant, natura poterat eo tempore quod ſuperuacaneum erat huc reijcere, atque ita hi ſudarunt.

11 *Omnibus omni ex parte multus πλάδος.*

Superuacaneam humiditatem appellare πλάδον conſueuit. itaque cum alijs aliter, ac nōnullis, uarijs
C modis coaceruati ſpatio temporis humores euacuarentur, ideo iure dixit; omnibus omni ex parte nimia humiditas.

12 *Hæc multis rectis, febriſque expertibus acciderunt: multis uero febricitantibus, de quibus ſcribemus.*

Quibus plenitudo coaceruata, aut quid bilioſum, facile putreſcens iam in febrilem putredinem conuerſum erat, hi ſtatim febricitarunt: quidam uero aut recti permanſerunt, aut non prius in febres inciderunt.

13 *Quibus autem, quæ ſubſcribuntur, omnia cum dolore acciderunt, hi autumno iam, & ſub hyemem tabeſcebant.*

De ſecundo nimirum autumno, deque ſecūnda hieme loquitur: ſiquidem de priore ad hunc modū ſcripſit, per hiemem fere commode habebant: ante uer autem multi, atque adeo plurimi laborabāt: deinde uero ijs, quæ uere acciderant, commemoratis, ſequentis æſtatis meminit, poſt quàm alterius autumni mentionem fecit: de quo ſub finem totius conſtitutionis dictum eſt, ſtatim uero circa Arcturum permultæ pluuiæ cum Aquilone. ceterum quoſnam tabidos appellarit, non ſat patet. ſolet enim eos, quorum corpora quoquo modo extenuantur, & contabeſcunt, ita nominare, & non ſolum eos, quibus ob pulmonis exulcerationem totum corpus colliquatur. ac ueriſimile eſt, tabidos nunc ab eo dici eos, quorum corpus quocunque modo attenuatur: cum nulla ſit pulmonis morborum facta men
D tio; nam cum neque ſanguinem ex eo reiectum, neque fuiſſe peripneumoniam, neque deſtillationem in hoc uiſcus erupiſſe prædixerit, quæ cauſa afferri probabilis poſſit, cur exiſtimes, ipſum dicere, illius temporis ægrotos, uitio pulmonis tabidos fuiſſe? potuit tamen, ut ad uentrem & renes ex toto corpore quid ſuperuacanei peruenit, ita etiam in membra ſpiritus comportari.

14 *Febres continuæ.*

Quod inter ſuperiorem orationem, & hanc dictum eſt, ſub hyemem, quidam illi, quidam huic coniungunt: mihi uero tota hæc, talis uidetur oratio: Atque autumno iam quidam tabidi facti erant; ſimili quoque modo ſub hyemem. iam uero etiam febres continuæ & autumno & hyeme fuerunt. perſpicuum eſt autem, non deſcriptam eſſe ſecundæ hiemis conſtitutionem, ut pote quæ proprium temperamentum ſeruarit. itaque didicimus, quibuſdam anni temporibus morbos ſecunda ratione prouenire; quæ tempora nihil affecta eſſent ipſa quidem, ſed uitia ſuperiorum excepiſſent.

15 *Et paucis eorum ardentes.*

Non propria conſtitutionis ratione febres ardentes ortæ ſunt: ſed ex accidēti, ut ſupra diximus, quæ acciderunt. cum enim cohibita eſſet totius corporis perſpiratio, quæ in quaque natura redundare ſolent, euacuari prohibebantur: itaque peculiares ſibi ipſis morbos pepererunt: nam qui magnopere bilioſi erant, ijs pro naturæ inſtituto ardens febris orta eſt. quam ob rem de eis deinceps dicet: Atque ardentes

dentes

dentes quidem febres quàm paucissimos inuaserunt, & huiusmodi minime aliorum ægrorum labora- B
runt: siquidem neq; calidus, neq; torridus neq; squalidus status eas excitauerat: ita enim multæ uiguis-
sent, multosque corripuissent, & magnos etiam dolores adiunctos habuissent.

*Diurnæ, nocturnæ, semitertianæ, syncere, quartanæ, errantes: singulæ autem ex descriptis febribus multos corri-
puerunt. ardentes uero quampaucissimos inuaserunt: & huiusmodi minime aliorum ægrorum laborarunt.* 16

Cur autem omne genus febrium in ante scripta constitutione contigerit, supra est dictum. uerbum
autem, synceræ, quod inter tertianas, quartanasque est positum, coniungi utrisque potest.

*Neque sanguis erupit, nisi paucis, & admodum parum profluxit: nec delirabant, cetera uero leuia erant omnia.* 17

Est hoc in more positum Hippocratis, ut obiter utilia præcepta doceat: propria enim morborũ sym
ptomata, quæ tunc non contigerunt, solet ipse ita explicare, ut ea tum non accidisse dicat, quo doceat
ea sæpe contingere. nam in febribus ardentibus, quæ, ut ita dicam, legitimæ, sunt, propter magnã uim
caloris humores ad caput extolluntur, & sanguinis profluuia, & deliria fieri solent. nunc uero, cum ue-
ra ardens febris non esset, merito factum est, ut ne eam quidem symptomata, quæ ardentis propria
sunt, comitarentur.

*Eiusmodi autem plerisq; morbi flato admodum tempore indicabantur: ac dies decem & septem intermittebant.* 18

Hoc quoq; est proprium illarum febrium ardentium, quę tum uiguerunt, nec cõmune est alijs, quas F
legitimas uocant. illæ enim ut uehementes sunt, ita siti, uigilia, molestia, & interdum cõturbatione men
tis hominem uexant. & quia tam acutæ sunt, ideo celeriter in eis fit iudicatio. in ardẽti autem febre, quæ
modo uulgabatur, quemadmodum modice erat acuta, nullumq; symptoma dolorem inuehens habe-
bat, ita ne certa quidem fiebat iudicatio: sed quasi mediæ cuiusdam sortis, ut ex recidiua rursus secun-
do loco iudicaretur: cum enim ait, intermittebant, indicauit, illam quidem imperfecte præiudicatam
esse, sed ex recidiua fuisse iterum iudicatam.

*Neminem uidi eo tempore, ardenti febre mortuum, neque in phrenitim incidisse.* 19

Nemo ea ardenti febre correptus interijt, quia erat moderata: cuius rei causa supra declarata est. non A.l.3.f.1.e.3.
inciderunt autem illi in insaniam, quia cum frigida esset tota constitutio, caput eis non est repletum. o- c.1.p.361.B.
stensum autem est, insaniam effici, cum cerebri regiones calfiunt.

*Tertianæ uero febres plures erant ardentibus, & item grauiores: certo tamen ordine a prima accessione in ijs omni-
bus quaternos circuitus habebant. in septem absolute indicabantur: neque ulla recidiuam fecit.* 20

In commentarijs de febrium differentijs, ac de crisibus cum alia, tum hoc quoque docuimus, arden
tes, ac tertianas febres propter flauæ bilis redundantiam nasci: hocque inter illas conuenire, locis ue
ro, in quibus humor redundans aceruatur, differre: siquidem in ardentibus humor in uenis, præcipue G
autem in iecur ac uentrem pertinentibus abundat. tertianæ uero fiunt, cum in totius corporis carni-
bus flaua bilis dominatur. perspiratione igitur in biliosis impedita, quantum bilis in tota carne colle-
ctæ prius euacuabatur, cum in hac constitutione non expurgaretur, plures tertianas, quàm ardẽtes ex-
citauit: ardentes enim non perinde a biliosis excrementis retentis originem ducunt, sed a calore in ua-
sis, ac uisceribus aucto ab inflammata constitutione quæ mirum in modum calida erat: ut fieri solet in
ijs, qui se nimium exercuerunt, aut magnis sunt curis cõflictati, aut diutius fuerunt in sole, aut cibis adu
rentibus liberalius se expleuerunt: uel qui plurima huiusmodi, aut etiam omnia fecerunt, passique sunt.
sed præsens status non nimium erat calidus: ideoq; non multos ardentes febres corripuerunt: sed po-
tius admodum biliosos, atq; hos etiam moderatissimę atq; hos ipsos potius tertianæ febres occupa-
runt, quod consueti biliosorum excremẽtorum effluxus essent impediti: quocirca grauiores eis, quàm
ardentes ideo iure acciderunt, quo magis legitimæ erant, & proprias iudicationes habuerunt.

*Quartanæ uero multis ab initio ordine quartanæ inceperunt: quibusdam, nec ijs paucis ex alijs febribus, ac morbis ab-
scessus in quartanas facti sunt: ac diu hos ut solent, atque etiam diutius tenuerunt.* 21

Ne hæ quidem præcipue propter constitutionem ortæ sunt: sed cum atræ bilis redundantia in melã
cholicis naturis non expurgaretur, ideo factum est, ut in hosce morbos inciderent. longius autem pro H
trahebantur, ob humidam, frigidamq; constitutionem, in qua causæ omnes quamdiutissime in corpore
manent, nec concoquuntur, nec per halitum digeruntur. memineris autem hoc etiam loco, quomodo
hoc nomine Hippocrates utatur, cum ait, Abscessus in quartanas facti sunt, siquidem nõ solum uidetur
abscessus quosdam appellare, qui per effluxionem fiunt; sed etiã, cum alius morbus in alium transit.

*Quotidianę uero, & nocturna, & erratica multæ multos multoq; tempore, tam rectos, quàm decumbentes tenuerunt.* 22

Cum hæ non solum ob plenitudinem, sed etiam constitutionis temperaturam orirentur, haud mira-
bile est, si & multæ, & multos exercuerũt. nã humida, frigidaq; constitutio, qualis hiems est, pituitosum
gignit succũ, e quo quotidianas cõstare febres docuimus, erraticas uero a diuersis humoribus ꝓduci o-
stẽdimus. nec mirũ est, si hmõi febres diuturnæ fuerũt, cũ humida, & frigida eẽt cõstitutio: uetaretq; ne
humores cõcoquerẽtur: cũ ipsæ alioq ꝓpter frigiditatẽ diuturnæ, & cõcoctu difficiles esse cõsueuerint.

*Horum plurimos febres sub Vergilias, & usque ad hiemem comitabantur.* 23

Perspicuũ est, nõ factã esse mutationẽ Vergiliarũ, q in hac cõstitutione erãt, sed earũ, quæ post alterã
constitutionẽ in secũdo anno erant, ut supra dictũ est: siquidẽ in fine illius status scripsit his fere uerbis,
Mox circa Arcturũ Aquilone perflante, pluuiæ admodum multæ fuerũt. deinde uero locutus est, quasi
iam

A iam temporum anni ordo ad naturalē ſtatum ſit reuerſus, tam reliqui totius, quod poſt Arcturum fuit, quàm quod poſt hiemem. quæcunque igitur prioris conſtitutionis erant reliquiæ, merito cōcoctæ ſunt autumno & hieme, ut nullo iam præterea morbo Thaſij conflictarentur.

24 *Multos conuulſiones, præſertim uero pueros ab initio tentabant: febricitabantque, & febribus conuulſiones ſuccedebāt. hæc autem pleriſque diuturna, innoxiaq; fuerunt, præterquam ijs, quibus etiam alia omnia letalia aderant.*

Cum frigida, & humida eſſet conſtitutio, conuulſiones excitabantur. ceterum pueri propter neruoſi generis imbecillitatem ſunt conuulſionibus opportuniſſimi. quæ cauſa facit, ut facile, & paruis occaſionibus hoc illi, & minore etiam cum periculo patiantur. ait autem conuulſiones quoſdam ab initio ſtatim tentauiſſe, alios cum febris præceſſiſſet: quatenus uidelicet ad utrunque erant comparati, ut conuulſionibus, & ut febri corriperentur: nam ad utrum quiſque paratior eſſet, id prius oriebatur, eiq; alterum ſuccedebat. fuerunt autem conuulſiones merito diuturnæ, cum iterum ſecundus autumnus, de quo in fine totius conſtitutionis ſcripſit, humidus, frigidus, aquiloniuſque eſſet.

25 *Quæ autem omnino continuæ erant, ea nihil quicquam intermittebant: quæ uero inuadebant omnes more febris tertia-*
B *næ naturam referentis, uno die erant paulo leuiores, altero grauius inuadebant: erantque omnium, quæ eo tempore uigerent uiolentiſſimæ, longiſſimæ, ac maximis cum laboribus coniunctæ: leues a principio, ſed omnino ſemper increſcebant, & criticis diebus accedebant, ac peiores inuadebant: tum aliquantulum remittebātur, ac ſtatim rurſus ex intermiſſione uehementius inceſſabant, diebuſque criticis multo deteriores reddebantur. rigores omnibus inordinati, erranteſque erant: atq; his quidem pauciſſimi & minimi, in alijs uero febribus maiores.*

Si ipſe non adſcripſiſſet, quomodo tertianæ, quæ tum uigebant, ordinatas acceſſiones facerent, magnam nobis, quas nam tertianæ naturam referentes uocaſſet inquirentibus, dubitationem reliquiſſet: ſed cum dixerit, more febris tertianæ naturam referentis, nulla reſtat de re quæſtio, ſed de huius nominis τριταιοφυὴς. i. naturam tertianæ referentis ſignificatione. huic adiungit, quid tertiana, ſemitertianaq; ſignificet, quæq; ſit utriuſque differentia exquiſitæ tertianæ, & non exquiſitæ, ſed parumper auctæ, aut magis, aut plurimum. & quouſque hæ ſingulæ producantur: quæq; ſit magna ſemitertiana, quæ media, quæ parua denique. Agathinus quidem totum primum librum de ſemitertianis ſcripſit, dum quid hoc uocabulum ſignificet, exponit. ſi uero quæ a methodicis hac de re ſunt conſcripta, nunc commemorarо, aut quæ poſtea ab Archigene non ſemel, ſed ſæpiſſime, in pleriſque commentarijs dicta ſunt, ac ſimul quæ bene, quæq; male ſint tradita, iudicaro, tria opinor, uolumina a me hiſce rebus implebuntur.
C quatenus autem intereſt ad artis opera, in commentarijs de febrium differentijs iam diximus. hoc autem loco præſtabit, id febrium genus, quod in hac fuiſſe conſtitutione memoratur, deſcribere. ipſe igitur ait, uno die erant paulo leuiores, altero grauius inuadebant. cum autem dicat ὑποκουφίζεσθαι, hoc eſt, paulo erant leuiores, cum præpoſitione ὑπὸ, par eſt, ut nos a iuncto uerbo aliud, quàm a ſimplici ſignificari intelligamus. nam κουφίζεσθαι poſſet quis accipere, ut inſignem febris remiſſionem ſignificet: ὑποκουφίζεσθαι uero, moderatiorem: non tamen diſtincte, aperteque declarauit, utrum qui eo modo febricitābant, hos poſtridie altera acceſſio inuaderet leuior ea, quæ pridie, an illa permanens, poſtridie remitteretur. mihi autem uerba ipſa uidentur innuere, unam fieri tertio quoque die acceſſionem, quæ poſtridie remittatur. addit autem, rigores erraticos in illis fuiſſe: quod ſignificat, eos non in ſingulis acceſſionibus, ſed interdum, paruoſque fuiſſe: atque ita etiam ſudores paucos, & uero etiam frigus extremitatum tale, ut difficulter calfierent. ex quibus rebus omnibus eſt perſpicuum, eam febrim crudis, pituitoſiſque humoribus putreſcentibus, quibus flaua bilis admiſta eſſet extitiſſe. quæ igitur ex ſola huiuſmodi bile conſtat, tertiana nominatur: quæ uero parem crudi humoris copiam aſſumpſit, exquiſita ſemitertiana efficitur, Romæ frequentiſſima, utpote illius urbis incolis familiariſſima. ea autem cum horrore uenit, & cum reduplicationibus, quas uocant, efficitur: acceditque non modo priore die, ſed etiam conſe-
D quenti: ea tamen acceſſio minor eſt præcedenti, & minus horroris affert: & repetitionem uel minorem habet, uel certe nullam. nunc autem de ea, quæ tertio die fit, in hiſq; alterum diem mitigat, uerba ſunt: quæ quidem uidetur eſſe naturæ tertianæ, acceſſionem iterantis propinquior, & a ſemitertiana longius abeſſe. multum enim intereſt, num inuadat poſtero die: an ſine reduplicatione fiat. paruus quoq; rigor prope ad horrorem accedit: quanquam ne hunc quidem ſemper acceſſionibus adiunctum eſſe dixit, ſed errantem: niſi forte errantem in alijs dixit febribus, in ea uero, quæ tertianę naturam referebat, non item: cum enim minimos, pauciſſimoſque his rigores comitari ait, horrorem quidem indicauit, non tamen rigores ab acceſſionibus penitus abſtulit. & ut id noſcas, ſic ſe res habet. hęc febris iure dicitur tertianæ referre naturam, ſiquidem non eſt ſemitertiana, ut quæ ſecundo die non inuadat, nec reduplicationes faciat: neque eſt producta, quia nunquam ad integritatem omnino redit. par igitur erat, ei nomen aliquod illis finitimum imponere. ratio autem poſtulabat, ut nullum aliud ei tribueret, quàm hoc, tertianæ naturam referens. Fieri autem deteriorem in criticis diebus, tertianæ naturam referentium eſt proprium, non commune omnium: didicimus enim in libris de criticis diebus, hoc in malignis morbis euenire conſueſſe, parum inquit remittebātur, citoque rurſus ex intermiſſione uehementius exacerbabantur. ſi uero in memoria habeas, quæ in libris de criſibus, deq; diebus criticis, & de febrium differentijs dicta ſunt, nihil opus erit, eadem iterare: illic enim omnia ſunt declarata, cuiuſmodi etiam eſt

id,

id,quod hoc loco dicitur,remittebatur.ceterum huiusmodi febres non ab uno humore gignuntur, sed E
a multis,inter quos calidior acutam febrim accendit,citoque sedatur: quæ dum corpus tener, contingit,ut frigidiores corrumpantur,atque putrescant:& ex illa remissione iterum accendantur,quæ est uelut requies febris,atque imminutio:hæcque febris deterior priore euadit : quod uidelicet uires a prioribus molestijs fatigatas inueniat:planum est enim, si pati sit magnitudine,maiorem molestiam ijs, qui infirmiotibus,quàm qui robustioribus uiribus sunt , esse allaturam.

*Sudores multi.* 26

Hoc est,alijs in febribus multi sudores apparuerunt.potuerũt etiam alijs citra febrim malis , ut conuulsionibus multi sudores accidete,multa humiditate frigida in corpore propter constitutionem aceruata : tum uiolentia conuulsionis expulsa . ceterum quibus id dixit euenisse , eos uerisimile est multum sudauisse.

*Qui tantam abest,ut has leuarent,ut etiam contra, læderent.* 27

Has inquit,febres tertianæ naturam teferentes,de quibus loquimut, sudores nihil utilitatis afferentes comitabantur,causa in promptu est,attribuimus enim incoctis morbis , ut sudores neque eis pro- F
sint, neque bonum signum sint . siquidem uel humorum redundantiam, uel imbecillitatem uirium indicant.

*Extrema his multum frigebant:calorque uix reuocari eis poterat.* 28

Et propter notabilem uiscerum inflammationem in accessionibus , & propter frigidorum humorũ multitudinem, ut de utrisque in commentarijs, quorum ante mentio facta est , demonstrauimus, extrema difficulter calfiunt.

*Non dormiebant prorsus hi : & rursus soporabantur .* 29

Ait rursus eos insomnes fuisse:in parte potius,& non omnino: nec uehemens repugnantia est. dicit enim soporis symptoma eis in parte accidisse.hoc autem est,cum in somnum delabuntur , nec possunt uigilantium munia,ut ostendimus, exercere.

*Ventres omnibus turbati erant,& praui,& his longe pessimi.* 30

Cum humorum redundantia in uentrem confluerct,ut ante dixi,pat erat eum turbari. his igitur ter G
tianæ naturam referentibus,de quibus agit, utpote quæ ceteris morbis maligniores essent , uentres quoque necessario deptauabantut .

*Vrinæ autem plurimis horum erant aut tenues,crudæ,pallidæ, ac pro tempore aonnihil concoctæ: [critice]aut crassitudinem quidem habebant, sed tamen erant turbatæ, nec consistentes , nec subsidentes : aut paucæ , crudæ , & malæ : & quæ subsidebant,pessima.* 31

Hæc omnia in uniuersum in libro præsagiorum declarauit : quæ nunc etiam tanquam exemplis rerum singularum confirmat.itaque cum nos hæc in præsagijs exposuerimus,non est, cur de horum cum illis consensione,quando euidens est,quicquam prætcrea dicamus:illic enim ea esse crudorum , incoctorumque humorum signa ostendimus.

*Tusses comitabantur,sed quem usum,quamue noxam tussis tum afferret,quid scribam,plane non habeo .* 32

Excitari tusses solent,cum humorum redundantia expurgatur.

*Itaque hæc erant diuturna,molestaque:ac plane sine ordine,sed erratica, & sine indicatione plurima horum permane-* H 33
quidam *bant.cum quidem admodum perniciose,quidam non item,affecti essent:si quos enim paululum deseruissent,statim redibant. quibusdam autem,ijsque paucis,cum breuissime,octogesimo iudicabantur.ac nonnullos horum repetierunt : ut etiam in hiemem plurimis eorum morbus protenderetur.plurimos uero sine indicatione reliquerunt.*

Non dubium est,quin secundum hiemem Hippocrates , non primam,quàm in principio totius constitutionis terulit,hic commemoret : omnes enim morbi,quorum hic meminit,secundo autumno maxime uiguerunt: tum quidam ineunte hieme sedati sunt,quidam uero producti sunt longius.quod uero essent inordinati,atque repeterent , id & frigiditati , & copiæ humorum morbos efficientium merito teferendum est acceptum. ex quo factum est,ut ea etiam superstitibus pariter euenirent.

*Hæc autem pariter ijs,qui superstites,& qui non, acciderunt . multaque fuit, eaque uaria in morbis indicationis uaeuitas.ac maximum,pessimumque signum usque ad finem subsecutum est,ut quamplurimi omnem cibum fastidirent, præter ceteros uero, quibus alia quoque erant exitialia:atque in his febribus non admodum intempestiue sitiebant.* 34

Mente cõstare,& oblatos cibos libentem admittere,maximum bonum esse, ipse alibi in uniuersum dixit:ac nunc peculiari quodam exemplo confirmat,quod uero non admodum siti cruciarentur, merito ex humorum abundantium qualitate consecutum est.

Cum

35 A *Cum autem hæc diu perdurarent, multique dolores eſſent, ac mala colliquatio, in eis abſceſſus fiebant, aut maiores, quàm ut ferri poſſent; aut maiores, quàm ut ulli adiumento eſſent; ſed ſtatim redierunt, ac deteriores euaſerunt.*

Abſceſſus fiunt, cum multa adſit incoctorum humorum copia. hi ſi parui ſint, nihil proſunt: ſi magni, ferre eos uires non poſſunt. hoc autem loco euacuationem per effluxum, ab eo abſceſſum uocari, proxima oratione perſpicue indicauit.

36 *Quæ hos tenebant, erant hæc, dyſenteriæ, teneſmi, lienteriæ, & alui fluxus: nonnullos etiam aqua inter cutem, † quæ uel hæc habebat adiuncta, uel non habebat.*

†Quidā libri habent, μετὰ τούτων, καὶ ἄνευ τούτων ἔσται. i. cum his & ſine his faſti dia. ſed Gal. ita non legit.

Quos abſceſſus ſupra in uniuerſo extitiſſe dixit, eos nunc ſingillatim exequitur. nos autem ſupra diximus, tales morbos merito ortos eſſe, excrementis in uentrem confluentibus: ac dyſenterias quidem cum cruentis excretionibus, quoquo modo ortas: teneſmos uero, qui uehementes tenſiones ſunt, ex ulceratione in recto inteſtino: lienterias uero, quæ ſunt celeres ciborum nō mutatorum trāſitus. fluxus autem uentris uocat, cum, ſine his affectibus, humidæ excretiones & ſemper, & continenter deijciuntur. ait etiam aliquos in aquam inter cutim deinceps propter frigidorū, humidorumque humorum copiam incidiſſe: ac quoſdam prædicta ſymptomata, quoſdam uero etiam non, adiuncta habuiſſe.

37 B *Quæ autem erant etiam uiolenta, ſtatim opprimebant, uel nihil proderant.*

Morbi, qui a concoctionis difficultate & copia crudorum humorum oriuntur, ab excretionibus nihil iuuantur: dixit enim multas, uiolentaſque conſeſtim uires opprimere: quæ uero tales non ſunt, nihil prodeſſe: quæ cum etiam duplices ſint, nihil proficient, quæ concoctionem adiunctam non habebunt: quia cum humores adhuc multi ſuperſint, ſi abſit concoctio, nulla utilitas ſubſequetur.

38 *Puſtulæ paruæ, quæ non eſſent excernendis morbis, ſtatimque euaneſcebant: aut ſecundum aures tumores nigricantes, qui nihil denunciarent.*

Omnium incommodorum, quæ eo tempore acciderunt, caput erat cruditas humorum. ac ſi quādoque natura ad aliquos excernendos per uim aggreſſa eſt, nihil profuit: immo uero ab eis ſuperata, aut ſtatim permiſit, ut in imas partes iterum recurrerent: aut propter paucitatem excretionum, abſceſſum moliebatur.

39 *Quibuſdam in articulos, præſertim in coxendicem decumbebant: paucis critice ceſſabant: ſtatimque ſuperati ad priſtinum ſtatum redibant.*

G Abſceſſum, qui decumbendo fit, in diuturnis morbis potiſſimum accidere, in primis ab ipſo in uniuerſum didicimus: & hic peculiari exemplo nobis eſt teſtatum. quia uero erat multa crudorum, frigidorumque, & incoctorum humorum copia, ideo in maximum articulum multis decubuit. ſed quia difficilis erant concoctionis, non excernebantur. ac ſi cui diſcuſſi uidebantur, confeſtim iterum redibāt. hoc nimirum eſt, quod ſignificat, tumores, cum ad cutim pellerentur, & redirent, ad ſtatum priſtinum eſſe iterum delapſos: id enim indicat, cum ait, ſtatimque ſuperati ad priſtinum ſtatum redierunt.

40 *Moriebantur autem ex omnibus, ſed omnium plurimi, pueri, qui a lacte nuper diſtracti eſſent, & item natu maiores, & octo, & decem annos nati, & qui pubertatem iam attingebant. hæc autem illis accidebant non ſine ijs, quæ ante dicta ſunt: ſuperiora uero multis ſine his eueniebant.*

Cum in hac conſtitutione humiditas potiſſimum dominaretur, utpote quæ naturalem modum plurimum exceſſerat, certe huic malo, quod ab humiditate, frigiditateque oriebatur, frigidi & ſicci minus erant obnoxij: oſtendimus enim corpora illis eſſe cauſis magis obnoxia, quæ ſunt earum intemperiei cognata.

41 D *Vnum autem bonum, maximum eorum ſignorum, quæ extabant, quodque plurimos e maximis periculis eripuit, fuit in ijs, quibus ad urinæ ſtillicidium diuerteret, & in hoc abſceſſus fierent. accidit autem pleriſque urinæ ſtillicidium potiſſimum in his ætatibus: & item alijs multis, qui non decumbebant, & in morbis: & ſubdita his magnaque omnium mutatio fiebat: uentres enim, etſi forte molles erant, ſtatim maligno modo cohibebantur: ciboſque omnes libenter ſumebant: poſtea uero placidæ febres oriebantur. ex ſtillicidio autem urinæ diu, multumq; hi laborabant.*

Eſt etiam ſupra dictum ſtrangurioſa, & non nephritica ſymptomata his accidiſſe; & ſi communitatem quandam habeant, ſed alia pro alijs: noſque diximus, cum totius corporis excrementa per renes expurgantur, urinæ ſtillicidium eos corripere cum ob alia, tum uel maxime per urinarum confluentium acrimoniam, quæ nunc quoque in cauſa fuit: illud enim memoria tenendum eſt, abſceſſus hic dici in urinæ ſtillicidium eſſe factos, quamuis infeſti humores non per decubitum, ſed per effluxionem de toto corpore manarent: ut enim totum corpus ſæpe per uentrem, ita etiam per renes, ueſicamque purgatur. urinæ autem ſtillicidium diuturnum fuit, & cum dolore totum corpus urinæ ſtillicidio repurgabatur. neceſſe autem erat, eas partes affici, per quas urinæ acres excernebantur: propterea quod & uellicabantur, & continua excretione uexabantur: ex quo fiebat etiam, ut in ipſo urinarum tranſitu dolorem ſentirent. eiuſmodi porrò ſymptomata propter multitudinem excrementorum, quæ excernebantur, diutius in eis perdurarunt.

*Vrina*

*Vrina horum erant copiosa,crassa,varia,rubentes,semipurulentę cum dolore* E 42

Hæc omnia euenerunt,quod uniuersum corpus uitiosorum humorum redundantiam deponeret:idcirco omnes incolumes euaserunt.cum autem ea uaria esset, ut supra diximus,(aliud enim in alio redundabat)probabile est, uarietatem quoque in urinis extitisse: ut non similes in omnibus, sed aliæ in alijs essent.

*Omnes autem hi superstites fuerunt:nec eorum quenquam perijsse cognoui.quacunque autem sine periculo erant.* 43

Cur omnes incolumes euaserint,causa dicta est:purgati enim per urinas sunt.hoc autem, Quæcunque autem sine periculo erant,quidam sequenti orationi præponunt: ubi etiam, post secundam constitutionem,ipsum exponemus.

*Omnes autem excrementorum maturationes undique tempestiua,aut bona,& critici abscessus considerandi sunt.* 44

Nonnulli finem prioris status esse uolunt huius narrationis initium,ut hoc pacto dicamus: Quæcunque autem sine periculo erant,omnes excrementorum maturationes undique tempestiuæ, aut bonæ, & critici abscessus considerandi sunt:ut sit hæc fere orationis sententia, quicunque affectus sine periculo exoriuntur,in eis considerandæ sunt concoctiones.potest tamen hæc oratio per se legi: ut sermonem de omnibus absolute morbis,qui*sine maturatione sunt, in uniuersum habeat.morbi autem maturatio est quædam eorum,quæ præter naturam sunt,concoctio:ipsa uero concoctio est quædam eius, quod concoquitur,in concoquentis naturam deductio. ergo ubi corpus in suo statu naturali est, cūque id quod concoquitur,habet naturam concoquenti idoneam,tum mutatio,alteratioque fit totius materiæ,quæ concoquitur,aut certe maximæ eius partis,minimumque semicocti relinquitur.at quādo præter naturam affecta sunt, quod usu uenit, cum a natura immutantis,& alterantis sunt aliena,tū id, quod assimilatur,exiguum est: excrementum uero semicoctum,est multum. quemadmodum autem in corporibus,quæ in sua sunt natura constituta,excrementa concoctionem indicāt,ita etiam in ægrotis corporibus indicabunt:itaque eorum quæ in uentre concoquuntur,excrementa per aluum deiecta cruditatem, concoctionemque sua forma indicant:eorum,quæ in pectore,atque pulmone, quæ tussi excernuntur:eorum,quæ in cerebro,quæ per nares educuntur: eorum quæ in uenis,quæ cum urinis effluūt. hæc autem in libris de naturalibus facultatibus declarata sunt,itemque in libris de crisibus, præcipue autem in libris de temporibus morborum,in quibus concoctionis morborum indicia scripta sunt. id ipsum Hippocrates quoque hoc loco fieri iubet, ut ab ijs, quæ excernuntur, morborum cōcoctiones spectemus.sunt,qui in fine orationis pro considerandi sunt, scribant, faciendi sunt: ut hæc oratio ad G actionem,curationem,& consilium, non ad dignotionem pertineat. nam si concoctiones considerari iubet,ad dignoscendum,ac præsagiendum referenda oratio est:si fieri,ad curandum. est autem perspicuum,omnia,quæ moderata calfaciunt,maturationes efficere:ut cibos,ut perfusiones, ut cataplasmata.frictio quoque modica,& balneum sunt huius generis:quorum singulorum usus in libris de ratione medendi est expositus.atqui non solum par erat maturationes morborum aut considerare, aut facere,(utrunque enim uere dicitur.)sed abscessus etiam ex effluxione; in quo summū in primis studium adhibendum est,aut abscessus ex decubitu in particulas ignobiliores factos: hoc enim est nobis secundo loco propositum,cum abscessum per effluxionem assequi nequimus.quocirca si ad uentrem excrementa uergant, eis præsto esse debemus usu clysterum, in quibus sit uis illuc attrahendi: & item usu eorum, quæ in tota uictus ratione sint ad id ipsum accommodata: si ad renes,usu eorum, quæ urinam cieant: si ad †colon,acribus illud medicamentis calfaciemus.

†Fortasse κῶλον non intestinum,sed quoduis membrum hoc loco significat.

*Maturationes celeritatem iudicationis,securitatemque salubrem significant.* 45

Superiore oratione,dixi quosdam uelle,maturationes cōsiderari; quosdam uero, fieri: & ab utrisq; finem orationis dupliciter scribi: atque explicari,ut hi uelint, medicos considerare:illi uero eos facere.dixi autem utile esse,ut medicus utrunque exerceat.itaque si scriptum sit, considerandi sunt, etiam omnino comitatur hoc,faciendi sunt.siquidem Hippocrates censet,medicum esse naturę imitatorem, atque ministrum.& tamen melius esse,ut in superiore oratione scribatur,considerandi sunt. ipse declarauit,cum ait,maturationes celeritatem iudicationis,securitatemque salubrem significare;neque enim dixisset,significare,sed facere,si hoc consilij medicis dedisset, ut maturationes efficerent. sed hoc consulit esse faciendum,cum morbos curat.nunc in tractatione uulgarium morborum dignotiones, præsagiaque illis proponit: cum interim medendi rationem simul generatim innuat, eam tamen non exprimat.ipsum autem id simul innuere,planum est.nam si censet,medicum præclara naturæ opera imitari, maturationes autem naturæ opera sunt,perspicuum est,eas celeritatem iudicationis, securitatemque, ac sanitatem significaturas:tum uero nos una auxiliantes,maturationes esse effecturos.

*Cruda autem,& incocta,& ad malos conuersa abscessus,aut iudicationis uacuitates, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem,aut recidiuas.* 46

Quemadmodum maturationes fiunt,cum natura superat causas morborum effectrices,ita cum non superat,fiunt contraria.quod igitur in maturationibus dictum est,celeritatem iudicationis,ei aduersatur

A tur diuturnitas morborum: quodque in illis diximus ſecuritatem, ei opponitur iudicationis priuatio itemque mors, & recidiua: quod in illis, ſalubrem, ei in uniuerſo quidem omnia, quæ nũc dicta ſunt: ſeparatim uero, dolores. ſana enim corpora habent ſeu laboris, ſeu doloris, ſeu moleſtiæ, uacuitatem appelles, ita propriam, ut auelli ab eis non queat. uocabulum autem *ἀκρισίας*, hoc eſt priuationis iudicationis, duobus modis ab ipſo uſurpari memini, uel cum nulla omnino, uel cum mala futura eſt iudicatio: in utraque autem ſignificatione, iudicationis priuationes, morborum cruditatibus comitantur. meminiſtis autem, totam morbi concoctionem in humorum alteratione fieri: eſt enim per ſolida corpora protenſa natura, quæ uirtus illorum eſt: atque humores a ſolidis corporibus ſanis concoctionem conſequuntur. atque adeo ſi hæc ipſa ægrotent, iam hic morbus in habitu ſit, & nonnullos in maximum diſcrimen adducat. curari autem non poteſt prius, quàm ſolida corpora ſuam uirtutem nacta ſint: quæ eſt in calidi, frigidi, ſicci, & humidi commoderatione conſtituta: quocirca ipſa quoque ſi dolorum corporum ſanitas in horum eſt poſita commoderatione: ut ſiue bonam partium inter ſe ſimilium temperaturam dicas ſanitatem eſſe, ſiue elementorum, ex quibus conſtamus, commoderationem: nihil intereſſe uideatur. quomodo autem ſit morbis ſolidorum corporum adhibenda curatio, in libris methodi medendi ſumus perſecuti. neque enim omnia ſunt ubique exponenda. B ſatis autem erit hoc loco, eorum quæ ſe ſe obiter de curationibus conſideranda nobis offerent, capita ſolum adnotare, ut in curationibus, dignotionum ſummam perſequi. quod enim eſt cuiuſque tractationis proprium, id omnibus numeris abſoluendum eſt. quod uero obiter incidit, hoc ſummatim indicandum.

47 *Quid autem horum potiſſimum erit, ex alijs conſiderandum eſt.*

Horum inquit, quæ ſunt artis præſagiendi, quorum facit mentionem: & quæ in præſagijs ipſe docuit. ſingula enim, quæ prædicta ſunt, ex eo libro ſunt deprompta, quem nos tribus commentarijs illuſtrauimus. & ſub finem oſtendimus, libros uulgarium morborum ſequi librum præſagiorum. præterea ſcriptos a nobis in illum librum commentarios propter libros de criſibus, quarum ſunt explicata præſagia & in letalibus, & in lenibus morbis: & quæ ſtatutæ ſint iudicationum in unoquoque morbo dies: quæ item bonæ, quæ fallaces, quæ firmæ, quæ denique non firmæ iudicationes ſint: ac demum de omnibus alijs, quæ ad hanc contemplationem pertinent, actum eſt.

48 *Dicito præterita, cognoſcito præſentia, futura prædicito.*

In ipſo quoque libri præſagiorum ſtatim initio dixit, præſentiens enim, & prædicens præſentia, præterita, & futura: quod uidelicet in tribus temporibus præſenſio uerſetur: quod quomodo præſtã C dum ſit, ijs commentarijs, quos in illum librum ſcripſimus, eſt a nobis declaratum.

49 *Hæc meditare.*

Hoc loco dixit meditari pro exercere. atque alibi ſæpe curam, & ſtudium appellat meditationem.

50 *Te ita exerceto, morbis ut proſis, aut nequid noceas.*

Hoc ego aliquando leue duxi, nec Hippocrate dignum: quod id omnibus eſſe hominibus perſpicuum exiſtimabam: debere Medicum ſpectare, in primis ut ægrotis adiumento ſit: ſin minus, ne eos lædat: ſed poſteaquam uidi, pleroſque claros Medicos, iure reprehendi, quod uel ſanguinem miſiſſent, uel lauiſſent, aut medicamentum dediſſent, aut uinum, aut aquam gelidam propinaſſent, in animum induxi, tale quidpiam fortaſſe ipſi etiamnum Hippocrati atque ita neceſſario multis quoque alijs eius temporis Medicis contigiſſe. itaque exinde ſemper plurimi feci, ut ſi quando magnum auxilium ægrotanti afferam, ante mecum perſpiciam, non modo quantum ſim profuturus, ſi res ſuccedat ex ſententia, ſed etiam ne quid lædam. quam ob rem nihil unquam inſtitui, cuius periculum prius non feciſſem, ut, ſi non compos uoti fierem, nequid ægroto nocerem. quidam uero Medici, perinde atq; illi, qui aleam iaciunt, remedia afferre ægrotis ſolent: quorum offenſio magnum ægris incommodum parit. proinde ijs, qui artem perdiſcunt, plane ſcio, indignum, ut mihi olim, uideri, ut ab Hip- D pocrate primum ſcribatur, ſtudendum eſſe, ut proſis, ac ne quid noceas. at uero iam medicantibus, non dubito, quin huius rei uis appareat. ſi uero quandoque eueniat, ut ex temerario uehementis medicamenti uſu æger interimatur, tum certe uim eius, cuius nos modo monuit Hippocrates, potiſſimum ſentient.

51 *Ars conſtat his tribus, morbo, ægro, ac Medico, artis adminiſtro: æger autem unà cũ Medico reluctari morbo debet.*

Tria eſſe ait omnia, in quibus, & per quę curatio perficitur: in primis ſunt morbus & Medicus: decertant autẽ inter ſe, &, ut ita dicam, pugnant ac præliãtur morbus ac Medicus: ſiquidem Medicus ſtudet morbum tollere, morbo uero propoſitũ eſt, ne moueatur. tertius, præter hos, eſt ægrotus: qui ſi Medico pareat, imperataq; faciat, ſocius ei, morbiq; hoſtis efficitur: ſi ab eo deſciſcat, eaq; faciat, quæ morbus iubet, duplici nomine Medico facit iniuriã: primum, quod ſolum deſtituerit; deinde quod duos fecit, qui ante unus erat: neceſſe.n. eſt, ut duo ſint uno fortiores. æger autẽ, deſerto Medico, imperata morbi exequitur, cũ Medicus ei frigida potione interdicit, ille uero a febris ardore id ad agẽdũ impellitur. itemq; ſi lauet, aut uinum bibat, aut aliquid ſumat eorum, a quibus abſtinere illum Medicus uolebat, nempe is morbum augebit, cum ea faciat, quæ morbo grata ſunt: prodet uero Medicum, cum, quæ ille nõ uult efficit. ceterum in multis exemplaribus ſcriptum eſt, Ac Medico artis adminiſtro: in quibuſdam uero, non artis, ſed naturæ legitur. ad totam tamen orationis ſententiam nihil intereſt.

*Capitis,collique dolores,& grauitates cum febribus,ac sine febribus.* E 52
Hoc uim obtinet tituli: ut enunciet Hippocrates,quo terminari soleant capitis, collique dolores, ac grauitates: polliceaturque se deinceps dicturum,quas differentias habeant. proinde mentem ei,id in sequentibus facienti,adhibeamus.

*Phreniticis conuulsiones.* 53
Conuulsiones inquit phreniticis accidunt,cum capitis,& colli dolores, ac grauitates permanent.

*Sed & uirulenta uomunt,& quidam ex eis subito moriuntur.* 54
Ostensum est nobis omnes huiusmodi excretiones,& uomitiones fieri,ubi flaua bilis aduritur.quocirca subiungit,quidam ex eis subito moriuntur,hoc est subito post uomitiones pereunt:ut quorum cerebrum,eiusque membranæ a phrenitide,quam flaua bilis excitauit,obsideantur.quo minus mirabile est,si hisce particulis exiccatis conuulsiones oriuntur.ac nonnulli quidem ut primum conuelluntur, uirulentaque euomunt, confestim moriuntur:quidam propter uirium firmitatem unum diem, uel duos, uel tres,uel etiam quinque interdum superuixerunt.

*In ardentibus autem,alijsque febribus,quos colli dolor, temporum grauitas, caligo oculorum, uel etiam hypochondrij contentio,ac sine dolore tentat,ijs e naribus sanguis profluit.* F 55
Cum librum præsagiorum exponerem,de eo sanguinis profluuio locutus sum in ea oratione explicanda,cuius hoc initium est, Quibus in huiuscemodi febre caput dolet, & pro oculorum caliginibus cæcutiunt,aut splendentia quædam oculis obuersantur,ac pro uentriculi dolore in alterutra parte præcordia tenduntur,ac neque dolor infestat,nec inflammatio, ijs pro uomitu sanguis e naribus profluet. quæ quidem si cum his conferas,illum accuratius de his eo in loco scripsisse,plane intelliges. hic autē, solum id adijciam:quia in proposita oratione Capito ita legit,uel etiam hypochondrij contentio cum dolore:eum minus recte,negationem ademisse,tum ob ueritatem ipsam,tum quia ipse in præsagijs dixit,cum in alterutra parte hypochōdria tenduntur,ac neque dolor infestat,neque inflammatio,ijs pro uomitu sanguis e naribus profluet.impetus autem humorum in caput, signum est hypochondrij sine dolore contentio:cui si sit dolor adiunctus,uiscerum inflammationem sequitur: cum uero capitis calor sanguinem sursum trahit,cumque iecur impellit,tum sanguinis eruptio expectanda est.

*Quibus uero totius capitis grauitates,cordis dolores,& fastidia sunt,hi biliosa post,ac pituitosa uomunt.* G 56
Hanc etiam orationem in præsagijs docuit his uerbis,Si cuipiam inquit,in non letali febre caput dolet,aut ante oculos obscura quædam obuersatur,aut uentriculi dolor huic accedit: biliosa imminet uomitio.si rigor eum præterea corripuerit, & inferiores hypochondriorum partes algeant, citius euomet:quod si eo tempore quicquam aut biberit,aut ederit,id quoque quàm celerrime euomet. itaque quibus primo protinus die dolor superuenit, ij quarto,aut quinto die magis conflictantur, septimo uero,liberantur.plerique tamen tertio die dolere incipiunt,quinto maxime uexantur,tum nono,uel undecimo tuti euadunt:sed quos dolor quinto die uexare cœpit,& alia præcedentibus proportione respondeant, decimoquarto die liberantur. hæc tum uiris, tum mulieribus, præcipue autem in tertianis solent contingere: iunioribus uero cum in his ipsis, tum præcipue in continuis febribus, tertianisque synceris usu ueniunt.hæc oratio de ijsdem,quæ hic tradit,est in præsagijs conscripta,eamque nos in tertio,quem in eum librum scripsimus,commentario,declarauimus. quocirca cum totum hunc sermonem diligentius in præsagijs scriptum esse uideamus, nihil est,cur nunc eadem iteremus. si uero quid noui in hoc libro inerit,id in sequentibus interpretabimur: qua in re illud memoria tenēdum est, quæ proprie interpretatio dicitur,eam in obscuris uersari orationibus. nunc uero propter interpretum consuetudinem,etiam explicationis causarum eorum,quæ obscure dicta sunt,interpretationis per abusum appellamus: id quod nos quoque, cōsuetudinem,quæ iam inualuit,secuti,hoc loco facimus: orationem enim,quæ per se ipsa clara est,nullamque interpretationem desiderat, cum eo, quod ab ipsa significatur,conferentes,damus operam,ut aperte causas exponamus. H

*Pueros fere in eiusmodi incommodis conuulsiones potissimum corripiunt.* 57
Pueri & propter imbecillitatem, & propter mollitiem neruosi generis sunt conuulsionibus opportunissimi.

*Eadem etiam mulieribus,& item ab utero dolores accidunt.* 58
Omnia, quæ prædicta sunt,tam mulieribus,quàm uiris accidunt,quatenus & homines sunt, & oēs partes easdem,ac uiri,habent:quatenus autem uterus præcipua in eis pars est, in eo uteri morbis corripiuntur,præcipue autem in quibus ei cum stomacho consensus intercedit.

*Senioribus autem,& quos iam calor deficit,paraplegiæ,aut insania,aut cæcitates.* 59
Erat ei de illis instituta oratio,qùibus simul caput grauatur,cor dolet,& qui fastidio laborant: quos euomere biliosa,pituitosaq; dixit:præsertim si pueri sint:quos ēt magis tētari cōuulsionibus,q̄ iuuenes scripsit

A scripsit. addidit etiam, hæc mulieribus euenire, ac præterea dolores ex utero. deinceps uero ait, senioribus accidere paraplegias, insaniasque, & cæcitates. addidit uero, quos iam calor deficit, causam afferens, cur hæc eis eueniant. uocat autem paraplegias, eas resolutiones, quæ ex morbo attonito in partem aliquam decubuerunt: insanias uero deliria, quæ sine febre fiunt. hæc autem accidere senioribus solent propter naturæ imbecillitatem, quæ uomitu, aut sanguinis profluuio reijcere, quæ in capite coaceruata sunt, excrementa non potest. quocirca fit, ut cum illa in oculos irrumpunt, cæcitates quandoque efficiantur.

TERTIA CONSTITVTIO.

60 *In thaso paulo ante Arcturum, & sub Arcturo multi ac magni, Aquilone spirante, imbres: circa aequinoctium, & usq; ad Vergilias austrini imbres parui, modici: hiems aquilonia, squalores, frigidi uenti, magnæ niues: sub æquinoctium uero frigora maxima: uer aquilonium, squalores, pluuiæ paucæ, frigida: circa solstitium æstiuum, imbres pauci, magna frigora usq; ad canem: a Cane ad Arcturum usque æstas calida, æstus magni: non per additionem illi quidem increscentes, sed continui, & uehementes: non pluit. Etesiæ spirauerunt: circa Arcturum uero pluuiæ usque ad uernum æquinoctium austrinæ. in hac autem constitutione per hiemem paraplegiæ cœperunt, multosque corripuerunt: quorum nonnulli celeriter moriebãtur:*
B *qui quidem morbus copiose uulgabatur: in ceteris incolumes constabant.*

Constitutio, quam modo exponit, frigida, siccaque est, & item ex parte quadam inæqualis. cumq; in his omnibus autumno similis esset, ideo morbos etiam habuit, qui potissimum autumno uigere solent. eam porrò inæqualem fuisse, uel ex his constat: nam circa Arcturi ingressum ait magnas pluuias cum aquilonijs flatibus extitisse: deinde uero autumnum totum huic constitutioni contrarium esse subsecutum, pro aquilonio austrinum fuisse: pro pluuio paucas habuisse pluuias: mox hiemem aquiloniam, siccamque fuisse: tum uer totum usque ad canis ortum: ex quibus rebus perspicuum est, in hac constitutione frigidum, siccumque abunde esse dominata. ostensum etiam est, eius principium usq; ad hiemem, inæquale fuisse. deinde uero rursus post canem ex aquilonijs & frigidis ait statim magnos, uehementesque æstus extitisse: sub hæc, imbres iterum austrinos. ex quo est apertum, totius status finem, qui post canem fuit, ualde fuisse inæqualem. itaque morbos omnes, qui tum uiguerunt, deinceps clare narrat, nec ulla est obscura dictio, nisi perraro, hic interiecta: uerum quando etiam morborum, qui fuerunt, causas exponere instituimus, danda opera est, ut eas uerbis ipsius accommodemus: uerba autem ipsa in breuia capita secemus: quæ intelligent ij, qui ea, quæ superiore commentario, quæque hoc ipso ante exposita sunt, in memoria habebunt. ait ergo paraplegias per hiemem fuisse, cum caput a
C frigidis uentis, qui tum perflabant, læsum esset; præsertim uero, quia totus autumnus austrinus ipsum calfecerat, rarefecerat, atque etiam repleuerat: quod enim ita ante affectum est, caput a frigidis uentis aquilonijs plurimum læditur. sed quia hiems sicca erat, nullus alius morbus eam uexauit: est enim in aphorismis dictum, squalores esse imbribus salubriores. & tamen ex paraplegijs interibant: siquidẽ ipse Hippocrates ait, Qui quidem morbus late uulgabatur, perinde ac faciunt qui non soliti sunt: nimirum propter paraplegiam, quæ præter consuetudinem euenit: siquidem illa, quæ euenire consueuit, in membri resolutionem decumbit: sed hominem non occidit. at quæ in hac constitutione uiguit, cum caput esset ualde refrigeratum, letalis fuit.

61 *Ante uer febres ardentes cœperunt, & ab aquinoctio usque ad æstatem perdurarunt. quam ob rem qui uere, & ineunte æstate statim ægrotare inceperunt, plurimi superstites fuerunt, pauci uero quidam mortui sunt.*

Perspicuum est, non dici ab eo, unamquanque ex ardentibus febribus, quæ ante uer incepissent, usq; in æstatem esse productam: sed contigisse, ut earum origo toto illo tempore uulgaretur, ut modo hoc, modo illo tempore Thasij in eam febrim inciderent. hæc autem oratio non est eodem modo in omnibus exemplaribus exarata. equidem optimam esse scripturam existimaui eam, quæ hac dictione continetur: ut sit eius hæc sententia, tota æstate ortum febrium ardẽtium perdurasse, atq; in toto hoc tempo-
D re moderatas, non mortiferas fuisse: at initio autumni, qui eis corriperentur, multos perijsse. igitur febres ardentes lenes fuisse, uidetur esse consentaneum: erant enim moderatæ, ut quæ hunc statum antecessissent: & non synceræ, ut quæ non ab exquisite calido, siccoque genitæ statu: nec omnes temperaturas inuaserant, sed quæ prius bilis copiã coaceruarant. omnino autem, cur ardẽtes febres tum acciderẽt, est inuentu perdifficile, cum Hippoc. nullam penitus antecedentis æstatis fecerit mentionem: sed ab autumno narrationis initium sumpserit: sed etiam multo difficilius, quia probabile est, æstatem illã suum naturale temperamentũ tenuisse: propterea quod si ulla ex parte de suo statu deflexisset, eius constitutionẽ Hippocrates exposuisset. fuit igitur fortasse calidior, ac non ita multum naturalem statum excessit, quocirca ne describendam quidem illam existimauit, perinde ac præter naturam affecta esset. ueruntamen quando in æstate, quæ etiam in sua natura constet, amaræ bilis succum fieri copiosiorem necesse est, ideo cum is esset, in ea æstate non solum solito, sed etiam multo copiosior, ab insequenti frigore in corpore conseruatus, nec difflatus, nec per halitum digestus est: qui cum diu delituisset, ac temporis spatio computruisset, ardentes febres excitauit.

62 *In autumno iam, & cum pluere cœpisset, letales erant, ac plurimi moriebantur.*

Ad memoriam reuocemus, quod in extrema oratione, quam de hoc statu habuit, scripsit: pluuiæ inquit, austrinæ usque ad æquinoctium uernum. dixit præterea de tempore post ortum canis usque ad

Arcturum, ad uerbum sic, æstas calida, æstus magni non per additionem illi quidem increscentes, sed continui, & uehementes: non pluit. constat igitur, eam constitutionem bilem genuisse. inde factum est, ut cum illam austrinæ exciperent pluuiæ, merito complures febres ardentes, eæque letales uiguerint: quando Auster corpora dissoluere, humoresque fundere, atque adeo etiãputrefacere, ubi cum largioribus imbribus coniunctus est, consueuit. B

63 *Ardentibus autem febribus hæc accidebant: quibus rite, & copiose sanguis e naribus defluxit, ea de causa maxime seruabantur: nec ullum, si recte ei sanguis recte effluxisset, in hoc statu mortuum uidi. nam Philiscus, Epameno, & Silenus quibus parum quarto, & quinto die e naribus stillauit, mortui sunt.*

Cum alioqui proprium est ardentium febrium fere per sanguinem e naribus profluentem iudicari, tum uero eo tempore ait. inutiles sanguinem de naribus erupisse. quæ uero postea de singulis ægris tradit, oĩa ad hoc caput rediguntur: quibuscunque sanguis abunde profluxit, eos superstites euasisse: quibus parce, aut nihil prorsus nares stillarunt, eos solos perijsse: alios uero nonnullos, quibus aliæ naturales excretiones uel per uentrem, uel per urinas fierent, esse seruatos.

F 64 *Plurimi igitur eorum, qui ægrotabant, sub iudicationem riguerunt: præsertim uero quibus sanguis non profluxisset: qui ijdem postea iterum riguerunt, & exudarunt.*

In libro, qui de rigore est, ostendimus, ex amara bili, quæ cum impetu fertur, ut per sensibilia, carneaq; corpora excernitur, rigorem sequi. declarauimus etiam, consentaneum esse, ut hunc motum sudor, interdum uero etiam uomitus biliosi, & alui deiectiones comitentur.

65 *Erant qui sexto die morbo regio corriperentur: sed his profuit purgatio per uesicam, uel turbata aluus, uel largum sanguinis profluuium, ut Heraclidæ, qui apud Aristoclidem decumbebat: cui per nares sanguis effluxit, aluusque turbata est, & per uesicam est expurgatus, uigesimo autem die iudicatus est, ac longe aliter, quàm Phanagoreon seruus, qui, cum ei nihil horum euenisset, mortuus est.*

In quibus natura excernere bilem non potuit, in ijs in cute collecta morbum regium fecit. prauum autem erat, eum ante diem septimum effici, ut etiam in aphorismis dictum est. inter hos autem illi solũ seruati sunt, in quibus natura potuit alia ratione redundantiam excernere: quas excretiones ipse triplices commemorauit, ut urinarum, uentris turbationis, & sanguinis profluuij. quibusdam etiam has tres omnes contigisse, ut Heraclidæ, huncque die uigesimo esse iudicatum scripsit.

G 66 *Sanguis autem plurimis profluxit, præcipue autem adolescentulis, & adultis: quorum plurimi periere, quibus sanguis non profluxit: seniores uero aut morbus regius, aut turbata aluus, aut tormina intestinorum exercuerunt: ut Bionem, qui apud Silenum decumbebat. uulgabantur autem etiam dysenteriæ per æstatem: ac nonnulli, qui diu ægrotarant, quibus etiã sanguis profluxerat, in dysenterias tandem inciderunt: ut Eratonis puer, & Milus, qui post multum sanguinis profluuium in dysenteriæ statum inciderunt.*

Adolescentulis sanguinem e naribus profluxisse, consentaneum fuisse, planũ est: post eos uero, etiã adultis: qui autem natu grandiores essent, quia uires eorum imbecilliores, calorque natiuus diminutus erat, ijs bilis redundans in morbum regium potius erupit. quibusdam uero contigit etiam turbata uentris excretio, aut dysenterica: quibus per eas partes excrementum uentris eiectum est. itaque ex ijs, quæ dicta sunt, quæque deinceps dicentur, non iam te latebit, sanguinis eruptiones, quæ in febribus ardentibus fiunt, ex flaua bili redundanti oriri: quæ sanguini admista, ubi eum deussit, multum caloris cum eo ad caput sursum fert: ac uenas narium disrumpit, ac sanguinis profluuium facit.

67 *Hic igitur humor & copiosus fuit, & maxime abundabat: si quidem nonnullis etiam circa iudicationem sanguis non erupit, sed tubercula circa aures exorta euanuerunt: quæ cum euanuissent, ad sinistra ilia, & in summam coxam grauitas decubuit: cumq; post iudicationem dolores urgerent, urinæq; tenues redderentur, sanguis erumpere parũ cœpit: circa uero quartum ac uigesimum diem Antiphonti Critobuli filio abscessus in sanguinis profluuium facti sunt: idq; cessauit, & die quadragesimo est perfecte iudicatus.* H

Enimuero id propter periculum euenit: ac nihil propius factum est, quàm ut incolumes non euaderent: cum uix uigesimo quarto, & quadragesimo die sint auxilium a profluuio sanguinis consecuti.

68 *Mulieres præterea multæ ægrotauerunt: pauciores tamen, quàm uiri: minusq; multæ perierunt, plurimæ autem difficilẽ partum habuerunt, & partu edito in morbum inciderunt: quæ quidem mortem potissimum obibant: ut Telebuli filia sexto a partu die mortua est. plurimis autem in febribus menstrua eruperunt: quibusdam uero ex naribus sanguis profluxit: ac multis uirginibus id tum primum contigit: nonnullis & sanguis e naribus, & menstrua simul proruperunt, quod in Dẽtharsis filia uirgine tum primum apparuit: largeque ex naribus sanguis effluxit, ac nullam earum, quibus aliquid horum rite euenit: mortuam uidi: quibus uero contigit, ut prægnantes ægrotarent, omnes, quas equidem norim, abortum fecerunt.*

Merito fieri uidebatur, ut mulieres minus, quàm uiri ægrotarent, minusque periclitarentur: utpote in quibus, per sanguinis eruptionẽ iudicationes fierẽt: quippe ingenitũ auxiliũ habebant, menstruam

purgationem

A purgationem. laborabant autem pariendi difficultate, propterea quod frigidus ſtatus erat: quæ etiam ratio faciebat, ut quas morbus aliquis corripuiſſet, eæ omnes partum abijcerent.

69 *Vrinæ autem pleriſque boni quidem coloris erant, ceterum tenues, & ſubſidentia pauca habentes, cum excrementis tenuibus, ac bilioſis. multi autem alij, qui iudicati erant, ad dyſenterias deueniebant: ut Xenophanes, ac Critias.*

Has quoque urinas tenues, hoc eſt aqueas dixit: & tamen paulo poſt iterum ſcripſit:

70 *Vrinæ aqueæ, multæ, puræ, tenues poſt iudicationem: in quibus multa erant ſubſidentia: aliaque ſunt recte iudicata. quibus autem hæc acciderint, commemorabo: Bioni, qui apud Silenum ægrotabat: Critiæ qui apud Xenophanem: Aretonis filio, & uxori Mneſiſtrati.*

Expoſitis nominibus eorum, in quibus tales urinæ eſſent, deinceps ſubiungit,

71 *Poſtea uero hi omnes dyſenterici facti ſunt. quod uero urinas aqueas redderent, attendendum eſt.*

Erat enim uerisimile, quia cum urinis humor bilioſus non expurgatus eſt, cum in uentrem fluxiſſet, dyſenterias generaſſe. erat quoque uerisimile, eo quod magna eſſet huius humoris redundantia, & B quia bilioſa excrementa per urinas † non eſſent expurgata, ex eo, quod adhuc in corpore ſuperfluebat, dyſenteriam in eis eſſe excitatam.

† Hæc negatio abeſt a quibuſdã libris, ſed non cõueniret cũ principio huius expoſitionis.

*Circa Arcturum multi undecimo die iudicati ſunt: hiſque recidiuæ non rite fiebant: ſub hoc etiam tempus comatoſi fiebant: atque hi maxime pueri: qui quidem omnium minime moriebantur.*

72 Perſpicuum eſt, eum commemorare exortum Arcturi, qui ſecundo anno fuit, quem in fine narrationis deſcripſit. fuit autem is auſtrinus cũ imbribus uſque ad autumnale æquinoctium. ait autem hoc tempore multos undecimo die tuto iudicatos eſſe, ac ſimul comatoſos propter auſtrinam uidelicet cõſtitutionem effectos: quæ etiam fuit in cauſa, ut iudicationes quoque fierent, quàm alio tempore, certiores: ubi aeris frigidum dominabatur temperamentũ, in quo iudicationes diuturnas fuiſſe ait. nullam autem mentionem fecit temporis, quod inter Canem, & Arcturum interceſſit, quod calidam, ſiccamque conſtitutionem habebat: in quo uerisimile erat, multos fuiſſe celerius iudicatos: ut ne ſeptimum quidem diem excederent: id igitur, tanquam illi tempori familiare, ſilentio tranſiuit, ſolos uero morbos, qui uulgabantur, percurrit.

73 C *Circa æquinoctium uero uſque ad Vergilias, & ſub hiemem febres ardentes ſequebantur. plurimi uero etiam phrenitide tentabantur: quorum plurimi interibant.*

A.l.3. f.1.c.3. c.1.p.361. C.

Idem humor, qui tamen eundem locum non occupet, febres ardentes, & phrenitidas facit: nam cum flaua bilis una cum ſanguine in capacitatibus uaſorum continetur, quomodocunque ea accendatur, inde febres ardentes oriri ſolent: præſertim uero cum in uentris, aut iecoris, aut pulmonis uenis bilis efferueſcit. eadem uero cum ſolidas corporis partes petit, ac per eas comportatur, rigorem efficit: in cerebrum uero, eiuſque membranas impacta, phrenitides gignit: prius uero quàm inhæreſcat, per uenas in eis ſitas transfluens non phrenitidas ſed, quæ in uigoribus febrium ſunt, deliria parit. quocirca bilis, quæ primo in imis uenis ardentem febrem conſtituerat, in hoc auſtrino ab Arcturo ad æquinoctium ſtatu, ad caput ſublata, & in cerebro, eiuſque membranis defixa, phrenitidas effecit.

74 *Aeſtate etiam pauci in eam inciderunt.*

Paucos ait factos eſſe phreniticos: ſiquidem eius pars ad Canem uſque frigida fuit, pars uſque ad Arcturum calida, & ſicca: quam ob rem non poterat hæc interim caput implere: ut nec etiam Auſter ille qui ſub Arcturo uſque ad æquinoctium ſpirauit: temporis enim ſpatium, quod inter Canem & D Arcturum interceſſit, neque humidum, neque longum fuit. dictum autem eſt, cum multa bilis in cerebri regiones influxerit, etiam phrenitidas extitiſſe.

75 *Cum uero febres ardentes inciperent, quibus exitium impenderet, denunciabant: nam ſtatim ab initio febris acuta eos corripiebat, parum rigebant, uigilabant, grauiter angebantur, ſiti cruciabantur, faſtidioſi erant, paululum in fronte, & clauiculis exudabant, ſed nemo per totum corpus. multa obloquebantur, timores, mæſtitiæ aderant, extremitates ſubfrigidæ, ut ſummi pedes, magiſque manus: acceſsiones diebus paribus: plurimi quarto die maxime laborabant; ſudores diutiſſime ſubfrigidi: extremitates non iam ad calorem redibant, ſed liuidæ erant, ac ſubfrigidæ: non ſitiebant. adhæc eorum urinæ erant nigræ, tenues, paucæ: & alui ſiſtebantur: nec ſanguis e naribus profluxit, ne his quidem, quibus hæc acciderunt, ſed parum ſtillarunt: neque recidiuam ullus horum paſſus eſt: ſed die ſexto cum ſudore moriebantur.*

Quemadmodum omnia, quæ hoc libro continentur, ſunt eorum, quæ ipſe generatim alijs in libris dixit, exempla, quæ in ſingulis rebus ſunt ab ipſis oculis examinata; ita etiam quæ hoc loco traduntur. nam ardentibus febribus, quæ exitiales erant, hæc ſymptomata ait accidiſſe, ut ſtatim in principio rigerent, uigilarent, faſtidioſique eſſent, atque in fronte & ad iugulum parum ſudarent. eos autem acutam febrim habere, ſitique cruciari, erant hæc propria naturæ ipſius affectus: ſtatim uero ab initio rigere, malignitatis erat proprium. ſolet enim rigor ardentes febres iudicare, ſed tamen non debet

ſtatim apparere, quæ iudicēt. ſymptoma uero uigiliarũ, atq; angoris, non modo in principio, ſed etiã eo E
eo tempore prauum eſt: ut etiam exudare. Iam uero obloqui, quod eſt abſurda loqui, hoc eſt deſipere, læſum cerebrum indicat. timores uero magnopere acrem deuſtamque flauam bilim conſequuntur, tremoribus uero Iam cognatæ ſunt mœſtitiæ. at partium extremarum perfrictio ſymptoma eſt, & ſignum febribus ardentibus pernicioſiſſimum: quemadmodum etiam deſipere, cũ ex febris æſtu caput inflammetur, proprium autem, familiareque eſt febribus ardentibus, ut extremæ corporis partes exurantur: quæ ſi quando refrigerentur, partes uero ad uiſcera pertinentes ardeant, tum ſanguinem in intimis corporis partibus coaceruatum eſſe indicatur, & extremas partes ſanguinem deſiderare, refrigerari, & perfecte emori, eas iam natura deſtituente, iam acceſſiones eum ſtatim a principio diebus paribus fiunt, modo ſexto die peſſimam iudicationem fore, modo morbum in longum tempus productum iri prænunciant. cum uero uehementer mouentur, ſi quartus dies prauam acceſſionem habeat, ſexto die moriuntur; ut hi, de quibus agitur: ait enim eos quarto die maximos labores habuiſſe, hoc eſt omnia ſymptomata dolorem inuehentia, & ſudores ſubfrigidos longiſſimo temporis ſpatio: quare perſpicuum eſt, ſextum diem ijs mortem cum ſudoribus allaturum. liueſcere autem extremitates, nec calorem amplius reuocari, inditio eſt, eas demori, eſtque conſtans nota, uires nõ poſſe ultra diem ſextum ſufficere. addidit etiam aliud ſignum exitioſum, cum tamen eſſet minime neceſſariũ, ut quãuis prius æſtuaſſent, F
non tamen amplius ſiti affligerentur. quam ob rem his, qui prius æſtuaſſent poſtea ſiti non cruciarentur, neceſſe eſt horum alterutrum eueniſſe: ut uel morbi ſolutio, uel uirtutis extinctio in eis eſſet, ut iã præſentia mala non ſentirent: at ſolutio morbi non eſt in eis facta; cum pernicioſa ſymptomata adeſſent, reſtat igitur, ut deperditi ſenſus ſignum ſit, non ſitire. hæc igitur omnia ſymptomata, quæ diximus, grauiter maligna erant, & pernicioſa: nec minus etiam, quàm hæc, urinæ quæ nigræ, tenues, & paucæ erant; ac nigræ quidem, utpote bilioſo humore iam aduſto: paucæ autem, tũ quia mador omnis ex ſanguine iam eſſet ab ardenti febre exhauſtus, tum quod urinæ inſtrumenta emortua iam eſſent. eadem quoque cauſa alui ſupprimebãtur. ait etiam nares ſtillaſſe, quod cum in alijs, tum uel maxime in ardentibus febribus pernicioſum ſignum eſt. eſſe autem hoc pernicioſiſſimum in ardentibus febribus inditium, uel ex eo patet, quod eis profluuium ſanguinis eſt familiariſſimum.

*Phreniticis autẽ non omnia acciderunt, quæ ſupra ſcripta ſunt: iudicabantur fere die undecimo, nonnulli uero uigeſimo.* 76

Qui phrenitici ſine febre ardenti erant, ijs quæ prædicta ſunt, non acciderunt: ſiquidem eos, qui unà cum ardenti febre ſexto die moriebantur, duplicato malo phrenitis corripuerat: atque iudicationem die undecimo, ac nonnulli etiam uigeſimo fuiſſe. G

*Quos non ſtatim ab initio phrenitis ad tertium, quartumue diem corripuit, ſed primo tempore mediocriter habuerunt, ad ſeptimum diem morbus eis acutus factus eſt.* 77

Quibus tertio, aut quarto die incepit, interimque interpellata eſt, facta dimidia iudicatione, ij ægri acutam phrenitidis uehementiam paſſi non ſunt. ac nos quoque tales quandoque phrenitidas conſpeximus.

*Extitit igitur morborum magna copia. inter ægrotantes autem potiſſimum moriebantur adoleſcentuli, iuuenes, adulti, glabri, quibus ſubalbida cutis eſſet, recti capilli, uel nigri, nigri oculi: qui in otio & ſocordia uitam duxerant, qui alta uoce eſſent, qui item gracili, quique aſpera: bleſi, iracundi, mulieres quoque plurimæ ex hoc genere moriebantur.* 78

Vt ante dixi, ab ipſo exponi, quæ obſcuriora eſſent, a nobis uero cauſas addi, ita etiam nũc affirmo, huius orationis non claram eſſe ſententiam: propterea quod incertum eſt, utrum de ſolis phreniticis, hæc quæ dixit, an de morbis omnibus antedictis intelligenda ſint. quinetiam ipſum propoſitæ orationis initium uarie ſcribunt: ac quidam hoc modo, Morborum autem extitit magna copia: uoluntque hæc uerba de ipſis phreniticis ſolis fieri, quibus hæc ſubiecit: quidam hoc pacto, Extitit igitur morbo- H
rum magna copia: qui uolunt, orationem de omnibus prædictis haberi: ſi autem de omnibus intelligamus, neque diſtinguamus, cur adoleſcentuli, iuuenes, & adulti moriantur: cur item glabri, & qui ſub albidam cutim habebant; cur qui rectis crinibus, nigriſque, & oculis nigris eſſent; cur qui in otio & ſocordia uitam duxerant; cur qui gracili uoce, quique blæſi eſſent: cur denique iracundi, ac mulieres perirent: hæc inquam niſi diſtincta ſint omnia, profecto ex ijs, quæ dicta ſunt, nihil quicquam nobis neque ad præſagiendi, neque ad curandi rationem accommodatum ſuppetet. ſin autem non de omnibus morbis, ſed ſolum de phreniticis, de quibus uerba faciebat, hæc dicta accipiamus, erit etiã hoc modo difficillimum cauſas inuenire, cur plurimi eorum, quos memorauit, interierint. ad hoc accedit, ut hoc ipſum, plurimos eſſe mortuos, duplex ſit: alterum, poſteaquam multi ex ijs phrenitico morbo, qui eo ſtatu mortales paſſim perimebat, correpti ſunt, ideo dictum eſſe, multos eſſe ſublatos: alterum, ut maximam partem eorũ, quos phrenitis inuaſit, periiſſe capiamus. atq; cauſæ quoq; explicatio duplex erit; ut omnes, quos dixit, erũt in hac cõſtitutione eſſent phrenitidi opportuni; noſq; declarare debeamus, inter eos, qui phrenitide uexati eſſent, tales potiſſimũ periiſſe. tanta igit, taliſq; eſt huius orationis obſcuritas. ſed eam præcedit, ut cuiuſque prædictorum temperaturã inueniamus: ſine quo accõmodari conſtitutioni nõ poteſt oratio. Videt aũt Hippocrates in ſua oratione ætates quidem

calidiſſimas

A calidiſſimas memoraſſe,ſiquidem adoleſcentulos, iuuenes,adultoſque nominauit: naturas uero, quæ difficulter perſpirantur: nam glabros, & qui ſubalbida cute ſunt, itemque tectis capillis, & nigris, & quorum nigri ſunt oculi,& qui domi in ocio & ſocordia ætatem ægerunt, oſtendimus nos.cum in alijs commentarijs, tum in ijs, qui ſunt a nobis de temperamentis conſcripti, minus perſpirari,quod temperaturis etiam ſint frigidioribus: eandem quoque ob cauſam mulieres, quas propter menſtruas purgationes conſtitutio minus offendit,ut ſupra diximus,quæ uero mortuæ ſunt,ex hoc genere fuerunt.reliquum igitur eſt,ut de ijs,qui gracili, quique aſpera uoce ſunt,itemque de blæſis,deque iracundis uideamus: ac primum de ijs,† qui gracili uoce ſunt,quos primo loco commemorauit:nam ſi ita ſcriptum ſit,ſignificat eos,qui uocem gracilem habent.nam nunc quoque gracili uoce eſſe quidam dicuntur, ſicut etiam tenui: itaque cum utrunque nomen eadem ſignificet;hi tamen ab ijs, qui gracili uoce ſunt, differunt, ut in libris de uoce docuimus: in quibus oſtendimus,eos ita effici, ob anguſtiam aſperæ arteriæ gutturis: gracilem uero uocem, fieri ab innato uitio muſculorũ guttur mouentiũ: utriq; autem in prima conformatione ob natiui caloris infirmitatem tales redduntur. & quemadmodum qui gracili uoce ſunt, uitiatam a principio conformationem muſculorum guttur mouentium ſunt conſecuti;ita linguæ muſculorum,blæſi.aſpera autem uox propter aſperitatem organorum uocis efficitur. uoco autem
B organa uocis,per quæ ſpiritus emiſſus, uox fit. hæc autem ſunt aſpera arteria, guttur, & fauces: quæ ſunt ueluti plectrum ſpiritus,per ipſas tranſeuntis: has enim eſſe uocis inſtrumẽta ſic docuimus, ſicut lingua eſt loquelæ. parum autem fauces ad uocis ortum conferunt, quæ eam denſam efficiunt. itaque hæc inſtrumenta cum lenia ſunt, uocem quoque lenem efficere demonſtrauimus: aſpera uero, aſperam. ipſam porrò aſperitatem ex ſiccitate oriri docuimus.quæcunque igitur poſt ætatem adhuc dicta ſunt omnia, frigidi ſunt temperamenti ſigna: ſola uero ſiccitas cum utroque temperamento & calido,& frigido coniũgitur.qui igitur ſimul cum frigido temperamẽto frigidi ſunt,his corporis habitus difficulter digeretur, ut in antedictis uſu uenit.qui uero ſunt his calidiores, eis non ſtatim hoc ineſt. quocirca hos ab oratione excepimus,alios, quibus conſentanea oratio eſt, reliquimus. erat autem propoſitum,multos mori ex ijs ætatibus,atque naturis, quas recenſuit. dicebam autem ætates calidas eſſe,in quibus amaræ bilis ſuccus redundat: naturas uero, quæ difficilem habitus digeſtionem habẽt. itaque ex ijs,quorum ab initio hactenus meminimus reliquum eſt,ut de iracundis,quos † ἐξιλθίμους uocant,agamus: † quos ait iratis,qui θυμώδεις dicuntur, eſſe maxime contrarias.nam irati, fortes ſunt, & humilium rerum contemptores:iracundi uero ſunt puſillo animo, quod generoſo,uirilique animo nõ ſint.quare iracundi erunt temperamento frigidiore,& eorum habitus ægrius digeretur.quod autem in
C extrema oratione dictum eſt,Mulieres quoque plurimæ ex hoc genere moriebantur,non planum eſt, utrum ſolum ad finem ſit referendum,an ad ea,quæ prædicta ſunt.ultimi autem ſunt iracũdi, ac ſubiunxit,mulieres huic generi affines plurimas periſſe: ſed poteſt de utriſque uera eſſe oratio, ſiue Hippocrates ad ea omnia,quæ dicta ſunt,id referat,ſiue ad id ſolum,quod poſtremo loco dictum eſt. ſi uero ad omnia id referri uerum ſit,melius erit,ut hoc pacto intelligas, nam & pueris, quod ultimo loco dictum eſt,accommodatur. ſed ad hunc modum non ſunt dicta omnia: & tamen mulieres huius generis cum uiris comparans, mortuas eſſe dicit.ſuperius enim dictum eſt, Multæ præterea mulieres ægrotarunt illæ quidem,ſed tamen pauciores,quàm uiri: minuſque multæ mortuæ ſunt. uerum, quam nunc habet,huiuſmodi quædam oratio eſt,Ex mulieribus quæ in hos morbos incidebant, quæ huius generis eſſent,eæ potius interibant.

† Hoc loco mendũ eſt ſine dubio: quia cũ Hipp. primo commemoret τοὺς ὑψηφώνους idest qui alta uoce ſunt, hic agitur de gracili uoce, tanquam prius ſit relata. & etiã uerba ſunt perturbata in græco contextu. duo tamen libri ueteres nihil melius habent, aut plus quàm impreſſi. ſic igitur legi forte poſſet, Ac primũ de iis,qui alta uoce sũt,quos primo loco memorauit: nam ſi ita ſcriptum eſt,ſignificat eos, qui magnam uocem habent. iam uero gracili quoque uoce quidam eſſe nunc dicuntur,&c. † Hip. 6. epid. & Gal. 4. in 6. & 15. legunt. ἐξιλθίμου τέρους iracũdiores Hipp. tamen in contextu nihil horum dicit.

79 *In hac autem conſtitutione quatuor potiſſimum ſignis ſeruabantur: quibus enim aut per nares probe ſanguis effluxiſſet,aut qui per ueſicam urinas multas,multaque & bona ſubſidentia habentes,reddidiſſent: aut per uentrem turbida, biloſa, tempeſtiua: aut in tormina inteſtinorum incidiſſent.multis autem contigit,ut non ab uno prædictorum ſignorum indicarentur,ſed ut plurimi per omnia excernerent: grauiuſque habere uiderentur.quibus hæc euenerunt, ſeruati ad unum*
D *ſunt. fœminis quoque uirginibus,hæc quæ diximus,ſigna omnia euenerunt: quibus autem aliquid horum rite fieret, aut menſtrua largius prouenirent,his ſeruabantur,indicabanturque. nec ullam ego earum,quibus horum quidpiam recte eueniſſet,mortuam uidi:nam Philonis filia,cum ei ſanguis e naribus copioſe fluxiſſet, ſeptimo die intempeſtiuius cœnauit, ac mortua eſt.*

Et hæc,& quæ ſequitur oratio,in qua de mulieribus diſſerit,aperta eſt.caput autem eſt,alios ſanguinis profluuio, alios urinis, alios alui excretionibus,alios etiam erumpentibus in dyſenteriam cauſis ſeruari potuiſſe.

80 *Quibus in acutis febribus,magis uero in ardentibus lachrymæ præter uoluntatem fluunt, his eſt (niſi reliqua ſint letalia) narium profluuium expectandum: qui uero incommode habent, his non ſanguinis eruptionem, ſed mortem portendunt.*

Hoc quoque unum ſignum eſt eorum,quæ ſanguinis eruptionem futuram portendunt, quod ſupra omiſſum,hic affertur ceterum oratio ſatis perſpicua eſt ijs, qui in memoria habent & quæ ſupra hoc in libro,& quæ in libro præſagiorum dicta ſunt.atque hæc quidem omnia nos in commentarijs in librum præſagiorum,& in libris de criſibus,unà cum ſuis diſtinctionibus adiunctis expoſuimus.

*Tubercula secundum aures, quæ in febribus cum dolore prorumpunt, quibusdam cum febris critice desinit, neque resident, neque suppurant: hæc autem, fluxio alui biliosa, uel dysenteria, uel in crassis urinis subsidentia dissoluunt: ut Hermippo Clazomenio contigit.* E 81

Vtilissimum est, hoc unà cum ijs, quæ nuper dicta sunt, in memoria habere: ut ne semper signum esse malum arbitremur, cum parotides non suppurant. nam in hoc statu ait, febres quidem critice, hoc est die critico in quibusdam sedatas esse, & cum sudore, & cum aliquo alio sic iudicantium, sed tamen parotidas remansisse: deinde progressu temporis per eas urinas, quas dixit, aut alui excretiones, & dysenterias, causis morbum efficientibus expurgatis, resedisse.

*Indicationes uero, ex quibus dignoscimus, aut similes sunt, aut dissimiles.* 82

Quæcunque de crisibus, deque criticis diebus ab Hippocrate dicta sunt, ea duobus uoluminibus, quorum alterum de criticis diebus, alterum de crisibus conscripsimus, collecta habes omnia. sed nũc quoque huius sermonis summam paucis persequar. iudicationes inquit, partim similes, partim dissimiles extiterunt: deinde adijcit multos, qui in recidiuam inciderunt: quique eodem præscripto, decimoseptimo die plane iudicati sunt. F tum addit, alios, a recidiuis die uigesimo, sed nõ similiter iudicatos: atque exempli gratia, duorum fratrum in hac oratione in primis mentionem facit.

*Vt duo fratres, qui prope theatrum habitabant, simul eadem hora ægrotare cœperunt: erant autem hi fratres Epigenis: horum natu maiori iudicatus est morbus sexto die, minori septimo: repetijt simul ambos eadem hora: tum quinque dies intermisit: post recidiuam ambobus simul est decimo septimo die penitus iudicatus. plurimis autem iudicatus est quinto die: intermisit die septimo, ac recidiua iudicatus est quinto die. quibusdam septimo iudicatus est, septimo intermisit, tertioque a recidiua est iudicatus. quibusdam uero iudicatus septimo, intermisit tertio, tum septimo iudicatus. nonnullos reliquit sexto, intermisit sexto, inuasit tertio. alios reliquit primo, inuasit, iudicatusque est uno die: quod Euagunti Daipharsis filio contigit. quibusdam uero die sexto iudicatus est, ac die septimo reliquit: post recidiuam iudicatus est quarto die, ut Aglaidæ filiæ. itaque plurimi eorum, qui in hac constitutione ægrotabant: hoc modo ægrotabant: nec quenquam noui fuisse superstitem, quem recidiuæ rite conuenienter rationi factæ non repetiuerint: omnesque, quos quidem ego nouerim, quibus recidiua huius generis euenissent, seruabantur. neque quenquam eorum, qui hoc modo ægrotarent, uidi, quem recidiua iterum corripuerit. qui autem in his morbis perierunt, plurimi sexto die de uita decedebant: ut Epaminundas, Silenus, & Philiscus Antagorei filius.* 83

G

Quæ huius sermonis utilitas est, ea ex superioribus est perspicua: quod uero inutile est, id latet. proinde ne perquiri quidem oportebat: sed qui utilia student inuestigare, sibi ipsi negotium facessunt, dum quærunt, quo modo Hippocrates dixerit, natu maiori fratri iudicatum esse morbum sexto die; minori, septimo: tum cum pergeret hoc modo, repetijt simul ambos eadem hora, subiunxerit, quinque dies intermisit: neque enim potuit utrique quinque dies intermittere, sed alteri tantum. enimuero quod aiunt, de uno solo intelligi potest, qui in expositione est secundo loco memoratus, qui prima iudicatione die septimo iudicatus est. quod si huic dies quinque intermisit, planum est, ei, qui sexto die iudicatus est, dies sex intermisisse. potest etiam ab ipso statim initio scriptura a librario corrupta esse, atque ita permansisse. quod cum alijs plerisque apud Hippocratem locis, tum apud alios nõ paucis accidir. Librarij autem erratum, quod dico, huiusmodi est: potuit hæc dictio scripta esse ad hunc modum: alteri sex, alteri quinque dies intermisit: ille uero lapsus in scribendo, ita exarasse, intermisit dies quinque: nam cum ambobus recidiua in duodecimum diem inciderit, uerisimilius est, maiori sex, minori quinque dies intermisisse. post hæc autem ait, plurimis iudicatus est die septimo, intermisit quinto. ex quo potes conijcere, ipsos etiamnum fratres positos esse exempli loco earum iudicationum, quæ in plurimis factæ sunt. absoluta autem horum narratione, alias iudicationes uarias adscripsit, H quæ omnes die decimoseptimo circunscriptæ sunt: sed de huiusmodi nullam, qualis fuit in duobus fratribus, esse intelligendam dico, ut ambos repetiuerit duodecimo die, cum iuniori quinque dies intermisisset. ac probabile est, de eis ita dictum esse, ut quod eis erat simile cum alijs; seruaretur, hoc est, ut decimo septimo die post recidiuam iudicarentur: & quod erat illorum proprium notaretur, eos nimirum die duodecimo recidisse. &, quod iam dixi, pulchrum est, cum utilia teneas, nihil præterea quærere. itaque omnia, quæ deinceps de iudicationibus dixit, omittamus, cũ hæc summa sit, eas partim similes, partim dissimiles extitisse. cum enim primæ iudicationes aut ægros tollerent, aut incertæ essent, ut morbi ad ultimam perfectamque iudicationem iterum redirent, ac septimodecimo die inuaderent, in hoc similes, dissimilesque fiebant. his expositis, alias iudicationes commemorat, quæ in diem uigesimum incidebant, ut in eo perfecte iudicarentur. Qui inquit, prope theatrum habitabant. sunt qui scribant, non θέατρον, sed δέατρον, ut habeant locum quem παρὰ τὸ [illegible], hoc est ab ardendo declinatum interpretentur. sed ad hoc institutum, hoc ne, an illo modo huiusmodi uoces scribas, nihil interest: nec uero utrum Perigenis, an Dionis, an Theonis fratres essent, quicquam facit, sed qui nequeunt ea, quæ ad medicam artem pertinent, rite declarare, ad huiusmodi curiositates deflectunt.

Quibus

84 A *Quibus autem tubercula ſecundum aures eſſent, die uigeſimo iudicabantur:omnibus autem, quibus non ſuppurarunt, ſed ad ueſicam deflexerunt, reſtincta ſunt. Cratiſtonactæ autem, qui apud Heraclium decumbebat, & pictoris ancillæ ſuppurarunt. obijt Scymni pictoris ancilla, ſuppurauit. quibuſdam die ſeptimo facta eſt iudicatio, nono intermiſſio, tum recidiua. a recidiua, facta iudicatio eſt. Phanocritus; qui apud Gnathonem pictorem decumbebat, eſt die ſeptimo iudicatus.*

Dixi paulo ante quiddam, quod memoria dignum eſt: nunc uero aliud commemorabo; quod & admirabilius eſt, & rarius. parotidas enim citra ſuppurationẽ, ſolis partium inferiorum excretionibus curatas eſſe, non admodum frequens exemplum eſt: nouitatem tamen eius rei excedit, quod hoc ſermone ait, Cratiſtonactem, & pictoris ancillam, cum tubercula ſecundum aures ſuppuraſſent, interijſſe. uidetur enim id pugnare cum eo, quod dictum eſt, Maturationes celeritatem iudicationis, ſecuritatemque ſalubrem ſignificare. ſed ne nunc quidem cauſæ febrium, quæ in uenis erant, in Cratiſtonactæ, & ancilla pictoris erant concoctæ: alioqui non perijſſent: parotides tamen maturæ erant: quod & rarum eſſe, & memoria teneri debere admonui, poſſe concoctionem aliqua in parte priuatim fieri, cum interim totus morbus non ſit concoctus. cetera uero, quæ de iudicationibus hunc in modum dicta ſunt, nos in libris quos de criſibus, deque criticis diebus conſcripſimus, plene pertractauimus.

85 B *Hieme uero ſub brumam, & uſque ad æquinoctium febres ardentes, phrenitideſque perdurarunt: multiq; mortui ſunt: iudicationes tamen uariabant. plurimis autem morbus die ab initio quinto iudicabatur; quarto intermittebat: repetebat. a recidiua quinto iudicabatur. omnino uero diebus quatuordecim. pueris autem pleriſque, ut etiam ætate maioribus ita iudicabatur. quibuſdam etiam die undecimo iudicabatur. decimo quarto repetebat: perfecte iudicabatur † decimo octauo. ſi uero † decimo octauo die aliqui riguiſſent, iis quadrageſimo iudicabatur. plurimi autem ſub primam iudicationem riguerunt. aliqui uero a principio ſub iudicationem, & item in recidiuis unà cum iudicatione riguerunt.*

† In Hipp. Aldino legitur εἰκοστῇ .i. uigeſimo, & ita uidetur Galen. interpretari.

Commemorat hoc loco hiemem anni ſecundi, non primi, quam in conſtitutione expoſuit. egoque iam cauſam attuli, cur phrenitides, quæ prius mortales non conflictabant, poſtea uiguerint. addit autẽ ſtata iudicationum tempora eſſe commutata: eorumque uarietatem recenſet: inter quæ & ſuperiora hoc. commune intercedit, ut cum recidiuis fierent. ac pueris quidem, & ijs etiam, qui natu grandiores eſſent, ait decimo quarto die morbum eſſe omnino iudicatum: in eis enim cauſa morborum celerrime per halitum digeritur, & concoquitur. ceteris uero non modo in uigeſimum, ſed etiam in quadrageſimum diem protractam eſſe ex recidiua iudicationem ultimam refert. nec mirabile eſt, in uarietate morborum inſignes iudicationum differentias extitiſſe.

86 C *Vere autem pauciſſimi rigebant: æſtate plures: autumno etiam multo plures: ſub hieme longe plurimi: ſanguinis uero eruptiones ceſſabant.*

Hic mentionem eius ueris facit, non quod in ſecundo anno, ſed quod in prima conſtitutione commemoratum eſt: ſiquidem morborum, qui uigebant, narrationem non adeo produxit, ſed ad ſecũdam uſque hiemem peruenit. cur autem temporis progreſſu numerus rigentium quotidie magis, magiſq; augeretur, iam ego ſupra cauſam innui eo in loco, in quo admonui, oſtenſum a me eſſe, rigorem fieri, cum flaua bilis ſolidas partes permeat, non cum uaſorum cauitatibus continetur. itaque cum primum moueretur, ardentes febres excitauit: deinde uero in carnem ſparſa, & per eam foras impulſa, rigorẽ effecit. cumque bilis non iam in uenis, ſed in totum eſſet corpus diffuſa, ſanguinis eruptiones paulatim ſiſtebantur.

# GAL. IN PRIMVM HIPPOCRATIS

## DE MORBIS VVLGARIBVS

### COMMENTARIVS TERTIVS.

### ARGVMENTVM.

Tradit præcepta quædam ad morbos dignoſcendos, & ad præſagiendum accommodata: & ad finem, quid quatuordecim ægrotis euenerit, plane docet.

*MORBOS tum communi omnium natura, tum cuiuſque propria docti, ex morbo, ægrotante,* 1
*oblatis, offerenteque dignoſcimus: ex his enim facilius aut difficilius: tum ex uniuerſo cæli* A.1.1.f.2.d.3,
*ſtatu, tum ex ſingulis eius conſtitutionibus: itemque ex ſingulis locis, ex conſuetudine, ex* c.7.p.86.D.
*uictus ratione, ex uitæ inſtitutis, ex cuiuſque ætate, orationibus, modis, ſilentio, cogita-* F
*tis, ſomnis, non ſomnis, inſomnijs, quibus, & quando, uel uellicationibus, pruritu, lacbrymis:*
*præterea ex acceſſionibus, deiectionibus, urinis, ſputis, uomitibusque: tum quæ ex quibus in*
*quæ uiciſſitudines morborum fiant, & abſceſſus ad perniciem, & indicationem pertineant:*
*iam ſudor, rigor, algor, tuſsis, ſternutamenta, ſingultus, ſpiritus, ructus, flatus ſilentes,*
*ſtrepentes, * ſonori, ſanguinis eruptiones, hæmorrhoides ſpectentur. ex his autem quæ per hæc fiant, conſideranda ſunt.*

Sunt, qui hæc ſuppoſititia eſſe putent, quod eadem elocutione explicentur, eandemque ſenten-
tiam, habeant, quam illa, quæ ſunt in libro de humoribus conſcripta, & alijs commentarijs a me prius
explicata. ſunt hæc nimirum præcepta ad pręſagiendum accommodata, quibus uniuerſales ſcopos nos
docet, in quos intuentes præſagire debeamus. itaque communem naturam uocat, omnium homi-
num: propriam uero, cuiuſque noſtrum. ex utraq; autem ſumendas eſſe dignotiones, atq; præſagia,
quæq; a propria ducuntur, eſſe certiora, in libro præſagiorũ, itemq; in libro de fracturis, deq; articulis,
& eo de uulneribus capitis, quos etiam libros ſumus interpretati, didiciſti. cum igitur iubet, affectam
partem ſemper cum ea, quæ ſuum ſtatum naturalem ſeruat, conferendam eſſe, adiecit, aliena non eſſe
negligenda. tum cum ait: in acutis morbis ita conſiderandum eſt, in primis, an ægri facies ſimilis ſit G
ualentium faciei, præcipue aũt, an ſibi ipſa: ſiquidem ita optima cenſeatur. quinetiam ſi proprium cu
iuſque ægri colorem, magnitudinemque teneamus, nihil eſt, quod communem perquiramus. quia au-
tem omnium hominum naturam ante non nouimus, ſed ſæpenumero ad ignotos repente acceſsimur,
tum principium dignoſcendorum, ac præſagiendorum morborum a communibus inſtituimus: quibus
enim neque nares acutæ, neque oculi caui, neque collapſa tempora ſunt, nihil de ægro quenquam in-
terrogamus: at ſi acutæ nares, cauique oculi, & collapſa tempora uideantur, tum qua facie eſſet, cum
bene ualeret, percunctamur. ita etiam ex morbo præſagimus quæ futura ſint. id quod pluribus & in li
bro de criſibus, & in commentarijs, quos in aphoriſmos edidimus, tibi planum factum eſt: ut tertianã
exquiſitam celeriter iudicari: quartanam eſſe diuturnam: utranque periculo uacare: phrenitin & le-
thargum periculoſos morbos, acutoſque eſſe: ſcirrhum lienis letalem, ac diuturnum. ex ipſo autem
ægrotante duobus modis futura prænoſcimus: quorum alter eſt huiuſmodi: modeſtus inquit, ſi auda-
cter reſpondeat, malum: contra uero, turbulentus homo in morbo non ſolum, ſi audacter loquatur,
ſed ne ſi in æſtuoſa quidem febre deſipiat, in diſcrimen uenerit. alter modus eſt, ſi æger omnia, quæ
par eſt, faciat, ſitque Medici dicto audiens, ac nihil proficiat, grauiter ægrotat: omnino uero contra-
rium eſt, ſi nihil faciat eorum, quæ decet, quæque oportet, & tamen mediocriter ſit affectus. ita quoq; H
ex oblatis prænotiones ſumuntur: ſiquidem prauis oblatis, ſi nihilo deterius ſe habeat, morbus me-
diocris eſt: uerum ubi recte omnia adminiſtrantur, &, præterquam quod nihil ei inde commodetur
etiam exacerbetur, hoc malum eſt. ac me quidem non ſolum modos, ſed etiam formas morborum ex
oblatis cognouiſſe, ſæpenumero conſpexiſtis: ſed, ut dixi, de his omnibus aliàs egi copioſius. cum ue
ro etiam ex eo, qui offert, ait facilius, difficiliusve prænoſci, id in morbis intelligendum eſt: ut cum
ſæpe tale quidpiam intueamur, ſiue diuturna affectio ſit, ſiue morbi, quibus adiuncta febris eſt, longi
ſint, ad dignoſcendum nobis etiam adiumentum afferat, ut ſciamus, quiſnam Medicus curarit. ſi enim
uir clarus ſit, exiguã ſalutis ſpem habebimus: enimuero planum eſt, morbum malignum eſſe, cum, om-
nibus diligenter adminiſtratis, nihilo mitior fit: ſin imperitus fuerit, probabile erit, ſi omnia rite inſti
tuantur, hominem curatum iri. addit autem ex conſtitutione, hoc eſt, ex propria aeris temperatura
prænotiones elici: id enim eſt quod ait, tum ex uniuerſo cæli ſtatu, tum ex ſingulis eius conſtitutio
nibus: ſi in memoria habeamus, quæ de tribus ſupra deſcriptis conſtitutionibus dixit; in quibus ex-
tremis ipſe Hippocrates, commemoratis ijs, quæ ex calore & frigore in aere eueniſſent, tempera-
turam, quæ in eis dominabatur, recenſuit: ut cum dixit: cum eſſet totus hic ſtatus auſtrinus, &
ſqualidus: & tamen neque per totum annum auſter ſpirauerat, neque ſqualor fuerat: & cum dixit,
cum

A cum totus annus humidus, frigidus, aquiloniusque fuisset: id enunciauit, ut præcellens temperamenti indicaret: nam fieri nullo modo potest, ut in toto anno nullus dies calidus, nullusque siccus, ac nullus austrinus fuisset: ita etiam morborum formas uerisimilius quidem est, tales extitisse, non tamen, quin " aliæ quoque interuenerint. itaque cum primæ constitutionis narrationem ad finem perduxisset, in eius " extremo sic ad uerbum scripsit, Ex ijs omnibus autem, quorum est in hac constitutione facta mentio, soli tabidi in letalia inciderunt: cetera commode habebant: neque ex alijs febribus interibant: neque una forma morborum uulgabatur: neque una fuit perpetua in toto anno constitutio. ex ea autem patet, quæ in temperamento præstat ceteris, nos uel frigidum, uel humidum, uel alterius generis temperamentum appellamus. Hippocrates autem scriptum reliquit, alios morbos uere, alios æstate, alios autumno, alios hieme, in singulis constitutionibus, quas descripsit, contigisse: sed tamen per totū annum hoc statu hunc morbum, alio alium magis uiguisse. hæc igitur sententia est eius, quod dixit, tum ex uniuerso cæli statu, tum ex singulis eius constitutionibus. addidit autem, cæli, quia si nomen constitutionis per se, sine additione dicatur, possit etiam regionis, & cuiusuis alterius rei formam indicare: nimirum coniuncte id extulit, ex uniuerso, & singulari cæli statu, & singulis regionibus, & consuetudine: siquidem ad præsagiendum loci quoque formam magnopere conducere, sæpenumero ostensum

B est. hic autem satis erit reijcere lectorem ad librum, qui est de aere, aqua, & locis, in quo qui in quaque regione morbi uigeant, plane docet. eorum enim est indigenis origo congenita: & tanquam familiares sint, minus discriminis habent. iam uero consuetudinem quoque facere ad præsagiendum docet. " itaque in libro præsagiorum, cum notas a consuetudine ductas adscribit, alias dicit hoc modo, Si pronus iaceat is, qui cum bene ualeret, ita cubare non consuesset, id uel delirium, uel uentris dolorem portendit. alias uero sic, stridor dentium in febribus, cum id a pueris facere non consueuerint, insaniam, mortemque significat. Sed ex uictus quoque ratione, quam æger seruauit poteris scite conijcere, & quales & quanti humores sint, qui exuperent: quibus perspectis tum facilius præsens status corporis cognoscitur, tum futura melius prænoscuntur. iam ex uitæ quoque institutis censet præsagia sumi. uitæ autem instituta appellant ea omnia, quæ homines ducti uel utilitate, uel necessitate faciunt, siue illi, nauigent, siue agros colant, siue ædificent ac fabricentur, siue uenentur, & exercitationum sint studiosi, ut in calida, frigidaue aqua sæpe lauent. ex ijs igitur, in quibus studium suum ponunt, licet qualis sit morbi conditio, facere coniecturam: nam qui ruri æstiuo tempore, apricatus est, ac laboribus & tenui uictu uitam duxit, is amaram potius bilem, quantum in se est, quàm pituitam coaceruauit: qui uero contra, in urbe, in umbra, bis quotidie lauans, in perpetuo ocio cibis se explens uiuit, is potius pi-

C tuitam. aliorum est eadem ratio. ætatem præterea & ad præsentia cognoscenda, & ad præsagienda futura non mediocri nobis adiumento esse, ex aphorismis intelliges; in quibus de ætatibus agit: quem quidem librum uos iampridem explanauimus. ex ægri etiam sermone possumus præsentia dignoscere, ac futura præsagire. Sed hoc signum coniunctum est, ac commune cum eo, quod a cōsuetudine ducitur: si enim eo more loqui uideatur, quo prius, cū bona ualetudine fruebatur, solebat, nihil mali expectabimus: si æger contra, quàm consuesset, loquatur, id malum signum erit: siquidem inde quædam in nos incidit suspitio, eius mentem læsam esse. Quod uero deinceps Hippocrates dixit τρόποισι.i.modis, quid significat, uideamus. ueteres hoc nomine in duabus significationibus utuntur. interdum autē pro animi moribus, interdum pro differentijs, aut formis eius rei, qua de agitur: ut si de uictus ratione uerba fiant, cum auctor dixerit, modos uictus rationis, differentias, aut formas eius exponet: ut si febrium dicat multos esse modos, earum differentias, speciesve significabit. itaque uel animi mores significat, cum dicit, modis: uel sermonis differentias, quando de sermone prius locutus erat: perinde ac si dixisset, ex sermone, & eius formis, aut differentijs. nam hoc loco siue differentias, siue formas, siue species dicas, nihil interest: siquidem hæc omnia fiunt in dissectione eorum, quæ generatim mente concipiuntur. quemadmodum autem sermones aliquid de ægri statu nos docet, sic & taciturnitas quæ

D uel secundum naturam, uel præter naturam in ægro conspicitur. ut enim ei, qui suapte natura taciturnus est, secundum naturam inest, sic loquaci, præter naturam. quam ob rem hic aut soporifero torpore, qui ei silentium præter naturam inducit, tenetur; aut hoc melancholiæ initium est: si uero taciturnus non taceat, sed plura, quàm sueuit, loquatur, delirium denunciatur. quod uero addidit, cogitatis, id nullam rem sensibilem, aut apparentem significat: sed quam ex coniecturis inuenimus. est autē coniectura id, quod ægri eloquuntur, ac faciunt: cum enim quidam ex nobis, ita ut fit, mane ægrotum inuiseret, dixit, se totam noctem insomnem duxisse, dum animo uolueret, si defessus Atlas existimasset, cælum non esse ei amplius sustinendum, quidnam esset euenturum. quod cum ille pronunciasset, nos melancholiæ initium subesse cognouimus. Simili quoque modo quales animi ægrotātium mores sint, eorum opera nobis indicat. deinceps uero auctor addit, somnis, & uigilijs, de quibus hoc loco nihil mihi dicendum est, cum in aphorismis, & in libro præsagiorum, somni uigiliarumque uim exposuerimus. sed & insomnia cum alia, tum quæ aliquam corporis affectionem indicant, explicabo, ut in li-
A.l.1.f.2.d.7. c7.p.86.D. bro de uictu ualentium scriptum est. nam si quis per insomnium uideat incendium, hunc flaua bilis uexat: si imbres, abundare frigidum humorem argumento est, ut si niuem, si glaciem, si grandinem, frigidam pituitam. si quis uero in fœtido esse loco uideatur, putredinem indicat humorum: cristæ uero gallorum, aut rufa quædam, sanguinem redundare: caliginosa quædā intueri, aut caliginosis in locis esse,

flatu s

flatus significat. quocirca huic uerbo insomnijs, addidit quibus,& quando: ut quibus, illorum indica- E
ret differentias, quod etiam si non addidisset, perspicuum esset. quando autem, ut tempus notet, in quo
insomnia fiunt: hoc est, utrum in principio accessionis, an in uigore, an aliquo alio tempore se se offe-
rant: & an post cibum,& post talem aliquem cibum statim, aut sine cibo excitentur: siquidē inde quæ-
dam oritur indicatio. is igitur, qui se niue conspergi putet, si in principio accessionis cū rigore, aut hor-
rore, aut algore id fieri cogitet, id potius tempori, quàm affectioni corporis attribuendum est. at si in
declinatione huiusmodi insomnium uidere uideatur, certius inditium præbebit: frigidorum humorū
redundantiæ: ac multo etiam magis, si nullum edulium, quod pituitæ gignundæ sit, ante comederit: ut
dum illud uentre continetur, talis quædam suspitio excitari queat: cum tamen totius corporis affectio
similis non sit. quod autem deinceps ait, uellicationibus, iam in libro de humoribus explicaui, ut etiam
permulta alia, quæ hic memorantur: quæ de ijs, qui floccos carpunt, festucasque colligunt, dici pos-
sunt, aut de ijs, qui partem aliquam, in cuius intima parte affectio quædam dolorem afferens sit, uel-
licant. sæpe uero etiam cum pus, aut alius acer humor partem obsideat, eam uellicant, quod est etiam
nonnunquam delirij inditium. iam quod subiungit, pruritu, mordaces humores ad cutim esse indicat,
propter quos scabunt. de lachrymis uero iam quid notent,& quæ sponte,& quæ nobis inuitis emittū-
tur, didicimus: ut de formis accessionum, itemque de alui excretionibus, de urinis, de sputis, deque F
ijs, quæ uomitu reiectantur, præter quàm quod in aphorismis, & in libro prædictionum sæpe est facta
mentio, satis, superq; est in præsagijs a nobis dictum. ceterum cum addat, tum quæ ex quibus in quæ
uicissitudines morborum fiant,& abscessus ad perniciem & iudicationem pertineant: ad memoriā hoc
loco reuocanda sunt, quæ ante tradidimus, quæque exposuimus. fiunt igitur morborum uicissitudines
ad iudicationem, aut perniciem tum ex morborum, tum ex locorum affectorum differentia. nam quæ
uicissitudo in morbos leniores, partesque ignobiliores fit, ea est salutaris: at quæ in morbos grauiores,
locaque præstātiora, perniciosa est. eadem est abscessuum ratio: qui per effluxum fiunt, meliores sunt.
qui per decubitum, minus commodi censentur: ex his quoque, qui longius ab affecto loco, & in par-
tes ægroti ignobiliores fiunt, boni sunt: horum contrarij, mali. quæ uero deinceps toto hoc opere con
tinentur, plurimum elaborauimus ijs in libris, quos iampridem interpretati sumus: atque in aphoris-
mis quidem,& præsagijs de rigore, de sudoribus, de tussi, de sternutamentis, deque singultu dictū est:
in alijs uero libris, quos confecimus, tum de his ipsis, tum de alijs omnibus, quæcunque ad dignoscē
dum, ac præsagiendum ualent: cumque deinceps algoris mentionem faciat, spectandum est, utrum
totius corporis frigus exponendum sit, ut intimæ partes ardeant: an de extremitatibus intelligendum
sit, an melius sit suspicari ipsum de his omnibus dicere. aliud enim in principio accessionis, aliud in re G
missione algor significat: sicut si per totam accessionem perseueret, signum non bonum est: ut etiam, si
tali frigore intimæ partes semper ardeant; de quibus omnibus in libris, quos exposuimus, & in libris
de crisibus uerba fecimus. cum uero spiritus dicit differentiæ respirationis intelligendæ sunt. quod ue
ro postea† flatuum meminit, ipsi quoque genere spirituum continentur: de his autem etiam in commē
tarijs in præsagia actum est,& in libro de difficultate respirationis,& de spirituum in respiratione diffe
rentia: ut etiam de flatibus in libro præsagiorum. iam ructus quoque in genere sunt spirituum: & de
hoc inter eos quodam modo, spiritusque respirationis conuenit: ut uero in flatuosorum spirituū sunt
genere, id rursus cum flatibus commune habent: quocirca hi quoque flatuosum spiritum in uentre su-
periore generari significant. iam quod in extrema oratione dixit, perspicuum est: sanguinis enim eru-
ptiones,& hæmorrhoides quemadmodum hæ noxam, illæ usum afferant, didicimus.

†In lib. imp. legitur σφυγμῶν .i. pulsuū, tū in contextu uerborum Hipp. hoc uerbū nō est. auget dubitationē, qd subiungit, se de his dixisse in progn. i lib. de diff. resp. & alibi, de flatibus uero ēt in prognosticis: ut de alis re plane loqui uideatur.

*Febres quædam continuæ sunt, quædam interdiu tenent, noctu intermittunt: aut nocte occupant, die intermittunt. sunt autem semitertianæ, tertianæ, quartanæ, ac septimo,& nono quoque die excitantur.* 2

Veteres nomine continui, & intermittentis duobus uti modis uidētur: interdum enim febres om-
nes continuas uocant, quæ ad integritatem non perueniunt: interdum uero non omnes, quæ ad inte- H
gritatem non perueniunt, sed eas solas præcipue, quæ nullam mutationem usque ad iudicationem ha
bent: ita quoque intermittentes illas solas quandoque nominant, quæ ad integritatem desinūt: quan-
doque uero eas, quæ ad integritatem non desinunt illæ quidem, sed insignes mutationes singularum
accessionum in principium, incrementum, uigorem,& remissionem faciunt. recentiores uero Medici
quidam, febres, quæ nullam insignem mutationem habent, non continuas, sed continentes uocant:
ac continuas eas solas, quæ ad integritatem non ueniunt, & singulis accessionibus intermittunt: quas
prisci modo continuas, modo intermittentes appellant. enimuero inter continuas & eas, quæ ad inte-
gritatem ueniunt, mediæ sunt: quocirca ubi continentibus comparantur, intermittentes: ubi ijs, quæ
ad integritatem ueniunt, continuę meriro nominantur. Hoc autem loco, cum febrium differentiam
Hippocrates scribat, quasdam earum esse continuas ait: siquidem multæ re uera sunt cōtinuæ in utra-
que continui significatione: quasdam uero ait aut nocte, aut die intermittere: quarum quæ ad inte-
gritatem non ueniunt, quidam iuniores Medici ἡμερινοὺς uel καθημερινοὺς .i. diurnas uocāt, quæ uero ue
niunt, ἀμφημερινοὺς .i. quotidianas; quæ exquisita nominum obseruatio apud priscos non erat: cum enim
duobus modis intermittere febris dicatur, atque intelligatur ut supra docuimus: quæ singulis diebus
& noctibus inuadunt, intermittentes uocabimus, siue ad integritatem, siue ad intermissionem, quam
uocant,

A. l. 4. f. 1. c. 1. c. 1. p. 753.

A.l.4.f.1.t.1. c.67.p.800.F A uocant, deueniant. deinde ordinatim febrium differentias a prædictis diuersas recenset, semitertianas, tertianas, quartanas, quintanas, septimanas, ac nono quoque die inuadentes nominans. ac tertianæ quidem, & quartanæ perspicue ad integritatem ueniunt: ex semitertianis uero quædam utrunque statum tenent, quædam alterum tantum, earum, quæ ad integritatem non ueniunt. Si enim consideres, ut inter eas, quæ quotidie inuadunt, alias ad integritatem, alias ad remissionem uenire dixerit, ita earum, quæ tertio, aut quarto quoque die exacerbantur, quænam sit differentia, plane cognosces, nó de re, sed de significatione huius nominis semitertianæ, quæstionem existere. Scimus autem eas, quæ quarto quoque die inuadunt, ad integritatem plerunque peruenire: ac rarissime uisam esse quæ quarto quoque die incesseret, & corpus integrum nó fiat. at quę tertio quoque die homines occupant, earum non est eadem ratio: siquidem earum sunt multæ differentiæ. itaque in eis non de re, sed de significatione nominis, ut dixi, quæstio est, quasnam ex his febribus tertianas, semitertianas, & tertianæ naturam referentes nominare conueniat. ita cum dicit quasdam febres, quinto quoque die, aut septimo, aut nono accedere, non de significatione nominis, sed de re quæritur. quidam Medici sunt, qui circuitum excedentem quartum diem se uidisse negent: quidam Hippocrati assentiunt. ego uero iam inde usque ab adolescentia ad hunc diem obseruaui, sed septem, nouemque dierum circuitum omnino
B non uidi neque clare, neque ambigue: quintanos quidem circuitus ambiguos conspeximus, sed neq; exquisite, neque aperte, ut quotidianos, tertianos, & quartanos. quæ res, mea quidem sententia, quando experientia probata est, non est ratione demonstranda: nam si quispiam exquisite uidit persæpe accessiones septimo aut nono quoque die inuasisse, (neque enim aut bis, aut ter uidisse sit satis) is animũ inducat, eiusmodi quasdam accessiones extare: at si ab adolescentia ad senectutem usque ægrotos inuisens non ita multos ita febricitantes conspexit, sit rursus id ei perspicuum, tales circuitus non dari. quam ob rem contra Hippocratem fortasse cum ratione disputaret quispiam, ut Diocles fecit. nã quibus cum signis, aut quibus ex humoribus quinto quoque die, aut septimo, aut nono oriri circuitum dicas, non habebis. quinetiam nullum ægrum, qui ita laborarit, nobis descripsit: & tamen quemadmodum alia multa communia præcepta peculiaribus exemplis declarauit, ita quoque in his erat faciẽdum. illud tamen sciendum est, in multis exemplaribus initium huius orationis eo genere locutionis, quod ἀσύνδετον .i. solutum uocant, esse conscriptum hoc modo, Febres continuæ interdiu occupant, noctu intermittunt: nocte occupant, die intermittunt: quod cum ἀσύνδετον genus uocari dixi, eius quoq; explicationem declaraui. in prædictis enim recensendis coniunctiones, quæ in dictione omissæ sunt, tanquam adiunctæ sint intelligi a nobis debent.

C

3 *Sunt autem acutissimi, & maximi, & grauissimi morbi, & maxime omnium mortiferi, in febre continua.*

Horum omnium perfectissima doctrina in commentarijs de febrium differentia est explicata. nunc autem ut sæpe iam dixi, non est mihi propositum, uerum demonstrare, neque omnia singillatim perdocere, ut nihil pertranseam; sed senis explicare sententiam: summam tamen cuiusque contemplationis, quæ se se offeret, non præteribo. ait igitur in febre continua morbos acutissimos, maximos, grauissimosque esse: atque acutissimos quidem uocat eos, qui breui tempore iudicantur: maximos uero, qui uehementissimi sunt: grauissimos uero, qui periculum inuehunt. quod ipse interpretans, maxime
A.l.4.f.1.t.4. c.17.p.813.A omnium mortiferos appellauit. & uera eius oratio est, quoquo modo continuam febrim accipias. acutissimi enim morbi, maximi, ac grauissimi in ijs sunt febribus, quæ proprie continentes uocantur: nec minus in alijs, quæ singulis accessionibus progrediuntur, & principia, incrementa, status, declinationesque clare faciunt, nec ad integritatem desinunt: quas præstat hoc loco intelligere: propterea quod in his continentes quoque continentur, & non contra, hæ sunt in continentibus. ac si quis uelit de continentibus solis uerba fieri, is alias continuas, perinde ac neque periculosæ, neque uehementes, neq; acutæ sint, excipere uidebitur.

D

4 *Tutissima uero, facillimaque, & longissima omnium quartana est: siquidem non est ipsa modó per se talis, sed etiam ab*
A.l.4.f.1.t.2. c.61.A. *alijs magnis morbis liberat.*

Dixit quartanam facillimam, quod idem est, ac si leuem dixisset: nam continuæ quia nullam cessationem molestiarum usque ad iudicationem habent, sed perpetuo prægrauant. graues merito dicun-
A.l.4.f.1.t.2. c.62.B. tur, & sunt: at in quartana, præsertim moderata, licet prodire ijs diebus, qui inter accessiones intercedunt, & nonnunquam solita munia exercere. ceterum hunc morem ueterum, de febribus differentiũ nosse debes. itaque si iecoris, aut lateris, aut alterius partis inflammationem febris sequatur, eum morbum non febrem illi quidem, sed pleuritin, uel peripneumoniam, uel hepatitin nominant: eum uero, qui sine inflammatione febrim habet, febri laborare dicunt. ac nunc quoque in hanc sententiam, de quibus agit febribus, eius orationem accipias: quandoquidem uidimus sæpenumero homines febre quartana ex liene laborasse, ac deinde progressu temporis aqua inter cutem collecta, mortuos es-
A.l.1.f.2.d.1. c.8.p.68.E. se: sed quartana ipsa per se periculo uacat: atque ab alijs etiam morbis hominem uindicat: nouimus enim comitiales morbos a quartana diu infestante esse sedatos. atque eius quidem originem in commentarijs de febrium differentia, & de crisibus didicisti.

In febre

*In febre autem, quam semitertianam nominant, cum morbi acuti accidunt, tum ipsa est ceterarum letalis maxime: ac* E 8
*tabidi, & qui alijs diuturnis morbis detinentur, hac potissimum ægrotant.*

Adducere Medicorum uulgus in eam sententiam non possum, ut rerum tractationem a uocum, si-
gnificationúq; consideratione disiungant: & tamen par est eis ignoscere: cũ enim Agathinus, ut omit-
tam ceteros, totum primum librum de semitertiana conscripserit, in quo nominis significationem in-
uestigat, cur non etiam his ignoscamus? quanquam facilius fuisset, continuata serie tradere separa-
tim, quæ cernimus: separatim uero eorum nomina exponere, ut ego nunc facturus sum: nam febriũ,
quæ tertio quoque die accedunt, quædam ad integritatem ueniunt, quædam non item. utriusque por-
rò harum est talis differentia: ex ueniẽtibus ad integritatem, quædam accessionem habent duodecim
horis inclusam: quædam longius productam: quæ uero ad integritatem non ueniunt, quædam cum
horrore inuadentes, cum a primo impetu ad incrementum, quod uocant, progrediuntur, quamuis iã
mediocriter antegressæ uideantur, tamen alterum horrorem cum constrictione inuehunt: & post hũc,
alterum quoque incrementum: a quo aliam constrictionem, horroremque incutiunt: siquidem hæ
bis, terque redeunt. postridie uero aliam habent accessionem superiore minorem, sine priorum repe-
titione: isque illis est perpetuus deinceps circulus, ut binæ, quas dixi, binis diebus accessiones fiant.
aliæ sunt, quæ tertio quoque die inuadunt, carentque horrificis illis, quas præposui, inuasionibus, & re F
petitionibus, unamque habent tertio quoque die accessionem, & secundus dies accessione uacat: hæ
autem habent unum, & continuum & æquabile ab inuasione ad statum incrementum. hæc est febrium
tertio quoque die acedentium differentia, quæ in ægrotantibus perpetuo apparet. nos autem febrem
quæ cum horrore inuadit, a bilioso, ac pituitoso humore proficisci docuimus: eam quæ horrore uacat,
a bilioso quidem, sed qui difficilius & moueatur, & concoquatur: quam esse principum partium in-
flammationem ferunt. earum uero, quæ cum rigore quidem inuadunt, sed ad integritatem cum bilio-
sis uomitibus, aut deiectionibus, aut sudoribus, ueniunt, causa est flaua bilis, quæ in toto corpore ciea-
tur. Cum igitur hæc ita se habeant, ut dixi, cuiusque causam, curationemue inuestigare, cum Medici
officium, tum uero etiam operæpretium fuerit. quærere autem quo quicque prædictorum nomine re-
ctè appelletur, non iam ad medicinam pertinet, est tamen necessarium cognitu, cum quis alios doce-
re uelit, [in scholis] ut legant. nam ut morbos in ægris internoscamus, & futura præsentiamus, & cura-
tiones adhibeamus, exquisitam nominum diligentiam nulli nobis adiumento esse conspicimus: quan-
do uulgus non ex his de Medicis iudicat: sed cum a sanguinis missione leuatum ægrum intuetur, aut
cum in tempore cibum sumere uidet: de quo uel plebeius, cum uidit, ferre iudicium potest: deinde,
cum non statim post cibum, principium accessionis, sed longiore post tempore aduenire conspicit, tũ G
Medicum collaudat. itemque si frigidam eum dedisse, ac lauisse, itaque febre hominem iam liberasse
cernat, continuo eum admiratur: sic etiam, si quid de futuris prædicat. hæc sunt quæ Medicum prorsus
& uere commendant: at sophista, dum de uocibus, & significationibus cõtendit, & suum, & auditorũ
tempus terit. cum autem sit hoc loco nobis propositum, non ipsa artis opera docere, siquidem id alibi
abunde fecimus, sed Hippocratis sententiam breuibus perscrutari, ut hoc fiat, nobis hoc modo facul-
tas conceditur: ipse enim etiam Hippocrates supra scripsit, Plerosque eorum hi affectus urgebant; fe-
bres horrificæ, continuæ, acutæ, omnino non intermittentes: modus erat semitertianus, uno die leuio-
res, altero grauius iterum inuadebant. itemque hoc loco ait, in semitertiana autem febre cum morbi
acuti accidunt, tum ipsa est ceterarum letalis maxime. itaque letalem esse semitertianam ipse Hippo-
crates aperte enunciauit: earum uero, quæ ad integritatem ueniunt, nullam esse letalẽ, palam in apho
rismis declarauit his uerbis, Febres, quæ non intermittẽtes, tertio die grauiores fiunt, periculosæ sunt:
quocunque autem modo intermittant, periculum abesse significant. quis igitur semitertianam inter
eas, quæ ad integritatem ueniunt, reponat, si Hippocratis sententiam sequatur? atqui illi, qui aiunt, si
quis quatuor & uiginti horis sine febre maneat, eum habere mediam semitertianam, in numero in-
termittentium hanc ipsam febrem ponunt. sic etiam, qui mediam & paruam a magna differre horarũ H
numero dicunt, uoluntque utranque ad integritatem perducere, hi dum semitertianam ad intermittẽ
tes aggregant, ab Hippocratis sententia discedunt: quia hæc, licet ab ipso letalis dicatur, tamen perĩ-
culo uacabit. præstat igitur, uti diximus, uocabulis contemptis, curationes, dignotiones, & præsagia
cuiusque febris meditari. sed quia clarior, breuiorque ex uocabulis doctrina exoritur, prius oratione
febrium, quæ tertio quoque die inuadunt, differentias exponemus, ut ipse modo faciebat, suũ cuiq;
earum nomen attribuens, id quod est semper in eius instituto positum, ut differentias febrium, quæ
tertio quoque die inuadunt, constituat. deinceps uero quæ intra duodecim horas cessat, breuioris in-
stitutionis gratia, tertianam exquisitam nominabimus: quæ hac longiorem accessionem habeat, ac re-
missionem quoque ea prolixiorem, eam absolute tertianam dicemus: quæ accessionẽ plurimum pro-
ductam habeat, paruamque intermissionem, eam productam tertianam uocabimus, quæ deniq; ad in-
tegritatẽ non ueniat, sed horrificas primo die repetitiones faciat, altero unam simplicem accessionẽ
afferat, hanc semitertianam appellabimus: sin autem tertio quoque die simpliciter inuadat, tertianæ
naturam referentem nuncupabimus. habes hoc sermone tam utilia, quàm inutilia determinata om-
nia: quæ tibi semper memoria tenenda sunt, & eorũ habenda in promptu cognitio est. ita. n. tecentium
Medicorum

A Medicorum nugas, quas de prædictis nominibus fecerunt, cum interim se de rebus differere existimarent, condemnabis. at nullam earum, quæ ad integritatem ueniunt, semitertianã ab Hippocrate uocari ostensum est: utrum uero eam solam, quam ego horrificas repetitiones facientem proprie appellare consueui, an uero eam etiam, quæ sine his fit cõsiderandũ est: si enim tabidis, & aliter diu ægrotantibus hæc febris accidere consueuit, fortasse horrore si careat, eam semitertianam uocabimus, si secundo die iterum inuadat: sed, ut ante dixi, cum de nomine sit quæstio, nihil absurdi erit, si cui febri Hippocrates nomen semitertianæ potissimum imponat, non plane cognoscemus: præsertim cum ipsius artem de febribus perdocti, quæ ad artis opera requiruntur, sine ipsarum nominibus habeamus. Fortasse autem erit accommodatum deinceps inuestigare, cur addiderit, quam semitertianam uocãt, & non absolute scripserit, in febre semitertiana cum morbi acuti accidunt. equidem existimo id nomen, ut improprium ab ipso improbari: quæ enim non sunt plene absoluta, ijs uerbum semis adiungimus, ut dicimus semimortuum, semideum, semiuocale, semiasinum, semiassum, & cetera huius generis. at semitertiana tantum abest, ut dimidia sit, aut multitudine symptomatum, aut uiribus, aut tota horum affectione, ut sit etiam multo, quàm tertiana, deterior: ut potius illa huius, quàm hæc illius esse dimidia uideatur. quare nescio, cur illi, qui primum hoc nomen febri imposuerunt, hoc potius, quàm
B aliud ei tribuerint, forte uero quia tertiana febris habet, ut tertio quoque die inuadat, & ad integritatem ueniat, in semitertiana uero horum alterum inest, alterum abest, hoc ei nomen imponere potuerunt. nam ei comparatum est, ut tertio quoque die accedat; ut autem ad integritatem perueniat, id non habet. potuerunt etiam, quod careat accessione, quæ cum rigore inuadat: itemque, quod cũ excretione finiatur: iam uero etiam, quod secundum diem non habeat syncerum. Licet uero aliud quidpiam huiusmodi afferre ijs, qui inutilem sapientiam exercent: & quæ uere ad artem accommodata sunt, prætermittunt.

6 *Nocturna non admodum letalis est: longa tamen est. diurna uero longior. sunt autem quibus ad tabem uergat.*

A.l.4. f.1.2.1 c.1.p.753.C In principio numerum febrium absolute descripsit: tum earum conditiones ordinatim declarat. itaque in eis recensendis cum dixisset, febres quædam continuæ sunt, quædam interdiu tenent, noctu intermittunt: aut nocte occupant, die intermittunt: deinde cum quales continuæ sint exposuisset, ac mox eis quartanæ, semitertianæque tractationem subiecisset; nunc ad eas, quæ die inuadunt, nocte intermittunt, aut nocte inuadunt, & die intermittunt, accessit: quarum alteram nocturnam, diurnam alteram uocat: ac nocturnam quidem, quæ nocte; diurnam, quæ die inuadit: sed qua re laudare no-
C cturnam uisus est, eadem non minus eam uituperauit: quia non dixit absolute, nocturna nõ letalis est, sed addidit, non admodum: si enim non admodum est letalis, planum est, eam esse mediocriter letalem. at diurnam non modo dixit esse nocturna longiorem, sed etiam ait, eam quandoque ad tabem uergere: ut uel hac in re sit deterior: partim, quod si quo tempore digeri, rarescereq; corpus magis consueuit, tum constringatur, & densetur, eo tempore inuadat, merito malignior uideatur: partim uero, quod tempus ei remedium adhibendi, incommodum habeat: nam quo tempore dormire ægrũ oportebat, eo tempore ei opus est Medici prouidentia. quæ causa est cur temporis progressu contabescãt. tabescunt autem propter horum alterutrum, si interdiu dormiant, non satis dormientes: si non dormiant, non hominis, sed uespertilionis uitam degant.

7 *Quæ septimo quoque die inuadit, longa est, non letalis: quæ nono, etiam longior, nec letalis.*

Neque par est Hippocrati fidem non adhibere, (præsefert enim hæc oculis conspecta conscribere) neque conuenit ut mentiamur, nosque uidisse affirmemus. itaque sedulo obseruandum est, & experiẽtia de ueritate existimandum: ita tamen, ut ne idem nobis, quod uulgo hominum, accidat; qui cũ forte quempiam septimo die iterum, ac tertio febrim habuisse conspexissent, ab initio quendam esse se-
D ptimo die circuitum existimarunt, siquidem potest id ipsum casu interdum euenire: atque etiam ex cõsimili uictus ratione: qui enim ægroti non prorsus affectione morbosa liberati sunt, sed aliquod in eis semen remansit, his, si negligentius uiuant, sæpe contigit, ut sexto post primum, die: sæpe septimo, sæpe octauo: sæpe alio quodam febricitent. & cum febris cessarit, putentq; illi se prorsus esse liberatos, eodem omnino uictu utuntur: & ex morbi reliquijs totidem diebus eadem affectione correpti in febrim similiter cadunt: id quod persæpe usu euenire potest; cum æquale sit, quod ex affectione relictum est, & cum ægroti eandem uictus rationem teneant. is denique circuitus morbi re uera est, quando obseruata diligenter uictus ratione, febris eodem certo die redit, quẽadmodũ in quartana fieri intuemur.

8 *Tertiana exquisita cito indicatur, nec letalis est.*

Dictum paulo ante est, ut summatim rem complectar, febrem, quæ breuem accessionem habet, exquisitam esse tertianam. quæ uero eam fere comitantur, tum in libris de febrium differentia, tum uero in libro de crisibus dicta sunt omnia.

9 *Quintana est omnium pessima: nam & ante tabem, & iam tabidis superueniens interimit.*

Tabidi febrem hecticam nunquam cessantem habent: cuius uniuersam naturam, ut etiam aliarũ

in

in commentarijs de febrium differentia didicisti. in quibusdam uero uidi eiadmistam esse aliquam ex E ijs, quæ circuitu redeunt, ut quæ tertio quoque die, aut quæ quotidie, &, ut ait Hippocrates, quæ A.l.4.f.i.t.2. quinto inuadit: de qua tibi eadem a nobis dicta puta, quæ de ijs, quæ septimo, aut nono quoque c.67.p.801.A die inuadunt, paulo ante audiuisti.

*Modi autem, & status, & accessiones singularum harum febrium tam continuarum, quàm intermittentium sunt hi: ac ne uager latius, continua est, quæ ab initio floret, & uiget maxime, & grauius uexat: sub iudicium uero, & in iudicio imminuitur. nonnullis molliter, leniterque incipit, sed increscit, & exacerbatur indies: sub iudiciū uero, & in iudicio abunde elucet: quibusdam etiam leuiter incipit, augetur, exacerbatur, & simulatque aliquandiu uiguerit, rursus se usque ad iudicium, & sub iudicium remittit. hæcque omni in febre, & in omni morbo & fiunt & accidunt.* 10

Febrium modos interdum mores, interdum differentias, atque naturas uocant: hic uero constat, eum formas singularum febrium, quæ prædictæ sunt, describere: itaque ait, continuam nonnullis uehementissime incipere: sed paulatim ad iudicationem usque diminui: interdum uero moderate incipere, & usque ad iudicationem paulatim augeri: in qua ait eam elucere: hæ febres contrariam inter se iudicationem obtinent. alium præterea tertium modum ex his utrisque conflatum esse dicit, cum leuiter incipit, & postquam paulatim increuit, & perfectam sit magnitudinem adepta, remittat se se, do- F nec prorsus discutiatur. quidam autem existimant, hos tres modos febribus continuis ab ipso tribui, nihil attendentes, quæ in fine orationis adscripsit, Hæcque in omni febre, & in omni morbo & fiunt & accidunt. quam ob rem non iam continuarum solum, sed aliarum quoque omnium febrium quæ cōtinuæ, diuturnæque sunt, immo uero etiam cuiusque alterius morbi tam acuti, quàm diuturni eosdem tres esse modos affirmat: symptomata quoque eadem ratione iudicantur omnia: id quod uel in dolore spectari potest. hic enim sæpe maxima ui incessit: ac paulatim marcescit, usque dum penitus sit leuatus: interdum uero placide incipit, & paulatim uehementissimus effectus, cito dissoluitur: interdum post perfectum uigorem, quanto tempore increuerit, tanto etiam remittitur.

*His autem consideratis, uictus offerendus est.* 11

Vult te motus morborum præsagum esse, ut accommodatum eis uictum instituas: siquidem morbi uigorem intuentibus nobis, uictus ratio ineunda est. atque in libro quidem de uictus ratione in morbis acutis, & in aphorismis, quo pacto prædictos morborum modos prænoscas, & item in commentarijs in præsagia, & in libris de crisibus perdisces, quæ summatim hoc in libro, in prima huius commentarij dictione conscripsimus. G

*Multa quoque alia opportuna signa his germana sunt, de quibus partim scriptum est, partim scribetur: ad quæ intuens expende, & considera, cui horum præceps malum, & letale sit: aut incolumitatem pollicetur: & cui offerendum, uel non. & quando, & quantum, & quid sit, quod offertur.* 12

Quanquam multa dixit, ex quibus præsagia sumenda sint, tamen alia quoque esse ait, partim iam descripta, ut in libro præsagiorum, partim uero, quæ scribentur.

*Quæ paribus diebus accedunt, paribus iudicantur: quorum sunt in imparibus accessiones, in imparibus indicantur.* 13

Est a nobis sæpe dictum, in accessionibus judicationes fieri, tum quod in eis humores commoueantur, & quasi feruentes erumpant aut per sanguinis eruptiones, aut per sudores, aut per uomitus, aut per alui secessiones, aut per ora uenarum adaperta, aut per menstrua in mulieribus: tum quod eo tempore natura ad illa excernēda impellatur, & quod grauata & afflicta ad illa expellēda irritetur: & quod illis magis fusis, noxij humores promptius secernantur, & iudicatio facilius fiat.

*Circuituum autē, qui diebus paribus indicant, primus criticus est quartus, sextus, octauus, decimus, quartus, decimus, uigesimus octauus, trigesimus, quadragesimus octauus, sexagesimus, octogesimus, & centesimus: circuituum uero, qui diebus imparibus indicant, primus est tertius, quintus, septimus, nonus, undecimus, decimus septimus, uigesimus primus, uigesimus septimus, & trigesimus primus.* 14 H

Hoc loco uidetur, nomine circuitus non proprie uti: ipsos enim dies, in quibus iudicia fiunt, omnes ordine descripsit: & in libro præsagiorum circuitus, qui in quaternario numero fiunt, diligenter exposuit: quocirca hæc uidentur criticorum dierum contemplationem requirere. itaque primum A.l.4.f.a.t.2. c.2.p.836.D. criticum diem parium dierum ait esse quartum, deinde sextum, post hunc in plerisque exemplaribus adscriptus est octauus, & decimus: in alijs uero, quartus decimus, post sextum, tum uigesimus: post hunc in aliquibus, uigesimus quartus: in aliquibus, trigesimus quartus: & post hunc, quadragesimus: quem sequitur sexagesimus, & octogesimus, & centesimus. morborum uero, qui diebus imparibus iudicantur, ait primum circuitum (sed melius erat, ut diximus, non de principio loqui) esse tertium, deinde quintum, tum septimum, postea undecimum, mox decimumseptimum, ab hoc uigesimum primum; sub hoc uigesimum septimum, postremo trigesimum primum. nos autem in libris de diebus criticis ostendimus, esse omnium criticorum ualidissimos, qui quaterno, septenoque circuitu fiunt: moderatiores uero his esse, qui intercedunt: de quibus, quia consentaneus eorum ortus est, dicamus. omnes autem impares recte expositi sunt. ex paribus, parum recte propositus est uigesimus octauus, & decimus, qui nullo modo ad iudicandum ualent.

15 A *Scire autem conuenit, si extra hos praescriptos aliter iudicentur, recidiuas eos portendere, letalesque effici.*

Dies, qui cómemorati sunt, bene, ac firmiter iudicare, morbosque iudicatos omnino firmos esse, & interdum fieri letales, in illis est commentarijs declaratum.

16 *Est etiam animaduertendum, atque intelligendum, quae sint his temporibus futurae iudicationes ad salutem, uel ad perniciem: uel ad meliorem, aut deteriorem statum inclinationes.*

Hac dictione docuit, quid iudicationis nomen significet: quàm breuiter dicas, morbi repentinam esse mutationem. ipsam porrò mutationem quatuor modis effici, ipse perspicue dixit. nã uel ad salutẽ, uel ad perniciem, uel ad momentum in melius, uel in peius: & id quidem notabile. ipse uero nó dixit, notabile, ut quod in communi nominis iudicationis significatione contineatur.

17 *Errantes autem febres, & quartanae, & quintanae, & septimanae, & nonanae quibus circuitibus iudicentur, considerandum est.*

De his ne in praesagijs quidé disputat. nã errantes habent singulas accessiones inordinatas: tamẽ ijs signis, quae in diebus criticis obseruantur, earũ iudicatio praenoscitur. at de circuitibus, qui ad integri-
B tatem ueniunt, quales sunt tertianarum, & quartanarum, praeceptũ, uulgo medicorũ incognitum, ostensum, est, quod in aegrotis nos semper experti sumus: non. n. primi dies attendendi sunt, neque simpliciter sunt deinceps numerandi, sed accessiones; ut ipse de tertiana exquisita in aphorismis dixit, tertiana exquisita septem circuitibus, uel longissimũ, iudicatur: ut. n. haec septenis circuitibus iudicatur, eadem ratione alia nouenis, alia undenis, atq; ita deinceps pro criticorũ dierum numero quartanarũ est eadem ratio. itaque in praesagijs dixit, fit aũt etiam quartanarum hoc ordine constitutio. cũ autẽ ego hãc contemplationem apud Eudemum Philosophum, qui tres quartanas habebat, praedicens, monuissem fore, ut una earum, quae certis diebus inuaderet, post tot circuitus primum sedaretur: cumque haec depulsa esset, altera certo die discederet: similique modo de tertia praedixissem, dicebant, haec ex arte diuinandi, non ex medica cognitione a me pronunciari: cum tamen uates nunquam uera de aegrotis praedicentes Romae conspexissent. illorũ enim, qui alijs in ciuitatibus sunt, nullum ego periculum feci. nos uero, quod Deo approbante dictũ sit, in nulla unquam praedictione offendimus. ac tu quoque si te in ijs, quae de iudicio dicta sunt, exercebis, eris & Hippocrate, & arte dignus. Sed haec obiter dicta sint. nunc ad propositam interpretationem reuertamur: nam ut in libro praesagiorum omnem de criticis diebus disputationem, ita etiam de circuitibus absoluit. nusquam uero nec in praesagijs, nec in apho-
C rismis de quintanis, aut septimanis, aut nonanis mentionem fecit. cum tamen in praesagijs, ubi dixit, quartanarũ cõstitutionis hic est ordo, & in aphorismis, quo loco scriptũ est, tertianã exquisitã septenis iudicari circuitibus, potuisset de quintana, & de septimana, & de nonana eadẽ enũciare: si ita scripsisset: fit autem & quartanarum hoc ordine cõstitutio, itẽq; quintanarum, septimanarum, ac nonanarum.

### De xiiij. AEGROTIS, *quorum morbi hoc primo libro ab Hipp. explicantur.*

Antequã de singulis aegrotis dicere incipiam, existimo esse tum ad perspicuitatem, tum ad breuitatẽ accommodatius, ut de eis omnibus generatim aliquid dicã. ostẽdi aũt cũ alijs in libris, tũ in methodo medendi, duplicem quaestionis inuentionẽ esse: quarũ altera est, quae ratione acquirit cognitionẽ formę uniuersalis, & communis singulorum; altera uero, quae a singulis ad cõe, & uniuersum progreditur: & quae rem compleant, esse uniuersalia: artificũ uero actiones in formis indiuiduis uersari: & eum qui uniuersale prius inuenerit, exerceri in illis debere: sed ipsas quoq; res singulas esse ad res uniuersas, quae inuentae sint, confirmandas, accommodatas, praeterea uero haec ad discipulorum intelligentiam sunt ueluti generaliũ praeceptorum quae in eis proposita sint, exempla. quae causa fecit, ut ego quoque omnibus meis in lucubrationibus non uniuersalia modo, sed singularia quoque ex Hippocratis libris
D collegerim: praecipue autem dictiones ipsas ex libris de morbis uulgaribus adscripserim, in quibus a principio ad finem usque est omnia, quae aegrotis acciderunt, persecutus: ut in libris de difficultate respirationis: omnes eos attuli, qui in libris de morbis uulgaribus difficulter spirauisse memorantur: in libris de crisibus, omnes qui iudicati sint: atq; in alijs eodẽ modo. quocirca prolixiore narratione opus non erit ijs, qui ad artis opera studio contendunt. sed quia nõnullae obscurae dictiones interiectae sunt, ideo melius fore existimaui, si eas ego lucubrationes exponerẽ. uerũ si omniũ symptomatũ, quae singulis morbis accidisse narrat, totã naturã declarandã, aut ortus causas afferẽdas statuã, quicquid unquam scripsi, cogar hũc in librũ transferre: & eo adducar, ut de singulis aegris singula mihi sint cõscribẽda uolumina: si uero quae in libro praesagiorum generatim scripta sunt, eorũ hic exẽpla solum indicaro, summamq; doctrinae ad libros, quos confeci, reiecero, meam orationem breuem fore confido.

### AEGROTVS. I.

18 *Philiscus prope muros habitabat, & decubuit: primo die febris acuta fuit sudauit laboriosam noctem habuit postridie omnia exacerbata sunt: uesperi a clystere bene aluus deiecit: nocte quieuit: tertio die mane, & ad meridiem usque uisus est febre liber esse: sub crepusculum uero febris acuta, cum sudore: sitibundus erat: lin-*

*gua exaruit: nigram urinam reddidit: noctem grauem habuit: non dormiuit: omnino delirauit: quarto die omnia exa-* E
*cerbata, urina nigra, nox† lenior, urina melioris coloris: quinto ad meridiem parum de naribus, atque id merum stilla-* †Molestior legunt alii.
*uit: urinæ uariæ, in quibus erant suspensiones quædam rotundæ, genituræ similes, dispersæ, non residebant: subdita uero glande, pauca retrimenta flatuosa exierunt, nox ei grauis fuit, somni pauci, uerba, deliramenta, extrema undequaque frigida, nec ad calorem amplius reuocari poterant: minxit nigra, parum dormiuit: sub diem obmutuit: frigida sudauit: extremæ partes liuidæ erant: die sexto ad meridiem mortuus est. Spiritus huic erat perpetuo, quasi reuocato, rarus, & magnus: lien in tumorem rotundum erat elatus: sudores perpetuo frigidi: accessiones paribus diebus.*

Qui generalium præceptorum meminerit, is in hoc ægroto, tertio die clare uidebit, ei mortem impendere: cum enim primo die febris acuta eum inuasisset, sudorque esset subsecutus, febris ab eo discussa non est, sed noctem quoque grauem inuexit. secundus dies omnia exacerbauit: inde uero tertius dies nigrarum urinarum excretionem habuit. & quod primo die accidit, statim perniciosum fuit: nam decretoria non iudicantia, aut letalia sunt, aut difficilis iudicij: ac letalia quidem, si quia eis symptomata, uel signa letalia accidant: difficilis uero iudicij, si sine his, crudorum humorum signa permaneant. Sed in Philisco mortale signum fuit, quod ad sudorem, qui febrem tertio die non discussit, urinæ nigræ, & sitis accesserunt: & item lingua inaruit: grauis ei tota nox fuit, uigilauit, delirauit. his F ita translactis, ait quarto die exacerbata fuisse omnia, urinasque iterum nigras extitisse. itaque fac memineris, in morbo acuto ubi quartus perinde, ac tertius, grauia symptomata signaque habeat, breui iudicationem expectandam: ac, si paribus diebus inuadebat, potius in paribus, si in imparibus, etiã in illis: atque ubi iudicatio, ibidem nimirum & mors, in morbis inquam letalibus. itaque Philiscus, cum accessiones diebus paribus haberet, sexto die perijt. id quod ipse Hippocrates in extremo totius narrationis declarauit his uerbis, Spiritus huic erat perpetuo, quasi reuocato, rarus, & magnus: lien in tumorem rotundum erat elatus: sudores perpetuo frigidi: accessiones paribus diebus. Alius forsitan ægrotus, in quo eadem symptomata, atque signa inessent, non sexto, sed octauo die interiret, si uiribus esset, quàm Philiscus, firmioribus, symptomataque & signa minus letalia essent. in hoc enim urinæ tertio, quartoque die nigræ redditæ quàm malignus morbus esset, plane indicarunt. Sudores præterea frigidi, & sanguinis stilla quinto die citam mortem impendere comprobarunt. ac multo etiã magis, quod stillæ adiecit, merum, hoc modo, quinto ad meridiem, parum de naribus, atque id merum stillauit: cum autem uel alui excretionem, uel uomitionem meram dicit, significat quod excernitur aut uomitu reijcitur, non mistum esse: ut cum excernitur flaua bilis impermista, aut atra, aut æruginosa: in stilla uero si pro puro sanguine, rubrum intelligamus, quod is sit color eius proprius, falsi G quidpiam cogitabimus: propterea quod in morbo mortifero nunquam rubri sanguinis stilla de naribus, sed atri semper uisa est. quam ob rem probabile est, hunc ipsum atrum ab Hippocrate dici, merũ, ut cum uehementer talem esse indicaret. aperte igitur die tertio morbi exitium apparuit. non tamen planum erat, quo die esset moriturus: sed cum quarto die urinæ nigræ perseuerarent, fierentque diebus paribus accessiones, si ætate, & robore uirium testificisset, probabile erat, ægrotum ad octauum usque diem sufecturum: sin minus, die sexto moriturum. cum uero præter ea, quæ dicta sunt, quinto die sanguis purus stillarit, sudoresque frigidi fuerint, quos per totum morbum durasse ait, expectabit optima ratione quispiam, ægrum non fore accessioni, quæ sexto die instabat, perferendæ. atque hæc quidem assentiri illis uidentur, quæ generatim de criticis diebus, de urinis, deque sudoribus tum in libris de criticis diebus, & de crisibus, tum in ijs, qui sunt de difficultate respirationis, deque * delirio, dicta sunt. cumque in libro præsagiorum dixerit, spiritus frequens aut doloris, aut inflammationis in partibus septo transuerso superioribus, indicium est: magnus uero, & ex longis interuallis, deliriũ denunciat: & nunc delirasse Philiscum ostendens, in tota narratione nullam fecerit de respirationis difficultate mentionem, recte in extrema oratione subiunxit, Spiritus huic erat perpetuo, quasi reuocato, rarus, & magnus. in quo patet, idem esse si dicas rarum, ac si ex longis interuallis. quod uero ait, quasi H reuocato, significat, tanquam admonito: nam in libris de difficultate respirationis rarum & magnum fieri spiritum ob mentis læsionem ostendimus, quasi æger actionum obliuiscatur, ut, nec quando incipere, nec quando finire eas debeat, plane nesciat.

AEGROTVS. II.

19 *Silenum in Platamonis ædibus prope Eualcidis filios habitantem, ex lassitudinibus, potationibus, & intempestiuis exercitationibus, ignis corripuit: cœpit simul ex lumbis laborare: & capitis grauitate tenebatur, collumque contendebatur. primo die aluus biliosa, mera, spumea ualde colorata, multa reddidit: urina nigra, & nigra subsidentia: sitibundus erat: lingua perarida: nocte nihil dormiuit: altero die febris acuta: secessiones copiosiores, tenuiores, spumosæ, urina nigra: nox grauis: parum delirauit: tertio exacerbata sunt omnia: hypochondrij contentio submollis utrinque ad umbilicum promissa: deiectiones tenues, subnigræ: urina turbida, nigra: nocte nihil dormiuit: multa uerba, risus, cantus, moderari sibi non potuit: quarto die eadem extiterunt. quinto deiectiones meræ, biliosæ, leues, ualde pingues: urina tenuis, perlucida, pauca, mente constitit: Sexto die caput modicum sudauit, extrema frigida, liuida, multum se iactauit: aluus nihil excreuit: urina restiterunt, febris acuta: septimo obmutuit:*

*extrema*

A *extrema non amplius incaluerunt, nihil minxit: octauo frigidus toto corpore sudor: papulæ cum sudore rubræ, rotundæ, paruæ, uaris similes, permanebant: nec abscessum faciebant: ab aluo autem paruo irritamento stercora tenuia, ueluti incocta, multa, cum labore reddebantur: urina cum dolore mordax exibat: extrema parum recalescebant: somni tenues, comatosi: obmutuit: urina tenuis, perlucida: nono die eadem fuerunt. decimo potum non sumebat, comatosus, somniq; tenues: similia alui excrementa: minxit multum, quod suberassum euadebat: quod subsidebat, erat simile farinæ crassioris, album: extrema iterum frigebant: undecimo obiit. hic a principio usque ad finem spiritum magnum habuit, rarumq;: hypochondrii perpetuam palpitationem. annum ætatis plus minus uigesimum agebat.*

Cũ in superiore ægroto ætatẽ nõ adhibuerit, hic tamẽ eã adscripsit: ille.n. merito sexto die mortuus est, quod in morbo acuto signa & symptomata perniciosa ab initio cõtinenter haberet: hic aũt ab initio perinde, atque ille, affectus, tñ propter uiriũ robur ad undecimũ perductus est diẽ: quas uires ei suppetere cũ alioqui uerisimile est: tũ uel ex eo declarauit, quod ætatẽ adiecit, quã in Philiseo nõ addidit: ut ex eo, quod illã omisit, indicarit, eũ esse natu maiorẽ ita, ut nõ ualidæ uires essent. alius aũt ægrotus, cui eadẽ ab initio signa, symptomataq; cõtigissent, nisi uiribus ualidis fuisset, septimo die perijsset. & is ipse parũ abfuit, quin eo die moreretur: nã de ipso ita scripsit, septimo die obmutuit: extrema non am-
B plius incaluerunt: nihil minxit: ex quibus planũ est, eum proxime ad mortẽ accessisse: sed quia robustę uires erãt, potuit in consequentẽ diẽ criticã, quæ erat undecima, perdurare: siquidẽ tertio, & quarto die in pessimis uersatũ signis, atq; symptomatis, in septima mori oportebat: præsertim cũ accessiones diebus potius imparibus fierent, quod ipse docet his uerbis: tertio die exacerbata sunt omnia: & itẽ deinceps, quarto die eadẽ extiterunt. cũ igitur propter robur uiriũ septimũ superare diẽ potuerit, octauo papulas cũ sudore rubras, rotundas, paruas habuit: natura nimirũ cũ morbo pugnãte, & humorũ malorũ redundantiã ad cutim propellẽte: quod in causa fuit, cur nõ die nono, sed undecimo mortuus sit: propterea quod si die octauo nihil tale cõtigisset, consequẽs erat, ut nono perijsset: cũ septimus talis, qualẽ dixit, extitisset. quia uero ẽt hic ægrotus ĩ morbo delirauit, idcirco in fine narrationis adiecit, eũ toto morbi decursu spiritum magnum, rarumq; habuisse: atq; hypochondriũ ei perpetuo palpitasse, quod turbationis, aut delirij signum esse, in libro præsagiorũ dictum est. uidetur aũt huic homini inflãmatio quædã in septo trãsuerso fuisse, propter quã tertiũ diẽ exponẽs dixit, hypochõdrij contẽtio submollis utrinq; ad umbilicũ promissa. submollis.n. est subuacua: hoc est sine tumore, qui fit, cum hypochõdria inflãmantur: sed cũ per inflãmationẽ septi trãsuersi hypochondrium propter cõtinuitatẽ sursum trahitur, tum sine tumore cõtenditur. & iã in totius narrationis initio dixit, illum ex lũbis laborare, capitisq;
C grauitate teneri, & collũ contendi: quæ sane, morbo ad exitiũ spectãte, delirij sunt notæ. quæ si cũ uigilijs, ac sine grauitate cõtigissent, homo phreniticus esset factus. nũc uero capitis grauitas multitudinẽ humorũ non ualde calidorũ, aut biliosorũ (ita.n. prorsus in somnis fuisset) eo cõtineri significãs, indicio fuit, ægrotũ comatosum fore: uerũ de his affectionibus, in quibus simul comatosi, deliriq; sunt, latius agemus, cũ primã libri prædictionũ orationẽ exponemus. hoc aũt loco illud addã, quod ẽt melius est, quodq; sæpe alias dixi, cũ quis manifestis de causis febricitare incipit, si corpus nullo modo sit ad morbũ paratũ, febre eum corripi diaria. ac Sileno quidẽ id omnino euenisset, qui ex laboribus, potationibus, exercitationibusq; intempestiuis in febrem incidit: nisi quędam morbosa pręparatio in eius corpore prius extitisset: quam ex signis, atq; symptomatis, quæ primo statim, secundoq; die apparuerunt, ipse dignosces. in primis igitur ait, ignis eũ corripuit: ita suo more febrim uehemẽtissimam nominans: deinde, primo die aluus biliosa, mera, spumosa, ualde colorata, multa deiecit: postea, urina, in qua nigra subsiderent: tum deinceps, sitibundus erat, lingua peraridA, nocte nihil dormiuit; ut primo statim die Sileno permulta symptomata, signaque letalia acciderint, ut nosse aperte queas, lassitudines, potationes, & exercitationes morbi occasiones fuisse. & occasiones quidẽ appellabit quis maxime proprie, causas manifestas. cum uero alia præterea accesserint, quæ homini impendere morbum arguant. Sed
D tamen multo tempore præcesserint, tum fit uerisimile, hunc etiam Silenũ, quod longo tempore illam uiuendi rationem tenuisset, sibi potuisse ea de causa morbum comparare. nam si quis laboret, multũq; in actionibus usq; ad lassitudinẽ se affligat, potet autem large tum intempestiue se exercitationibus credat, hoc est, si a cibo, aut cum tardius cibi sunt concocti, prius quàm alimentum in sanguinem sit probe conuersum, hic partim bilem propter labores, partim crudos & incoctos humores, ex potu & intempestiuis exercitationibus, coaceruabit. sunt autem morbi aliorum longe grauissimi, in quibus utriusque horum notabilis copia colligitur.

AEGROTVS. III.

20 *Herofontem febris acuta corripuit: aluus ab initio pauca, & cuiusmodi in tenesmo solent, deiecit, deinde tenuia, biliosa, subcrebra: somni non erant: urina nigra, tenuis: quinto die, mane, obsurdescebat: omnia exacerbata sunt: lien intumuit: hypochondrium tensum est: aluus pauca, & nigra excreuit: desipuit: sexto delirauit: sub noctem sudauit, friguit, in delirio permansit: Septimo extremis membris friguit: siti cruciatus est, desipuit: sub noctem ad mentem redijt, obdormiuit: octauo febricitauit: lien resedit: omnia intelligebat: doluit ei inguen primum, secundum lienem: tum in utranque tibiam dolores migrarunt; noctem facilem habuit: urina melioris coloris erãt, inq; eis pauca residebãt:*

*nono sudauit,iudicatus est.intermisit:die quinto redyt: statimque lien intumuit febris acuta, iteramque surditas est subsecuta tertio post recidiuam die lien residebat,surditas imminuebatur: crura dolebant: nocte sudauit.die decimoseptimo iudicatus est:neque in recidiua delirauit.* B

Hic præter expectationẽ seruatus est: quem primis quidem diebus moriturũ merito quispiam esset suspicatus: nã & nigra minxit,& excrementis alui biliosis repressis, subsecuta surditas est: ut quæ in caput ascendissent: unde iure quoque desipuit.quod aũt urinas nigras,quæ prauæ erant, compensaret,nihil boni erat,nisi quod lien die quinto intumuit: partem scilicet malorum humorum excipiens: deinde uero octauo die cum a liene ad crura pertransirent,lien quidem minuebatur, sed dum humores ad crura comportarentur,primum ei inguen doluit sinistrum(hoc enim positum est secundum lienẽ)postea uero dolores ad utranque tibiam transierunt. quæ symptomata in causa fuerunt, ut noctem commode traduceret. minxit etiam melioris coloris urinam,quæ alba, & pauca habebat subsidentia. die autem sequenti,qui nonus erat,cum sudore iudicatus est. tantum scilicet potuit decessio eorum, quæ infestabant,ad internas partes,& urinæ concoctio.uerumenimuero ne sic quidem potuerunt hæc a morbo ægrum, qui nono die sudauerat,prorsus uindicare: sed quædam erant prauorum humorũ reliquiæ,quæ recidiuam quartodecimo die attulerunt: a qua omnino decimoseptimo die iudicatus est. F seruabaturque in hoc ægroto in criticis diebus iudicatio.

### AEGROTANS IIII.

*In thaso Philini uxorem, quæ filiam pepererat,& secundum naturam purgata erat,& in ceteris recte habebat, decimoquarto a partu die ignis cum rigore inuasit:huic cor in primis dolebat,& dextrum hypochondrium: muliebrium dolores urgebant: purgatio cessauit: subdito autem, hac leuiora sunt facta: sed capitis, ceruicis,& lumborum dolores perseuerabant: somni nulli erant: extrema frigebant: sitibunda erat: uenter exustus est,pauca excreuit: urina tenuis, decolor primo: sexto die noctu multum delirauit; & iterum resipuit: septimo erat sitibunda, secessus biliosi syncere: octauo riguit, febris acuta: conuulsiones cum dolore, multum delirauit, surrexit: balano supposito, multa offusa bile deiecit; somni nulli: nono die conuulsiones: decimo aliquantulum resipuit: undecimo dormiuit, omnia meminit, sed statim in delirium recidit: urinam uero cum conuulsionibus multam affatim reddebat, raro admonentibus, crassam, albam, qualis est, quæ diu in matellis stetit, cum agitatur: non subsidebat: color autem & crassitudo urinis iumentorum persimilis. talis erat eius urina, quam ego uidi: decimoquarto die †palpitationes,totum corpus dolebat: multum loquebatur: aliquantisper mente constitit: breui rursus desipuit: decimoseptimo die obmutuit:uigesimo diem suum obijt.* 21

G †Hoc uerbũ abest ab impressis libris quibusdã, tamen & Hipp. Aldinus habet, & Gal. exponit.

Duo habentur in hac narratione,quorum alterũ cõmune est cũ ægrotis supra descriptis,& cum ijs, qui post describẽtur,quod scilicet ad criticos dies pertinet: alterũ uero est huius propriũ: huic.n.mulieri ex retenta post partum purgatione & morbus & mors comitata est: perijt aũt uigesimo die, cum decimum quartũ,& decimumseptimum ceteris deteriores esset experta.quod aũt ait, subdito autẽ, si nomẽ balani additum sit,perspicua eius est significatio.eo uero nõ adiuncto, intelliges balanũ, ut quidam uolunt,aut pessum,qui mitiget,inflãmationemq; discutiat.illud aũt in omnibus mulieribus, quarũ cohibita post partũ purgatio est,scire,memoriaq; tenere oportet,quasdã esse,quæ in extremũ mortis periculũ perducãtur: perpaucas uero,quæ modicæ sint infestatæ; propterea quod plurimis uterus inflammetur: nonnullis uero etiam in ipso partu sanguis diuersa qualitate fluxerit,his biliosus,illis melãcholicus,alijs æruginosus,aut pituitosus,aut mediocriter bonus:omnino uero inculpatus, nunquã: siquidẽ eius optima pars in fœtus alimentũ consumpta est,eius autem naturã indicant symptomata; quæ cohibitã a partu purgationẽ consequuntur: qualia huic,de qua hoc loco uerba fiunt, acciderunt. nam rigor, febris acuta,sitis,bilio susaffluxus,deliriũ,uigiliæq;,indicia sunt humoris biliosi redũdãtis: conuulsiones uero,& palpitationes,& urina similis ei iumentorum,crudi ea sunt,crassiq; speciei. itaq; H morbi in quibus hi succi utriq; redũdant,pessimi sunt: quibus febrẽ semitertianam succedere demonstrauimus.hæc igitur res causa fuit,cur huic mulieri periculosa esset ægritudo. utrum autem superstes futura, an moritura sit,symptomata & signa in ipso statim initio indicare nobis possunt. quare, exercitationis causa, mentem eis adhibeamus. primo die, qui a partu erat quartus decimus, ignis inquit,cum rigore mulierem corripuit: scimus autem ignem ab ipso febrem ardentissimam nominari: ceterum ille nondum omnino letalis erat: sicut neque cordis dolor, hoc est cum os uentriculi ei doleret: simili quoque modo neque muliebrium partium nec dextri hypochondrij dolores: sed addit etiam, somni nulli aderant: ex quibus omnibus cognitio malitiæ morbi augetur: non tamen est nobis perspicuum, utrum omnino ex his peritura sit: sicut nec ex eo, quod siti torqueretur, nec quod urina tenuis, & decolor esset: siquidem talis urina tempus ad concoctionem desiderat quidem, sed tamen perniciosa omnino non est: sed extrema, inquit, frigebant: id quod est perniciosissimum in principio morbi cum uehementissima febre coniunctum. equidem si scirem, quo robore mulier fuisset etiam de morbi longitudine ex prædictis symptomatis dicere possem: & utrum quandam haberet præter opinionem spem salutis, indicarem: quod quia nos latet, ideo meminisse debetis, quando ægrotos inuiseris, notam, quæ a uiribus ducitur, cum perniciosis symptomatibus

esse

A esse uobis coniungendam: siquidem ita demum pronunciare firmiter poteritis. in hac igitur muliere, dolores qui decimoquarto die totum corpus tenuerunt, & delirium, futuram mortem uel decimoseptimo, uel uigesimo die, pro criticorum dierum natura, denunciarunt: & sane utrunque usu uenit: nam decimoseptimo obmutuit: uigesimo perijt.

### AEGROTANS. V.

22 *Epicratis vxor, quæ apud Archegetem decumbebat, instante iam partu, rigore valido correpta est, neque incaluit, ut ferebant: postridie eadem erant: tertio die puellam peperit: ceteraque rite consecuta sunt: secundo partus die febris acuta eam inuasit, cordis, muliebriumque dolores. nulli somni erant: supposito autem, hæc releuata sunt: ceterum caput, collum, lumbique dolebant: aluus, pauca, biliosa, tenuia, mera deiecit: urina tenues, subnigra. sexto die, ex quo in febrim inciderat, sub noctem delirauit: septimo omnia exacerbata sunt: uigil fuit, delirauit, sitibunda erat, omnes deiectiones syncere biliosæ: octauo riguit: plus dormiuit: nono eadem habuit: decimo magno dolore torquebatur, iterumque cordis dolor, capitisque grauitas eam tenuit: non delirauit: plus dormiuit, aluus restitit: vndecimo sudauit: minxit melioris coloris vrinas, quæ multum sedimenti habebant: commodius habuit: decimoquarto riguit: febris* B *acuta fuit: quinto decimo vomuit biliosa flaua, subcrebra: sudauit, febre vacans: sub noctem vero febris acuta, vrina crassa cum albo sedimento: decimosexto exacerbatur, nocte magna cum molestia somnum oculis non vidit: delirauit: decimo octauo sitibunda, lingua torrida, non dormiuit: multum delirauit: crura ei dolebant: ad vigesimum diem mane aliquantulum riguit, comatosa erat, quiete dormiuit, euomuit biliosa, pauca, nigra: sub noctem surda est facta: ad primum & vigesimum diem sinistri lateris grauitas vndique cum dolore coniuncta: parum tussiebat: vrina crassa; turbida, subrubra, deposita non subsedit: cetera leuiora: igne non libera: mox ab initio fauces ei dolebant, rubescebantque: columella reuulsa: defluxio acris, mordax, salsa, perpetua fuit: ad septimum vigesimum diem febre vacabat. vrina habebat subsidentia: latus indoluit. ad diem quartum & trigesimum igni correpta est: venter biliosa fluxione turbatus est: quadragesimo die pauca vomuit, eaque biliosa: iudicata est, & ab igni prorsus octogesimo die liberata.*

Hanc mulierem cum iam status dies partus instaret, ait citra febrem riguisse. additum autem orationi est, ut ferebant, propter rei nouitatem: prisci enim ferme omnes existimabant, ijs rigoribus, qui spõte euenirent, febrem necessario succedere. dicuntur autem sua sponte euenire, qui nullam externam causam habent, itaque in præfatione libri, qui recte inscriptus est, prima de morbis, scriptum est, febrem ex rigore sequi necessario: nosque hunc rigorem, quem febris non sequitur, a frigidis, cru- C disq; humoribus exoriri docuimus: & idcirco nũc magis, q̃ olim existere, quod tota uictus ratio* dura unà cum balneis post cibũ, huiusmodi coaceruare copiam consueuit: quæ etiam uidetur in Epicratis uxore fuisse. itaque ait, eam primo die riguisse, nec incaluisse, hoc est, non febricitasse, itemque secundo die: tum tertio die enixam esse: ac fortasse etiam ante diem uere statum, partus ui rigoris editus est. proinde secũdo partus die, cordis hoc est oris uentriculi & muliebriũ (subaudiendũ enim est, locorum, ut etiam supra) dolorem eam scribit conflictasse. tum addit eam per suppositum esse leuatam. dictum autem est, uel balanum, uel pessum subaudiri posse. inde ordine recenset morborum acutorũ symptomata, capitis, colli, lumborumque dolorem: uigilias, ac deiectiones mere biliosas. ex quo planum est, non crudum modo, sed biliosum quoque humorem redundasse. cumque urinæ tenues essent, morbum produci necesse erat: & quia subnigras fuisse ait, id significat perturbationẽ, & rem a periculo non absuisse. & ad undecimum usque diem nihil certi de mulieris salute habebatur, cum interim nullum signum perspicuum apparuisset, ex quo quis aut mortem, aut salutem speraret: die uero undecimo quoddam salutis signum illuxit, cum ait, undecimo die minxit melioris coloris urinas quæ multum sedimenti habebant: commodius habuit: eo die, cum tandem concoqui humores inciperent, morbus erat diuturnus necessario futurus: quam ob rem die *quarto decimo primum iudica- D ta est: ut iam esset periculo uacãs. interea uero usq; ad quadragesimũ diẽ ægrotabat: prorsus uero liberata est octogesimo. quocirca fac memineris, quod etiam experimenta attestantur, diem quadragesimum, & octogesimum esse criticos: illudque falsum esse, neque experientia comprobari, integris hebdomadibus criticorum dierum iniri rationem: alioqui enim quadragesimus secundus, sexagesimus tertius, & octuagesimus quartus, non quadragesimus, sexagesimus, & octogesimus iudicationes afferrent.

* potius legẽdum est, labore uacãs, ut. 2. de cau. symp. 5. & lib. de rigore. cap. 7.

* quadragesimo.

### AEGROTVS. VI.

23 *Cleonactidem, qui supra Heracleium decumbebat, ignis errans corripuit: principio caput ei, latusque sinistrum dolebant, ceteraque, perinde ac lassa laborabant: febres aliàs aliter inordinate accedebant: modo sudabat, modo non: fere accessiones inuadebant criticis diebus maxime circa vigesimum quartum diem extremas manus dolor affecit: vomuit flaua, biliosa, subcrebra: paulo post vero æruginosa: cuncta remissa sunt: trigesimo die ab vtraque nare prorumpere sanguis cœpit, idque ordine inconstanti paulatim vsque ad iudicationem: non abhorrebat a cibo, nec sitibundus tota tempore erat, neque insomnis: vrina tenues, non decolores. quadragesimo die subrubra minxit, cum rubro sedimento multo: leuius habuit: post vero vrinæ variarunt, interim sedimentum habebant, in-*

*terim non : sexagesimo uero die urinæ multum habebant sedimentum , albumque , & læue : remissa sunt omnia :* E
*febres intermiserunt : urinæ iterum tenues quidem , sed boni coloris : septuagesimo die febris decem dies intermisit:*
*octogesimo riguit, febrem acutam habuit , multum sudauit : urinæ sedimentum rubrum , læueque habuerunt , ex toto*
*iudicatus est.*

Cleonactidem inquit ignis, hoc est uehemens febris corripuit. tum subiungit, errans, quod est, nul
lo ordine circuitus seruato, ut modo, uerbi gratia, uel tertio, uel quarto die febri corriperetur , modo
quinto, uel sexto : atque bona signa esse perpetuo consecuta, ut cupiditatẽ ciborum, & somni , non si-
tibundũ fuisse, urinasq; non decolores fuisse: quæ ipse ad uerbum ita scripsit , non abhorrebat a cibo ,
nec sitibundus toto tempore erat, neque insomnis : atque ijsdẽ innuit, humorẽ redundantẽ non esse bi
liosum & calidũ: siquidẽ ab eo homines sitibundi, insomnesq; , ac potius a cibo abhorrẽtes, hoc est nõ
appetẽtes reddũtur. si igitur quemadmodũ urinæ boni coloris perpetuo fuerunt, ita & mediocre sedi-
mentum habuissent, morbus non esset in tẽporis diuturnitatẽ protractus : sed fortasse die quadrage-
simo iudicatus esset. si item nubeculã bonã habuissent, citius depulsus morbus fuisset. nunc uero quia
urinæ tenues semper erant longũ tẽporis spatiũ ad concoctionẽ postulabãt. itaq; ait, eũ die quadrage-
simo urinã subrubrã minxisse, in qua erant subsidẽtia rubra : quod sane urinæ genus in libro præsagio-
rũ dixit esse multo, quàm quæ sedimentum album habet, diuturniorẽ. ualde tamen salutarẽ a die qua- F
dragesimo uarie affectam fuisse eius urinam scripsit : ut modo sedimentum haberet, modo non. quod
cum erraticis accessionibus conuenit : quandoquidem illæ pro uarietate humorum morbos efficien-
tium excitantur. & urinæ concoctio, & cruditas quæ alternantes uidebantur, eorum nonnullos conco
qui, nonnullos uero permanere incõcoctos indicabant. die autẽ sexagesimo ait, multum, læue, & albũ
sedimentum extitisse : proinde subdit, omnia remissa sunt , ac febres intermiserunt . Sed quia postea
scripsit, urinæ iterum tenues quidem, sed boni coloris: innuit quosdã humores adhuc incoctos super-
fuisse : quibus paulatim concoctis, dies octogesimus perfectam iudicationem attulit : de qua ita ad
uerbum, Octogesimo riguit, febrem acutam habuit, multum sudauit, urinæ sedimentum rubrum, læ-
ueque habuerunt; ex toto iudicatus est. Hoc & loco memor esto, sedimenti formam plurimum posse :
nam urinæ sedimentum album quidem , sed crassum fuisse in ijs docuit, qui mortui sunt. itaque de Si-
leno, qui secundo loco in hoc libro descriptus est, ita dixit, Minxit multum, quod subcrassum euade-
bat: quod subsidebat, simile erat farinæ crassioris, album : cum tamen hic Silenus, qui decimo die hu
iusmodi urinam reddiderat, die sequenti, hoc est undecimo sit defunctus. Sed memineris quoque cir
cuitus criticorum dierum : quia sexagesimus præiudicauit, non sexagesimus tertius : deinde octoge-
simus, non quartus & octogesimus. itaque tres hebdomades non ad primum & uigesimum diem pro G
grediuntur, sed uiginti diebus terminantur.

AEGROTVS VII.

*Metonem ignis corripuit : lumborum grauitas dolorem inuehens : postridie cum multum aquæ biberet, bene aluus de-* 24
*iecit: tertio die capitis grauitas erat, retrimenta tenuia , biliosa , subrubra : quarto exacerbata sunt omnia : bis de nare*
*dextra sanguis paulatim fluxit : nox grauis fuit : deie ctiones, quales die tertio : urinæ subni græ, in quibus subnigra pende*
*bant, sparsa, non residebant : die quinto e dextra nare merus large fluxit ; sudauit, iudicatus est. a iudicio , insomnis erat,*
*delirauit, urinæ tenues, subnigræ: capitis lotionibus usus dormiuit : mente constitit. in hoc non erat recidiua, sed sæpe etiam*
*sanguis post iudicium erupit.*

Hic ægrotus uniuersalẽ hunc sermonẽ cõfirmat, largũ e naribus sanguinis profluuiũ plerũq; liberat:
siquidẽ a solo sanguinis profluuio & iudicatus, & seruatus uidetur, quãuis nõ omnino tuta signa habe-
ret. ait. n. quarto die urinas subnigras fuisse : tũ subiungit, in quibus subnigra pẽdebant, dispersa, nõ re-
sidebãt : ac die quinto, licet sanguis profluxisset, atq; sudasset, & ab ijs esset iudicatus, tamẽ postea uri-
nas ait tenues, subnigrasq; fuisse, ipsumq; peruigilasse, ac delirasse, hoc est, nugatũ esse. cuius ipse reme- H
diũ præsentissimũ te docuit, ut caput laues: præsertim cum in libro de ratione uictus in morbis acutis
dixerit, caput nõ lauandũ esse ijs, quibus de naribus sanguis erũpit, nisi minus, quàm par est, fluat. nunc
aũt minus iusto erat, siquidẽ & in uigilijs, & in delirio perseuerabat. illud &, quæ ducere oportet , eo
ducenda esse, quo potissimum uergant, per loca accommodata ; quod recte in uniuerso dicitur, ex eo,
quod modo factũ est, fidem sumit. Illud quoq; memento, cum tertiũ exponeret diẽ, dictũ esse, capitis
grauitatẽ adfuisse : quod capitis repletionẽ significat. animaduertas etiã, die quarto , qui criticus est,
sanguinis profluuiũ incepisse : quinto, ubi sanguis prorsus profluxisset, ipseq; sudasset, esse iudicatũ: quę
tamen omnia in libris de criticis diebus copiosius pertractata habebis. quod uero in extremo totius
narrationis adscripsit, in hoc recidiua non erat, sed sæpe & sanguis post iudiciũ erupit, ideo dictum est,
quod sine urinarum concoctione iudicatus est. didicimus aũt in hoc ipso libro, maturationes celerita-
tẽ iudicij, salubrẽq; securitatẽ promittere: cruda uero, & inconcocta in malos abscessus deflectere, aut
iudicationis uacuitatẽ, aut labores, aut interitus, aut diuturnitatẽ, aut eorũdẽ recidiuas. atqui cruda ad-
huc, incõcoctaq; erãt, nec tamen sunt in abscessus malos conuersa. itaque eos abscessus optimos esse,
ipse docuit, qui effluxione fiunt : secundum hos uero , qui sunt a locis affectis remotissimi , & in infe-
riores corporis partes pertinent.

A

AEGROTVS. VIII.

25 *Erasinum, qui ad Boota torrentem habitabat, ignis a cena corripuit: noctem turbatam habuit, diem primum quiete, noctem laboriose traduxit. postridie exacerbata omnia: nocte delirauit: tertius dies laboriosus fuit, multum delirauit: quartus fuit molestissimus: nocte nihil dormiuit, insomnia, imaginationes, deinde peiora, & magna, & periculosa, timor, implaciditas: quinto die mane recreatus est, omninoque resipuit: ad meridiem uero multo furore correptus est: contineri non poterat: extrema frigida, & sublimida, urina inconcocta: perijt sub solis occasum. hic febrem perpetuo habebat cum sudore, hypochondria eleuata, contenta cum dolore: urinæ autem nigra suspensiones rotundas continebant, non subsidebant: uenter stercus excreuit: sitiebat continenter, non ualde: multæ conuulsiones cum sudore: & sub mortem perpetuæ erant.*

Hic Erasinus perpetuo sudauit, hoc est, per totum morbum sudor citra iudicationem prodibat. hypochondria male affecta erant, & urinæ nigræ, ecquænam igitur erat in eo salutis spes? itaque merito quis putabit, frustra de eo scriptum esse, cum uel omnibus planum sit, quid esset de hoc homine futurum: sed fortasse huius fecit mentionē, ut celeris interitus exemplum afferret: in libro.n.præsagiorū
B prædixit, Febres, siue sanus ab ipsis quis euadat, siue pereat, æquali dierum numero iudicantur: deinde addit, omnes, quæ benignissimæ sunt, & firmissimis fulciuntur notis, die quarto uel ante quiescere solent: tum subiungit, malignissimæ, & quibus periculosissima signa adsunt, die quarto, uel citius interficiunt. Erasinus uero, quanquam omnia grauia habebat, tamen ad idem quintum progressus est, propterea quod primo die mediocriter habuerat. itaque de eo ad uerbum scripsit, diem primum quiete traduxit. atque ita dies quintus ab initio, in quo mortuus est, si primum non adnumeres, quartus efficitur.

AEGROTVS. IX.

26 *Critoni in Thaso, recte ambulanti, pes dolere ex pollice uehementer cœpit. decubuit eodem die, horrescens, fastidiosus, parum calens, nocte desipuit. altero die tumor toto pede, & ad talum, subrubens, cum contentione. pustula nigra, febris acuta, insanijt. deiectiones puræ, biliosæ, subcrebræ fuerunt. perijt postridie, quàm ægrotare cœperat.*

Aegrotus hic, propter interitus celeritatem, memoratu dignus est. quod si ratio mortis esset ad
C scripta, tum sermo nobis ex toto esset accommodatus. nunc uero ex ijs, quæ scripsit, apparet, multam fuisse humorum copiam, quam natura a principibus partibus ad crura demittere, conata est: sed cum id membrum totam capere non posset, omne superfluum, quod reliquum erat, retro cedens, ad caput ascendit: quod, quia malignum erat, ideo furiosum delirium excitauit. statim uero maligni excrementi certa signa extiterunt pustulæ nigræ, quæ ad talum exortæ sunt. quare admiratione dignum est, cur huic in morbi initio uenam non secuerit: sed scimus eum, ad plurimos eorum, quos descripsit, morbo iam progresso, esse euocatum.

AEGROTVS. X.

27 *Clazomenium, qui prope Phrinichidai puteum decumbebat, ignis inuasit. in principio illi caput, collum, & lumbi dolebant. statim surdus est factus. somni nulli. febris acuta eum corripuit. hypochondrium cum tumore attollebatur. contentio parua, lingua arida. die quarto noctu desipuit. †quinto, cum labore exacerbata sunt omnia. ad diem undecimum, aliquantum remissa sunt. deiectiones ab initio ad quartum decimum diem, multa, tenues, aquei coloris fuerūt. quod ad alui excrementa pertinet, commode habebat. inde aluus constitit. urinæ perpetuo tenues quidem, ceterum bo-*
D *ni coloris, multumque suspensionum dispersarum habebant. non subsidebant. die sextodecimo minxit paulo crassius; habuitque modicum sedimenti. parumper leuatus est. magisque mente constitit. septimo decimo iterum urinæ tenues. secundum utranque aurem tumor cum dolore exortus est. somnis carebat. delirabat: crura dolebant. uigesimo die, febre liber, iudicatus est, non sudabat, prorsus mente constabat. ad uigesimumseptimum diem coxa dextra uehemens cum dolor incessit. qui subito sedatus est: at aurium tubercula neque residebant neq; suppurabant. die trigesimo primo dolebat: uenter fluebat multis aquosis excrementis, & qualia esse in dysenteria solent: urinas crassas reddidit: turbercula aurium resederunt. quadragesimo die oculus dexter dolore conflictabatur. obtusior aspectus erat, ad statumsuum rediyt.*

† Aliter ex v. lib. quintus dies laboriosus fuit: sexto oīa sunt exacerbata.

Hic uir cum testimonium, tum etiam exemplum non mediocre est uniuersalium præceptorum: nos uero initium ab urinis ducamus, de quibus ita scripsit: undecimo die urinæ perpetuo tenues quidem, ceterum boni coloris, multumque suspensionum dispersarum habebant: non subsidebant: perinde enim, ac tales ab initio fuissent, eodemque in statu permansissent usque ad decimum sextum diem, ita de eis memorasse uidetur, die autem sexto decimo earum mutationem indicauit, quasi tum primum facta sit. itaque dixit, die sexto decimo minxit paulo crassius; habuitq; modicum sedimenti. perspicuū igitur est, urinas quæ tenues sunt, sed boni coloris, illa coloris bonitate salutē futurā significare: quatenus uero tenues sunt, eatenus tempus ad sui concoctionem postulare. eorum autem, quæ molestiam afferebant,

afferebant, non unum genus erat: nam cum dixisset, sexto decimo die urinas esse commutatas, deinceps subiunxit, septimo decimo iterum urinæ tenues: eodemque die ait, tumores ei prope aures exortos esse: sique urinas crassas habuisset, uigesimo die ex toto conualuisset, cum decimus septimus sit uigesimi index. itaque eo die est prorsus indicatus, iudicium tamen firmum non fuit: siquidem tubercula secundum aures neque resederunt, neque suppurarunt. quinetiam dolore conflictabatur, & alui fluxio incepit cum excrementis, qualia in dysenteria solent: hoc est ramentosis: quæ erant acrimoniæ humorum, qui excernebantur, notæ: quibus cum urinæ crassæ accederent, tumores secundū aures resederunt. quæ cum ita progrederentur, perfecta morbi depulsio die quadragesimo facta est. quocirca in eiusmodi iudicijs meminisse debes non modo ultimi, quod in circuitu criticorum dierum efficitur, sed eius etiam, quod in medio contingit: in omnibus enim ægris, non in his solis, iudicia fieri criticis diebus intuebere. tumores autem secundum aures criticis diebus exorti sunt: septimodecimo uero parotides extiterunt: die uigesimo septimo dextram coxam dolor inuasit, enim natura redundantiam deorsum amandaret, nec dum excretionem per aluum efficere ualeret: quam quarto post die excitauit. die autem uigesimo iudicium non absolutum factū esse, iam cognonimus. quamobrem circuitus criticorum dierum testimonio eorū sint, quæ in ægrotis dilucide conspiciūtur. E F

### AEGROTANS. XI.

*Dromeadæ uxorem, quæ filiam enixa erat, cum cetera omnia rite essent consecuta, postridie rigor corripuit, febrisque acuta: primo die circa hypochondrium laborare cœpit, fastidiosa, cum horrore, & implacida: sequentibus diebus somnū non uidit: spiritus rarus, magnus, † hypochondriū statim reuulsum. postridie eius diei, quo riguerat aluus commode stercus deiecit: urinæ crassæ, albæ, turbidæ, cuiusmodi sunt, quæ in matellis diu steterunt, cum agitantur: non subsidebant: nocte non dormiuit: tertio die ad meridiem riguit, febris acuta: urinæ eædem hypochondrij dolor, fastidiosa: nox grauis ei fuit, non dormiuit: sudor undique frigidus: statim ei calor rediJt: quartò die dolor hypochondrij remissus est. capitis grauitas cum dolore: paulisper sopor usa est: parum e naribus stillauit: lingua peraridа: sitibunda: urinæ paucæ, tenues, oleosæ: parum dormiuit: quinto sitibunda, fastidiosa, urina eadem: aluus nihil excreuit: sub meridiem multum delirauit: ac rursus confestim parum resipuit: surgebat, ac deinde soporata est: parum frigebat: nocte dormiuit, delirauit: sexto mane riguit, incaluit, ex toto sudauit: extremæ partes frigidæ factæ sunt: delirauit, spiritus rarus, magnus: paulo post conuulsiones a capite cœperunt: cito est mortua.* 28

† In quibusdā lib. legit̃ αὐτίκα ἀνεσπασμένον. i. statim reuulsus, & nomen hypochōdrij non est: sed Gal. cū facit mentionē spiritus, non addit, eū fuisse reuulsum: ideo uulgatā lectionem seruauimus.

Hanc primo statim die morbo acuto laborasse, planum est: secundo uero die ex his symptomatis, G quæ dicta sunt, cum iam signa ex urinis præcessissent, eam celeriter morituram esse, quispiam esset iure suspicatus. erant enim urinæ satis malæ, & conturbatæ: nec ullo modo residebant. quinetiam tertio die & urinæ, & symptomata cuncta permanserunt: quæ mortis expectationē confirmabant. quarto autem cum nares præterea stillarent, urinæque oleosæ apparerent, factū iure est, ut sexto die sit mortua. iam in hac quoque spiritum rarum, magnumq; fuisse ait, qui eam esse deliraturam nunciabat.

### AEGROTVS. XII.

*Quidam adolescens cœnauit, potauit largius, uomuit cuncta: nocte febris acuta, hypochondrij dextri dolor, inflammatio submollis in externis partibus: nox ei molesta fuit: urinæ primo rubræ, crassæ, repositæ non consistebant, lingua perarida, non ualde erat sitibundus: quarto febris acuta, cum undique dolor affligebat: quinto minxit læue, oleosum, multum, febris acuta: Sexto die uesperi, multum delirauit, nec nocte dormiuit: septimo exacerbata sunt omnia, urinæ eædem, multa uerba, imperare sibi non potuit: aluus irritatione liquida, turbida, cum lumbricis excreuit: laboriosa nox fuit: mane riguit: febris acuta, sudauit multum: febris expers uisus est: non multum dormiuit: a somno refrixit, spuit: uesperi ualde delirauit, non multo post uomuit nigra, pauca, biliosa: nono die frigebat, multum delirabat, somnum non cœpit: decimo crura doluerunt: omnia sunt exacerbata, delirauit; undecimo mortuus est.* 29 H

Hæc narratio in primis nos docet, operæ pretium esse attendere, ut morbi primum inuadunt, ut ne his neglectis, temere cibum offeramus, licet morbi exigui esse uideantur: nam hic uir, quia intempestiue cœnam sumpsit in principio febris, quæ esse parua uidebatur (hoc enim indicauit, cum dixit, ca lescens) læsus etiam ex eo est, quod cibum minus opportuno tempore sumpsisset. at largius etiam, inquit, potauit, ignarus nimirum, hoc esse magni morbi principium. itaque iure factum est, ut hæc euomuerit, febrisque unà cum symptomatis non contemnendis illis quidem, sed quæ tolerari nō possent, acuta inuaserit tum urinæ crassæ non subsidentes extiterint. quinto autem die perspicuum erat, ei mortem plane instare, cum urinæ oleosæ, præter symptomata prædicta, redditæ essent, quas etiam septimo die excretas esse scripsit. ceterum hic quoque die critico, undecimo perijt.

### AEGROTANS. XIII.

*Mulierem in littore decumbentem, ac trimestri fœtu grauidam ignis inuasit, lumbi statim ei dolere cœperunt, tertio die dolor colli, & capitis secundum ingulum, & manum dextram, lingua subito obmutuit, dextera manus cum conuulsione clangut* 30

A *clanguit,ut attonitis solet,prorsus delirabat.nox ei molesta fuit,nec dormiuit,aluus ei turbata est,ac biliosa,pauca, meraque excreuit,quarto uox linguam defecit ; eadem conuellebantur,dolores [illegible] partium perseuerarunt,hypochondrium cum dolore conuulsum est,somnum non cœpit,prorsus delirauit,al[illegible] turbata , urinæ tenues,nec boni coloris:quinto febris acuta,hypochondrij dolor,prorsus delirauit,excretiones alui biliosa ; nocte sudauit, febre liberata est,sexto resipuit, in omnibus est releuata,sed clauicula sinistræ dolor permansit,sitibunda,urinę tenues, non dormiuit,septimo tremuit, aliquantulum soporata est,parum delirauit,dolores clauiculę,& brachij sinistri permanserunt , reliqua sunt remissa , mente omnino constitit,triduum sine febre fuit,undecimo eam repetiuit,riguit,ignis eam corripuit. ad quartumdecimum diem uomuit biliosa,flaua,subcrebra,sudauit,febre liberata est.non citra dolorem ab ijs ipsis est affectibus indicata .*

Quamuis graues omnes morbos,uel etiã periculosiores in hac fuisse muliere memorarit , ea tamen seruata est.nec possum ego non mirari,cur de ætate nihil scripserit : sed conuenit,prædictorum meminisse,ut exemplum rarum habeas,quasdam grauidas mulieres in huiusmodi morbis non solum reseruari posse,sed etiam partum reseruate.illud etiam par est habere in memoria,fœtum trimestrem, & quadrimestrem difficillime omnium reuelli posse : cuius ipse non nescius,in aphorismis dixit, grauidis medicamentum dandum est,si materia turgeat quarto mense usque ad septimum , sed his minus : minoribus uero, ac prouectioribus uerendum est,nam uincula per quæ infantes utero adhærent , imbecillia
B sunt,& eorum totum corpus tenerum est:qui uero prope partum sunt,cum magni iam sint , multo alimento egent:quo destituti sæpe in acutis morbis pereunt . ex quo fit , ut difficillimum sit, recte uictus rationem instituere ei,quæ conceperit , si in morbum acutum cadat:si enim,ut non grauidas,parce nutrias,partum perdes:si habita fœtus ratione,liberalius alas,ipsam prægnantem in periculum adduces. quam ob rem trium,& quatuor mensium fœtus magis,quàm alij , conseruantur. huic igitur mulieri, licet essent urinæ albæ,& non boni coloris,tamen propter naturæ robur contigit , ut, quia noctu per sudores febrim discussisset , seruaretur : nec morbus diebus consequentibus usque ad undecimum poterat ualidus esse:quo die cum repetijsset cum rigore uomitu est & sudore ex toto iudicatus . nam quæ a die quinto ad undecimum usque symptomata intercesserunt,ea ad neruorum,non autem ad uenarum aut arteriarum genus pertinebant . itaque , inquit , die septimo tremuit, aliquantulum est soporata,parum delirauit : quæ enim erant in uenis, ea post quinti diei iudicationem melius concoquebantur:quare die sexto scripsit,urinæ tenues,nec addidit,non boni coloris.hæc autem utile est,memoriæ commendare:& quod de quinto die ait,ut iudicationes certaminis plenas adducit.nã & paulo ante alius ægrotus per sanguinis eruptionem iudicatus est:& modo mulier,de qua est instituta oratio, per sudorem:cũ
C tamen in utrisque morbus eo die inconcoctus esset:quæ res fecit,ut minus absoluta sit facta iudicatio.

AEGROTANS XIIII.

31 *Melidia,qua prope Iunonis templum decubuit,caput,collum,& pectus uehementer dolere cœpit, statimque febris acuta eam corripuit,menstrua pauca fluxerunt:dolores horum omnium erant perpetui:sexto die sopore tenebatur , itemque fastidio,horrore,ac malarum rubore: parum delirauit,septimo sudauit,febres intermisit,dolores permanserunt,repetijt,somni pauci , urinæ perpetuo quidem boni coloris,sed tenues , deiectiones biliosæ,mordaces,admodum pauca,nigra , fœtidę fuerunt , in urina subsedit album,& leue: sudauit,die autem undecimo est absolute indicata.*

In hac quoque muliere urinarum formam principio descripsit:siquidem in fine narrationis dixit,urinæ perpetuo quidem boni coloris,sed tenues fuerunt:quæ enim plane tenues sunt, eæ natiuam coloris bonitatem habere non possunt,nam quæ boni coloris sunt, modice pallidæ sunt : quæ uero ex toto tenues sunt,eæ sunt albæ.ut uero bonus urinarum color cum tenuitate coniungi potest,ita accipere oportet,ab eo dici,urinas boni quidem coloris,sed tamen tenues, perpetuo fuisse. atque hæc quoque mulier ob naturæ robur fuisse superstes uidetur.

# GALENI IN LIB. TERTIVM

## DE VVLGARIBVS MORBIS.

### COMMENTARII TRES.

### ARGVMENTVM PRIMI.

Tertius hic liber, quæ in tribus ægrotis Hippocrates obseruarit, priore parte continet: & Hippocratis uerus est.

*Pythion, qui prope ædem telluris habitabat.* 1

Puta hoc per se scriptum esse pro titulo, Pythion qui prope ædẽ telluris habitabat: & alio sumpto initio, narrationem eorum lege, quæ illi cõtigerunt: præstat enim existimare ita Hippocratem scripsisse, quàm ut in ipso statim initio solœcismum data opera commiserit: cum nulla huiusmodi figura toto in libro, nec cum ægros, nec cum pestilentiam exponit, usus sit. quidam in dandi casu scripserunt, Pythioni, qui propter ædem telluris habitabat; ut solœcismi scrupulum effugerent. F

*Incœpit primo die tremor a manibus, febris acuta, nugabatur.* 2

Ait primo statim die, duo symptomata, manuum tremorem, & quandam paruam insipientiam Pythoni unà cum febre acuta accidisse: solet enim ipse alijs atque alijs uerbis, quanta desipientia sit, declarare, cum modo nugatum esse, delirasse, desipuisse, dementem fuisse, modo uesanum fuisse, uel amentem, insanisse, & furore exagitatum esse scribat. quocirca si Pythion nugatus est, cum modice desipuisse planum est. ceterum didicimus, musculorum infirmitatem tremoris causam esse: desipientiam uero oriri, cum cerebrum uel propter inflammationem, uel propter biliosi succi redundantiã offensum est: febrem uero acutam ex humorũ corruptela existere. quod si, quæ morbum præcesserunt, ut in alijs fecit, sic in Pythione adscripsisset, fortasse ex ijs quiddã nobis suppeditaretur, quod unde morbus ortus esset, indicaret. quia uero ipse hæc non adiecit, nos ex ijs solum, quæ adscripsit, id ipsum peruestigare conabimur: cum etiam ex eo, quod nihil de ijs, quæ morbum antegressa sunt, prodiderit, quædam nobis suppetat affectionis corporis indicatio: etenim si ex intẽpestiuis exercitationibus, aut potationibus, aut usu rerum uenerearum, ut scribere consueuit, aut ex aliqua alia re, quæ multum a consueta uictus ratione deflecteret, febricitare Pythion cœpisset, id iam silentio nõ transiuisset. ex quo perspicuum est, morbum fuisse longo temporis spatio sensim præparatum. itaq; cum tremores causam, ut ita dicam, coniunctam habeant, uirium imbecillitatem; illæ autem imbecillæ fiant aut per se, aut propter plenitudinem ipsas prægrauantem: tremor, qui uirium offensioni comitetur, in morbi principio nũquam existit, nisi uehemens subsit ægritudo, aut fames, aut lassitudines, aut uigiliæ, ac solicitudines, aut deniq; nimius rerum uenerearum usus: quorum siquid factum esset, omnino id Hippocrates, ut solet, memorasset. cum igitur nihil tale scripserit, uires plenitudine oppressas esse, existimãdum est. cumque tremor manus occuparit, quarum nerui ex medulla ceruicis oriuntur, cum item homo nugaretur; cerebrum quoque ipsum aliquem uitiatum humorem excipere, indicatur. itaque Hippocrates, cum hominem in periculo uersari cognosceret, sanguinem ei detrahere debebat: idque uel primo die, si nullus inconcoctus cibus uentre continebatur, uel omnino secundo: hocque magis, quod post primi diei explicationem, ipse subiunxit. G A.l.3.f.2.t.c. 11.p.401.C A.l.3.f.10.t. 2.c.11.p.690 D

*Secundo die exacerbata sunt omnia.* H 3

Videtur enim augeri morbus, non quasi paruus esset, a qualibet corporis affectione profectus; sed cum ipse magnus, tum causam habens non contemnendam. quia uero non in Pythione solum, sed in alijs quoque ægrotis permultis, qui missione sanguinis, quantum nos ex eius scriptis conijcimus, indigere uidebantur, eam non esse adscriptam comperimus: ideo alterutrum suspicemur necesse est, aut non detractum illis hominibus sanguinem, aut huius auxilij narrationem silētio ab eodem inuolutam. ac nemini quidem eorum, qui id requirebant, missum esse sanguinem, minime mihi persuaderi potest: præsertim cum ipse hoc remedij genus amet, ut in uerissimis eius libris declarauit, nẽpe in aphorismis, in libro de ratione uictus in morbis acutis, in eo, qui de articulis est, atque adeo in hoc ipso tertio de morbis uulgaribus, cum de ægroto quodam scripserit, octauo cubitum secui, multum, ut debebat, effluebat: nam si die octauo uenam secuit, multo est probabilius, prioribus diebus hoc esse usum remedio. non est etiam probabile, ut non singulis ægris, quibus id remedij adhibuit, non adscripserit, cum uel eo minorum, atque adeo glandis suppositæ meminerit. quam ob rem si quãdo ab utraque parte absurda oratio est, tum quod minus absurdum est, eligendum puto. equidem adhibitum hoc remedium multis existimo, sed tanquam manifestum, in narratione esse prætermissum. in quam sententiam illud me

A me potissimum adducit, quod de ijs, quibus octauo die missus sanguis est, prædiximus: siquidem uidetur id scripsisse, tanquam rarum: & quibus ante diem octauum detraheretur, tãquam consuetum omisisse: etenim si in ueris eius libris, cum magni morbi sunt, sanguinis missione semper utitur, ad quam faciendam hæc duo sola intuetur, ætatem & uires ægrotantis, & his ipsis in libris de uulgaribus morbis ait, cuidam octauo die missum sanguinem esse, profecto nihil aliud possumus suspicari, quàm hoc remedium in ægris non esse præteritum ipsum quidem, sed tamen in narratione, ut manifestum, non esse memoratum. quare de sanguinis missione, quia oratio ad ægrotos omnes pertinet, semel dixisse, ut de ceteris, quæ sunt communia, sufficiat: ea uero, quæ sunt cuiusque propria, exponemus; & initiũ a Pythione, ut instituimus, ducemus.

4 *Tertio eadem erant: quarto, aluus pauca, mera, biliosa deiecit: quinto exacerbata omnia; tremores perseuerabant; somni tenues erant; aluus constitit: sexto sputa uaria, subrubra: septimo os est distortum: octauo omnia exacerbata sunt, ac tremores quoque permanebant. urina a primo ad octauum usque diem tenuis, decolor, suspensionesque nubilosas habebat: decimo sudauit, sputa subcocta: subiudicatus est: urina circa iudicium subtenuis: quadragesimo autem a indicatione die suppuratio circa sedem, & stranguriosus abscessus factus est. |̄||. |̄|. ΟΥ. Μ. Τ. Ρ. Μ. Ψ. ΧΛ. Σ. hoc est. probabile multitudine urinarum quadragesima seruatum.*

B

Cetera quidem, quæ in hac oratione sunt, symptomatum narrationem & uerbis, & sententia perspicuam continent: siquidem ea frequenter euenire acuto morbo laborantibus consueuere: eorumque uires & in libro præsagiorum, & in primo horum librorum de uulgaribus morbis percepimus: & uero etiam in secundo non pauca dicta sunt, quæ ad ægrotantium narrationem pertineant: sed quod in sexti diei explicatione dixit, sputa uaria, subrubraque, nec addidit, aut pleuriticum, aut peripneumonicũ Pythionem fuisse, quæstionem nobis reliquit, utrum huiusmodi sputa, alia quoque ratione possint in acutis morbis, an uero solum peripneumonicis, atque pleuriticis contingere. uidetur sane ipse arbitrari, effici ea aliter posse, cum scilicet uitiati humores confluant illi quidem in pulmonem, sed ita tamen pauci omnino, ut uiscus inflammatione non corripiatur. cum autem nec pleuriticum, nec peripneumonicum fuisse, uel ex eo patet, quod Hippocrates, ne nominatim quidẽ, immo uero nec ab aliquo symptomate, quod separari non queat, horum uitiorum meminerit: nam uel lateris dolorem, uel respirandi difficultatem memorasset. neque etiam læso capite huiusmodi reiectari sputa animaduertimus: sed talia cum tussi difficultate respirationis, & lateris dolore quandoque cernũtur. equidem duos uidi, atque eos quidem febris expertes, qui talia sputa colore pallida extussirent: sed alterum paulatim febriculæ

C paruæ exceperunt. ea autem affectio in longum producta tempus, febribus perseuerantibus, hominẽ tabidum indicauit: alterum uero sine febre talia continuis paucis diebus expuentem nihil est mali consecutum. itaque uerisimilé est, in primis thoracis regionibus, ubi multas ceruicis uertebras attingit, aliquam humorum redundantiam, non multam tamen, constitisse, a qua non posset respirationis difficultas excitari: propterea quod primum intercostale ad respirationis actionem non magnopere cõducat: sed cum uitium esset in radicibus neruorum, in manus pertinentium, neruique grauarentur, manus tremulas esse factas: nam ex primo intercostali & uertebris ei superpositis nerui, qui manuũ musculos mouent, oriuntur. quæ sane inde confirmantur, quod tumores unà cum sputis, quæ successere, permanserunt: & quod, cum aliquod concoctionis signum in eis uisum est, tremores cessarunt, morbusque discussus est, cum iudicatio esset per sudores consecuta. quanquam autem incoctæ urinæ erant, sputorum tamen concoctio iudicauit, iudicationemque attulit: ut neutrum signum, quod significare solet, falleret: cum enim duplici affectione æger teneretur, altera febris in succis, qui uenis continebantur; altera, quam modo diximus, in thorace: prior non est ex toto depulsa sudoribus, cum incocta adhuc esset: altera discussa est, quod nihil prorsus in thorace reliquiarum superesset. itaque hunc ipse in modum scribit: decimo sudauit, sputa subcocta, iudicatus est: urina circa iudicium subtenuis: indicans nimirum

D quę in libro præsagiorum de urinis tenuibus tradidit, quæ duplices sunt: primæ sunt hæ, ceterũ quoad
" urina rufa, tenuisque sit, incoctum morbum significat: alteræ hæ: si urina tenuis, & cruda diu reddatur,
" & reliqua salutaria signa sint, his abscessus in locis septo transuerso subiectis portenditur: quod in causa fuit, ut sub finem eorum, quæ Pythioni acciderunt, hæc ad uerbũ scripserit, quadragesimo a iudicio die suppuratio circa sedem, & stranguriosus abscessus factus est. quia uero & tremoris manuum, & nugarum primo statim die fecit mentionem, & in sequentibus etiam scripsit, omnia esse exacerbata & in septimo subiunxit: os distortum esse, discutiendum nobis est, utrum augescente cerebri uitio, an deorsum diuertente oris sit facta distortio. ex ijs autem, quæ deinceps dicta sunt, apparet, migrationem potius in partes inferiores factam esse, non autem cum cerebro eas consensisse: fortasse etiam quod homini detractus sanguis esset, mirificam est inde utilitatem cõsecutus. sed nec dum primis diebus quicquam uel exiguum apparebat sputorum eius affectionis, quæ latus obsidebat: nec tamen propter ipsius malignitatem: scimus enim grauissimas peripneumonias, pleuritidasque esse eas, in quibus nihil expuitur: ut etiam ipse nos docuit: sed hoc loco non est existimandum, ob morbi grauitatem nihil sputi primis diebus redditũ esse, sed quia ad primum intercostale solum erat affectio. quod si grauis quoque erat, certo in eo solum loco erat constituta; itaque nihil expuebatur. potuit igitur teuulsis missione sanguinis ijs humoribus, qui eo in loco exuberabant, initium concoctionis affectio nancisci sexto die,

in

in quo primum fecit ſputorum mentionem . quod uero de decimo die memorandum diſtuli, id eiuſmo E
di eſt: ut nemo in his uulgatium morborum libris ſit decimo die iudicatus, neque ipſe uſpiam decimũ
eſſe criticum enunciarit, ut non paucis in locis dixit undecimum . habes autem omnes eius de hac re
ſententias in libris de criticis diebus collectas : in quibus etiam probatur, quadrageſimum morbos iu-
dicare, non quadrageſimum ſecundum, ut quidam putabant, qui criticorum dierum circuitus integris
hebdomadibus fieri arbitrabantur. ſi uero quiſpiam exiſtimet ob id ſolum morbum non eſſe ex toto iu
dicatum, quod Pythion decimo die & non undecimo ſudarit, is non recte exiſtimat : ſi quidem iudica-
tio neceſſario imperfecta facta eſt, quia morbus nondum concoctus erat: multos enim cum ipſe Hippo
crates ſcripſit, tum nos uidimus diebus criticis nõ eſſe perfecte iudicatos propter ſolam urinæ incõco
ctionem. cum uero hæc duo coniuncta eſſent, ut & imbecillis decimo die eſſet, & urinæ inconcoctæ, for
taſſe ne iudicari quidem debuerat : aut non ſalubriter, & critice. forte autem ſcriptum erat, nõ decimo,
ſed undecimo, & ſtatim ab initio menduma librarijs commiſſum eſt, ut in alijs pleriſque apparet, quæ
ab ijs qui primi deſcripſerunt, neglecta ſic perpetuo permanſerunt . ſed hæc de die decimo ſufficiant.
præſtat autem diligenter, & non obiter intueri, quas nubiloſas ſuſpenſiones eſſe exiſtimandum ſit. nam
in præſagijs ſcriptum eſt, Nubes in urinis peruectæ albæ quidem bonæ, nigræ uero malæ. quare in præ
ſagijs neque urinas, neque ſuſpenſiones nubiloſas dixit, cum tamen eo in libro omnia præſagia, quæ in F
morbis acutis ab urinis ſumẽda ſunt accurate docuerit. ac ne interpretum quidem huius libri quiſquã,
quam eſſe nubiloſam urinam Hippocrati placeat, declarauit. quam ob rem quæ mihi hoc perueſtigan
ti probentur, afferre non grauabor. ſolent medici nomen nubis ab aere ad urinam transferre, ſiue Hip
pocrates hoc nomen pro aliqua ſpecie ſuſpenſionum, aut urinarum primus uſurparit : ſiue alius hoc ei
nomen impoſuerit. ut igitur in aere quandoque fit caliginoſa conſtitutio, ubi ipſe ſit nubibus atris con
denſatus : quandoque autem purus & nubibus uacans, uidenturque nubes per eum quædam diſiectæ,
ac tum aer nubiloſus dicitur; quo ſane tempore uidemus nubium colorem neque nigrum exquiſite, ne
que ſplendidum, ſed inter hos medium : ſic urinas & ſuſpenſiones nubiloſas appellare mihi Hippocra
tes uidetur, quæ colore ſunt nec albo, nec nigro plane, ſed horum intermedio . quemadmodum igitur
alba ſuſpenſio eſt bona, nigra uero mala: ſic quæ inter has intercedit, neque ex toto bona eſt, neque ma
la, ſed media : & Pythiona tales habuiſſe ſuſpenſiones, exiſtimandum eſt : albæ enim ſi fuiſſent, non eſ-
ſet facta imperfecta iudicatio : ut ſi nigræ, non bona : cumque mediæ inter albas, nigraſque eſſent, bo-
na quidem, ſed diminuta iudicatio extitit. quod autem reliquum erat, quadrageſimo die in duplicem
abſceſſum erupit : quem non probe factum putant : immo quem non probe interpretantur, cũ per con
ſenſum abſceſſus in ſedem Pythioni ſtranguriam hoc eſt urinæ ſtillicidium accidiſſe arbitrentur : cum G
ipſe Hippocrates interim ſimpliciter ſcribat, factam eſſe ſtranguriam: interim non ſimpliciter, ſed ab-
ſceſſus nomen adiungat : ut in primo uulgarium morborum libro, in ſecunda conſtitutione, ubi ſic ſcri
bit, Vnum autem bonum, maximum eorum ſignorum, quæ extabant, quodque plurimos e maximis pe „
riculis eripuit, fuit in ijs, quibus ad urinæ ſtillicidium diuerterat, & in hoc abſceſſus fierent : appellat „
enim abſceſſus etiam, qui per excretionem noxiorum humorum facti ſunt, nec dum qui per decubitũ:
atque id merito . & quo modo in dyſenteriam alibi, ſic nunc in ſtranguriam factos eſſe abſceſſus ait: ex
purgata nimirum per utranque excretionem ea humorum malitia, quæ uenis continetur : id quod ip-
ſe in ſecunda conſtitutione de urinis, paulo ante eum locum, cuius feci nuper mentionem, ſcripſit hoc „
modo, Strangurioſæ, nõ nephriticæ, ſed his alia pro alijs. cum enim ſtranguria per morbum ob renum
affectionem gignatur, hanc ipſe ab ea, quæ in ſecunda conſtitutione facta eſt, per abſceſſum ſeparans,
dixit, Stranguurioſæ, non nephriticæ, ſed his alia pro alijs : hoc eſt pro humorum malitia, quæ in uenis
erat, ac febribus ex hac conſequentibus purgationes factæ ſunt, excretis per ueſicam uitiatis humori-
bus, ut quandoque per inteſtina excernũtur. mordicatio igitur ab excrementis acribus profecta ſtran
guriam efficiebat : etenim ueſica, ut oſtenſum eſt, in ſtranguria ad urinam reddendam prius properat,
quàm iuſto modo ſit eius plena : idque duabus de cauſis : uel quod eius iam mordacis qualitatem non H
ferat : uel quod propter imbecillitatem, prius, quàm urina coaceruata ſit, licet ſit omnino perpauca,
prægrauetur. ait igitur, Pythionem eiuſmodi abſceſſum habuiſſe: nec ſcripſit ſimpliciter, ipſum factum
eſſe ſtrangurioſum, ſed, eum, habere abſceſſum, adiunxit. ſed in huiuſmodi horum alterutrum commit
titur, ut quidam interpretes uel ea prætereant, uel male exponãt : immorãtur autem minime neceſſa
rio in ijs, de quibus ſtatui ſemel hic loqui : ego autem melius eſſe exiſtimabam, quæ longo tempore
indagauiſſem, & certo iudicio inueniſſem, ea ſola mandare literis, nec quenquam ex malis interpreti-
bus reprehendere : ſed quoniam nonnulli . qui puerilibus diſciplinis non ſunt imbuti, quique tardiore
ingenio ſunt, cum in nouas quorũdam ſcriptorum explicationes incidunt, hac ſola capti nouitate, eas
concelebrant : ideo melius eſſe cenſui, ut ſemel aliquando horum interpretum mentionem facerem,
cum etiã ipſe Hippocrates dixerit, Externũ ſane, quod needum intelligunt, magis laudant, quàm quod
eis conſuetum eſt, quod iam eſſe bonum ſciunt: & itẽ abſurdũ perſpicuo anteponunt. quare ut noſtrorũ
cõmentariorum lectores præmoniti qui mores ſint malorum interpretũ cognoſcere eos poſſint, decre
ui hoc loco de eis agere copioſius: nec quiſquam mihi ſermonis prolixitatem uitio uertat, quippe qui
ſit eum pro adminiculo ad malas interpretationes cognoſcendas habiturus. unum igitur earum genus
eſt, quod in propoſito ægroto quidam confecerunt, quorum unius, ne quis me de illo mentiri putet,
uerba

A uerba ipsa adscribam: Atqui inquit, ædem telluris, intelligit Cereris. addidit forte ædes, ut causam
ostēderet, unde tremor manuū, & morbus ei ortus esset: ut illi, quę propter mēstrua suppressa in morbū
incidit, quod, ut est uerisimile, ea pars in otio fuisset. præterea uero in sexto scribit, uiro absente, feriatā
illo mēbro mulierē, sublatis ad os mēstruis, barbam esse exortam: quod quidem quid aliud est, quàm
fœminam in uirum esse commutatam? sic igitur Pythion, dum rebus uenereis non utitur, quod tem
plo soli studium impenderet, in morbum incidit. hæc unius est ex interpretibus oratio, qui se ipse hac
in re conuincit, quod Hippocrates crebro quidem domicilia nominatim commemoret, hic uero non
oīum illorū, sed plane paucissimorū explicationē afferat. nā si domicilia ægrotantiū non sint temere me
morata, sed aliquid etiam indicent eorum, quæ sint ad artem accommodata, certe qui in paucis ægro-
tis eorum uim exposuit, in alijs autem, ijsque permultis præterijt, is non recte fecit: ut de primo statim
quem in primo uulgarium morborum descripsit: Philiscus inquit, prope mœnia habitabat: tum dein-
ceps, Epicratis uxor, quæ apud Archegetem decumbebat: tum, Erasinum, qui ad Bootæ torrentem
habitabat: tum, Clazomenium, qui prope Phrinichidai puteum decumbebat: deinde in muliere qua
dam ait, Dromeadæ uxorem, quæ filiam enixa erat; deinde in alia, Mulierem in littore decumbentem.
in hoc item tertio multos ægros descriptos inuenias, ædibus, in quibus morarentur, adiectis, quas illi
B nullo modo declarant: ut cum ait, Chærio, qui apud Demonetum decumbebat: subinde post hunc,
Euryanactis filiam uirginem ignis corripuit: sub hanc, quædam angina correpta apud Bitonem, dein
de, Adolescentulus, qui in foro mendacium decumbebat: sed quid opus est multa recensere, cum to-
tus ferme liber ita sit conscriptus? quare ad institutum reuertamur, cum plerique ægroti ita essent de
scripti, aut in omnibus, aut ne in uno quidem exponere domicilia oportebat. nonnulli interpretes li-
brorum sunt, qui usque adeo auditores contemnunt, ut ego quondam Alexandriæ quendam audiui,
qui ægrotum in primo uulgarium morborum descriptum, cuius hoc initium est, Silenum in Platamo-
nis ædibus habitantem: declarabat: Hippocrates enim in exponendis ijs, quæ illi acciderant, ait, No-
cte nihil dormiuit; multa uerba, risus, cantus. his acclamabat, qui librum explicabat, [illegible] enim,
hoc est, lunaticus erat: discipuli admiratione commoti in clamorem eruperunt. quidam uero inter-
pretes tam arguta sedulitate sunt, ut quærant, utrum in ædibus Platamonis, nec ne, Silenus habitaret:
quidam uero perquirant, an Platamonis per m, an per n, Platanonis sit dicendum. simili quoque mo
do, ubi Hippocrates ait, Decumbebat in theatro, melius ne sit scribere θέατρον, an θέητρον. sed eos, qui
in his tempus consumunt, improbant: illos uero, qui per ea, quæ in libro prædictionum, & in Coa-
cis præsagitionibus traduntur, exponunt ea, quæ de ægrotis in his libris dicta sunt, plerique suspiciūt:
C sed quàm falsa in plerisque sint, quæ in prædictionibus scripta sunt, declarauimus in ijs commentarijs
quos cum in librum conscripsimus: nam qui librum illum confecit, uidetur sæpe ex uno, alterove exē-
plo priuato, quod ipse conspexit, decreta uniuersalia constituere: ostendimus etiam, multos ab eo cō
cursus fieri, qui ex signis genere dissimilibus colliguntur: docuimus quoque tam numerosa, quæ con
currant, illa doctrina contineri, ut recenseri nullo modo possint. illud præterea in declarandis ijs, quæ
auctor libri prædictionum scripta reliqnit, exposuimus, nullā posse doctrina Hippocratis in præsagijs,
cuiusque signi uim singillatim tradentis, meliorem inueniri: quippe cum, multis unà concurrentibus,
nihil quicquam præsciri alia ratione posse: proinde qui utrunque librum legerunt, & prædictionum,
& præsagiorum, ijs scio, hæc omnia, quæ nunc diximus, esse perspicua. iam si quis nostros, in eos libros
commentarios perlegerit, ille etiam sine his, quæ modo narrauimus, eiusmodi interpretationis uitium
poterit agnoscere. qui uero illos non legerunt, eos rogo, illos prius ut uideant, tum huc se conferant
quæque a me dicuntur, audiant, atque iudicium de eis ferant. cum enim nuper in manus sumpsissem ne
scio quid de commentarijs, quos in hunc librum Lycus Macedo composuit, tres orationes ex libro
prædictionum descriptas in Pythionis explicatione comperi, qui in prima sic ad uerbum dicebat, Tre-
mula, obscura, palpantia, deliria magnam phrenitim denunciant: ut Didymarcho in Co euenit. in alte
D ra sic, Tremores, si sudoribus succedant, repetere solent: tertia autem his erat descripta uerbis, Vrinæ
a turbulentis uigilijs decolores, cum nigris suspensionibus, delirium portendunt. hæ orationes ex præ
dictionibus a Lyco descriptæ sunt, quasi ita Quinctus in huius Pythionis explicatione dixisset. mihi ue
ro, quando errata aliorum reprehendere cogor, licet hoc prioribus commentarijs uitauerim, satius ui-
detur, uitia huiuscemodi interpretationum aperire. in primis igitur, quod de prædictionum libro sum
ptum est, ijs quæ de Pythione dicuntur, minime conuenit: quippe neque cum silentio, neque magno-
pere phreniticus fuit: nam quæ deliria cum silentio sint, & quare ea magnopere phrenitica appellarit,
in commentarijs in librum prædictionum declarauimus: quorum neutrum in pythione contigit: ete-
nim neque cum silentio delirabat, & modice insaniebat. secunda erat oratio, qua dicebatur, Tremores,
si sudoribus succedant, repetere consueuerunt: cuius contrarium casus Pythionis ostendit; nam non
succedebant, sed a principio unà inuadebant: ipseque postea die decimo sudauit: itaque non tremo-
res sudoribus, sed sudores tremoribus uidentur successisse. reliqua autem, tertiaque oratio, cum ait, uri
næ a turbulentis uigilijs decolores, cum nigris suspensionibus, delirium portendunt, esset quidem a
Lyco accommodate prolata, si Pythion primum non sine turbatione uigilasset, urinamque cum nigris
suspensionibus reddidisset, atque ita postea desipuisset: uerum quia neque urinas tales minxit, cum nu
bilosæ suspensiones permultum a nigris differant; neque a uigilijs turbulentis phreniticus factus est,
sed

sed primo statim die delirauit:non est recte adducta.nam quid causæ erat,cur non diceret,suspensiones E
nigras,deinde uigilias primo,aut secundo die,post has rursus primo die : ac deinceps delirium ? adde,
quod Lycus in expositione uerbi,nubilosæ , non ausus est dicere , id nigrum significare.hæc igitur su-
peruacanea addidit : si modo superuacanea dicenda sunt,non solum ad rem propositam inutilia,sed e-
tiam omnino falsa : & omisit inuestigationem eorum,quæ apud Hippocratē sunt præcipua: ut quæ tre-
moris sit affectio: quis in manibus tremulis affectus locus sit : aut unde uaria sputa,& multa his succe-
dentia oriantur,de quibus ego disserui.atque is quidem , cum nihil horum consideraret, in quæstionē
sibi adduxit id,quod nulla erat ex parte controuersum,hoc modo,Septimo inquit die os distortum est.
uidetur hæc narratio pugnare cum sententia,quæ in aphorismis est huiusmodi , In febre non intermit-
tente si labrum,uel oculus,uel nasus,uel supercilium peruertatur,uel non uideat,uel non audiat, debilī
iam corpore , quicquid horum eueniat , in propinquo mors est . hæc est Lyci oratio , sibi quæstio-
nem obijcientis in eo,quod erat omni uacās ambiguitate:dixit enim in aphorismis, Corpore iam debi
li : Pythioni uero nō debili os est distortum. quinetiam Lycus ipse, cum id quod in controuersiam ad-
duxerat,explicaret,nihil aliud ad tollendam difficultatem, quam quod nunc diximus , attulit . itaque
quod erat apertum,controuersum fecit,cetera ad artem utilia non peruestigauit,nec quæ Pythionem
obsideret affectio.cui prædicta symptomata comitabantur: quique locus, aut qui loci essent affecti:im F
mo ne uerbum quidem de omissa missione sanguinis fecit . humorum uero ac temperamentorum non
modo nunc,uerum nec usquam alibi in ægris, aut cæli statibus explicandis mentionem fecit : quæ in
primis consideranda erant ei,qui librum Hippocratis interpretabatur : ut si Asclepiadis librum quis
exponeret,ei dicendum esset de meatibus,tumoribus,incompactisque elementis, ac latione ad tenui-
tatem,ad quæ principia ipse omnia perducit.Hippocrates uero calidum,frigidum, humidum , & siccū
esse causas , ut etiam in corporibus animantium aerem,statuit : ac quatuor quoque humores inter se
temperamento differentes sanitatis æque , ac morborū in causa esse : ac sanitatis quidem , cū ex æquo
inter se moderati sint:morborum uero,cum uel redundent , uel desint,aut de sua sede depulsi in alienā
commigrarint.itaque ad hæc principia etiam,qui ante Lycum, & Quinctum aliquem Hippocratis li-
brum enarrarunt Empirici omnia redigere conati sunt.ueluti in fabula quidam obseruant, ut solum si-
bi impositam personam agant : nam ut Erasistrati interpres recte nihil de humoribus , temperamen-
tisque dicat, ita si aliquid in scripta Hippocratis dicere instituas, merito ad eius uerba interpretationē
accommodabis.erit igitur fortasse melius,Lyco, ubi offendere uideatur , ueniam dare , ut adulterino
Hippocratis æmulo : nisi quis ei hoc uitio det,quod cum interpretationes scribere non possit,fabulam
agat:quod perinde est,ac si agere comœdiam quis aggrediatur,cum tamen actor esse non queat.at si ad G
eos,qui se Hippocraticos uocant,te conuertas,eis non merito ignosces,cum non secus,quàm alieni &
Spurij delinquant.cumque eorum errores non solum ab Hippocratis sententia, sed ab ipsa quoque re
rum ueritate absint,dupliciter eos accusabis:est enim hoc in interprete præstantissimum,hæc duo habe
re proposita,ut & consentanea cum scriptore,& uera dicat.qui alterutrū modo seruat, in eo reprehen-
dendus est,quod dimidium totius corrupit.at qui nec cum scriptore libri consentanea, nec uera dicat,
hunc in summo errore uersari censendum est.Sabinus quidem,eiusque auditor Metrodorus , qui dili-
gentissimi omnium , qui prius Hippocratis libros exposuerunt,habiti sunt,est tamen persæpe,ubi sen-
tentiam Hippocratis male exponere uideantur. ac ne longe abeam, in proposito ægroto sic ad uerbū
dicunt:ut enim ab inanitione,atque expletione conuulsio fit, ita & tremor , qui parua conuulsio est , a
contrarijs efficitur:sed causam,a qua huiusmodi uitia oriantur,dogmaticorum hominum est,non empi
ricorum perscrutari:ipsa tamen cognoscere,& alterum ab altero discernere,est etiam empiricis neces-
sarium.qua in re uidetur primum Sabinus hallucinari,cum tremorem esse paruam conuulsionem dicit:
siquidem hi affectus toto genere differunt inter se.nec quicquam nunc interest,utrum noxas functionū
affectus,an symptomata nomines:neque enim sunt certæ quædam in solidis animantium partibus af-
fectiones,ut œdema,ut inflammatio,ut scirrhus:sed sicut actiones essentiam nanciscuntur,dum fiunt, H
& non quod firmiter per habitum iam existant ; ita etiam fit in earum affectibus:cum enim omnis mo
tus in actione essentiam habeat,sitque in animalibus quidem motus uoluntarius , ut quidam alius in-
uoluntarius & naturalis : certe læsiones uoluntarij motus in musculorum fiunt motibus,a quibus etiā
cum secundum naturam fiunt,effici cognoscimus:sed quod in eis est secundū naturam,unū, simplexq;
est : quod præter naturam , in duabus primis fit differentijs ; uel præter uoluntatem,aut de uoluntate,
non tamen secundum naturam est ; sed hoc loco secundum appetitum dicas, an secundum uoluntatē
nihil interest.Motuum autem,qui citra uoluntatem fiunt in uoluntarijs instrumentis,quæ sunt ad mo-
tum comparata , hæc conuulsio , illa palpitatio , ille rigor uocatur,atque inter se differunt:de quibus
plene in integro uolumine disseruimus.uoluntarij autem,qui non secundum naturam efficitur, una est
species,quæ tremor appellatur:de quo necesse est,quia alios huius causa attigimus, hic loqui . itaque
tremor fit,non tantum musculis,neruisque affectis, sed etiam bene ualentibus , cum quis supra uires
onus attollere,aut manibus gestando,aut humeris imponendo,moliatur:conspiciuntur enim quidam
iuuenes robustissimi,cum pergraue onus portant,cruribus tremere,præsertim ubi conscendere scalas
tentant.quod autem illis,sub maximis oneribus,hoc senibus,alia ratione debilibus,in minoribus:quæ
sane sunt etiam debilibus grauia,contingit,sunt etiam quædam animi perturbationes, quæ tremorem
inducunt

A inducunt,nam & in libro de humoribus dictum est,crura tremere ei,qui per locum præcipitem transeat
metu scilicet,uires deijciente:ut etiam si quis bestiam in se irruentem, aut latrones, aut hostes metuat
quam ob rem in commentario de tremore,conuulsione,& rigore recte est a nobis probatum, tremorē
semper ex uirium infirmitate excitari.quoniam uero interim ipsæ per se infirmæ sunt, interim uero pro
pter animi perturbationem,aut etiam suapte ratione nihil omnino patientes, sed graui onere pressæ,
tres in ipsis causarum differentias: ut instrumentorū uoluntati attributorū intemperiē,animi perturba
tionem,& oneris grauitatem esse diximus.cum igitur neque metuenti, neque onus sustinenti tremor
oritur,duorum alterum est,aut instrumentorum intemperies,aut in ipso corpore circa musculos, ner-
uosue grauitas. est tamen nonnulla sermoni adiuncta fallacia,de qua in cōmentario de tremore, con-
uulsione, palpitatione,& rigore disserui: nam quibusdam & caput & manus tremulæ uidentur, cũ ta-
men nulla sit illa membra mouendi uoluntas: atque ideo uidetur,falso dictum esse, id euenire,cũ quis
aliquid agere instituerit: sed si cogitabis,reclinata in ceruicale ceruice,capitis tremorem sisti,ac mani-
bus repositis,eas quoque sic non tremere, credes recte dictum esse,in quibus quoduis membrum quie
scit,hoc tremore non tentari, sin attollant,aut elatū seruent,rum symptoma excitari:qui enim ita agūt,
tantum abest,ut musculis conquiescant,ut oppositos etiam inter se musculos simul moueant:ut in ma-
B nu qui eam attollunt,quique detrahunt,eam extendunt, & inflectunt:& ualidioribus uiribus opus est
ijs,qui manum in angulum ductam,sublimen seruant,quàm qui eam extendunt, aut flectunt:quoniam
qui extendunt,uno genere musculorum;quod ad hoc comparatum est,agunt; ijs interim, qui eam fle
ctunt,feriantibus:& cum flectunt,agunt ijs,qui sunt ad eam flectendam accommodati: & interim, qui
extendere eam possunt,in otio sunt:at si in angulum ductam,& sublimem manum retineas,nec flectas,
nec extendas,utroque genere musculorū æque uteris,ut in distentionibus neruorum,quas uocant, usu
uenit.non minore autem robore opus est ijs,qui in eadem figura uel crus, uel collũ,uel manum seruāt,
nec solido ullo corpore suffulti sunt,quod membrum uehat,atq; sustentet.sed cum facultates motrices
earum partium,quæ uehuntur, ponderi multum præstent, tum citra negotium attollunt, ac facile su-
blimes eas seruant:at si multo inferiores sint,ut in resolutis,eas ne eleuare quidē possunt:si pares sint,
uicissim succumbunt:nam uincentes,seruant manum sublimem immotam; uictæ uero,delabi sinunt.id
autem animo complectere,continenter fieri in hunc modum,ut simul ac superiores sint,membrum ex
tollant,mox a mole eorum,quæ eleuantur, superatæ, pessum ire permittant: simulque illis rursum ui-
ctis,uires ea excipientes,iterum erigere conentur:deinde cum breuissimo temporis momento hæc ui
cissitudo fiat,ut quod infra est,statim extollatur: & quod membrum extollit,confestim infra trahatur
C membrum non prorsus inconcussum, & stabile seruetur,immo ne motus quidem in utranque partem
insignes habeat,qui breuibus temporum,locorumque spatijs perdurēt.ac talis quidem motus tremor
est,ut quæ prolixius sum in libro ante dicto persecutus,paucis hic complectar.partium autem concus-
sio,quæ in morboso rigore fit,sine uoluntate efficitur, & per magna interualla motibus contrarijs sese
unà cum frigoris sensu excipientibus.huic autem affectui alius est quodam modo similis musculorum,
neruorumque affectus,quæ conuulsio nominatur: & in eis motus similis ex toto, atque in ijsdem in-
strumentis efficitur: qui tum fit, cum de uoluntate cientur: in eo solum differt, quod ubi conuellun-
tur, præter uoluntatem mouentur. De palpitatione autem superuacaneum est hoc loco disserere,
ne de pulsu, qui aliquid habere cum palpitatione commune uidetur, dicere cogar: satis enim iam
etiam de tremore longa mihi inuito fuit oratio in libro, in quo explanationes conscribuntur. qui
autem uelit omnium prædictorum symptomatum cognitionem, originemque accurate percipere,is li
brum poterit perlegere,in quo de his omnibus plene disseruimus: quando de singultu, tussi, sternu-
tamento,& nonnullis motibus huius generis egi in causis symptomatum pertractandis, ubi motuum
dignotiones, ac differentias,tum uero etiam causas a quibus oriantur, recensui. Sabinus autem in
his omnibus modo magis,modo minus hallucinatus est:cōtra uero Quinctus & Lycus, ut illo pruden
D tiores probandi sunt, qui ne aggressi quidem sunt de his quicquam dicere,sed uelut empirici interpre
tationes conscripserunt. tametsi empirici quidam, sicut dixi, tanquam in fabula impositam sibi per-
sonam agant, Hippocratis librum explicantes,ut Hippocratici, & aliquem Erasistrati, aut Herophi
li,& Asclepiadis, atque aliorum, perinde ac si de cuiusque eorum secta sint. itaque quod semper di-
cere consueui, ubi hic quoque admonuero, aliò me conuertam: singulorum, quæ scire medicus de
bet,disciplina priuatim tradenda est: tum ad libros Hippocratis explicandos accedendum:& conclu-
siones singulis locis demonstrandæ memoriæ causa,demonstrationes tamen ipsæ non cōmemorandæ:
quod quidē nos præstitimus,cęterorum uero, qui in libros Hippocratis explanationes conscripserūt,
adhuc nemo:sed in his omnes lapsi sunt:alia enim est,quæ res ipsas tradit doctrina,quæ fusa latius ora-
tione accurate fit; alia,quæ in explanatione consistit:neq; est idem utrique propositum: nam quæ fusa
latius oratione constat,ueritatis inuentionem spectat; quæ in explanationibus est posita, ei propositũ
est senis cognoscere sententiam.qui igitur prius singula diligenter didicerit,hunc denique ad ueterum
librorũ explanationes aggredi oportet; ac primum,ut possit sententiam senis inuenire:secũdo loco, re
cte ne,an secus sit enunciata:idq; faciat,ea cōmemorando,quæ de singulis medicinæ præceptis in ope
ribus sint demōstrata. quicunq; autē interpretes suis dictis afferre demonstrationes non possunt,au
ditores nugis obtundunt, & a scriptoris sententia abducunt, putantque ita sua uerba confirmari
quæ

quę causa facit, ut ab oratione ad orationē transeat, quæ ipsę quoq; nihil ad rem propositā pertineant. E
non posse autē in explanationibus disputationū demonstrationes, quibus scientia gignatur, scribi, iam est ex ante dictis perspicuum: cum enim non solum in Pythione, sed in alijs quoq; multis ægrotis eorundem symptomatum Hippocrates meminerit, si quis opinionem suam sine demonstratione in omnibus pronunciabit, is nulla doctrina quæ scientiam pariat, animos auditorum imbuet. at si in quibusdā ægris afferat demonstrationes, in quibusdam uero prætereat, atque in primo uulgarium morborum exempli causa, eas omnes persequare, in alijs ad illas lectorem reijcias, id quidem, quod diximus, fiet: ut uno in libro absolutissima cum demonstrationibus doctrina tradatur, in ceteris cōclusiones eius cō scribantur. hoc ipsum tamen utroque modo erit absurdum: nam in primum uulgarium morborum, si hunc quis explanet, in primis necesse erit, quinquaginta commentarios conscribere, in quosque uero alios, aut binos, aut singulos. itaque si præsagia, aut aphorismos legere quispiam uelit, cogetur quinquaginta libros explicationum in primū uulgarium morborū prius percurrere. simili quoque modo, si ab alio cœperis commentarios scribere, in illum quinquaginta conficies: qui autem uidere alium uelit, eundem quinquaginta illos legisse, necesse erit. atqui multo illud præstabat, singulas quæstiones, aut præcepta, aut quouis nomine libeat appellare, singulis esse descripta libris: eosque tantum consulere, cum firmam eorum, quæ illis libris continentur, doctrinam perdiscere in animo habeas. quam ob F
rem nos, ut de tremore, conuulsione, palpitatione, ac rigore, ita de ceteris omnibus priuatim libros edidimus, & eorum, quæ in eis demonstrauimus, conclusiones in explicationibus adhibemus. at Sabinus, cum neque docuerit, quomodo hi quatuor affectus tremor, palpitatio, conuulsio, & rigor differant, neque hoc loco ullam si non plane ueram, neque demonstratiuam, saltem probabilem rationem attulerit, principio tremorem esse paruam conuulsionem asseruit, paulo post uero tremorem esse conuulsionis speciem confirmauit: sed quo citius hisce reprehensionibus, quas inuitus in malos interpretes instirui, me explicem, esto tremor conuulsio, aut species conuulsionis. quomodo autem Pythioni acciderit, ab e perdiscamus: erat, inquit, homini stomachus male affectus: manus autem, quod cum illo consensum haberent, tremebant. at neque affectum ullum eius stomachum obsedisse, quispiam ostendat, cum ex symptomatis, quæ Pythioni acciderunt, nullum narretur, quod indicare stomachi affectum queat: neque ipse manibus cum stomacho esse commune quicquam ostendit. communitates autem ipse tribus fieri modis ait, aut uicinitate, aut generis, aut operis familiaritate: ac generis quidē cum neruosum neruoso, uenosum uenoso arterio sumq; arterioso cōsentiat: operis uero, cū mammæ, & thorax partibus genitalibus. sed manus in nulla harū cōmunitatū uenire in consensum cum stomacho possunt: nullum enim est eorum opus commune: neq; in neruis communio est, per quam neruosum in G
manibus genus in consensum affecti stomachi perducatur: siquidem stomacho nerui a sexta propagine de cerebro ducta tribuuntur: manibus uero a spinalis medullæ regione ad sextam, septimam, octauamque uertebram. quam ob rem quæ partes a sexta coniugatione sunt neruos consecutæ, has in con sensum cum stomacho, non manus uenire oportebat. ac de tremore ita nugantur, qui propter rerum uenerearum abstinentiam existimant, Pythionem nimiam humorum copiam coaceruasse. quanquam Venus, ut euacuatione plenum fieri corpus non sinat (hoc modo illis tribuamus) stomachū certe ualde soluit: cum eum Veneris abstinentia, etsi corpus implet, quàm firmissimum reddat. est etiam satis absurdum existimare, si quis moderare uitam ducat, eum multitudine humorum expleri: quando non his sed otiosis corpus impleatur. quod si quis rebus uenereis non utatur, se se tamen more athletarum, fossorum, ac messorum, aut eorum qui artem aliquam tractant, quæ in manuū opere uersetur, exerceat, is humorum copiam non aceruabit. sed ijs, qui sero didicerunt, cum nihil eorum, quæ sciunt, reticere possint, usu uenit, ut pugnantia dicant, cum importune uerba effutiant. nam quid tandem oportebat Democritum dicere, concubitum esse paruum comitialem morbum: Epicurum uero, rerum uenerearum usum nunquam prodesse, ac præclare nobiscum agi, si non noceat? hæc enim dicenda erant ijs, qui ex nimio rerum uenerearum usu in morbum inciderunt: non ijs, qui uitam illorum uitæ contrariā H
instituerunt. hæc tamen scripsit Sabinus, qui minime repugnantiam in eis esse perspiciebat, illud quoque absurdissimum est, Pythionem ob Veneris abstinentiam desipuisse: aiunt enim coaceruatam in cerebro genituram, atq; id multitudine prægrauantem, delirij symptoma inuexisse: ut solet etiam os premens in capitis fracturis, & nostra item manus deliria concitare. quare iam indicat, se cuiquam, cui terebra adigeretur, nunquam affuisse: cum enim aut digitis cerebrum unà cum membranis premas, aut per eas, quæ membranarum custodes uocantur, aut etiam ante perforationem os compressum has partes premat, non fiunt tum deliria, sed alti sopores corripiunt, sensusque perit: soporatis interdum magnopere ita affectis, ut in morbo attonito uehementi fieri solet. at uero cum etiam dicat, uaria sputa ex semine retento accidisse, præstat, ne eius quidem confutare sententiam. qui enim studiose refellit, quæ nullo sunt digna studio, is sibi ipse facit iniuriam. uerum non modo hæc, sed multo plura illis haud dissimilia protulit, de quibus est hoc unum, abscessum ad sedem esse ortum Pythioni, propter uicinitatem loci, in quo semen excernitur: & ex abscessu in sede stillicidium urinæ consecutum: alia denique nonnulla afferunt, quibus adductus quispiam, continentiam in rebus uenereis non iam paucorum nec paruorū morborū causam esse suspicetur. hæcq; illi scribunt, & in horū ægrorū explicatione Democriti, & Epicuri mentionem faciunt, qui Venerem nihil unquam proficere dixerunt. &, quod

omnium

A omnium est sapientissimum, ut, inquiunt, conuulsio repletionem, inanitionemque comitatur, ita libidinem, & continentiam symptomata rationis, neruorumq; affectorum cõia consequuntur. proinde nos eorum sapientia inducti, ac rati eorum ueram esse orationem, ne athletas quidem a concubitu abstinebimus, ne forte inde conuellantur, aut desipiant, atque hæc quidem omnia, & item alia, quæ Hippocrates Pythioni accidisse narrauit, aiũt inde prouenisse, quippe qui plane sibi persuaserint, rerum uenerearum abstinentiam in eo homine morbum præcessisse: tametsi initio dixerint, uerisimile esse, a coitus retentione, quàm ἀποχὴν uocant, hæc Pythioni contigisse: deinde immemores eius, quod initio modeste dixerant, uerisimile esse: ac si plane ita se res habeat, loquuntur. quanquam ad ædem telluris commoranti quid opus erat a concubitu abstinere, cum neque sacerdos, neque æditiuus deæ esset? plura enim de eo Hippocrates dixisset, quàm quod ad ædem telluris habitasset. ac licet etiã æditiuus, sacerdosue fuisset, non tamen erat ei perpetuo a Venere abstinẽdũ, ut Dianę, Palladisque, sacerdotibus. sed, ut nuper dicebam, studiose reprehendere, quæ non sunt digna studio, absurdum est. quare finem dicendi faciam de ijs erroribus, quos interpretes in Pythionis explicatione commiserunt: ac me ad Hermocratem ægrotum, qui deinceps sequitur, pertransibo: & meo more interpretabor, non magna habita ratione eorum, quæ perperam nonnulli conscripserint, nisi magna quædam necessitas urgeat. sed prius de B notis aliquid dicam.

*De notis, quæ singulis ægrotis adiectæ sunt.*

Non possum satis mirari cum huius, tum aliorum etiam multorum Hippocratis librorum infelicitatem: quorum alij dissipati sunt, alij quidpiam Hippocratis scriptis adiectum habent. præstabit fortasse dicere, non infelicem fuisse librum, sed nos eius lectores, qui in re inani tempus consumimus. ad finem igitur narrationis euentorum Pythionis adscripta est in primis ΠΙ, literæ nota, quæ rectam in medio lineã habet, ut quidã noningẽtorũ notã scribũt. deinde scripta est Π, literæ nota, nihil habens in medio. mox OY, sub quam M postremo Y. coacti igitur sumus inuestigare, quid hæ notæ significent: ignari adhuc Hippocratis ne sint, an alius quispiam hæc singulis ægrotis adscripserit. sed hoc ipsum nobis ad inuestigandum compulsis in mentem uenit, sit ut hoc in libro adscriptas notas intuemur, ita etiam in alijs omnibus uulgarium morborum narrationis eorum, quæ ægrotis acciderunt, adiũctas comperissemus, non esse forsan a ratione alienum, si eas ab Hippocrate additas esse diceremus: uerum cum neq; alijs in libris, neque in hoc tertio in omnibus æque exemplaribus inueniantur, merito in suspitionem uenimus non modo nos, sed maiores etiam nostri ab aliquo adscriptas esse, qui fortasse discipulos morare C tur, quo explicare posset, quasi magnum quiddam, quid unaquæq; significaret. potuit forte quispiam sibi id soli compendium fecisse utilitatis, quam ex singulis ægrotis perciperet: ut in hoc ipso, quem memorauimus, Pythione, ipsum ΠΙ quod ductam per medium lineam habet, uidetur πιθανὸν. i. uerisimile significare: sequens Π πλῆθος hoc est plenitudinem: a quo statim ο, scriptum οὖρον. idest urinam: ut ex ambobus extet hic sensus, multitudinæ urinæ; tum M quadragesimũ nobis diem commemoret: Y, uero ὑγίειαν idest sanitatem: ut hæc duo indicent, quadragesimo nobis die hominem ad sanitatem perductum fuisse: & sententia ex omnibus notis simul iunctis eliciatur huiusmodi, uerisimile esse ex abundantia excretæ urinæ morbum esse solutum, & hominem die quadragesimo persanatum. hæc autem non ita in omnibus exemplaribus scripta reperiri, ante iam dixi. sed nunc aio, neque in quibus inueniuntur, in his omnibus primum ægrum habere ullam huiusmodi notam. exemplar igitur, quod in fine narrationis de Pythione notas habet adscriptas, hũc habet in modum, ΠΙ. Π OY. M. Y. cõsentaneum autem esse, ut, quod dixi, singulæ notæ indicent, confirmant illæ, quæ ceteris sunt ægrotis adiunctæ: ubique enim est ΠΙ mediam interiectam lineam habẽs: in fine uero superstitibus est Y, quod ὑγίειαν hoc est sanitatem; mortuis uero Θ, quod θάνατον. i. mortem significat. itaque cum in principio id significare uideantur, media quoque sunt probabilia, utpote quæ ijs, quæ Hippocrates de ægrotis dixit, accommodari D queant. nobis autem inanis in Pythione labor confectus est, & in alijs conficietur nimirum frustra tempus conterentibus: at sophistas hæc exponentes, ut uates quosdam discipuli admirantur.

AEGROTVS. II.

5 *Hermocrates, qui ad nouum murum habitabat, igni correptus est, cœpit ei caput dolere, itemque lumbus, hypochondrium molliter intendebatur: lingua initio adusta fuit: statim surdus factus est: somnum non cœpit: sitibundus non admodum: urinæ crassæ, rubræ, depositæ non subsidebant. aluus combusta, & non pauca deiecit: quinto die urinam emisit tenuem, habebat suspensionem, non subsidebat: sub noctem delirauit: sexto arquatus ei morbus est exortus: exacerbata sunt omnia, mente non constabat.*

Hoc loco nihil nõ nugant quidã interpretes, aiuntq; ideo ad nouũ murũ scriptũ esse, quod recẽs calce illitus, homini nocuerit. alij horum sententiã refellunt, ac sedulo conant ostendere, eũ nõ appellasse nouũ murũ propter calcem, sed quod præter consuetudinem exclusis uentis, cum ædes, in quibus Hermocrates degebat, non iam bene perflarentur, ipsum in morbum incidisse. sed de loco, hoc satis, ac potius, ut uere dicam, nimium. deinceps autem cõsiderandæ sunt, quæ illi acciderint: & quæ alibi demonstrauimus, ad memoriam reuocanda sunt: quorum hoc est unum, tria esse prima febrium genera, unum earum, quæ diariæ appellantur, alterum hecticarũ, tertium earum, quas acutas uocant, quæ ex

 putrefactis

putrefactis humoribus oriuntur. ex tertio autem genere febrim Hermocratis fuisse, planum ex eo est, E quod ipsemet in principio narrationis scribit, igni correptus est. ut enim in alia historia scriptum reliquit, quidam incalescens cœnauit, ut hoc uocabulo incalescens, febris mediocritatem ostenderet, quæ cœnatum occupabat: ita hic ignem ualidam febrem nominauit. at caput etiam dolere ei cum surditate cœpit. ex quo perspicuum est, humorum copiam in caput esse comportatã. declaratũ autem est frigidioribus, ac pituitosioribus somnos ueternosos, & lethargica mala comitari: calidioribus uero, aut prorsus mordacibus uigilias, atque deliria. itaque cum uigil factus esset cum surditate, capitis, lumbiq; dolore, consentaneum est suspicari, humores, quibus caput erat expletum, mordaciores extitisse. in his autem usu uenit, ut cum unà cum calida, æstuosaque febre cerebrum lædunt, sequantur, ut didicisti, deliria. cumque hæc symptomata biduum, aut triduum, aut quatriduum perdurant, tum firmius etiam præsagies delirium: quod sane modo in Hermocrate contigit: quem ipse quinto die desipuisse scripsit. talẽ porrò febrim qualem dixi, fuisse, linguæ symptoma attestatur. ecquodnam inquam? lingua inquit, in principio adusta fuit: quod significat, ipsam siccam omnino fuisse: potest etiam nigrum indicare. ceterum in tali lingua, talique febre, si uehemens sitis non adsit, duorum alterutrum indicatur, aut ægri mentem læsam esse, aut naturalem uentris facultatem, qua subinde cibos appetimus, intermori. cum autem narrationi hæc sint adiecta, hypochondrium mollitet intendebatur, in iecinore febrilis affe- F ctionis originem extitisse, conijciendum est. cumque in numero singulari dixerit hypochondrium, certe constat, non utrunque, sed alterum solum intentum fuisse. quia uero necesse est, ut uel dextrũ, uel sinistrum hypochondrium intelligamus, magis consentaneum est, ut dextrum, propter excellentiam, qua præstat alteri, intentum esse accipiamus. siquidem, quæ sunt huiusmodi, sine appositis, ac sine distinctionibus proferuntur. atqui modus quoque febris ipsius, & ipsius adustio linguæ satis indicare iecoris affectionem possunt. contentionem porrò hypochondrij, quam mollem fuisse ait, planum est significare eam ueluti uacuam extitisse: nam uacuum molli significatur: cui oppositum est, cum tumore, non secus, quàm laxo contentum: perinde ac si ita dixisset, dextrum hypochõdrium intendebatur, sed citra tumorem: uel quia non magna fuerit iecoris inflammatio, uel in simis solum partibus, quibus uentriculum amplectitur, cum gibba unà cum simis nondum essent in tumorem elata. iam uero combusta uentris excrementa huius uisceris ignitionem indicant. quare si ad hæc urina quoque letalis accessisset, homo celeriter perijsset: sed quia, ut in eiusmodi, mediocris erat, sperare quispiam posset, morbum fore diuturnum: in tali enim affectione urinæ bonæ non redderentur: rubræ uero diu laboraturum hominem plane indicant, non tamen plane moriturũ significant, ut in commentarijs in librum præsagiorum & in librũ prædictionum declarauimus: ubi etiam eius librĩ auctorem reprehẽdimus: quę G enim alia de causa ægrotantibus acciderunt, qui ad aliud refert, is errat. prolixius autem in illis commentarijs & propria phrenitidis signa sumus persecuti, & docuimus, in libris, qui ueri sunt Hippocratis, in quibus etiam libet præsagiorum est, uim cuiusque signi accurate, & singillatim esse propositam. de rebus uero, aut prærubris urinis uerbum nullum fecit: sed cum subtubrarum mentionem facit, simul prærubrarum uim indicauit. ac de subrubris quidem scribit his uerbis, Si urina subrubra fuerit, ac subrubrum quod subsidet, diuturniorem quidem hæc morbum, quàm prima significat, ualde tamen salutaris est. itaq; cum subrubra sit præ ceteris quidem salutaris, sed tamen diutius morbũ trahat, quàm prædictæ, quas dixit celerius morbum soluere, fit, ut quæ ualde rubra sit, longius quidem spatium indicet, ceterum neque mortem, quantum in se est, neque delirium: siquidem ex flaua bili in cerebro redundanti deliria oriuntur: quemadmodum si ea adusta sit, ut iam in atram transeat, furiosa reddun tur. rubra autem urina indicat sanguinem crudiorem, ac serosiorem abundare, qui scilicet in uenis iecoris, & profundi corporis continetur: ut flauam bilem rufa, atraque arguit. quid igitur cum alijs quibusdam, tum Lyco uenit in mentem, ut eius probarent sententiam, qui in prædictionibus scripsit hoc modo, Surditas, & urina prærubra, in qua suspensiones non subsident, delirium nunciant: ijsque morbo regio corripi malum: libri enim illius scriptor, ex his, quæ hic de Hermocrate traduntur, uni- H uersale præceptum collegisse, plane uidetur: sed longe aberrat & a rei ipsius natura, & ab Hippocratis sententia, & ab ijs, quæ in ægrotis obseruantur: nam rei natura indicat, siccos temperamento humores & qualitate mordaces ad cerebrum elatos in causã esse, ut uigiliæ, phrenitidesque concitentur: ut in libris de locis affectis ostendi. Hippocrates autem tales humores nouit, flauam, atramque bilem esse: humidam uero & frigidã, pituitam: minime uero mordacem, & nobis maxime familiarem, sanguinem. præterea uero urinam esse serum humorum uenis contentorum idem nos docuit. quare consentaneum est, ubi copiosior semicoctus sanguis sit, ac per urinam excernatur, eam rubram effici, atque ita morbum diuturnum fore indicari, quod sanguis longius spatiũ ad sui concoctionem requirat: siquidem spatio temporis concoctiones fiunt: cũ interim is morbus, quantũ in urinis est, neque perniciosus, neque phreniticus futurus esse uideatur. Sed non erimus hoc loco prolixiores, cũ in cõmentarijs in prædictiones quàm absurdæ hic orationes sint, scriptũ reliquerimus. ceterũ cũ crassas quoq; fuisse, nec subsedisse urinas indicet, omnino eiusmodi conturbatæ, turbidæq; sunt, ut eas hic solet nominare: quæ sane turbationem crudã multo spiritu flatuoso prædità semper nunciant: ut in musto conspicimus. unde fit, ut qui has urinas excernunt, capite doleant: quod spiritus cũ succis calidioribus caput petat: a quib^9 uerisimile est augeri uigilias, & periculũ delirij inferri, si acrimoniã quampiam humores habeant. cum autem

in ipso

A in ipso statim initio hæc omnia symptomata,& signa Hermocrati accidisse Hippocrates indicarit, de-
inde nihil de consequentibus diebus scripserit, certe ea omnia ad diem quintum usque durauisse signi-
ficat: ac tum se ad aliam narrationem transtulisse, cum in eis est aliqua facta mutatio. quinto igitur die
ait eum urinam tenuem reddidisse: quare ad eius diei expositionem transeamus. quinto inquit, die uri
nam emisit tenuem, suspensionem habebat, non subsidebat, sub noctem delirauit: cum primum urina,
quæ initio reddebatur, mutata est,& homo desipuit, scripsit Hippocrates, die quinto fuisse silentio trã-
siens, ut diximus, secundi, tertij, quartiq; diei narrationem: quod in eis eadem symptomata permansis-
sent. nunc uero de tenuibus urinis reuocemus ad memoriam, quæ dixerit in præsagijs. hoc modo: qui
tenuem, crudamq; urinã longo tẽpore reddunt, si cetera salubria signa sint, his abscessus in partibus
infra septum trãsuersum expectãdus est. itaq; altero modo crudus esse morbus indicatur a tenuibus uri
nis, sicut etiam a crassis, cum non subsideant: siquidem turbatæ, sed, cum depositæ sunt, subsidentes ali-
cuius initium concoctionis indicant, præcipue autem, ubi illico subsideant. at quæ non subsidunt, præ
ter flatuosam turbationem, etiam * incoctorum humorum crassitiem subesse significant: atque ex eis
intelligitur, morbum diuturnum fore: atq; etiam cum periculo coniunctum tum ob febris prauitatẽ,
tum quod homo sub noctem delirauit. uideamus iam reliqua, utrum his consentanea uideãtur. arqua
B tus inquit, ei morbus exortus est, exacerbata omnia, non resipuit. hinc tu intellige, hypochondrij con-
tentionem ex iecore profectam esse. diffunditur enim nonnunquam pallida bilis per totum corpus, id-
que iudicatio est, ut in commentarijs in aphorismos diximus, ubi scriptum est, Regius morbus ante diẽ
septimum, malus. redige etiam ad memoriam, crebro te audiuisse, ante concoctum morbum, nullum
alium abscessum profuisse, ne dum arquatum. is enim significat, bilim impediri, quo minus e uiscere ex
cernatur,& per uentrem euacuetur, propter eius uel obstrictionem, uel inflammationem. morbo autẽ
concocto, natura interim per iudicationem excrementum cum aliorum humorum, tum flauæ bilis ad
cutim transmittit. hoc autem loco flauam, an pallidam bilem uoces, nihil interest. cum uero iecoris
affectio cresceret, morbum regium accidisse, uel ex eo perspicuum est, quod sexto die omnia sint exa-
cerbata, illeque mente non constiterit, hoc est desipuerit.

6 *Septimum diem grauiter traduxit: urinæ tenues, similes, proximis diebus eodem modo. sub diem undecimum, omnia ei remissa esse, uisa sunt.*

Vrinæ, quæ die quinto deteriores fieri cœperant, in eadem prauitate multos dies permanserunt: si-
quidem non ad septimum usque, sed ad undecimum diem in ijsdem signis & symptomatis uersatũ Her
mocratem scribit. die autem undecimo omnia illi remissa uisa sunt. ac recte quidem dixit, uisa esse: ne-
C que enim ex signis periculosissimis cum eadem humorum cruditas permaneret, potuit subito ad me-
liorem statum peruenire: idque adeo, cum die undecimo nihil, quod ad iudicationem pertineret, appa
ruisset: quod tum natura solet aut sanguinis excretione, aut per aluum, aut per uomitus, aut per sudo
res, aut parotidas, aut decubitum quendam periculo hominem liberare. quare attendamus iam, quæ
undecimo contigerint.

7 *Coma cœpit, urina crassior, subrubra, infra tenuis, non subsidebat: aliquantulum mente constabat.*

Vnum integrum librum scripsi, in quo declaraui, quid uox κῶμα significet: in quo ostenditur, pro-
pensionem in somnum sic ab Hippocrate nominari, uoco autem propensionem in somnum, cum ægri
uigilare non possunt, nec apertos oculos habent, sed conniuentes: siue altis somnis, siue leuibus, siue
uigilijs detineantur. quocirca & distinctione,& multa prudentia,& longo usu opus est, ad cognoscen-
dum, quæ causa ægrotum in soporem impulerit. sæpe enim, cum multum humectata est pars, quæ sen-
sus fons est, in qua somnum quoq; fieri recte censuit Aristoteles, sopor efficitur, ut quibusdã ebrijs usu
uenit: sæpe etiam ob solum frigus: est, cum his ambobus simul iunctis altus,& soporosus somnus succe
dit. fit etiam hæc affectio ob uirium infirmitatem, cum adeo sunt emortuæ, ut palpebræ adapertæ tene-
ri non possint. qui autem ita affecti sunt, hoc habent, ut postquam oculis conniuerint, aut nihil protsus,
D aut parum admodum dormiant, sed uigilent: ac ne tum quidem attollere palpebras queant. quam affe
ctionem ab ea, quæ ex humiditate, frigiditateque oritur, pulsus potissimum distinguunt languidissimi,
tardi, rari,& parui. quod si Hippocrates hanc contemplationem æque, atque alias esset persecutus, uel
pulsuum formas in ægris tradidisset, fieret, ut nos quoq; accuratius ea, quæ ægrotis euenerunt, cogno-
sceremus: quam quia prætetijt, ut alij urinarum tractationem, ideo ex ijs, quæ scripsit, faciẽda de ægris
coniectura est, ac pituitosum succum in cerebrum undecimo die se contulisse, non est consentaneum
in morbo, qui primo statim ĩpetu siccus, calidusq; fuisset: nã & lingua adusta,& uigilia,& ualida febris,
& sexto die morbus regius,& excremẽta alui cõbusta, totã esse igneã corporis affectionẽ attestant. ad
hoc accedit, quod si qua crassities succorũ collecta esset, ea solũ in iecore,& eius uenis, nõ aũt toto cor
pore cõtinebatũ quã iã inde initio crassities urinarũ ostẽdit. restat igiť, ut insignis cerebri pfrigeratio, aut
uiriũ ĩbecillitas Hermocrati soporẽ undecimo die induxerit. horũ aũt utrũ sit, summe perniciosum est:
siquidẽ huiusmodi perfrigerationes, cum morbis calidis, siccisq; succedũt, curari nõ posse demõstraui-
mus. quare merito scripsit Hippoc. oĩa ei remitti uisum esse: nã cũ sopor, perniciosissimũ signũ, die unde
cimo incepisset, fieri nõ potuit, ut corpus salubrẽ eo tẽpore statũ nancisceret: immo uero ne media qui-
dem ulla est in talibus affectio: sed si ea forma febris a salubri statu deflectat, ad contrariam perniciem
peruenit, in qua natiuus calor extinguitur. ergo, quia sopor, tam perniciosum symptoma, undecimo die

fuit, attendamus iam urinas, quæ si perniciosæ etiam appareant, hominem cito moriturum indicabũt: E si mediocres in lõgius protractũ iri. in eiusmodi aũt affectione optimæ esse urinæ nullo modo possunt, quæ autem de eis dicat, animum attendamus: urina inquit, crassior. hoc quidam ita connectunt. ut post dictionem coma, addãt urinæ uerbũ incepit. quod uerbũ quia inter coma & urinam interiectum est, potest utrique coniungi, ut sit duplex lectio; altera hæc, coma cœpit: altera hæc, cœpit meiere crassiora. etenim uerbo οὔρει idest meiebat, quod in modo, quem indicatiuũ uocãt, pronunciatũ est, addunt ν, ut fiat οὐρεῖν in infinito. ut cum uerbo cœpit scriptura cõueniat. sed probabilius est, ut uerbum, cœpit, ad coma adiungaẽ: quod nũc primũ incepit: præsertim cũ urinę iam inde usq; ab initio crassæ essent: cũ in primi diei explicatione his fere uerbis scripserit, Vrinæ crassæ, rubræ, depositæ nõ subsidebant: quare nõ cõuenit, ut dicat incepisse urinas crassas nunc esse, cum tales ab initio ad quintũ usq; diẽ fuissent. die autem quinto mutatas esse, & tenues factas ait: deinde septimo die easdem esse dixit. itaq; recte dixit, die undecimo urinam crassiorẽ fuisse: eas cũ illis cõferẽs, quæ a quinto usq; ad eum diẽ tenues fuerant, sed ait eas quoque subrubras fuisse, & infra parua quædam habuisse subsidentia. quare huiusmodi urinæ inter bonas, & perniciosas mediæ fuisse uidentur. ceterum quod in fine ait, duobus modis legunt: quidã ita, Non subsidebant aliquantulum: adduntque illud, aliquantulum, urinis non subsidentibus: alij uero sic, subsidebant. tum alio sumpto initio pergunt, Aliquantulum mente constabat: quod propius ad sensum F uidetur accedere: nam si sit prædictum, subsidere urinas, tum addas aliquantulum, Græcorum dicendi morem tenebis; at non subsidentibus, raro huiusmodi uerba illi adhibent. hæc igitur sunt & signa, & symptomata, quæ undecimo die acciderunt: deinceps quæ decimo quarto euenerint, subiungit.

*Quartodecimo die a febre liber erat: non sudauit, dormiuit, omnino mente constabat, urinæ persimiles.* 8

Videtur frustra additum esse, non sudauit, cui simile est, sanguis non erupit, nõ uomuit, parotidas nõ habuit: sed ut paulo ante dixit, Vndecimo die omnia remissa esse uisa sunt, cum diceie absolute posset, remissa sunt oĩa, adiecit uisa sunt, ut nos illorũ admoneret, quæ alibi scripsit, ijs, quæ nõ ratione leuant, nullam esse adhibendam fidem: ita hoc etiam loco non dubitauit addere, non sudauit, quod superuacaneum est, ut hanc leuationem infidã fuisse declararet: si enim die quarto decimo ea euenissent, quæ res postulabat, hominem certe seruassent: quia igitur facta non sunt, morbum malignum esse, nobis ad memoriam redegit. huiusmodi autem affectiones a plerisque medicis ignorantur: qui, cum uidentur quædam sequi leuatio, gaudent: quamuis hoc a perniciosis signis, symptomatisque superioribus consequatur. nescij tales euenire affectiones consuesse, cum quasi demoritur natura, & natiuus calor extinguitur: non secus, quàm in particulis, quæ ex magna defluxione in tumorem extollũtur, usu uenit, cum natura debilis, nullo modo conatur humorem, qui tumorem excitauit, concoquere: nam dum pus gi- G gnitur, inquit, dolores, febresque fiunt, quod humores tumoris auctores a natiuo calore immutentur: at cum natura propter imbecillitatem aggredi concoctionem non potest, tum neque dolent, neque febricitant, nisi parum admodum. quare in ijs, qui suppurarunt, excreto pure, pars, in quam defluxio delapsa erat, incolumis est: at in quibus neque suppuratio, neque ullus insignis dolor, neque febris excitatur in eis particula putrescit, ut eam totam aliquando præcidere necesse sit. non absimile autem huic accidit, quod illis euenit, qui sine signis, ac sine ratione post signa letalia febris expertes extiterunt. talem autem fuisse Hermocratis affectionem, uel sopor, qui undecimo die eum inuasit, arguebat: nam cum febre æstuosa, quæq; succum mordacem, acremq; haberet adiunctum, repente corripi symptomate, quod humidis, frigidis, ac morsu uacantibus humoribus concitetur, priorem affectionem non esse sedatam illam quidem, cum nihil quod ad iudicationem pertineat, acciderit, sed natiuum calorem restingui, ac suffocari declarat. sed de his dictum est alibi copiosius. quinetiam hic quoq; satis sit de ijs summatim dixisse, qui in morbis grauibus sine ratione febre liberantur: quo enim habere commodius uidentur, cũ signa perniciosa præcesserint, eo magis pernicioso morbo tenentur. At uero Sabinus dixit, morbum insidiantem more feræ, aut hominis scelesti (est enim animãtis ratione præditi insidias struere) nec opinantes aggredi, quos petiuit. sed hæc uerba iure nugas esse dices. cum enim nihil dicant, quod scientiã H afferat, sed nugas solum effutiant, putant se rem propositam exemplo, quod nullã habet cum ijs, quibus comparatur, similitudinem, demonstrasse. quare eo relicto, ipsi iam institutum absoluamus. ac mihi diligenter animum hoc loco adhibe, ac noli mirari, quomodo ego persæpe, qui aliquem perniciose se habere dixissem, cum interim repente bene se haberet, ut etiam lauaret, irridererque non a plebeis modo, sed etiam a medicis, in prædictione tamen præstarem: postea cum morbus eum repeteret, qui recte habere uisus erat, illeque moreretur, non iam ex medica scientia, sed ex diuinatione prædixisse iudicarer: cum hæc pæclari isti medici nusquam esse scripta asseruerint. unde autem mortem quibusdam in undecimum diem, aut salutem præsagiuerim, abunde a me de hisce prædictionibus omnibus in commentarijs de crisibus, & de criticis diebus scriptum est: quorum omnium princeps est diuinus Hippocrates. sed cetera in illis, quorum feci mentionem, libris, & uero etiam nonnullis alijs sum persecutus. nunc uero, qui eos perlegerint, ijs propositam disputationem perspicuã reddã. undecimo die Hermocrates melior esse uisus est, decimo quarto perfecte liberatus. cõstituto autem iam hoc, & præcognito, recidiuam oĩno fore, & eum moriturũ; consentaneum erat, diem septimum decimum iis, quæ die undecimo, ac quartodecimo euenerant, recidiuam inuehere: siquidem morbi mutatio in criticos dies incidit: nam & in præsagiis, & in aphorismis didicimus, quaternarios

A rios dierum circuitus in uigesimum, non uigesimumprimũ incidere: ideoque undecimum quartidecimi: decimumque septimum uigesimi indicem esse. est ergo maxime consentaneum, Hermocrati die septimodecimo morbum rediisse: aliamque consecutam esse die uigesimo mutationem. quænam tamen die uigesimo sit consecuta mutatio, non iam perspicuum est nobis, ea, quæ scripsit Hippocrates, perlegentibus, causa est, quia nos præterit, quomodo uires ægrotantis affectæ essent, & ipse certissimum earum signum, [pulsus nimirum ipsos,] non adiunxit, his enim simul cognitis, facillimum erat dicere, an uigesimo die æger esset moriturus, an morbus diuturnior esset futurus, sed his ignoratis, erat obscurum. audiamus igitur, quæ de decimoseptimo, deque uigesimo die ipse dicat.

9 *Ad diem decimumseptimum rediit: sequentibus diebus incaluit: febris acuta, urinæ tenues: delirauit.*

A. l. 4. f. 3. t. 1 c. 81. p. 819. A Cetera sunt recidiuæ symptomata, at urinæ tenues morbum esse incoctum indicant, itaque ut non sint magnopere letalia signa, quæ apparebant, non tamé dicet quispiam, qui die decimoseptimo eam urinarum cruditatem conspiciat, hominem seruatum iri: ipse enim in eiusmodi dixit, periculum esse, ne æger morbi diuturnitatem ferre possit.

10 *Iterum uigesimo die iudicatus est, & a febre liberatus, non sudauit.*

Quo die consentaneum erat febrem exacerbari, siquidem natura omnino aggressa esset concoctionem humorum, qui crudi erant, ut declarabant urinæ, quæ tenues permanebant: eodem die febris perfecte cessauit: neque enim die decimoseptimo accessit a natiuo calore, sed solum a putredine excitata, succensis febrilem in modum humoribus, itaque eorum feruor per halitum digestus hominem a febre uindicauit, sed quia perniciosa symptomata perseuerabant, ut deinceps ait, clarum erat, Hermocratem esse periturum, & quemadmodum scripsit, cum die quartodecimo non sudasse, ita in uigesimo idem addidit, nos admonens, remissionem sine signis factam esse, extingui autem ægri naturam, propterea quod ea symptomata permanerent, perspicuum est ex iis, quæ ad uigesimi diei narrationem addit, quibus iam animum adhibeto.

B

11 *A cibo perpetuo abhorrebat, omnino mente constabat: loqui non poterat, lingua inaruit, non sitiebat, obdormiscebat parum, soporatus.*

Hæc, quæ dixit, omnia sunt uitalis facultatis emorientis signa: ut, uerbi gratia, fastidium ciborum, quod inappetentiam significat, interim oritur ab ore uentriculi, quod aliqua aliena humorum qualitas uitiauit, interim ob facultatis ipsius extinctionem: cuius, cum ualeret, munera erant, indigentiam sentire, & ea, a quibus curaretur, expetere eiusdem quoque munus est, humidæ materiæ indigentiam, et repletionemq; sentire. quomodo igitur in his se haberet, aperte Hippocrates declarauit his uerbis, Non C sitiebat: & cum dixisset, a cibo perpetuo abhorrebat, subiunxit, Mente constabat: illi uero, lingua inaruit, hoc, non sitiebat. &, mente constabat, ad communem utriusque declarationem assumpsit, non sitiebat uero, ad alterutram. communis autem declaratio est hæc, non sentiebat indigẽtiam siccæ, uel humidæ materiæ, non quia nó animaduerteret, sed quia eius facultas extinguebatur. huic autem, lingua inaruit, adiecit, non sitiebat, ut declararet, hominem non causa humiditatis illum quidem non sitiusse, ut quidam, qui humidum, frigidumque succum aceruarunt: sed cum ea affectio maxime siticulosa esset, eã tamen ab emoriente facultate non sentiri: nedum ex huius noxa sermonis sit secuta defectio. quam ob rem si hæc symptomata & uigesimo die, & per totum fere morbi decursum ei aderant, planum est calore natiuo emoriente, febrẽ esse uigesimo die sedatam, id confirmat, quod ait, obdormiscebat parumper soporatus: neque enim dormiebat, ut qui bene ualent, sed propter uirium imbecillitatem inuitus conniuebat, ut ne apertos quidem tenere oculos posset: eosque inclinabat, & parumper dormiebat. addidit autem parumper, ut uel inde facultatis infirmæ, non somnorum naturaliũ nota nobis suppeteret: ut probabilius sit, alto sopore tentatum hoc tempore ægrum fuisse propter facultatis infirmitatem, quàm propter originis sensuum humiditatem. quocirca mirari conuenit, non cur mortuus sit Hermocrates, sed cur uigesimũ septimum attingere diem potuerit: siquidem uerisimile erat, nó multo post D uigesimum diem, mortem fuisse secuturam. ex quo patet, eum iuuenem, robustaque natura fuisse: ideo factum est, ut morbo resisteret, paulatim contabescens. Licet enim ex omnibus iis, quæ ei acciderunt, facere coniecturam, quem medici recentiores marcorem nominant, torridum in eo fuisse: atque ipsum die uigesimo septimo a febre peremptum esse, quàm uigesimo quarto die humorũ putredo concitaue rat: quam ipse oratione sequenti exponit. nunc uero par est explanare, cur hoc loco dixerit, omnino mẽte cõstabat: siquidẽ uidetur nõ omnino mẽtis compos fuisse: cũ ipsemet scripserit, eũ quinto die delirasse; tũ uero in sexto addiderit, mẽte nõ constabat, mox in decimoseptimo, delirauit, itaq; duorũ alte rutrũ: uel quod his solũ diebus delirauit, & reliquo tẽpore mẽte cõstitit: quod ut indicaret, scripsit, oĩno mẽte costabat; aut quod uigesimo die, cuius explicationẽ hoc loco persequitur, omnino mente consti tit, hoc est, ne paululum quidem desipuit, cur autem hoc addiderit, paulo ante exposui. ceterũ cum qui dam in morbis neque appetant, neq; sitiant, uel quod propter delirium non sentiant, quibus malis urgeantur, uel propter naturalis in uentriculo facultatis extinctionem, si ita illi affecti citra delirium sint, reliquum est, ut naturalis eorum facultas extinguatur.

12 *Die uigesimoquarto incaluit: aluus liquida, cum tenui fluxione: ac multa: sequentibus diebus acuta febris, lingua combusta est: uigesimoseptimo die de uita discessit.*

In hoc ægro uigesimus quartus, ut diximus, ex circuitibus criticis, & eo etiã multo magis uigesimus

ſeptimus proportione quaſdam innouationes attulerunt: ut enim decimo ſeptimo die repetitus eſt, E
ac uiſus eſt habere commodius, cum tamen re uera non haberet, ſed falſa ſpecie illuſo uulgo, quod
natiuus calor extingueretur, ideo eum febris deſeruit: ita uigeſimo quarto, cum ex putredine reli-
quorum humorum febricitare cœpiſſet, aluusque deieciſſet multa, tenuia, ac maligna, uigeſimo ſe-
ptimo interijt: quod acuta, ſiccaq; febris eſſet: unde etiam ei lingua exuſta eſt.

*Hic perpetuo ſurdus fuit: vrinæ aut craſſa, & rubentes, non ſubſidentes: aut tenues, decoloreſque ſuſpenſiones* 13
*habentes: guſtare non poterat. |Π|. E. Δ. K. Z. Θ. P. D. S. V. S. M. i. probabile deiectionibus ſuppreſſis, vi-*
*geſimo ſeptimo mortuum.*

Poſt uigeſimi diei explicationem, ſubinde ſcripſit, quod modo dicitur, guſtare non poterat. quod
ſignificat idem, quod a cibo abhorrebat. urinas a ſeptimo & decimo die tenues uſque ad uigeſimum
fuiſſe dixit. prædixit autem, ſi quid meminimus, de ijs, quæ rubram, nec ſubſidentem ſuſpenſionem ha
bent. nunc uero omnia, quæ enunciauit, in unum colligens a capite arceſſens, id uidetur dicere, uri-
nas ab eo uarias eſſe redditas, at nullam plane bonam, iam uero fuiſſe hunc perpetuo ſurdũ, quod ſu-
pra non dixerat, recte hic ſubiunxit. neſcio autem cur, nihil amplius de arquata effuſione memorarit:
cuius ſane par erat meminiſſe. fortaſſe igitur ſilentio eam tranſiuit, quod planum eſſet, eam perpetuo
perduraſſe: nam cum nec ſudor, nec bilis euacuatio aut per uentrem, aut per urinas, aut per uomitũ F
eſſet Hermocrati ſubſecuta, ſubmoueri arquatus morbus non poterat. ex his igitur omnibus, quæ di
cta ſunt, perſpicuum eſt, iecur ualde affectum fuiſſe: quod eſt uegetatricis, ut uocant, naturaliſque a-
nimæ principium: cuius animæ quatuor eſſe uirtutes oſtenſum eſt, attrahentem, retinentem, alteran-
tem, & expellentem: a quibus & alimenta, & incrementa corporibus ſuppeditantur: & hac affecta, tã
uehementer cibi cupiditas aboletur, ut ægroti mori, quàm guſtare quicquam, malint.

*De notis, quæ adiectæ ſunt.*

In uetuſtioribus libris initium notarum ægris adſcriptarũ, a muliere, quæ angina correpta apud Bi-
tonem erat, quæq; ſeptima deſcripta eſt, ſumebatur. & qui notas, quæ hoc in libro ſcriptæ ſunt, explana
runt, omnes illinc initium duxerunt; ac primis ægris eas eſſe adiunctas negarunt: & tamen in quibuſ-
dam libris, qui noſtris in manibus nunc uerſantur, primis etiam ægrotis eas adiectas comperimus: ut
etiam eaſdem habet Dioſcoridis editio. huic autem Hermocrati primum adſcriptum eſt |Π|, in medio
lineam habens, prima omniũ notarum, quas in omnibus ægris reperiri adſcriptas diximus: deinde E,
mox Δ, cum linea recta deorſum notata, ueluti ſubſcripta, tum k, & Z, poſtremo Θ, hoc modo |Π|.
E. Δ. k. Z. Θ. itaq; prima nota, ut etiam ſupra, ſignificat πιθανὸν .i. probabile: ſicut extrema litera tum
Y, tum Θ, ſcripta eſt: illa ſanitatem, hæc θάνατον .i. mortem indicat. quæ hanc antecedit, dierum nume G
rum, quibus aut perijt, aut omnino conualuit æger, denotat: quæ interiacent, aut mortis, aut ſanitatis
rationem continent. ac nunc quidem E, cum Δ infra ſignato notat, ἐπισχεθέντων τῶν διαχωρημάτων, hoc
eſt, aluo ſuppreſſa, probabile eſſe Hermocratem uigeſimo ſeptimo die perijſſe. Quidam interpretes uo
lunt, eum mortuum eſſe, quod aluus uigeſimo quarto proflueret: quod ad confirmandum, locum ex
prædictionibus proferunt, his uerbis, Surditas, & urinæ prærubræ non ſubſidentes, & quibus ſuſpenſio
nes inſunt, delirium portendunt: his ſi regius morbus ſuccedat, malum eſt: malum item, ſi morbo re-
gio fatuitas ſuperueniat: hos muros quidẽ fieri, ſed ſentire cõtingit: & aluus opinor, fluit, ut Hermippo
qui perijt. hæc eſt ex libro prædictionum allata ſententia, de qua, cum librum illum explicarem, diſpu-
taui. nunc ſatis ſit hoc dixiſſe, ut ea quæ illic & hic quoq; adhunc uſque locum dicta ſunt nobis, ad me-
moriam reuocemus, Hermocrates enim neq; propter aluum adſtrictam, neq; propter eandem ſolutã
mortuus eſt: ſed ea ſymptomata affectui ſuperuenerunt: ſicut etiam, cum antea combuſta excerneret
quorum utrunq; ex iecoris affectionibus conſequebatur, quod cum alibi, tum in commentarijs de lo-
cis affectis docuimus. uidetur autem potiſſimum iecoris uitio perijſſe: cum iam etiam caput ſtatum na
turalem non obtineret. ſed hunc quoq; ægrotum abſurdius illi exponunt, qui eum ob id ſolum deſcri-
ptum eſſe aiunt, ut criticorum dierum uim perpendamus: quaſi uero id non ſit in omnibus ægrotis com H
muniter obſeruatum. quæ autem ſingulis priuatim acciderunt, ea pro affectionibus, quæ eos inuade-
rent, exoriebantur.

AEGROTVS. III.

*Qui in Dealcis horto decumbebat.* 14

Hoc etiã loco additũ eſſe hortũ Sabinus dixit, qui etiã in cauſa eſſet, ut homo morbo corriperet: &
ſic ad uerbum ſcribit: Enimuero hortũ fortaſſe adiũxit, ut innueret, hinc quoq; febris excitãdæ occaſio
nem extitiſſe: homo.n. nõ eſt aĩal ad herbas edẽdas natũ: itaq; abſurdo uictu ueluti innouationẽ quan-
dam ſubijt. hæc ſunt, quæ ille hic cõſcripſit. ego uero, qñ præter inſtitutũ meũ ab amicis cõpulſus ſum
ut in his cõmentarijs aliqd quod ad interpretationes abſurdas reprehẽdendas pertineat, cõſcribã, hoc
etiã loco pauca huius generis adiungã. ac primũ quidẽ nõ dixit, hoĩem ſemp in Dealcis horto habitaſ-
ſe: ſed decũbere ſolũ ſcripſit: quia, cũ integra ualetudine perfrueret, alibi poterat habitare: morbo autẽ
affectus, cũ accõmodatiore tabernaculo ei opus eſſet, id in horto Dealcis cõperiſſe: deinde nõ neceſſe
eſt, eũ, qui in horto diuerſat, herbis perpetuo, ut herbas ſolũ paſcẽtia aĩantia, ueſci: ut nec ſi prope eos
habitet, qui ouillas, caprillasve carnes uendũt, his ueſci quotidie, ut ille ait: neq; enim ſi laniorũ ſis ui-
cinus, ſtatim neceſſe ſit, multas carnes deuorare, ut athleta facit. tertio loco, cum multa ei ſuppeterent
ad

A ad hortorum aerem reprehendendum, totam hanc partem declinauit,& ad olera deflexit: cum tamen & rubos memorare potuisset, ut qui in hortos excrementa alui fere comportent: tum omnem eius generis foetorem,tum halitum ab oleribus,arboribusque,& fruticibus excitatum,ut brassicæ,careæ,& buxi: cum uicinus aer ab horum consuetudine inficietur: sed satis iam huiusmodi interpretationes confutasse uideor: quare ad utilia transibo,& ad Hippocratis me uerba recipiam.

15 *Diu capitis grauitate conflictabatur, ac dextrum tempus dolebat: cum occasione igni correptus est,ac decubuit.*

Hippocrates,ut iam ante persæpe ostendi,ignem appellar febrem.illud quoque declaraui,quemadmodum plerique omnes solent,paruas causas προφάσεις.i.occasiones uocare, ita quoque magis proprie ipsum facere: quædam enim sunt quæ ipsa per se excitare morbum non possunt: sed si corpori ad morbum parato accesserinr,tota morbi causa uidetur ei esse accepta referenda, quod in ægroto nobis propositro usu uenit: nam & diururna capitis grauitas,& dextri temporis dolor,hominem iam ad morbum comparatum esse demonstrabat. recte sane fecisset,si prius quàm externa aliqua de causa leui in morbum incidisset,quæ causa arguebat,eum esse ad morbum paratum,medico,qui impendenti morbo occurreret,se commisisset.

16 B *secundo die modicum meri sanguinis de sinistra manabat.*

Cui dextrum tempus dolere dixit, huic ait modicum meri sanguinis de sinistro fluxisse.merũ autem cum de flaua,atraque,aut æruginosa bile dicitur,planum est quid significet, ut sæpe dictum est: nam cũ quisque humor proprium colorem,consistentiaq; synceram conseruat,tum eum merum excerni dicere solemus,at in sanguine fortasse ex contrario accipiendum est ab eo merum dici,ut idem sit,quod male mistum:constat enim sanguinis naturalis colorem rubrum esse: at decolor non eiusmodi est, sed uel nigrior,uel insigniter rufior.& quidem merum sanguinem solemus plerunque nigrum appellare: qui simul est crassiore consistentia.perspicuum est igitur,huic ægroto,si uires ualidæ erant, mitti sanguinem debuisse,sed hoc remedium nõ esse ab Hippocrate commemoratum, eadem erit, quæ de primo ægroto est conscripta,quæstio.

17 *Aluus stercora recte deiecit.*

Hoc unum uidetur in morbi principio mediocre fuisse:cetera praua omnia: quæ sequenti oratione explicantur.

18 *Vrinæ tenues cum uarijs suspensionibus minutim dispersis: qualis est farina crassior, seminis speciem referens. tertio die*
C *febris acuta,deiectiones nigræ,tenues,spumosæ,subsidentia in ramentis liuida: aliquantulum ueterno tentabatur: ægre exsurgebat: quod in urinis residebat,liuidum erat,& subglutinosum.*

Hæc omnia symptomata,atque signa ei praua fuisse,qui in memoria habent, quæ in præsagijs dicta sunt, plane sciunt,non pauca itidem in commentarijs in primum uulgarium morborum diximus,

19 *Quarto uomuit biliosa,flaua,pauca,paulo post ærulenta: ex sinistra parum puri profluxit: aluus eadem: urinæque eadem fuerunt: circa caput,& claniculas sudauit: lien intumuit: femur e directo doluit: hypochondrium dextrum submolliter contendebatur: nocte non dormiuit: aliquantulum delirauit.*

Hæc quoque omnia,quæ dixit, praua symptomata sunt,præter abscessum qui in lienem, & in sinistrum femur fieri uidebatur.

20 *Quinto deiectiones plures,nigræ,spumosæ, in quibus nigra subsidebant: nocte nihil dormiuit,delirauit.*

Iam hæc quoque omnia praua sunt: sed attendamus sequentia.

21 *Sexto die deiectiones nigræ,pingues,spumosæ,glutinosæ,graueolentes,dormiuit,mente melius constabat.*

Dormiuisse,& mente melius constitisse,mitia sunt: cetera praua.

22 D *Septimo lingua arida,sitibundus erat,non dormiuit,delirauit: urinæ tenues,non boni coloris. octauo retrimenta nigra, pauca,compacta,dormiuit,mentis compos fuit: nec admodum sitibundus.*

Hactenus omnia symptomata ei fuisse fallacia uidentur.

23 *Nono riguit,febris acuta,sudauit,refrixit,delirauit,dexter oculus distortus est,lingua inaruit,sitibundus erat,et insomnis: decimo die,eadem: undecimo omnino mentis compos erat,& febre uacans: sudauit,urinæ circa iudicium tenues erant.*

Hunc hominem ualidis fuisse uiribus apparet,quippe quæ maximo cum morbo luctãtes resisterẽt. itaque cum nihil ei boni adhuc accidisset,rigorq; nono die criticus esset cõsecutus,deinde uero, quod solet,febris acura,& post eam,sudor: apparet eum propter morbi magnitudinem,non statim fuisse febre liberatum: & tamen,cum eadem perseuerarent,(nam decimo die inquit,eadem)undecimo statim fuisse febre liberatum.quod autem in nono delirarit,oculusque dexter sit distortus,ex ijs sunt,quæ euenire in iudicationibus solent.neque uero de eo uidetur tota simul nono die facta iudicatio,sed in undecimum prorracta diem: in quo dixit,omnino mentis compos erat.addidit autem, urinæ circa iudicium tenues erant,ne illi iudicationi fidem adhibeamus,neq; firmam esse iudicemus, sed morbi recidiuam breui expectemus.nam cum alioqui, tum quod tanta esset morbi magnitudo, in huiusmodi nos esse expectatione par erat.

*Biduum intermisit a febre integer : repetijt quartodecimo, statim nocte non dormiuit : omnino delirabat :* E 24

Confecta dimidiata, infidelique, die undecimo iudicatione, ait febrim duos dies intermisisse, hoc est, duodecimum, ad tertiumdecimum deinde quarto decimo repetijsse, ijsdemque iterum in symptomatibus ægrotum esse uersatum.

*Quintodecimo urinæ turbatæ, qualis fit ex ijs, quæ subsederunt, ubi agitantur : febris acuta : prorsus delirauit, non dormiuit : genua, tibiaque dolebant : aluus subiectis balanis nigra stercora deiecit.* 25.

Recidiua iterum fuit antea & propter morbi magnitudinem, quæ ei principio inerat, & quod undecimo die, quo prima iudicatio facta est, signa concoctionis in urinis non erant. dolores tamen genuũ, ac tibiarum, qui humores, a quibus morbus efficitur ad imas partes uergere significant, erant in bonis exitus tamen nigrorum stercorum glande supposita, est propter, colorem malus.

*Decimo sexto urinæ tenues, in quibus nubilosæ suspensiones inerant : delirauit.* 26

Hæc quoque symptomata & signa sunt acutæ febris secundo loco inuadentis : si quid meminimus eorum, quæ in præsagijs, & in primo uulgarium morborum ostensa sunt : mihi uero nõ sunt eadẽ millies repetenda. F

*Decimo septimo mane extremæ partes frigidæ, cooperiebatur, acuta febris, toto corpore sudauit, leuatus est, melius mente constabat, non tamen sine febre : sitibundus : uomuit biliosa, flaua, pauca : aluus stercora deiecit, paulo post nigra, pauca, tenuia : urinæ tenues non boni coloris.* 27

Videtur septimus decimus dies sudorem quendam iterum attulisse, qui, propter cruditatem humorum, ex quibus ægrotasse ille uidetur, discutere morbum non poterat.

*Decimo octauo non erat mentis compos ; sopore tenebatur : undeuigesimo in eodem statu erat.* 28

Nullum omnino insigne adiumẽtum dies decimus septimus uidetur huic homini attulisse: & tamen eius naturalis facultas uidetur cum morbo pugnare : ac fortasse etiam uictoria potietur.

*Vigesimo dormiuit, mentis omnino compos erat, sudauit, febris expers fuit, non sitiebat: uigesimo primo parum delirauit ; nomnibil sitiebat, hypochondrium dolebat: & ad umbilicum erat perpetua palpitatio : uigesimo quarto urinæ habebant subsidentia: prorsus mente constabat. uigesimoseptimo dextra coxa dolebat : urinæ tenues : in quibus erant subsidentia : cetera mitissima habebat: undetrigesimo dexter oculus dolebat: urinæ tenues : quadragesimo aluus pituitosa, alba, sub crebra : multum toto corpore sudauit, absolute iudicatus est.* 29 G

Hæc tertia est iudicatio, in qua natura etiam conata est sudoribus excernendis in die critico morbũ dissoluere, ut in superioribus, qui non secus critici erant. id quod nullam aliam ob causam addidi, nisi ut ostenderem, auctores eorum præceptorum, quæ in prædictionibus falsa sunt, errare: & lõge ab Hippocratis sententia, & a præsensione in ægrotis abesse : ideoque logiatros esse, [Sic enim plerique docti homines appellant eos, qui ad opera obeunda inepti sunt] non medicos: cum fidem adhibeant ijs ægrotis, qui in prædictionibus, Coacisque prænotionibus sunt descripti, & pro eorũ arbitrio cetera confirmant, ea afferentes, quæ in prædictionibus, & Coacis male sunt conscripta prænotionibus: & uniuersalia præcepta in præsagijs & aphorismis, itemque in libris uulgarium morborum tradita contemnunt. nam quicquid in prædictionibus, Coacisque prænotionibus ueri dictum est, id totum (ut ego in commentarijs in prædictiones ostendi,) auctores eorum librorum ex aphorismis, præsagijs, ac libris uulgarium morborum in libros illos transtulerunt. Lycum uero miror, qui & ipse huiusce nequitia plenus in Quinctum eam conijcit: & tamen ei ne annua quidem cum Quincto consuetudo intercessit: cum Satyrus, & Fecianus qui cum eo diu uixerunt, nullam eiusmodi interpretationem Quincto attribuerint: id quod ego, qui utroque præceptore usus sum, plane compertum habeo. H

# GALENI IN III. DE MORBIS VVLGARIBVS HIPPOCRATIS, COMMENTARIVS SECVNDVS.

*Hoc commentario explicatur obseruatio symptomatum, quæ nouem ægrotis acciderunt.*

LIBRVM ego nullum scripsi, nisi me amici quidam rogauissent: præcipue autẽ
ij, qui longam profectionem suscipientes, commentarium eorum, quæ a me
audierant, aut quæ in animantium dissectionibus, aut in ægris ostenderam ha
bere cupiebant. cumque nonnulli in manus hominum incidissent, probatiq;
ab alijs essent, qui ipsi quoque a me contenderunt, ut omnes medicæ artis
B partes absoluerem, eodem, quo iam quibusdam dedi, modo id ipsum perfeci.
cum uero perspicerem me in omnibus, quæ conscripseram, Hippocratis in-
terpretatum esse sententiam, simulque eius accommodatissimas orationes
attulisse, superuacaneum fore existimaui, si omnium eius librorum singulas orationes a principio ad
finem usque interpretandas suscepissem: uerum quando huiusmodi quoque commentarios quidã ex
amicis a me efflagitassent, a uerissimis, utilissimisque Hippocratis libris initium sumpsi, idem intuens,
quod etiam in prioribus feceram: id autem est, ut quæ perpetuo, aut sæpe in ægrotis spectantur, ea
sola literis mandarem, nec quenquam reprehenderem eorum, qui uel ea quæ raro, uel quæ nunquam
uidentur, atque omnino falsa sunt, conscribunt: sic enim commentarios in librum de fracturis, & ar-
ticulis; sic etiam in librum de ulceribus, & de uulneribus capitis, & in aphorismos atque præsagia con
feci. deinde uere amicorum inductus precibus, commentarijs exposui partem libri de ratione uictus
in morbis acutis primam usque ad usum balneorum, quæ sane uerissima Hippocratis habita est: post
hanc uero, secundam interpretatus sum, cum ipsa quoque multa ad Hippocratis sententiam præce-
pta continere uideatur. his confectis librum de humoribus celeriter, paucisque diebus explicationi-
bus illustraui, quod is, qui me ad commentarium conscribendum impulerat, discedere properaret. qui
cum probarentur, siquidem inuulgati erant, inde factum est, ut non iam amici mei solum, sed alij quo-
C que Medici, qui mihi essent familiaritate coniuncti, ut omnia Hippocratis scripta interpretarer, frequẽ
tes adhortarentur. & sane in librum iam de officio chirurgico, & in primum, ac secundum morborum
uulgarium conscripseram. a quibus cum in tertium explanationes incepturus essem, forte euenit, ut
me obnixe quidam, ut in prædictiones conscriberem, rogarint. ad hoc autem petẽdum impulsi sunt,
quod in sermonem de ijs, quæ in præsagijs, aphorismisque tradita sunt, deambulando incideramus:
quæ omnia multum in ægrotis ualere demonstraui: addidique si quis ea omnia quæ sunt in libro præ-
dictionum conscripta, pro generalibus præceptis accipiat, hunc esse magnopere erraturum. probaui
quoque eiusdem generis plurima esse ex ijs, quæ in Coacis sunt scripta prænotionibus, eaque intermi-
sta esse quibusdam, quæ aphorismis, aut præsagijs, & nonnullis etiam, quæ libris uulgarium morborũ
continentur: quæ sane sola ex ijs, quæ in illis sunt libris, uera sunt: cetera autem, quæ in Coacis præ-
notionibus, & in prædictionibus habentur, erroribus scatent. iam uero in secundo & sexto uulgarium
morborum quædam interiecta sunt, ut etiam in libro aphorismorum extremo: cetera omnia secundi,
sextique uulgarium morborum libri sunt Hippocratis, magna ex parte in cõmẽtarijs inuenta: quæ-
dam uero ab eo, qui libros disposuit, adiecta: is autem fuit Thessalus filiorum Hippocratis præstantis-
simus, qui accurate patris sententiam æmulatus est. in primo autem, & tertio uulgarium morborũ aut
D nihil, aut certe pauca interiecta esse suspicabere. uniuersalia autem in his libris præcepta sunt admodũ
pauca conscripta, cum in eis sit pura narratio eorum, quæ aut omnibus generatim in uulgaribus con-
stitutionibus, aut cuique priuatim euenerunt. exactis iam in secundum librum commentarijs, tres in-
terea forte scripsi in librum prædictionum, ab amicis, ut dixi rogantibus inductus: quibus ostendi ma-
ximam eius libri partem falsam esse: multa pro uniuersalibus dicta esse, quæ raro eueniant: multa indi
stincta, quæ distinctiones requirant. & quo clarior sit oratio mea, unum afferam eorum, quæ male qui-
dam in commentarijs & in prædictiones, & in ægrotos uulgarium morborum scripserunt. est igitur in
prædictionibus hæc sententia, Febres ex hypochondrijs malignæ sunt: quidam libri interpretes no-
bis commemorant eos ægrotos solum ex libris uulgarium morborum, qui mortui sunt, eisque uel di-
stentum fuisse hypochondrium, morbi tempore, aut dolore, aut palpitatione, aut aliqua alia re consi-
mili tentatum Hippocrates scripsit: qui uero ex eis incolumes euaserunt, silentio pertranseunt. at Hip-
pocrates in præsagijs cum alia quæ sunt ad morbos acutos utilia tradidit, tum de hypochondrijs eo in
loco est locutus, cuius hoc est initium, Hypochondrium optimum est, si dolore uacet, molleque &
æquabile dextra ac sinistra parte sit. hoc autem est totius orationis, quæ satis prolixa est, initium: ubi
de hypochondrijs est Hippocrati sermo institutus. qui autem absolute pronunciat, febres ex hypo-
chondrijs malignas esse, nec distinctiones adiungit, quas in præsagijs ipse scripsit, is aperte mentitur:

multo.n.uerius dictum esset,febres ex cerebro affecto,malignas esse: febres ex mēbranis affectis mali E
gnas: febres ex pulmone affecto malignas: ac multo etiam magis, febres ex corde affecto ortas, malignas esse: aut febres,quæ ab hypochondrijs proficiscuntur,(si proprie nomen hypochondriorum accipiamus)omniū acutarum febrium sunt mitissimæ: sin autem non proprie,sed hac uoce uētrem quoque,iecur,lienem,ac septum transuersum complectamur,quædam erunt malignæ, quædam mites, ut in cōmentarijs de locis affectis distinximus. atque hoc tibi sit unum eorū,quæ in prædictionibus male scripta sunt,exemplū: & itē interpretum,qui,uti modo dixi,libros alterū altero uicissim exponūt. atq; in prædictionibus quidē ita scribūt,Recte dixit,inquiūt,febres ex hypochondrijs malignas esse: siquidē in libris uulgariū morborū,hunc,& illū,& aliū,quorū hypochondria affecta erant, perijsse apparet: deinde uicissim in libris uulgariū morborū,cū ad eos ægrotos perueniūt,merito,inquiunt, dixit hunc ægrotū mortuū esse: dictū.n.generatim in prædictionibus est,febres ex hypochondrijs malignæ sunt. Sed si ita scribendæ explicationes sunt, primū afferri potest negatio ei sententiæ, quæ in prædictionibus est,contraria ad hunc modū,febres ex hypochondrijs mediocres sunt: secūdo loco,potes eos adducere,qui hypochondrijs male affectis in libris uulgarium morborū superstites fuisse memorantur. hoc igitur unū habes,ut dixi,prauarū interpretationū exemplū. alterū in affectionibus inter se complicatis uersatur: quo quidē auctor prædictionum frequenter uti uidetur: ut in cōmentarijs eū in librum F
editis declaraui. implicatas aūt affectiones uoco,in quibus multæ affectæ sunt partes: siquidem unus, idemque homo potest non solum thoracē,sed etiam pulmonem,sed caput, adde uero etiam uentrem, & iecur affectū habere. proinde si quando scribat symptoma quod phrenitin denunciet,mox illi subiūgat aliud,quod sit peripneumoniæ proprium,& iecoris inflammationis, aut uentris,aut alterius partis, tum addat,difficiliore affectione detineri eos, in quibus duæ,aut plures partes affectæ sint, is peruersam doctrinam tradet. erit autem huiusmodi orationis genus: Qui in principio comatosi fiunt eam capitis,lumbi,hypochondrij colliq; dolore uigilantes,sunt ne phrenitici? his si nares stillent, perniciosum est: præcipue aūt,si quarto ab initio die uētris fit prærubra proluuies.hoc iecinoris symptoma est, & pōt cū cęteris existere: ut si lateris dolor,aut peripneumonia hosce comatosos arripuisset, nec tamē eiusdem affectionis est signum. Sed si quis uelit, quæ in prædictionibus falso dicta sunt,& eos,qui libri illius præcepta,& ægrotos in libris uulgarium morborū alternis interpretantur,& alterum altero declarāt,refellere; is cōmentarios nostros in prædictiones perlegat.equidē ægrotos in primo, secūdoq; libro descriptos,citra ullā malorū interpretū reprehensionē,ante exposui. sed quia multi a me amici mirū in modū petierunt,ut in paucis ægris ostenderē,quæ male essent explicata, coactus sum superiorem commentarium in tribus solum ægris integrum conscribere. nunc uero esse accommodatius ad G
institutum arbitror, eodem modo reliquos exponere, quem in primo uulgarium morborum tenui. uereor enim ne in alterum uitium incidam, ut apud eos,qui magnis, longisque commentarijs ostenduntur, male audiam.

AEGROTVS. IIII.

*In Thaso Philistæ caput diu doluit: & tandem ueterno aliquantulum correptus decubuit: † cumque ex potationibus continuæ febres factæ essent, dolor nocte exacerbatus est: primum incaluit; ac primo die uomuit biliosa, pauca, flaua primum, post uero æruginosa, pluraque: aluus stercora excreuit: nox ei grauis fuit: secundo die surdus erat, acuta febris,dextrum hypochondrium contentum est: ad interiora uergebat: urina tenues, pellucida,suspensiones habebant paruas,genituræ similes: circa meridiem insaniuit. tertius ei die grauis fuit. quarto die conuulsiones ei acciderunt: omnia exacerbata sunt: quinto die mane mortuus est.* I

† Alias ex potationibus aūt continuis dolor exacerbatus est: Nocte incaluit primum:

Ne mea longior sit oratio, non secus loquar, q̃ ad eos,qui eorū,quæ in præsagijs,quæq; in aphorismis,& prædictionibus,nec nō in primo & secundo uulgarium morborum exposui, meminerunt. hic H
uir capitis dolore conflictatus,ut qui ante descriptus est,ægrotabat, nec in lecto decumbebat. uerum non contemnendum symptoma in hoc adiunxit, ueterno aliquantulum esse tandem correptum: in illo morbi initium adiunxit,in hoc ait ex magno errore id ei contigisse: cum enim caput grauiter affectum est, maximum malum est larga uini potio: illum uero ex occasione ait in morbum incidisse: quā ob rem cerebrum illi non læsum fuisse censet, sed ea symptomata solum ex humoribus in capite redundantibus esse consecuta: at huic Philistæ ipsum quoque cerebrum progressu temporis ad prauum statum deuenisse: propterea quod ubi noxa ex potione contracta accessit, tam magna,grauisq; reddita affectio est,ut quinto die sit sublatus.quæcunque aūt Hippocrates his diebus ait accidisse symptomata,partim ad morbi acumē pertinēt,ac si nihil læsum cerebrū esset: partim ipsius sunt cerebri. itaque uomitus symptomata sunt acuti morbi,itēq; urinæ qualitas: ipsius uero cerebri, surditas,cōuulsio, & insania.quod autem auctor ait,dextrum hypochondrium contentum est, ad interiora uergebat; tum fit cum a septo transuerso partes uicinæ trahuntur: septum uero ipsum transuersum tenditur interim in pleuritide propter magnitudinē inflammationis,quæ membranam costas succingentē obsidit: interim uero ob originē neruorū, quæ ad se neruos, qui ad septum transuersum pertinent attrahit: interim uero ob suā ipsius inflāmationē. Sed his tribus expositis, uerisimilius est,a septo trāsuerso ob neruorū

tensionem

A tenſionem attracto hypochondrium quoque fuiſſe retractum. atque in his quidem affectibus utrunq; hypochondrium plerunque intro uergit: nonnunquam alterum ſolum, cum ſcilicet principij neruorum pars altera grauiter; altera uel nihil, uel certe modice, ſit affecta.

### AEGROTVS. V.

2 *Chæriona, qui apud Demænetum ægrotabat, ex potu ignis corripuit: ſtatim eſt capitis grauitas dolorem afferens conſecuta: non dormiuit. aluus turbata eſt excrementis bilioſioribus. tertio die febris acuta. capitis tremor, præſertim uero labri inferioris. paulo poſt rigor, conuulſionesq;, prorſus delirauit: noctem moleſtam tranſegit. quartus dies ei quietus fuit e parum dormiuit: oblocutus eſt: quinto cum dolore cuncta exacerbata, nugabatur, nox ei moleſta fuit, non dormiuit. ſexto eadem fuerunt: ſeptimo riguit, febris acuta, toto corpore ſudauit, iudicatus eſt. huic perpetuo erant deiectiones bilioſæ, paucæ, meræ: urinæ tenues, boni coloris, ſuſpenſiones nubiloſas habentes. octauo die melioris coloris urinas reddidit; in quibus erant ſubſidentia alba, paucaq;: mentis erat compos: febris intermiſit: nono repetijt: quartodecimo febris acuta: ſextodecimo bilioſa, flaua, ſubcrebraque uomuit: decimoſeptimo riguit, febris acuta, ſudauit, liber febre iudicatus eſt. urinæ poſt recidiuam, & iudicium, boni coloris erant, & habebant ſubſidentia: nec per recidiuam delirauit. decimooctauo*
B *no parum incaleſcebat: aliquantulum ſitiebat: urinæ tenues, ſuſpenſiones nubiloſæ: paululum delirauit: decimonono febre carebat, collum dolebat, urinis inerant ſubſidentia: uigeſimo eſt plane iudicatus. P. M. B. V. X X. S. i. probabile multitudine bilioſarum urinarum uigeſimo ſanatum.*

Hic uir uidetur ex multitudine, præſertim uero bilioſorum humorum ægrotauiſſe. ac ſi in eo perpendas, quæ de criticis diebus, deque urinis ſunt monſtrata, certe inuenies eſſe conſona, ut conueniẽter rationi die uigeſimo perfecte morbo liberaretur. quidam tamen libri ſunt, in quibus in fine narrationis non ſit adſcriptum, uigeſimo: cum tamen omnium optimi ſic ſcriptam hanc orationem habeãt.

### AEGROTANS. VI.

3 *Euryanactis filiam Virginem ignis inuaſit: hæc perpetuo nihil ſitiebat: nec guſtare quicquã poterat. aluus pauca deijciebat. urinæ paucæ, tenuis, non boni coloris: in febris initio, ſedem dolebat. ſexto die febre erat libera, non ſudauit, iudicata eſt. quod ad ſedem erat, aliquantulum ſuppurauit, & cũ iudicatione erupit. poſt indicationẽ die ſeptimo riguit nõnihil incaluit ſudauit. octauo poſt iudicationem die riguit non multum poſtea extrema ſemper algebant. ad decimum diem, poſt ſudo*
C *rem, delirauit: confeſtimq; reſipuit. aiebant autem hæc paſſam eſſe quod racemum guſtauiſſet. cum autem diem intermiſiſſet, duodecimo iterum multum delirauit. aluus turbata eſt bilioſis excrementis, paucis, meris, tenuibus, mordacibus: crebro deſidebat. ſeptimo autem, ex quo poſtremum delirarat, mortua eſt. huic ab initio morbi fauces dolebant, ſemperq; rubebant: gurgulio retractus, deſtillationes multæ, paruæ, tenues, acres: tuſſijt, nihil concocti excreuit: omnes cibos hoc toto tempore faſtidiuit, neq; quicquam appetiuit: non ſitijt, nec quid notabile bibebat: tacita erat, nihil loquebatur, mæſta animum deſponderat: inerat uero etiam ei natiuum quiddam, quod ad tabem uergebat.*

Poſtquam recenſuit, quæ huic ægræ ad mortem uſque contigerunt totius morbi cauſam ſubiunxit; ex qua iure perijt: ait enim ei in pulmonem prauas deſtillationes fuiſſe, quæ faucibus, gurgulioniq; nocerent. tum addidit, quiddam ei natiuum fuiſſe, quod ad tabem uergebat: quod in memoria habẽdum eſt, nec Sophiſtis adhibenda eſt fides, qui nullum innatum affectum eſſe contendunt. id tamẽ per ſe non ſatis fuiſſet, ad mulierem tam cito tollendam. ſed cum huic affectioni coniuncta quoque eſſet facultatis naturalis extinctio, ideo factum eſt, ut celerius de uita decederet. ipſam autem his uerbis ſignificauit: hæc perpetuo nihil ſitiebat, nec guſtare quicquam poterat: de quorum ego ſymptomatũ malignitate ante in ſuperiore libro uerba feci. atque ipſe quidem in fine narrationis ſuo more, quæ
D mortis & ſalutis cauſa ægrotis fuerit, adiunxit, omnes inquit, cibos hoc toto tempore faſtidiuit; neq; quicquam appetiuit, nec ſitiuit: ut oſtenderet, ei ſummo odio cibos fuiſſe, ut ne cupiditate quidem cuiuſquam caperetur: cuius deſidetio nonnulli, quibus deiectus appetitus eſt, cum recordentur eorũ, quibus aliquando oblectati ſunt, teneri ſolent: quotidie enim in morbis nonnullos nihil appetentes intuemur, qui ſimul atque aliquid guſtarint, illud auerſentur: quoſdam uero, qui ne guſtare quidem poſſint, & tamen quærentibus ex ſe nunquid appetant quidpiam, reſpondent edulia quædam, quibus ſe quondam oblectatos eſſe recordantur. maximum porrò tibi ſignum ſit, facultatum ciborum appetentem eſſe plane extinctam, ſi parata hæc, quæ appetere dicebant, ut primum guſtarunt, reprehendant, nec amplius eis ueſcantur. cumque hi peſſime affecti ſint, tamen multo deteriore in ſtatu ſunt, qui nihil appetũt: ſiquidem indicant extremam eſſe extinctionem naturalis facultatis, qua eſculenta, poculentaque expetuntur. itaque cum his de rebus mulier mortua ſit, nihil eſt, cur exemplariorum uarietatem attendamus, & de diebus quicquam perueſtigemus: cum nullum ordinem illi habeant, quando deſtillatio a capite profecta, & innata tabes ei mortem attulerunt: quod in cauſa eſt, ut ſcripturæ uarietatem, quam iudicatu difficilem, & ſuperuacaneam eſſe arbitratus ſum, prætermiſerim.

E

AEGROTANS. VII.

*Quæ apud Bitonem erat mulier angina laborans, ei primum a lingua cœpit uox obscura esse, lingua rubens, desiccataq; erat: primo die horruit, incaluit; tertio die rigor. febris acuta; tumor colli, & pectoris ex utraque parte subruber, & durus: extremæ partes frigidæ, & liuidæ: spiritus sublimis, potus per nares effluebat: deglutire non poterat. deiectiones & urinæ substiterunt: quarto omnia exacerbata sunt: quinto anginosa perijt. P.D.S.V.M. id est, probabile deiectionibus suppressis quinto mortuam.* 4

Neque in omnibus libris ita scriptus finis huius orationis reperitur. neque ita ab omnibus ijs, qui hunc librum interpretati sunt, legi uidetur: sed etiam quidam ex eis pro quinto, scribunt septimo: quidam octauo: Capito autem nescio qua re adductus, & diem ademit, & ex angina: & paulo ante ex hoc, quarto die cuncta exacerbata sunt, sustulit quarto die: ut hæc tota ei sit oratio, deiectiones & urinæ substiterunt, omnia sunt exacerbata, mortua est. Sed de meliore scriptura posterius disputabimus: nunc quæ in hac dicta sunt obscurius, id quod mihi est in libris, quibus explanationes cõtinentur, præcipue propositum: explicemus. quod igitur ait, spiritus sublimis, non uidetur clarum esse. Sabinus aũt de eo scripsit his uerbis, Sublimis inquit erat respiratio, hoc est, summis naribus respirabat: quod propter arteriæ inflammationem uiæ spatium præclusum esset: nec iam attractio spiritus fieri in pulmoné posset. F Sed hæc quoque Sabini obscura est oratio, & alium præterea explanatorem desiderat. existimo autem, eum uelle significare, summis naribus respirare eos, qui respirando primas narium mouẽt: nos enim plerosque ægrotos ita uidimus respirare, ut eas † in inspirando diducerent. id quod accidit ijs, qui ab angina, uel a peripneumonia, uel a suppuratione suffocantur. itemque ijs, qui infirmis sunt uiribus: uerum quomodo in infirmis id fiat, nunc non necesse est exponere: sed solum dicamus, quo modo fiat in ijs, quorum organa respirationis angusta sunt: ac mox declarabo, cur Hippocrates eiusmodi spiritum sublimem appellarit: in ijs enim, qui ita affecti sunt, sublimes thoracis partes usque ad scapulas moueri uidentur: ac consentaneum est, nunc sublimem spiritum hunc appellari: eumque nõ modo in angina, sed etiam in peripneumonia, & suppuratione effici. idem etiam citra febres accidit ijs, qui proprie dicuntur orthopnoici. i. non nisi recta ceruice spirare, & asthmatici, hoc est suspiriosi. utrunque autem nomen ab eiusmodi euentis est huic affectioni tributum: ut asthma, propter coactam respirationem, quam qui uelociter currunt, habent, appelletur, orthopnœa uero, quia strati suffocãtur, se se rectos erigant. nonnulli etiam coguntur in totum exurgere. in præsagijs quoque est his fere uerbis scriptum: Anginæ grauissimæ sunt, celeriterque enecant, si neque in faucibus, neque in ceruice G quicquam appareat, multum uero laboris, orthopnœamque afferunt. ergo eadem causa in affectibus strangulantibus orthopnæam, & quem modo sublimem spiritum uocabat, efficit: cum enim integra ualetudo est, in nobisque omnes uoluntariæ actiones conquiescunt, tum solis inferioribus thoracis partibus, quæ ad septum transuersum sunt, respiramus, ut in commentarijs de causis respirationis ostẽdimus: sin autẽ maiore inspiratione opus sit, etiam partes infernis propinquas unà mouemus: ubi plurimam requiramus, tum etiam partes ad operta scoptula mouemus, ac totius thoracis opera uehemẽti utimur: sed hoc nobis sanis fit, cum uelociter currimus, aut quoquo modo uehementer commouemur: quod tum multo spiritu attracto opus sit: in peripneumonijs uero, & suppuratorum uitijs, aut malis, & in orthopnœa, cui iuncta febris sit, ob angustiam organorum spiritus, quæ tantum aeris capere non possunt, quantum animans postulat, id efficitur. imperfectus igitur usus respirationis in periculum suffocationis eos adducit: quam ob rem & perpetuo, & toto thorace obire respirationem coguntur. at in angina cõceptacula spiritus in pulmone, per quæ respiramus, reclusa, puraque sunt: sed quia musculi gutturis inflammatione obsidentur, constringitur externi aeris, quem inspiratione attrahimus, primus ingressus: quocirca hic quoque, sed aliam ob causam, æque tamen, imperfectus respirationis usus redditur, ut in suspiriosis suppuratis, & peripneumonia affectis contingebat. itaque qui H suffocantur, dant operam, ut exurgant, & toto thorace externum aerem magna ui attrahant. qua sane ratione censeas, in ijs, qui angina laborant, sublimem spiritum esse appellatum: potest etiam ita nominari, quod illi uolunt se ipsi in sublime erigere, ut idem sublimis spiritus significet, quod in præsagijs orthopnœa. ceterum in huius mulieris, quæ angina afficiebatur, narratione scriptum est, potum etiam per nares effluxisse: quod ijs usu uenit, qui deglutire ipsum non possunt uel ob angustiorem gulæ transitum, uel ob eius extinctionem, ac resolutionem: quorum utrunque est exitiosum uel maxime: ut etiam quod est in tertio die antea ab eo conscriptum, extremæ inquam, partes frigidæ, & liuidæ: cum enim prædixisset, tertio die rigor, febris acuta, subiunxit, extremæ partes frigidæ, & liuidæ: extremarum enim partium refrigeratio & liuor in acutis morbis signum est internicionis, extinctionisque natiui caloris: atque inde etiam factum est, ut huic ægræ deiectiones, & urinæ suppressæ sint, quod iam omnes actiones emorerentur. quam ob rem probabile est, neque septimo, neq; octauo die hominem esse mortuam: quod uires tantum temporis sufficere non possent: cum tertio iam die symptomata, signaque naturæ frigescentis haberet. & Hippocrates, qui in morbis tam acutis solet quæ singulis diebus euenerint, perscribere, non commisisset, ut quintum, & sextum diem tacitus præterijsset. cum igitur, absoluta diei tertij narratione, solius quarti mentionem fecit, in quo dixit, exacerbata

† Vetus interpres habuit, in expirando cõtraherent, &c. sed hęc absunt a Græcis lib.

A bata eſſe omnia, fit etiam uerisimilius, ipſam mulierem non potuiſſe ad ſeptimum, aut octauum uſque
diem uitam producere: etenim admirabiles mutationes, quæ propter robur naturæ raro fiunt, & nos
ſæpe uidimus, & Hippocrates ipſe in ægrorum narrationibus ſcripſit: eaſque ſimul indicat, ac ſigni-
ficat, ægrũ cõmodius habuiſſe: nũc uero, qñ tertio die febris acuta eſſet, extremaq; frigeſcerent, ac li-
ueſcerẽt atque urina ſupprimeretur, licet non addidiſſet, quarto die eſſe omnia exacerbata, tamẽ quin
to die erat omnino moritura: quod cum adſcripſerit, etiam firmius enunciabis, mulierem ita affectam
ſextum diem uiuam non attigiſſe, multo uero minus ſeptimum, uel octauum. quare admirari licet,
cur is, qui notas primus adſcripſit, ita eas adhibuerit, ut eam octauo die mortuam ſignificent. ac mul-
to etiam magis, quomodo Zeno, & Herophilus uir non uulgaris, cum notas in tertio uulgarium mor-
borum adſcriptas interpretatur, dicat ipſe quoque, hanc octauo die ex angina perijſſe: idque his notis
ſignificari, Π. Δ. E. H. Θ. harum notarũ prima ſignificat πιθανὸν i. probabile, quod per π ſcribitur, quæ
mediam rectam habet ab utraque parte æquo interuallo diſtantem, ut nonnulli nongenteſimum nu-
merum ſcribunt. id quod in omnibus ægris hæc nota ceteris conſequentibus præpoſita ſemper ſigni-
ficat. quæ ultima eſt, hic mortem ſignificat, θ litera expreſſam: in alijs uero ægris ſanitatem, quæ lite-
ra Y notatur. penultima uero nota ſemper dierum numerum, quibus æger ubique in ſermone propo-
B ſitus laborauit, declarat: quæ interiectæ ſunt, cur ſeruatus ſit, aut perierit homo, cauſam aperiunt: ut
in hac, quæ angina laborabat. duæ notæ ſunt, quarum altera ſequitur primam omnium, cuius medium
recta linea ſecat, Π. ab hac uero, alia, atque alia deinceps ſequitur; ergo quæ poſt primam, cuius me-
dium ſecatur, locata eſt, elementum Δ eſt, in cuius media inferiore linea, alia recta linea deorſum du-
cta oritur, ſicut l. ſcribimus. conſequens eſt E. ex quibus deinceps poſitis hunc ſenſum elici Zeno cen
ſet, τῶν διαχωρουμένων ἐπίσχεσιν. i. deiectionum ſuppreſſionem: cum Δ deorſum notatum quouis modo ex-
cretiones ſignificet: ſiquidem ipſum non modo urinarum, aut deiectionum, ſed etiam ſudoris eſſe ſi-
gnum affirmat: & E, ἐποχὴν ſiue ἐπίσχεσιν, utro modo eam appelles, eorum retentionem: ut ſit hæc no-
tarum tota ſententia, probabile eſt, excretionibus retentis octauo die angina affectam perijſſe. quare,
ut dixi, miror, cur meliores libri habeant quintum diem, huic lectioni etiam ipſa litera E, conſentien-
te, ut paulo ante oſtendi, ipſum tamen Zenonem affirmare, ſcire ſe, octauum eſſe ſcriptum: & qui in il-
lum diſputant, hac de re nihil dixiſſe: ei tamen uitio uertere, quod ſecundam literam non ſcripſerit,
& Δ ſignatum fecerit, cum tamen in tertio uulgarium morborum non ita ſcriptum eſſe uideatur: ſed
poſt primam literam, P, ut illi aiunt, ſcriptum ſit. hic reliquus mihi ſermo prolixus ſe offert: putabit
enim re uera quiſpiam, Hippocratem has notas ægris adiunxiſſe: quod Zenonis aduerſarij non P, ſed
C Δ deorſum ſignatum eſſe ſcriptum uolunt. uerum ſi Zenonis aduerſariorum libros legeris, qui aiunt,
has notas Hippocratis non eſſe, & librum quendam extare Ptolemæi, cognomento Euergetes qui di
cebatur, in quo notę illæ ſuppoſitæ ſunt a Medico quodam Pamphilio, ex Sida ciuitate, qui ſectã Cleo
phantiam adamauit; audieris præterea cauſam, quam ob rem Mnemon adductus has notas libro in-
ſeruerit; certe Zenonis aduerſarij non iam ſibi conſtare uidebuntur. nec eſſe illas Hippocratis, nec ita,
ut ille expoſuit, eſſe ſcriptas cognoueris. Ac mihi quidem, quæ hactenus dicta ſunt, ſuperuacanea iu-
dicantur: nihilq; utilitatis afferre lectoribus ad artis opera, quo properare, qui hanc meditatur, debet.
Sed cum adſcriptæ eſſent, uiſum eſt amicis, in quorum gratiam quibuſdam primi libri locis eos repre-
hendi, qui male explicabant, quæ ad ægrotos pertinent, ut uno in loco huius libri aliquid de hiſce no
tis diſſererem, itaque id facere animum induxi: tametſi non ignorem id, quod crebris uſurpare ſermo-
nibus ſoleo, commentarios a iunioribus Medicis ſcriptos in cauſa eſſe, ut nos tempus conſumamus,
& nihil ab eis, quod ad medicinam pertineat, doceamur: quorum cauſa ego ſingulas ſeparatim medi-
cas lucubrationes conſcripſi. quæ uero contra ſophiſtas ſunt, quando has etiam iuuenibus utiles eſſe
perſpicio, qui ab illis peruertuntur, eas ſingulas ſeparatim confeci: ut ſi cui tempus abunde ſuppedi
tet, ut eas etiam euoluat, is contra ſophiſtas non ſecus, quàm aduerſus hoſtes ſit paratus. Sic igitur nũc
D quoque, etſi ad medicinam, probe exercendam, inutile ſit, quod ad has notas pertinet, tamen non pi-
gebit totum percurrere, quando ita uiſum amicis eſt: puderet enim me, ſi ad has nugas deflexiſſem,
niſi prius quæ ad medicinalem artem pertinent, multis uoluminibus omnia pertractaſſem, ac tandem
ad Hippocratis libros enarrandos deſcendiſſem: in quibus diſcipuli ij, qui artem hanc addiſcunt, ni-
hil poſſunt percipere, præter ea, quæ ego fuſa oratione in medicis lucubrationibus expoſui: ut etiam,
qui hebeti ingenio ſunt, aſſequi ſermonem queant: ſed tamen hiſtoriæ cognitionem obtinebunt, cuius
cauſa multi interdum quoſdam admirantur, qui artes aliquas tractant: putantque eos, qui multa lege
runt, & meminerunt, ſtatim etiam artis præcepta tenere. quam ob rem nunc omnem de notis hiſtoriã
exponam. quando hoc amici, ac familiares ſemel hic fieri ſtatuerunt oportere. hæc autem, quæ dictu-
rus ſum, tradita ſunt a Zeuſide in primo in hunc librum commentario. &, quod ego in talibus facere
conſueui, fortaſſe præſtiterit, eos, qui huius ſunt hiſtoriæ cupidi, ad illum librum reijcere. Sed quia
Zeuſidis commentarij non iam perinde grati, ſunt minus frequentes, ideo uoluerunt ea a me recenſe-
ri, initio ab ipſo Mnemone ſumpto: quidam enim aiunt, cum legendi gratia tertium uulgarium mor-
borum librum ex magna illa Alexandriæ bibliotheca accepiſſet, reſtituiſſe adſcriptis adulterinis ſimili
atramento & literis hiſce notis. Sunt qui e Pamphilia eum deportaſſe librum affirment, ac tanto fuiſſe
Aegyptium regem Ptolemæum erga libros ſtudio, ut omnium eorum, qui illuc profecti eſſent, libros
ad ſe

ad se perferri iuberet, quos relatos in nouis chartis descriptos dominis redderet, à quibus illuc profe- E
ctis ad se perlati libri essent: allatos uero in bibliothecas reponeret, itaque inscriberet, Ex nauibus accepti. inter eos aiunt repertum esse tertium uulgarium morborum librum, hac inscriptione notatum, Ex nauibus, sub correctore Mnemone Sidita. quidam non esse scriptum sub correctore dicunt, sed solum nomen Mnemonis adiunctum: quod & aliorum etiam omnium, qui cum libris appellebant, libris in apothecas reponendis nomen adscribebant: neque enim statim eos in bibliothecas comportasse, sed prius quibusdam in ædibus in aceruum deposuisse commemorant. tantum porrò studium ad ueterum libros comparandos in Ptolemæo illo fuisse magnum argumentum est id, quod cum Atheniensibus fecit: qui quindecim argenti talentis pignori datis, Sophoclis, Euripidis, Aeschyliq; libros ab eis accepit, ut eos describeret, mox sartos tectos restitueret. cumque eos pulcherrimis in membranis describendos curauisset, quos ab Atheniensibus acceperat, retinuit: quos ipse confecerat, ad eos misit, rogauitque, ut quindecim talenta retinerent, nouosque pro ueteribus, quos ipsi dederant, libros acciperent. uerum si Atheniensibus nouos non remisisset, ac ueteres retinuisset, non erat, quod illi ægre tulissent, quippe qui argentum hac conditione acceperant, ut eo ipsi potirentur, si libros ille tenuisset. inde factum est, ut illi & argento & libris sint potiti. quare Mnemon siue ipse librum attulerit, siue ex bibliotheca desumpto notas adscripserit, id eum quæstus causa fecisse apparet: dicebat enim, se solum te- F
nere, quid notæ illæ significarent: itaque eas mercede exponebat. quod si ita est, probabilius est, librum in bibliotheca repositum fuisse ab eo adornatum: siquidem eius explicatio multo maiorem erat fidem habitura, si regia bibliotheca notas teneret: etenim si librum domo deportasset, suspectus fuisset. nec dubitarem hoc loco afferre conscriptas ab Heraclide tum Tarentino, tum Erythræo demonstrationes, quibus adulterinas esse notas probant: nisi id iam compertum habere homines intelligentes existimarem, & ab hac loquacitate discedere properarem. quare ad ea, quæ utilia sunt, redeo: quorum causa ho- »
rum ægrorum historiam perlegimus: ridiculum enim in primis est, existimare ideo mortuam esse mulie- »
rem, quod suppressæ deiectiones essent: siquidem ea non ob suppressionem periit, sed ei ideo suppressæ deiectiones sunt, quod naturales functiones extinguerentur. sed neque interiit, quod tertio die frigidæ, liuidæque extremæ partes essent: uerum quia illa emoriebatur, inde factum est, ut illæ quoq; emorerentur. ceterum ipse Hippocrates, quasi uaticinatus, adscripsit in fine orationis, periit anginosa: tametsi in ipso statim initio dixerat, Mulier angina laborans apud Bitonem. sed quod in fine est subiunctum, significat, illam ex angina esse mortuam. atq; ita in præsagiis de perniciosis anginis ipse scripsit: nam hæ primo die statim suffocant, & altero, & tertio. debebat idcirco hæc mulier tertio die de uita decedere, cum extrema frigida, liuidaque essent, & deiectiones retinerentur: quam ob rem possis conie- G
ctura consequi, eam ualidis fuisse uiribus; atque ita quintum diem attigisse: ad octauum uero ut perueniret, fieri non potuit. Sed de his hactenus. si uero cogites, siue ipse Hippocrates hanc mulierem curandam susceperit, siue unà cum eius medico inuiserit; si nihil aliud, paruũ certe cataplasma illi adhibuit, aut diaclysma præbuit. ac probabile est, eum cum alia remedia ægrotis admota, tũ uero sanguinis missionem silentio transisse: solum uero clysterem, ac glandem impositam non primo, & præcipue, sed obiter memorasse. nam cum urinas, uomitiones, & deiectiones recenseret, earumque retentionem adiungeret, cum æger nihil per se excerneret; in eis simul cum excrementorum qualitate, glandis, clysterisque usum adscripsit.

*QVID quæque nota significet.*

Decreueram omnino ab hac importuna de notis loquacitate discedere: sed quia familiares quidam mei hanc disputationem integram esse ualde cupiunt, egoque iam bonam nugarum partem exegi, uisum est faciundum, ut quod superest, adiungerem. constitueram autem, quemadmodum quæ nihil ad artem faciunt, separatim scribere solebam, sic his librum unum dicare, ac per se ipsa exponere. ut is esset a ceteris disiunctus, ut si qui uelint in his etiam esse curiosi, habeant quibus inanibus nugis incumbant. uerum quia hunc secundum commentarium uideo iam longius esse progressum, satisque proli- H
xum esse, ut non iam reliquos ægrotos hic exponere, & pestilentem constitutionem hos ordine consequentem coniungere possim; nec diuidere constitutionis explanationem proposuerim, ut pars hoc cõmentario, reliqua uero altero contineatur: ideo disputationem de notis institutam hoc in libro perficiam, ut hæc nugarum occasio tollatur. nam si, quæ attulerunt ii, qui de notis conscripserunt, uelim perquirere, & quæ recte, quæque secus dicta sunt, iudicare, profecto non uno mihi ad hãc rem libro opus esse perspicio. præcedit igitur omnes, quæ mediam habet lineam ╥, quæ πιθανόν. i. probabile significat. ultimo loco posita est litera Υ, aut Θ hæc θάνατον. i. mortem; illa ὑγίειαν. i. sanitatem indicat: ante has est numerus dierum quibus ægrotauit, uis, aut periit. notæ, quæ inter has interiectæ sunt, omnes sunt per ordinem descriptæ literarũ: quas uocabuli elementa significant, præter Δ in parte inferiore signatum. singularum igitur significationem aperiam. memoria autem tenendum est, notas quæ præcedunt ultimam, a qua mortem aut salutem indicari diximus, numerum dierum denotare: de ceteris, quæ inter hanc & primam intercedunt, oratio nunc instituitur. A, ἀπώλειαν siue ἀναίρεσιν. i. interitum, siue internicionem significat: Γ, γόνον. i. semen, uel γονοειδὲς οὖρον. i. semini persimilem urinam: Δ uero signatum (uocant autem signata, quando rectam lineam, qualis est, quæ inferiore parte ponitur, habent, hoc modo Δ) ἐκκεχωρήμενα. i. excreta per sudorem, & alui fluxum, & digestionem per halitum, & uno uerbo, quæcunque euacuationem

A ctuationem: E, ἐποχὴν, hoc eſt ſuppreſſionem, ἕδραν id eſt ſedem z, ζήτημα, id eſt quæſtionem; Θ, θάνατον, id eſt mortem, ut eſt ante dictum; I, ἱδρῶτα, id eſt ſudorem: K, κρίσιν, id eſt iudicium uel κοιλιακὴν διάθεσιν, id eſt cœliacam affectionem: M, μανίαν, id eſt furorem: uel μήτραν, id eſt uterum: N, νεότητα, id eſt iuuentutem, & νέκρωσιν, id eſt internicionem: Ξ, ξανθὴν χολὴν, id eſt flauam bilem, & ξένον τι, id eſt quid noui, & rari: & ξυσμὸν, id eſt ſtrigmentum: & ξηρότητα, id eſt ſiccitatem: O, ὀδύνην, id eſt dolorem: aut οὖρον, id eſt urinam. ſunt, qui uelint, cum υ ei impoſitum eſt, ita nimirum ſcriptum, ut quidam οὖρον ſcribere ſolent, tum urinam ſignificare: ΠΙ, πλῆθος, id eſt abundantiam, uel πτύελον, id eſt ſputũ: uel πῦρ, id eſt ignem, uel πυρετὸν, id eſt febrem: uel πνεύμονος πάθος, id eſt pulmonis affectum: Π uero in medio habens I, hoc modo ΠΙ, πιθανὸν, id eſt ueriſimile, ut ſupra diximus: P, ῥεῦσιν, id eſt fluxionem, uel ῥῖγος, id eſt rigorem: Σ, σπασμὸν, id eſt conuulſionem, uel στομάχου πάθος, id eſt ſtomachi affectum, uel στόματος κάκωσιν, id eſt oris uitium: T, τόκον, id eſt partum: Y, ὑγείαν, id eſt ſanitatem, aut hypochondrium: Φ, φρενῖτιν, id eſt phrenitidem: uel φθίσιν, id eſt tabem: X, χολὴν, id eſt bilem: uel χολῶδες, id eſt bilioſum: Ψ, ψῦξιν, id eſt frigus: Ω, ὠμότητα, id eſt cruditatem indicat.

### AEGROTVS. VIII.

5 B *Adoleſcentem, qui in foro mendacium decumbebat, corripuit ignis ex laſſitudinibus, laboribus, ac curſibus inſuetis. primo die aluus erat turbata bilioſis, multis, ac tenuibus: urinæ erant tenues, & ſubnigræ: non dormiuit: ſitibundus fuit. altero die omnia exacerbata ſunt, deiectiones plures, ac magis intempeſtiuæ: non dormiuit, mente turbatus, aliquantulum, ſudauit. tertius ei dies grauis fuit, ipſeq; ſitibundus, faſtidioſus, multum ſe iactauit: perplexus erat, delirauit. extremæ partes liuidæ, & frigidæ. hypochondrij utrinque ſubmollis contentio. quarto non dormiuit, malũ in peius ruebat. ſeptimo mortuus eſt: annum ætatis agebat circiter uigeſimum. Acutum.* ΠΙ. Ξ. Z. Θ.

Ait huic morbum incepiſſe ex laſſitudinibus, quæ inſolitas exercitationes comitabantur: ſcimus enim conſueſſe eum labores nominare exercitationes; ſicut laſſitudines, corporis affectionem, in qua ſi parum modo moueatur, uel tentionis, uel ulceris ſenſus in eo efficitur. quia uero laboribus curſus adiunxit, uidetur ſuperuacaneum eſſe, quod labores adſcripſit: quod ut genus in ſpecie, in curſibus continentur: quod in cauſa fuit, ut quidam pro πόνων, id eſt laboribus, πότων, id eſt potibus ſcripſerint: primo ν, ſecundæ ſyllabæ in τ, conuerſo. reliqua autem tota narratio eorum, quæ adoleſcenti acciderunt, exemplum eſt acuti morbi in ætatem, præcipue adoleſcentium incidentis: cetera uero ſymptomata acuti morbi ſunt: ex quibus ſalutem, aut mortem præſagias. ac primo quidem C die urinæ ſubnigræ eſſe dicuntur: ſecundo die parum ſudauit: tertio multum ſe iactauit: in omnibus autem diebus nihil prorſus dormiuit: quæ omnia periculum minantur: at extrema frigida, liuidaque fuiſſe, tertio die cum acuta febri, mortale erat: ac multo etiam magis in eiuſmodi ætate: fiunt enim uel ex nimia inflammationis uiſcerum magnitudine: uel natiuo calore moriente. de contentione uero ſubmolli hypocondriorum iam diximus, ab Hippocrate tenſionem ſine tumore ita nominari. hæc autem contentio indicat nullum de externis corporibus, qui muſculi abdominis ſunt, ſed uel ſeptum transuerſum, uel iecur, uel lienem inflammatione obſideri: hæcque inter cetera, periculoſa ſunt. mortis uero ſignũ eſt ſatis apertum, liuor ac perfrictio extremarum partium, cum febre acuta, tertio die, & uigeſimo ætatis anno apparentes: quod quidem fecit, ut adoleſcens ad ſeptimum uſque diem uixerit: ac fortaſſe etiam non ſolum per ætatem id potuit, ſed quod uiribus ualidis eſſet. itaq; ex huius ægri hiſtoria, qui capi fructus poteſt, hic eſt nobis expoſitus. inueſtigare autem in qua ciuitate aliquod forũ mendacium uocetur, ut Athenis forum eſt, quod aſtutorum nominatur, & quæ ſunt huius generis, quæ in ſingulis ægrotis quidam conſcripſerunt; ſi quid in eis eſſet, quod ad artis opera pertineret, non prætermitterem. uox autem Acutum, ſcripta eſt inter hunc & conſequentem ægrotum: eaq; utriq; accommodari poteſt: quod uterq; acuto morbo ægrotaſſe uideatur. uerum quia in ſuperiore ægra, quæ angina la D borabat, eſt additum, anginoſa; ceteriſq; ægris quiddam in fine narrationis adſcriptum eſt, quo narrationis utilitas perſpicua ſit, probabilius eſt, Acutum priori ægroto eſſe ſubiunctum. potuit etiã, qui notas adiecit, hoc adiũgere. nos uero in decimi ægroti explicatione de hmõdi additis ad plenũ dicemus.

*DE notis, quæ prædicto ægroto adiunctæ ſunt.*

Quia accommodatius ad rem fore exiſtimaui, conſtitutionem peſtilentem in tertium cõmentarium reijcere. ideo nonnulla ſubijciã, de quibus Medici propter notas huic adoleſcenti, qui ſeptimo die mortuus eſt, adſcriptas, controuerſant. ac Zeno quidem has notas conſcripſit, primã omnium ΠΙ, in cuius medio linea recta eſt: quã πιθανὸν .i. ueriſimile ſemper ſignificare docuimus ſecũdam ΠΙ: tertiã Z; quartam Θ, hoc modo ΠΙ. Ξ. Z. Θ. ait igitur Z, ſeptimum diem indicare: Θ, uero mortẽ. ſed hæc in omnibus cõmunia ſunt: Ξ, uero ξένον .i. nouum ſignificare uult: nouumq; fuiſſe adoleſcenti ſcribit, in narrationis initio ex laſſitudinibus, & curſibus inſolitis eum in morbum incidiſſe. quæ autem aduerſus Zenonẽ de prima nota, quæ πιθανὸν .i. ueriſimile ſignificat, dicta ſunt, qñ in omnibus ægris id cõmune eſt: ſi mihi uidebitur, poſtea ſubiungã. prius aũt q̃ſtiones de hoc ægroto priuatim iactatas uideamus, cũ ille de re medica cõtrouerſiã ꝓpoſuiſſe uideat̃: cũ.n. Zeno, ut ante monui, nõ paruũ de notis uolumẽ cõſcripſiſſet: & alterũ illo maius aduerſus eũ Apollonius empiricus, ac rurſus Zeno eidẽ reſpõdiſſet: Apollonius cognomento

mento Cyclas, postea defuncto iã Zenone, librũ ipse quoq; de notis cõposuit: ut nõ solũ suppositas eẽ E docerct, sed corollariũ quoque addidit, quo Zenonem insectaretur: ita enim reprehẽsionem instituit, ut contra eum, qui non posset, quæ essent a Mnemone concinnata, recte interpretari: sed ubi probabilis eum ratio deficeret, eas, ut commodius exponeret, commutauit. nec librum in regia bibliotheca repertum, neque illum, qui ex nauibus inscriptus erat, nec quem Bacchius edidit, ad eum, quem Zeno scripsit, modum habere notas adscriptas affirmauit. enimuero ualde miror, potuisse Tarentinum Heraclidem ad hanc loquacitatem impelli. quippe qui semper studuerit, interpretationes suas ad utilitatem dirigere: & hic potius cum Zenone contendere, quàm spectare utilitatem uidetur: ita enim ipse notas exponit, ac si duo Z ante ϴ scripta sint: & alterũ, quod prope ϴ est, septimum diem indicare ait; alterum uero quod prius est, uult significare ζητητέον εἶναι .i. quærendam esse, cur septimo die interierit, cum accessiones diebus paribus haberet. erat enim probabile, ut ipse Hippocrates ait, morbi iudicationem diebus accessionum fuisse: nam quorum inquit, paribus diebus accessiones fiunt, horũ quoque iudicia diebus paribus fiunt: quorum autem in imparibus, horum etiam imparibus diebus iudicium efficitur. mors autem est generali iudicationis significationi subiecta. ac de notis quidem sic Tarentinus statuit. attendamus autem, quidnam boni afferat. mortem igitur in dies accessionum fere incidere, ac raro contra euenire, fatendum est, ac concedendum. Tarentinum uera dicere: sed hic diebus F paribus accessiones habuisse non uidetur: etenim primo die, quæ in principio morbi acciderunt, Hippocrates scripsit: post hunc ait, Omnia exacerbata sunt, propter morbi, qui acutum in modum mouebatur, incrementum; itaque tertio die morbum ipsum magis esse intentum indicat: quia, cum in secũdo dixisset, non dormiuit, mente turbatus erat, tertium diem exponens, primũ scripsit, tertius ei dies grauis fuit, quod primo die non adscripserat: tum sitibundus, deinde fastidiosus, mox, multum se iactauit: postea perplexus erat; quorum uel unum si dies tertius haberet, ipsum esse secundo deteriorẽ posset ostendere: nam una nocte non dormire, & item mentis turbatio assidue in morbos acutos sine insigni periculo incidere conspiciuntur: at quæ die tertio scripta sunt, periculosa omnia fuerunt. præterea uero ideo tertium secundo peiorem significat, quod secundo die scripserat, mente turbatus erat: tertio uero, cum alia symptomata, quæ paulo ante exposuimus, fuisse memorat: tum uero nõ iam mẽtem fuisse absolute turbatam, siquidem id parum esset: sed delirasse ait. quam ob rem hoc ipso symptomate tertius uidetur secundo fuisse deterior, tum etiam quod ibi addidit hypochondrij submollem cõtentionem, quæ prius non suberat: ut ex hoc quoque conijcias, secundum ei fuisse moderatiorem: nã cum uiscus malo uacat, quo die in aliquo male affici inceperit, eum diem prioribus esse peiorem significat. præter cetera uero omnia, quæ memorata sunt, perniciosissima eo die symptomata, frigus parti- G um extremarum, & liuor apparuisse uidentur. quo maior subit admiratio, ut paulo ante dixi, cur non quinto die adolescens perierit. Sed dicet quispiam, qui Tarentinum defendat, post prædicta scriptum esse: quarto non dormiuit: malum in peius ruebat. at huic nos in memoriam adducemus medicũ præceptum illud, quartum septimi indicem esse, ab Hippocrate dictum: propterea quod bonorum, aut malorum, quæ dies ille attulerit, euentus non minus, sed magis septimo, quàm sexto efficiatur. qua igitur ratione motus Tarentinus, probabilius fuisse dicit, sexto die mortuum esse adolescentem, cum diebus paribus accessiones haberet? nam tertio die plurima symptomata eum uidentur tentasse: ac die quarto creuisse: sed suffecisse ipsum, atque ad septimum usque morbo restitisse, quia forte firmis natura uiribus erat, & uero etiam propter ætatem: quæ si illum defecissent, die quinto de uita decessisset. quam ob rem existimo, Tarentinum potius insectandi Zenonis studio, quàm rei diligenter excutiẽdæ in hoc certamen descendisse. idem quoque Apollonius fecit: qui literam x, secundo loco inter notas positam accurate declarat: quem alij plerique consecuti sunt: præsertim quod citra notas dicit se aliquod ad medicinam utile præceptum exponere, & quod eius uerbis illi fidem adhibebant: is enim ait adolescentem ideo mortuum esse, quod lassitudines, labores, & cursus præter consuetudinem obijsset. ego uero affirmarim labores, & cursus, siquidem hoc nomine plures exercitationes significantur, non H præcedente corporis statu ad morbum procliui, ei mortem afferre non potuisse. De potibus autem, ut quidam uolunt, (nam dixi etiam esse, qui sic corrigant) in hoc ego adolescentulo quid certi dicam, nihil habeo: quod istarum potionum nec qualitatem, nec quantitatem teneam, cum tamen multæ in eis differentiæ comperiantur. quinetiam tempore potiones differunt: siquidem sunt, quæ duobus aut tribus, sunt aliæ, quæ pluribus diebus fiant. prætetea uero quotidiani haustus mensura non exiguam uarietatem habet. iam qualitas potionis diuersa est: hi namque meraciorem, illi dilutiorem, alij temperatam sumunt: sunt etiam, qui frigidam, sunt qui calidam, atque harum utranque uel consueti, uel insueti aliquando biberunt. huic accedit non mediocris uinorum in genere, ac tempore uarietas: neque enim eundem affectum parit uinum nouum, ac uetus: neque crassum, ac tenue: neque album, ac nigrũ: neque odoratum, ac foetidum: neque item austerum, & dulce: quare, ut dixi, de læso ex uino adolescẽte nihil habeo firmi statuere: nisi id sit omnium uinorum immodico usui commune, ut neruos, mentemque pertentet: sed tamen notabilis horum noxa in huius adolescentis morbo non dominabatur: siquidem neque conuellebatur, neque tremebat, neque phrenitide uexabatur. quocirca existimo nõ recte uarietatem scripturæ in nomine potus esse factam. est sane magis consentaneum, adolescẽti cruditates etiam fortasse in uentre: sin secus, certe in uenis omnino præcessisse: a quibus multi crudi humores

A mores sunt collecti, ut urinæ attestantur, & aluus, tenuis illa quidem, sed non tamen biliosa. & tamen uidetur biliosi quoque humoris quidpiam in toto habitu corporis contineri, quod laboribus, quos tu lerat, comitabatur: quibus & delirium, & acutam febrem successisse, uerisimile est.

† Fragmentū in antiquis libris inuentū.

† [ *De nota, quæ alias omnes antecedit, quæ* πιθανὸν *id est probabile significari dicunt.*

Cum in hoc libro tanta sit interpretum loquacitas, ideo non erit fortasse ab instituto alienum, quādo huc nostra deflexit oratio, quædam de nota illa scribere, quæ πιθανὸν. i. probabile significat. quis quæso non mirabitur librorum magnitudinem, quos de his tebus Zeno, Apolloniusq; scripserunt? quod si scias, in una tantum nota quomodo paulatim in prolixam controuersiam deuenerint, causam quoque tam diffusi sermonis facile percipies: cauebisq; si sanus sis, ne tu quoq; in has nugas cadas. aiunt igit in prima nota, quæ πιθανὸν significat, in nullo alio Hippoc. libro huius nominis usum inueniri, nec nūc par esse, eum unico in libro signum eius uocis sæpenumero usurpare, qui nunquam alibi ea sit usus. hāc rationem refellit Zeno, qui in libro de fracturis, qui uerissimus Hippoc. est, ubi de Solene instrumento uerba fiunt, πιθανώτερον legi contendit: cum enim prius Hippoc. dixisset, Solenis. i. canalis instrumenti nullam esse utilitatem, subiūxit, at πιθανώτερον id est probabilius est, uulgo minus reprehendendum Medi

vide. 2. de fract. 47.

B cum esse, si canalis subijciatur. cum igitur Zeno uerisimilem responsionem inuenisse uideatur, tribus modis ei occurrunt aduersarij: quorum duæ rationes potius ad contentionem, quàm ad ueritatem diriguntur, tertia admodum accommodata est, & omnibus illis placet, qui Græcis literis bene instituti sunt. prima ex contentiosis tationibus est hæc, Hippoc. inquiunt, eo in loco dixit πιθανώτερον id est probabilius, non πιθανὸν at isti hac nota uolunt πιθανὸν significari. quibus sic respondet Zeno: siquis inquit, ut est apud Apollonium, primitiuum nomen inuenerit, non iam statim ei cōcedimus, ut deriuato utatur: nisi aliquē eius usum prius nobis ostēderit: at qui deriuatū inuenerit, is audacter primitiuo uti poterit. nā quod est ab aliquo genitū, id essentiā subesse eius, quod genuit, plane indicat: quod uero a nullo, id generet ne aliud, an secus, incertum est. atq; hic quidem prima fabulæ pars finem habeat: cum iam ex prædictis planum sit, quo modo in magnas produci nugas possit. ad secundam uero, quando semel fabulam ingressi sumus, accedamus. aiunt igitur Zenonis aduersarij, posse eum, qui unum aliquando nomen scripsit, latere, se ita scripsisse, quippe qui oblitus sit moris eorum, qui Græca lingua exquisite loquuntur: atq; ad uulgi consuetudinem orationem instituerit. uno uero in libro deinceps aliquod uocabulum usurpare eos solos posse, qui eodem aliàs uti consueuerunt. quæ ad hæc afferat Zeno, superuacaneum est recensere. siquidem & frigida, & prolixa ualde sint. quare mihi, ad tertiam fabulæ partē

C accedenti satis erit, principia duntaxat responsionum attingere. est autem hæc tertia: placere quidem posse, & uulgo, & antiquioribus, si & δυνατὸν, & ἐνδεχόμενον, & εὔλογον, & εἰκὸς, hoc est possibile, contingens, consentaneum, & uerisimile dicas, & ipsum quoque πιθανὸν id est probabile, cum tum forte in usu esset: sed raro tamen, & potius apud plebeios: contra uero uerbum in collatione, quod Grammatici comparatiuum uocant, ab εἰκὸς conformatum, antiquis esse inauditum: diceremus enim εἰκότερον: sed rarissime id inuenies, sicut etiam πιθανὸν. perspicuum autem est multa antiquorum uolumina euoluenda illi esse, qui has dijudicare controuersias uelit: siquidem alia tatione, utrum non πιθανὸν, sed πιθανώτερον, ab eis usurpatum sit, non intelliget: ut etiam insolens esse εἰκότερον, tritum εἰκός. siquis autem ex ijs, qui medicinalem artem perdiscere in animo habent, ad omnium antiquorum librorum, quos oratores aut historici, aut Medici, aut philosophi denique conscripserunt, lectionem se conuertat, is tempus in ea conteret, seque artem consequi posse diffidet: cum hoc nec ad dignotionem, nec ad præsagia morborum quicquam afferat adiumenti. quam ob rem melius fortasse fuerit, fabulæ tres in partes diductæ finem hic constituere: ne longius tempus in duorum deinceps dierum appositione consumamus, præsertim cum comœdiam, uel tragœdiam agamus. ad reliquos igitur ægrotos ueniemus (supersunt enim adhuc quatuor ante pestilentem constitutionem descripti) & secundus commentarius finem habeat,

D siquidem tertium aggredi, erit utilissimum. ]

AEGROTANS. IX.

6 *Apud Tisamenum mulier decumbebat, quam uolulus grauiter inuasit: multæ uomitiones ciebantur: potum continere non poterat: hypochondria dolebant: & infra secundum uentriculum dolores: tormina perpetua: non sitiebat: incalescebat: extremæ partes perpetuo frigidæ: fastidiosa, in somnis: urina pauca, tenues: † deiectiones crudæ, tenues, paucæ. non erat remedio locus: mortua est.*

† quod ait de deiectionib° fortasse nullas fuisse legendū est.

Quidam in hac muliere male scribunt ἰλιώδεα per ι: cum εἰλεώδεα per ει scribendum sit: εἰλεὸς enim uolulus appellatur affectus, cuius symptomata habuisse hanc mulierem scribit: ut multos uomitus, potum continere non potuisse: dolores ad hypochondria, & cum dolotibus tormina in uentre: quæ omnia solēt ileo, hoc est morbo tenuioris intestini comitari: quod uero postea addidit, nō est ex ijs, quę ipsum comitatur, sed quæ morbo ad malignum progredienti, superueniunt: præsertim uero, partes extremas perpetuo frigidas esse. prauum quoque est, fastidiosam esse. quinetiam urinas adscripsit, quāuis hic affectus neq; in uenis, neq; in humoribus, sed intestinis contineatur: cum enim in his magna inflammatio inceperit, prædicta symptomata solent contingere: & affectus ipse tenuioris intestini morbus nominatur.

A l. 3. f. 16. t. 4 c. 30. p. 647.

nominatur.atque ex urinis,si bonæ sint,spes salutis sumitur in ijs,qui ita affecti sunt: sed non parum B
ad exitium momentum,si prauæ sint: cum enim,qui hoc morbo tenentur,propter intestinorum inflam
mationem in periculo sint,siqua præterea in corpore praua affectio esse uideatur, ægroto malum auge
tur.ac sic cõsueuit Hippocrates, ubi aliquod instrumentũ spiritus læsum sit,urinas intueri.quæ si secũ-
dum naturam sint,in solis respirationis instrumentis periculum uersatur: sin hæ quoque prauę esse ui-
deantur,tunc instrumentum quoque nutritionis male affectum ostendunt: ut nunc usu uenit,cum uen
ter sit affectus,eius affectio ex deiectionibus perspiciatur, tamen urinarum mentionem fecit, quæ te-
nues cum sint,humorum uenis contentorum cruditatem significant.atqui memineris, urinas semper
simul inspicere in uentris,thoracis,pulmonis,neruorumq; affectionibus: propterea quod in quibus bo
næ apparebunt,non magnũ ad salutem momentum afferent: si malæ, simul ægri periculum augebunt.
ceterum cum uoluulus omnis periculosus sit, is tamen qui in superioribus intestinis consistit,deterior
est eo,qui in crassis est: cum ille iecur & lienem in morbi consensum trahat.illum ex uomitibus conti
nuis,uehementibusq; dignosces: & quod continere potum æger non possit: ac multo magis, quod ni-
hil per aluum deijciatur.iam tormina,doloresq; notitiam adiuuant, cũ partes sublimes obsident.quod
si stercus quoque euomant(id enim fieri etiam conspicitur)tum certissimum tibi sit signum,tenuia inte
stina affecta esse. est autem acutissimus hic affectus: ideo ipsum hic Hippocrates memorauit: simulq; F
adscripsit, Nõ erat remedio locus.hoc autem uelim in memoria habeas ad disputationem de sangui-
nis missione: ut enim nullum aliud in horum librorum ægrotis remedium,ita nec illam adscripsit: non
quin ægrotantibus præsto fuerint,sed quia scribere cuiusque ægri auxilia non oportebat:nisi quid no
ui forte contigisset: ut in eo, cui sanguis octauo die missus est. diem porrò,quo hæc mulier mortua est,
omisit, ut quæ secundo statim die, aut summum,tertio perierit:idque ob morbum ita acutum, ut ipse
in narratione declarauit.

AEGROTANS. X.

*Mulierem quæ apud Pantimidem degebat,ex infantis abortu,primo die ignis corripuit: lingua inaruit: sitiebat, fasti-* 7
*diosa erat,insomnis,aluus turbata multis,tenuibus,& crudis: secundo die riguit: febris acuta: aluus multa deiecit: nõ dor-*
*miuit: tertio dolores intendebantur: quarto delirauit: septimo perijt.aluus perpetuo ei lubrica erat,eiusque multæ,tenues,*
*ac crudæ deiectiones: urinæ pauca,tenuesque: febris ardens.*

Si ob aliquam externã causam huic mulieri cõtigisset abortũ facere,eã Hippocrates memorasset.cõ G
stat igitur,abortũ esse ui morbi factũ,uitiosis collectis humoribus.adiũxit aũt abortui nomẽ infantis,
indicãs,opinor,hac additione,paruũ excusum partũ esse : appellant.n. homines νήπια . i.infantes, puel-
los non ita pridẽ conceptos.probabile aũt est, Hippocratẽ per translationẽ ualde pusillos fœtus ita uo
casse,siquidẽ hi potissimũ eijciuntur.acutam aũt magnamq; febrẽ fuisse indicat, cũ ait, ignis corripuit:
& cũ addit,lingua inaruit,sitiebat. quod uero subiũgit,fastidiosa erat,febris malignitatẽ ostẽdit.animũ
diligẽter ad excretionũ formã attendito: nã cũ ipse scripserit,aluus turbata,multis,tenuibus,& crudis:
quamuis in fine narrationis dixerit,febrẽ ardentẽ illã habuisse:memineritq; febris,quæ primo die cœ-
pit,atq; exacerbata secũdo est:tũ addiderit,lingua inaruit,nõ dormiuit, sitiebat:& tamẽ cruda fuisse de
iecta ait: & nos scimus,ardentẽ febrem ex biliosis humoribus exoriri: certe uerisimile est,huic mulieri
in tota corporis mole biliosum humorẽ fuisse coaceruatũ,in primis aũt mesaraei uenis, & simis iecoris
cruda esse contenta.urinas quoque ipsius crudas fuisse ait,similes crudis deiectionibus: nõ solũ in pri-
mis uenis,sed & in gibbo iecoris crudis humoribus redũdantibus.porrò febris ardẽs in fine narratio-
nis huius mulierculæ in multis est exẽplaribus adscripta:quædã nõ hoc tantũ scriptũ habẽt, sed additũ
quoq; A: ut hanc primã ægrã fuisse,quæ ardẽti febre correpta sit,aut hoc esse primũ ardẽtis febris ge-
nus intelligamus: alterũ uero sit,quod deinceps exponit in muliere,de qua sic orditur, Alterã ex abor- H
tu.equidẽ in octauo ægro,cuius initiũ est,Adolescentẽ,qui in foro mẽdaciũ decũbebat:pollicitus sum,
me plenius de his,quæ adscripta sunt,cũ ad decimũ ægrotũ peruenissem,esse dicturũ:quod nũc præsta
bo,cũ duplici de causa hæc uerba,febris ardẽs,ab alio, non ab auctore adscripta suspicer: primũ, quod
nõ uni,aut alteri ægroto morbi formã in extrema narratione subtexuisset: sed,si & has docere nos uo
lebat,ut quidã post ipsum fecerunt,aut omnibus,aut certe plurimis adiunxisset: at ipse ut ijs qui digno
scere morbos scirent,quæ ægrotis euenerint,recenset.uidere etiam est, alios ueteres in suis lucubra-
tionibus nihil attendere eos, qui nuper ad libros animum appulerunt, sed eos,qui in illis multum ope
ræ posuerunt & temporis. meam sententiam,præter id quod dixi,hoc cõfirmat secũdo loco, quod hęc
in tertio solũ uulgarium morborũ adscripta sunt.omnibus igitur,qui hunc sunt librũ interpretati, pro-
batur,ab alio,qui notas illas sententiam continentes adscripsit , hæc quoque fuisse subiuncta: nam ut
in muliere,quæ angina laborabat,concedas ab Hippocrate additum esse , eam anginosam perijsse,
quippe qui ex angina mortuã esse illam uellet:certe in hac,quæ nunc obijsse dicitur, nõ possis ita acci
pere: nã ubi dixisset,septimo die perijt: subiecit,aluus erat perpetuo lubrica, eiusque multæ,tenues,ac
crudę deiectiones:urinæ paucæ,tenuesque: tum adiectum est,febris ardens: in quibusdam autem ad-
ditum est A:in quibusdã pro eo,scriptum est,primus: in alijs, prima.omnibus enim modis recentiores
plerique

A plerique Medici hisce adscriptis hunc librum contaminarunt. est igitur perspicuum, non ut in illa, quæ angina laborabat, ad finem adiecit, perijt anginosa, eodem modo posse hic intelligi, adscriptũ esse, febris ardens: neq;.n. dixit, perijt καυσώδει. i. ardenti febre affecta: ut in ea, quæ angina uexabatur, eam anginosam interijsse scripsit: sed febris ardens recto casu scriptum inuenitur: inter quæ uerba, & uerbum perijt, interiecta sunt hæc, aluus erat perpetuo lubrica, & quæ sequuntur. itaq; quoniam ex ardente febre non est mortua, nec prorsus inter se hæc cohærent, plane patet, hoc non ab ipso Hippocrate scriptum esse, sed ab alio quodam esse subiunctum. potuit etiam quispiam id sibi adnotasse, sicut solemus eiusmodi in marginibus librorum memoriæ gratia adscribere: tum qui librum descripsit, in contextum, quasi auctoris esset, transtulisse.

## AEGROTANS. XI.

8 *Alteram ex abortu ad quintum mensem Oecetai uxorem ignis corripuit. primo comatosa erat: rursusque insomnis erat lumbi dolor, capitis grauitas: secundo die uenter turbatus est; & excreuit pauca, tenuia, ac mera primum: tertio die plura, ac peiora: nocte nihil dormiuit: quarto delirauit, metus, mœstitia, dexter oculus distortus est: sudor circa caput paucus, frigidusque: extremitates frigidæ. quinto cuncta exacerbata sunt: multum oblocuta est: statimque resipuit: sitis, uigi-*
B *liæ. deiectiones in totum multæ, & intempestiuæ meræ: urina paucę, tenues, subnigræ: extremæ partes frigidæ; subliuidæ: sexto eadem erant: septimo diem suum obijt. phrenitis.*

Quæ ante hanc descripta est, fœtũ adhuc infantẽ perdidit. atque infantẽ intellige aut menstruũ, aut bimestrem, aut ad summum, trimestrem: hæc uero, qua de agitur, quinto mẽse abortum fecit: ne ipsa quidẽ externa de causa, sed ex corporis affectione: mulieres.n. interdum uehementius saltantes, aut aliquid horrendũ subito conspicatę, partum amittunt: interdũ uero dolore cõfectæ, aut uehementi cruditate, aut esu alicuius rei, in qua medicamẽti uis insit, uel puri omnino potione medicamẽti uel quod insit aliquid abortui excitãdo idoneum, compulsæ fœtum excutiunt. ex sanguinis quoq; missione, aut eruptione ex uulnere, aut ex nimia hæmorrhoide quædã idem fecerũt. noui etiam quasdam, quæ iandiu prægnantes ex uteri ceruice profuso sanguine, tandem partum eiecerint: quarum rerum nullam ijs mulieribus, quæ propositæ sunt, accidisse, clarum est, ex eo, quod in earum narratione nõ addiderit, cũ omittere hæc non soleat. non ergo ex abortu in febrim inciderunt, sed cõtra, quia febrim habebãt,
« ideo partũ exegerunt. Videtur aũt libri prædictionũ auctor ex hac muliere inductus, sic dixisse: qui in
« C principio comatosi sunt cũ capitis, lumbi, hypochondrij, collique dolore, uigilantes, sunt ne phrenitici? potuit enim ipse aliam, uel alium ita affectũ cõspexisse. hanc mulierẽ dicit quidẽ comatosam, & itẽ uigilantẽ fuisse, capitisq; grauitate, & lumbi dolore conflictatã, sed de collo nihil addidit. ait præterea aluum fuisse turbatam tenuibus ac meris: nec tamen de colore quicquam adiecit: possunt.n. mera pallida, flaua, rufa, rubra, uirulẽta, & nigra deijci: cum sciamus mera ab ipso uocari, quæ suum colorẽ nulli alteri humori mistum retinent. sed, ut conijciat quispiam, biliosa mera excreuit, hoc est uel flaua, uel rufa: nã uirulẽta & nigra addito colore proferre & ipsi, & ceteris Medicis mos est: nos uero solemus dicere, biliosa quendã excreuisse, cũ flauã bilem intelligimus. at de uirulenta, aut nigra, aut alia quauis bile nõ dicimus absolute biliosa, sed coloris ipsius discrimẽ adiungimus: quæ cõsuetudo in omnibus iã inualuit, quod pallida, flauaq; bilis semper euomatur, & aluo deijciatᷣ nõ modo ægrotis, sed ẽt bene ualẽtibus: aliæ uero raro; atq; ijs solũ, qui aliqua morbosa affectione teneãtur. ceterũ quod in tertij diei narratione dixit, Nocte nihil dormiuit, nulla ꝑterea facta † comatis mẽtione, nobis innuit, eã esse mox deliraturã. idcirco merito subiunxit, quarto delirauit, timor, mœstitia: itẽq; dexter oculus distortus est. præterea uero sudor circa caput, paucus, frigidusq; & phreniticã mulierẽ esse, & pessime affectã declarauit: cũq; ad signa, symptomataq; prædicta frigus extremarũ partiũ accederet, multo magis eã moriturã expectabis: ut certe mortua est, cũ haberet prædictis symptomatibus consequentia, quæ quinto,

† In impressis legitur καύματα. i. æstus, sed nulla eius erat facta mentio.

D sextoque die euenerunt. quæ aũt in prædictionibus sunt scripta, ueluti horũ testimonia, etsi ante in cõmẽtarijs, quos in illũ scripsi librũ, quàm absurda sint, docui: ea tñ memoriæ causa afferamus; quãuis hæc scribere rogati simus. cũ igiᷣ in prędictionibus dictũ sit, ex lũbi recursione oculi distortio sequiᷣ: illi faciũt huius mulieris mẽtionẽ, cũ uerba illa prædictionũ exponũt. quæ sane, ut ostẽdi, absurda sunt oĩa: scimus.n. in uniuersum, distortionẽ oculorũ nõ bonũ signũ esse, siue ea ex lumbi recursu, siue ex quauis alia causa proficiscatur. est ẽt inepta dicendi ratio, & ab Hippocratis elocutione aliena: siquidem ipse nõ diceret, ex lumbi recursione: sed ut in præsagijs dixit his uerbis, Lumborum, partiumque inferiorũ
« dolores, quibus iuncta febris est, si septum transuersum attigerint, relictis inferioribus, admodum per-
« niciosi sunt. ac nemo est, qui in hac ægra probare possit, abundantes in lumbo humores ad caput esse sublatos. atque, ut interpretes quidam hæc temere dixerunt, ita hanc ex prædictionibus sententiam his, quæ de hac ægra dicta sunt, male accommodant: ea est huiusmodi: Vẽtris prærubra proluuies cũ in omnibus mala est, tũ uero in propositis uel maxime: cũ Hippocrates in hac muliere prærubram fuisse uentris proluuiem non dixerit. multo etiam absurdius eam orationem huc adducunt, in febribus ardentibus cum aliquãtula perfrictione, & deiectionibus aquosæ bilis, crebris, oculorũ peruersio malum signum aliàs est, tum si catochi fiant. aiunt autem nihil differre siue catochum, siue coma dicas: ignari scilicet, Hippocratem distinguere profundum coma ab eo, cui uigilia adiuncta est.

itaque profundum coma habere quid commune cum ea, quæ catoche nominatur, Archigenes, & Phi B
lippus uoluerunt, coma uero quod cum uigilijs est, non item; quo aiunt ipsi hanc mulierem in morbi
principio, non autem quo tempore oculus distortus est, correptam esse. admirari porrò licet eos, qui
utranque orationem, & eam qua dicitur, uentris prærubra proluuies, & qua dicitur, & deiectionibus
aquæ biliosæ, ad huius ægre explicationem attulerunt: cum neutrum horum Hippocrates de hac mu-
liere scripserit: neque uero ipsi sic exponunt, quasi utrunque ipse conscripserit. præterea eadem deie-
ctio prærubra, & cum aqua biliosa esse non potest. addunt alias quoque sentẽtias, quibus uicissim præ
dictiones, & ægros in his libris descriptos declarant; sed omnia, in quibus illi lapsi sunt, reprehendere,
non est huius instituti ac temporis: præsertim cum in commentarijs in prædictiones eiusmodi inter-
pretationum uitium & aperte & plene aperuerimus. Phrenitis. hoc quoque de ijs est, quæ adscripta
sunt, ut supra, febris ardens: quippe cum in omnibus exemplaribus non habeatur: neque enim in alio
ægro quid tale adscripsit, neque ei propositum est hoc loco morborum dignotiones conscribere; ut 8
in libris, qui de morbis inscripti sunt, reperias.

AEGROTVS. XII.

F

*Mulierem, quæ in mendacium foro decumbebat, primum enixam marem cum dolore, ignis corripuit: initio statim siti-* 9
*bunda, fastidiosa, cor illi dolebat, lingua arida: aluus turbata est tenuibus, paucisq;: non dormiuit. altero die aliquantu-*
*lum riguit: febris acuta, circa caput modicus, frigidusque sudor: tertio cum dolore aluus crudã, multa, tenuiaq; deiecit:*
*quarto riguit, omnia exacerbata, insomnis fuit: quintum laboriose traduxit: sexto eadem erant: aluus humida, copiosaq;:*
*septimo riguit, febris acuta, sitis magna: iactatio: sub uesperam per totum corpus sudore frigido correpta: perfrictio ex-*
*tremitatum: nec redibat illis calor; iterum nocte riguit: extremitates non incaluerunt: non dormiuit: parum delirauit: &*
*statim iterum resipuit: octauo ad meridiem calor rediit: sitibunda, sopore oppressa, fastidiosa: uomuit biliosa, pauca fla-*
*ua. nocte grauiter habuit: nihil dormiuit: minxit nescia multum, affatim: nono omnia remissa fuere: sub uesperum sopero-*
*sa: aliquantulum riguit; uomuit amara, biliosaque: decimo rigor, febris accessit, nihil dormiuit: mane multum minxit: in*
*quo nihil subsidebat: extremitates calorem receperunt: undecimo uomuit æruginosa, & biliosa: non multo post riguit: &*
*rursus extremæ partes refrigeratæ sunt: sub uesperam rigor, & sudor: uomuit multa: nox grauis fuit: duodecimo uomuit*
*multa, nigra, fœtida; singultus multus, sitis molesta: tertiodecimo nigra, æruginosaque ac multa, uomuit: rigor. circa meri-*
*diem muta facta est: quarto decimo sanguis de naribus fluxit: mortua est. huic aluus perpetuo lubrica fuit, horrebatque:*
*annum autem ætatis decimum septimum agebat fere. Febris ardens.*

G

Siue Athenis in foro astutorum, siue in alia ciuitate hæc mulier decumberet, alijs peruestigandum
relinquimus: nos quæ toto morbi decursu acciderunt, consideremus: quæ quidem erant huiusmodi,
ut superstes illa esse non posset: siquidem omnia ab ipso initio letalia erant: proinde magis mirabere,
quomodo ad quartum decimum diem uitam producere potuerit. atque ideo, mea quidem sentẽtia, ad
finem eorum, quæ illi acciderunt, adiunxit ætatis annum decimum septimum fere. planum aũt est, præ-
ter ætatem robustam, ipsam quoque per se naturæ fuisse non infirmæ, alioqui non perdurasset: nam cũ
neque aliud quicquam ei salubre accidisset, & secundo statim die aliquantulum riguisset, & acutam
febrem habuisset, tum circa caput modicus, frigidusque sudor extitisset; deinde quarto die essent irri
tata omnia, ac die septimo iterum riguisset, linguaque inaruisset, & acuta febris fuisset, & præterquam
quod extremitates frigidæ erant, eis calor non rediret, qui fieri potuit, quo minus aut nono, aut unde-
cimo die omnino sit mortua? uitam igitur ad diem usque decimum quartum, & propter ętatem, & pro
pter naturæ robur produxit. quæ sane eius etiam robur ostẽdit, cum decimo quarto die sanguinis eru
ptionem concitauit: sed sanguinis profusio non erat morbum maximum sanatura. ac morbi quidem
magnitudinem cum alia symptomata, tum uero nigrarum uomitionum fœtor indicauit: semper enim
letalia sunt, quæ fœtent. quam ob rem ipse quoque in præsagijs scriptum reliquit, putres omnes, & fœ H
di odores in quauis uomitione mali sunt. Quod autem in fine additum est, Febris ardens, non secus
absonum est, quàm nomen Phrenitis, quod in superiore ægra ad finem erat adscriptum.

# GALENI IN LIB. III. HIPPOCRATIS DE VVLGARIBVS MORBIS.

## COMMENTARIVS TERTIVS.

*Describitur austrina,humida atque omnino pestilens constitutio: & ad finem sexdecim agrotorum historia attexitur.*

CVM pestilentem constitutionem hoc loco Hippocrates describat,quæ ad explicanda ea,quæ dicturus est,accommodata sunt, superius a nobis pertractata, hic summatim commemorabimus, atque ita ad eius uerba accedemus.primũ igitur recordemur, constitutionem ab eo non solum temperamentum aeris præter naturam: sed etiam omnem cuius uis rei formam appellari consuesse: B deinde,cuiusque anni temporis naturale quoddam esse temperamentum: tũ mutationem eius a naturali statu in causa esse,cur nostra corpora morbis corripiantur.ad hæc ad memoriam redigamus, quæ ipse in aphorismis conscripsit,his uerbis: Ex anni constitutionibus in uniuersum siccitates sunt imbribus salubriores, & minus letales: morbi autem in imbribus plerũq; sunt febres longæ,alui profluuia,ac putredines ea quoq; ad memoriã reuocemus,quæ scripsi,cum principium secundi uulgariũ morborũ interpretarer: præterea uero memores & eorũ simus,quæ in principio uulgarium morborũ de cõstitutionibus disputauimus. hæc si quis memoria tenuerit, eaque studiose perlegerit,ad eorũ,quæ modo proposita nobis sunt,explicationem deueniat.

### CONSTITVTIO.

1 *Annus austrinus,pluuius,uentis perpetuo uacans.*

In primo uulgarium morborum libro tres cõstitutiones descripsit:hic uero unam solam, quàm nos C interpretari instituimus. Sed aliæ quoque in secundo uulgarium morborum descriptæ sunt : quem tamen cõscripsisse,ut ederet,sicut primum,& tertiũ,non uidetur.nec uero in illis libris in ipso principio nomen constitutionis præscripsit narrationi eorum,quæ acciderunt:sed statim narrare incipit, quæ in morbis,qui uiguerant,& in aeris tẽperamento animaduertisset. itaque in Thaso inquit,circa æquinoctium,& sub Vergilias pluuiæ multæ,cõtinẽtes,lenes,ut cum Auster spirat.eadẽ quoq; ratione duas consequentes constitutiones auspicatus est: in hac uero, constitutionis nomen in omnibus fere exemplaribus reperitur: ubi tamen hæc acciderint,non declaratur: siquidem pestilentiam,quę multarũ fuit gentium communis, hoc libro persequitur. in exemplaribus uero, in quibus,ut legebat Dioscorides, scriptum est; non solum est hoc nomen absolute, constitutio,sed additum etiam est,calida,& humida: & in medio spatij, quod lineas intersecat, id totum est scriptum, sicut in alijs exemplaribus est solum hoc nomen, constitutio. inuenies etiam, in quibus hic titulus in medio non sit:ut etiam, in quibus nihil sit omnino. ex quo suspicari quispiam possit, non ab Hippocrate adhibitum esse nomen constitutionis,sed ab illis fortasse, qui notas narrationibus ægrorum adiunxerunt. Sed hæc quomodocunque se habeant,neque damnum,neque utilitatem ullam ad præsagiendum,aut curandos morbos afferunt. quare ad explicationem eorum accedamus,ex quibus aliquem ferre fructum possimus.Annus inquit, D austrinus fuit, pluuius,& uentis perpetuo uacans. huic constitutioni simile est principium secundi uulgarium morborum,quod his uerbis expressum est,In Cranone carbunculi æstiui pluerat per æstum large imbri,& assidue: acciderant autem magis Austro : sed hæ constitutiones inter se differunt, quia hic ait per totum annum huiusmodi fuisse aeris nos ambientis temperamentum: in secundo uero,per æstatem solum: & quod hic addidit, uentis perpetuo uacans, quod illic non adscripsit. Sed putabit fortasse quis id quod eo in libro dixit, acciderant autem magis Austro,tale quidpiam significare:nam hic etiam austrinum simul,& uentis uacantem totum annũ fuisse dixit: ut nos perinde accipiamus,ut possit totus annus simul & uentis uacans,& aquilonius esse, ac dici: id quod paulo post declarabitur. ad memoriam autem reuocemus,nos multa in aere temperamenta uidisse,tranquilla,& uentis uacantia: sed non tamen similia inter se, uerum hoc lene, & humidum:illud siccũ,& gelidũ: idq; est omnino serenum. at lene, nebulosam,turbidãq; cõstitutionẽ habet,& austrinã,& quãdoq; nubiũ plenã: cuius cõtrariã habet aquilonale: ubi nullus prorsus in aere motus apparet: sed est plane,quam trãquillitatẽ uocãt.similis autẽ esse aeris & maris status uidet: propterea quod ut in mari semper fluctus in alto est aut maior,aut minor,qui interim ob paruitatẽ non perspicue animaduertitur,nisi angustus locus eũ excipiat, ut in Chalcide Eubœæ, & Messana Siciliæ conspicitur ; sic aer quoque plane immotus & quietus nunquam uidetur esse, tamẽ motus, quia paruus est, interdum nos latet: uidemusq; nubes in hisce

tranquillitatibus, quæ frequenter consistere nobis uidentur, cum tamen re uera moueantur: siquidem E in alia statim aeris regione conspiciuntur quod illis, nisi mouerentur, non eueniret. talis etiam nūc cēsenda est toto anno fuisse constitutio. tantum autem ab ea, quæ in Cranone fuit, quam in secundo libro memorauit, hæc differt, quanto est diuturnior: affectus tamen utriusque constitutionis communis est putredo: quæ causam communem obtinuit, humiditatem uentis uacantem. putredo autem omnis ex humida fieri materia uidetur, ex causa uero efficiente, extraneo præter naturam calore oriri: tum augeri immobilitate. nihil autem, quod omni ex parte siccum sit, putrescere, omnes perspicue intuemur: nam nec lapis, nec fictile, nec aurum, nec argentum, neque æs, neque aliud quicquam huius generis putrescere uidetur. iam quæ putredini sunt obnoxia, & diutissime seruari in frigidis temperamentis, nemo est, qui nesciat, ac tum magis cum ab eiusmodi uentis uentilentur. atque homines, quoque uestes continenter concutiunt, præcipue cum humidus, calidusque aer sit, quod immobilitate computrescant. ita motus arteriarum in animantibus cum alias commoditates, tum uero eum usum præstat. & uero ipse quoque Hippocrates in aphorismis, ut ante monui, in pluuijs constitutionibus putredines gigni affirmauit. hinc igitur perspicuum est, humiditates, quæ in corporibus erant, necessario computruisse. nunc uero eius uerba secuti, deinceps separatim singula uideamus.

*Cum autem paulo superioribus anni temporibus squalores præcessissent, flante Austro, sub Arcturum, multū pluit.* F 2

Audisti iam in constitutionibus, quæ in primo expositæ sunt, aeris temperamentum de suo salubri, naturalique ordine deflexisse. nosti etiam quænam hæc sit constitutio, atque eius quatuor esse præter naturam simplices, ac totidem compositas mutationes; ac simplices in sola calidirate, & frigiditate, & humiditate, & siccitate uersari: compositas autem in caliditate & humiditate: in frigiditate ac siccitate: frigiditate & humiditate, in caliditate & siccitate esse positas. memor igitur eorum, quæ didicisti, huius constitutionis narrationem persequere, ut cum Hippocrates ait, Cum paulo superioribus anni tēporibus squalores præcessissent: subiungit, flante Austro sub Arcturū multū pluit. uidetur quidem anno iam superiore non undequaque in suo naturali temperamento aerem nos ambientem constitisse: non uiguisse tamen ea tempestate ullum morbum ex ijs, quos uulgares nominant: scis enim in aphorismis scriptum ita esse, Ex anni constitutionibus in uniuersum squalores imbribus sunt salubriores, ac minus mortales. hac etiam de causa non incidit ullus eiusmodi morbus, quod temperaturæ mutatio solum in siccitate præstaret: neque ullam alterius oppositionis mutationem adiunctam haberet, a qua aer aut calidus, aut frigidus magnopere redderetur: sed subita conuersio sub Arcturi exortum uidetur extitisse: qui autumnale æquinoctium parum antecedit. qui autem illi autumnus, quæ deinde hyems, G successerit, & quæ postea hanc exceperint anni tempora, intelligemus, si eius uerba persequamur.

*Autumnus umbrosus, ac nubilosus, fuit: multum pluit. hiems erat austrina, humida, & lenis.* 3

Dixit umbrosum pro caliginoso: quod significat non lucidum nec purum, nec omnino serenum. solent autem nunc quoque Græci Asiam incolentes umbrosa & umbrifera uocare, quæ ad nigrum colorem declinant: eademque appellant caliginosa, & fusca, quod is color prope ad nigrum accedat. ac planum etiam est, huiusmodi aerem, nisi multis nubibus, ijsque non lucidis obducatur, fieri nullo modo posse. itaque in nomine umbrosi etiam nubilosum ui quadam continetur. Sed nosti, hoc dicendi genus non Hippocrati modo, sed multis etiam alijs esse ueteribus familiare. addit autem, hiems erat austrina, humida, ac lenis. sunt, qui Austrum semper esse humidum censeant: quod tamen non ita est: siquidem siccus quoque esse interdum uidetur: eumque uulgus Leuconotum appellant. qualem nobis Austrum poeta indicat, cum ait,

At Zephyrum, argestamq; Austrum nunc ipsa ciebo.

nam purum Austrum, quem sine imbribus fieri scimus, ita nominauit. iam in primo quoque uulgariū morborum in prima constitutione Hippocrates ita ait, Cum esset inquit, totus hic status austrinus, H & squalidus. atque is Auster subinde uehemens est. eius igitur motus semper apertus est: alius uero Auster lenis est, ut eius motus in aere, ac nubibus sensum effugiat: qui est perpetuo calidus: Leuconotus autem interdum frigidus uidetur.

*Multo post solstitium, circiter æquinoctium, aspera erat hiems extrema: & iam sub æquinoctium aquilonia, & niuit non ita diu.* 4

Pars hæc contrariæ tempestatis, non ita diu, ut ipse ait, intercessit.

*Ver rursus austrinum, sine uentis, pluit multum, & continenter usque ad Canem.* 5

Simplicem fuisse hiemem indicauit, cum ita scripsit, Ver rursus austrinum, ac sine uentis: nam uerbum rursus, declarat, cum contraria constitutio intercessisset, aeris constitutionem iterum ad suū redijsse temperamentum.

*Æstas serena, calida, magni æstus erant: Etesiæ parui, ac disperse spirarunt.* 6

Leniras hiemis, & ueris tranquillitas cū æstate æstuosa cōueniūt: cū.n. æstiuū tēpus suapte natura calidū sit, si uentorū quoq; uacuitas accesserit, suffocatio necessario cōsequitur. hoc autem fit, cum neq;

prodromi

A prodromi, quos uocant, flant: neque qui eos sequuntur, qui Etesiæ nominantur. hos Canis ortus diri mit. & ipse etiam Hippocrates adiecit, Etesiæ parui, ac disperse spirauerunt.

7 *Sub Arcturum rursus, spirante Borea, multum pluit.*

Verbum rursus, non ad Boream, sed ad uim aquarum refertur. magna enim uis aquarum fuit superiore Arcturi ortu: ac sæpe etiam postea pluit: Boreas uero raro spirauit.

8 *Cum esset autem annus austrinus, humidus & lenis, per hiemem quidem salubriter degerunt: præter tabidos, de quibus modo scribemus.*

Quia omnino Boreas parum spirauerat, ideo totam constitutionem ab ijs, quæ in ea dominabātur, humidam, austrinamque nominauit. ac uocari ab eo lenem, quæ uentis uacat, & calida est, ante didici sti. sed hæc constitutio, licet repentina esset, mortales tamen nondum magnopere, propter superioris anni squalidum temperamentum offendit: nonnullis tamen tabificæ affectiones inceperunt, ijs dico, qui ad hoc uitium erant comparati: atque ipse, quæ illis acciderint, se deinceps scripturū pollicetur.

9 *Ante uer unà cum ijs frigoribus, quæ erant consecuta, sacri ignes multi partim cum occasione: partim sine, hos affecerunt: qui cum maligni essent, multos occiderunt.*

B A biliosa defluxione oriri sacrum ignem non illa tamen praua semper, ac putri, didicisti: plane contra ubi mitis defluxio sit, quæ pallidam bilim, quæ naturaliter in nobis gignitur, contineat, solet quidē sacrum ignem excitare, nullum tamen damnū afferre, si recte tractetur: at humor qui modo sacrū ignē attulit, non talis, sed malignus erat: quippe qui eroderet, ac putrefaceret: ab exuperante humida uentorum tranquillitate genitus in ijs potissimum, quibus, cum ipsi suapte natura essent ceteris biliosiores etiam uictus ratio biliosa succum ipsum cumulasset: differentiæ enim morborum ab aeris nos ambientis temperamento proficiscuntur, propter cuiusque naturam, & uictus rationem, qua sanus quisque utitur: ac uictum quidem appello, non cum modo, qui cibo & potione continetur, sed etiā qui in omnibus alijs rebus, ut otio, exercitatione, balneo, rebus uenereis, somno, uigilia, & ceteris omnibus quæ quouis modo in corporibus humanis fiunt.

10 *Multi e faucibus laborabant: uoces erant uitiatæ.*

Quibus caput suapte natura facile replebatur, ijs hoc tempore humorum copia redundās in pulmonem, uentremque cœpit fluxiones per fauces demittere. merito etiam dixit, uoces cis esse uitiatas: id quod assidue fieri a destillationibus uidetur, cum fauces, gutturque abunde irrigauerint.

11 C *Febres Ardentes, phrenitici.*

Ardentes febres ex biliosa redundantia in iecur, & uentrem irrumpente oriuntur: phrenitici uero cum caput ea petit.

12 *Ora aphthis, pudenda tuberculis uitiabantur: lippitudines, carbunculique extabant.*

Singuli affectus, quos memorat, fere non maligni sunt: ut de igne sacro pauloante dixi: interdum etiam maligni sunt, ut in præsentia, quod humor, qui abundabat, putris esset: quare in omnibus morbis quos recenset, illud semper memento, neque puta ægros aut aphthis, aut alio quouis malo, ut consuetudo fert, occupatos esse, sed cum membrorum putredine coniuncta. hanc etiam communem rationē in memoria habeto, putrem humorem ab eadem constitutione in omnibus genitum non easdem partes obsidere: quod nec per naturam eo in statu eadem esset omnium corporum conditio: sed esset alia alijs pars infirmior. atque aphthæ quidem ora puerorum frequenter solicitant, quæ exulcerationes quędā sunt in oris superficie. tū quod oīa sunt eorū mollissima mēbra, & quasi muscosa, tum quod os est adhuc esculentis, poculentisque penitus insuetum. cum igitur lac in māma aliquid acrimoniæ habeat, solet aphthas gignere: quæ facile sedanť, si os infantis modice adstringas. si uero humor prauus affluat, aphthæ semper malignæ exorientur. carbunculorum uero affectio est semper periculosa: quippe quæ

A. l. 4. f. 6. c. 33. p. 455. A. D ex prauis succis constet. quocirca probabile est, eum nunc fuisse perniciosissimum, qui præter natiuā malignitatem eam etiam assumpserat, quam aeris constitutio afferebat. sed de huius affectus origine satis dictum est, cum principium secundi uulgarium morborum interpretarer. cetera autem, quæ hic dicuntur, clara sunt.

13 *Alui turbatæ: a cibo abhorrebant.*

Ex prauo humore qui in fauces a capite defluxerat, quod in pulmonē comportatum erat, tabificos affectus gignebat: quod in uentrem erat deriuatum, quia mordendo subibat, ideo uentris profluuium excitabat, quod significauit his uerbis, Alui turbatæ. in transitu quoque facultatem uentris, qua cibos appetimus, Afflixit: ex quo fiebat, ut cibos fastidirent.

14 *Quidam sitibundi erant, quidam non.*

Multis de causis uerisimile est neq; omnes sitibundos fuisse, neque siti caruisse: siquidem uidetur humiditas putris in omnibus collecta esse, non tamen erat par eius copia, aut æque etiam praua: quocirca poterant aliqui non sitire, uel quod læsa esset potus appetendi facultas, non secus quàm in illis, qui a cibis abhorrebant, cibos appetens facultas læsa erat: quorum pessimam fuisse affectionem perspicuū est uel quod maligna ea humiditas ad uentrem non conflueret; ut mediocri siti corriperentur: aliqui uero sitibundi esse poterant, tum quia uitiosus humor in uentrem conflueret, tum quia os uentriculi nondum ab ipso humore adeo læsum erat, ut uis potionis appetens iam corrupta esset.

*Vrina turbata, multa, mala.* E 15

Vrinas turbatas fuisse, ita accipe, ut ante, cum dixit, alui turbatæ: nam quibus uitiatus humor ad renes defluxit, his urinæ necessario turbabantur: hoc est cũ mordicatione, doloreq; excernebãtur. quod autem deinceps additum est, multa, mala, potest de urina intelligi: potest etiam ipsum per se dictũ esse, ut hac oratione multis prauis symptomatibus affectos fuisse illius temporis ægrotos indicet. A

*Soporosi diu, ac rursus insomnes erant.* 16 A.l.3.f.1.t.4. c.4.p.370.F.

Coma. i. soporem qui uigilijs uacans est, ab humiditate, refrigerationeque cerebri fieri didicisti: uigilias uero sopori non admistas a calore, & siccitate proficisci. nunc autem cũ humores, qui aucti erãt, humiditatem redundantem haberent, non eam tamen totam acrem, humiditas soporosum affectum, acrimonia uero ex putredine uigilias induxit: ut contrariæ causæ contraria symptomata merito pepererint.

*Plerique prorsus non iudicabantur, quidam difficulter.* 17

Propter humoris malitiam quidam morbi omnino non iudicabantur, quidam uero male.

*Aquæ inter cutem.* 18

Hoc etiam malum ait quosdam ex prauorum humorum copia afflixisse. hæc enim omnes concitare morbos potest: atque alium in alio, atque alio corpore, pro naturalibus eorum differentijs, & dissimili uictus ratione, ut paulo ante dictum est. F

*Tabidi multi.* 19

Supra etiam dixi, quod ex capite in fauces defluxerat, ubi per guttur in asperam arteriam & pulmonem comportatum esset, hujusmodi affectiones procreasse.

*Atque hi quidem morbi uulgabantur.* 20

Pestilens morbus ipse quoque unus est de uulgaribus, ut etiam in libro de ratione uictus in morbis acutis dixit his uerbis: Cum.n.nullum commune pestilentis morbi genus grassatur, sed dispersi morbi fuerint: non est.n.certi morbi nomen uulgare, aut pestilens, sed quicunque uno in loco multos simul inuaserit, hic uulgaris nominatur. cui si accedat, ut multos tollat, pestilentia efficitur.

*Ex qualibet autem morborum prædictorum specie, complures ægrotabant, & moriebantur: cuique autem eorum in hunc modum acciderunt.* 21

Cum dixit, & complures moriebantur, morbos, qui uulgabantur, pestilentes fuisse indicauit. cumq; diuersi illi fuerint, de singulis separatim se deinceps dicturum promittit.

*Multis sacer ignis cum occasione ex quibusuis, & admodum paruis uulnusculis in toto corpore oriebatur; præcipue uero sexagenarijs in capite: si uel paulo minorem quis curam adhibuisset. plerosque in ipsis etiamnum curationibus magnæ inflammationes corripiebant: ignisque sacer ualde celeriter omni ex parte depascebatur.* G 22

Affectionis, quam primo loco memorauit, iure etiam primæ singulas differentias nũc describit: quã accidisse quibusdam dicit paruis de causis, quas occasiones ipse uocauit: ac multos, dum curarentur, magnas esse inflammationes consecutas: quod sacer ignis multum depasceretur. plurimis autẽ hunc caput tentasse, quod ipsum maxime in austrinis esset, & calidis uentorum tranquillitatibus repletum. cur autem hic sexagenarios præter ceteros afficeret, hoc erat in causa. aer externus nos ambiens præter naturam calidus in causa fuit, cur humores in corpore putrescerent: quemadmodum natiuus calor cum suum natiuum temperamentũ accurate seruat, plus sanguinis, quàm aliorũ humorũ efficit: quãdo uero ad magis igneũ deflectit, pallidam, flauamq; bilẽ gignit. at externus calor, putredinis humorum est auctor. ac materia quidem est humiditas: causa uero efficiens, calor præter naturam. quam ob rem senes, qui superuacaneas humiditates ob naturæ imbecillitatem semper coaceruant, ubi calorem aeris assumpserunt, propter illius temporis constitutionem putri humorum corruptelæ proniores, quàm iuuenes fuerunt. H

*Itaque plerisque eorum abscessus in suppurationem contigerunt: ac multum carnis, & ossium, & neruorum decidit.* 23

Humoris redundantis malignitatem ex magnitudine putredinis constituit; & dictis subtexens ait.

*Fluxio autem, quæ collecta erat, non puri similis erat: sed alia putredo quædam: ipsaque fluxio multa, ac uaria.* 24

Ipse tibi plane indicat, quod iam sæpe ante monuimus, corporis humores propter humiditatem & aeris tranquillitatem computruisse: quam ob rem pus non genitum est. ceterum solidæ partes ob prauos humidos humores putrescebant. erat autem consentaneum uariam esse fluxionem, propter humorum putrescentium uarietatem: nam a communi putredinis causa singula putrescentia propriam corruptelæ speciem obtinent.

*Quorum igitur aliquid horum caput tentaret, his totum caput glabrum reddebatur, itemque mentum, & ossa denudabantur, decidebantque: multaque fluxiones extiterunt. hæc modo cum febri, modo sine hac erãt; hæcque erant formidabiliora, quàm deteriora. quibus ad suppurationes hæc forma deuenit, plurimi seruati sunt: at quos inflãmatio, aut sacer ignis reliquit, nec talẽ ullũ abscessum fecit, hi frequentes perierũt: & si usq; loci alterius in corpore oberraret, hæc euenerũt:* 25

*multis*

A *multis etiam brachium, uel totus cubitus decidit: quibusdam hac anteriora, uel posteriora latera afficiebantur: nonnullis totum femur, uel tibiæ, totusque pes denudabantur.*

Humorum putredo, cuius commune est, ut eas partes, quas obsidet, corrumpat, formidabiliorem in capitis partibus speciem præbet: quod si uel paululum hic de natura deflectant, maior sit turpitudo, quàm ceteris in partibus multum a natura deflectentibus: nam si cutis a femore, uel brachio, uel tibia uel cubito recesserit, minorem mali speciem facit. at si a capite unà cum cute crines deciderint, & item menti pili defluxerint, magna sane uitij species erit, at periculum minus, quàm si is affectus partes genitales, aut guttur, aut thoracem, aut aliquam principem partem obsideat. neque solum, quæ caput ita tentant, magis formidabilia sunt, quàm praua, sed etiam quæ cuilibet alteri parti: sic decidunt: peiora enim erant, in quibus in profundum secessit is humor, qui ignem sacrum effecerat: cum in uiscera se, principesque partes insinuans, præter alia symptomata febres etiam acutas excitabat, quibusdam tamẽ quibus in superficie eiusmodi putredo erat, partes etiam citra febres corrumpebantur: quorum nonnulli hac de re incolumes euaserunt, uitiosis humoribus, simul cum partibus, quas ipsi putrefecerant, excretis: oberrabat enim, ut ipse uocauit, fluxio per totum corpus: hoc est, sine ratione, sine ordine, & casu uagabatur: ut arte præsagire medicus, quo esset influxura, non posset.

26 B *Erat id omnium grauissimum, cum pubem, pudendaque obsideret.*

Etiam sine pestilenti constitutione, ubi illas partes inflammatio, aut sacer ignis occupat, facillime putrescũt, & simul partes superiores afficiunt. quocirca cogimur sæpe cum putrida præciderimus, locũ ipsum inurere. itaque nil mirabile est, cum hæc esset constitutio, ut brachium, cubitus, femur, tibia, latus, caput computresceret: si pudenda plurimum offendebantur.

27 *Atque ulcerum, & eorum, quæ occasionem habuerunt, hic fuit status.*

Hactenus locutus est de sacro igne, qui ex ulcere, aut alia ita parua causa externa cõstitit. deinceps uero aget de ijs, qui sine tali causa inciderunt.

28 *Multos autem cum febribus, ante febrem, & post febrem corripuerunt.*

His non ex ulcere, aut alia externa causa, quæ manifesta sit, sed, ut dicere solemus, sua sponte sacer ignis prouenit: ac partim cum febre inuadebat, partim febres eum sunt consecutæ, aut præcesserunt.

29 C *Erat autem huiusmodi: ut qui per suppurationem abscessum fecerat, aut aluus commode turbata esset, aut bona urina essent excreta, inde propulsaretur, cui horum nihil acciderat, & obscure euanuerat, ut letalis esset.*

Causa est etiam paulo ante reddita, cur magis superstites essent, quibus per putridam partem uitiosus humor unà cum illa de corpore deciderat; & planum est, si per uentrem & urinas purgatus esset, molestum illum quidem fuisse, dum excernceretur, uniuerso tamen corpori profuisse.

30 *Vere autem plurimos sacri ignes exercebant: tenebantque æstate, & sub autumnum.*

Vitiosos humores genuit, ut ante dixi, perflatu uacans constitutio, quæ humida, calidaque erat, & uentis carebat: quos postea in corporibus frigora concluserunt: ut etiam in prima primi uulgarium morborum constitutione dixi. itaque merito uarij morbi, paulo ante memorati, inceperunt: nunc uero de sacro igni loquitur, quo de primum agit, qñ is quoq; primus exortus est. quare de ijs inquit, sacris ignibus, qui initio ueris incesserunt, quidam per totam æstatem. & autumnum perseuerarunt. cum autem hæc uerba utroque modo possent intelligi. Tenebantque æstate, & sub autumnum: ut quamuis uere generarentur, producerentur tamen usque ad autumnum, & cum generarentur, eorum generatio D usque ad autumnum duraret, ita ut alij uere generarentur, ac desinerent: alij in æstate, alij item autumno gignerentur, ac sedarentur: melius est, ut in secunda hac significatione accipias: propterea quod non est consentaneum, ut sacer ignis ineunte uere exortus ad autumnum usque productus sit: hominem enim interea prorsus occidisset, si admodum malignus fuisset: uel per partes putrescentes excreta putredine discussus esset.

31 *Quibusdam multa erat turbatio, tuberculaque ad fauces, linguæ inflammationes: & secundum dentes abscessus.*

Hoc loco partium affectus recenset, quorum ante mentionem non fecit.

32 *Ac uoces multis indicabantur uitiatæ, & κατεαγνῦαι esse: in primis uero ijs, qui tabescere incepissent: immo uero etiã ijs, qui ardentem febrem haberent, ac phreniticis.*

Ego uero in eo etiam ægroto, qui supra undecimo loco descriptus est, in cuius narratione scriptum est, δεξίλλαινε idest dexter oculus distortus est, illud esse ab alio interiectum suspicabar: siquidem Hippocrates Heraclidis filius, cuius etiam aphorismos, & præsagia esse existimant, usitatissimis, ac proinde claris uocabulis, quæ rhetores ciuilia uocant, esse usus uidetur. at ἰλλαίνειν, huius generis non est, ac multo minus κατιλλαίνειν: uel κατιλλαίνουσαι: præcipue cum de uoce, non de palpebris dicitur. itemque quia forma

forma dictionis actiua est, non passiua: rectius enim, siquidem hoc nomen uoci accõmodare uolebat, E
erat, si κατειλλόμεναι, non autem κατειλλοῦσαι scripsisset: ac multo etiam melius, si κατειλλαινόμεναι: nã a uer-
bo ἰλλαίνω ita participium, ut grammatici uocant, deducas. atqui nullus sensus est, si de uocibus dica
tur κατηλοῦσαι, ut quidam interpretes nos intelligere uoluerunt, tanquam uerbum ἰλλαίνω significet di-
storquere. nam κατειλοῦσαι significat distorquentes: κατειλλόμεναι uero distortæ. multi igitur uno in uerbo
errores commissi uidentur, si κατειλλοῦσαι accipiamus, ut plerisque interpretibus placuit, quasi a uerbo
ἰλλαίνω deriuetur: actiuum enim est, ut uocant, ἰλλαίνουσαι, ἰλλαινόμεναι passiuum, & addita præpositione,
κατειλλαίνουσαι. at εἰλοῦσαι, & κατειλοῦσαι ab ἰλλαίνω deduci non uidentur: nec uero etiam εἰλούμεναι, & κατειλού
μεναι. raro enim apud ueteres hæc uerba comperies, ἰλλαίνω dico, & ἰλλὸς, a quo sophorn uidetur com-
paratiuum, ut grammatici appellant. † ἰλλότερον τοῦ κίονα deduxisse, quam ob rem, si de his nugari uelis, † i. columnã magis distortam.
rectius dixeris, non ab ἰλλότερος deductum εἰλοῦσαι, sed ab alio quodam, quod & Plato, & Antipho uiden-
tur usurpasse. ac Plato quidem in Timæo his uerbis, Hanc igitur totam cutim undique igni pupugit
Deus, qua uulnerata, cum humor per eam efflueret, humidum ac calidum, quod erat syncerum, abijt:
mistum uero ex ijs ex quibus cutis erat, foras lationis impetu productum, lõgum fiebat: ac tenuitatem
punctioni similem habebat. sed propter tarditatem, † ab aeris frigore intro iterum sub cutem εἰλούμενον
radices egit, quo in loco uidetur εἰλούμενον, pro eo quod est, conclusum, uel repulsum in altum, dixisse. in F †Apud Platonem legitur a spiritu circunstante.
qua significatione uidetur etiam scripsisse, Terrã uero nutricem nostram εἰλουμένην idest quæ restringitur
ad rationem in perpetuum constitutam. est quoque apud Antiphonem in libro de ueritate secundo
hoc scriptum uocabulum, ubi ait, Vbi ergo imbres in aere, uentique sibi mutuo aduersantur, ibi aqua
cogitur, multumque spissatur: quod autem ex ijs quæ committuntur, fit superius. hoc densatur, & co-
gitur & a uento, & a ui εἰλούμενον, hoc est contortum. sane hic quoque uerbo εἰλούμενον conclusum uel con-
tractum in se, uidetur denotare, an igitur in hoc libro cũ auctor de uocibus κατειλοῦσαι scripsit, tale quid
uoluit innuere, uoces quasi occlusas, & coactas significans? ut hoc de uocibus quæ exire nequeunt, di
ctum intelligamus, quod usu uenit ijs, qui gracili uoce sunt. an hoc minime conuenit? potuit enim uel
cohibitas, uel impeditas, uel tardas, uel tale aliquid scribere, qui significare uolebat, hominem uoce
adeo impedita esse, uix ut loqui posset. Iam uero a uinculo quoque potes accipere uocem, quasi uinctã
dictam esse: siquidem de uinculis quoque poeta plane dixit

Luctantemque trahunt uinclis.

sed planũ est, rectius fuisse, si κατειλούμεναι potius, quàm κατειλοῦσαι scriptũ esset. in quo cõis totius explica-
tionis error uersatur: nam quicquid statuas a uerbo κατειλοῦσαι significari, id actioné, non passionem in-
dicabit. quare maxime suspicati licet, hoc non esse de Hippocratis uerbis: quando is non adeo græci G
sermonis imperitus erat, ut in eo offenderet, non secus quàm pueri faciunt, qui modo discere literas
inceperunt: etenim passio quædam uocis uidetur indicari. & tamen non passio: sed actio significatur:
passio quidem significaretur, si κατειλούμεναι scriptum esset. præterea quãuis κατειλούμεναι scribamus, tamen
Hippocrates non solet uerbis insolentibus, & quæ raro inueniuntur, uti. qui autem putant, distortum
hoc uerbo significari, non uident, cum hoc pugnare, quod in præsagijs distortum ipse dixit his uerbis:
Si palpebra, aut labrum, aut nasus reflectitur: sed neque reflexum, neq; aliud ex ijs, quæ dicta sunt, pro-
prie de uoce dicitur. quibus quidem factum est, rebus, ut quidã huius libri interpretes omnibus, quæ
dicta sunt, reiectis pro uoces, linguæ scripserunt, & linguas κατειλοῦσας deuinctas, & difficulter motas ex-
posuerunt. qui quidem debebant, ut uoces in linguas commutarunt, sic uel potius quàm uoces, uerbũ
κατειλοῦσαι in κατειλούμεναι uertere. uerũ iã satis de hoc uerbo κατειλοῦσαι. quod licet inuẽtũ sit, nõ magno no
bis est usui futurum. satis. n. est nosse, hic dici generatim atque intelligi, propter destillationem, quæ il
lis ex capite descendebat, læsis instrumentis uocis, simul quoque uocem esse uitiatam: scire enim opor
tet in humidis, calidisque constitutionibus cum caput repletum est destillationem uentri, thoracique
transmittere: quod in primis utile est nosse, ut discernas utrum hoc malum alia de causa ægris inuectũ
sit, an ex uulgaribus morbis existat: deinde ut occurras, ne quid tale accidat: nam offensiones ex aere, H
si ubi & quomodo fiant prouideas, & totam uictus rationem dominanti constitutioni contrariam insti
tuas declinabis. præterea si futura uelis prædicere, quod certe utile nobis est, ut in præfatione præsagio
rum ostendimus, in hoc te exercebis, ut in quacunque aeris constitutione omnes corporis affectiones
cognoscas. quare contenti, ut diximus, hoc, uoces læsas fuisse, & præterito hoc uerbo κατειλοῦσαι, quod
deinceps sequitur, consideremus. ait igitur eos qui tabescere incepissent, in hoc symptoma primum
incidisse, deinde uero, eos qui ardenti febre tenebantur: & phreniticos. existimato autẽ tabidis id ra-
tione affectus accidisse: nam cum multis alijs causis, & affectionibus tabes comitatur, tum præci-
pue ex capitis destillatione, quam potissimum uocis uitium cõsequitur, exoriri solet. at febribus arden
tibus, & phrenitidi tale uocis uitium per se non succedit, ut incipiẽtibus tabidis facit. quia uero in hac
constitutione, quæ calida, humida, & uentis uacans fuerat, caput forte affectum est, ideo hoc sympto-
ma non propter priuatum morbi apparatum, sed ex communi causa phreniticos, & eos qui ardentem
febrem habebant, est consecutum. in illis enim partes uoci attributæ desiccantur potius, quàm irrigen
tur: ut in hac constitutione usu uenit. quam ob rem clangosa, acutaque uox a uocalium instrumen-
torum siccitate: rauca uero ab humiditate efficitur.

33 A *Febres etiam ardentes, & phrenitides ante uer cœperunt post frigora, quæ præcesserant: ac plurimi tum diu ægrotabant. acuta autem bis, & letalia contigerunt.*

Verisimile erat, humorum putredinem, quàm aeris temperamētum ante pepererat, a frigore extrema hieme succedente in altas corporis partes compulsam, morbos esse genituram sacro igni consimiles. itaque alios quosdam, qui huius generis fuerunt, ipse exponet: & hos ordine a sacro igne primos iam scribit: sunt autem febres ardentes, & phrenitis a communi quidam profectæ causa, sed locorum affectorum ratione differentes. nam quibus in partes iecoris, & uentriculi, potissimumque in eius os prauus humor inuasit, hos febres ardentes uexauerunt: quibus in cerebrum peruenit, eos phrenitis solicitauit.

34 *Febrium autem ardentium, quæ uigebant, hæc erat natura: initio soporosi ægri erant, fastidiosi, & inhorrescebant: febris non acuta: neque magnopere erant sitibundi neque deliri.*

Quæ symptomata ex ea constitutione, non propria morbi ratione febribus ardentibus acciderent, ea nunc indicat. quocirca nonnulli pro κωματώδεες. i. soporosi male scripserunt καυσώδεες. i. æstuosi quandoquidē hoc est febribus ardentibus peculiare, ut etiam sitis, quæ sedari non queat. nec ferme dixeris B ullam aliam esse insignem febrium ardentium notam: sed eas ex his duabus abunde compleri affirmaris ægrotis sitim, quæ sedari non possit, & exurentem calorem sentientibus. sed cum ea constitutio multa humiditate caput impleuisset, soporosum symptoma aut omnibus, aut plerisque utcunque laborantibus attulit sub morbi inuasionem, ubi praui humores nondum ita acres facti erant, ut uehementes uigilias, deliria, ac phrenitidas possent concitare. sopor autem perraro febribus ardentibus adiunctus est: fastidium uero persæpe: non est tamen perpetuum, ut duo antedicta, sitis, quæ non sedatur, & deurens calor. non sæpe etiam horrent, qui ardentem febrem habent: quam ob rem hoc etiam adnotauit. quod uero subiunctum est, Febris non acuta, sunt qui absolute, sine negatione scribāt, febris acuta: sunt etiam, qui cum negatione, hoc modo, febris non acuta: cuius uarietatis utrique probabilem habent rationem. qui sine negatione scribunt, quod ab ardente morbo auelli febris acuta non possit; uti nec etiam sitis; qui negationem adhibent, quod raro, & præter opinionem omnium hæc febris eis accidit, sicut etiam sopor; siquidem aiunt ipsum quoque his subiunxisse, neque magnopere erant sitibundi: & tamen hoc symptoma est ardentium febrium proprium uel maxime: uerisimile autem esse, ut quemadmodum non magnopere siti afficiebantur, ita etiam non ualde acuta febri fuisse iactatos. fortasse etiā in eo, quod Hippocrates scripserat Febris non acuta ab eo, qui primum descripsit, error com C mitti potuit, atque ita postea mendum permansisse. ceterum non parua existit hoc loco de omnibus signis pathognomicis quæstio: nam si ipsis remotis, species affectus potest conseruari, alia nobis suppetent signa his pathognomicis ad affectus dignoscendos certiora. quod si statuamus, certe quispiam illa esse appellanda pathognomica merito iudicabit: quæ uero ante pathognomica uocabātur, ea assidentia appellabuntur: ex quibus illa separari non possunt, & affectus, ut ita dicam, essentiam constituunt: assidentia uero ex his sunt, quæ illis plerunque accidunt. itaque si æger neque sitibundus sit, neque ualde acuta febre teneatur, ex qua tandem nota illam esse ardentem febrem dicemus? quamuis enim multis ardente febre affectis contingat, ut fastidiosi sint, hoc tamen non est affectus ipsius proprium: propterea quod plerique etiam alij, qui quoquo modo ægrotant, fastidiosi fiunt. quare nec, quod quibusdam placuit, qui se ab his dubitationibus explicare existimabant, etiam nobis pronunciandum est, ardentem febrem ab excrementis in primis cognosci: neque enim mera biliosa in solis ardentibus febribus aluus deijcit, neque his solis accidit colliquatio: sed hæc sunt quidem maligna symptomata, & febrium exurentium: qui tamen huiusmodi excernunt, multi modice sitiunt, & febris calores ferunt. at in hac constitutione ne tales quidem erant deiectiones: nam aluus, inquit, his plerisque turbata erat, ac deiectiones crudas, ac multas, & tenues excernebant: uidetur ergo Hippocra D tes ardentem febrem ex sitis calorisque exurentis assiduitate; sicut phrenitim ex perpetuo delirio cognouisse. atque ita licet ægri non admodum sitibundi sint, neque ualde exurantur, sed tamen per totum morbum hæc duo symptomata sint, morbus esse febris ardens dicetur: eritque alia febris hac calidior, ut & corpus colliquet, & deiectiones biliosas, & colliquātes reddat: sed ardens febris non uocabitur, nisi per totū morbum adiuncta perpetuo habeat ea duo, quæ ante memorata sunt: sitim inquā, quæ sedari non possit, quantumlibet bibant: insuauemque & ardentem, & fastidiosum calorem. proinde adest illis fere uehementissima sitis, & febris feruidissima. raro autem, ut hoc tempore, cum febris non plane acuta esset, etiam ægri non perinde siti torquebantur: quæ ob id ipsum significauit, sicut etiam hoc, eos nullo pacto fuisse deliros: quoniam id quoque in febribus ardentibus contingit. delirium autem esse paruæ dementiæ nomen; ante docuimus.

35 *Nares pauca stillarunt.*

Hoc est ex ijs, quæ ardentes malignas febres comitantur, ut sanguinis eruptiones lenibus accidūt. sed, ut uno uerbo complectar, omnis de naribus stilla, ut nouimus, prauum signum est.

36 *Accessiones plerisque diebus paribus fiebant.*

Hoc quoque raro cōtingit: nam febres ardentes, atque adeo omnes ita, ut illæ, multum acuti morbi diebus imparibus accedere solent.

*Sub accessiones obliuio, languor, & uocis defectio.* E 37
Obliuio manifesta est, & sæpe de perniciosis esse probatum est: languorem uero ueluti dissolutionẽ ac remissionem omnium corporis partium uerisimile est ab eo dici, cũ haud aliter, quàm resolutis pro ictæ appareant: id quod esse perniciosum didicisti: ut de ceteris omnibus symptomatis, quæ hoc libro memorauit. quocirca ea sola interpretari oportet, quæ minus perspicue dicta esse uidebuntur: & quæ alibi demonstrata sunt, ad memoriam solum reuocanda: non fusa late oratione pertractanda.

*Extrema pedum, ac manuum his frigidiora erant, ac longe maxime circa accessiones: hisque calor pedetentim, & non probe redibat: ipsique iterum ad mentem redibant, & loquebantur.* 38

Varietatem symptomatum, quæ illis ægrotis accidebant, quæque praua erant omnia, cõmemorat.

*De tinebantur aut perpetuo sopore, non somnolento: aut cum laboribus uigilabant.* 39

Id quoque clarum est ijs, qui in memoria habent, quæ in libro de comate dicta sunt, & quæ superioribus cõmentarijs continentur: cum.n. ægri apertis oculis uigilare non possint, sed conniuent, spe cõciliandi somni, uigiles tamen manent, illum non somnolentum soporem appellamus. si quis uero dolor adsit, qui ita affecti erunt, aperte magis uigilabunt, ut ne in tenuis quidem somni cogitationẽ deueniant: ijs enim, qui eo sopore tenentur, tale quidpiam contingit, ut medij inter plane uigilantes & dormientes intercedant. F

*Aluus plerisque turbata erat, ac deiectiones crudas, multas, tenuesque excernebant.* 40
Vel ex hoc patet, Hippocratem in morbis ardentibus dignoscendis formam deiectionum non attẽdere. itaque dicit, qui febre ardẽti tenebantur, cruda & tenuia deiecisse: neque de meris biliosis, uel colliquationibus, quæ quidam esse inditia maxima febrium ardentium existimant, uerbum ullum fecit.

*Vrinæ multæ, tenues, nihil critici, aut boni.* 41
Cum de urinis narrat, solet euenta conscribere, non autem addere, utrum quid boni, aut mali significent: existimans nos in memoria habere, quæ de bonitate, malitiaque urinarum in præsagijs generatim didicimus. hic uero mihi uidetur addidisse, quia licet dixisset eas tenues esse, eis tamen multas adiunxisset: quippe qui memor se docuisse, urinarũ multitudine quandoque fieri iudicationem, indicauit hoc loco, quamuis multæ urinæ essent, nihil tamen criticis, aut boni in eis extitisse: neq; enim naturam nunc uidetur copiam urinæ moliram esse, ut corpus expurgaret, & noxia amoueret: sed ut nosti, sudores, & deiectiones interdum, ut symptomata redundantiæ prauorum humorũ, qui in corpore sint, excerni: interdum uero expurgante natura: ita hoc loco urina symptoma est serosi humoris in corpore exuberantis. quæ res fecit, ut ei addiderit, nihil critici, aut boni: siquidem excernebatur, quia ob nimiam copiam uasa eam continere non poterant: uel quod mordacitate uehementi offenderentur, atque ita ad excretionem impellerentur. huiusmodi autem in hac tempestate erant etiam, quæ per aluum excernebantur, ut supra dictum est: & uero etiam sudores eis proportione respondebant. G

*Nec uero ijs, qui ita affecti erant, aliud quicquam critici apparebat: neque sanguis rite profluebat, neque alius consuetus abscessus criticus fiebat, moriebatur quisque incerto ordine: plerique tamen circa iudicationes: quidam, qui largius sudassent, longius producebantur.* 42

Qui perniciosa affectione tenebantur, eis hæc acciderunt, quæ hic collegit, symptomata inquam eorum, qui perniciose affecti ardentem febrem habebant. cur autem hæc singula perniciosa sint, sæpe iam audiuisti.

*Similia quoque phreniticis eueniebant.* 43
Cum orationem de febribus ardentibus ad finem perduxisset, transit ad ea, quæ phreniticis accidunt. eius igitur uerba hic quoque attendamus.

*Sane hi nihil sitiebant.* H 44
Agit de phreniticis, quos ait non fuisse sitibundos, non tam quod illis multa humiditas in ore uentriculi abundaret, quàm quod non sentirent, quæ paterentur: & quod appetens stomachi functio extingueretur.

*Nec quisquam phreniticorum insaniuit, ut in alijs usu uenit: sed alia quadam cataphora segni grauiter peribant.* 45
Nisi dixisset, nec quisquam phreniticorum insaniuit, sed absolute pronunciasset, hos phreniticos segni cataphora perijsse, non erat absurdum intelligere, eos facta in lethargũ conuersione. ita esse mortuos. nunc cum prædixerit, nec quisquam insaniuit, probabilius est eos cum cataphora permanentes phreniticos, hoc est dementes perijsse. hoc enim solo febris discrimine phrenitim ab insania dignoscimus, quod phrenitidi semper adiuncta febris est, utraque autem mentis noxa est: sed sine febre esse, proprium est insanientium, sicut febrem habere coniunctam, phreniticorum. non est igitur mirabile, crudis humoribus in corpore collectis, ut quæ excreta sunt, indicarunt, eos soporosos, simulq; dementes euasisse: ac sopore quidem grauatos ex multitudine, frigoreque crudorum humorum: dementes uero: quod illi putrescentes acrimoniam, calorem que gignebant.

*Erant præterea aliæ febres, de quibus dicturus sum.* 46
Habeamus in memoria, postquam supra dixit, febrium ardentium, quæ uigebant, hæc erat natura: ubi

A ubi eam exposuit, & quæ eis acciderunt omnia ordine percurrit: ac postea rursus ait, similia quoque phreniticis: tum iam de illis peracto sermone, subiecit, erant præterea aliæ febres, de quibus dicturus sum; his uerbis eum ostendisse, febrem ardentem, & phrenitim esse febrium species: atque ardentem quidem, quod perpetuam sitim cum perpetuo, multoque ardore coniunctam habeat: phrenitida uero, ut quæ sit continua, & una perpetuam habeat dementiam.

47 *Os multis aphthtis uitiatum, ulceribusque: fluxiones ad pudenda multa, exulcerationes, tubercula foris & intus in inguinibus.*

De his quoque ante dixit: sed quia de unoquoque agit separatim, cum dixerit sacri ignis generationem ad autumnum usque productam, plane patet, eum de omnibus illis, quæ post sacros ignes desscripta sunt, idem indicare. quod in causa fuit, ut eorundem mentionem iterum fecerit.

48 *Lippitudines humidæ, longæ, diuturnæ, laboriosæ, palpebrarum intus & foris germina, quæ multorum aciem perderent, quæ sicos uocant.*

Humoris abundantis redundantia in crassitudinis, tenuitatisque differentia duplicem habere uidetur speciem: ut fere semper in humidis, tranquillisque fieri constitutionibus solet: nam si usu accom-B modatarum exercitationum corpus uentiles, totumque lustres: ac concites, copia crassorum, tenuiumque humorum coaceruabis: crassorum, propter socordiam: tenuium & aquosorum, quod non fiat euacuatio. eorum porrò tenuitatis inditia sunt ea, quæ per aluum tenuia excernuntur, & eiusdem generis urinæ: crassitudinis uero, quod omnia producuntur, & sopor plerisque adiunctus est. is igitur merito, quibus ad oculos copia uergebat, humidas lippitudines, ob tenuitatem: & palpebrarum germina, ob crassitiem excitauit: quod enim ex humore in oculos manante humidi exibat, lippitudines, cum fluxione nimirum humida & aquosa: faciebat quod crassius, id partibus affectis adherescens eruptiones exuberantes excitauit: quod uero crassi humoris in profundis oculorum partibus insidebat, dolores procreauit.

49 *Expullulabant cum alijs in ulceribus multa, tum in pudendis.*

Quæ ob materiæ crassitudinem in palpebris exerescebant, non eo in loco solum, sed in pudendis quoque fuisse ait, & si qua alia pars fortasse esset exulcerata: cum, ut dictum est, humorum crassitudo huiusmodi germina, quæ fungi nomine uulgo uocantur, procrearet.

50 *Carbunculi, æstate multi & alia, quæ putredinis uocabulo gaudent.*

Putredo quoque augebatur, quod prauus humor in corpore commoraretur. æstate uero eum excipiente. cum ipsa quoque Etesias non haberet, multo magis inualuit: quam ob rem calidi morbi & plu-C res, & maligniores prioribus extiterunt. ostendimus enim carbunculum ex calido quidem feruore, sed crassa tamen materia concitari.

51 *Papulæ item magnæ.*

Perspicuum est, ex uerbo, ἐκθύειν, quod est erumpere, ἐκθύματα. i. papulas nominari, quod nomẽ in ijs, quæ sua sponte in cute erumpunt, dicitur. oriuntur autem ex humoribus superuacaneis: & qualitatẽ quoque non iniuria subsequuntur, cum tenues humores exulceratione potius, quàm tumores creẽt: crassi uero cutim in tumorem attollant. est autẽ perspicuum, que nunc in cute genita sponte sunt, eiusdem esse generis cum illis, quæ in palpebris, ulceribusque adnasci dixit.

52 *Serpentia ulcera, multis magna.*

Magna uocat, aut quod multum loci occuparent, aut quod malignam ulcerationem adiunctam haberent. utrunque autem prædictæ humorum affectioni succedit.

53 *Quæ ad uentrem attinebant, multis multa incommoda euenerunt: primum tenesmi multis cum dolore: plurimis uero pueris, omnibusque impuberibus: quorum plurimi peribant: multi Lienterici erant.*

D Et ætatis humiditate, & quod plus cibi ingerentes pueri, alimenta sæpe corrumpunt, merito tenesmis corripiebantur: qui affectus cum alioqui dolorem, molestiamque affert, ac dolorem propter tensionem: molestiã, quod crebro desidendum sit: tum in hac constitutione, quàm plethoricam & prauis refertam humoribus esse diximus, multi potius leuitate intestinorum tenebantur: quàm ex debilitata retentrice facultate excitari didicisti: est autem consentaneum, ut facultas uentris altrix fere extincta erat, unde cibos prorsus eos fastidiuisse, paulo post ait: sic retentricem quoque læsam fuisse.

54 *Dysenterici, neque hi cum magno admodum dolore.*

Erat consentaneum hoc nonnullis prædictorũ subiungi, qui non cum dolore ægrotauissent: sed nullus huiusmodi prædictus est: immo uero potius contra, & superiores omnes, & qui ante lientericos tenesmo laborasse dicti sunt, cum dolore ægrotauerunt. an fortasse mendum in scriptura est: quod a primo librario admissum sic permansit, ut in alijs plerisque libris usu uenit? rectius enim scriptum esset, Atque hi magno cum dolore, quidam aiunt, dictum esse, neque hi admodum magno cum dolore, pro eo, quod est, multi dysenterici non fuerunt: cum uellet hic uir his uerbis, magno cum dolore, morbi generationem, non modum indicare. quidam uero, quod dysentericis nullo dolore affectis hoc sit subiectum, ideo aiunt dictum esse, neque hi magno cum dolore, ut lientericos necessario uacare dolore intelligamus.

Aluus

*Aluus biliosa, pinguis, tenuis, aquosa: multis autem ipse morbus citra febrem, & in febre eo prorupit: tormina cum doloribus, maligna quoque reuolutiones: multorum, quæ in corpore inerant, suppressaque erant, exitus: quæ autem exibant, dolores non sedabant: multaque erant corporis partes affecta.* E 55

Hac oratione morborum omne genus continetur, quatenus homines inter se natura, ætatibus, uictusque ratione differunt. itaque cum in alio alius succus abundaret, ab aeris constitutione, ut docuimus, auctus est: tum putredine excipiente, putrefactio pro humorum collectorum differentia uariabat: quia uero hæc in locũ qui in quocũq; ægroto natura imbecillus esset, cõportabatur, ideo cum multi essent homines, contigit, ut multæ quoque partes læderentur. proinde probabile erat, hominibus natura biliosis, & qui ætatis florem agerent, quiq; soliciti essent, ac laboribus se rerumque administrationibus conficerent, hæc abundasse. pinguia autem esse colliquationis signa, ipse docuit: aquea uero tenuis, serosęque humiditatis. ait autem, multos hoc morbo laborasse, hoc est, talia deieciss e: idque nonnullis etiam citra febrem ait accidisse. addit autem exitus, hoc est euacuationes multorũ eis contigisse, quæ in corpore inerant, ac suppressa erant: quod fortasse significat, cum multa adhuc in corpore retinerentur, nihilo tamen minus multa exijsse: & tamen ob eam causam dolores non esse sublatos. nam quomodo discutere illa dolorem poterant, cum etiam multa essent, quæ supprimebantur?

*Aegre etiam admittebant: etenim purgationes multos offendebant: quorum qui sic habebant, multi cito peribant: multis autem malum producebatur.* F 56

Quod ait oblata, intelligi possunt generatim omnia remedia; & proprie, cibi ac potiones. purgationes, quas memorat, accõmodari utrisque possunt. remedia autem nihil profuisse ita affectis, licet ipse non dixisset, apertum est: cum enim multi morerentur, auxilia nullum usum cunctis præstabant.

*Vnoque uerbo, & qui longis, & qui acutis morbis tenebantur, uitio uentris omnes præcipue mortui sunt: siquidem omnes uenter sustulit.* 57

Ea quoque longissima pestilentia, quæ nostra ætate uulgata est, ex ijs, quæ per aluum excernebantur, omnes fere peremit. quæ autem euacuabantur, erat colliquatio: quod quidem uidetur esse perpetuum symptoma eius febris, quam pestilentem proprie nominant: quæ mortales quoque citra pestem corripit. A. l.4.f.1.c.4. c.3.p.306. F.

*Atque omnes, in quos quidem ego incidi, quocunque prædictorum morborum detinerentur, cibum fastidiebant. multi autem, præsertim ij, & qui ex ijs erant, & qui ex alijs perniciose affecti erant.* 58

G

Hoc etiam symptoma omnes corripuit, qui in longa pestilentia, quæ hoc tempore uiguit, laborabant. quare factum est, ut multi de uita decederent. itaque fortiores, qui se ipsos cogebant, ad cibos oblatos accipiendos, omnes ferme seruati sunt: plurimi uero moti potius, quàm quicquam ingerere sibi proposuerunt. atque hæc quidem illis, qui tum ægrotauerunt, uitio uentris, cuius etiam functio est in ciborum appetitu posita, uidentur accidisse. A. l.4.f.1.c.4. c.4.p.307. B.

*Erant hi sitibundi, illi non.* 59

Hoc loco de ijs agit, qui ob alui turbationem, ut ipse dixit, citra febrem afficiebantur: quod ex ijs uerbis, quæ subiungit, clarum est, ex ijs inquit, quos febres tenebant, aliaque, nemo circa potum erat importunus: nam ex ijs, quæ supra diximus, apertum est, cur non omnes sitibundi essent, nec siti uacarent: etenim & crassitudo, & aquosa humorum tenuitas erat aceruata, quarum utraque suapte natura frigida est, sed a putredine acquisitum calorem nanciscitur. itaque in quibus calor ille a putredine excitatus dominabatur, hi erant sitibundi: in quibus ille nondum præstabat, hi contra merito nulla siti afficiebantur.

*Ex ijs, quos febres tenebant, aliaque, nemo in ijs quæ ad potum attinebant, erat importunus. sed eis ex tua sententia uictum instituisses.* H 60

Cum supra de ijs dixerit, qui ex uentre laborabant, eos partim sitibundos fuisse, partim non fuisse, hic nunc de illis uerba facit, qui cum febre quoque ægrotarent: quorum neminem ait fuisse magnopere sitibundum: nec ita, ut non dicto medicorum audiens esset: id quod inde affectum est, quia his: non tantum putridæ saniei in uentrem, quantum ante dictis confluebat.

*Vrina multa quidem erant: sed non ex potu ingesto, uerum longe illum excedebant. ac magna quoque erat urinæ reddita uitiositas: neque enim inerat crassitudo, neque concoctio, neque proba purgatio: plerisque enim purgationes per uesicam commoda bonum multis portendebant: plurimis uero colliquationem, turbationem, dolores, diuturnitatem, ac nullas indicationes.* 61

Quæ dicuntur, clara sunt omnia, & memoriam, non explicationem postulant: ipse enim superiore oratione, quàm ego exposui, plane docuit, urinam quandoque symptomatis loco euacuari non secus, quam sudores, uomitus, & quæ per aluum excernuntur.

Soporosi

62 A *Soporosi erant in primis phrenitici,& qui febre ardenti tenebantur : tum etiam in alijs morbis omnibus, maximis,propterea quod febrem adiunctam haberent.*

Materiæ craſſitudo ſoporem genuit:præſertim uero in ijs, quorum affectum caput erat. eſt autem phreniticis affectum per ſe: in ardentibus uero febribus, ex accidenti: ſiquidem calor febris prauos humores ad caput euehit: atque eo quidem tempore crudi, frigidique abundabant.

63 *Plerisque uel grauis ſopor perpetuo comitabatur, uel tenues, paruique ſomni.*

Grauis ſopor hoc loco intelligendus eſt, a quo quiſpiam difficulter excitetur: cuius contrarius eſt, qui tenues, paruoſque ſomnos habeat. quorum prior accidit ijs, in quibus craſſitudo, copiaque frigidæ materiæ: alter in ijs, in quibus putrefacta tenuitas exuperat.

64 *Alia præterea multa febrium genera uulgabantur, tertianarum, quartanarum, nocturnarum, continuarum, longarum errantium, faſtidioſarum, atque inconſtantium.*

Ex humorum noxiorum uarietate cum alij morbi, tum plura iam febrium genera extiterunt. meminit autem intermittentium, quæ tres numero ſunt, quotidiana, tertiana, quartana. ac tertianas, & quartanas primum nominatim memorat, quotidianas uero, cum ait, nocturnarum: cum enim duplex ſit earum differentia, quatenus hæ interdiu, illæ nocte inuadunt, inde etiam diuerſa nomina inuenerunt. Hippocrates autem earum, quæ tum uigebant, meminit, quæ nocturnæ erant. quam ob rem ad memoriam reuocemus etiam, cum primo libro, & ſecundo morborum uulgarium multos ſeparatim ægros memorarit, & integras ſit conſtitutiones perſecutus, nuſquam nec quintanam, nec ſeptimanam, nec aliam multorum dierum febrim eſſe deſcriptam: nec uero etiam tertio hoc libro, neque ante hac, neque poſtea ad finem uſque. quæ res ſcrupulum mihi iniecit, ut ſuſpicer, quæ in primo uulgarium morborum libro traduntur, interiecta ab alio eſſe: quo loco eſſe alias plurium dierum, quàm quartana ſit, ſtatuit. in hac uero oratione intermittentium genus propria appellatione non nominauit, quemadmodum de continuis fecit: ſed eſt ſolum omnes eius ſpecies perſecutus: deinde communi nomine continuas indicauit: ex quibus ardentes febres, phrenitidaſque prædixit. addidit poſtea longarum, erraticarumque nomen. ubi meminiſſe debes eius, quod initio propoſitæ orationis dictum eſt; omnia, quæ collegit, ab ipſo febrium ſpecies appellati.

65 C *Omnes autem hæ erant multa cum turbatione coniunctæ, uentres enim plerisque erant turbati, horrores, ſudores non critici: urinæ uero: quas ſupra deſcripſimus. hæ erant plerisque eorum longæ: nam abſceſſus, qui eis fiebant, non indicabant, ut in alijs. omnia autem omnibus difficulter indicabantur: uel omnino non indicabantur, uel producebātur, atque his longe maxime. tamen horum pauci ad diem octogeſimum indicabantur: maximam uero partem, ut fors tulit, reliquerunt. horum pauci ex aqua inter cutem moriebantur, qui non decumbebant. multos etiam alijs in morbis tumores: præ cæteris uero tabidos exercebant.*

Ait omnes febres antedictas multam turbationem habuiſſe coniunctam: ipſeque mox quænam ea eſſet turbatio, declarat: atque earum ſymptomata deſcribit. cetera uero, ſi ſuperiorum memor ſis, clara ſunt.

66 *Maxima autem, grauiſsimaque tabes erat, eaque plurimos interemit: cum enim multi hieme cœpiſſent, magna ex parte decubuerunt: partim uero recti eſſe ſuſtinuerūt. uerum ante uer qui decubuerant, fere perierunt: reliquorum tuſſes neminem reliquerunt: remiſsiores tantum æſtate fuerunt, ſub autumnum uero omnes decubuerunt: ac multi deceſſerunt: quorum plurimi diu ægrotabant. horum igitur plurimis cœperunt ſubito ex his eſſe deteriores, tum horrores crebri, ſæpe febres continuæ, acutæque: ſudores item intempeſtiui, frigidi, multi perpetuo. multum uero frigus erat, uixque eis reuocari calor poterat. uentres uarijs modis ſubſtiterunt: rurſuſque ſtatim lubrici fiebant. quæ pulmonem conſtrictabant, omnia per aluum reddebantur. aderat copia urinarum non bonarum, malaque colliquationes. multæ tuſſes perpetuo tenuerunt. mul-* D *taque concocta & liquida, minus tamen cum labore excreabant, quæ etiam ſi quando eſſent difficiliores, rurſus lenius omnes purgabantur, nec pulmoni incommodabant, fauces non admodum mordaces, nec ſalſugines quicquam moleſtiæ afferebant. lenta uero, & alba, & liquida, & ſpumoſa, eaque multa caput demittebat. at hos atque alios multo maximum malum comitabatur, faſtidium ciborum, ut ſupra diximus: nam ne potum quidem libenter cum cibo ſumebant: ſed mirum etiam in modum citra ſitim degebant.*

Supra quoque dictum eſt, cum caput in calida, humidaque conſtitutione, & uentis uacante repletū eſſet, ex deſtillatione in pulmonem deſcendente, tabidam affectionem conſtitiſſe: cuius etiam pars per ſtomachum in uentrem comportata, eum perturbauit. ceterū quæ tabidis dixit, quamuis clara ſint ijs, qui prædictorum meminerunt: tamen quæ indicanda eſſe uidebuntur, ea memorabo, inter quæ hoc eſt primum, ineunte uere pleroſque tabidos eſſe mortuos ex aeris immutatione: ſiquidem dixit, extremam hiemem aſperam fuiſſe, & circa æquinoctium Aquilone iam ſpirante minxiſſe: quæ conuerſiones ſunt tabidis infeſtiſſimæ: atque ob eam cauſam autumnus quoq; pernicioſus eſt: quocirca in aphoriſmis eum eſſe tabidis aduerſarium pronunciauit. Aquilo autem alioqui omnibus thoracis partibus nocet. quare in aphoriſmis ait, tuſſes, fauces, laterum dolores & pectoris flante Aquilone exiſtere: ac multo magis, quibus hæc uitiata ſunt, & caput repletum deſtillationem demittit. proinde ait, tuſſes æſtate fuiſſe remiſſiores, hoc eſt imminutas, ac moderatiores. fuit enim, ut ipſe ſcripſit, ſerena, cali-

daque

A citra controuersiam. mihi igitur consentaneum uisum est, ut de cæsio oculorum colore quæstio haberetur. Huius autem libri interpretes empirici quidem, & cum eis Lycus, ut alia multa, sic hoc omissa causæ peruestigatione prætereunt: Hippocratici uero quidam esse calidi temperamenti signum colorem cæsium, quidam sicci dicunt. sunt qui neutrum addant. Sabinus uero existimauit se satis dixisse, cum scripsit, cæsium uero, quia ualde siccum est, tabi est opportunum; neque causam cur id scripserit, affert: neque alia, quibus hoc adiunctum est, omnia esse frigidioris, sicciorisque temperamenti signa docet. an Hippocrates pro glauco cæsium scripsit uocabulo deceptus? nam quid aliud dixeris? sed hoc in commune ut consideretur, propositum sit: nos uero ad reliquam orationis partē modo accedamus. in morbis igitur tabificis unà cum prædictis eos etiam memorauit, quibus scapulæ in modum alarum prominent: qui non propter temperamentum, sed ob uitiosam thoracis figuram, tabi sunt obnoxij. probabile tamen est, eius figuram narium colorem sequi. ceterum in fine, ubi agit de tabidis, cum addidit, ac mulieres, considerandum est, utrum hoc modo dixerit, quasi intelligas, mulieres perinde ac uiros tabe correptas esse, quæ eiusdem erant generis: an licet his notis carerent, dicat tamen, mulieres in hunc affectum frequentes incidisse: cum humidiores, frigidioresque sint: ut qui affectus quosdam uiros pro suo cuiusque temperamento tentauit, ille idem multas
B mulieres ex communi earum temperatura obsederit. ego uero utrunque consentaneum esse censeo: nam uerisimile est, frequentiores uiris mulieres propter commune suum temperamentum tabe correptas esse, & illas præ ceteris, quæ eius erant generis, cuius uiros fuisse recensuit. quia uero genus melancholicum, sanguineumque febribus ardentibus, ac phrenitidibus præcipue affectum fuisse subiunxit, ideo ad memoriam reuocanda sunt, quæ didicimus; eos, in quibus multus calidusque sanguis gignitur, prompte in uitium melancolichorum humorum deuenire. quocirca intellige, nō eos qui multum iam atræ bilis aceruarunt, sed qui ad eam generandam iam essent idonei. qui sane, cum natura calidiore essent, ut calidis morbis arriperentur, merito factum uidetur. cum uero supra dixerit, pituitosos tabificis morbis captos esse, nunc addita eis ætate, subdit, tinesmi iuuenes pituitosos exercebant: quippe cum non modo natiuum eorum temperamentum proclíue esset, ad tenesmum excitandum, sed ætas quoque calida accederet: ut ex acri & putri pituita tenesmum ortum intelligamus: siquidem ea pituita meatum ad ieiunum intestinum exulcerans, ad assiduam excretionem ægros irritauit. tensiones uero, & crebram desidendi cupiditatem qui tenesmo laborant, uehementiorem habent, quàm dysenterici, quod pituita ægre possit excerni. illa enim præ crassitie, ac tenacitate corporibus inhærescit, nec, ut flaua bilis, statim permeat. de naturis autem biliosis antea dixi, merito illis acres deiectiones fuisse
C propter pallidam, flauā, & amaram, quam uocant, bilē: pingues uero propter colliquationē: hisq; deiectionibus ob copiā humorū uitiosorū, qui iam erāt coaceruati, longa uentris profluuia superuenisse.

71 *Omnibus, quos iam descripsimus, ver infestissimum fuit, plurimosque sustulit: æstas commodissima; paucissimique periere: autumno rursus, & sub Vergilias multi decesserunt τεταρταῖοι.*

Cum uitiosus humor, qui collectus erat, in imas corporis partes a frigore aeris retrusus esset, quod hieme extrema, & ineunte uere infestum erat, non iniuria maxime quidem tabidis, ut ante dixi, & uere etiam alijs contigit, ut uere morerentur: æstate uero, quæ serena, siccaque erat, omnes releuarentur: iterumque aere sub Arcturum in humidum se uertente, merito multi toto autumno usque ad Vergiliarum occasum in fine huius constitutionis τεταρταῖοι. i. quartani perirent. in quibusdam exemplaribus scriptum est τετάρτῃ. i. quarto, in alijs τεταρταῖοι. i. quartani. quæ uero his sunt antiquiora, habent literam Δ, ceteris literis maiorem. sunt quibus nihil est adscriptum omnino. qui autem cum ι, scribunt hoc modo, τετάρτῃ, in datiuo casu id dictum uolunt, & ita exponunt, multi quarto die perierunt. qui sine ι, scribunt, uolunt hoc simile esse ijs, quæ in primo uulgarium morborum ante sunt exposita, & quartā constitutionem esse interpretantur, commemoratis nimirum cum hac tribus illius libri constitutioni
D bus. quibus uero in libris Δ, scriptum est, idem significat, quod quarto: quod sane non aliter, quàm notæ a Mnemone Pamphilio scriptæ, uidetur symbolice esse adiunctum: hancq; unam lectionem ueteres agnoscunt. quidam qui declinare hæc uolebant, mutata scriptura, fecerunt τεταρταῖοι, hoc est quartani: hancq; esse totam orationem uoluerunt, autumno rursus & sub Vergilias multi quartani perierūt. atq; ita solum legit suis in libris Capito: cui tamen subesse mendacium uidetur, siue de ægrotantibus, siue de febribus intelligas: nam de ægrotantibus prorsus absurdum est: cum probabile non sit, ut ex proposita humorum condictione morbi tam acuti sint consecuti, ut homines quarto die interimerent: de febribus uero probabile erat, tum quod uerisimile erat deustam diuturnitate crassam materiam in melan
A.l.4. f.1. t.2. cholicum excrementum transiuisse: tum quod anni tempus erat autumnus: & tamen febribus quarta
c.61. p.797. A nis uigentibus non iam multi perijssent: scimus enim hanc febrem per se tutam esse, ut de ea quoque dixit Hippocrates.

*De iis, quæ sub finem libri adscripta sunt.*

Post pestilentem statum sexdecim ægros ad finem usq; libri narrat: inde quædā adscripta sunt, de quibus Dioscorides recte statuere uidetur, qui uult ea statim post statum collocari: huncque illis locum in sua libri editione attribuit. itaq; nos hic ea exponemus, si prius hoc dixerimus, hæc non ab ipso Hippo. scripta, sed ab alio adscripta uideri: Verum inquit, illa mihi æstas uidetur merito profuisse; nam æstiuos

morbos hiems succedens soluit: hibernos æstas insequens transmutat: quanquam hæc æstas per se E
stabilis non fuit: sed subito calida austrina, & uentis uacans euasit: profuit tamen in aliam commutata
constitutionem. reuocemus autem ad memoriam, quæ de æstate in constitutionis narratione scripsit,
his uerbis: æstas serena erat, & calida, magni erant æstus: Etesiæ parui dispersim spirarũt. quocirca par
erat, æstate morbos moderatiores esse, qui ex humorum exuperantia, ut dictum est, exorti erant: qui-
que ineunte uere potissimum prodierant: propterea quod cum frigus illud humores in altas corporis
partes compulisset, iam æstas, quæ squalida & calida illud excepit, simul malum humorem ad cutim
traxit, & eius quoque non exiguam partem discussit. quo quidem tempore si Etesiæ spirassent, omnem
corporis humani statum morbosum abstersissent. nunc uero cum eius pars superesset, moxque sub
Arcturum flante Borea multum plueret, humores, qui per cutim nimis manabant, rursus impedi-
ti sunt, & in imum corpus compulsi. quam ob rem ægrotare multi deintegro, morique cœperunt.
hac ergo de causa ægrotantibus hoc tempore, nihil æstas profuit: non quia probabile sit morbos,
qui hieme inceperant, æstate cessare. quanquam ita se res habet, ut qui hieme emerserunt, æstate
profligentur: & quos æstas produxit, hieme discutiantur: æstiui tamen & hiberni morbi intelligen-
di sunt, qui æstate, atque hieme naturam suam seruantibus præ ceteris existant: ita enim ipse in a-
phorismis scriptum reliquit, Morbi omnes omnibus anni temporibus existunt, & exacerbantur. ad F
hæc uero, quæ uere, quæ æstate, quæ autumno, quæque hieme uigeant ægritudines, recitauit, nimi-
rum ubi nihil sit in aeris temperamento nouatum: nam si uere eodem die modo calor, modo fri-
gus intenditur, morbos autumnales impendere ait: siquidem non anni temporum nomina, sed tempe-
ramenta certas morborum formas creent: quæ ubi uarient, non possunt non una secum morbos com
mutare. at proposita oratio uult, morbos, qui hieme extiterunt, æstate discuti, etiam si æstas uitioso
temperamento sit: cuiusmodi aliquando in Cranone cum fuisset, carbunculos statim excitauit: qualis
in præsenti constitutione si fuisset, quamplurimos aucta prauorum succorũ abundantia, & iam putre-
facta peremisset. quã ob rẽ hoc falsum esse apparet, & Hippocratis repugnare sẽtẽtiæ, hibernos mor
bos æstate prorsus discuti: cum is, qui hoc statuit, nesciat, quos Hippocrates morbos uelit esse singulo-
rum anni temporum proprios. non est autem necesse, quæ post hæc deinceps ab ipso scripta sunt, hoc
loco memorare: cum ab ipso alibi sint in uniuerso pronunciata, quam ob rem ea omnino præteribo;
siquidem aperta sunt omnia, & in libris, quos prius exposui, de eis abunde disserui.

*De iis qui post constitutionem ægrotarunt.*

Post constitutionem sexdecim ægrotos Hippocrates descripsit, qui, ut quibusdam placet, in ea labo G
rauerunt: quando ipse ubi finem dicendi de ijs facit, quæ tum acciderant, sic dixit, Omnibus ὑπογεγραμ-
μένοις uer erat infestissimũ. quod sane potest de ijs, qui supra descripti sunt intelligi, qui usus apud mul-
tos reperitur: nam sexdecim hos ægrotos aliud morborum genus, quàm quod ab eo in constitutione
pestilenti memoratum est, tenebat. uerum quæ de ijs ægrotis scripsit, non prolixam ac fusam iam in-
terpretationem requirunt, si memoria teneantur, quæ ante exposuimus: nam omniũ prope sympto-
matum ac signorum, quorum Hippocrates in ægris meminit ijs, de quibus uerba fient, nullum est re-
liquum, quod ante non sit expositum. itaque breuiter percurremus ea, quæ in his dicũtur, sicubi quid
se offerat, quod antea non exposuerimus, illud solum tractaturi.

AEGROTVS. I.

*In Thaso Parium, qui supra Dianæ templum decumbebat, acuta febris, primo continua, ardensque corripuit: in principio* 72
*sitibundus erat, & soporosus, ac rursus insomnis. inter initia uenter turbatus, urina alba. die sexto urina oleosa erat, deie-*
*ctiones biliosæ, pinguesque: delirauit. septimo omnia exacerbata sunt. nihil dormiuit: urinæ uero similes. & mens perturba-*
*ta: aluusque biliosa, & pinguis. inde octauo die parum de naribus stillauit, uomuit uirulenta, & pauca, parum dormi-*
*uit. nono eadem fuerunt. decimo cuncta remissa sunt. undecimo sudauit, at nõ toto corpore: extremitates refrigeratæ sunt*
*statimque ipse recaluit. duodecimo febris acuta, deiectiones biliosæ, tenues, multæ: urina suspensiones habebat, delirauit.* H
*decimo septimo grauiter laborauit: neque enim uel somni, uel febris producebatur. uigesimo ex toto sudauit: insomnis, de-*
*iectiones biliosæ, cibum refugiebat, soporosus erat. quarto & uigesimo recidiua. trigesimo quarto febre liber fuit, aluus*
*non substitit, ac calor rediit. quadragesimo febre liber, aluus exiguo spatio non substitit: a cibo abhorrebat, rursusq; ali-*
*quantulum febricitauit: idque semper inconstanter, modo a febre liber, modo non. nam si quando intermitteret, essetque le-*
*uior, repetiit. ferculis item multis, ac uitiosis vtebatur. in recidiuis somni mali: delirauit: urinamq; tum crassam quidem red*
*didit, ceterum turbatam, ac malam: aluus adstricta, rursusque laxata. febriculæ continuæ: deiectiones multæ, tenues. cente-*
*simo uigesimo die obiit. erat huic aluus ab initio ad finem usq; lubrica, excreuitq; biliosa, humida, multa: cum subsisteret, fer*
*uida, crudaque: urinæ perpetuo malæ, soporosus plurimum erat: cum doloribus insomnis erat: a cibo abhorrebat: ardente*
*febre continenter laborabat.*

Hoc quoque loco interpretes quidam argute nimium uolunt patriam non frustra esse adiectam: esse
enim Asclepiadæ sententiam, Parios maximum fructum a sanguinis missione ferre. sed absurdum est,
cum nihil de sanguinis missione Hippocrates dixerit, ideo patriæ ægroti nomen esse adscriptum exi-
stimare. ac multo etiam faciunt absurdius hi interpretes, qui nunquam inuestigarunt, cur in
tanto ægrorum numero Hippocrates de sanguinis missione semel mentionem fecerit, quod nos sumus
executi. quare istis omissis, quæ auditorum utilitatem attingunt, ea memorabimus: quale illud
est,

A est,quod de urina oleosa in hoc ægroto,sexto die scripsit : quidam enim pinguem urinam ab eo ita ap-
pellatam existimauit, quæ liquescente per feruidum , adurentemque morbum pinguedine reddatur:
nonnulli colore & consistẽtia oleo similem.equidem talem sæpe urinam sine ullo ægri detrimento ex
cretam uidi : quinetiam interim contra plane , in morbi concoctione : non tamen uisa omnino urina
est pinguis,quale est oleum.nam,quam modo narraui, urina oleum colore , consistentiaque referens ,
minime pinguis uidetur . atque ipse Hippocrates in præsagijs monet, pinguedines telis aranearum si-
miles innatantes esse considerandas,cũ colliquationis signa sint.ac nos quidem pinguedines fluitãtes
sæpe uidimus,uerum nunquam talem urinam prorsus excretam,neque in medio urinam pendere, tan-
tum abest , ut subsideret . est enim omni pingui sic natura comparatum,ut reliquis humoribus inueha-
tur.sed nec Hippocrates in præsagijs uerbum de his urinis fecit , quamuis omnia sit , quæ in acutos
morbos cadunt , accurate & aperte persecutus . ait quoque eodem sexto die ægrum , quo de agimus,
biliosa , ac pinguia deiecisse : quæ plane uidentur a febri pinguedinem fundente profecta esse:id quod
uidebitur ijs,qui pinguem esse oleosam urinam putant,suffragari.sed potest etiam ad contrarium refer
ri : Hippocrates enim omnino pingues urinas diceret , siquidem hæ quoque oleo similes sunt ; uerum
cum diuersa nomina in urinis & excrementis usurparit , indicari nobis uidetur , suam utrisque signifi-
B cationem ab eo esse attributam , quam ob rem mihi uidetur probabilius, urinam , quæ olei colorem,
crassitiemque referat,hic oleosam appellari . explanationem autem utroque modo subiũgam : etenim
si urinæ pinguitudinem quandam habuissent , ut etiam deiectiones , censendæ illæ quidem prauæ,non
tamen omnino exitiales fuissent ; quod non idem sit carnem,& adipem colliquescere : calor enim,qui
carnem fundit , feruentissimus est : qui pinguedinem , moderatior : nempe colliquationes, quæ per
uentrem excernuntur, putant medici omnes a pinguibus deiectionibus differre . in pestilentia qui-
dem longissima,quæ nostra ætate fuit , cuncti prope colliquationes excreuerunt: quidam mere fuluas,
quidam moderatius , omnes certe fœtidas. sed huiusmodi excretiones letales sunt , nec ferri diutius
possunt : Parius autem hic uiginti dies supra centum ægrotauit , idque cum mala uictus ratione usus
esset:sic enim ipse de eo scripsit , Ac ferculis etiam multis , uitiatisque utebatur : ex quo factum est , ut
urinam pinguem sexto die,& insequentibus redderet. non erat ergo necesse , eum cito mori . quod si
non pinguis,sed olei colore & crassitie similis erat urina , certe quantũ ex urina conijciebatur, erat om
nino probabilius,hominem non esse moriturum . nunc uero quod in eiusmodi urinis multo omnium
utilissimum obseruaui , depromam : ut oleum non est unius eiusdemque accurate , neque coloris, ne-
que crassitudinis,sic nec oleosa urina : quæ pallida omnino est illa quidem , sed tamen aut plus, aut mi
C nus.quicquid igitur ex ipsa ad candidiorem colorem uergit,exoluto colore pallido , id humorum cru-
ditatem indicat.pallidum uero quod ita intentum est, ut ad flauum accedat , biliosum calorem notat
itaque his urinis non ob malignitatem,sed ob febris uehementiam subest : quorum nonnulli, si cetera
omnia salubria adsint,breui iudicantur.nihil igitur mirabile est,si in talibus urinis quispiam longo tem
pore morbum traxerit,utro modo oleosas urinas accipias,quæ quamuis salubres non sint, non sunt ta
men magnopere perniciosæ. ceterum ex ijs, quæ in fine narrationis scripta sunt , apparet quandam
humorum .Prauitatem biliosam Parium tenuisse , ac uentris , iecorisque facultatem extingui . nam
ubi narrandis ijs, quæ acciderunt , finem imposuit , addidit , ab initio perpetuo turbatam illi aluum
fuisse deiectionibus biliosis , atque humidis : interim uero suppressam esse , feruentibus , crudisque
deiectis : ex quo apparet uitium humorum , qui morbum excitarunt : quod inde quoque cognosci-
tur , quod toto fere morbi tempore soporosus , insomnisque fuit . extingui uero naturalem faculta-
tem , proprium signum erat ea , quæ in morbo contigit , nulla cibi cupiditas : neque enim nos præte
rit,Hippocratem more ueterum Græcorum ἀποσίτους nominare eos , quos cibi cupiditas deficit. Vi-
detur autem is fuisse natura imbecilla , cum ea iudicium sæpe moliretur , nihil tamen proficeret , sed
morbo inferior esset. huc etiam accessit mala uiuendi ratio, quæ non leue momentum ad perniciem
D affert . dierum autem criticorum rationem hoc loco diligenter uidetur seruauisse : omnes enim criti
ci motus , & recidiuæ ægri in eos dies inciderunt : nam meminit undecimi , quartidecimi , decimise-
ptimi , uigesimi , uigesimiquarti , trigesimiquarti , quadragesimi ; & postremi omnium , centesimi ui
gesimi , quo mortuum esse hominem scribit , Iam quod ante quoque dixi , hoc loco iterabo ; siquis
errores interpretum huius libri reprehendere sibi proponat , eum in loquacitatis crimen esse casu-
rum : sed ut illic quædam afferre exempli causa compulsus sum , ita hic faciam . quid igitur Sabinus
de patria ægroti dixerit,supra indicaui : quæ uero de oleosa urina , modo commemorabo : non enim
parum huius rei contemplatio refert.scribit autem de ea his pene uerbis:Sunt,qui oleosum esse bilem
dicant:uerum bilis non est:quandoquidẽ non ita esset perniciosum : bilis enim sæpe exit, nec quicquã
lædit.alij neruorum,ossium , & chartilaginum liquationem esse dicunt , quod huius coloris sint hæc
omnia:sed falluntur, qui oleosum colorem esse ossibus , chartilaginibus,neruisq; similem putant:pro-
pterea quod non tam diu uitam produxisset , solidis partibus tabescentibus : uigesimo enim supra
centesimum die decessit , [ neque perijt quisquam ] tali urina reddita . an uero potius hic æger
descriptus est , ut ideo ostendat , oleosa reddita urina nullam esse mortis expectationem , sed
aliquandiu acumen illud sustinere potuisse,ac deinde mortuum esse ; & ita cum morbi acumen esset su

peratum, nullam ſalutis ſpem fuiſſe? his prædictis, mox ſubiungit. quid igitur oleoſum eſt? ut oleum E ignem alit externum, ita naturæ noſtræ, quæ igni ſimilis eſt, alimentum eſt concoctorum ciborum adeps. proinde oleoſa urina eſt naturæ alimentum: declaratque naturam cibum non ſentire, ideoque mori, quod ea non alatur. ac merito hic morbus tam longus fuit, quod pars tantum, non uniuerſum naturæ alimentum adimeretur. hæc Sabini ſunt uerba: qui cenſet, quemadmodum hic ignis externus oleo nutritur, ita innatum nobis calorem. quocirca oleum interdum ex uſu eſt ijs, qui reficere corpus uolunt. præterea, ut calore & craſſitudine oleoſa urina ſit oleo ſimilis; tamen pinguedine uel guſtu uel odoratu non erit. quare mirari licet huiuſmodi homines, qui cum aliena male reprehendant, ſuas ſententias nullo iudicio literarum monimentis conſignent.

### AEGROTVS. II.

*Mulier, quæ apud frigidam aquam in Thaſo ægrotabat, poſtquam filiam peperiſſet, nec purgata eſſet, tertio a partu die febre correpta eſt acuta, horrida: multo tamen ante partum ex febre decubuerat, cibumque faſtidierat. vt riguit, febres fuerunt continuæ, acutæ, horridæ. die octauo, proximiſque diebus multum delirauit, redijtque ſtatim ad mentem: aluus turbata multis tenuibus, & aquoſa bile miſtis: non ſitiebat. vndecimo mentis compos erat, ſed ſoporoſa: vrina multa, tenues, & nigra: inſomnis erat. vigeſimo aliquantulum circumfrixit, ſtatimque recaluit, nonnihil delirabat, inſomnis erat, aluus eadem: vrina aquoſa, multa, malaque. vigeſiſeptimo febre vacabat, aluus ſubſtitit, non multo poſt dextra coxa grauiter diu doluit: febres repetierunt; & vrina aquoſa. quadrageſimo coxa dolor emiſſus eſt: tuſſes vero aſſiduæ, humidæ, multæ, aluus eſt compreſſa: cibum faſtidiebat: vrina eadem: febres vero omnino non intermittebant, nulloq; ordine modo accedebant, modo non. ſexageſimo tuſſes ſine ſignis euanuerunt: neq; enim vlla erat ſputorum concoctio, nec alius abſceſſus conſuetus. dextera maxilla detracta eſt: ſoporoſa, iterum delirauit, ſtatimq; reſipuit: ſed ad cibos auerſo animo ſe habuit. maxilla ad locum ſuum rediɉt aluus biliosa, paucaq;: acutius febricitauit: inhorruit. ſequentibus diebus obmutuit, ad mentem rediit, ac locuta eſt. octogeſimo obiit. vrinæ huius perpetuo nigræ, tenues, & aquoſæ erant: ſopor item conſequebatur: cibum non ſumebat: animo deiecto erat, inſomnis, iracunda, implacida, atque animo melancholico.* 73

Mirabile eſt, ut Sabinus de hoc, apud aquam frigidam, nihil dixerit: præſertim cum affirmare poſſet, ideo refrigeratam mulierculam in aduerſam ualetudinem incidiſſe: nam hoc multo erat probabilius ijs, quæ de Pario dicta ſunt: quæque de eo, qui in horto decumbebat, & item eo, qui prope ædem Dianæ, & eo, qui prope nouum murum habitabat. hæc autem mulier uidetur ſuppreſſa a partu purgatione morbo correpta eſſe: cum enim menſtruorum ſuppreſſio nocet, tum uero non perinde, ut ſi illa a partu ſupprimantur, lædere ſolet: quod non ſolum abundantiam, ſed inſignem quoque humorum malitiam pariat: etenim meliorem ſanguinem fœtus alendi ſui cauſa ad ſe trahit, deterioremque relinquit. inde fit, ut prægnãtes prauis humoribus repleãtur, quos poſtea natura a partu euacuat. quod cum maiores noſtri animaduertiſſent, euacuationem puerperarum a partu, excretionem ſanguinis uocauerunt. ſed menſtrua quoque euacuatio, non modo euacuatio eſt, ſed etiam purgatio: non eſt tamẽ æquabilis uitioſorum humorum multitudo, neque pari ſpatio menſtruis circuitibus colligitur, quãta dum partum mulier utero gerit. prorſus uero melancholicus uidetur ſanguis is, qui poſt partum uacuatur: proinde conſpiciuntur urinæ omnibus puerperis infectæ eſſe, ut ſi fuligo quæpiam in eas incidiſſet: id quod Hippocrates quoque de hac muliere ſcripſit, cum ait, undecimo die urinæ multæ, tenues, nigræ: ego enim quandam noui, quæ magna huiuſmodi urinarum copia emiſſa, utilitatem cœpit: ſed huic mulieri non ſunt tales euacuatæ: ſiquidem in aquoſas cõuerſæ ſunt, quæ multæ, tenues, & nigræ erant: quare in uigeſimi diei narratione ſcriptum eſt, urinæ aquoſæ, multæ, malæ. deinde quadrageſimo die: urinæ eædem. quin nec alia euacuatio conſecuta eſt, nec item abſceſſus. ex quo factum eſt, ut cũ diu laboraſſet, octogeſimo die deceſſerit: ſic enim ipſe ſcripſit, neque.n.ulla erat ſputorum concoctio, nec alius abſceſſus conſuetus: quamuis natura redundantiam ad coxam propellere celeriter ſtuderet, tñ ea retro ceſſiſſe uidetur: addit enim: quadrageſimo coxæ dolor remiſſus eſt: tuſſes uero aſſiduæ, humidæ: audiuimus enim perſæpe thoraci cum genitalibus conſortium intercedere. hæc capita ſunt eorum, quæ huic mulieri acciderunt. quæ uero in propoſita oratione ſeparatim ſcripta ſunt alui excrementa ὑδατόχολα, quidam per χ & λ ſcribunt, quidam per χ, ν. & λ. uoluntque illa eſſe tenuia, ut aqua eſt (nam tenue utrunque nomen ſignificat) ſed colore diuerſo: ut ὑδατόχλοα τῆς χλόης id eſt graminis colorem reddant: ὑδατόχολα uero τῆς χολῆς id eſt bilis. iam tertia quoque eſt ſcriptura per χ. & ρ. ut ſit ὕδατος χροιά id eſt aquæ color: quæ nec in antiquis, nec in fidelibus exemplaribus inuenitur, eſtque plane mendoſa: nam aquoſæ urinæ, ut nomen indicat. & materiam tenuem, & colorem album repræſentant. ceterum in huius ægræ narratione Hippocrates affectata quadam dictione abuſus eſt, cum alioqui in hoc libro recte ſit locutus: ſcripſit ergo ad hunc modum, πρὸς δὲ τὰ γεύματα ἀπονενοημένως εἶχεν id eſt ſed ad cibos auerſo animo ſe habuit: ut ea uoce maximam appetitus defectionem, & ciborum odium indicaret, quod prauum eſſe ſignum, ſæpe oſtendimus. ſubit autem hoc loco admirari: cur Sabinus de notis cuique ægroto adſcriptis nihil ſit locutus: de quibus quia in ſecundo commentario ſatis diſſerui, nihil eſt, cur nunc earum faciam mentionem: ille tamen in ſingulis ægris id facere inſtituit, & interpretum ineptias detegere conatur.

A.l.3.f.10.t.1. c.2.p.706. C.

A

AEGROTVS. III.

74 *In Thaso Pythionem, qui supra Herculis fanũ decumbebat, ex laboribus, lassitudinibus, neglecta uictus ratione magnus cœpit rigor, & febris acuta; lingua maruit: sitibundus erat, biliosus, non dormiuit: urina subnigra, suspensiones sublimes, non subsidebant. secundo die sub meridiem extremæ partes frigebant: præter ceteras, manus, ac caput. obmutuit, uoce defectus est: diu breui spiritu fuit, calor rediit, sitiuit: nocte quieuit, secundum caput modice sudauit: tertio, interdiu quieuit: uesperi sub solis occasum aliquantum refrixit, turbatio: nox laboriosa fuit, nihil dormiuit: ab aluo pauca, compactaque stercora descenderunt. quarto mane quieuit: ad meridiem irritata omnia: frigus, mutus, sine uoce, in deterius lapsus est, calor rediit: paulo post urinam nigram cum suspensionibus reddidit: nocte placide dormiuit: quinto uisus est releuatus esse: uentrem tamen cum dolore grauitas tenuit, sitibundus fuit. noctem laboriosam transegit. sexto mane quidem quieuit,: ad uesperum dolores increuerunt: exacerbatus est: uesperi iniecto clysteri aluus commode deiecit: nocte dormiuit. septimo die fastidiosus, implacidiorque erat, & oleosum minxit: nocte est multum turbatus, delirabat, nihil dormiebat. octauo mane parũper dormiuit: mox frigus eum cœpit: uoxque eum defecit: spiritus exilis, & imminutus: uesperi calor rursus rediit: delirauit, ante lucem uero aliquanto leuius habuit: deiectiones meræ, paucæ, biliosæ. nono soporosus erat, cum excitaretur, non ualde sitibundus: sub Solis occasum grauiter tulit, delirauit, noctem incõmodam traduxit. decimo mane sine uoce, multum frigus, febris acuta, multus sudor: mortuus est. huic autem diebus paribus labores acciderunt.*

B In hoc ægroto comperies omnia ab initio symptomata, & signa letalia, & accessiones diebus paribus fuisse: ut ipse etiam Hippocrates indicauit, cum in decimi diei narratione, quo illum e uita excessisse scripsit, addiderit. huic autem labores diebus paribus acciderunt: nã generalis iudicij significatio mortẽ quoq; cõtinet, ut ostẽsum est. in quo quidẽ ægro illud eriã seruatũ est, ut iudicia his prorsus diebus essent, quibus grauiores labores: cũq; hi in dies pares inciderent, mors quoq; in die pari secuta est. porrò in narrãdis huius ęgroti symptomatis duo sunt, quæ interpretẽ requirunt: quorũ alterũ in respiratione est: dixit.n. breui spiritu eum in secundi diei expositione fuisse: & spiritũ exilem, imminutũq; in narratione octaui. didicisti autem tum in primo commentario de respirationis difficultate, tum uero primo in præsagia, ubi hęc uerba interpretati sumus, Spiritus si frequẽs sit dolorẽ significat, uel inflammationem supra septum transuersum: paruum esse quendam, rarumque spiritum, qui fit, cum refrigeratur, & emoritur iam uitalis facultas; quod symptoma ipse quadam re inseparabili indicauit his uerbis: Si frigidum e naribus & ore expiretur, exitiale iam admodum est. puta eundem ab ipso dictum hic esse secundo die breuem, & octauo exilem, & imminutum: est enim aluus quidam breuis, & frequens spiritus, qui dolorem uti docuimus, aut in partibus respirationis, aut quæ sunt illis uicinæ, significat. sed si utrunque inter se compares, in altero multo pauciorem aerem foris trahi intro inuenies: quem par-

C uum simul, & rarum fieri dixit: si enim ad breuitatem accedat frequentia, cuiusque inspirationis defectionem assiduitate resarciet: ut qui modicum assidue bibunt: siquidem βραχυπίνους.i. modicum bibẽtes appellabis, qui & parum, & magno interiecto spatio bibunt: si uero quis parum, & assidue bibat, eum nõ absolute parum bibentem, sed paulatim bibentem nominabis. non aliter, qui breuem habere spiritum dicitur, quoties spiritum ducit, non paruum modo, uerum etiam longo interuallo interiecto externũ aerem per guttur attrahit. quæres ergo fortasse, quid causa sit, cum Hippocrates dixerit primo die febrem acutam fuisse, secundo die hominem breui fuisse spiritu subiunxerit: præsertim cum nos demonstrauerimus, in uehementibus febribus spiritum magnum esse, & frequentem. respondemus, primo quidem die calorem qui a febri inuectus a putrescentibus humoribus succensus erat, digestum esse, relictum uero solum natiuum iam usque adeo infirmum, ut prius extingueretur, quàm calor febris deintegro accẽderetur, ueluti humoribus, qui computrescerent, feruefactis: alterum uero diem frigoris dominantis signum attulisse: cuius uel maxima demonstratio est, quod tum fuisse breui spiritu hominem, ac refrixisse dixit: de secundo enim die sic scribit: Secundo die sub meridiem extremæ partes frigebant: præter ceteras uero, caput, & manus: obmutuit, uoce defectus est: diu breui spiritu fuit. de octauo uero die hæc subdit, Octauo mane aliquantũ dormiuit: moxq; frigus cœpit, & uox eum defe-

D cit: spiritus exilis & imminutus. quo in loco id etiam animaduerte: cum refrigeratus est, unà cum uitiata respiratione, ait uocem eum defecisse: quod solet etiam interdum naturæ extinctionem comitari. in quarto autem die, cum scribit, mutus sine uoce in deterius lapsus est: adiecto, in deterius, eum quoque breui spiritu fuisse, ostendit. restat nunc, ut declaremus, cur postquam dixit ἄναυδος.i. mutus, addiderit, uoce defectus est. cuius hæc afferri potest ratio. αὐδὴν.i. sermonẽ ueteres Græci non quicquid auditu sentitur uocauere: nec sola eius species est, quod ore animantis de industria mittitur: in quo fletus, sibilus, eiulatus, tussis, & cetera huius generis continentur: sed unam hominis uocem, quæ inter nos colloquimur, αὐδὴν nominant. itaque etiam poeta, ubi facit Achillem suos equos alloquentem, ibi alterum eorum humano sermone respondisse dicit: ait enim,

Fundere cui diuum dederat regina loquelas:

non quod antea uoce careret: nec quod in eo uox equorum communis non esset: sed quod non illa loquela, quæ αὐδὴ dicitur, sic deam dicit loqui, quæ humana lingua uteretur: quod eam quoque humana esse forma ferant, cum dij eius figuræ non sint omnes: Sol enim plane, ac Luna, & reliqua sidera longius ab humana forma recesserunt. quocirca Hippocrates ait eum obmutuisse, quod loqui non posset; uoce uero defectum, quod nec lugere, nec clamare: quod certe constat fuis-

se, deterius, quam obmutuisse: nam quibus sola lingua resoluta est, ij clamare interdū altissime pos- E
sunt: loqui tamen nullo modo possunt, qui si ne uocem quidem mittere queāt, erit extremæ extinctio nis facultatis signum: cum ij, qui hoc in statu sunt, neque lugeant, neque gemant, neque sonum ullum edere omnino queant. Sabinus autem ita, ut alij hunc mutum esse dictum putant, qui nullam omnino uocem habeat: uoce uero defectum ab Hippocrate pro attonito esse positum: quasi uero ita affectum uocare attonitum non potuisset. immo uero nec cetera, quæ in hoc morbo dicta sunt, huic ægrotum fuisse attonitum assentiuntur.

### AEGROTVS IIII.

*Phreniticus primo, quo decubuit, die uirulenta uomuit, multaque, ac tenuia: febris horrifica, sudor copiosus, assiduus, toto corpore: capitis & colli grauitas dolorem afferēs: urinæ tenues, suspensiones paruæ, dispersæ, non residebant: aluus stercus affatim reddidit: multū delirauit, nihil dormiuit, postridie mane uocem amisit: febris acuta, sudauit: non intermisit: palpitationes per totum corpus: nocte conuulsiones, tertio die cuncta irritata sunt: ipseque decessit.* 75

Hic ægrotus est acutissimæ phrenitidis exemplum: quæ primo statim die unà cum febre hominem F inuasit. ac nos quidem uidimus, qui ita phrenitide perciti essent, intra septimum diem perijsse: perpaucos, & hos raros eum diem excessisse. mirabile autem est, ut hi morbi generentur, & homines commoda ualetudine fruentes subito inuadant. neque enim ut subita ipsorum generatio est, ita & generationis causa: ut si homo mortiferum medicamentum sumpsisset: uel bestia eum uirulenta momordisset: sed causæ, quæ huiusmodi mala possunt excitare, pedetentim crescunt in corpore, ut morsis a cane rabioso usu uenit: perspicuum enim est caninum uenenum, quamuis in morsis non ocietur, nec quiescat, nullam sui ipsius notam multis interim proximis mensibus prodere, sed illi illico, ut aquam uiderint, formidine corripiuntur: ac postea breui pereunt: longo enim tempore causa, quæ rabiem efficit, augetur: quæ ubi eo tandem peruenerit, repentinam mortem affert. in hac etiam phrenitide uitiosus humor in corpore coaceruatus fuit letali ueneno consimilis, aliquid in uicinis corporibus paulatim efficiens: quæ cum essent iam quodam modo oportuna uitio, humorque ipse malignissimus euasisset, letale symptoma repente apparuit: etenim phreniticus ita statim in initio uirulenta uomuit: quod febribus adurentibus comitari fere solet. itaque ut ueneno letali epoto quidam postridie, uel tertio die moriuntur, qualitate eius, non copia mortem afferente: ita hic quoque ægrotus tertio perijsse existimandus est, a qualitate succorum uirulentorum, non a phrenitide interemptus: ut phrenitis illū symptomatis loco sit subsecuta. equidem quarto die, & quinto perijsse eos uidi, qui statim ab initio phrenitide acuta correpti essent, tertio uero non uidi: ut nec etiam uigesimum attigisse. quamob rem Hippocrates uidetur hunc nobis, ut uelocissime peremptum, ante oculos ponere: ut etiam alterum paulo post, qui præter omnium expectationem diu uitam produxit: de quo suo loco disseremus. G

### AEGROTVS V.

*Larissæ dextrum femur caluo repente doluit: nihilque ex ijs, quæ offerebantur, iuuabat: primo die febris acuta, ardens paulatim, [neque] comitabantur dolores: altero die femoris dolores remissi sunt: febris increuit, implacidior erat, non dormiebat, extremæ partes frigidæ, urinæ multa, eaque non bona reddebatur: tertio femur dolere desijt: mentis alienatio, & turbatio: multumque sese iactauit: quarto ad meridiem perijt. acutum.* 76 hom.

Cum huius ægroti explicationem perlegeris, nisi his, quæ dicuntur, animum diligenter adhibueris, in quouis dolore timidus eris: si uero diligenter attenderis, neque petulanter timidus, neque temere H securus: sed si qua forte pars doleat, primum animaduertes, num ex aliqua externa causa dolor euenerit: nam in motibus quibusdam nonnulli clam læsi sunt, & dormiendo. qui minus commode partem aliquam composuissent: & in subitis conuersionibus, ac reuolutionibus rigentes, refrigerratæque partes conuulsionibus, elisionibusque correptæ maximos dolores creant: ut etiam fracturæ quibusdam dolorem afferunt: præcipue autem ijs, qui sicco temperamento sunt: atque adeo magis, si inclinata ætate, uel senes sint. si uero nulla huiusmodi causa doloris appareat, proximum est, cōsiderare, quæ uictus ratio præcesserit, utrum in maiore otio, quàm quis consuesset; aut cibo pleniore ualentis materiæ sit usus: aut solitæ illi excretiones retineantur. nam si quid tale sit, aut si omnino plenitudo causa doloris antegressa uideatur, hominē quamprimum uacuato: tum enim tutissime partibus dolentibus fluxiones reprimentia superdabis: nam si ante euacuationes id feceris, humorum abūdantiam ad partes maxime principes retorquebis: immo ne fouere quidem, aut lenire partes dolentes licet prius, quàm corpus euacuaris: propterea quod sæpe humorum copia ab huiusmodi remedijs ad affectam partem attrahitur: atque ita alterum homini discrimen accedit, ubi pars nimium inflammata sit: nam & ipse de huiusmodi locutus est abscessibus, ut iam nosti, quos aut capere pars non possit, aut

A aut si capiat,nõ ferat.si uero ex antecedenti uictus ratione nulla plenitudo in corpore appareat, remedijs ad dolorem facientibus uti tuto licebit,ut fomentis,humidisque medicamentis, & facultate calidis:quorum materiem in commentarijs de medicamentis didicisti.si per hæc non sedetur, totum corpus euacuandum est: sæpenumero enim quædam in eo plenitudo collecta est, quæ paulatim coacerua ta est,cum homo neque quantitatem,neque qualitatẽ ciborum,quos ingessit,animaduerterit. aliquando etiam cutis se ipsa densior reddita ab aliquibus causis, hominem plebeium latentibus, perspiratio nem cohibuit,& eius affectionis,quæ propter humorum redundantiam,plethorica dicitur,causam attulit: proinde si remedijs dolor non tollitur,æger nulla interiecta mora uacuandus est. in caluo autem utrum ei detractus sanguis sit,nec ne, conijcere non possum. nam cum Hippocrates dicat,nihilque ex ijs,quæ offerebantur,iuuabat,dicat forte aliquis,inter ea,quæ offeruntur,sanguinis missionem ab ipso commemorari: alius dicet, id auxilium de ijs non esse,quæ offeruntur: sed quia mente excidit, & ille quatriduo obijt,ideo auxilia esse prætermissa.porrò in exemplaribus concinnatis ad finem huius ægri, & item proximi superioris adscriptum est prius quidem,acutum; deinde uero notæ sunt,de quibus,ut dixi,prudenter Sabinus,nihil dixit. Zeusis uero in unoquoque ægroto malos interpretes reprehẽdit: nobis uero hoc sermone uisum est ea omittere, quæ adscripta essent.scribemus autem,si ita uidebitur, B ijs,qui in eiusmodi libenter curiosi sunt,separatim integrum librum, ubi de notis cuique ægro subiunctis disseremus.nunc uero inutilia commiscere utilibus non decet.

AEGROTVS. VI.

77 *Periclem Abderæ febris acuta corripuit, continua cum dolore, multum sitiebat, fastidiosus erat, potum non poterat continere: erat sublienosus, capiteque grauato. primo die ex sinistra nare sanguis multus profluxit, febris tamen increscebat: minxit multum, turbatum, album: urina reposita non subsidebat. secundo die irritata sunt omnia: at urinæ crassæ quidem erant, uerum magis subsidebant: fastidium leuatum est: dormiuit. tertio febris leuata est: urina multa, & concocta, in quibus multum subsidebat: nocte quieuit. quarto circa meridiem sudor prorupit toto corpore multus, & calidus, sine febre indicatus est, neque redijt. Acutum.*

Hic æger est acutissimi morbi exẽplum, horrendi illius quidem rudibus, sed breui iudicandi, intelligentibus: cum enim sublienoso copiosus sanguis primo statim die de sinistra nare profluxisset: urinæ item crassæ essent,& non consisterent:& albo item essent colore:tum uero altero die consisterent, me- C lior sane de ægro spes erat. cumque secundo die fastidium esset sublatum,homoque dormiuisset, certior iam spes erat, hominem breui incolumem fore. at cum tertio die essent optimæ,copiosissimæque urinæ,clarum iam erat,quarto die hominem morbo liberatum iri.

AEGROTVS. VII.

78 *Virginem,quæ Abderæ in uestibulo templi ægrotabat, febris cœpit acuta, & ardens: siti conflictabatur, & somnum non capiebat: menstrua autem ei primum profluxerunt. eam sexto die multum fastidium cœpit: rubuit, † punicco colore: languebat. septimo die erant eadem: vrinæ tenues, sed boni coloris: venter commode habebat. octauo surditas: febris acuta, insomnis, fastidiosa, horrebat: mentis erat compos, vrinæ similes. nono nihil est mutatum, nec proximis diebus: mansit item surditas. quartodecimo mens fuit perturbata: febris autem remissior. decimoseptimo multum sanguinis ex naribus prorupit, surditas nonnihil imminuta est: diebus sequentibus eam fastidium, & surditas tenebant: eratque delira. vigesimo ei pedes dolebant: surditas, ac delirium eam deseruerunt: ex naribus aliquantum profluxit: sudauit, febre liberata est. quarto & vigesimo repetijt: surditas redijt: pedes assidue dolebant: mente excidit. vigesimo septimo multum sudauit; febre caruit: surditas eam reliquit; restabat pedum dolor: in ceteris perfecte indi- D cata est.*

†AL. horruit.

Hæc uidetur ex humorum plenitudine ægrotauisse: & quantum prima symptomata portendebant, eam morituram esse timere quispiam potuisset: sed bonus urinarum color in ijs, qui ex humorum copia in morbum cadunt,maximum signum est: quæ quia crassæ non erant, ideo diuturniorem fore morbum indicabant. ceterum ut in ægris cunctis,ita in hac quoque criticorum dierum circuitus seruari uidentur.iam natura quoque in hac & signa,& symptomata critica uidetur ante indicasse.

AEGROTVS. VIII.

79 *Anaxiona, qui ad Thraciam portam Abderæ decumbebat, febris acuta corripuit: dextri lateris assiduus eum dolor conflictabat: tussis arida cruciabat: neque primis diebus quicquam expuit: sitibundus erat; & insomnis. vrina boni coloris, & multa, & tenues: sexto die delirabat: fotibus nihil remittebatur: septimo magis laborabat: siquidem febris intendebatur, nec dolores imminuti sunt: simulque tusses vrgebant: ac difficulter etiam spirabat. octauo cubitum secui, multum, vt debebat, effluxit. leniores dolores euaserunt, sed aridæ tusses perseuerabant. vndecimo febres mitiores fuerunt, aliquantulum circa caput sudauit: tusses tamen durabant, & quæ a pulmone exibant, erant liquidiora: decimo & septimo cœpit pauca concoctaque expuere, leuatusque est:*

*uigesimo sudauit : febre liberatus est : a iudicio , melius habuit : erat uero sitibundus , & a pulmone non bonæ* E
*expurgationes : uigesimo septimo rediit febris , tussiit : multa concocta [illegible] excreuit : in urina multa subsidebant alba : sitis cessauit : dormiuit : trigesimo quarto sudauit toto corpore , febris cessauit : in totum iudicatus est.*

Ex ijs ægrotis, qui primo tertioque uulgarium morborum libro descripti sunt, in hoc solo uenæ sectionis mentionem Hippocrates fecit: non quod ei soli sanguinem misisset, sed quod ei soli octauo die id remedium adhibuisset: cum medicorum quasi lege quadam ultra quartum diem uenam non inciderent. cum igitur huic octauo die missus sanguis est, existimare debes, multo plures sanguinis missione indigentes, secundo, tertio, ac quarto die, eo remedio usos esse. Hippocrates autem id reticuit, sicut cetera remedia omnia: tamen necesse interdum fuit, adscribere, eos ab ijs quæ offerebantur, nihil esse adiutos; ut morbi malignitatem indicaret. non est aūt ei hoc loco propositum, librum de curatione, sed de præsagitione conscribere. uidetur quoque nonnullis ægrotis ipse in principio præsto non fuisse: quare interdum addit, huic perpetuo, postquam ego ipsum uidi, hoc, atque hoc accidit, ego uero etiam ignaris hominibus horum ægrorum usum libro primo de crisibus præscripsi: ubi quomodo incoctum morbum plane cognoscant: quomodo eum, qui modo cõcoqui incipit: quomodo, qui progreditur in concoctione: quomodo, qui iam proxime ad perfectam concoctionem accedit, conatus F
sum perspicue declarare. itaque Anaxion hic, dum semper tussiret, nihilque plane expueret, crudissima pleuritide conflictabantur. cumque undecimo die cœpisset expuere, morbum inire concoctionem significauit: atque ita pedetentim progressu tẽporis, Hippocrates in uigesimo septimo die, multa concocta excreauit: in urina multa alba subsidebant. itaque trigesimo quarto prorsus iudicatus est.

### AEGROTVS IX.

80 *Abdera Heropyto caput dolebat, nec decumbebat : quod tamen fecit paulo post : habitabat is ad uiam superiorem: captus autem est ardente febre, & acuta . primo uomuit multa, & biliosa : sitibundus , multumque implacidus erat: urinæ tenues, nigræ, suspensiones sublimes interdum, interdum non : noctem laboriosam habuit. febris aliàs aliter accedebat, sed fere inordinate. ad diem quartum decimũ surditas : febres creuerunt, urinæ eædem fuerunt. uigesimo multũ delirauit , itemq; sequentibus diebus . quadragesimo multum sanguinis ex naribus profluxit : menteque magis constitit: surdus quidẽ, sed nõ perinde fuit : febres tamen remissæ fuerunt , proximis diebus sanguis crebro ex naribus , & paulatim erupit . ad diem sexagesimum, narium quidem profluuium suppressum est, sed dextera coxa admodum dolebat : febresque increuerunt. non ita multo post, omnes inferiores partes dolebant. atque inde fiebat, ut uel febres maiores essent, maiorque surditas , uel hæ qui* G
*dem remitterentur , & alleuarentur, sed tamen partes inferiores ad coxas sitæ dolerent uehementius. iam uero circa diem octogesimum cuncta remissa sunt : nihil tamen destitit. etenim urina boni coloris , & plura subsidentia habentes exierunt; ac deliria imminuta sunt . ad diem centesimum aluus fuit turbata multis , biliosis : diuque talia perdurabant : deinde dysenterica cum dolore erant: reliqua autem lenia fuerunt. in summa febres eum deseruerunt ; surditasque discessit . centesimo est absolute iudicatus. febris ardens.*

Hic uir dignus est, qui commemoretur, quippe qui robore uirium grauem morbum sustinuerit: alioqui autem uehementi morbo resistere nullo modo potuisset. omnino autẽ eius pulsibus inerat robur, ac simul reliqua omnia secundum naturam in eo constabant. sed alibi etiam admonui, hanc præsagiendi partem in febricitantibus ab Hippocrate esse prætermissam . respiratio, quoque & ciborum cupiditas in hoc ægro integræ fuisse uidentur, quæ magni sunt, ut ipse nos docuit, ad salutem ponderis. at febris primo quidem acuta inuasit, uerum eius acumen postea retusum est: siquidem ita de ea scripsit, Febris aliàs aliter accedebat, sed fere inordinate. sed unum in hoc ægro periculosum signum inerat, tenuitas, nigrorque urinarum: quocirca natura uix longo tempore morbum profligauit, mota nimirum die quadragesimo sanguinis eruptione: qui dies criticus est: & coxæ dolore, & omnium po- H
stea partium inferiorum concitato: nam magni morbi egregia quoque exigunt, a quibus iudicentur. hoc tamen morbus non est plane discussus: sed circa octogesimum diem signa eius concoctionis ex urinis illuxerunt: postea uero usque ad centesimum diem paulatim cõcoctus, omnino profligatus est.

### AEGROTVS X.

81 *Nicodemum Abderitam ex Venere & Baccho febris corripuit . initio fastidiosus erat: cor ei dolebat: sitibundus erat: lingua exusta: urinæ tenues, nigræque . postridie febris accessit, horrebat , fastidio tenebatur , non dormiuit : uomuit biliosa , flauaque : urinæ similes . noctem quietam duxit, dormiuit, tertio die sunt relaxata omnia : & remissio fuit : sub solis occasum rursus grauius habuit : nox laboriosa fuit, quarto rigor, febris multa, dolebant omnia, urinæ tenues cum suspensionibus. sexto multum delirauit. septimus dies ei leuis fuit. octauo alia omnia remissa fuerunt . decimo & proximis diebus dolores quidem, sed tamen omnes leuiores eum tenuerunt. huic accessiones & dolores præcipue diebus paribus semper acciderunt. uigesimo urinam albam reddidit , quæ crassa erat: sed reposita non residebat : multum sudauit : uisus est febre liber esse: uesperi calor rediit, ijdemque dolores, horror, sitis, aliquantulum delirauit . uigesimo quarto multam urinam , & albam reddidit, in qua multa subsidebant : sudor ei toto corpore copiosus, calidusque manauit : sine febre est iudicatus.*

Et ipso

A Et ipse Hippocrates id significauit his uerbis: Accessiones & dolores præcipue diebus paribus acciderunt. quam ob rem post uigesimum quoque diem sudore iudicatus est. quæ uero singillatim euenerunt, qui memoria teneat, quæ ante exposuimus hoc in libro, & duobus superioribus, atque ante hos, in præsagijs, ac prædictionibus, inuenire ipse omnia per se poterit.

AEGROTVS. XI.

82 *In Thaso quædam mulier morosa ex mærore cum occasione, cum adhuc non decumberet, insomnis est facta, & cibo abstinuit: eratq; sitibunda, & fastidiosa. habitabat autem prope filios Pyladæ in Leio. primo die sub noctis initium timores, uerba multa, mæstitia, leuis febricula: mane multæ conuulsiones: ac sicubi illæ multæ conuulsiones desinerēt, delirabat, ac contumaciter loquebatur: multis, magnis assiduisque doloribus afficiebatur. altero die eadem permanserunt: somnū non cæpit, febris magis acuta fuit. tertio conuulsiones conquieuerunt: sopor, & in somnum propensio, rursusq; uigiliæ eam exercuerunt. continere se non poterat, multum delirauit, febris acuta. sub hanc noctem multus, calidusq; sudor toto corpore prorupit: febre liberata dormiuit, mente plane constitit, ac indicata circa diem tertium est: urina nigra, ac tenues: in quibus suspensiones ualde rotundæ inerant: nec subsidebant circa iudicium menstrua copiosa proruperunt.*

A.l.4.f.2.t.2. c.85.p.829.B

B

Quid δυσάνιος, hoc est morosus, significet, declarauit Critias, his uerbis: Morosus est is, qui paruis de rebus & de magnis plus, diutiusq; ceteris mortalibus tristatur. erat ergo tristis, uel tetrica, quam hic Hippocrates morosam uocat: cum in tristitia diu persisteret. quod item paulo post dicet de ea, quæ Cyzici gemellas filias pepererat: tacita inquit, & tetrica, nec ad animi æquitatem perduci potuit. uerum satis mirari non possum, cur in hac muliere non addiderit uel cohibitos omnino menses fuisse: uel non perfecte profluxisse: uidetur enim simul acuto morbo, & ex humorum abundantia laborasse: ac tertio die sub noctem per sudores, ac mensium excretionem esse iudicata. menstrua item quæ post iudicium copiose profluxerunt, morbi decessionem confirmarunt. urinæ uero color, licet niger esset, nihil tamē periculosi attulit: quod menstrua suppressa magis essent melancholica. unde merito factum est, ut mulier morosa euaserit, timidaque: & interim delirarit, soporeque detenta sit.

AEGROTVS. XII.

83 *Virginem quandam Larissa febris ardens, acutaq; corripuit. insomnis erat, sitibunda, lingua fuliginosa, & arida: urinæ*
C *boni coloris, sed tenues. secundus dies laboriosus fuit: non dormiuit. tertio die aluus multa aquei coloris reddidit: proximisq; diebus talia commode deiecit. quarto urina pauca & tenuis suspensiones elatas habebat, non subsidebat: sub noctem delirauit. sexto ex naribus copiose multum fluxit, inhorruit, at mox toto corpore multum calidumque sudauit: sine febre iudicata est. dum febricitaret, essetq; iam indicata, menses tum illi primum prouenerunt: quippe uirgo erat. perpetuo autē erat fastidiosa, & horrebat: facies erat rubicunda, oculi dolebant; caput grauitate afficiebatur. huic non repetijt, sed indicata est. dolores diebus paribus erant.*

Hanc puellam attigisse menstruorum ætatem, ex ipsis Hippocratis uerbis planum est, cum ait, menses tum illi primum prouenerunt. constat etiam, morbum ipsum ex humorum copia fuisse, ac sexto die iudicatum esse, propterea quod dolores, ut ipse ait, in dies pares incidissent. mirum tamen est, morbum non repetijsse, cum sextus dies nunquam fideliter iudicet. quare hoc illi nouum, & ualde rarum accidisse indicauit, cum scripsit. huic non repetijt, sed iudicata est: tanquam repetere morbus debuisset. at uero, cur non redierit, causam addidit his uerbis: dum febricitaret, essetque iam iudicata, menses tum illi primum prouenerunt: euacuationis enim illa perseueratio diebus post iudicium, satis erat, ut iudicium, quod sexto die per sanguinis eruptionem, ac sudores præcesserat, firmum esset. præsertim
D cum nulla princeps pars esset inflammata, neque maligna subesset humorum abundantia. atque ipse quidem ex humorum copia uitium esse declarauit, cum scripsit, ruborem in facie perpetuo fuisse, oculosque doluisse, ac caput grauitate conflictatum. ex quo planū erat, solam euacuationē requiri, quam natura die tertio inceptam, sexto perfecit. nam uentris euacuationem ei per naturam, & non ut morbi symptoma accidisse, ipse uerbis hisce perspicue indicauit: tertio die aluus multa reddidit aquei coloris: proximisque diebus talia commode deiecit. hoc autem, quod adiecit, declarat ea excreta esse, quæ lædebant. ceterum ex his, quæ in hac historia sunt, duo præter iam prædicta, nobis declaranda sunt: primum quod initio scriptum est, lingua fuliginosa, & arida: alterum hoc, quarto urina tenuis & pauca suspensiones elatas habebat: nec subsidebat: delirauit. quod enim ex his dictum est prius, erit tibi ad hanc rem utile, ne omnino putes linguam fuliginosam esse letalem: sic autem uocat tinctam quasi fuligine quadā, quæ sicca ex uaporibus erat: alterū uero, quia etiā in alijs ægris, cū dixisset, suspensiones elatas esse, statim addidit, delirauit; innuit deliriū huiusmodi suspensionibus comitari. quanquā in præsagijs, ubi omnia, quæ in urinis accidunt, est persecutus, nullum ex eis delirij præsagium fecit. quocirca hoc signū uidetur nunquam per se ipsum, sed casu quandoque simul cū ceteris delirium indicare: propterea quod flatuosiorem esse sanguinem significat: si enim nullus plane flatus sit: suspensiones ad ima uasa comportantur.

 E

### AEGROTVS. XIII.

*Apollonius Abderæ morbum rectus diu sustinuit: magna illi erant uiscera,ac secundum iecur consuetus dolor mult°* 84
*tempore consequebatur: ac sane eo etiam, tempore morbus regius eum cæpit, euasitq; flatuosus, ac subalbidus. cumque*
*aquam bibisset,& bubulam intempestiuius comedisset, eum paruus calor primum inuasit,& decubuit. deinde cum lacte co*
*cto,crudoque copioso, caprillo,ouilloque,& uictu malo usus esset, omnia multum offensa sunt: nam & febres exacerbatæ*
*sunt,& uenter nihil eorum,quæ ingesta essent,notabile reddidit: urinæ tenues redditæ,paucæque: somnum non capiebat:*
*inflatio mala,& magna sitis urgebat: soporosus erat: hypochondrij dextri eleuatio cum dolore aderat: extremæ partes*
*undique subfrigidæ: aliquantum delirabat: omnium, quæ locutus esset,obliuiscebatur, mente mouebatur. ad diem quartū-*
*decimum cum a rigore incaluisset,decubuit,& insaniit: clamor,perturbatio,multa uerba,rursus quies: ac tum deniq; so-*
*por incessit. postea aluus turbata est multis biliosis,meris, crudis: urinæ nigræ, paucæ, tenues: multum implacidus erat.*
*deiectiones autem uariæ erant: nam uel nigræ erant, paucæque, ac uirulentæ. uel pingues, crudæ, ac mordaces: tandem*
*uero lacti quoque similes reddere uisus est. ad diem uigesimum quartum melius habuit: in ceteris nihil immutatum: fuit ali*
*quantulum mentis compos (ex quo autem decubuit,meminit nullius) subitoque rursus desipuit: omnia in peius urgebāt.*
*die trigesimo quarto obijt. huic semper, postquam eum ego uidi,aluus fuit turbata: urinæ tenues,ac nigræ: ipse uero sopo-*
*rosus,& insomnis: extremæ partes frigidæ: ac perpetuo delirus fuit. phreniticus.* F

Vt in alijs,ita etiā in hoc ægroto Hippocrates in fine narrationis summatim symptomata, & signa, quæ acciderunt,nos docuit: ex quibus instare mortem prænosse queas: ait enim: huic semper, postquam eum ego uidi,aluus fuit turbata; urinæ tenues, ac nigræ: ipse uero soporosus,& insomnis: extremæ partes frigidæ: ac perpetuo delirus fuit. Singula autem clara sunt, si quæ ante exposuimus, in memoria habes.

### AEGROTVS. XIIII.

*Mulier Cyzici, quæ geminas filias difficulter pepererat, & minus erat purgata, primo die in febrem incidit horridam,* 85
*& acutam: capitis autem collique grauitas dolorem afferens suberat. insomnis initio fuit, tacita, tetricaque, nec ad ani-*
*mi æquitatem perduci potuit: urinæ tenues, siticulosa, fastidiosa plerunque: aluus inconstanter turbata: ac rursus consti-*
*tit. Sexto die sub noctem multum delirauit: non dormiuit. sub undecimum insaniit: rursus ad mentem rediit: urina nigra,*
*& tenues: deinde aliquanto post oleosa: aluus multa, tenuia, turbataque excreuit. quarto decimo multæ conuulsiones:*
*extremæ partes frigidæ: ad mentem amplius non rediit: urinæ suppressæ sunt: periit. phrenitis.* G

Non solum,quia a partu probe purgata non fuerit,huic mulieri sanguis magis melācholicus superfuit: quæ causa erat,cur initio tacita,tetricaque esset,nec ad animi perduci æquitatem posset,& postea tam grauiter deliraret,ut insaniret: uerum etiam inflammato propter difficilem partum utero, aucta febris est. porrò perspicuū est,uitiatis humoribus ad caput sublatis delirium furiosum extitisse: simulq; conuulsiones esse consecutas. dierum autem criticorum circuitus ut in omnibus ægrotis, ita hic quoque obseruantur. nos uero si quid ullo in loco raro labefactatum uidetur, id solum adnotamus.

### AEGROTVS. XV.

*Dealcis uxorem Thasi, quæ in Lio decumbebat, ex mærore febris horrida, acuta, corripuit: ab initio contegebatur,* 86
*& perpetuo: semper tacita uillos straguli captabat,uellebat,scalpebat,& plorabat, mox ridebat: non dormiebat: aluus*
*irritābatur,sed nihil deijciebat: admonita parum bibebat: urinæ tenues, & pauca, nec in eis erant subsidentia. febres ad*
*manum tenues: partium extremarum frigus. nono die multum delirabat: rursusque ad mentem rediit: tacita erat. quar-*
*todecimo spiritus rarus, magnus, per interuallum: rursusque breui spiritu fuit. decimo septimo aluus irritata, turbata* H
*deiecit. postea uero potus ei non pertransibant: mente prorsus falsa est: sensus omnino expers fuit. cutis distenta, atque*
*arida. uigesimo multum locuta est: rediitque ad mentem: muta, breui spiritu fuit. primo & uigesimo defuncta est. huic*
*fuit spiritus perpetuo rarus, & magnus: nihil sentiebat: semper contegebatur: aut multum loquebatur, aut perpe-*
*tuo tacebat. phrenitis.*

Hanc mulierem ab initio phreniticam fuisse apparet. tales autem, ut ante dixi, grauissimæ phrenitides sunt,& celerrime,quos inuadunt,perimunt. uerum hæc, cum acutam febrim haberet, ad diem uigesimum primum sufficere potuit,fortasse quia mediocri febre uexaretur: quod etiam, ut indicaret, in hac scripsit ad hunc modum, febres ad manum tenues. uidetur autem hæc specie delirij, quæ ex melancholia,& phrenitide mista erat,detenta fuisse: quam sane mistionem declarat,quod ait,aut multum loquebatur,aut perpetuo tacebat. nescio autem,cur Hippocratis interpretes in hæc uerba nihil scripserint, Spiritus rarus,quod est perinde,ac per interuallum. & id ipse uidetur deinceps addidisse. fortasse igitur subiunxit,per interuallum, ut raritatis argumentum indicaret: ac si dixisset, per magnum admodum interuallum: consuetudo enim est, ut magnum omittatur, & hoc solum, per interuallum, dicatur. non tamen perpetuo, ut in alijs, immo nec diu mulierem hanc in toto morbo spi-
rasse

A rasse significat. itaque addit, rursusque breui spiritu fuit: indicans etiam hic, ut antea, ex frigore, non modo paruo, sed magno etiam interuallo mulierem respirasse: qui re uera breuis spiritus est: nam rarus ac magnus, quatenus rarus est, minor est frequenti & magno: quatenus uero magnus, eatenus præstat paruo, raroque. ergo utriusque ratione paruus est breuis spiritus & rarus. uidetur autem nũc hæc mulier, ea quasi fuisse refrigeratione, qua tenentur eæ, quæ suffocatione, quæ ex uacuitate spirationis oritur, corripiuntur: itaque de ea sic scribit: uigesimo die multum locuta est: redijtque ad mentem: breui spiritu fuit. uocis uero defectio est fere cum raro, breuique spiritu coniuncta. ceterum quod dixit per interuallum, cum raro, accipiendum est, pro admodum longo interuallo. nõ potest autem significare paruo morbi tempore, quando in fine narrationis hæc adscripsit, huic perpetuo spiritus rarus erat, & magnus: solet enim διὰ τέλους hoc est perpetuo dicere, cum totum morbi spatium ad finem usque significat. & quemadmodum perpetuo sic utitur, ita illud etiam dicit, semper contegebatur, aut multum loquebatur, aut perpetuo tacebat: nam multum loqui, phreniticorum est: tacere uero, melancholicorum: & contegi, utrisque commune: nisi quando frigus quoque ad contegendum corpus compellit.

B

AEGROTVS. XVI.

87 *Adolescens Melibææ ex nimio potu, & rerum ueneréarum usu diu calfactus decubuit: horrebat: fastidiosus erat, insomnisque: non sitiebat. aluus primo die multa stercora cum copiosa offusione reddidit: sequentibus diebus multa diluta, quæ bilem referrent: urinæ autem tenues, pauca, decoloresque erant: spiritus rarus, & magnus per interuallum: submollis hypochondrij contentio, & ex utrisque oblonga: perpetua cordis palpitatio: oleosam urinam excreuit. decimo delirauit modice: modestus ac tacitus erat: cutis arida, & distenta: deiectiones uel multæ, & tenues: uel biliosæ, & pingues. quarto decimo desipuit: cuncta irritata sunt, multum delirauit. uigesimo insaniuit: se se iactauit: urinam nullam reddidit: modicum potionis continebat. uigesimo quarto decessit. phrenitis.*

Multa pocula nocent & neruis, & cerebro, unde illi originem ducunt; Venus uero cum hæc mirum

A.l.3.f.2.c.1. p.392.F. in modum lædit, tum uero uires dissoluit, ac debilitat. quam ob rem hic adolescens uitiosa humorum abundantia collecta, merito a mediocribus febribus incepit: qui, cum indies latius serperet malum, tandem in phrenitim exquisitam incidit: eam enim gigni, magnus, ac rarus spiritus indicabat: itemq; modestia, ac perpetua taciturnitas, eum modice desipere declarabat: leues enim, ac turbulenti homines leuibus de causis deliri fiunt: qui contrarijs moribus sunt, magnis. nunc uero cur raro spiritui C adiunxerit, per interuallum: in ægro superiore docuimus. de hypochondriorum quoque palpitationibus cum alibi, tum in præsagijs egimus: atque etiam de submolli hypochondriorum contentione diximus, ab Hippocrate talem uocari, quæ tumore uacet: quæ sane fit, ubi nullum uitium musculos obsidet: sed offensæ sunt partes, quæ intra peritonæum sitæ sunt.

88 *Verum ea mihi æstas uidetur conuenienter rationi profuisse: quandoquidem æstiuos morbos hiems succedens discutit, hibernos æstas insequens transmutat. quanquam hæc æstas per se ipsa stabilis non fuit: sed subito calida, austrina, ac uacans uentis facta est: profuit tamen in aliam mutata constitutionem. Equidem in magna artis parte esse statuo, posse recte de ijs, quæ dicta sunt nobis, indicare: nam qui hæc nouit, eaque ad actionem traducit, non magnopere mihi uidetur falli in arte posse. ceterum operæpretium est, singulos anni temporum status accurate perdiscere, & item morbos: ut quid boni habeat status morbusque commune: & quid mali morbo statuique commune sit intelligas: tum qui longus, letalisque morbus sit, qui longus & salubris: qui acutus, & perniciosus: qui acutus denique, sanabilisque indicetur. tum ordo criticorum dierum obseruandus est: unde facultas prædicendi intelligentibus suppetit: atque hinc etiam scire licet, quibus, quando, & quæ uictus ratio sit instituenda.*

Hæc exposita sunt a Gal. supra. post com. 71.

## COMMENTARIVS PRIMVS.

### ARGVMENTVM.

Hic liber nihil ferme continet, quod ad vulgares morbos pertineat: ſed ex multis ſententijs ad memoriam collectis conſtar, vt a Theſſalo, vel ab alio quodam conflatus videatur.

DEPRAVARVNT plerique interpretes ſextum Hippocratis de morbis uulgaribus librum: dum alij aliter, ut quiſque ſe ad uerisimilitudinem explanaturũ ſperarat, illius uerba permutant: quam ob rem ueteres ego libros, & cõmentarios eorum, qui primi hunc in librum conſcripſerũt, indagare ſum coactus: F
in quibus & Zeuſis Tarẽtinus & Heraclides Erythæus: & ante hos Bacchius, & Glaucius numerantur. atque hi quidem, ſi poſt ſcripturæ ueteris explicationẽm, mendum eſſe in uerbis dixiſſent, probabile fuiſſet, ueram Hippocratis ſcripturam hãc uel illam eſſe, excogitari ab ipſis hac ratione potuiſſe: eorumque ego induſtriam comprobaſſem; ſi ſublatis mendis, eos aliquid utile ſimul, & quod ſenis noſtri ſententiam attingeret, docere perſpexiſſem: ſed cum illi in utroque nonnunquam errent, id mulro melius fore exiſtimaui, ſi uetere ſeruata ſcriptura, eam ſemper conabor exponere. quod ſi alicubi præſtare non potero, caſtigationem aliquam uerisimilem afferam, ut Heraclides in ſecundo uulgarium morborum libro fecit, ubi ſcriptum eſt his fere uerbis: Ad uenerea autem οὐραί ſpectabant. quia uero illud οὐραί minus probabiliter explicabatur, fortaſſe inquit, ſcriptum erat θύραι per θ, ac media linea expuncta, librarius οὐραί ſcriptum eſſe exiſtimauit: fieri enim potuit, ut illa tenui membrana pereunte, ſimul quoq; hæc linea perierit: & ut hæc ipſa ſola defecerit: & ut initio ſcripta eſſet, ut ægre uideretur, tum progreſſu temporis euanuerit. omnium autem audaciſſimos in ueterum ſcripturis commutandis, Capitonem, Dioſcoridemq; fuiſſe competio. mihi igitur cogitanti, utrum melius eſſet, omnium, an eorum ſolum qui recte eas commurarunt, aut nullius prorſus meminiſſe, illud probarũ eſt, ſi nemini eo- G
rum, qui hos commentarios lecturi ſunt, eorum eſſet futura moleſta longitudo, præſtare, ut omniũ fieret mentio: uerum cum plerique non modo huius generis cõmentarios, ſed etiã moderatos damnent, ſoloq; utilitatis ſtudio ducãtur, mediã quandã inter hæc ambo explanationẽ inſtitui conſcribere: idque in ipſo ſtatim initio præſatus ſum, ut ij, quibus huiuſmodi commentarij non probantur, eos non attingant: equidem cum alia omnia, tum uero etiam has explicationes confeci, ut rogantibus amicis grarificarer. ſed cum uideam ſcripta mea in manus incidere multorũ, huiuſmodi procœmijs opus eſſe exiſtimaui. atque ut hoc ſum præfatus, ita illud etiam ante eſt indicandũ, elocutionis genus, quod in hoc libro eſt, plurimum differre ab eo, quo ipſe in primo ac tertio uſus eſt: quos ſolos libros cuncti putanr ab Hippocrate conſcriptos eſſe, ur ederentur: ex alijs uero quinque, quintum & ſeptimum eſſe plane ſpurios: hunc uero ſextum, & qui eum antecedit, ſecundum, ex ijs, quæ ſibi ipſe Hippocrates parauerar, ab eius filio Theſſalo confectos uolunt. non deſunt, qui ipſum quoque Theſſalum aliquid de ſuo interieciſſe, alij uero alios poſt ipſum, id feciſſe, opinentur. in primo autem & tertio de uulgaribus morbis libro quaſdam aeris conſtitutiones deſcribit: poſt quas morbos, qui uulgati ſunt, explicat: ipſe enim hoc uerbo uſus eſt, cum de eis ageret: eamque ob cauſam hos libros ita inſcripſit, quod morborum populariter uagantium doctrinam contineant: non autem ἐπιδημίας hoc eſt peregri- H
nationes Hippocratis, cum ille multas ciuitates adijt, enarrẽt. quod uero ad uulgares morbos attinet, exigua eſt in his portio: ac maxima doctrinæ pars aphoriſmis quibuſdam continetur, qui ſinguli ſua circumſcriptione diſtincti ſunt. quam ob rem, hos libros, cum propria inſcriptione carerenr, ad ceteros de uulgaribus morbis, aggregaros eſſe aiunt: quamuis pauciſſima conrineant, quæ cum indice cõueniant. quartus autem liber eſt his quidem genere dicendi ſimilis, ſed contemplationis utilitate multo inferior. quicunque autem hunc librum, Theſſali conſtitutiones, inſcribendum cenſuerunt, plane errarunt. hæc autem prædixiſſe ſufficiat, cum a quibuſdam explanatoribus alia nõ pauca ſcripta ſint, quæ ne ſim longior, omittere conſtitui.

*Quibus ex corruptione circa vterum, & œdematis, capitis grauitas ſubſequitur, in sincipite dolores, & quicunq; alij ex vteris exiſtunt, ijs octo, vel decem menſibus in coxendicem terminantur.* I

Conſtitui de re communi orationem qudam communem mihi ſemel eſſe habendam: integrũ autem cuique lecturo ſit, pro ſuæ linguæ proprietate, ut ei libuerir, ſcribere. ſunt qui ſcribant [illegible] tribus ſyllabis, ſunt etiam, qui quatuor, [illegible]: ſunr denique, qui non per κ, ſed π, ſecundam ſyllabam, [illegible]: ut Capito non in hoc ſolum, ſed etiam in alijs omnibus, quæ huiuſmodi ſunt, fecit: ad artẽ uero

A uero exercendam hoc ne, an illo modo ſcribatur, nihil intereſt. quam ob rem id fore melius exiſtima-
ui, ut eas ſcripturas ſolum afferam, quæ ſententiam commutant: quæ uero ſolum uerbis differunt, reſq;
eaſdem ſignificabũt permittam, ut quiſque, prout uelit, ſcribat, ac pronunciet. altero igitur ſumpto ini
tio ante ſcriptam orationem repetam, atq; exponam. Quibus, inquit, ex corruptione circa uterũ &c.
quam Attici uocant ἄμβλωσιν, hoc eſt abortum, Hippocrates ſolet appellare ἀποφθορὰν, hoc eſt corruptio
nem: ac uerba, quæ huic appellationi conueniunt, &, quæ a grammaticis participia nominantur, huic
proportione reſpondentia ſcribit. ἀμβλώσκειν autem (id enim ipſum fortaſſe quiſpiam ignorat) de imper
fecta fœtuum profuſione, quocunque ea modo facta ſit, efferunt: ac medicamenta id efficientia,
ἀμβλωτικὰ dicunt. uocabuli autem ſignificationem ſemel dixiſſe, nunc ſatis ſit. ad utilia uero explican-
da iam aggredior, illud modo prius ſignificabimus, ueteres interpretes hanc orationem ita ſcripſiſſe:
ὁκόσῃσιν ἀπὸ φθορῆς, nolunt autem φθορὰν ſignificare ἀποφθορὰν, hoc eſt abortum. at qui propoſitionem ex,
præpoſuerunt, ij uoluerunt abortum nomine ἀποφθορᾶς ab ipſo indicari: atque ita ſæpe ipſum appellaſſe
apparet. utrum uero nunc quoque ita fecerit, ignoratur. ut autem in hoc nomine, etſi uarijs modis ip-
ſum ſcribunt, eadem tamen ſententia manet, ita ſiue uteros, ſiue uterum, & capitis grauitatem, aut gra
uitates in numero ſingulari, aut multitudinis quiſpiam dicet, is orationis non uariabit ſententiam. quã
B ob rem ego quoque has dictionis uarietates, quæ rerum ſignificationes non immutant, expendendas
non cenſui. quod autem ab Hippocrate dicitur, eſt huiuſmodi. Quibus mulieribus ex fœtuum abor-
tu, œdemata in utero habẽtibus, per conſenſum grauitas capitis ſubſequitur, ijs in ſincipite dolor exci
tabitur: ſimili quoque modo alias capitis grauitates, quæ ex uteri affectibus exiſtunt, eadem ratione
dolores in ſincipite urgentes afferent. in primis autem cõſiderandum eſt, quid œdematis nomen ſigni
ficet: Hippocrates enim, ut ſæpe eſt a nobis oſtenſum, omnes tumores, qui præter naturam ſunt, eo no
mine uidetur appellare: ſiue illi doloris expertes, durique ſint, quos proprie ſcirrhos uocant: ſiue do-
lorem iunctum habeant, quas proprie inflammationes nuncupant: ſiue etiam dolore uacent, laxique
ſint: quos ſolos œdematis nominant. hoc uero loco œdematum illorum facere mentionem uidetur,
quæ in longum produci tempus, & capitis excitare grauitatem poſſunt. id autem in abortibus uſu ue-
nire, teſtantur ea, quæ ſenſibus percipiuntur. quid uero cauſæ ſit, cur ſinciput potius, quàm ceteræ ca-
pitis partes, dolore conflictetur, quidam huius libri interpretes cum indagare conati eſſent, inter ſe
diſſenſerunt: alij quidem in cauſa eſſe dixerunt rectum partium ſitum, quem κατ' ἴξιν uocant: cum enim
lumborum & omnino ſpinæ partes affectæ aliquo modo ſunt, aiunt affectum recto itinere ad poſterio-
rem cerebri partem aſcendere. quidam uero, cum poſteriores uteri partes affectæ ſunt, occiput: ante-
C rioribus uero affectis, ſinciput in conſenſum trahi. alij relicta ſitus rectitudine, quam κατ' ἴξιν Hippocra
tes uocat, cerebrum in affectus uteri conſenſum duci uolunt, quod uterus neruoſa particula ſit, cere-
brum uero ſit origo neruorum, atque inde capitis grauitates oriantur: cumque plurima cerebri pars in
ſincipite ſita ſit, ideo in eà parte dolorem maxime ſentiri cenſent. alij uero infirmiſſimam eſſe hanc ca-
pitis partem dicunt, itaque merito magis affici malis, quàm ceteras: quicunque enim ex medijs cere-
bri partibus, quæ in ſincipite ſunt, neruos, qui utero inſeruntur, oriri aiunt, eorum ne meminiſſe quidẽ
decet: ſicut neque fortaſſe eorum, qui quia neruoſus uterus ſit, ideo principium neruorum in affectio-
nis conſenſum trahi dicunt: nam cur non peritonæum, quod ei propinquius eſt, & inteſtina, & uenter,
& ſeptum tranſuerſum, quæ ipſa quoque neruea ſunt, in eius affectionis partem trahuntur? peius etiã,
quàm hi, ſentiunt illi, qui teſtibus cum cerebro conſenſum eſſe exiſtimant, quod eandem cum cerebro
ſubſtantiam habeant: & proinde etiam cum utero, ſiquidem ipſe quoque teſtes habeat. quod ſi adhuc
imperitiores commemoraro, id mihi forte quiſpiam uitio dederit: meq; immemorem eorum, quæ pau
lo ante ſcripſi, dixerit. quam ob rem melius erit, ipſorum nugis ſemel poſthabitis, ne eorum quidem,
quæ dixerunt, facere ullo modo mentionem. ceterum eorum, qui neruoſum eſſe uterum aſſerunt, una
ſignificatione, uera; alia, falſa eſt exiſtimanda oratio: in animantibus enim tria genera ſunt corporum
D quæ ex ſimilibus inter ſe particulis conſtant, quæ & exanguia ſunt, & ſinum nullum habent eorũ alia
ex oſſibus, alia ex cerebro & dorſi medulla, alia ex muſculis oriuntur. primum eorum genus ab Hippo
crate prorſus appellatur copula: ſecundum, neruus, & tonus. tertium, tendo. quidam ob ſimilitudinẽ,
quam dixi, hæc omnia neruos appellantes, primum genus deuinctorium, ſecundum ſenſibile, & ele-
ctione mouens, tertium, nerueam propaginem uocant. Sed ex nullo horum trium multos neruos ute-
rus capit: uerum quoniam ipſius corpus diſtendi, ac contrahi plurimum uidetur, quod nulli carnoſo,
nec pingui membro ineſt, ideo ſimilitudine quadam uterum neruoſum appellamus, ducto a neruis no
mine, qua ſane ratione ueſicam quoque, & alias itidem partes omnes, quæ albæ, & exangues ſua ſubſtã
tia ſunt, quæque plurimum extendi, atque in ſe reſidere uidentur, uocare conſueuerunt. atque hac etiã
ratione in marium genitalibus, quem colem uocant, & item uteri ceruicem neruoſa natura conſtare
dicunt. ſunt etiam, qui colem, penis fiſtuloſum neruum appellent: & ab ipſo penem quoque totũ, ner-
uoſum nominent. tum hac ſimilitudine ducti, quæ non ex facultate eorum, qui uere nerui ſunt, ſed ex
corporea potius ſubſtantia. exiſtit, inquirunt, quod cauſæ ſit, cur coles ſuos affectus non magnopere
principijs neruorum impertiatur. principia autem neruorum uoco cerebrum, ſpinalemque medullam.
porrò in uterum nerui quidam inſeruntur: alioqui enim non ſentiret: ſed hi, ſi cum eius partis magni-
tudine comparentur, ſunt admodum exigui: ut non leuis inde quæſtio ſuboriatur, ſi quis naturali ra-
tione

tione perquirat, cur nonnullæ ex ijs mulieribus, quas hystericas uocant, distentionibus, contractioni- E
busque conuulsioni similibus arripiantur, cum tamen in uteri inflammationibus id non ualde admodū
fieri uideatur; sicut febres ualde uehementes & calidæ excitantur, quarum ui lingua, ut ipse hoc in li-
bro deinceps dicet, ueluti fuligine quadam infecta reddatur. hæc autem prius erant inquirenda illis;
qui de capitis uterique consensu dicere aliquid instituerant. ac calidas quidem, & uehementes febres
excitari norunt ij, qui in artis operibus uersantur. nam qui Alexandriæ sophisticā artem docent, quiq;
libros longis, falsisque sermonibus potissimum impleuerunt, & inter eos prorsus adolescentulos uer-
santur, qui a grege ueniunt, neque ægrotos uiderunt: neque ipsi hac in re sunt exercitati: ab omnibus
enim hominibus, qui illic sunt, uictus ratio mirum in modum negligitur. quicunque igitur mulieres
uteri inflammatione laborantes conspexerunt, ijdem etiam, ut calidæ, uehementesque febres totum
corpus occupantes perinde caput exurant, atque illæ, quæ sine uteri affectu exoriuntur, plane norunt.
& quamuis illæ, quibus suppressa menstrua sunt, manifeste non febricitent, periclitantur tamen, ne in
febrim cito cadant. his præterea caput grauatur, plerumque uaporum, ac calidorum humorum reddi-
tur: atque ideo quædam ipsarum, siue febrim habeant, siue non habeant, sopore tentantur. atque hæc
quidem ita fieri conspiciuntur: quæ uero causa sit, cur in huiusmodi uteri affectionibus caput implea-
tur, quærendum erat, ac uotis expetendum, ut inueniretur. quod si id non posset, seruandum erat, & in F
memoria habendum id, quod experientia nobis ostendisset. itaque nos nonnullas causas eorum, quæ
ita apparent, afferre conabimur, hinc exorsi: ex omnibus corporis partibus uteri plurimas, maximasq;
uenas habent: cumque male habiti sunt aut ex mēsibus suppressis, aut purgationibus, quę a partu sunt,
retentis, aut inflammatione quadam, utcunque excitata, eos sanguine impleri necesse est. sique eo pu
trescente febris accendatur, ea in synochis necessario numerabitur: siquidem huiusmodi febres ex
sanguine putrescente excitari, copiamque calidorum uaporum non mediocrem in caput mittere, ostē
sum est. cum uero caput ex quauis causa horum uaporum plenum est, grauitates in sincipite maxime
apparere, quæ hominem uexent, illi qui in artis opera studio incubuerunt, prius quàm a me audient,
aperte cognouerunt: quæ tamen huius eventi causa sit, aues fortasse cognoscere. eam igitur ego tibi
exponam, quam uerisimillimam puto: atque eam quidem non unicam, sed multiplicem afferam. in pri-
mis autem consentaneum est, prædictos calidos uapores per arterias in caput cōportari: quæ per col-
lum ab utraque parte infundibuli, ut uocant, sursum recta ad sinciput ascendere conspiciuntur: deinde
uero, omni sanitatis tempore tenuia & uaporosa cerebri excrementa per sinciput potissimum difflari
consueuerunt: siquidem suturæ in ipso rarissimæ sunt, ipsaque caluaria tenuissima, ac plurimis peruia
foraminibus est. præterea uero plura sensibilia corpora per suturas transeunt: etenim mēbranæ quæ- G
dam crassam cerebri membranam illi annectunt, quam pericranion uocāt. uasa etiam multa exilia per
suturas transeunt: ut enim quæ suapre natura maiorem sitiendi uim habent, magis etiam affectus, qui
pari magnitudine sunt, sentiunt, ita quæ magis sentiunt, magis etiam a causis dolorem inferētibus cru
cianť. quibus quidē fit rebus, ut sinciput dolore uexeť. reliquū est, ut causam inueniamus, cur mulieri-
bus ita affectis, in octo aut decē mensibus morbus in coxendicem desinat, hoc est irruat: sed quia non-
nulli censent, non in octo, & decem mensibus, sed octauo aut decimo desinere, aiuntque in plerisque
exemplaribus. præcipueque uetustissimis, literam η, & item ι, reperiri, atque η, pro octo; ι uero
pro decem scriptam esse: ideo quænam in his etiam uersetur differentia, perpendemus: nā si in octo,
aut decem mensibus in coxendicem terminari dicemus, tum non a cōceptu, sed ab ipso abortu nume
rabimus: si octauo, aut decimo mense, tempus a conceptu sic dicemus significari. mihi autē fieri posse
uidetur, ut utraque scriptura seruata utroque modo intelligamus: estque id, quod dicitur, experientia
iudicandum: id quod ego in omnibus, quæ sunt huius generis, tum uero in eo, quod modo agitur, sem
per feci. ac mihi id obseruanti, morbus quandoque in quadraginta dierum, quandoque duorum men-
sium, aut quatuor spatio finiri uisus est. in quibusdam uero est etiam longius productus: ac nonnullæ
ad octauum usque mensem re uera peruenerunt: nonnullæ etiam decimum attigerunt. uidi quoque H
ex utero abscessum in coxendicem irruere: id tamen non in multis: quamuis multas ex utero diu ma-
le affectas conspexerim. quam ob rem non ita celeriter huius rei causam esse inuestigandam constitue
ram, quod an ita re uera esset, nondum inueneram: quando Aristoteles quoque tum denique perqui-
rendam esse causam uelit, cur aliquid sit, cū id esse firmiter cognouerimus: siquis enim prius, quàm cer-
to sciat, aliquid esse, causam inuestiget, quam ob rem sit, certe planum est, eum maluisse nugari, ac deli-
rare, quàm ueritatis studio ductum esse. atque eiusmodi quidem afferunt ij, qui huiusce rei causam expo
nere sunt conati: quicunque enim a tempore abortus usque ad nouem, aut decem menses numerari
putant oportere, aiunt consuesse uterum his duobus temporibus octauo, & decimo mense male affici:
quod octauo mense fœtus conuertatur, decimo uero in lucem proferatur: ac nunc ijsdem statis tempo
ribus fieri noxiorum humorum excretiones, in locum uicinum, quique capere eos possit, qui illuc
comportentur, decumbentium. qui uero a conceptus tempore numerari uolunt, magis consentaneum
esse sentiunt. ut, si nullum fœtui incommodum interea contigisset, nouum tamen aliquem motum ute
rus in ipso his temporibus, dum aut conuertitur, aut partu editur, molitus esset, ita nunc quoque se res
habeat. uerum utrique errant, qui fœtus motiones in uteros referunt: cum enim octauo mense con-
uertitur, eum motum omnino ex se facit: atque ita in lucem editur, cum uehemētius motus aliquam
ex

“ A ex membranis eum continentibus effregerit. quod etiam in libro de natura puerili dictum est his fe-
“ re uerbis: Cum mulieri tempus pariendi appetit, tum accidit, ut puero moto, ac manibus, pedibusque
“ calcitranti aliqua ex intimis membranis disrumpatur. una autem disrupta, reliquæ imbecilliorem uim habent: ac prima quidem rumpitur ea, quæ fœtum ambit, deinde uero ultima. cum igitur infans abortu eiectus non amplius utero continetur, nec etiam eius seruare motus potest. Simili quoque modo absurdi sunt, qui aiunt septimum, nonumque mensem partus afferre: octauum uero, & decimum abscessus præter naturam, quod uno mense partus naturales excedant. quod in secundo de uulgaribus morbis libro dictum uolunt in illo loco, ubi ait, Postero: quasi dixerit, posteriore tempore, aut mense. Sed hoc iam in eo libro declarauimus. ego uero si hoc dictum ita se habere prius conspexissem, eius utique causam maiore studio peruestigassem: uerum cum uteri affectus multis certis temporibus iudicari, ac dierum criticorũ circuitibus, quos ipse in præsagijs docuit, congruere compererim, huius causæ inuestigationem omittam, quod neque semper, neque plerunque id, quod dicitur, ita se habere conspiciam: potuit enim, opinor, ille, siue Hippocrates sit, siue Thessalus, siue alius quispiam, ita forsitam in duabus, aut tribus mulieribus factum obseruasse, tum uniuersi generis enunciationem de re, quæ neque semper, ut dixi, neque plerunque fit, inconsideratius protulisse. Sed his tandem finem im-
B ponamus, & eorum meminerimus, qui coniunctionem, &, inter hæc uerba, capitis grauitas, & hæc, in sincipite dolores, interijciunt, totamque orationem hoc modo statuamus: Quibus ex corruptione circa uterum, & ædematis, capitis grauitas subsequitur, & in sincipite dolores, & quicunque alij ex uteris existunt, ijs octo, uel decem mensibus in coxendicem terminantur: medicam enim distinctionem quandam, utilem illam quidem ad præsagiendum, sed non ad causam inuestigandam, priori sermoni addunt: cuius hanc esse sententiam uolunt: quibuscunque mulieribus tumores ex abortu in utero excitati in capitis grauitatem commutantur, & eisdem dolores in sincipite exoriuntur, his octo, aut decem mensium spatio ea, quæ uterum infestant, in coxendicem transferuntur: ut neque ab omnibus tumoribus, qui uterum obsident, sinciput dolore conflictetur: neque omnes in coxendicem decumbãt: sed illi solum, qui dolore sinciput uexant. uerum cum hoc quoque obseruarim, ita fieri non comperi: neque ipsi ullam huius rei rationem afferunt: siquidem assignari causa nulla potest, cur illi soli tumores uteri, qui dolore sinciput afficiunt, in coxendicem irruere censeant. itaque nos etiam eis nõ credemus, quippe qui neque ab experientia, neque ab indicatione, quæ a rei natura ducatur, huiusce sermonis fidem simus consecuti. iam uero illud etiam planum est, eam partem in qua ait, Et quicunque alij ex uteris existunt: dupliciter explicari: alij enim ad uteri affectiones orationem referunt: tanquam ab illis
C omnibus, nõ secus, quam a prædicta, & capitis grauitates, & dolores, qui potissimum sinciput infestẽt, consequantur: alij uero uolunt hæc ad capitis affectiones pertinere, perinde ac si ita scripsisset, quibus ex abortu, & tumoribus in capitis grauitatem uertitur, ijs sinciput dolore conflictatur: & aliæ capitis affectiones ex utero concitatæ in sincipite sese potissimum ostendunt. alias porrò affectiones intelligemus eas, quæ capitis grauitati proportione respondent: quarum aliquas cephalæas, aliquas hemicranias, aliquas absolute cephalalgias nominant.

2 *Qui acuto sunt capite, siquidẽm robusta sunt ceruice, ualidi sunt tum alijs, tum etiam ossibus: qui uero caput dolent, & aures fluentes habent, ijs palatum concauum est, & dentes inter se permutati.*

Hic etiam nihil refert, utrum κρατεραύχενες quinque syllabis, an κρατραύχενες quatuor scribatur: siquidẽ utraque uox eos significat, quorum robusta, hoc est firma ceruix est: at μακραύχενες, id est longi colli, ut a quibusdam qui ueterem lectionem immutant scribitur, non idem significat: robusta enim ceruix nominatur, quæ ualida est, ob duritiem, magnitudinemque ossium talis prorsus reddita. atque ita etiam se habent musculi ossibus circumpositi, tendinesque, ac ligamenta: longæ autem ceruices tantũ abest, ut bonæ sint, ut sint prorsus uitiosæ, non secus, quàm angustum longumque pectus: quod non solum
D latum, aut longum, sed amplum quoque esse debet. ac pectus quidem & ceruix, & unumquodq; aliud membrum amplum est his interuallis, quæ ad latitudinem, altitudinemq; pertinent, cum hæc pari proportione aucta sint. & in eis longitudo omnino inest aut maior, aut certe æqualis ijs, quæ mediocritatem attingunt. pectus autem eorum hominum, qui se se nobis offerunt, non apparet prius, quam nudatum corpus sit; at caput primo occursu uidemus, & quodnam in formatione, magnitudineq; uitium habeat, cognoscimus. in magnitudine, utrum maius, aut minus sit, quàm deceat: in formatione, utrum plane rotundum sit, & frontis atque occipitis eminentia ex toto absit: aut sit acutum, easque eminentias habeat productiores, quàm par sit; aut utranque, aut alterutram: aut alteram solam nactum sit, alteraque careat. itaque in maiore, acutoque capite expendendum est, quantum excedat, & quantus sit ceruicis excessus, ut melius ne, an deterius conformatum caput sit, dignoscas: est enim in commentarijs de ualetudine tuenda declaratum, huius rei cognitionem, si quis ea prius sit præditus, magnũ usum Medicis ad sanitatem membri tuendam, & ad futuram uitij emendationem afferre. in eo autem, quod perspicue paruum est, paruitatem ipsam nosse oportet, & ea præterea, quæ ad ceruicem pertinent, abũde consideranda sunt: siquidem dorsi spina æque ac truncus ex capite, tanquam ex radice exoritur: nam & ortus initium, medullæ spinalis ex cerebro existere, & ab eodem uires ei suppeditari didicisti. hanc porrò medullam uertebræ continent, dum adhuc tenuis est, paruæ; cũ uero est crassior, amplio-

res

res.quemadmodum igitur magnum pectus magnam habet intra se cauitatem,in qua duo magna uisce E
ra pulmo & cor nulla ex parte compressa continentur; paruum uero hæc habet ad proportionem exi
gua & constricta; ita etiam caput & spina ad sui proportionem cerebrum: medullamque includunt:
itaque cum hæc excreuerint,tum & illa magna sunt,& amplas in ipsis spiritus uias efficiunt: cum uero
parua sint,contra euenit. sic etiam cogitatricem facultatem in ijs læsam perspicue uidemus, qui caput
aut magnum,aut paruum admodum habent. sed praua capita semper uitiosa sunt: magna uero quan-
doque,raro tamen,bona sunt,cum propter robur eius facultatis,quæ in ipsis est, tum ob copiam ma-
teriæ,ex qua sunt facta: id quod Pericli Atheniensi, uiro prudentissimo ferunt contigisse: in quem
etiam comici dicta ob capitis magnitudinem dicunt: multo etiam magis si caput naturalem formam
retineat, firmamque ceruicem habeat, tum oculi insint, quorum acer aspectus sit, scire conuenit, ta-
le caput esse optime constitutum. acuta uero (nam & in his quædam non reprehendenda reperiri di
ctum est) optima conformatione parum immutata efficiuntur: hæc enim globo oblongo, utrinq; cō-
presso,similis est.illa autem eminentiam non habent aut in occipite,aut in fronte: uel habent quidem
sed æquo productiorem. plerunque igitur, ut dicebam, sicut magna, ita etiam, quæ huiusmodi sunt,
capita uitiosa comperies: & tamen quædā,licet raro, bona erunt, nimirum cum facultas quæ materiē,
unde homo in utero genitus est, ualida fuerit adeo,ut a copia sanguinis eo defluentis nō uincatur: sed F
potius sustinere,eique resistere ac recte conformare potuerit.cum igitur acuta capita fiant, uel quod al
terutra eminentia desit,aut redundet,in primis adhibere mentem debes, ita ne sint reddita, quod au-
cta, an quod diminuta eminentia sit: propterea quod, si ob diminutam, semper reprehendenda e-
runt: si propter auctam,non semper. sed tum simul quoque expendendum est, primum quidem, an
formosum incrementum sit: siquidem deformia incrementa,uitiosa sunt: deinde,an eminentia,quæ in
occipite est,maior sit,quàm pars,quæ in facie adaucta est:cum occipitis eminentiā auctam esse, melius
habeatur: illic enim & omnium aliorum longe princeps cerebri uentriculus est, & medullæ spinalis
origo:deinceps uero ceruix expendēda est,imbecilla ne,an ualida sit: nam si eminentia neq; deformis
sit neq; ita magna,ut modum excedat,eamq; ualida ceruix excipiat, caput eo modo acutum ne asper-
neris: siquidem eiusmodi homines tum aliarum rerum,tum ossium robore ualere cōperies. Illud quo-
que considerandum hoc loco est, quid uelit Hippocrates,cum ait,tum alijs: utrum significet pectus &
iecur,ut hi habeant hæc tria principia robusta,nec solum cerebrum: an alia dicat ea sola,quæ primum
initium,atque ortum a capite ducunt: sunt autem hæc, spinalis medulla, nerui,& cum eis ossium,mu-
sculorumq; substantia, quæ unà cum capite & augeri, & roborari necesse est: quæ sane membra simul
aucta conspicies: cum enim sanguis, ex quo partes capitis sunt formatæ copiosus,bonusque sit,certe G
etiam uitalem facultatem,quam ex corde prodire demonstrauimus; & quam naturalem, & altricem
nominamus,quam ex iecore in uenas influere didicisti,statim ab ipso initio ualidas esse, consentaneū
est: & quæ in huiusmodi animante sunt ueluti corporis totius fundamenta, generosa sint, necesse est.
ceterum in capite, quod contra affectum sit, quod in forma, & paruitate uitium habeat, simul etiam
partes oris circa palatum intueri debes.appellant autem ita partem illam in eo loco sublimiorem,quę
supra foramina e naribus in ipsam pertinentia attollitur: hanc enim partem in illis cauam inuenies,
quorum ualde acutum, deformeque caput sit. atque hos præcipue acuti capitis mortales uocant. in
plerisque etiam immutatus dentium positus uidetur.hoc est,ut inferiores non e regione superiorum
sint,ut neque secantes secantibus, neque canini caninis, neque maxillares maxillaribus respondeant:
sed ueluti reuulsum simul,ac distortum os uideatur. hos capitis doloribus assiduis conflictari uidebis,
eorumque aures destillatione tentari,ut modo tenuis, liquidaque sanies, modo ueluti purulenta, fœ-
tidaque promanet,quod partes imbecillę & multum,& uitiosum gignere excrementum consueuerint.
nunc autem cum Hippocratis explanata sit oratio, si pauca quædam subiunxero, ad aliam transibo:
hæc autem pauca sint, ut unius, quod a me in huius libri principio dictum est,recordemur: aperte
iam constare, hunc librum potius commentario,quàm iusto alicui operi similem uideri, quod Hippo- H
crates quædam sibi ad recordationem scriberet, prout singula uel euenisse conspexisset, uel ratione,
meditationeque inuenisset: nam neque inter primam & secundam, neque inter secundam ac tertiam
orationem intercedit cognatio.

*Quibuscunque os de palato recessit,his medius subsidet nasus: quibus uero ex eo loco, unde dentes existunt, his extre-* 3
*mus nasus simus efficitur.*

Os,quod duo nasi foramina quasi septum distinguit, alio quodam tenui osse nititur,quod a superio
re parte ab osse frontis initium ducit,& ad finem nasi,ubi pinnæ sitæ sunt, desinit. hac igitur in parte na
si interseptū illis insidet locis,in quæ extremitates dentiū,qui secant,pertinent: pars autē his superior,
palatum nominatur: & ad ipsum adnititur mediū nasi interseptū.quare cum aliquod ex ossibus,quę id
fulciūt,exciderit,tum id interseptū ea parte cauū nasum reddit,eiusq; rei symptoma, simitas appellat.

r.ᵒ apl. 7.ᵒ *Infantiū ἐκλάμψιες und cū pubertate mutationes quādoq; habent,& alias: & in renē dolor grauis,cum cibo replētur.* 4

Cum omnes interpretes hanc scripturam agnoscant:itaq; in omnibus uetustis libris habeatur, qui-
dam tñ recētiores aliter,atq; aliter immutare sunt conati: nā alij ἐπιλήψιες, alij καταλήψιες, alij ἐκλάμψιες A.l.3.c.2.t.5.
scripserunt: quorū explicatio est,significari hoc loco,morbū comitialē in ijs, qui a puerulis ipsum cōtra c.8.p.385.A.
xerunt,cū puerilis ætas ad pubertatē transit,plerūq; desinere:id enim ita fieri apparet,nisi quispiā per id
tempus

A tempus praua uictus ratione usus in causa ipse sit, cur morbus perseueret. gignitur autem plerunq; ex frigida cerebri temperatura, cum humiditate coniuncta: idq; sæpius: propterea quod raro ex alterius membri oritur uitio. discutitur autem, cum pubescunt: modo cetera quoq; ita, ut par est, gerantur: quod totius corporis temperamentum in siccius calidiusq; mutatur: nam quomodo iuuenis sit puero calidior, in libris de temperamentis didicisti: ubi etiam, quô puer sit iuuene calidior, docuimus: iuuenis. n. calidior absolute est: puer nô absolute, sed quod maior in eo sit natiui caloris copia. ceterû qui se Hipp. nominant, uolunt ab Hippocrate dici calidi ἐκλάμψιας hoc est fulgores, ducta translatione a flamma exteriore: quæ ubi uicit materiem, sibiq; totam similem reddidit, effulget, & perspicua cûctis efficitur: quę tamen prius, cum materiem humidam exiccaret, occultabatur. at Zeusis, cuius etiam sententiam Empirici quidam sequuntur, non hoc, sed alio modo ἐκλάμψιν intelligit: quod ex ipsa Zeusidis oratione percipies, quæ huiusmodi est: Infantes uocat Hippocrates ad pubertatem usq;: hi dum pubescunt, effulgēt: hacq; translatione, quæ magnam uim habet, usus est: siquidem eo tempore habitiores, adultioresque fiunt, tum color, formaq; gratior est, ipsiq; uiribus & ingenio præstant. hæc autē omnia simul eueniunt: ac tum pulchritudo in ijs, qui natura formosi sunt, magis elucet. Idem Zeusis ait omnes pueros esse infantes appellatos, ut etiam eos Herophilus appellauit: etenim de hac re scribit hisce uerbis, Vide-
B tur infantes dicere Hippocrates eos, qui ad pubescentium ætatem usque pertinent, non eos, qui nuper in lucem editi sunt, aut quintum, sextumve annum attigerunt, ut pleriq; nunc uocant. sed ipse Herophilus grandes natu uocat infantes, cum ait, Infantibus non multum seminis, non menstruæ purgationes erumpunt, ijdem non concipiunt, non calui fiunt: neq; enim hæc negat illis, qui ad eam usque ætatem peruenerunt, accidere: hoc est, ut primum orti sunt, ut quidam, inter quos etiam Callimachus est, intelligunt, ipsumq; quasi ea, quæ omnes norunt, docentem, irrident: sed illis, qui pubertatem attigerunt: quando in eis quoque hæc accidere quidam existimarunt. atque hæc quidem Zeusis. ego uero, quomodo infantes appellatos esse hoc loco putem, iam ante dixi, ac nunc quoque clarius explicabo. comitialis morbi affectus aut a naturali intemperie excitatur, cum cerebrum ualde humidum fit, ac tunc morbus ipse puerorum nominatur, ut ipse in libro de aquis, aere, & locis indicauit his uerbis: Pueris accidunt conuulsiones, & anhelationes, quæ puerorum facere, sacrumque morbum esse existimant: in qua oratione planum est, subaudiri oportere, affectum, ut sic legatur, quæ puerorum affectum efficere, & sacrum morbum esse existimant: aut etiam oritur is affectus in pueris ob errores, qui Medici operam exposcit. cum autem ex humiditate prouenit, tum statim in lucem editis accidit: & in ætatis mutatione, nobis nullam curationem adhibentibus cessat. qua propter quos pueros, non prima statim ætate cor-
C ripit, cum adhuc infantuli sunt, sed cum ætate processerunt, perspicuum est, eum aut ex praua ratione uictus, aut aliqua alia externa causa originē duxisse: in quibus nô est ætatis expectãda mutatio: sed affectio morbosa, quæ contracta sit, discutienda erit. atqui non mediocris hic existit quæstio, si, ut uetus scriptura habet, ἐκλάμψιας, hoc est fulgores intelligamus, ut Hippocrates, Zeusisque fecerunt: est enim talis oratio: Infantium, cum pubescunt, fulgores caloris cum alias quasdam in se mutationes habent. tum uero etiam eum renum affectum, quem ipse deinceps explanat: ita enim in hac oratione nomen ἐπιληψίας, id est morbi comitialis omittetur. proinde non immerito quidam scribere uidentur ἐπιλήψιες ut alij quidam καταλήψιες. sed hi debebant ad prædictam explanationem deuenire, non quasi ita scriptum inuenissent, uerum quod, ita scribi, melius esse arbitrarentur. ceterum cum, & , sit adiunctum, ipsum nonnulli auferunt, quippe qui duas esse orationes uelint, inter quas cômune nihil sit: quarum altera satis ex his uerbis constet, Infantium ἐκλάμψιες unà cum pubertate mutationes habēt in nônullis & alias: altera uero his contineatur, In renem dolor grauis, cum cibo replentur: ut reliqua de renum uitijs tradat alio sumpto initio, non quod in pueris, cum excedunt ex ephebis in hunc morbû comitialis se cômutet: cum in ea ætate renum morbus oriri non uideatur, sicut lapis in uesica gignitur: qui quidem potius in pueris, renum uero morbus in declinante ætate magis contingit. itaque deinceps ea
D quæ de uitio renum ab eo dicuntur, adscribamus.

5 *In renem dolor grauis, cum cibo replentur, pituitamque vomunt: cum vero dolores redundent, æruginosa: & leuantur. soluuntur autem, cum euacuati cibis sunt: & rufa arenulæ subsident: ac cruentum mingunt: stupet femur, quod e regione est. quiescere non confert, sed exerceri: non impleri: iuuenes ueratro purgare, poplitem secare: urinā cientibus purgare: attenuare, atque mollire.*

Grauem dolorem possumus intelligere, uel eum, qui quasi ponderis alicuius loco insidentis sensum inuehat: uel eum, qui difficilis sit: cum uerum sit, utrunque, diuersis tamen temporibus, in renibus excitari: nam & cum gignuntur, & cum exeunt lapilli, uehementissimi dolores hominem cruciant: & reliquo tempore perinde dolent, ac si pondus quoddam eo in loco situm habeant. qui autem in cauis renum concrescere lapillos putant, aiunt eos, qui ita affecti sunt, in solo transitu per urinæ uias dolorem percipere: qui uero in ipsa renum carne, non solum in transitu, sed etiam illic quo tempore gignuntur, & quo in caua renum pertranseunt, inferre dolorem uolunt. ceterum concrescere in carne renum lapides, qui tophis in morbis articulorum exorientibus proportione respondeant: testimonio orationis, quæ in libro de natura hominis, & de uictus ratione est, confirmant: ea est huiusmodi: Quibus in urina subsident arenosa, uel tophi, ijs in principio tubercula

in crassa uena orta sunt: & ad suppurationem peruenerunt: postea uero tuberculis non celeriter E
ruptis, pus in tophos conuersum est, qui cum urina per uenam in uesicam extruduntur. hæc Hippo-
cratica sententia est: & utroque modo lapides in renibus gigni possunt, & eo, quem nuper dixi,
& eo, quem paulo ante exposui, cum docui, crassum, glutinosumque humorem in renum cauis spa-
tio temporis exustum, & exiccatum in tophi consistentiam redigi. eodemque tempore si qua obstru-
ctio eos obsideat, aut mediocris inflammatio, tum potius ponderis, quàm doloris sensus efficitur,
perinde atque in iecore, propterea quod ut renes, ita etiam iecur perexiguorum neruorum est par-
ticeps. ait autem dolores eo potissimum excitari tempore, quo cibo implentur. cum autem cibus
duo apud Hippocratem significet, oratio in utraque significatione uera est, siue de cibis ingestis, ex
quibus sanguinis gignitur copia: siue de excrementis alimenti, quæ intestinis continentur, intelliga-
tur: quæ sane etiam ex cibi nomine quandoque appellat, ut in libro de ratione uictus in morbis acu-
tis, cum ait, quibus cibus in intestinis inclusus est, si non subducta aluo sorbitionem dederis, magnã »
noxam afferes. quare fit, ut dolor a cibo, qui hoc significet, in renibus excitatus, quod a copia, pon-
dereque excrementorum premantur, ac prægrauentur, cum primum ea descenderint, se remittit, ex
totoque sedatur. at is, quem sanguinis in uenis collecti copia attulit, cum in renes incubuerit, licet
uenam secueris, non tamen ilico tolletur; & quod renum substantia densa sit, & quod cum multa F
sint eis adiecta corpora uis eorum auxiliorum, quæ eis foris imponuntur, ad renes iam dissoluta per-
uenit. eorum autem dolorem non id solum sedat, sed etiam facta per superiorem uentrem excretio;
quæ tam coli intestini, quàm renum dolore laborantibus commune quoddam symptoma est: etenim
renes colo intestino, & colon renibus per peritonæum continenter committuntur. itaque in princi-
pio uomitus pituitosi cientur: siquidem is humor plerunque in uentriculo gignitur ex cibi copia: præ-
sertim uero, si illi crassi, & suapte natura pituitosiores fuerint. si uero affectus augeantur, ac perseuerẽt,
accedit ita affectis, ut sanguine ui doloris, ac uigiliarum corrupto, æruginosus uomitus: præcipue si
præterea & febricitauerint, & inediam pertulerint. ac leuantur inquit, a uomitibus; & ab accessioni-
bus liberantur, non ab affectione, cum cibis uacui fuerint. quo in loco possimus ciborum nomen in
utraque significatione intelligere: sed accommodatius est, ut de ijs, quæ uentre, intestinisque conti-
nentur, accipiatur. tum ait, & rufæ arenulæ subsident: hoc est in urinis: nam & hoc usu uenire apparet,
si rufum colorem esse talem accipias, qualis est ea, quæ sandaracha nominatur. quocirca quidam in
artis exercitatione diligenter uersati aiunt, subsidentia erui similia, quidam sandarachæ speciem refe-
rentia, quidam etiam re uera rufas in eis existere: & duo priora etiam iecoris affectibus comitantur,
tertia uero renum morbis: sicut etiam cum subsidentia colorem arenæ præferunt: nam eorum, quæ G
in urinis subsident, colores ratione maioris & minoris inter se differunt: uerum ex materia crassa, glu
tinosaque plane fiunt, in qua uel maior copia crassi est, uel maior glutinosi, uel utriusque plane par:
unde si ex pituita glutinosa solum, crassaque constiterint, cinereus color erit, aliorum tophorum co-
lori persimilis: qui in aquis natura calidis multis in locis concreti lapidibus, conspiciuntur: & item in
uasis, in quibus aqua calefit. porrò in animantium corporibus ex purulento humore, aut ex purulen-
to, pituitosoque commistis huiusmodi quandoque tophus gignitur, cuiusmodi in articulorum mor-
bo nascitur: eodem enim prorsus modo in his, & in renibus lapilli gignuntur. si uero quibusdam mo-
dicum sanguinis cum crassa, glutinosaque pituita mistum sit, ad rationem exuperantis succi color eo-
rũ, quæ in urinis subsident, reddetur, ut modo sit ex pallido alboque mistus, modo ex rubro atque al-
bo: modo ex flauo, alboque: nonnunquam uero rufus erit, cum sanguinis color ad colorum differen-
tias faciat: quod non semper in hominibus accurate ruber sit, sed interdum ad magis atrum, interdũ
ad magis flauum, rufumque uergat. Vel igitur existimandum est, omnes, quas modo attuli, colorũ dif-
ferentias ab hac uoce, rufum, præter cinereum, significari, cum ait, rufas arenulas subsidere: aut quod
adiecit, cruentum, ex communi sensu dictũ esse, accipiendũ est. dico aũt, quãdoq;: ut enim quandoque
urina cruẽta excerni ab eis uidetur, nõ semper tamẽ, neq; in omnibus renũ affectibus huiusmodi est: H
ita etiam arenulæ rufæ in urinis quãdoq; subsidẽtes apparent: nam in commentarijs de facultatibus
naturalibus quicquid in uenis serosum, tenueque cum sanguine mistum est, id a rene in se ipsum tra-
hi docuimus. cumque meatus, per quos id in uentriculos renum illabitur, latius aperiuntur, etiam ali
quid ex crassioribus simul influit. cum igitur id in uentriculo renis calfactum ad tophi consistentiam
deuenerit, si renum facultas expultrix totum simul cum urinis propellat, arenosa in eis sunt subsi-
dentia: sin autem uentriculo renum impactum sit, & inde ægre dissolui possit, & aliquid aliud sibi si-
mile ex uena caua accipiẽs plus augeatur, (quod. n. recens defluit, semper priori circũ inhærescit) ita to
phus insigni magnitudine cõcrescit. at dicũt nonnulli, cur sanguinẽ mingunt sæpe, quia lapillus exiẽs,
cũ angulosus sit, particulas adiacẽtes ferit, & in causa est, ut sanguis excernatur. Si uero meatus, qui a
caua uena in renem peruenit, fiat patentior, sanguisque sit liquidus, nec multus, nec glutinosus,
tum urina cruenta redditur. dolorem uero stupidum in crus descendentem ob uasorum spinæ dor-
so incumbentium, cauæ inquam uenæ, magnæque arteriæ, cum renibus, cruribusque coniunctio-
nem excitari existimandum est: maximæ enim sunt, quæ in ipsos renes pertinent: post quas non-
nullæ non magnæ lumbis inseruntur: postea utrunque uas bifariam partitum in utrunque crus de-
scendit, perq; ipsum totũ distribuitur. quicunque autem per ureteres, aut quasdam membranas, aut

A neruos, aut etiam peritonæum inter renes cruraque intercedere communionem uolunt, ij sunt corporum dissectionis plane imperiti. Hippocrates igitur hactenus exposuit, quæ renum uitio laborantibus eueniant: deinceps de eorum curatione agit his uerbis: Quiescere non confert, sed exerceri: non impleri: iuuenes ueratro purgare: poplitem incidere: urinam cientibus purgare: attenuare, atque mollire. formulam quandam renum curationis sibi ipse summatim hac oratione effinxit: in qua nonnulla omnis ætatis, corporisque habitus communia, nõnulla uero iuuenum, robustorumque propria descripsit ac communia quidem sunt, quæ prima statuit, ut quiescere, quod in otio uitã degere significat: quod eis inutile esse ait: tum exercitationes, quas cõferre putat: utpote quæ multitudinem euacuẽt, & quod pituitosum, crassum, incoctumque est, ad maturitatem perducant, & attenuent: tum uniuersas corporis particulas corroborent. quo in loco scire debes, non magnas plane exercitationes intelligi oportere, cuiusmodi sunt equitationes, umbratiles pugnæ, palæstræ, pancratij certame, terræ fossio, aut aliquid huius generis: sed omnem motionem absolute, quæ corpus pro ætate, habitu, & robore eius, cuius renes patiuntur, exercere possit. iam uero quod ait, non impleri, est ætatis cuiusque, & habitus corporis commune præceptum. quæ sequuntur ut ipse monuit, iuuenibus conueniũt, quia ait, Iuuenes ueratro purgare, poplitem incidere, ac ueratro purgare, cum affectus ualde inueterarit, & B quasi uecte quodam, ut ita dicam, ad eum extrudendum opus sit: ad eiusmodi enim ueratro utimur. Venam autem incidimus, cũ sanguis copiosus, aut crassus in uenis sit coaceruatus. si uero homo utrũq; remedium exigat, perspicuum est, initium a uenæ sectione sumendum esse. nosti autem eas partes, quæ supra iecur sunt, sectionem uenæ cubiti postulare: quæ infra sunt, crurum: ut uenas in poplitibus, aut omnino circa malleolos secemus. Quod deinceps subiungit, Vrinam cientibus purgare, est ad omnes accommodatum. nec simpliciter dixit, urinam cientibus uti oportere, sed hoc uerbum purgare, adijciens, modum utilitatis inde prouenientis indicauit: quippe cum nou modo crassa, & glutinosa, quæ renibus impacta sunt, expurgent, sed etiam unà cum eis quæcunque per uenas cum sanguine præter naturam feruntur. quod uero in extrema oratione dixit, attenuare, omnibus renum uitio affectis utile est, quos ad ueratrum sumendum præparamus, & item quos, sine ueratro, per uenæ sectionem curamus: aut etiam ab illo sumpto. attenuare autem de humoribus dictum est, siquidem eos attenuare conuenit: mollire uero de solidis particulis: utrunque enim usui est ijs, qui ueratrum sumpturi sunt, ut tuto fiat purgatio: etenim si humores priùs non attenuentur, aut corpora, per quæ fit uomitus, molliantur, & ad distentiones, distractionesque apta reddantur, & ueratrum demus, propter humorum crassitudinem in suffocationis periculum hominem adducemus: uel certe is, qui purgatur, ob duritiam partiũ C in uellicationibus neruorum distentione corripietur, aut aliquod uasculum disrumpetur. quinetiam, licet ueratrum non detur, optimum est, ut humores renues sint, & renum corpora mollia sint, ut per ipsa humores facile transeant: quæ siquis ambo diligenter obseruarit, prohibebit ne in ipsis ab initio lapis unquam concrescat.

6 *Muliebria aqua laborantibus diu perdurant. cum uero celeriter non fluxerint, intumescunt.*

Sunt qui aqua laborantes intelligant eas, quæ aptæ sunt, ut aqua inter cutem corripiantur: sunt, qui eas, quarum sanguis tenuis, aquosusque natura est. potest autem de utrisque intelligi: sed potius conuenit ijs, quæ suapte natura sanguinem tenuem habent, nec ulla alia morbosa affectio corpus infestet: in ijs enim menstruâ purgatio, quam ipse muliebria uocauit, diu perdurat: nam & quod ait, diu, duobus accipi modis potest: aut de diebus, quibus huiusmodi mulieres purgantur, aut de ipsarum ætate. ac si de diebus intelligas, pluribus deinceps diebus has, quàm alias, purgari declarabit: si de ætate, per plures annos: nam in his re uera multus, tenuisque sanguis, ut illis, quæ contrario modo affectæ sunt, paucus, crassusque colligitur. albæ autem sunt priores, ac molles: nigræ autem, ac duræ, & graciles prorsus sunt, quæ melancholicum sanguinem procreant: planumque est, eas temperamento inter se contrario D ab initio constare. quæ autem nunc ab ipso aqua laborantes dicuntur, humidiore, frigidioreque: contrariæ uero, sicciore, calidioreque temperamento sunt. Si uero ex affectu aqua laborauerint, non ipsis omnibus menstruæ purgationes pluribus diebus apparent: quandoque enim ipsa suppressio affectum in eis parit: eademque suppressio propter osculorum, quæ in utero sunt, obstructionem, & item sanguinis crassitudinem efficitur. quam ob rem nonnulli eorum, qui hanc orationem ad eas pertinere uolũt, quæ ex affectu aqua laborant, pro perdurant, scribi censent, perdurare: ut dicas, muliebria aqua laborantibus diu perdurare: iubentque, ut subaudias, uerbum conuenit, perinde ac, ita dixerit, muliebria aqua laborantibus diu perdurare conuenit: ut oratio & ad consulendum, & ad curandum pertineat, eius solum, quod fit, in se narrationem continens. huic consentire aiunt, quod in extremo scriptum est, Cum uero celeriter non fluxerint, intumescunt. ut uelit, quemadmodum pluribus diebus, ita etiam breui tempore huiusmodi mulieres purgari, quoniam menstruis tarde exeuntibus tumores suboriuntur. atqui hoc etiam in ijs contingere ait, quæ sanguinem aquosum habent: siquidem in eis quoque, cũ purgationes statis temporibus non accedunt, carnes aquosiores redduntur.

7 *In Cranone ueteres dolores, frigidi: recentes uero, calidi: sanguine autem plurimi, & qua ex coxendice, frigida.*

Hæc quoque sibi ipse Hippocrates recordationis causa breuiter, summatimque scripsisse uidetur: E
quam ob rem obscurior oratio est: ignoratur enim, utrũ in Cranone solũ dolores extitisse dicat, eosque
in uentre ne, an in aliqua alia parte, an uero affectus cum dolore coniunctos. quod autem ait, ueteres
dolores esse frigidos, recentes uero calidos, etsi perspicue dictũ esse uidetur, tamen ipsum quoq; obscu
ritatem quandam habet: utrum inquam, ueteres dolores dicat eos, qui iandiu oborti sunt, an eos, qui
diu perseuerant; ut etiam recentes, an eos, qui nunc sunt excitati, an eos, qui cito sedantur: & frigidos,
an eos, qui frigoris sensum inferunt; an eos, qui a calfacientibus mitigantur: simili quoque modo ca-
lidos, an eos, qui cum sensu caloris sunt, an qui a refrigerantibus sedantur. quidam autem frigidos esse
dictos putant eos, qui leues sunt: calidos, qui magni: capiuntq; has significationes contra Græcorum
loquendi consuetudinem. cum autem ignoremus, quo anni tempore hos extitisse scripserit, etiam
quando excitati sint, aut quomodo, aut quandiu perdurarint, inuenire plane non possumus. recentes
autem dolores sanguine prorsus factos esse, idem est, ac si dixisset, eos ex sanguine procreatos esse, ca
lido uidelicet, & multo. in ueteribus uero quia succum non adiecit, indicauit, ab alio quodam succo
frigido eos oriri. aitque ex coxendice frigida ipsis accidisse, significans frigidos aut affectus, aut dolo-
res, quos scilicet frigidus succus excitauit. subit autem mihi admirari plerosque interpretes, qui cum
eiusmodi orationes, de quibus affirmari nihil potest, explanant, multa sine demonstratione conscribũt: F
in quibus uero & demonstrari aliquid, & inueniri utiliter potest, aut nihil penitus, aut pauca, & sine de-
monstratione, tanquam mandata literis tradunt.

*In rigores ualidos procedentes, non ualde mitigantur, sed prope statum.* 8

Hanc orationem ita scriptam uetustiores interpretes agnoscunt: recentiores uero in clariorem cõ-
mutantes, scribunt hoc modo: rigores qui ualidi sunt, non admodum mitigantur, sed prope statum:
uoluntque nos hac oratione doceri, omnes rigores ualidos, qui ægrotis accidunt, non admodum alio
morbi tempore, sed solum, cum prope statum morbus est, mitigari. si priorem lectionem sequaris, in ri
gores ualidos procedentes, hoc est affectus peruenientes (subaudiendum enim est, affectus) conuenit,
ut intelligas, eos ante statum non mitigari. quidam autem aiunt hoc loco factam esse status mentionẽ,
qui unum est ex uniuersi morbi temporibus. quidam uero illius, qui ad singulas accessiones pertinet:
ut rigor, quoties ualidus sit, non mitescat, donec prope tempus status accesserit: id quod in aliquibus
contingere apparet, eumque rigorem non ualidum, sed qui calfieri non possit, appellamus: quanquam
licet ipsum quoque potestate ualidum uocare: est enim multo malignior, quàm qui immodice uehe-
mens est, & cito sedatur. quod si totius morbi statũ intelligas, hæc oratio ad quartanas febres erit po-
tissimum accommodata: nam si cum ualidis rigoribus accessiones inuadant, illique nihil se remittant, G
certe fieri non potest, ut ad statum morbus perducatur. ac multo minus eiusmodi quartanæ declina-
tionem futuram sperabis prius, quàm sedatus rigor fuerit. quare hæc oratio pertinet ad præsagiendũ
in febribus ad rigores uehementes tendentibus: quæ, nisi sedato rigore, solui nó possunt: id quod pro-
pe statum usu uenit. ceterum huiusmodi rigores ex frigidissima pituita, quæ uitrea nominatur, aut ex
atræ bilis succo exoriuntur: uerum ex frigida pituita, non uehemens rigor, sed is, qui calfieri non po-
test, procreatur: ex melancholico uero humore tum uterque, tum alteruter. hic autem succus quarto
quoque die accessionem facit: uitreus uero, quotidie. horum tamen nihil interpretes explicant: sed
quæ auditoribus nullam utilitatem afferunt, ea copiosissime prosequuntur: nam & in sequẽti oratione,
quæ ad medicinam maxime pertinet, nullum ex præstantissimis præceptis percepisse deprehenduntur.

*Vrinæ retentiones ante rigorem, si ex bonis processerint: & aluus deiecerit, & somni adfuerint: forsan uero & febris* 9
*modus: forsan uero & quæ ex lassitudinibus.*

Cum utilissimum præceptum, quod millies in ægrotis conspicitur, ignorent ij, qui hunc sunt li-
brum interpretati, quid dicam plane per Deos nescio. atque ut alios minus quispiam miretur, cer-
te Sabinum, & Rufum Ephesium, qui non oscitanter in Hippocratis libris sunt uersati, admirari ual-
de licet, si non urinæ suppressionem critico rigori antecessisse sæpenumero perspexerunt: de qua nunc H
Hippocrates scribit, nosque docet, ut futurum in morbo rigorem criticum præsagiamus. si igitur in
acuta febre alia signa salubria tibi appareant, & crisin instare speres, te scire oportet, urina suppressa,
criticum rigorem necessario fore. quod si nox quoque difficilis præcesserit, & dies criticus sit, tum ri-
gorem futurum certius prædices. Si uero etiam pulsus tibi idem signum indicabit, non modo rigo-
rem, sed eum etiam uehementem fore expectabis. quare quod ait, ex bonis, uel ex urinis solis, uel
ex alijs signis bonis unà cum urinis, intelligendum est. tanta autem in acutis febribus uis est signo-
rum, quæ ex urina sumuntur, ut ei soli fides sit adhibenda. si uero cetera accedant, tum præsagium
erit firmissimum, certissimum, atque perpetuum. uerum urinæ retẽtio fit etiam, cum aluus copiosa est:
signo enim est, serosam humiditatem illuc repere, cuius redundantis triplicem esse euacuationem di-
dicisti, per aluum, per urinas, per sudores. itaque si aluus plura deiecerit, tum non est urinæ suppressio-
ni habenda fides, ut rigorem futurum præsagias. at si aluus nihil deiecerit, proximamque esse mor-
bi crisin prænoris, certe & rigere, & sudare ægrum necesse est. quid autem significant ea uerba, &
somni adfuerint? nam si ut unum ex bonis signis dictum sit, maxime conueniet ijs, quæ modo
sunt dicta. illud uero, si ex bonis procedant. ueluti exemplum quoddam allatum est. at si pro
futuri rigoris signo dictum sit, non debebis de hoc absolute proferre sententiam: siquidem
sæpenumero

A penumero fit, ut nox quæ crisin, quæ inquam rigorem, crisinque præcedit, molesta sit: quo casu firmissimum cum antedictis futuri rigoris præsagium habebis. quandoque autem, sed raro, nox cum bonis somnis tranquilla traducitur, & in his non rigoris, sed excretionis pulsus apparet. quibus de rebus in uoluminibus, quæ de pulsibus sunt, abunde egimus. iubet præterea, ut modum febris contempleris, hoc est, utrum calida, & biliosa, & ardens, an quæpiam sit ex alijs: nosti enim, omnes rigores criticos, qui in acutis febribus, præsertim uero ardentibus excitantur, ex flaua bili, quæ per sensibilia membra ad partes externas comportatur, effici. quo fit, ut febres ex lassitudinibus ortæ, quarum est biliosissima temperatura, tibi quoque sint ad præsagiendum adiumento. hæc igitur est ab externis causis ad præsagiendum ducta utilitas, in uno tibi uelut exemplo proposita: & in alijs externis causis, quæcunq; corpus biliosius efficiunt, ex usu futura: sunt autem hæ, æstus, uigiliæ, curæ, angores, iræ, alimenti inopia, & biliosorum eduliorum usus nimius. primam autem, firmissimamque naturæ febrium notitiam acquires ex ijs, quæ circa corpus apparent: ut in libro de febrium differentia didicisti: secunda uero ab externis causis ducta cognitio non parum ad certiorem fidem eorum, quæ inueneris, conducet. mirabile ergo est, quomodo hoc præceptum, quod utilissimum est, interpretes ignorarint.

10 B *Quibus autem rigores sunt, ijs non admodum abscessus fiunt.*

Raro abscessus oriuntur in ijs, qui cum rigore febricitant: ut in quartanis, tertianisque febribus apparet. in declinationibus enim earum accessionum excretiones multitudinem euacuant. quam ob rem multa noxiorum humorum redundantia fit, oportet, si natura facere abscessum debeat.

11 *Crurum effœminationes uel ante morbum, uel a morbo statim iter facienti accidunt, quia forte aliquid ex lassitudinibus in articulos decubuit: ex quo crurum effœminationes existunt.*

Non potest aperte cognosci, utrum solas imbecillitates appellarit effœminationes, an eas, quæ quia uniuersa crura non alantur, contingunt: quantum enim ad exemplum, quod prius expositum est, pertinet, eas etiam licet intelligere, quæ ex inopia alimenti fiunt: quantum uero ad secundum, cum ait, quia forte aliquid ex lassitudinibus in articulos decubuit: non gracilitates quis recte intelliget, sed absolute imbecillitates, quæ etiam citra gracilitatem crurum actiones debilitare, aut abscessus quoque possint excipere. quod autem in extremo additum est, Ex quo crurum effœminationes existunt: in principio quoque dictum est: quocirca nonnulli uolunt, ut hoc sit antecedens eorum, quæ deinceps sequũtur: adimunt autem in primis illud, ex quo: & quædam ex subsequentibus permutant. ego uero, quod C etiam initio dixi, nunc commemorabo: hoc autem est, huius libri sententias uarie scriptas esse, quemadmodum hæc quoque est: quarum etiam nonnullæ non recte disiunctæ sunt, nonnullæ rursus minus accommodate coniunctæ. quæ omnia si in medium attulero, simulque aliorum errata refutaro, oratio ita producetur, ut exitum nullum repertura uideatur.

12 *Tubercula foras extumescentia, & acuminata, & turbinata, & æquabiliter maturescentia, non circum dura, decliuia, & non bifida, meliora: contraria uero, mala: quamplurimum uero contraria, pessima.*

Ab ijs, quæ ex terra exoriuntur, ducta similitudine, tubercula uocãt homines eos tumores, qui præter naturam sine externa causa prorsus excitantur. præcipue autẽ hoc nomine appellant ea, quæ ad extimum locum prorumpunt. quia uero & lata, & quæ paulo elatiora sunt, quàm naturales partes, nomẽ aliud non habent. ideo ipsa quoque eodem nomine interdum uocant, ut Hippocrates fecit: qui bona esse censuit ea, quæ extumescũt, hoc est, in quibus insignis tumefactio est, uel ea etiam, quæ ad exteriora, non quæ ad interiora augẽtur, ut in præsagijs scriptũ reliquit his uerbis: Quæ foras erumpunt, ac quã maxime extra spectãt, & in acutũ attolluntur, optima sunt. quæcunq; aũt inquit, interius rumpuntur, optima quidem illa sunt, quibus cum externa sede nulla communicatio est: præstat enim, ut extra D uergant: sed si intro uergant, melius rursus in ijs omnibus est, ut ipsorum propensio ad internam partem fit, tuberculorum autem ortus in abdomine est, aut etiam pectore: his enim inania spatia subsunt quæ tuberculorum introrsum spectantium rumorem præter naturã, excipiunt. ex ijs autem, quæ exterius intumescunt, acuta & fastigiata sunt latis meliora: quippe quæ a calidioribus, tenuiorisq; consistentiæ succis gignantur, ideoque celeriter ad suppurationem ueniant: nam quæ a crassis, glutinosisque humoribus, ut pote frigidis procreantur, lata sunt, ægre maturantur, & potius putrescunt, quam maturentur longo temporis progressu. cum his laudat etiam quæ æquabiliter suppurant; etenim quæ ex æqua ipsorum parte suppurant, & reliquas partes omnes suppurationis expertes habent, ea primum quidem quod alijs, quæ statim suppurant, diuturniora sunt: secundo uero, quod difficilius curantur, peiora sunt: nã alijs auxilijs suppurantia, alijs non suppurantia indigent. quæ item non circum dura sunt, meliora sunt ijs, quæ circum dura sunt. circum uero dura uocat ea, quorum medium molle est, ac suppurans: quod uero in orbem id continet, durum est, & suppuratu difficile, aut quod omnino suppurationem non admittit. commendat præterea tubercula deorsum uergentia. ea sunt, quæ fastigium suæ suppurationis deorsum uersus habent: ibi enim adapertis, materia facile defluit. nisi te fugiat, ea ex inæqualibus constare: siquidem ijs quid boni, & quid praui insit. quæ autem æqualem suppurationem habent, & fastigium in partibus inferioribus faciunt, ea sunt optima. non bifida

quoq; bifidis præstare ait: in bifidis enim medium non est sine uitio, sed durum, & suppurationem non admittit. plane autem constat, eorum tuberculorum, quæ inter se contrario modo affecta sunt, quæcunq; inter se plurimum specie differunt, ea uiribus, ac moribus permultum differre. cumque prædictæ differentiæ late pateant, aliquod inter contraria medium sit, necesse est: a quo medio hoc magis, illud minus distet: ut in duris ac mollibus res se habet: satis enim erit in una oppositione, exempli causa id exponere. durum est molli deterius. inter dura uero, quod durius est: durissimum uero est pessimum: ita etiã quod modice molle est, modice bonum censetur: quod ex toto molle, id quoque ex toto est bonum. itaque ut in hac oppositione res se habet, ita ad prædictas omnes traduces. E

13 *Ferinum autumno, & cordis dolores, & horrores, & melancholicum.*

Verum uermes, qui ascarides dicuntur, an lumbricos, an elephantem, & cancrum, an tabem, ut quibusdam placet, an quicquid malignum est, ferinum appellarit, hæc omnia autumno iure gignuntur & propter praui succi redundantiam, quæ eo tempore uiget, & propter inæqualem cæli temperaturam. quare haud mirabile est, si & cordis dolores, & horrores, & melancholiæ autumnali tempore procreãtur. propterea quod ex antedictis causis hæc omnia consequuntur. ceterum de illis omnibus, quæ autumno accidunt, dictum a nobis copiosius est in explicatione, quam in secundum de uulgaribus morbis conscripsimus. F

14 *Ad initia cõsiderãdũ accessiones sunt: itdq; in omni morbo: uelut in occasu exacerbari: & annus ad occasum: et ascarides.*

In secundo quoque de uulgaribus morbis ita scriptum est: Ad initia morborum considerandum, an statim floreant: Hippocrates enim interdum utitur hac uoce, ad principia, ut in hac sententia fecit, ad principia morborum refert considerare, num statim floreant: & cum ait, ad calfaciendum, ac refrigerandum, & siccandum, & humectandum multa quispiam huiusmodi comperiat. quo dicendi genere utitur, non quod repugnet, aut alicui contradicat, sed ut intelligat, quæ ad calfaciendum, refrigerandum, siccandum, & humectandum conducant, posse ab aliquo multa huiusmodi reperiri. in secundo autem de uulgaribus morbis libro explicando ostendimus, nisi quis ita uerba illa accipiat, necesse esse, ut quod ait, ad principia, pro eo quod est, secundum principia, uel circa principia, intelligat. nec tamen in solis principijs id considerandum esse censet, sed in morbis uniuersis. deinde exemplum adhibuit, quod duobus legi modis potest: uno sic, in occasu exacerbari, & annus: tum ab alio initio, ad occasum & ascarides: altero uero sic, uelut ad occasum exacerbari, & annus ad occasum: deinde alio initio sumpto, & ascarides. putat enim diem toti anno proportione respõdere: ut matutino tempori uer, meridiei, æstas, uesperi autumnus, nocti hiems similis sit. dictum autem fusius de his est, ubi sententiam in secundo de uulgaribus morbis declarauimus, cuius initium est, G Ascarides ad occasum.

15 *Infantium tussicula cum alui perturbatione, continuaque febri significat post iudicationem bimestri, omnino uigesimo die, tumores in articulos uenturos.*

Interpretes omnes scriptis æque fidem adhibent: simulque nonnulla eorum, quæ laudant, non intelligunt: & tamen quædam, ut maiore cum affectatione dicam, artis ipsius nerui sunt: quædam uero per exiguam utilitatem præbent, quædam ne exiguam quidem: cuiusmodi sunt, quæ proposita sententia continentur. equidem quæ semper in ægrotis fieri eodem modo conspiciuntur, ea ego digna memoratu iudico: & ex his ea potissimum, quæ magnum usum afferunt: ut paulo ante docui, cum de prælensione per rigorem disserui: nam quandoque in uehementissima febre, quæ uigiliam, fastidium, sitim, impatientiam, & interdum quoque delirium iunctum habeat, cum omnes ægrotantis familiares perturbati lugent, potest quispiam ex arte prædicens rigorem, sudorem, ac morbi solutionem, Aesculapius uideri. at in ea oratione, quæ nunc proposita est, in primis, quid dicat, non est apertum: deinde uero etsi statuat quis se omnes probabiles auctoris sensus habere, tamen ex ipsis nihil poterit prædicere: nam sit ita, ut infans tussiat, aluusque turbata sit, ac febris continua ipsum obsideat, deinde iudicetur utcunque, & in quo quis uelit die, siue octogesimo a partu, siue sexagesimo (nam duobus modis id ex H ponunt, Bimestri, omnino uigesimo die: quidam enim uolunt bimestrem esse, ex quo in lucem fit editus quo die iudicatus infans est: & uigesimum diem esse, ex quo in morbum incidit: quidam uero infanti bimestri morbum accidisse, & post dies uiginti iudicatum esse.) hæc inquam ita se habeant, poterimus nos prædicere, huic puello abscessum aliquem post iudicationem in articulos esse irrupturum: & tamẽ neque semper, neque plerunque id continget. prædictiones autem aut semper certas, aut raro fallaces esse oportet: si uero perraro ueræ sint, ac sæpenumero falsæ, arte carebunt.

16 *Si autem ea, quæ e superioribus partibus in articulos infra decubuerint, infra umbilicum constiterint, bonum: si uero supra, non pariter morbum soluunt, nisi œdemata suppurauerint.*

Hæc de infantibus dici, planum erit ex ijs, quæ deinceps dicentur. hæc tamen oratio non ad res singulas, sed ad uniuersas pertinet, in secundo de morbis uulgaribus, & in aphorismis, & in præsagijs repetita, quos libros iam exposuimus. uult autem abscessus, qui a superioribus partibus in eas, quæ infra umbilicum sunt, decumbunt, bonos esse: qui uero non sunt huiusmodi, non bonos. de ipsorum autem malitia aliquid detrahitur, si œdemata suppurauerint. usus autem est hoc quoque loco œdematis uocabulo pro communi omnium præter naturam tumorum significatione: ut etiam ante diximus.

Qua

17 A *Quæ uero in humeris ſuppurant tantulis, eos breuiore eſſe humero faciunt.*

De infantibus adhuc uerba fieri, ipſe plane docuit, cum dixit, tantulis: ut cenſeat, ea, quæ hic dicuntur, ad initium ſermonis referri oportere. quomodo autem humerus in eis breuior reddatur, in libro ipſius de articulis, & in noſtris in illum commentarijs didiciſti.

18 *Diſſoluet autem & ulcuſculorum ad inferiora eruptio, modo ne rotunda, profundaque fuerint: pernicioſa enim hæc, præſertim uero pueris ſunt.*

A uerbo ἐκθύω, quod eſt erumpere, uocem ἔκθυσιν hoc eſt eruptionem media producta ſyllaba declinauit: ac ſi exitum cū impetu dixiſſet. ait autem ab ijs affectus illos diſcuti, qui abſceſſu egent: niſi rotunda, profundaque ſint: hoc eſt, niſi maxime maligna ſint: ſiquidem ea in infantibus, qui neque dolores, neq; curationē ferre poſſunt, incurabilia ſunt: cum alioqui etiam quæ talia ſunt, ægre ſanentur.

19 *Sed & ſanguis effluens diſſoluet: id quod adultioribus magis accidit.*

Omnibus eiuſmodi malis ſanguinem effluentem prodeſſe, ſæpenumero iam cognouimus. in infantibus uero, quibus de agitur, ſanguis ab initio, niſi raro, non apparet: quocirca adiecit, Id quod adultioribus magis accidit: hoc eſt ijs, qui ætate plus proceſſerunt. quinam autem ſint affectus, qui per abB ſceſſus, quos dixit, & ſanguinis profluuia, & ulcuſcula in infantibus iudicentur, non admodum aperte declarauit: initium enim ſermonis erat hoc, Infantium tuſſicula, cum alui turbatione, continuaque febre: poteſt autem ex ijs ſymptomatis, quæ attulit, de lateris, pulmonis, iecinoris, ac uentriculi affectibus intelligi.

20 *Lachryma in acutis morbis male habentibus ultro manantes, bona: non ultro uero, mala.*

De hiſce lachrymis dictum etiā eſt in præſagijs, atque aphoriſmis: ſed accuratius in primo de uulgaribus morbis, ubi ait, Quibus in acutis febribus, magis uero in ardentibus lachrymæ præter uoluntatem fluunt, his, niſi reliqua ſint letalia, narium profluuium expectandum eſt: qui uero incommode habent, his non ſanguinis eruptionem, ſed mortem portendunt: quæ uerba nos in noſtris in eum librum commentarijs explanauimus.

21 *Quibus palpebra circuntenditur, malum.*

Eadem affectio talem palpebram reddit, qualis eſt in præſagijs deſcripta, cū ait, cutis circa frontem dura, ac prætenta. hoc autem & item alia, quæ deinceps in præſagijs relata ſunt, de acutis morbis dicta eſſe, cum ipſe declarauit, tum hic quoque aperit, cum ait, Lachrymæ in ijs, qui in morbis acutis male habent, ſponte fluentes, in bonis, non ſponte autem, in malis numerantur.

22 C *Malum etiam eſt, ſi, uelut ſpuma, inareſcat.*

Hoc quoque in acutis morbis fieri cernitur, cum illi quā maxime aridi fuerint, & uires imbecillæ: ſiquidem perexiguæ lippitudines ex oculis excidunt, ac mox inareſcunt.

23 *Obſcuritas etiam, malum eſt.*

In acutis morbis obſcurari oculos, imbecillitatem, & interitum facultatis uidendi ſignificat.

24 *Et ſqualor, malus eſt.*

Erat etiam ſqualidū, quod ueluti ſpumā habebat: ſed nunc, licet ſpuma uacet, prauū eſſe, declarauit.

25 *Quique intus corrugantur.*

Cum membrana muſculis oculum mouentibus adhęrens, quæ ad coronam uſque porrigitur, diſſoluta, relaxataque fuerit, tum oculi interius corrugantur: nam ſi exterius corrugarentur, eſſet cutis affectus. hoc autem imbecillitatis, refrigerationiſque ſignum eſſe, argumento eſt, quod in ualde ſenibus id contingit: in quibus rugoſi oculi conſpiciuntur.

26 *Concreti, quique uix uertuntur, & contorquentur.*

Hæc quoque de oculis diſſeruit: nam concreti, hoc eſt immobiles, indicant abſolutam illius facultatis extinctionem, qua muſculi erant præditi, a qua prius, cum in ſuo ſtatu erant, mouebātur. qui uero D ægre mouentur, ij prope ad illam affectionem accedunt. qui contorquentur, aut delirium, aut muſculorum oculos mouentium tremorem declarant. quæ ſane omnia in acutis, periculoſiſque morbis ob noxam principis partis oriuntur.

27 *Et alia, quæcunque omiſſa ſunt.*

Quænam ſunt ea, quæ oculis euenientia omiſſa dicit? an quæ in præſagijs ſcripta ſunt his uerbis, Nā ſi lumē refugiant, aut illachryment; aut peruertantur, alterq; ex eis minor altero fiat; aut quæ in ipſis alba eſſe debent, rubeſcant; aut in ipſis uenulæ palleant, aut nigricent; aut ſordes in his innatans angulis inhæreſcat; hique aut ſublimes ſint facti, aut tumidiores, aut uehementer ſubſederint: quæ quidem omnia nos unà cum ceteris eo in libro declarauimus.

28 *Febres aliæ mordaces manui ſunt, aliæ mites: aliæ non mordaces illæ quidem, ſed increſcentes: aliæ acutæ ſed quæ a manu ſuperentur: aliæ confeſtim æſtuoſæ; aliæ perpetuo debiles, aridæque: aliæ ſalſuginoſæ, aliæ pemphingodes, uiſu terribiles: aliæ manui humidæ: aliæ perrubræ: aliæ perpallidæ: aliæ liuidæ: & cetera conſimilia.*

Hoc quoq; loco in fine huius orationis adiecit, & cetera huius generis, propterea quod ſolas febriū differētias inſignes adumbrauit. primas igitur adſcripſit, ab ipſa propria febriū eſſentia ſumptas. ipſarū aūt eſſentia nō ex Hippocratis ſolū, clariſſimorūq; medicorū ſententia, ſed cōmuni etiā omniū hominū

consensu,est calor pręter naturam,qui potissimum in uniuersum animal diffusus est: sin minus,uel om- E
nino in plures,aut certe in principes partes. ac sæpe uniuersa cutis nullum perspicuum calorem præ-
ter naturam,neque nobis extrinsecus tangẽtibus,neque ipsis ægrotis præ se ferre uidetur: & tamẽ ęgro
ti ipsum in intimis partibus sentiunt, & exuri sibi uiscera aiunt: præterea uero quidam fastidio, siti, ui-
gilijsque cruciantur. nunc uero Hippocrates eas febrium differentias,quas Medici nõ ex ijs,quæ ægro
tis apparent,sed ex ijs, quæ ipsi aspectu,tactuque perspicue sentiunt, describit. itaque primæ ac præci-
puæ, & quæ ex propria,ut dixi,essentia ducuntur,febrium differentiæ sunt, quæ ex calore sumuntur:
siquidem febrium essentia in motu arteriarum non est: qua in re Erasistrati, Chrysippique errorem
iam ostendi. porrò febrilis calor aut acer, mordaxque, aut modice molestus, febricitantium corpo-
ra tangentibus apparet. nam suaue illud, ac familiare, quod natiuo calori inest,nullo pacto in eo est:
ut igitur multa alia,quæ pro minoris,maiorisque ratione inter se differunt,illorum uocabulis, quæ eis
proxima sunt,benignius,quàm uerius loquentes,exponimus; ita de calore parum molesto, facta cum
eo,qui plurimum molestiæ affert, comparatione, nihil prorsus molesti continere dicimus. quandoque
autem calor plurimus,acerrimusque uidetur: sæpe uero non exiguus quidem,sed tamen acerrimus: si-
cut etiam acerrimus, nec tamen multus. & hæc singula, quæ retuli, quandoque non primo manus
appulsu,sed aliquanto post,sentiuntur: ut etiam quæ primo tactu magna, acriaque uisa sunt,tibi quan- F
doque si ægris manum diutius appositam detinueris,imminui uidebuntur. quin & squalidus & perquã
siccus calor,perinde ac si calidum lapidem tangeremus, interdum sentitur: sæpe uero roridum, humi-
dum,ualdeque halituosum se offert,ut e corpore ægroti uaporem quendam copiosum manare perspi
cue sentias. atque horum quoque,ut illorum,quæ prædicta sunt,quædam,quæ in ipso statim initio ap-
parent,perseuerant: quædam uel augent,uel diminuunt eam differentiam,quæ in initio in eis uisa est:
quædam aliam efficiunt,quæ principio neutiquam eis inerat: eamque quæ inter initia uisa in eis est, pe
nitus abolent. atque hæ quidem sunt differentiæ,quæ ex ipsa febrium essentia oriuntur. de ceteris, po
stea uidebimus. prius autem operæ pretium est,prædictas uerbis Hippocraticis accommodare. itaque
cum ait, Febrium aliæ sunt manui mordaces,aliæ mites,declarat,se de ijs loqui,quæ semper aut mor-
daces, aut mites apparent. quare addit,aliæ non mordaces,sed increscentes: significans his uerbis eas
febres,quæ, cum manus inijcitur, mordaces principio non apparent,sed longo tempore detenta ma
nu sensum mordacium afferunt. contra uero affectæ sunt illæ, de quibus ait, aliæ acutæ, sed quæ a ma-
nu superentur: quæ acutæ in principio uidentur,sed paulatim dissoluuntur. acutas autem intelligere de-
bes de calore,qui manui tangentis statim se offert, ac uelocẽ sui motum ostendit: ut acutos quosdam
cursores appellamus, non secus,quàm si celeres diceremus. & acutos morbos uocamus eos, qui cele G
riter cursum temporum suorum ad finem usque conficiunt. siue autem manibus, siue manu dicas illas
differentias. dignosci,nihil interest: perspicuum enim est ei,qui sana mente sit, huiusmodi differẽtias,
non oculis,sed manibus percipi: omnes tamen homines, interdum natura duce,has appẽdices addũt,
ut eorum, quæ exponunt,euidentiam augeant: præcipue autem ijs in rebus,in quibus coniecturis, si-
gnisque quibusdam,nõ cognitione,quæ a sensibus proficiscitur,id quod quæritur,inuenire licet. itaq;
Hippocrates non solum in principio sermonis manuum meminit, sed etiam cum dixit, aliæ acutæ, sed
quæ a manu superentur. Subinde autem differentiam, quæ ex earum magnitudine existit, declarans
ait,aliæ confestim æstuosæ, aliæ perpetuo debiles. qua autem in re huiusmodi opinio tangẽtibus fiat,
ut multus,aut paucus calor esse uideatur,postea uidebimus: nunc satis est dicere, ita uideri: ut enim in
externis rebus si quis clausis oculis flammam tangat,is uel multam,uel paucam eius essentiam sentiet,
cum tamen nulla in qualitate caloris differentia sentiatur,ita etiam in febribus contingit: nam quan-
doque caloris dignotio, quæ ex qualitate est,eadem uidetur esse cũ ea quæ in alio sit corpore: sed quã-
titate differre. ex his uero,quæ mox sequuntur,quod ait,aridæque,satis apertum est: quod addit, salsu-
ginosæ, obscurum: quia quod salsum est,nõ tactu,sed solo gustatu discernitur. Sed magis etiam obscu
rum est,quod post hæc subiungit,aliæ pemphingodes,uisu terribiles. quo loco uaria lectio est: nam in H
plurimis exemplaribus illi uerbo pemphingodes, additum est uerbum,uisu: in paucis uero post uerbũ
uisu,adscriptum est terribiles. ex interpretibus uero Sabinus solus hanc lectionem agnouit, quẽ Me-
trodorus secutus est; & ceteri,qui post ipsos ad hæc usque tempora peruenerunt. in paucissimis tamen
libris simpliciter scriptum inueni, aliæ pemphingodes,nec aspectu addito,nec terribiles. ceterum sal-
sas,siquis ad tactum referat,dicet esse febres,quæ quasi morsum tangentibus afferant: qualis a muria,
& ceteris omnibus salsis corporibus incutit: pemphingodes uero eas,quæ flatuosæ sunt: etenim sæpe
per febricitantis cutim aerium quendam halitum efferri sentimus. quod si non has, sed eas, quæ cum
pustulis sunt,pemphingodes quis uocet, certe omissa erit aliqua ex differentijs necessarijs, ex earum
uidelicet genere,quas potissimum ex ipsa febrium essentia duci monuimus: ut enim ualde mordax,
aut uehemens,aut arida,aut squalida,in multis febribus esse caloris species uidetur,ita etiam flatuósa;
cum manus sibi afferri flatum quendam,qui modo halituosus, modo siccus est,sentiat. cumque nomen
pemphingos multa significet, aliud quisque interpres accipiens, tãquam unum illud solum, quod ipsẽ
statuit,significet,probare sententiam suam auditoribus se putat. Satis ergo forte fuisset dicere, pem-
phingodes febres esse flatuosas: tum quod hæ genere earum differentiarum continentur, quæ hacte-
nus scriptæ sunt,tum uero,quia nisi quis ita intelligat,ipse hanc omisisse differentiam uideretur. uerũ

A cum in plerisq; libris uerbo pemphingodes adiectum sit, uisu, necesse est, ut nos quoque garrulã grammaticorum rationem, quæ ad hæc est etiam quandoque utilis, attingamus: accuratius enim de dictionibus, quæ apud Hippocratem in quæstionem ueniunt, alibi egimus: nunc uero satis erit, me grammaticos secutum, ad illorum præscriptum de pemphingos significationibus aliquid in medium afferre. Sophocles autem in Colchis pro flatu accepisse hoc nomen uidetur, cum ait,

Pemphinge procul a secundo flamine
Abduxit. Idem quoque in Salamine Satyris hoc modo,
Et fulmina uos comprehendant celeriter.
Pemphinge tonitrus, & odoris mali. Aeschylus Prometheo.
O uinctæ recta, ac serpendo, cum flamine.
Primum petes horrisoni Aquilonis domum:
Sed irruentem fremitum, rapiat te, caue.
Pemphingeque uertat procellosa illico.

Sophocles quoque in Colchis pro ipsis radijs hac uoce pemphingos uti uidetur, in his uersibus.

Me magnus intuentem ibi cœpit stupor:
B Pemphinga nam uidi auteam. Ita etiam Aeschylus,
E regione neque pemphinx Solis cernitur,
Nec roseum ostendit os Latonæ filia. Idem autem pro gutta accepit in Prometheo, ut
At tu caue, ne feriat os pemphinx tibi:
Acerbi enim sunt, & letales halitus.

Et in Pentheo, his uerbis:

Humi ne profundas pemphinga sanguinis.

Pro nebula eriam poni uidetur a Sophocle in salamine satyris, in hoc uersu,

Ignis pemphinge omnem ridens sero. Et apud Hibicum, ubi scriptum est,
Densas bibentes pemphigas. quod sane per comparationem quandam dictum est,

sumptam ab ijs, qui procella iactantur: quocirca quamplurimi eorum qui diuinant, de stillis, quæ per imbres cadunt, pemphingas esse dictas uolunt. Callimachus autem hoc modo dixit,

Ne per pemphingas inducentibus sinas.
Flores cadentes circum, pemphinges sonant.
Euphorion uero sic,

pemphingis igitur significationes attulimus. C de quarum duabus ante quoque mentionem fecimus, propterea quod omniũ præstantissimi interpretes Hippocratem in illis significationibus uerbum hoc statuisse uoluerunt. possumus autem illis significationibus declaratis nũc addere tertiã, ut pemphingodes febres intelligamus eas, quæ nobis quasi scintillarum exilientium, ac manui occurrentium imaginem referant: fuerinr autem huiusmodi febres compositæ ex duabus simplicibus iam prædictis, ex flatuosa inquã, & ignea. sed huic explicationi unũ solum aduersabitur, si nomini pemphingodes additum sit, uisu: quam ob rem uocem illam nonnulli merito expunxerunt, qui uero eam non sustulerunt uel febres eas, quæ cum pustulis sunt uel eas quæ animum pertingunt, intellexerunt. quoniam autem febres, quæ pustulas adiunctas habent, a symptomate nomen ducunr, probabile est, ut ipsum pestilentes febres ab hoc symptomate sic nominare uoluisse accipiamus: quando hæc quoque una febrium species est. in ipsa autem pustulas excitari, attestatur Thucydides, qui ad hunc modum scribit: Corpus autem inquit, extrinsecus tangenti, neque nimium calidum, neque uiride erat, sed subrubrum, liuidum, pustulis, ulcusculisque scatens. quicunque autem febres, quæ animum tentant, pemphingodes dictas esse sentiunt, longe a proposira febrium differentia errant: nonnulli enim antiqui medici febrim quandam phreniticam, ut etiam lethargicam, pleuriticam, & peripneumonicam appellarunt: ceterum febrium enumeratio, quæ præsenti oratione D continetur, a differentia caloris existit: ad quam etiam pestilens, quæ putrem calorem habet, referri potest: at phrenitica non potest, quod non, ut alij, ita & Hippocrates consueuir febris speciem phrenitin appellare. neque ea, quæ a symptomate nomen trahit, qualis est, quæ pustulas excitat, in prædictis differentijs est ab ipso comprehensa: ut etiam aliæ, quarum proxime facta est mentio: phreniticorũ enim febris reperitur mordacem habere calorem, qui æquabiliter in totum corpus, & quocũque tempore manum inijcias, profusum, quare prima omnium ipsarum est commemorata. itaque neque illi audiendi sunt, qui salsas febres ab eo sensu qui in ore ægrotantium est, nominari censent: propterea quod constat Hippocratem omnes dignotiones ad manum pertinentes ex caloris differentia, in quo febriũ genus totum, & essentia est, deinceps enumerasse. nam si pestilentem esse appellatam pemphingodem admittamus, ab accidente quidem nomen duxerit, ipsam uero speciem ex propria febrium essentia nacta fuerit. eadem quoque ratione neque illi, qui salsas febres dictas esse uolunt, quæ efficiunt, ut quicquid æger gustet, salsum uideatur, parum febris differentiarum, quæ hac doctrina continentur, meminerunt. si uero inter febrium differentias Hippocrates illas quoque statuisset, certe cum eis illas omnino retulisset, in quibus & saliua, & cetera, quæ gustantur, omnia amara uidentur: quas sane differentias non in febrium, sed potius saporum dignotionibus: febres uero in caloris differentia locare præstiterit: ut enim sapores gustatu, ita febres tactu sentiuntur. Non recte autem uerbum, uisu, additũ

A.l.4. F.1. c.4. c.1. p.806. D. & E.

esse

essea Sabino, qui ita contextum uerborum scripsit, aliæ pemphingodes uisu terribiles, & ante docui, E
& nunc repetam: nempe terribiles dictas esse, a nobis quidem, si cum pustulis, ulceribusque sint: ex
illius uero sententia, cum delirant, & horrifico aspectu intuentur. quid autem de his utrisque sentien
dum sit, iam diximus. simili quoque modo lapsi sunt ij, qui flatuosas uocatas esse affirmant, nec ad tactũ
hanc notitiam referunt, sed ad genus difficultatis respirationis, in qua magnus & frequens spiritus du-
citur. est ergo ueri simillimum pemphingodem febrem dictam esse aut flatuosam, quæ ad tactum per-
tineat, aut pestilentem. cum uero in oratione uerbo pemphingodes adiectum sit, terribiles, sola pestilẽs
indicatur, quæ ab alijs in eo differt, ut eius calor putris sit, qualis in longissima pestilentia, quæ modo ui
get, sentitur: quam ob rem neque calidi, neque æstuosi uisi sunt tangentibus, qui peste erant infecti:
quanquam intus uehementer exurerentur, ut etiam apud Thucydidem legitur, cum ait, Corpus autem
extrinsecus tangenti neque nimium calidum, neque uiride erat, sed subrubrum, pallidum, & pustulis,
atque ulcusculis scatens: intrinsecus uero ita ardebant, ut ne tenuissimis quidem uestibus, aut linteolis
tegi paterentur, neque quicquam aliud, nisi ut nudi permanerent, ferre possent. Pemphigos quoque
mentio est in Cnidijs sententijs, quas ad Euryphonta medicum auctorem referunt, his uerbis: Min-
git parum semper, & urit, pemphixque supernatat, ut olei uiridis, ad modũ telæ aranearum. uidetur au-
tem pemphiga non totam bullam uocare, sed id solum, quod ipsam exterius instar araneæ circunscri- F
bit. Cum igitur Hippocrates maxime proprias, & primas febrium differentias absoluisset, deinceps ad
eas, quæ ex colore sumuntur, accedens ait, aliæ perrubræ, aliæ perpallidæ, aliæ liuidæ. dixit autem perru
bras, & non simpliciter rubras, ut etiam perpallidas, & non simpliciter pallidas: sed liuidas absolute uo
cauit, nihilque addidit, quod incrementum indicaret: ac si eas liuidissimas appellasset: is enim color sem
per prauus est: tuber uero, ac pallidus usitati colores sunt. ceterum perrubræ febres, hoc est uehemen-
ter rubræ uehementissimum calorem subesse indicant: materiam uero esse sanguinem: ita quæ perpal-
lidæ sunt, pallidam bilim testantur. tu uero in eis alui excrementa consideraro: quæ si †cum bile iuncta
inuenies, ex eius effusione colorem naturalem mutatum esse scito: si uero †sine * in febris differen
tia colorem statuito. huiusmodi autem febres, nisi prius cum rigore, sudoreque sint interdum iudicatæ,
tabem afferunt. perrubræ uero inter synochas numerantur, quibus remedio est sanguis ad animi defe
ctionem usque missus: ut in methodo curandi docuimus: ubi etiam magnus usus ex harum differen-
tiarum cognitione ducitur, cum singulæ propriam curationem exigant. Liuidæ autem febres, quæ ipsæ
quoque a colore nomen duxerunt, sanguineum deficere succum indicant: & unà cum eo natiuũ calo
rem: proinde mortiferæ sunt: & nonnullæ ex eis animi defectiones eas inducunt, quæ ex euacuatio-
nibus sequuntur: de quibus in libris methodi medendi actum est. huiusmodi autem febres Euryphron G
liuidas uocat, dum scribit, Febris liuida occupat, & aliàs sinciput, aliàs caput dolet: & uiscera dolore
conflictantur, & bilis uomitu reijcitur: cumque dolor urget, aspicere homo non potest, quia grauatur:
aluusque sicca redditur, & cutis tota liuida, & labia, qualia sunt eorum, qui moris uescuntur. alba ocu-
lorum liuida sunt: aspicit perinde, ac si suffocaretur: quandoque autem id minus patitur: ac sæpe com
mutatur. sed & in libro de morbis, quem Hippocrati tribuunt, Dioscorides uero ab Hippocrate Thes-
sali filio conscriptum putat, morbus quidam liuidus memoratur. eius uero libri initium est hoc, Magna
lotij copia it, ubi excalfactum caput fit. de liuido autem morbo hæc ad uerbum ita scribuntur: Liuido
morbo febris arida comitabatur, & aliàs horror, aliàs capitis dolor: & uiscera dolore afficiuntur, bilis
euomitur, & cum dolor adest, intueri nihil potest, sed grauatur, & uenter exiccatur, color liuescit, labia-
que, & alba oculorum liuida redduntur, ipseque non secus, quàm si strangularetur, interdum aspicit,
coloremque commutat, & ex liuido subuiridis efficitur. Non defuerunt etiam hoc loco, qui febrem
liuidam male exponerent eam, in qua alui excretiones liuidæ apparent. his enim pari modo conueni-
ret, ut nigram eam appellarent, in qua nigra deijcerent. restat extrema orationis pars explicanda, ubi
ait, & cetera consimilia: hoc est, prædictis, similia: postremas autem differentias attulit, quæ ex colore,
non quæ ex febrium essentia ducuntur, quæ tamen propius ad essentiam accederent, quàm quæ ex ali- H
quo accidente proueniunt: quemadmodum cum intermittentes, aut continuas febres esse dicimus:
& intermittentium aliam tertianam, aliam quotidianam, aliam quartanam appellamus: continuarum
uero aliam semitertianam, aliam ardentem, aliam gelidam, aliam succensam, aliam pestilentem, aliam
†toleosam, aliam hepialam. Praxagoras autem inter acutarum differentias, quasdam phreniticas, &
lethargicas, & præterea ictericas febres nominat. recentiores uero non modo continuam, sed syno-
chum febrem quandam uocauerunt: eiusque differentias esse statuunt, quam homotonum, seu acma-
sticam appellant, itemque epacmasticam, & paracmasticam. alias uero diuisione, quæ ad ceteros mor-
bos etiam pertinet, quasdam acutas, quasdam diuturnas febres dicimus: alias uero, benignas & mali
gnas. quinetiam alias ordinatas, inordinatas alias: & alias quoque circuitum seruantes, & erraticas.
nonnulli autem ex ueteribus eas, quæ in diuersis partibus corporis accenduntur, ducto ab illis partibus
nomine uocarunt, & quandam pleuriticam, & hepaticam, & spleniticam febrem nuncuparunt: alijs a
symptomate nomen imposuerunt, ut comotosam, cataphoricam, lethargicam, phreniticam, & icteri-
cam febrim appellari eis placuerit: quarum omnium in ijs uoluminibus, quæ earum sunt dicata tracta
tioni, tibi suppetere potest cognitio. hoc autem loco, quatenus explanãda fuit oratio, abunde est a no-
bis factum: nam præter quàm quod meam sententiam enunciaui, clarorum quoque explanatorum
mentionem

†Al. sine bile inuenies.
†cum bili.

†plaustrũ alij uertunt.

A mentionem feci, ceteris omnibus silentio præteritis, qui de febrium differentia alibi, quam in commentarijs ad explanationem confectis, aliquid prodiderunt, in quibus etiam Archigenes est: de quibus in alio uolumine edisseram.

29 *Corporis contentiones, & articulorum duritia, & ipse æger dissolutus, & articulorum confractiones, malum.*

Contentum & relaxatum, durumque & molle contrario nomine opponuntur. itaque ipse postea dicet, cutis duræ mollitio, contentæ relaxatio: siue cutis contenta, siue articulus, siue corpus dicatur, ita dici intelligemus ad comparationem eius, quod secundum naturam est: quod nec contentum est, nec relaxatum, sed in mediocritate constitutum. contenta autem quandoque propria affectione cõtenduntur: quandoque autem ab alijs attrahuntur: propria autem affectione, ut cum uehementi frigore concreuerint, aut propter aliquam exiccantium causarum, quæ plures sunt, ut nosti, exaruerint. quædam uero a continentibus particulis tenduntur, aut arefactis, aut inflammatis, aut concretis. contra uero quædam laxiora, quàm natura ferat, redduntur, cum multo humore, citra frigus, madent. quæ uero dura sunt, frigore, aut scirrho, aut siccitate arefacta obdurescunt: nam inflammatio non durum, sed renitentem tumorem excitat, ut utres humoris, atque aeris pleni. quemadmodum autem renitens du-B ro persimile propter commune accidens (nam & durum renitens est) uidetur, longe tamen ex propria natura differt; ita & cum molli corpore; ut sensus iudicio uidetur, quandam similitudinem habet dissolutum, eadem tamen affectione non est præditum: cum enim facultas, quæ musculos mouet, infirma est, tum corpora ęgrorum exoluta, ac languida iacere uidentur. quam affectionem indicauit, cum dixit, & ipse æger dissolutus. itemque aperte postea docuit, cum ait, & articulorum confractiones. quidam tamen in hoc nomine κατακλάσιες tertiam syllabam non per α, sed per ι, scribunt, ut decubitus significet. quæ uero sentẽtia sit potior, intelligemus, si quæ de decubitu in præsagijs dicta sunt, attulerimus: Medicus autem inquit, deprehendere ægrum debet in dextrum, sinistrumve latus cubantem, brachijs, ac cruribus parum reductis. aduerte hoc loco brachia & crura parum reducta: nam uel nihil omnino, uel plus, quàm par sit, inflexa esse, utrunque malum est: quia secundum naturam non est. itaque ipse subiunxit, Sic enim plurimi sani cubãt. iccirco postea addit, supinum uero iacere, manibus, cruribusq; extentis, minus bonum. declaratum autem est, huiusmodi decubitum facultatis imbecillitatem significare: idque magis etiam indicatur ab eo, quem deinceps describit his uerbis: Id uero peius est, si decliuis sit, & a lecto ad pedes delabatur: quos sane decubitus in hac oratione ipse insinuauit, cum dixit, & ipse dissolutus: siquidem brachia, & crura parum reducta habere, laudabile est, quod hos fines tran-C sit, maiorem articulorum fractionem denotat: ita enim eam nominauit, in libro uero præsagiorum his verbis, Mortale etiam est, cum hians quis dormit, &, si supinus iaceat, cruribus reductis, atque distractis, hoc est plurimum distantibus. siue autem reducta, siue distracta scribatur, utroque modo confractos esse articulos indicatur: quam ob rem melius est, ut hic κατακλάσιες per α, hoc est confractiones articulorum, quam per ι, id est decubitus scribamus: præsertim cum non satis accommodate de articulis decubitus dicatur, quod Hippocrates de toto corpore, non de articulis hoc nomen usurpare consueuerit.

30 *Oculi audacia delirium significat: & abiectiones, ac peruersiones, malum.*

Audacia delirii indicium est, præcipue uero si cum impudentia iuncta sit, ut sæpenumero dictũ est, abiectiones vero oculorum audaci aspectui contrarium symptoma est. indicat autem oculos adapertos diutius teneri non posse, quod facultas, quæ palpebras regit, imbecilla sit. peruersiones uero oculorum uocat, cum palpebræ inuertuntur, ut in præsagiis scriptum reliquit ad hunc modum, Si uero palpebra, aut labrum, aut nares incuruæ fiant, aut liuidæ, in malis est habendum.

## COMMENTARIVS SECVNDVS.

*Dilatare, constringere, alia quidem, alia uero non.* 1

Hi sunt modi curationũ, qui contrarijs affectibus conueniũt: densata enim dilatanda sunt: densanda uero, quæ plus, quàm par est, sunt dilatata. quocirca secunda huius uerbi στεγνῶσαι, idest constringere, tenui, non denso spiritu legenda est: siquidem non iunctum est ex nomine ἰχνὸν, ut quis forte existimarit, nescius, quod στεινὸν, idest angustum dicitur, ab Ionibus στεγνὸν nominari: cuius rei locuples testis esse Simonides potest in his carminibus.

Non sic aperto in monte quisquam cæsium
Exhorruit Leonem, aut tigrin, obuius
Si solus illi fiat arcto in tramite. F

quo in loco στεγνῇ idem significat, quod στεινῇ hoc est arcto in tramite. constringuntur uero, ac dilatantur præter naturalem modum interdum uasorum quorundam, aut particularum ora, quæ sub sensum cadunt: plerunque uero, quæ ratione solum intuemur, tam in cute, quam imo in corpore. quæ autem adstricta sunt, aperire, ac rarefacere, mediocriter calfaciendo oportet: quæ uero aperta sunt, cogere adstringendo, ac refrigerando. sed perfectam harum rerum, sicut etiam aliorum ad curationem pertinentium institutorum rationem, in libris methodi curandi explicatam habebitis.

*Humores hos expellere, illos siccare, alios inducere: & huic quidem etiam, illi uero non.* 2

In libro etiam de humoribus hæc omnia sunt plenius pertractata, ut in nostris quoque libris de ratione curandi: nimirum interdum opus esse, ut redundantes humores sensibili euacuatione educãtur, aut uomitibus, aut clysteribus, aut purgantibus medicamentis, aut per urinas, aut per sudores, aut per uenæ sectionem, aut per hæmorrhoidas, aut per uterum, aut per scarificationem: interdum uero per halitum digerere medicamentis extrinsecus adhibitis. quorum modorum hunc siccare, primum expellere nominauit. cumque utriusque commune sit euacuare, quod contrarium tertio erat, scripsit, ipsumque appellauit inducere, hoc est, deficientes humores procreare. G est autem perspicuum, nos cibis ac potibus istos inducere, delectis nimirũ qualitatibus, & quantitatibus ad id accommodatis, & data opera, ut concoquantur, digerantur, & corporibus agglutinentur. quod autem addidit, huic quidem etiam, illi uero non, etiam si dictum non esset, perspicuum tamen fuisset: nonnunquam enim uno in homine particulæ quædam in tumorem elatæ indigent euacuationis, quædam uero alimento carentes, adiectionem postulant.

*Extenuare, crassum reddere uas, cutem, carnes, & alia: & hæc quidem, ea uero non item.* 3

Cum uas dicit, totum corpus intelligendum est: ipsum immoderate crassum extenuare, & extenuatũ plenius reddere nobis sæpe propositum est: sæpe uero non ipsum totum sed uel carnes aliquas, uel solã cutim: quandoque uero humores, quos indicauit, cum dixit, & alia. quod uero ait, hæc quidem, ea uero non item, in eodem sensu dictum est, quem in superiore sententia exposuimus.

*Leuigare, exasperare, indurare, mollire, alia etiam, alia non.* 4

Cum ab ipso cõmunem remediorũ scopũ didiceris, facile, quæ particulatim in oĩbus curationis præceptis dicuntur, consequi poteris: H etenim si contraria sunt contrariorũ remedia, certe, quæ præter naturam exasperata sunt, leuiganda erunt: quæque leuigata erunt, exasperãda. sæpe autem & fauces adeo exasperantur, ut sensu ipso percipiantur: itemque aspera arteria, & os, & tota cutis in ijs affectionibus quas scabies, lepraque procreat, & pustulis quibusdam milio interdum similibus, interdum uero minoribus, aut maioribus, partes quoque uentris sæpe exasperantur, cum per eas copiosus, syncerusque humor biliosus excernitur. idem fit, quandoque ex usu acrium, mordaciumque eduliorum; ac plane patet, ius adhibendam esse curationem per ea, quæ asperitati tollendæ sunt: quod ipse leuigare appellauit. contrario aũt modo affecta sunt, quibus exasperatione opus est: id quod in cute, & capitis barbæq; pilis accidit: in capite autem ut in alopecijs, ophiasi, & mydriasi: in barba uero, cum pili tarde, & ægre exoriuntur, in quibus omnia medicamenta experti sumus, quæ ad alopecias faciunt. in alijs autem corporis partibus, & in ulcerum labijs agglutinandis, aut sinibus uniuersis medicamenta abstergentia infundentes ipsas particulas exasperamus: uentrem quoque tenacis pituitæ plenũ medicamentis exasperantibus quinque detergimus. eodem genere cõtinentur pessi, qui ad sanguinẽ ex hæmorrhoidibus euocandum subijciuntur. ulcera quoq; palpebrarũ, quę ψωρώδεις noĩantur, aliquo prius exasperamus, tũ erodẽtibus medicamẽtis oblinimus: idq; agimus, ut ulcerata tubercula uires illorũ in profundum accipiant. scitis

autem,

A autem, me in his peragendis uti consuesse asperis marinarum bestiarum corijs, sepiarumq; testis, & pumice: quæ si præsto non sint, ipso auerso specillo, quod nō latum, sed angustum extremum habeat. iam manantia capitis ulcera, quæ a chores dicuntur, & fauos, & uerucas, & cetera huius generis, quæ medicamentis uolumus discutere, prius exasperamus aut nostris unguibus, idque modice, aut duriore linteolo, aut alicuius eorum, quæ diximus, usu: tum medicamenta imponimus. Indurare, mollire. hæc quoque nobis usui sunt, sæpe in toto corpore, interdum una in parte: quibus enim est subtumidus, & in aquam inter cutem uergit totus corporis habitus, eos linteis prius fricantes, & aspera frictione utentes, & in puluere exercentes, obduramus. qui uero hæc non ferunt, eos Medici emplasticis medicamentis, abstinentia lotionis, & prædictis frictionibus, habita uiriū ratione, easque paulatim augentes arefaciunt. quandoque uero unam particulam eodem modo affectam non secus, quàm quæ dixi, curamus. præcipue autem in artubus id continenter fieri uidetur. immo uero ulceribus omnibus, ubi carne repleta sint, ita cicatricem inducimus: siquidem caro, quæ obduruit, cutis naturam contrahit, fitque cicatrix. contra uero, quæ callum contraxerunt, & obduratæ inflammationes usu contrariorum molliuntur: qua etiam ratione adhibetur indurato lieni curatio. cutem quoque crassiorem ab affectu, quem elephanta uocamus, redditam, cicatricesque duriores, quàm par sit, factas remollimus, B sicut molliores obduramus.

5 *Excitare, stuporem inducere.*

Non mediocrem usum afferri Medicis, ab excitatione sensus, motusque eorum, in quibus illi sint resoluti, inter omnes constat. at stuporem inducere in solis uehementibus doloribus quandoque utile » est: cum medicamenta ex opio, & mandragora, & altercо præbemus: nam & ipse dixit, stupor moderatus dolorem soluit. itaque si quis uehementioribus, aut copiosioribus medicamentis stupefacientibus utatur, is corpora refrigerabit, atq; extinguet.

6 *Et alia, quæcunq; sunt huius generis.*

Ea significat, quæ per repugnantiam antedictis similem efficiuntur, dum calfacimus, aut refrigeramus, aut humectamus, aut siccamus; aut quod excidit, imponimus; aut ea resecamus, quæ in corpora ex toto genere præter naturam sunt; aut quod naturalem modum magnitudine excedit, abscindimus: aut distorta dirigimus: aut obstructa aperimus: aut cetera omnia, quæ in arte curandi exposita sunt: in quibus omnibus hoc commune propositum est, contraria esse affectibus adhibenda.

7 *Deriuare.*

Hoc loco docere incepit modos curationum ad humores pertinentes, quos in libro de humoribus C accuratius descriptos habemus: nunc tamen eos iterabo, ut ad memoriam reuocentur. deriuationem autem appellare Hippocrates consueuit, cum humor aliquis, quem euacuari expediat, non per commodam ferri regionem cœperit, & tamen non admodum procul a cōuenienti, neq; in maxime contrarium locum fertur: quemadmodum si uitiata uesica, aut renibus, euacuari per urinas incipiat: tunc enim melius est, per aluum deriuare: ut etiam si uitiatis intestinis, per uentrem ferri tentet, certe contra in his humorem, qui euacuari debet, ad urinæ uias dirigemus. in mulieribus uero quandoque, ut per uterum fluat, operam damus, uel etiam contra uteri fluorem ad urinæ uias, uel ad uentrem deriuamus. si autem in aliqua huius generis euacuatione uomitum ciemus, id ipse reuulsionem uocat: sicut etiam si uomitus ipsos reuellamus ad uterum, aut uesicam, aut sedem proritantes.

8 *Cedentia reuellere statim, renitentibus cedere.*

Consequens erat, ut deriuationi reuulsionem subiungeret, itaque deinde doceret, quomodo quis optime reuulsionem moliretur: Hippocrates uero reuulsionem prætergressus, ad id statim aggressus est, quod eos nosse maxime expediebat, qui erant recte eos humores, qui in aliquod membrum male procubuerant, reuulsuri: non enim semper manendum est in remedijs reuellentibus, sed aliquod tempus uacuum a reuellentibus præsidijs interponendum est, ut humorem, qui in particula affecta iam in D sederit, excerni permittamus: quando illic permanens, dupliciter partem angeret, & multitudine eam distendens, & sua qualitate molestiam ei afferens. at si humores, qui iam inhæserunt, excerni permiseris, cum ipsam dolore liberabis, tum uero facilius reuellentibus remedijs aliquid proficies: cum pars non amplius præ dolore in se ipsam humores, ea inclinatione, quam a principio non recte acceperant, irritet.

9 *Alium humorem, non prodeuntem, educere: prodeuntem uero, unà exprimere. efficere simile, ut dolor dolore sedatur. dissimilia si sursum repant elata; deorsum soluere; & item contraria, ut capitis purgatio, uena sectio, quando non temere detrahitur.*

Quod ait, alium humorem, non eum qui effertur, educendum esse, planum est ex ijs, quæ in aphorismis, quæque in libro de humoribus declarata sunt: si enim molestus humor excernatur, sitque moderata euacuatio, is permittendus est, nulla alia cura suscepta: quemadmodum si moderatā non sit, facere aliquid Medicus debet, ut tum copiam cohibere, tum mancam euacuationem proritare: quod ipse dixit, prodeuntem unà exprimere. solet enim expressiones uocare effusiones, & inanitiones uasorū. quod uero ait, efficere, significat permutare, aut miscere, ut nosti. ignoratur autem, utrum antecedentibus, an consequentibus sit adiungendum: siquidem utroque modo non proprie dictum uidetur. quo circa nonnulli tanquā ex superioribus cōsequens, illis adijciunt, tum alio sumpto initio, legunt, simile, ut dolorem

ut dolorem dolor sedat: alij ab ipso uerbo incipiunt,& ita progrediuntur, efficere simile, quia uero, ut E
dixi, neutro modo uerisimile est, plerique adducti sunt, ut scripturam commutent, ut in alijs multis, in quibus ex uno nomine obscuritas inerat, fecerunt. itaque nonnulli legunt ἀγριαίνειν .i.irasci, nonnulli ἐγγιαίνεσθαι.i.efficere simile: aiuntque id, quod sequitur, exempli loco dictum esse, ut dolor dolorem sedat: quo sane modo in multis libris scriptum reperitur: sed nec etiam recte scriptum in exemplaribus Dioscoridis est: utpote quod uideatur ab aliquo adscriptum, tum inter uerba auctoris a librario relatum: quod uero ἐγγιαίνεσθαι legunt nimis affectatum est,& ab Hippocratis loquendi consuetudine remotum: idque siue ad nos, siue ad particulas, quibus adhibetur curatio, siue ad humores referatur: cum illi hoc uerbo putent significari, eos ueluti ad iracundiam impelli, & ad excretionem excitari: sed hæc & contemnenda,& parui plane momenti sunt, ut etiam cetera omnia, quæ de uocabulis, seruata, rerũ ueritate, disputantur. si uero res euertantur, huiusmodi quoque scripturæ fugiendæ sunt nobis: ut hoc etiam loco usu uenit, ubi omnes ferme interpretes quasdam fieri quãdoque per similia curationes concedunt, non autem semper ex contrarijs. quod Hippocrates suspicatus quosdam esse existimaturos, illorum errorem uno exemplo in aphorismis indicauit, Est autem, inquit, ubi in distétione neruorum sine ulcere, iuueni quadrato, media æstate, multæ aquę frigidæ affusio calorem reuocat; calor enim hæc soluit. quispiam autem putabit simili auxilio se neruorum distentionem curaturum, qui affectus frigi- F
dus est, ei frigidam affundens: & tamen non ita se res habet: prodest enim tale remedium, quia calorem reuocat: quod nisi faciat, summopere nocebit. ut autem hoc, quod frigidum esse remedium uidetur, adiumento est frigido affectui, calfaciendo hoc est neruorum distentioni, ita alia sunt calfacientia, quæ ex accidenti refrigerant, quod igneum calorem discutiant. de his autem in omnibus methodi curandi libris actum est a nobis, ubi curationem per ea, quæ affectui contraria sunt, fieri perpetuo, docuimus. qui uero maiore dolore minorem curari putant, maximo in errore uersantur: propterea quod nõ dolor dolorem curat, sed remedium cum dolore adhibitum, quod affectum, a quo dolor excitatur, tollit: nosti enim nulli symptõmati primum, sed affectioni, a qua symptoma existit, semper curationẽ adhiberi. si quis uero nunquam primo, sed quandoque ex accidenti, similia similibus curari dixerit, medijs quippe ijs, quæ sunt primo contraria, is uera dixerit, atque ita rem se habere, non rationibus ad scientiam accommodatis cum in uolumine methodi curandi, tum in commentarijs in aphorismos probauimus. quod autem aiunt quidam, in coxendicis dolore adusta coxa, dolorem dolore sanari, patet, quàm sit absurdum: neque enim affectus a dolore, sed ab exustione, cui forte contigit, ut dolorem iunctum haberet, sublatus est: nam si quis eam partem contudisset, aut secuisset, aut quouis alio modo dolorem inuexisset, is non utique sanauisset: & tamen si dolor auctor sanitatis extitisset, quoquo modo G
illatus coxendicis morbum sustulisset: ita si quis dolentem dentem eximat, hominemque dolore liberet, is non dolore, qui excitatus in euellendo dente est, sed euulsione, cui dolor comitatur, id est consecutus. ac si dens eximi sine dolore potuisset, nihilo secius homo esset dolore liberatus: ut etiam si quis dente non exempto, eum comprimat, aut quatiat, doloremque creet, is dolorem quidem augebit, sed nihil tamen proderit. utroque igitur modo apparet, dolorem quatenus in se est, esse dolentibus inutilem: multæ enim particulæ dolore uexatæ ijs remedijs, quæ dolorem sedãtia nominantur, curari solẽt: in alijs uero persæpe magni dolores excitati ab ijs, quæ extrinsecus superdabantur, nullam leuationem partibus ex affectu aliquo dolentibus attulerunt: unum enim solum est remedium, quod scilicet affectum ipsum siue cum dolore, siue citra dolorem tollit: uerum dolor suapte ratione dolorem non discutit, sed contra, omnino irritat. hoc igitur exemplum perspicue falsum est: quare ad aliud transeamus eorũ, quæ in mediũ afferunt,& eius uitium consideremus. aiunt igitur uomitu uomitũ, itẽque acri clysteri mordaces deiectiones sæpe curari. sed hic quoque unica medela est, ut præcidamus inquã affectionem, quæ causa sit, cur uel nauseabundi sint, uel crebro morsu excitati ad excernendum exurgant, id autem dupliciter, ut nouistis, efficitur: altero modo, si humores, qui nauseam, intestinique morsum procreant, euacuauerimus; altero, si eos concoxerimus, in optimamque mutauerimus qualitatem, aut H
contemperauerimus: sed in his quoque curationem ex contrarijs effici, probatum est: nam prorsus euacuare eum humorem, qui alienus, ac præter naturam sit, eius est retentioni contrarium: qualitatisque mutatio ex contraria qualitate efficitur. sed non est nunc huic quæstioni locus, cum in toto uolumine methodi medendi semper curationem ex contrarijs fieri demonstrauerimus. uerum cum empiricorum methodicorumque rationibus adducti quidam id refellere conantur, eiusmodique rationes, cuiusmodi nos modo memorauimus, afferunt, erit fortasse melius, ut, absoluta huius libri explanatione, librũ aliquem conficiam, in quo probem, contraria primo, & per se contrariorum esse remedia: ex accidenti enim caluus medicus caluum ægrotum, similis similem, qui acuto capite est, eum, qui itidem acuto capite sit; claudus claudum curare poterit. erit autem huius libri, quem compositurus sum, inscriptio, hæc, Recte ab Hippocrate dictum esse, contraria & contrariorum remedia esse. nunc uero ad propositæ dictionis expanationem reuertamur: cuius primam syllabam per ι & ε in uetustis libris scriptam esse, & ita exaratam uetustissimos interpretes agnouisse dicebam. iam Dioscorides, qui multas alioqui ueterum scripturas permutauit, hanc ita seruauit. itaque Hippocrates, ut alia quam plura, ita & hoc efficere simile, sibi tanquam per commentarium, per notas obscure ac breuiter scripsisse potest. cum autem prædixisset: quandoque melius esse, ut quæ euacuantur, adiuuemus, subiunxit, efficere

re

A re simile, hoc est, cum humore, qui probe uacuatur, alium commiscere. possumus quoque id, quod sub dit, dissimilia, in eandem sententiam exponere: siquidem dissimiles humores unà cum illis, qui probe uacuantur, exprimere expedit. si uero quis uerbum efficere, pro eo quod est, mutare, & alterare, & concoquere uelit accipere, ita quoque inde sensus ad medicinam accommodatus elicietur: nam si quis hu mor recte excernatur, cum eo quoque simul exprimere, hoc est assimilare, & simul excernere conuenit eos, qui euacuationis indigeant: siue illi cum eo similitudinem siue dissimilitudinem habuerint. possumus quoque dictionem distinguere, & statuere prioris partis finem hoc, efficere simile: posterioris uero postea initium statuere id, quod ait, dissimilia, si sursum repant, deorsum detracta soluere: ut sit hæc sententia, humores, qui membris sunt in totum dissimiles, si sursum repant, infra detracti soluendi sint: si deorsum uergant, sursum reuellendi: ut dissimilia hoc loco dicta intelligamus ea, quæ a natura locorum aliena sint. eadem quoque erit huius loci expositio, si scriptum sit ἐρεθίσαι hoc est irritare: dicemus enim, irritare simile, habere hunc sensum, ut quisque nostrum humores fluidos illis similes reddat, qui euacuantur. simili quoque modo qui dissimiles sunt, similes reddi debent. potest etiam irritari, ut quibusdam placet, per translationem sumptam ab animantibus, in uenerem concitatis, dictum « esse: quo sensu ipse hoc eodem uerbo usus uidetur, cum ait, Medicari in ualde acutis, si irritentur, eodé B die. nam de humoribus ad excretionem paratissimis, & ad euacuationem properãtibus, & in hoc aphorismo, & in alijs uerbum irritandi usurpauit: ita, inquiunt, uerisimile est, ut nunc quoque irritare de humoribus dixerit, hoc est eos ad excretionem promptos efficere. rursum igitur alio sumpto initio hanc orationem ad aliquod utile, quo ad eius fieri potest, perducamus. cum enim dixerit, si sursum repãt elata, infra soluere, & item contraria, quod ait, elata significare incitata putandum est: ut de prima affectus origine loquatur, iubeatque ad loca contraria statim esse reuellendum: ac deorsum quidem in ijs, quæ superne ortum ducunt: sursum uero, in ijs, quæ inferius oriuntur: ut eadem ratione auxilium afferamus, & ad contraria loca perducamus. itaque si in pedes, & crura decumbere destillationem sen tiamus, sanguinem ex uena cubiti detrahemus, aut uomitibus purgabimus. non autem faciendum est, ut quidam putant, hoc est, nunquam sursum reuellendum, etiam si humores in inferiores partes impe- † tum facturi sint, magnumque aliquem in eis affectum excitaturi. possumus etiam intelligere, dictum esse, sursum elata, de humoribus superiora petentibus, ut uox, elata, magis propriedicta sit. & tamen eadem est sententia: elatos enim humores hoc est eos, qui in sublime feruntur, cum non recte sint con citati, deorsum reuellere oportet. qui uero contrario motu cientur, contra: ut in capitis morbo purga tione per aluum, & sectione uenæ cubiti utendum est: siquidem utraque uacuat, infraque reuellit. est C autem uerisimile etiam contraria ab ipso in hunc esse dicta sensum: sursum elatos, genitosque affectus statim in principio reuellere conuenit, ac deinceps contraria horum efficere, hoc est e locis euacuare, ut in capite, cum igitur, cuius posterior capitis pars dolet, recta in fronte uena incisa iuuat: quod remedium loco adhibitum est.

10 *Abscessus, quales bubones, signum sunt germina habentium, cum aliorum, tum uel maxime uiscerum: maligni autem sunt.*

Galeni explanatio non est.

10 *Spiritus parui, crebri: magni, rari: parui, rari: crebri, magni: extra magni, intus parui: intus magni, extra parui: hic qui extendat, ille, qui urgeat: duplex uero reuocatio, ut ijs, qui superinspirant: calidus, frigidus.*

†Hoc plane declaratur li. 3. de diff. resp. cap. 3.

* Spiritus creber inflammationem in partibus supra septum transuersum significat: magnus uero, & longo tempore attractus, delirium indicat: frigidus uero, si ex naribus, oreque prodierit, mirum in modum iam perniciosus est.

D

*Oscitationum continuarum remedium, longus anhelitus est.*

Hanc etiam orationem in secundo de uulgaribus morbis libro exposuimus.

11 *In his, qui a potu abstinent, & uix breuis anhelitus.*

Vt in secundo de uulgaribus morbis quamplurimi libri hanc orationem ita scriptam habent, In ijs qui a potu abstinent, & uix longus anhelitus: ita hoc loco, breuis anhelitus. sed de utraque lectione in commentarijs in secundum de uulgaribus morbis satis est a nobis disputatum.

12 *Per rectum & costarum dolor, & contentiones hypochondriorum, & lienis elationes, & ex naribus eruptiones: & item aures per rectum. horum plurima huiusmodi, & in oculos.*

In plerisque exemplaribus hæc oratio ita scripta est, ut modo a nobis allata est: raro autem hanc quoque inuenies: per rectum & costarum doloris, & contentionis hypochondriorum, & lienis elatio nis, & ex naribus eruptionis: quam sane lectionem ego & accommodatam ad medicinam, & perspicuam esse probo. & tamen quod altera lectio declarat, idem est: nosque hanc in secundo de uulgaribus morbis iam explanauimus. nunc uero superuacaneum est, quod de auribus, oculisque subiun-

xit

xit, quippe cum hæ partes ab eo comprehendantur, quod per rectum dicitur: sicut aliæ quoque, duo- E bus modis: & cum ex se ipsæ in alias quasdam partes materiam recta uia propellunt, & cum alia membra patientia in oculos, aut aures humorem amandant.

*Vtrum igitur omnium, an quæ ab infernis sursum, qualia quæ circa maxillas, aut etiam oculum, aut aurem. quæ uero a supernis, deorsum, non per rectum. atqui & rubores in angina, & costarum dolores, per rectum.* 13

In secundo uulgarium morborum uolumine hæc oratio dubitationem iunctam non habet, utrum facto ab inferioribus in superiores partes abscessu, semper recta uia utiliter seruetur: ex superioribus autem in inferiores corrumpantur, fiantque per rectum abscessus quidam. sed incertum est, utrum secundus liber de uulgaribus morbis, an hic, prius scriptus sit. nec ideo secundum esse ante hunc confectum, quod ille secundus, hic sextus nominetur, putandum est: cum in ijs, quæ, ut ederentur, conscripta ab eo sunt, huiusmodi ordinem apparere, consentaneum sit, in commentarijs uero non item: etenim quæ uarijs in chartis, aut tabulis ab Hippocrate conscripta essent, ea aiunt a Thessalo eius filio collecta, & hosce duos libros, secundum, & sextum ex illis esse conflatos. sunt qui ex eis quartum quoque constare uelint: primum uero, atque tertium conscripros esse, ut in apertum proferrentur. quam ob rem quidam arbitrati sunt ea, quæ in secundo habentur, prius scripta esse: posterius uero, quæ in hoc F sexto insunt: ideo par esse, ut cum postea Hippocrates, abscessum in inferiora non per rectum, utiliter factum esse conspexisset, animum ad hæc conscribenda appulerit. si uero dubitabat, cum hæc scriberet, postea uero adhibito illis, de quibus ambigebat, iudicio, firmam in secundo de uulgaribus morbis libro sententiam tulit, maior est illis quæ in eo libro sunt, fides adhibenda. hæc igitur, quæ nunc scribit, At qui & rubores in angina, & costarum dolores per rectum, de commutatione non ex costarum morbo in anginam, sed ex angina in morbum costarum, intelligenda sunt: quia illa superne deorsum uergit: de qua dubitans dixit, quæ uero a supernis inquit, deorsum, non per rectum. hæc igitur sibi ipse subiunxit: post quæ attulit, quæ sequenti oratione continentur ad hunc modum.

*An ea quoque, quæ infra iecur sunt, e supernis distributa sint: ut quando in testes, ac uarices decumbunt.* 14

Cum prædixerit, ex angina dolores costarum per rectum fieri, deinceps quærit, an in ijs quoque abscessibus, qui in partibus corporis inferioribus fiunt, semper id seruetur, ut per rectum efficiatur, necne: quemadmodum in superiore oratione dubitauit: sed illic dixit abscessus, qui ad inferiora, hic uero infra iecur: ut superiorum, inferiorumque omnium corporis partium terminum statuere iecur uideatur: conuexa enim eius pars septo transuerso annexa est: itaque cuncta, quæ supra iecur sunt, eadem G etiam supra septum transuersum sunt, ut cor, ut pulmo, & quod hæc continet, pectus: ac multo magis ceruix, & caput: cetera uero omnia in partibus inferioribus corporis esse dicuntur: superiora tamē inter se collata, partim magis supra, partim minus sunt: solemus autem nos in ijs omnibus, quæ ita dicuntur, quādoq; quod minus supra est, infra esse dicere: facta nimirum cum eo, quod superius est comparatione: quod uero minus infra est, id supra esse, comparatum s. ijs, quæ ipso inferiora sunt. quocirca ob huiusmodi locutionis negligentiā, quæ longa iam cōsuetudine introducta est, ambiguitas, cōfusioq; in orationibus suboritur: cuius nos memores, cum ipsum dicentem audimus, abscessus, qui inferius procumbunt, meliores esse, considerare debemus, in quā significatione, inferius, dictum sit: ac simul membrorum dignitates distinguere: etenim ob hanc ipsam rem abscessus, qui in superioribus partibus excitantur, sunt plerunque grauiores, quod ea membra maius, quàm inferiora, eodem affectu laborantia, periculū afferant: nā si cerebrū, si guttur, si gula, si pulmo, aut pectus, aut cor inflāmatione obsideantur, mortifera ægritudo erit: at si quæ infra iecur sunt, inflammata sint, pauci admodum pereunt, præcipue si curatio recte adhibeatur. iam in ipso iecore conuexa pars est, quàm concaua, periculosior. quidam uero & ipsum, & os uentriculi in supernis totius corporis partibus statuunt. sed hæc a nobis præter institutum dicta sint, quamuis præter institutum non sint. quod uero est reliquum explanationis, ad H propositam orationem pertinentis, absoluamus. Videtur inuestigare Hippocrates, an quæ ex superioribus partibus infra iecur, ut in testes, & uarices demittuntur, melius sit per rectum fieri, an uero licet per rectum non fiant, illis tamen æque auxiliari queant. in quibusdam autem ne dignosci quidē potest, utrum per rectum facta sint: ut uarices facto per rectum abscessu, in causa fuisse, ut furor sit curatus: siquidem discerni non potest, in dextris ne an in sinistris cerebri partibus orta affectione sit furor excitatus: ut etiam si in diuturna tussi sine lateris dolore abscessus in testiculum procumbat. Fortasse uero etiam in his, licet utra cerebri, aut pulmonis pars affecta sit, certo scire nequeamus, tamen recta partium uia seruatur. sed & insaniam mariscæ sæpe sanarunt: cum tamen hic quoque, utrum per rectum fiant, nesciamus. quin etiam planum est, copiosa sanguinis per uterum euacuatione multos morbos esse discussos, & tamen in hoc etiam casu utrum ex dextris, an ex sinistris, an ex utriusque partis uteri uenis sanguis fluat, non possumus discernere. in his igitur difficile cognitu est, aut ne cognosci quidem potest, utrum quid per rectum fiat. ceterum ubi dignosci potest, per rectum fieri, ibi uidetur Hippocrates admonere, ut in ijs abscessibus, qui infernas partes petunt, an perpetuo meliores sint, qui per rectum procumbunt, consideremus.

A.l.3.f.22.c.1 c.15.p.743.A

15 A *Spectanda autem hæc ſunt, quo, unde, & quam ob rem.*

Incertum eſt, utrum his ultimis ſolum, an ijs omnibus, quæ dicta ſunt de abſceſſibus, qui per rectum fiunt, aut non fiunt, hoc ſubiunxetit. quod autem ait, habet hunc ſenſum, Spectãdus inquir, eſt locus, in quem abſceſſus decumbit, quod ſignificat eo uerbo, quo: & particula ex qua fiat, quod indicat uerbũ, unde: præterea uero cauſa, propter quam fiat abſceſſus: id quod innuit ipſe, cum ait, & quam ob rem: noſſe enim oportet, utrum a natura, concocto morbo, an ab incocto humore noxio ex uno membro in aliud influente abſceſſus factus ſit. poſſet etiam quiſpiam hæc a prædictis ſeiungere, & principium ſtatuere eorum, quæ ſequuntur, hoc modo: hæc autem conſideranda ſunt, quo, unde, & quam ob rem uenæ temporum non firmæ ſint, nec uiriditas ſplendida. dixi poſſe totam hanc orationem ita diſtingui: ut etiam alio modo poteſt, ſic, uenæ temporum non firmæ, neque uiriditas ſplendida: ſi ſpiritus intus relinquatur, & quæ ſequuntur: niſi enim uiriditas ſplendida in oratione interiecta eſſet profecto diuidi multis modis poſſet, quippe cum non liber, ſed commentarius ſit: qua de re iam ſupra dixi. ſed cum hoc quoque ſit interiectum, uiriditas ſplendida, multo obſcurior oratio eſt. diximus autem alibi, cum hoc nomen χλωρὸν id eſt uiride in oratione reperitur, quiſnam color ab eo ſignificetur, perſpicue cognoſci non poſſe: ut etiam ſi χλίασμα ſcriptum ſit, ſicut quidam ſcribunt: nam & hodie uidemus, ut
B in Co Hippocratis patria, ita in tota noſtra Aſia χλωρὰ nominari olera, arbores, plantaſq;, quaſi χλωραὶ hoc eſt herbidas, iumenta χλωράζειν dicimus, quæ uerno tempore herbam paſcunt. quinetiam homines quoſdam χλωροὺς dicunt, non quod colorem habeant herbis ſimilem, ſed pallidum potius. quare incertum eſt, utrum Hippocrates ſubpallidum colorem appellet uiridem & herbaceum, quod admodum multis accidere uidetur: an herbæ ſimilem, quod perraro accidiſſe conſpeximus. cum autem hoc nomen obſcurum ſit, maior etiam adiungitur obſcuritas, quod adiectum eſt, ſplẽdida. nihil enim excogitari poteſt, quod his uerbis, uiriditas ſplendens, ſignificare uoluerit. quam ob rem interpretes, qui totam hanc obſcuritatem uitare uoluerunt, ita ſcripſere, Nec color ſplendidus: aiũtq; ſplendidum de natiuo ægri colore intelligi oportere: quam ſententiam Sabinus quoque ſecutus eſt.

16 *Cum uenæ temporum non firmæ ſunt, nec uiriditas ſplendida, ac ſpiritus intus relinquatur, aut tuſſis arida, non ferina, tunc expectare oportet, ut morbus in articulos firmetur per directum diſtentionum, quæ in uentre ſunt.*

Dixi, hanc orationem ſine prima eius parte legi per ſe poſſe, hoc modo: ſi ſpiritus intus relinquatur, & cetera. ſpiritum aũt nunc intelligimus eum, qui naturalem modũ excedat: ut ſit oratio huiuſmodi: ſi aliqui ex morbo ſubleuati ſint, uenaſq; tẽporum non firmas habeant, hoc eſt, quæ latius dilatentur; nec color natiuus adſit, maiorq; ſit reſpiratio, & reliqua, quæ deinceps adduntur, his abſceſſus in articulos
C expectandus eſt. quæ aũt deinceps conſequuntur, ſunt hæc, in primis tuſſis arida: deinde non ferina. ac tuſſim aridam appellare eam ſolemus, in qua nihil expuitur. hoc autẽ ita dictum ſi in libro aliquo literis mandatum eſſe auctorem obſcura dicendi rõne delectari plane declararet: at ei, qui ſibi quædã pro cõmentario adumbret, id nemo uitio uerterit: ſiquidem ſolemus ipſi nobis multa notis quibuſdam ita adnotare: quod etiam Hippoc. hoc loco fortaſſe fecit, cũ de pluribus affectibus loqueretur: ut de tuſſi arida in pulmonis, laterisq; inflãmationibus: quibus etiam illa uox, ſpiritus, adſtipulatur: & quæ ſupra de ijs, quæ ad faciem pertinent, dicta ſunt, ad febres calidas, & perurentes referãtur. poſſunt illa quoq; de pectoris, pulmoniſq; affectibus ĩtelligi, erit aũt tota oratio huiuſmodi: ſi unà cũ prædictis aridæ tuſſes diutius hominẽ occuparint, abſceſſus in articulos expectãdus eſt. ſed cum obſcurã quandã tuſſibus conditionẽ adiunxerit, aliam quæſtionẽ attulit, quænã ferinæ tuſſes ſint. quidã lumbricos ad os uentriculi perlatos, oſq; mordẽtes in cauſa tuſſium aridarũ eſſe uolũt: quod ſi re uera ita euenire uideret, nulla exiſteret quæſtio: at millies os uentriculi a lumbricis ſine tuſſi infeſtari cõſpicimus. quã ob rẽ pleriq; interpretes ad alias explanationes aĩum direxerũt: itaq; nõnulli pro ferino tabidos intellexerũt, quod eis ungues, nõ ſecus quàm feris incuruescant: nõnulli uero ad malignũ morbũ traducunt: etenim in abſceſſibus, qui per iudicationẽ fiunt, ut incoctum, ita etiã ſalubrẽ eſſe morbum oportet: qui enim conco
D ctus eſt, is ſolutionem ſine ullo abſceſſu pollicetur: pernicioſus uero, ne abſceſſum quidẽ ullum criticũ fore nũciat. at ſi diutius incoctus morbus maneat, ſalubriſq; ſit, certe aliquis expectãdus abſceſſus eſt. ac morbum quidẽ incoctum, & ſalubrem diutius perdurare oportere, ut ſpes ſit, abſceſſum fore, ipſe in
" præſagijs perſpicue declarauit his uerbis: Qui urinam tenuẽ, & crudam diu reddunt, & reliqua ſaluta
" ria ſigna ſunt, ijs abſceſſus in locis ſepto tranſuerſo ſubiectis expectandus eſt. erit igitur tota oratio huiuſmodi: ſi aliquis pectoris, pulmonisq; morbus incoctus permaneat, nihilq; maligni iunctum habeat, abſceſſus expectãdus eſt. incocti uero ſignũ eſt arida tuſſis. ſi quid ſpuatur, coctionis erit indicium: idque quod expuitur, ſi liquidũ tenueq; ſit, mediocris; ſi craſſum, perfectæ coctionis eſt, nota: ſed de his plenius actũ eſt a nobis in cõmentarijs, quos in librum de rõne uictus in morbis acutis cõſcripſimus, itẽq; in libris de criſibus, & eo, qui eſt, de tẽporibus morborũ. quod aũt in fine orationis ſcriptũ eſt, cũ ait, diſtentionũ, quæ in uentre ſunt, plurimi addũt ſuperioribus: nõnulli uero uolũt ipſum per ſe propriã habere ſententiã. quare ſi prædictis adiungamus, talis erit oratio, cũ in prædictis abſceſſum fore ſperabis, diſtentiones, quæ in uentre ſunt, conſiderabis: quia ex eis facere coniecturam poteris, utrum in dextram corporis partem, an in ſiniſtram abſceſſus morbi ſit irrupturus: propterea quod huiuſmodi diſtentiones e directo ſui abſceſſus fore ſignificant, ſi quis id per ſe legat, ſic, per directum diſtentionum, quæ in uentre ſunt, hæc erit ſententia ut in inſtrumentis ſpiritus affectis, cum incoctus mor-

bus est,futurusque superstes est æger,abscessus fieri cernimus: ita etiam in uentris affectibus fieri, com E
peries: siquidem in ipsis quoque per directum partium affectarum erumpent.

17 *Habent uero ita plurimi,& perrubra s,& qui natura sunt albidiores: neque his sanguis e naribus profluit, aut parum profluit.*

Subaudiendum est,illos in morbis facies perrubras habere, eosque natura esse coloris albidioris: etenim in multis in diuturnis,salubribusque morbis,cum futurus abscessus est, facies rubra permanet: idque præcipue,cum abscessus ad aures excitari debeat. quibus autem ita affectis perrubra facies sit, indicauit,cum eos albidioris coloris esse dixit: nam qui suapte natura nigriores sunt, etsi sanguis in facie quandoque redundat,non tamen perspicuum indicium apparet: at in albis corporibus, & etiam in externis,cum uel parum alterius coloris acciderit,statim perspicuum fit. atque hoc ipse interposuit. ceterum continuatio orationis est hujusmodi: ijs, qui perrubram faciem habent, cum salubris morbus longior fuerit,judicationem per abscessum fore,sperandum est: nisi prius sanguis, qui in aliquem articulum erat impetum facturus,facta e naribus eruptione sit euacuatus: qui uero ita,ut dixi,affecti sunt, & nihil penitus,aut modicum sanguinis, nec pro morbi magnitudine effluxerit, in eis abscessus ita fiunt. F

18 *Ac si ex effluentibus quidem aliquid relinquitur,præsto est.*

Si illud,quidem,non esset adiunctum,perspicua esset oratio: nã cum dixerit,qui perrubra facie sunt, in eis abscessus excitari,nisi sanguis e naribus fluat, aut si parum fluat,merito adiecit, siquid eius quod effluit,relinquatur,promptum esse morbum ad abscessum. uerum quia coniunctio adiecta est,subaudire conuenit,si non relinquatur,abscessum nullum fore. nec uero solum in commentarijs, quos sibi homines conficiunt,sed in libris quoque,quorum editionem parant,est huiusmodi locutiones reperire: ut præposita quadam coniunctione,nihil postea,quod illi respondeat, inferatur: quam rem maxime nouisse Dioscoridem animaduerti,quippe qui maiorem,quàm ceteros, rerum grammaticarum habere notitiam profiteatur,ueteremque lectionem seruet,quàm interpretes omnes agnoscunt: omnes denique libri habent, quod si coniunctio,quidem,ei superuacanea uisa esset,eã expungere potius,quàm in non,mutare ausus esset: nam si ita legas, Ac si quid ex non effluentibus intus relinquitur, præsto est, secum pugnabit: cum uerbum intus relinquitur,significet,quæ non perfecte,sed quæ in parte euacuata sunt: quod uero dicit,ex non fluentibus,contrariũ indicat, sicut hoc quoq;, copiose effluere. ut igit non conuenit in hoc dicere intus relinquit: ita neque ubi nihil penitus effluxit: etenim si non de noxio humore uerbum intus relinquit,esse dictum accipiamus, ut quibusdã placet, orationẽ ad morbũ trahentibus: certe indicaret id,quod in parcis sanguinis effusionibus solet accidere: propterea quod cũ G
sanguis fluit ille quidem,sed non quantum satis est,tum imperfectæ iudicationes morborũ fiunt: de quibus uerbum intus relinquitur,dicere conuenit.

19 *Sitis intus relicta,& oris exiccatio,& insuauitas,ac cibi fastidium eodem modo.*

Cum sedata febre,aliqua symptomata manent,tum quædã morbi reliquiæ superesse dicuntur. itaq; Hippocrates exempli causa mentionem eorum fecit,quæ inter ea, quæ reliqua sunt, principem locũ tenent,ut sitis,siccitatis oris,insuauitatis,ac cibi fastidij,hoc est inappetentiæ: ut hæc oratio sit explicatio superioris,cum dixit, Ac si ex effluentibus quid intus relinquatur: nam intus relinqui duobus modis intelligitur,altero de humore,qui morbum efficit: altero de morbosa affectione. nunc uero notas morbosæ affectionis intus relictæ declarat.

20 *Febres quoque non acutæ tales sunt: recidiuas autem faciunt.*

Hoc quoque est unum ex ijs,quæ ad futurorum abscessuum præsensionem faciũt: nam acutæ febres cito iudicantur,& perfectam solutionem per excretionem consequuntur: quæ uero non acutæ ac repetentes nominantur,diuturnæque sunt,imperfectasque solutiones habent, postea iterum reuertuntur: H
& altera excretione per abscessum facta,perfectam solutionem nanciscuntur.

21 *Quæ post iudicationem relinquuntur,recidiuam faciunt.*

Hæc oratio in secundo de uulgaribus morbis,& item post hanc aliæ,usq; ad eam, cuius initium est, Quæcunque naturam tertianæ referunt,scriptæ sunt: quas quia ibi omnes exposui,ideo hoc loco pertransibo.

22 *Quæcunque tertianæ naturam referunt,his nox accessionem præcedens est molesta.*

Expositum iam est,quas tertianæ habere naturam dicat,nẽpe semitertianas,& tertianas extẽsas: de uno.n.solũ inter recẽtiores medicos in his noĩbus explicandis cõuenit, quod ad tertianas exquisitas pertinet: ut duodecim horarũ curriculo circũscribant,reliquæ horæ febre uacent. de absurdo aũt noĩs semitertianarũ abusu methodicorũ,ne meminisse quidẽ par est. si uero exquisita tertiana breuiorẽ duodecim horarũ accessionẽ habet,ea,cuius accessio quindecim horarũ spatiũ æquat,& reliquũ tẽpus totũ febre uacãs est,tertiana absolute,sine ulla additione noĩabitur: si uero accuratius loqui uelit quispiã, is tertianã non exquisitã uocabit,quod si Hippocrates ipse scriptũ reliquit. Febres,quæ nõ intermittẽtes "
tertio quoq; die ualidiores fiũt,malas esse oẽs: quocũq; aũt mõ intermiserint,abesse,periculum signãt "
certe omnes, quæ tertio quoque,die exacerbantur, & ad integritatem perueniunt, periculo uacabũt

A at ſi Hippocratis ſecuti ſententiam, has periculo uacantes eſſe diximus, ſemitertianam autem ipſe non
ſine periculo eſſe cognouit, hæc febris de numero intermittentium non erit: ſed quarum interuallum
non breuius fuerit horis uigintiquatuor, omnes abſolute tertianæ appellabuntur. quarũ uero breuius
hoc ſpatio interuallum erit, acceſſiones uero longiores, hæ tertianæ extenſæ uocabuntur. perueniunt
autem prorſus ad tria interualla, cum quatuor ſint omnia, per eum circuitum, qui tertio quoque die fit:
etenim in his omnibus, quæ tertio quoque die exacerbãtur, duo dies, duæq; noctes mediæ intercedũt.
raro autem comperies febrem, quæ ſupra tria interualla exacerbetur, ad integritatemque perueniat:
quam Agathinus magnam ſemitertianam appellare conſueuit: quemadmodum illam mediam, in qua
tempus acceſſionis, & interualli æquale eſt: cuius uero tempus acceſſionis eſt minus, & tempus acceſ-
ſionis uigintiquatuor horis continetur, eam paruam ſemitertianam nominat. quare neque tertianam,
neque extenſam tertianam unquam uocat: ſi enim exquiſita tertiana duodecim horarum ſpatium non
excedit, quæ uero hoc tempus ſuperat, ſtatim parua ſemitertiana eſt, profecto nulla erit abſolute tertia
na: ac multo minus extenſa tertiana. cumque hæ non ſint, nec etiam exquiſitam tertianam nominare
erit neceſſe: nam ſi nulla exquiſita ſit, uana ſane huiuſmodi adiectio eſt. quæ igitur ratio eſt, ut Hippo-
crates exquiſitam appellare tertianam ſoleat, cum liceat tertianam ſimpliciter nominare, ſiquidem ea
B ſola tertiana eſt, quæ breuiorem duodecim horis acceſſionẽ habeat? & tamen perſpicuum eſt, hanc ab
Hippocrate exquiſitam dici, atque etiam magis eam, quæ alias notas, in libris de criſibus a nobis de-
ſcriptas, habeat: ſimpliciter uero tertianam, cuius acceſſio ultra duodecim horas extendatur. ſi uero ui
gintiquatuor horas excedat, eam longam, aut extenſam tertianam nuncupabimus. raro autem febrem
inuenies, quæ ultra tria interualla acceſſionem extendat, ad integritatemque perueniat, eam tamen nõ
iam ſemitertianam uocabimus, ſi neque repetitiones horrificas faciat, neque altero die alteram acceſ-
ſionẽ ſine repetitione habeat: quia eam ſemitertianam dicemus. at ſi aliqua febris tertio quoque die
exacerbetur, neque exiguum interuallum in ea ſit, in qua æger prope ad ſynceram integritatem ueniſſe
uideatur, eam acutam nominabimus, id quod re uera eſt, de ea dicentes, eam tertio quoque die exacer
bari. ex quo fit, ut ex ijs, quæ tertio quoque die exacerbantur, τριταιοφυεῖς hoc eſt tertianæ naturam refe-
rens, ea ſola appelletur, quæ prope ad integritatem peruenit. quod ſi quis alias omnes acutas febres,
quæ tertio quoque die exacerbantur, τριταιοφυεῖς uelit nominare, is ſane uidebitur fortaſſe non temere in
hanc ueniſſe ſententiam: non tamen concedemus, ullam earum, quæ ad integritatem perueniunt, ſemi
tertianam ab Hippocrate nuncupari: quia illę periculo uacant, ſemitertiana uero periculoſa eſt: inter
quas mediæ ſunt, quæ τριταιοφυεῖς dicuntur, in quibus ait noctem, quæ acceſſionem antecedit, eſſe mole
C ſtam: ſiquidem hoc illis omnino ineſt, tertianis uero extenſis, non omnibus. ceterum, ut leuem me hac
moleſtia, ne ſæpius de ſemitertianæ ſignificationibus ſcribendum ſit, & percunctantibus reſpõdendũ,
unum hac de re libellum ſeorſum cõſcripſi. porrò Hippocrates in aphoriſmis nulla facta febrium, quæ
« τριταιοφυεῖς uocantur, mentione, ita abſolute eſt locutus, Quibus iudicatio fit, ijs nox acceſſionem præ-
« cedens, eſt moleſta: quæ uero ſubſequitur, eſt plerunque leuior. iudicationem autem intellexerunt, in
qua repentina quædam, & notabilis fit, mutatio: aliqui uero ſimpliciter acceſſionẽ ſignificari uoluerũt.
in oĩbus autem ferme, febribus, quæ tertio quoque die exacerbantur, præter quã in tertianis exquiſitis,
nox, quæ exacerbationẽ præcedit, moleſta eſſe ſolet. quod ſi in exquiſitis id etiã nonnunquã cõtingat, iu
dicationem ſequẽti die fore indicat: præſertim uero ſi alia quoq; futuræ iudicationis ſigna conſentiãt.

23 *Tuſſes ſiccæ leuiter irritantes in febribus ardentibus non ex proportione ſiticuloſæ ſunt: nec lingua ualde torrefacta, idque non ferino, ſed uento. hinc autem manifeſtum eſt, quod cum loquuntur, aut hiant, tunc tuſſiunt: cum uero non, tum nõ item. hoc autem potiſſimum in febribus laborioſis fieri ſolet.*

De eiſdem ſcripſit etiam in aphoriſmis, hoc modo, Qui diu ſicca tuſſi leuiter in febribus ardentibus
irritantur, non admodum ſiticuloſi ſunt. quod ait, non admodum ſiticuloſi ſunt, idem ualet, quod id ip-
ſum, quod hic dixit, non ex proportione ſiticuloſæ ſunt: nam in febribus ardentibus, a quibus arida tuſ
D ſis abeſt, ægri ualde ſitiunt: ſi uero arida tuſſis accedat, non ſunt illi quidem ſiti uacantes, ſed tamen ſitis
retunditur uehementia, ut ſitiant quidem, non tamen ad febris proportionem. ceterum quod ait, tuſſes
leuiter irritantes excitari, non fruſtra adiecit; propterea quod quæ uehementes ſunt, partes thoracis,
atq; pulmonis excalfaciunt, quã ob rem & febris, & tuſſis augeẽ: at ſi paruæ ſint, ac per longiora tẽporis
interualla excitenẽ, uſq; dum partes mouẽt, ut ad ipſas humor quidã deferatur. qua ſane ratione contin
get, ut neq; a tuſſi uehementer agitenẽ, neq; febris accendaẽ: humor aũt particulis ad quas modica tuſſi
commotas defluit, affundatur: qui in cauſa eſt, ut ægri minus ſiticuloſi reddantur. cum uero aridæ tuſſes
ex quadam etiam morbi malignitate, quam deinceps qualis ſit, exponam; excitentur, ut eas, quæ hac
oratione continentur, ab illis diſtingueret, ait has non ferino, ſed uento excitari. ſunt, qui non abſolute
quicquid malignum eſt, ferinũ ab ipſo dici putent, ſed alij quidẽ tabẽ, quia unguibus incurueſcentibus
in ea re feris ſimiles apparẽt: alij uero ferinũ proprie uocari ulcus in pulmone arbitranẽ: alij deniq;, cũ
ad os uẽtriculi lũbrici aſcẽderint, cieri ab eis tuſſes uolũt: id quod neq; rõne, neq; experiẽtia queũt de-
monſtrare. quare melius eſt, ut ferinũ pro maligno accipiamus, ſiue ꝓp humorẽ a capite deſtillãtẽ, ſiue
ꝓpter ulcus, quod aliquã reſpirationis partẽ obſideat, ſiue propter abſceſſum in ijſdẽ partibus obortũ,
ſiue propter eas, quas ſuppurationes uocant, tuſſis excitetur. aliæ uero tuſſes ab ijs diuerſæ ſunt quæ
* malignæ non ſunt: hæq; aut ex intemperie inſtrumẽtorum reſpirationis, aut faucium, aſperęve

arteriæ asperitate,& quandoque ab esculentis,potulentisque exasperantibus,quandoque uero ex aere E
nos ambiente gignuntur.itaque ipse in aphorismis ita scripsit,Si aquilonia constitutio fuerit,tusses,fau
ces,uentres duri,difficultates urinæ,horrores,dolores costarum,& pectoris : si enim aer,qui inspiratur,
ualde frigidus sit,quandoque fauces & asperam arteriam solum exasperat , ac refrigerat : quandoque
uero toti pulmoni,& pectori intemperiem parit : ac quandoque utrunque usu uenit : quique ita affecti
sunt,atida tussi modice uexantur.ipsos autem ita affectos esse,signo est,quod cum spiritum ducunt,tus-
sis irritatur : si inquam,ipsis loquentibus,& dehiscentibus,& ore spititum attrahentibus multus aer cō
fertim intrarit.cum uero per nares spiritum ducunt , externumq; aerem, qui in domo est, calidum qui-
spiam reddat,tum uel parum admodum,uel nihil omnino tussiunt: quam ob rem nonnulli linteolo na-
ribus admoto sic spiritum trahunt:experti nimirum tum tusses irritari,cum aer externus frigidus mem
bris prius refrigeratis,& exasperatis multus confertim occurrit : idque in febribus laboriosis ait potis-
simum contingere.ceterum quas laboriosas febres appellet , incertum est, easne , quæ ex uehementi-
bus oriuntur motionibus , an eas,quæ sponte ortæ sensum lassitudinis afferunt. huiusmodi autem nul-
lus eorum medicorum qui hodie uiuunt,nec eorum,qui superioribus annis uixerunt,obseruat:& tamē
admoneri poterant Hippocratica diligentia,quam imitari par erat eos,qui studio ueritatis per se , non
gloriæ,aut quæstus gratia ducuntur . ego uero antiquius existimaui, id quod dicitur , experientia per- F
pendere.laboriosis sane febribus,quæ ab externis laboribus otiūtur,huiusmodi tussiculas comitari cō
spexi:ceteris uero nō omnino: quin etiam in ipsis febribus,quarum origo ab externis laboribus ducta
est, non absolute,sed ubi per frigus,& uehementem æstum,præsertim uero in uia puluerulenta labora-
uerint, id fieri conspexi ; ut ex accidente quodam potius , quàm ex laboriosa affectione tussire uidean
tur: quippe cum partes,quæ ad fauces sitæ sunt,ex frigore,ut dixi,aut puluere,aut immodica ariditate,
quam aer circunfusus inuexit,exasperatæ sint. præterea uero propter ipsorum instrumentorum intem-
periem tussi uexantur,quando propter intempetiem tusscis quoque excitari didicistis.

*Nihil despiciendum,nihilque temere.* 24

Hoc quoque per se si dictum,scriptumque sit nullius eorum, quæ prædicta sunt,aut quæ subsequun
tur,indiget , quo credatur,aut intelligatur.atque hoc quidem loco ualde accommodate post ea , quæ
supra sunt dicta,collocatum est:siquidem huiusmodi præcepta exigua plerisque,leuia,nulloque pretio
digna uidentur,ac proinde ab eis contemnuntur,quippe qui neque ratione, neque experientia naturā
harum rerum inuestigent.ut autem prædicta oratio nobis exemplo est,ut nihil negligatur, ita nihil te-
mere,nihilque inconsiderate asserendum esse,ut ego in superiore oratione , atque alijs omnibus feci:
neque id in Hippocratis solum scriptis , sed in alijs etiam ueterum auctorum libris obseruo,ut non ab- G
solute fidem adhibeam ijs, quæ quisque illorum dixerit,sed experiētia,rationeq; disquiram,uerum ne,
an falsum sit,quod illi monimentis consignarint literarum.qui uero unius sententiæ se aut seruos , aut
libertinos addixerunt,illico ut ab eo scriptum aliquid inueniunt,ei inconsiderate,temereq; fidem præ-
stant.quod in hoc etiam potissimum contigit,quod dictum est,In laboriosis febribus tusies aridas exci
tari:neque quas laboriosas appellatit,inuestigarunt:an eas uidelicet,quæ a laboribus gignuntur,& ex-
ternis fatigationibus,an quæ sine his,eandem affectionem inuehunt : & utrum ea † lassitudo absolute,
an ex accidenti ægros occuparit.quod autem in his,ita in alijs sexcētis euenire sciatis & ijs, qui libros
conscripserunt,& ijs,qui eos sunt interpretati:ac multo etiam magis ijs Medicis , qui sola exercitatio- † at tussis.
ne rationis experte ducti totos dies in ciuitatibus hac illac circūcursant . etenim hi multa tāquam par-
ua negligunt,ignari profecto ex hisce paruis ac multis coeuntibus unam quandoq; non contemnendā
summam conflari.temere autem assentiuntur scripta corū,cuius seruituri se quisq; addixit. quod si quis
non hoc modo,sed alio progrediatur,ut quod probabile primo cogitationis appulsu uidetur, assentia-
tur,nec diu secum,& cum alijs id ipse perpēdat, certe is sententiā de eo, quod raro apparet, tāquam si
sæpe,& assidue cōspiceret,temere enūciabit.atq; hinc potissimū uerisimile est, sectarū esse facta diuor-
tia,quod hoīes ambitiosi, sibiq; nimiū tribuētes uera esse iudicassent ea,quæ probabilia uidebātur, ne H
que ea sæpe cū alijs pertractassent.porrò ut modo de hoc præcepto,quod ad signa pertinet,sermonem
exempli causa instituimus,ita quoque in ijs,quæ in curatione uersantur,faciendum est,ut nihil eorum,
quæ pusilla uidebuntur,spernendum sit, neque temere, neque sine probatione ijs, quæ de ipsorum fa-
cultatibus afferuntur,præstanda sit fides:ut in libris de ratione curandi docuimus.

*Contraria sensim adhibenda: & interquiescendum.* 25

Licet tibi dicere,hoc pręceptū ad curationē & itē ad tuēdā sanitatē pertinere:siquidē Hippoc.quod
prius dixit,nihil negligendū,nihilq; temere,hoc sermone,uelut exēplo quodā declaret.Medici nōnulli
cōsuetudines,quasi res parua sit,negligūt,nullāq; ab eis indicationē,quæ ad differentē curādi rōnē fa-
ciat,duci putāt:nōnulli uero eas quidē nō despiciūt,sed dū conātur quosdā a prauis cōsuetudinibus ad
cōtrarias repēte traducere,nō parū errāt:nā neq; negligēdæ sunt,neq; repēte ad alias traducēdæ,sed &
sensim & ita,ut ægri interquiescāt.ceterū quod ait,interquiescēdū,duobus intelligi modis pōt:uno mo
do,ut non solū paulatim in contrariā cōsuetudinē aliquos adducamus , sed etiā antequā uniuersa facta
sit mutatio,interim quiescamus:ut cū ex otio ad exercitationes traducimus,primū a breuissimis exor-
diamur,easq; paulatim augeamus:tū unū,alterūve diē ociosum interponamus : altero uero modo capi
potest,ut tanquā ex altera parte respōdeat illi uerbo,adhibēda:ut si in aliquē nouā quāpiam consuetu-
dinem

† In Græcis libris est asteriscus, sed si pro his uerbis, αἰ δ', legas, αἱμα, fortasse locus erit integer.

A dinem, quæ in eo prius non fuerit, uelimus introducere, eam paulatim inducamus: sin uero tollere eam, quæ prius contracta esset, in eo quoque demus operam, ut ab ea paulatim decedat, atque quiescat.

26 *Dolenti posteriorem capitis partem, in fronte uena recta incisa profuit.*

Antiquiores interpretes uerbum, profuit, in præterito legunt: aiuntque in aphorismis scriptum esse prodest, quod senex eo in loco sententiam uniuersalem enunciet: hic autem scribat profuit, ad suæ memoriæ subsidium: ut cum hoc remedium in multis esset expertus, de eo auderet in uniuerso pronunciare. est autem perspicuum, hoc auxilium esse, quod loco adhibetur, ualereq; ad reuellendum contrarias in partes. ceterum recta in fronte uena potest etiam ante dissectionem plane conspici: ipsa uero dissectio eam unà cum illis, quæ utrinque adiacent, confluere declarat. quare non recte arbitrari sunt quidã illud, recta, de sectione dici: propterea quod dolentes non ex forma sectionis, sed ex sanguinis euacuatione utilitatem percipiunt.

27 *Hypochondriorum exceptiones considerandæ sunt, ex qualibus in qualia fiant, itemque aliæ: & inflammationum uiscerum, qualia possint: siue ex iecore in lienem, an contra fiant: & quæcunque huiusmodi sunt.*

Non solum scriptum inuenimus, ex qualibus in qualia fiãt, itemq; aliæ: sed etiam, ex qualibus qualia alterãt: & ex qualibus qualia faciunt. primam lectionem ueteres interpretes & Rufus agnoscunt:
B alteram uero, in qua dicitur, ex qualibus qualia alterant, Sabinus, ac Dioscorides sequunť: quæ uero est, ex qualibus qualia faciũt, Lycus. ueteris autem lectionis sententia uniuersale quiddam docet: aliæ quidpiam in parte cõtinent: quia solum de exceptionibus hypochondriorũ, non de omnibus enunciãr. sed melius est, præsertim ubi fieri id possit, uerumq; sit, existimare, quid uniuersale potius, quàm quod ad partẽ pertineat, ab eo tradi: uniuersalis igitur oratio erit huiusmodi: Cõsiderandæ exceptiones sunt, & quæ in hypochondrijs fiunt, & aliæ item omnes, ex quibus affectibus, aut partibus orianť, & in quas partes affectusq; procedãt, ut ex iecore, atq; liene: etenim harũ ipse partiũ mentionẽ exẽpli causa fecit: cũ nos sciamus, periculosas esse eas, quæ ex liene in iecur fiũt, periculo uacare, ac boni potius consulendas eas, quæ ex iecore in lienẽ transeunt. quæ aũt ad abscessus pertinẽt omnia, & quos natura sola excitare per se, & quos nos aut soli, aut unà cum illa moliri cõsueuimus, ea in libro de humoribus, & in secundo de uulgaribus morbis explanauimus. multæ quoq; aliæ uariæ lectiones, præter eas, quas attuli, & hic & alijs in locis reperiuntur: sed ego in ipso statim initio pollicitus sum, me paucas explanationes lectionesque esse allaturum: ne multi in hunc librum commentarij conscriberentur.

A.l.3.f.15.t.1. c.4.p.107.B.

*Reuellendum est, si non repunt, quo expediat: si uero quo expedit, eis aperienda uia est, prout singuli repunt.*

28 Hæc quoque ante didicisti, ducendos esse humores, quo uergãt per loca opportuna: auertendos, re-
C uellendosq; esse eos, qui nõ recte repãt. aperire aũt hoc loco dixit, nõ ut abscessibus usurpare cõsueuimus, pro eo, quod est, scalpello diuidere, sed cõiore significatione, quæ etiã reserare uenas, dum mariscas aperimus, cõplectitur, & præterea euacuationes, quæ per nares, aut uterũ fiũt, fistulas etiam, quæ longo tẽpore fluere cõsueuerunt, sed aliqua de causa obstructas aperimus. iã aliquis, qui cerebri excrementa p aures expurgare cõsuessent, cũ ea repẽte suppressa esset euacuatio, uertigo, atq; oculorũ tenebræ exortæ, sint, uidimus, si p aperiẽtia medicamẽta materiã ad aures pritaremus, statĩ esse subleuatos.

A.l.1.f.4.c.3. p.137.C

29 *Latæ pustulæ non admodum pruriunt, quales hieme Simon habebat: qui cum ad ignem ungeretur, aut calida lauaretur, iuuabatur. uomitus non proficiebant. si uero calida fomenta quis adhibuisset, utilitatem ille opinor, cœpisset.*

Vt dictum de tuberculis est, quæ a calido humore gignũtur, ea celeriter iudicari, minimeq; lata esse; quæ a frigido ea & lata esse, & diuturna, idem etiam de pustulis est intelligendum: hæ nanq; non toto genere a tuberculis differunt, sed qualitate humoris, a quo procreantur. oriũtur autem, cũ natura imas partes corporis expurgat, ut nonnunquam per excretiones, ita etiam ad cutim propellendo: siquidem tenuiores, dilutioresque humores attenuans, per halitum digerit. at crassiores cuti impacti, ac potius cuticulæ, quæ densior est, pustulas pariunt. id quod illis potissimum usu uenit, quorum densior est cutis, ac durior. propterea quod crassiores, tenacioresq; humores per eam ægræ transeant. atq; ita quidẽ Simo-
D ni hyberno tẽpore, quo scilicet corpus balneorũ usu, aut unctionibus ad ignẽ adhibitis erat insigniter calfactum, latæ pustulæ eruperunt: nã alio tempore humores, qui harũ pustularũ auctores sunt, in profundo corpore permanebãt. addit autem ipsum nihil esse a uomitibus adiutũ. utrũ uero ipse usum uomitus nobis consulat, an alius quis, non declarauit: nec tamen id scire, necesse est: quia satis est nosse, humores cutim petentes, uomitũ esse euacuandos: † cum nimis longa iterum sit ad interna corporis reuulsio, ut per uentrem, aut uomitus euacuentur. quare putabit fortasse quispiam, me dicere in his purgatione per aluum nunquam esse utendum. ego uero id non dico: nam in libris de ratione curandi didicisti, utiles esse purgationes, cum permagna humorum redundat copia: etenim nisi prius, quod redundat aut sanguinis detractione, aut purgatione detraxeris, uelis autem solum fouere, hoc est usu calidorum fomentorũ dare operam, ut per halitum digeras, certe plus illuc attrahes, quàm per cutim sis euacuaturus. sed eorum, qui cuti impacti sunt, curatio prorsus ex fotu calidorum medicamentorũ constat: præsertim uero, ubi latæ pustulæ fuerint: siquidẽ indicio est, humorem, a quo gignuntur, nõ calidũ esse, nec tenuẽ, sed abunde crassum, ac frigidũ. iã enim de tuberculis audiuisti, quæ in acutũ attolluntur, & quasi turgent, a calidis humoribus exoriri: contraria uero ex frigidioribus. ea autẽ turgere, pruritus, dolorq; declarant: nam quæ mediocriter calida sunt, pruritum modo excitant: quę uero maiorem sunt calorem assecuta, ea statim mordent, atque affligunt.

†Vel sic cũq; rursum nimis lõginqua sit ad interna corporis reuulsio, ut per aluum, & uomitus euacuẽtur: fortasse putabit quispiam, &c.

*Quæcunque concoqui oportet,occludenda sunt:contraria uero exiccanda,atque aperienda.* E 30

Sæpenumero his de rebus me differentem audiuistis,præcipue autem,cum de medicamentis pus gi
gnenribus loquerer,diceremque , eorum tim non esse debere discutientem , sed quam emplasticam
nominant : siquidem ea natiuum calorem impediunt,continent,& occludunt, nec difflari permittunt,
ab hoc autem excrementa concoquuntur . ceterum hoc loco recte inrelligite , nec putate me dicere,
omnia,quæ difficulter concoquuntur,quæque nullum pus habent,ita debere curari:quia quædam sunt
huius generis,quæ ab emplasticis medicamentis putrefiunt : idque uel ob malitiam humorum , a qui-
bus existunt , uel propter affectæ partis imbecillitatem,quæ natiuum calorem tam exiguum , tamque
infirmum habet,ut ne coctionem quidam humorum in se delapsorum aggrediatur. quare in horum cu
ratione altissimis scarificationibus cutim aperimus,atque etiam sæpe multas affecti membri partes in
profundum usque incidimus,medicamentaque , in quibus maxima siccandi uis insit, adhibemus : im-
minet enim huiusmodi inflammationibus ea,quam gangrænam uocant,natiuo calore ita iam supera-
to,ut proxime ad extinctionem accedat .in quibus igitur inflammationibus, aut omnino in quibus tu
moribus natiuus calor in periculo non est,ut extinguatur , planeque pereat, atque ideo remedio ad-
moto superare humorem potest,in eiusmodi emplastica medicamenta adhibemus : quod ipse aperte
declarauit his uerbis, Quæcunque concoqui oportet. quæ uero prope sunt,ut in gangrænam transeát, F
quæque iam computrescunt,ea ne coctionem quidem initio postulant . quam ob tem quædam , ut di-
xi,euacuationibus per scarificationes,sectiones,ualidissimaque medicamenta curamus : quæ uero iam
putrescunt , præcidimus, atque urimus . itaque recte adiecit hæc,contraria uero exiccanda, atque ape
rienda : hoc est , quæ suppurationis non egent : in ijs enim quæ non suppurantur , omnes exitus ape-
rire,& affectas particulas exiccare expedit . ex quo patet , non recte scriptum esse a quibusdam hoc
modo , Quæcunque exiccari oportet,iacere conuenit : hoc est , iacentia quiescere : nam præter quàm
qnod id parui ponderis est,ac perspicuum,ut ne curare quidam Hippocrates debuisset,ut de eo scribe-
ret ; etiam oppositio ipsa idem declarauit : quæ non ad uerbum iacere, sed ad uerbum occludi est facta:
occlusis enim & detentis contraria sunt,quæ digeruntur,quæque exiccantur. sunt qui ad banc oratio-
nem addant etiam consequentem,maxime autem qui uolunt post hanc scribi , quemadmodum,ut to-
ta oratio sit huiusmodi : Quæcunque concoqui oportet , occludenda sunt:contraria uero siccanda,at
que aperienda : quemadmodum in oculorum fluxu,si aliter modo conferre uidetur,in fauces reuellere
oportet. sed quod hoc loco docemur,non est simile superiori:nam exiccare & aperire a reuulsione dif
ferunt . quonam igitut modo cum ante dixisset,contraria esse exiccanda,atque aperienda , potuit pro
exemplo subiungere,oculorum fluxum in fauces esse reuellendum? G

*Quemadmodum in oculorum fluxu,si modo conferre uideatur , in fauces reuellere oportet : & ubi eructatio confert,* 31
*& cetera,quæ sunt generis eiusdem.*

Hoc unum est remediorum reuellentium genus:cum nobis consulat , ut diuturnas oculorum fluxio
nes ad fauces reuellamus,acribus uidelicet medicamentis,quibus & palatum inungere, & gargariza-
re oportebit,si modo ex hoc nihil sit peius euenturum.nam ubi ueremur,ne fluxus in asperam arteriam
pulmonemque uertatur,eiusmodi reuulsionem uitamus.atque ut hac in re consuluit, ita etiam in alijs
censet esse prospiciendum,ne qua particula earum,in quas materiam reuellis,periclitetur, ne magno-
pere lædatur.nonnulli putanr,hic uerba de illis fieri,quorum oculi rhœade affecti sunt, ut Lycus quo-
que scriptum reliquit,qui longam orationem contexens ab oculis usque in palatum uult meatũ quen-
dam pertinere,qui ea uia oculorum euacuet excrementa:ipsum autem meatum prope magnum oculi
angulum situm esse,tribusque modis rhœada effici,uel cũ meatus ille clausus quodam modo ; uel ob-
structus est ; uel cum magna excrementi copia in oculo collecta effunditur , quod meatus propter na-
turalem angustiam totum illud continere non possit.alio quoque modo oritur, cum cicatrix in angulo
inducta meatum obcæcarit:quam cicatricem post enchantidas excisas,& item ulcerato loco obduci
scribit.hanc autem insanabilem,aliàs sanabiles esse ait,si ad fauces materiã reuellamus. quod uero ait, H
Et ubi eructatio confert,adiectum est,quasi Hippocrates per notas quasdam id sibi ipse scripserit : et-
enim ubi eructuatio cõfert,ibi ructus esse ciendos,plane perspicuũ est.at ubi utile sit,non adiunxit . sed
nec in oculis fluentibus quicquam est huic simile:quam ob rem sine ullo ordine interiectũ,obscuritatẽ
attulit:nã oculis fluentibus remedium reuellens adscripsit : quod uero addidit, ubi eructatio confert,
horũ alterutrum indicat,uel ut de oculis fluentibus dictũ sit,& tamẽ ad ipsorũ curationẽ nihil cõducit
eructatio,uel ut sit alterius orationis initiũ.quocirca quidã coacti sunt, hæc uerba a superioribus sepa-
rantes,aliã statuere sententiã ad hunc modũ,Et ubi eructatio cõfert,& cetera gñis eiusdẽ, uias aperire
oportet.sed tũ nõ uidemur,posse cõmode subiũgere,ut nares,& alia,quibus opus est , & quę deinceps
cõsequunť.qui igiť aiũt,Hippocratẽ id solũ per se sibi adũbrasse,putãt his uerbis,ubi eructatio cõfert,
iubere,ut qñq; ructus cieri cõsulamus:aiũtq; eos cõuenire ijs,quorũ uẽter inflatus est:præsertim in qui
bus spiritus ille flatuosus per infernas partes nõ exit.iã uero uẽtriculi etiã os infirmũ ructibus , ut pro-
pria exercitatione roborari dicũt ; mouẽtq; ructus nõ solũ medicamẽtis citari debere,sed etiã ut homo
ipse assidue ructare studeat , si pexiguũ spiritũ quẽuis in stomacho sentiat.Sabinus aũt iubet,ut ex uascu
lo,cuius angustũ os sit,bibamus,atq; ita ructus excitemus.alij uero flatuosi spũs euacuationes , vñcũq;
& quoquo modo fiãt,eructationis noĩe significari dixerũt:ex quorũ sentẽtia & tussis , & sternutamẽtũ,
& singultus,& uẽtris crepitus,& quæ per totũ corpus fiũt spũs difflationes , eructationes uocabuntur.

nonnullis

A nonnullis placet omnem excretionem, eructationem appellari:nec ſolum ſi ſpiritus,ſed etiam ſi quo-
rundam humorum ſit: idque poetæ uerbis probant,cum ait,

Eructans pelagus tum circum littora plangunt.

hancque uitioſam interpretandi rationem introducunt:nam ſi quæ raro. & poetica licentia quadam
ſunt a poetis ſcripta, ut proprie dicta quis exponat, certe is omnia etiam,quæ perſpicuæ dicta ſint, po
terit peruertere.

32 *Vias aperire oportet,ut nares,& alias,quibus opus eſt,& ut opus eſt: & qualia,& qua,& quando, & quatenus oportet:ut ſudores,& alia utique omnia.*

Hoc ipſum per ſe memoratu eſt dignum: ex uſu enim eſt omnes uias per quas excrementa excer-
nuntur,aperiri:poteſtque id ſuperioribus annecti,duplicemque utilitatem afferre: propriam in oculis
fluentibus communem omnium,in quibus reuellere, aut deriuare conuenit: nam ſi reuulſione opus
eſſet, eamque moliri timeremus,tum deriuare ſanguinem, totumque corpus inanire conueniret.quæ
autem deinceps ſubiungit,nos iam ſæpe, in omni euacuatione utilia eſſe,ab ipſo didicimus:cum enim
euacuatione opus eſt,non debemus eam abſolute aggredi, ſed diſtinguere prius, qua ratione ſit ineun
da:& qualia euacuari debeant,& qua parte,& quo tempore,& quatenus: de quibus ſingulis, ut ad me
B moriam redigantur,breuiter dicam quare quod ait,ut opus eſt,talem fere ſententiam habet, uiæ ape-
riendæ ſunt,non ſimpliciter quidem,& ut ſors fert,ſed ut oportet. idque ſignificat modum, quo eua-
cuationes moliamur:ut in ijs, quæ in uentre ſunt,clyſteri, glandula, & medicamento,quod aluum du
cat: & in his ſingulis,per certa quædam faciamus:ſiquidem & clyſteres & glandulæ, & medicamenta,
quæ aluum ſubducentia nominantur,multis modis componũtur.hoc ergo ſignificat, quod ait, ut opus
eſt.quod uero ſubiungit, & qualia,id qualitatem eorum,quæ euacuantur,indicat: utrum inquã aquea
& tenuia præſtet euacuare,an pituitoſum,bilioſumque, & melancholicum humorem, aut horum ali-
quem,an omnes.quod ait, & ubi partem corporis,per quam facienda euacuatio eſt, declarat: quam-
uis enim per infernas partes euacuari oportere cognoſcamus, tamen per quam ex illis id faciendum
ſit,definire oportet.quocirca nonnulli pro ubi, ſcripſerunt,& qua oportet:ut declaretur,per quam par
tem, utrum per ueſicam, an per aluum,an per uterum:& item in ſuperioribus,utrum per nares, an per
os ſit facienda euacuatio.eſt quædam etiam euacuatio,quæ per totum corpus efficitur aut ſudoribus,
aut ea tranſpiratione,quam latentem uocant.quod uero addit,quando, perſpicue tempus,in quo eua
cuandum ſit,indicat,utrum in principio,antequam morbus ſit concoctus,cum, ut ipſe ait,turget,& na-
tura,quæ animantes regit,ad humorum excretionem feſtinat: an poſt noxiorum humorum cõcoctio-
C nem:nam hoc ipſe non ſecus,quàm quod prius dictum eſt,in aphoriſmis docuit. quod denique in fine
ſententiæ dixit,& quatenus oportet, quantitatem ſignificat eorum, quæ euacuanda ſunt,quam debet
medicus coniectura conſequi.deinde exempli loco additum eſt,ut ſudores: quamuis enim conducere
ægris ſudor uideatur, ipſe tamen modum exigit: propterea quod ſi modum excedat, uires diſſoluet,
quod ſi redundantia multitudinis in ſudoribus noxia eſt: profecto multo maiorem noxam afferet in ijs
quæ uomitu reiectantur,aut per aluum excernuntur,aut per mariſcas,aut per uterum euacuantur.

33 *In magnis malis facies bona,ſignum bonum eſt,in paruis autem,quæ bonæ ſignificationi contraria indicat,malum.*

Huius quoque orationis ſecundam partem alius ex libri explanatoribus aliter ſcribit: quod ſi quis
ei articulum τῇ addat,nulla præterea exiſtet quæſtio: ut dicamus, in paruis autem quæ τῇ εὐσημείῃ con-
traria indicat,malum: quo tota oratio ſit huiuſmodi: in magnis malis,hoc eſt affectibus, aut ſympto-
matibus ſi facies bona fuerit, hoc eſt naturali ſimilis,bonum ſignum erit: in paruis autem hoc quoq;
loco affectibus,aut ſymptomatibus, ſi facies contraria ſignificet prædictæ bonæ ſignificationi, mali
quidpiam indicabit.nonnulli tamen perinde ac iam uſq; ab initio articulus ille in oratione poſitus eſ-
ſet ita explanarũt: nec indicarunt,a ueteribus libris ipſum abeſſe,cum fortaſſe ille,qui primo librum de
ſcripſit,errauiſſet.alij non modo aliter ſcripſerunt,ſed explicationem quoque minus idoneam attule-
D runt.at ego deuitata,ut initio dixi, commentariorum prolixitate,multa,quæ nõ recte dicta ſunt, omit
tere decreui.nam ſatis commodum explicationis propoſitum eſſe ſtatuo, ſi quis & uerum, & ad ſenis
ſententiam doceat:ſicut etiam nunc facienti a loquacitate licet diſcedere: nam in magnis affectibus
ſi facies non ſit pro morbi magnitudine collapſa, bonũ ſignũ erit:in paruis uero e contrario, malum ali
quod ſignificat.licet igitur his uti, ſi cui placeant.ego uero ad lectionem, de qua inter alios omnes ex-
planatores conuenit,me transferam.

34 *Apud magnum, ubi mulier poſt heroa,arquato ſuperueniente.*

Siue hæc particula,apud magnũ,ſit finis ſuperioris orationis,ſiue locũ aliquẽ indicet, quærẽdũ relin
quo ijs,qui res medicas trãsgreſſi potius ut grãmatici,quàm ut medici explanationes cõſcribẽdas ſibi
proponũt:mihi.n.ſatis eſt hac de re eatenus dicere,quatenus ueteres interpretes prodiderunt, eo no-
mine magnum,indicari aut theatrum,aut locum ubi poemata recitabant,aut gymnaſiũ heroũ, aut ha-
bitationẽ quandam,aut aliud deniq; generis eiuſdem.trãſibo aũt deinceps ad artis opera, ut ſi quid uti
le ſit,id pertractẽ.ægrotũ uero poſt heroa,aut poſt Menelaum(nam ita quidem ſcribũt)decubuiſſe,nul-
lam affert utilitatẽ, ſicut neq; id quod poſt ſequitur,arquato ſuperueniente: etſi hoc potuerit maxime
eſſe Hippocrati acommodatum ad recordationem fortaſſe prædictorum, aut forſitan ipſum per ſe: re-
digit enim ad memoriam affectum, aut colorem arquatum, qui mulieri ſuperuenit. hic quoque

apud ueteres interpretes, & in exemplaribus antiquis hæc particula est in margine adscripta: ex aliorum uero interpretum sententia illis uerbis, arquato superueniente, adiectum est, permansit: ut uero alij tradiderunt, negatio adiuncta est, sic, non permansit: alij addunt, ipsi: hoc autem etsi uerba mutat, sententiam tamen non uariat: at priora, sententiam contrariam efficiunt: siquidem illa lectio arquatum affectum, aut colorem permansisse, hæc non permansisse significat. sed hæc oratio per se scripta siue legas permansit, siue non permãsit, nullam utilitatẽ affert, cum ignoremus, & quomodo ægrotarit, & qua affectione teneretur. quod si supradictis adiungatur, erit omnino superuacaneum: satis enim erat solum dicere, arquato superueniente, ut hoc esset exemplum eius, quod in facie apparet: quod alia sola parua esse uideantur: sed ipse contrarium ostendit: cum ea sit a naturali statu ualde mutata: nam quod subiungit, id ipsum attestatur, ad quod iam opportunum est pertransire, ceteris huius sententiæ explicationibus omissis: forte enim quæ modo dicta sunt, præter institutum nostrum fuerunt longiora: quippe quibus esset propositum, ea silentio inuoluere, quæ nullam lecturis iuuenibus ad artem essent utilitatem allatura: neque enim sophisticam facultatem, quam semper odio sum prosecutus, eis tradere institui: sed eos ad artis opera ad præsagiendum, & curandum, in quibus perpetuo me exercui, perducere. E

*Qui apud Timenei neptem, is nigro uiridique colore factus est.* F 35

Siquis ad ea, quæ de facie dicta sunt, hoc etiam referat, aliquid utilitatis, ut hoc exempli gratia dictũ sit percipiet. uerisimile enim est, hunc quoque, cũ alia in eo essent exigua, corpus uero plurimum a naturali statu deflexisset, propter id solum aut mortuum esse, aut mortis periculum adijsse. Si uero scriptũ sit μελάγχλωρος pro eo, quod est, μελάγχρους hoc est nigræ cutis, ut in quibusdã uetustis libris inuenimus, multo etiã magis hic solus color magnam quandam noxam indicare uidebitur, quamuis cetera in ægro essent exigua.

*Perinthi quæ seminis speciem referebat, ad iudicationem pertinebat. & quæ circa abdomen talia: siquidem talia urinæ sanabant: quia neque flatu, neque copioso stercore glutinosoque deiecto euacuabantur. non enim erat magnum hypochondrium. brassicam autem septimo die comedit, cum adhuc ægre spiraret, & quæ circa abdomen erant, euacuata sunt: recte spirans effectus est, aluusque ei deiecit.* 36

Sabinus putat, hoc, Perinthi, non huius sententiæ initium esse, sed finem superioris: quia inquit, hic sermo uniuersalis est: ille uero in parte dicitur: consuesse autem Hippocratem, orationibus, quæ ad partem pertinent, aut locorum, aut ægrorum adscribere nomina. at qui orationem nunc propositam esse in parte accipiendam, constat ex ijs, quæ Hippocrates subiungit, cum ait, quia neq; flatu, neque copioso, glutinosoque stercore deiecto euacuabatur. multa autem in libris epidemiarum scripta in quibusdã G particulatim uisa sunt, quæ præceptis uniuersalibus, quæ aut perpetuo, aut plerunque uera sunt, subijciuntur, ita nunc Perinthi, quæ seminis speciem referebat, siue urina, siue alui deiectio: critica apparuit: utrum autem paucis, an multis, an uni soli id acciderit, ex ipsis Hippocratis uerbis non constat. sed probabilius est, ea tempestate, qua Hippocrates hæc scripsit, id multos esse grassatum: nã cum in uno quodam euenisse aliquid scribit, tum aut locum ciuitatis, ubi ille decumbebat, aut ætatem, aut nomẽ adiungit. nomina uero ciuitatum adscribere in illis narrationibus consueuit, in quibus multos tali malo affectos conspexit. sed hoc ad artis exercitationem parum refert, & quod dixit, Perinthi, addat quispiam cui uelit. ceterum urina, aut stercus genituræ speciem referens ad iudicationem pertinet, cũ is succus, quem Praxagoras, uitreum uocabat, euacuatur. quod uero ait, & quæ circa abdomen talia: ad prædictũ referri debet: siquidem talia ad alterum teferuntur: nam de abdomine supra nulla mentio facta est. fortasse autem librarius, qui primum ex Hippocratis libro id descripsit, aliquid omisit, quod ad hanc rem pertinebat, uel ipse sibi recordationis causa id scripsit, quod ad primum ægrum referatur, de quo solũ dixit. Qui apud Timenei neptem is nigræ cutis erat. quidam autem propter hanc difficultatem, duplicem explicationem afferebant: ut quod ait, ad iudicationem pertinere, & circa abdomen, ita accipiatur, ac si diceret, urina, quæ genituræ speciem refert, pertinet ad iudicationem, & ex affectibus, qui in H abdomine sunt, extrahi debet. tũ alio sumpto initio dicamus, talia enim mictu sanantur. ut talia intelligamus ea, quæ in abdomine fiunt. cuius rei deinceps testimonium subiunxit: quia neque flatu, neque copioso, glutinosoque stercore deiecto euacuabantur: hoc est, cum nihil aliud factum esset, quod abdominis dissoluere tumorem posset, morbus per solas urinas, quæ genituræ speciem referebant, iudicatus est. fortasse uero tale abdomen erat, quale ipse in præsagijs his uerbis est persecutus: Hipochondriorum dolores, ac tumores si recentes, ac sine inflammatione sint, murmur in eis excitatum dissoluit: præsertim uero si cum stercore, urina, & flatu exierit: si uero ipsum non transierit, iuuat, si ad infernas sedes deuoluatur. neque enim inflammationem, aut quidpiam aliud solutu difficilius, quod in iecore, aut intestinis, aut uentre constiterit, sola urina seminis speciem referens dissoluere potuisset. quam ob rem adiunxit: non enim erat magnum hypochondrium: propterea quod si magnum fuisset, nõ iam per urinæ, quæ seminis speciem retulisset, excretionem esset dissolutum. nunc uero, quia, quod sequitur, non multum uidetur prædictis conuenire, ideo nonnulli alio sumpto initiuo ipsum legebant: & οὗ cum spiritu crasso scribebant, & articulum masculinum patrij casus faciebant: ac si ita dixisset, homo, cuius magnum erat hypochondrium, septimo die, cum adhuc ægre spiraret, brassicam comedit: postquam uero abdomen euacuatum est, recte spirabat, hoc est facile, & secundum naturam. non tamen

A men scripsit, utrum brassica protuerit, quod aluum subduxerit, an quod digesserit. quidam uero uerbū
hoc, recte spirans, ita explanant, ut significare putent eam spirandi difficultatem, qua qui affecti sunt,
nō nisi recta ceruice spirare possunt: enimuero in dictionibus ænigmaticis potest quisquis dicere, quæ
uelit: cum illæ nullum nobis insignem usum ferant: nec in eis Hippocratis, sed interpretum perdisce-
re sententiam nobis liceat.

37 *De sanguine ichoroide considerandum est: quia is in pauidis, aut uigilantibus est, siue bonus, siue malus sit.*

Non est suspicādum, sanguinem absolute tenuem, & aqueum ab eo ichoroidea nominari: sed in quo
« uenenosa quædam, malignaque facultas insit: nam & in secūdo de uulgaribus morbis ita scripsit, Sub
« cute ichores gignebantur, hique inclusi incalescebant, pruritumque excitabant: tum pustulæ, ut ambu
stis, exurgebant, ac sub cute exuri, sibi uidebantur. ex quo planū est, ut non parua symptomata ex icho
ribus oriri asserat. Plato quoque in Timæo quiddam tale per uocem ichoris significat, cum ait, Ichor
autem, qui sanguinis serum est, mitis est: qui uero atræ, atque acidæ bilis, ferus. itaque sanguis icho-
roides appellatur is, qui prauam, tenuemque humiditatem in se continet, non aqueam illam quidem,
& morsus expertem, sed mordacem, & erodentem. cumque dicat Plato ichorem, qui sanguinis serum
B est, mitem esse, qui uero atræ, acidæque bilis, ferum: nobis patefactum est, quemadmodum in lacte se-
rosa quædam humiditas, ueluti percolatio, & quæ crassiorem partem circunfluit, eodem modo in suc-
cis, humoribusque omnibus serosam quandam, tenuemque humiditatem reperiri. hæ porrò humidi-
tates different pro natura eorum humorum, quorum esse serum dicentur: eritque infestissimum atræ
bilis serum, minus infestum flauæ: hocque minus, pituitæ: omnium denique mitissimum erit: sangui-
nis serum, & ichor: nihil enim in præsentia refert, hoc, an illo nomine utaris. Cum autem sanguinem
dupliciter dicamus, interdum, ut eum a prædictis humoribus distinguamus: interdum uero uniuersum
humorem, qui conceptaculis continetur, a maiore eius parte sic nominamus, nunc sanguinem icho-
roidea in secunda significatione intelligere debemus: quemadmodum est in more positum omnium
medicorum, ut ipsum in uenæ sectionibus aut serosum, aut melancholicum, aut pituitosum, aut bi-
liosum uocent: ac nonnunquam naturalem effluxisse sanguinem dicant. omnino autem pauidos, hoc
est cum metu perturbatos, itemque uigiles ichoroides sanguis reddet. quod si non modo sanguinis, sed
uitiosi etiam alicuius succi serum in uasculis sanguinis contineatur, & deliria, & insanias, & furores cō
citabit. Sed modo uidetur sanguinei seri fecisse mentionem, ut aliquod sibi memoriæ lumen afferret.
fuerit quidem consentaneum pituitæ serum timiditatem afferre, uigiliam uero, aut perturbationē, aut
C animi motum cum pauore, non item: cum in eo torpor, frigusque solum, non mordacitas, malitiaq;
insit. nisi forte corruptum sit, & acidum, salsumque redditum. ceterum quæstione dignum est, quod ait
Siue bonus, siue malus sit: nam si quis absolute pronunciet, sanguinem ichoroidem esse malum, recte
sentire uidebitur: propterea quod quicunque ita nominatur, cum naturali comparatur. at si quis aliorū
humorum ichoribus sanguineum ichorem comparans, non prauum, aut bonum esse eum asserat, is ē
uera dicere existimabitur. plerunque autem & huius temporis homines, & item ueteres, quod minus
malū est, appellare bonū, aut probū, aut laudabile, aut quid huiusmodi solēt: præsertim uero, cum id
quod ualde prauum est, magnopere pręstet ei, quod modice a suo statu naturali deflexit. quam ob rem,
cum Hippocrates quærat, bonus ne sit, an prauus ichoroides sanguis, possumus nos ita ferre senten-
tiam, cum optimo sanguini comparatum, esse malum: alijs uero omnibus, quibus alterius cuiusdam
succi uitiosi ichor sit admistus, multo meliorem, & optabiliorem: & ideo bonum censeri.

38 *Quibus lien decliuis est, ijs pedes, manus, & genua calent: nares uero & aures semper frigent. an quia sanguis in eis te*
*nuis est, an quia suapte natura hi talem habent?*

Vel ex ipsa uoce licet intelligere, decliuem lienem dici eum, qui deorsum uergit: utrum autē pro-
D pter eius tumores, qui in partibus inferioribus constiterint, an cum in partes inferiores corporis ui-
tiosos humores, quos in se habet, depellit, decliuem lienem appellarit, nec ne, ex ipsa noce intelligi
non potest. pro rerum quidem natura accipere possumus decliuem lienem ab ipso utroque modo di-
ctum esse. pedes enim inquit, & manus, & genua calent: nares uero, & aures frigent. ac genua quidē
& pedes in decliui liene calida uideri, est rationi cōsonum, ut etiam nares & aures esse frigidas. at ma
nus calidas esse in decliui morbo, non est consentaneum. potius enim inter superiores partes quispiā
eas locabit; sin minus, certe non inter inferiores. cur autem aures, ac nares frigidæ sint, inferiora ue-
ro sint calida, causam considerans Hippocrates, ait, an quia sanguis in eis tenuis est, an cum lienes de-
cliues sint procreati efficiuntur. nonnulli autem negant, ex altera parte lienibus respondere hoc, an
suapte natura hi talem habent: sed ei, quod postea sequitur, totamque sententiam sic legunt, an suapte
* natura hi talem habent, an suppurationibus: qua de re diligentius erit deinceps considerandum. an
prædictis suppurationibus annectunt, qui ita scribunt. Sed qui uolunt, hoc esse consequentium initiū,
illud an, auferunt, & talem orationem esse uolunt, suppurationibus terminus, suppuraturis uētres per-
turbantur: statuuntque uentris turbationem signum esse suppuraturorum. hoc tamen non omnium
suppurantium indicium fuerit, sed eorum modo, in quibus per intestinorum excretionem fit eruptio.
nec mirum uideri debet, si non distinxit, de quibus agat, si eius, quod initio diximus, memores simus,
ipsum

ipsum sibi hæc apparauisse, unde ad libros conficiendos sumeret: id enim, quod ait, uentres perturban E tur, solum ad recordationem pertinet eorum, quæ ipse sibi uult indicare: cum dicat, uentres perturbari in huiusmodi suppurationibus, e quibus, cum erupturæ sunt, ichor quidam tenuis ex pure prius re sudat, a quo morsa intestina quandam uentris turbationem efficiunt: hoc est morsus, & assiduas desidēdi cupiditates excitant: sunt etiam, qui hanc lectionem agnoscunt:

*Suppurationibus umbilicus terminus: quibus suppuraturis uentres conturbantur.* 39

Voluit paucis indicare id, quod in præsagijs clare dixit, Minime uero omnium, qui sub umbilico sunt, in suppurationem uertuntur. quibus tamen eruptura suppuratio, his uentres prius turbantur. scribunt id uarijs etiam modis, atque aliter, nec solam hanc orationem in partes diuidunt ij, qui hunc librum interpretantur, sed alias etiam quamplurimas: ut hominibus ad artis exercitationem studio cō tendentibus mora inijciatur. uidentur autem quidam id efficere. quod Timon per similitudinem usurpabat quid uis, parum carnis, multum ossium. alij sequentem orationem, cuius initium est, Lien durus non superius, huic annectunt, ut de lienis differentijs uerba fecerit. quare ad eam transeamus, & lienis differentias, in quibus aliquid utilitatis inest intueamur. F

*Lien durus non supra, infra teres, latus, crassus, longus, tenuis.* 40

Descripsit his uerbis differentias tumorum, qui præter naturam lienem occupant, eas fortasse sibi ipse adumbrans, quia lienis decliuis fecerat mentionem. itaque prima huius splenis differentia est, cū durus ille quidem sit, sed non superiore parte, certe planum est, parte inferiore durum esse. altera uero differentia earum, quas hoc loco persequitur, est etiam decliuis lienis propria: cum enim lienes decliues hoc commune habeant, ut superiores partes duras non habeant, inferiores uero habeant, unus eorum teres est, latus alius, alius denique auctus in longitudinem, idque siue cum tumore, qui præter naturam ortus sit, siue etiam sine tumore, sed solum in longitudinem excreuerit. primam differentiam indicauit, cum dixit, crassus, longus: alteram cum ait, longus, tenuis: siquidem Hippocrates, ut suspicor, bis scripsit longus: sed librarius alterum abstulit, & huiusmodi orationem reddidit, cuiusmodi paulo ante adscripsi. consentaneum autem est, primæ differentiæ factam esse mentionem, cum ait, Lien durus, non supra: hoc est durus inferiore parte, ut etiam decliuis est. tum quatuor eius differentias esse allatas: unam, qua teres dicitur; alteram, qua latus: cuius utriusque commune est, ne splen in longitudinem augeatur: duas uero reliquas additas esse, quarum altera sit, qua longus & crassus efficitur; altera, qua longus & tenuis: cum enim, ut dixi, hoc nomen longus, esset iteratum, uerisimile est, G librarium ex uetustis codicibus alterum eorum, ut superuacaneum, expunxisse. ac uetus scriptura est huiusmodi, in qua nomen longus, ut ego quidem affirmo, bis ab Hippocrate dicitur, a librario uero semel modo descriptum est. potuit fortasse etiam semel tantum Hippocrates hoc nomen inter illas uoces crassus, & tenuis scripsisse, ut æque possit utrique nimirum præcedenti, & subsequenti accommodari: siquidem pleraque huiusmodi apud ueteres auctores inueniunrur. ceterum interpretes ego demiror, qui hanc lectionem uarijs modis immutant: nam si quis audeat a uetere lectione recedere, id aliqua uerisimili causa ductus debet efficere, quemadmodum ego nunc esse consentaneum affirmaui, illud nomen longus, cum bis scriptum esset, semel esse prætermissum. atque hanc quidem lectionem ueteribus explanatoribus cunctis probatam esse, Zeuxis optimus esse testis potest: is enim, cum Glauciæ uitio uerteret, quod hunc locum male esset interpretatus, nihil ei obijcit, quod ad hanc dictionem pertineat, quamuis ei difficilis esse uideatur. cum uero coarguit, quod prædictis negationem adiunxit: nam inquit, cum hæc uerba exponere nesciret, negationes omnibus addidit perinde, ac sic Hippocrates scripsisset, infra teres, non latus, non longus, non tenuis. existimabat sane Glaucias, lienem his omnibus affectibus occupari non posse, cum inesse in eo simul non queant: quasi necesse sit intelligere, eos omnes in uno homine fuisse: ac non potius Hippocratem, recordationis causa, quemadmodum H prius difficilis spirationis, & febrium, ita nunc quoque differentias tumorum præter naturam, quibus lien decliuis afficitur, deinceps conscripsisse. quod si liceat ijs, quæ affirmando sunt dicta, negationes præponere, certe nullum iam decretum integrum conseruabitur, neque ulla ueterum sententia firma remanebit.

*Minus uero, quibus grauedo ex capite molesta est.* 41

Non possumus quicquam aliud intelligere, quàm, ut quæ lieni accidere dicta sunt, minus eueniāt ijs, quibus grauedo manat ex capite: cuius rei causam & Rufus, & Sabinus aiunt esse, quod sanguis grauedine repurgatur. quam sane ob causam nihil in lienem peruenire arbitrantur. Sed præstat hoc ad cō mune genus, quàm ad partem redigere: rarissime enim duæ partes in uniuerso corpore æque debiles comperiuntur: nam in plurimis una esse huiusmodi deprehenditur, in quam, siue plenitudo, siue uitiati humores in corpore sint, confluunt omnia. cumque ea membrum aliquod præoccuparit, reliqua naturalem statum seruant. non solum igitur in quibus grauedo ex capite manat, sed in illis quoque, qui mēbrum aliquod ad respirationem pertinens, aut renes, aut iecur, aut uentriculum imbecillum habeāt, id magis, quàm lienem, affectibus expositum inuenies. cum uero hoc commune, uniuersaleque sit, addat

A addat quiſpiam id,quod peculiariter conuenit ijs,de quibus nunc agitur, in quibus humor pituitoſus,
aut tenuis & aqueus colligitur,cuiuſmodi ſunt qui capitis grauedine affecti ſunt; his inquam rumores
præter naturam, qui ex craſſis, melancholiciſque humoribus conſequuntur, non ita ſæpe in lien.
conſiſtere.

42 *Circa ægrum diſpenſatio,& de morbo interrogatio : qualia ſint,quæ æger narret: ut accipiendi ſermones : quæ ad ægrotantem, quæ ad aſſidentes, quæ ad externos.*

Inuenit accommodatum nomen ad ea, quæ dicenda ſunt, cum diſpenſationem dixit : neque enim
ut in ceteris fere omnibus libris affectuum aut notitias,aut curationes, aut futurorũ præſenſiones ſcri-
pſit,ita etiam hic fecit; ſed in hac particula docet, quomodo medicinalibus præceptis, quæ didicerit,
commode quiſpiam utatur : nec ipſa ſingula, ſed uniuerſa tantum capita deſcribit. ac primum quidem
facit mentionem interrogationum,quibus ſcilicet Medicus ægrum interrogat : ſecundo loco, eorum,
quæ ab ægro narrantur: multa enim narrare ægri ſolent,quæ quale ingenium habeant,indicio eſſe poſ-
ſunt : ut licet eum prius non nouerimus,tamen ex ijs, quæ dicat,qualis nam ſit, intelligamus: noſque
illi accommodemus.etenim ſi quempiam prudentem agnoris,nec tamen timidum,uerum ei dicere co
naberis. neque quicquam eorum, quæ in morbo futura ſunt,diſſimulabis. ſi uero imprudentem,ac ti-
B midum,omnia dicito, quo animo meliore ſit,ita tamen,ut ne magnopere mentiaris. quod ſi quando-
que propter ſummam ægrotantis timiditatem ei certam polliceri ſalutem cogaris, egreſſus uera dici-
to ijs, qui curam illius gerunt. dabis autem operam, ut ne ipſis quoque ægris, licet ſumme timi-
dis, ſanitatem ita,ut qui aperte mentiri ſolent,promittas : niſi illud in primis addas,eam quidem affu-
turam, ſi modo illi cuncta recte fecerint,medicorumque præceptis obtemperarint: ita enim neque il-
li deſpondebunt animum,& tu uera perſæpe dices : nam plurimi periculoſi morbi ægros Medicis non
obedientes interficiunt : cum alioqui admodum pauci prorſus homines tollant,ſi neque Medicus, ne-
que æger,neque miniſtri errent,neque quicquam extrinſecus noxium forte occurrat. quicſique enim
in morbis periculoſis meliore,quàm par eſt,animo eſſe ægros iubent,hi faciunt,ut ſequentibus diebus
in multo maiore mœrore uerſentur,cum aut morbus deterior efficitur, aut ultra medicorum promiſſa
producitur.ſed & confidenter,ac ſi in nullo ſint periculo conſtituti plerique,medicorum dicto non ad
modum audientes ſunt.quare præſtiterit,ægrotantis ingenium prius noſſe,habita peritia cum bene ua
leret. ſi uero in eum nunc primum incidimus,ex eius oratione,qualis nam ſit, cognoſcimus. auxilio au
tem eorum, quæ prænouimus,aliquid morbo accommodatum inuenire nobis licet: nam ſi natura mo
deſtus audacter reſpondeat,ſique prudens,in loquendo imprudens uideatur,inde ſciri poterit, eius læ
C ſam mentem eſſe. quemadmodum ſi ſobrius,& cogitabundus,& uigil,& natura loquax, in narrationi-
bus,reſponſionibusque ſegnis appareat.iam uero ex ipſa uoce licet aliquid de morbo ſuſpicari : quidã
enim morbi tempore uix uocem mittunt,quidam raucam, quidam acutam edunt,quidam balbi, blæ-
ſique ſunt : quorum ſingula quid ſignificent,alibi didiciſti. atque ex his cognoſcet Medicus aliquid eo
rum, quæ ad ægrum pertinent,ut quale ingenium habeat,quibus moribus ſit præditus,& quænã mor-
bi forma ſit. iam uero ipſe interrogando,qualis in eius arte ſit & ægro,& aſtantibus declarabit: etenim
ſi nares acutas, oculos concauos,collapſaque tempora in acuto morbo intueatur,quæret,num quæ e-
uacuatio illi euenerit,aut uigilia, aut mœror, aut inedia, aut labor aliquis magnus præceſſerit. ſi uero
non concidiſſe faciem uideat, interrogabit,an aliqua conſueta excretio retenta ſit,aut præter conſue-
tudinem in otio uitam traduxerit,aut corpus expleuerit.poterit idem de frigore, de æſtu, de largo uini
potu,ac de ceteris huius generis accommodate ſciſcitari : ut hac ipſa in re apud eos, qui aderunt, lau-
dem inueniat : nam ſi præterita, & quæ iam ægro,aſtantibuſque nota ſunt, Medicus interrogabit, eum
ſtatim admirabuntur,quemadmodum ſi qua contraria ijs,quæ facta fuerint,quæret,eundem ſolent re-
prehendere.quinetiam ſi quædam eorum,quæ ægrotis acciderũt,antequam ea ab illis audiat,in medio
ſermone dum interrogat,atq; reſpondet,forte protulerit,eorum in ſe admirationem cõuertet. ſed hæc
D omnia ſunt alibi a nobis expoſita.cum uero,ut dicebam,Hippoc. hæc ſola,& prima capita commemo-
ret,nos quoq; prima quadam diuiſione eadem explicauimus. ſi uero particulatim dicere cuncta aggre
diar,certe commentarios in librum præſagiorum,& quæ de criſibus ſunt literis mandata,huc transfer
re cogar.præter hæc autem ad diſpenſationem atq; uſum faciunt quædam ab Herodoto edita in eo li-
bro,qui Medicus inſcribitur:de quibus nos quoq; in libro,de rõne præſagiẽdi uerba fecimus.itaq; hu-
ius orationis capita rurſus ab initio repetentes, ad aliquid eorum, quæ principio ſcripta ſunt, tranſea-
mus. quemadmodum in uita omnia,quibus opus eſt,parata habere,ut ueſtes, ſupellectilem, ſeruos,iu-
menta,aliaſq; pecudes,itemq; ædes,frumentum,legumina,bellaria,uinum,oleũ,ceteraq; generis eiuſ-
dem,a conuenienti eorum uſu,quem œconomiam uocant,ualde differt:ita in arte medica non idẽ eſt,
artem perdiſcere,& ijs,quæ didiceris,uti ita,ut conuenit : ut ſciat in tẽpore interrogare,& loqui,in tem
pore audire ægrũ,aut eius familiares loquẽtes : ut eos edoceat, quõ accõmodatiſſimi miniſtri ſint:pro
uideat,quæ cura adhibẽda ſit ijs,quæ extrinſecus occurrũt,quæ tũ a Medicis,tũ ab aſtãtibus negligunt,
inter q̃ maxime utilia ſunt, q̃ ad decubitus pertinẽt,uel ad ædes oĩno uitioſas,aut cubiculũ,in quo ęgri
decũbunt,ob tetrũ odorẽ quẽpiã,aut aerẽ calidũ,aut ualde frigidũ,aut ſitus plenũ.moleſtiarũ quoq; q̃ a
uicinis,aut ijs,q̃ publicis in uijs uerſanť,ægro afferunť,habere Medicus rõnẽ debet:deq; his oĩbus cũ a-
micis familiaribuſq; ęgrotãtis differerę.atq; hæc q̃dẽ,taliſq; eſt,quę in ægrotãtibus diſpẽſatio nominatur.

Qua

*Quia in calidiore firmiorum, in dextris, & nigri; propterea & uena magna, & biliosiores sunt.* E 43

Mirum non est, hic quoque omissum esse, quod totam orationem continuatam reddebat, siquidem hic liber non est conscriptus, ut ederetur, sed apparatus quidam, & adnotationes, quales nobis ipsi parare solemus: nam si integer liber esset, certe sumpro ita, ut in aphorismis fecit, initio, scripsisset, ac quæ deinceps consequuntur, addidisset, ut tota oratio esset huiusmodi: fœtus, mares quidé in dextris uteri partibus potius consistere, fœminæ uero in altero sinu sinistro comperiũtur: uerisimile enim est, quod calidius est, in calidiore uteri parte consistere. calidior autem est mas, quam fœmina, ut & uenarum in eo magnitudo, & color declarat: uiri enim sunt mulieribus plerunque nigriores. ac si Hippocrates hoc opus conscripsisset, ut in apertum proferret, non secus in hoc, quàm in libris de fracturis, de articulis, & in præsagijs, ac ceteris huius generis, esset locutus: sed quia, ut dixi, hæc ipse sibi adnotauit, ideo caput orationis omisit, nec de masculis, qui utero continentur, hæc ab eo dici declarauit. ac marem quidem in dextra uteri parte concipi, alij quoque uetustissimi homines prodiderunt: ac Parmenides quidem sic;

Dextra fouet pueros, teneras pars læua puellas. Empedocles quoque his uerbis: »

Quæ calet, est maribus tellus magis apta creandis. »

quam ob rem & nigri, & magis uiriles, magisque hirsuti uiri sunt. hanc autem de mare, ut calidiore opinionem ueram esse, accurate in commentarijs de temperamentis docuimus. nunc uero, ut persæpe dixi, non est mihi propositum Hippocratis decreta, nisi obiter, ratione confirmare: sed eius tantum uerba declarare: quæ sane uerba quidam recentiores interpretes immutare ausi sunt, & pro firmiorũ, legunt firmius: putant enim alienum a ratione, dextram uteri partem ut calidiorem, ita etiam robustiorem appellari: cum, quantum ad firmitudinem pertinet, simili modo se habere uideatur. itaq; oportere scribi existimant, Quia in calidioribus firmius in dextris, & ideo nigriue hæc oratio significet, in calidiore parte uteri concipi firmius, quod idem est, ac ualentius, & robustius, cum sit etiam natura calidius. sed de huius sententiæ ueritate non est nunc, ut monui, opportunum differere. quoniam autem nonnulli aduersantur ijs, qui omnes dextras partes sinistris esse calidiores, & robustiores propter iecoris situm dicunt, & tamen cor a sinistris positum habere, & dexter oculus nihilo acrius, quam sinister intueri, & dextra auris nihil melius, quam sinistra audire, nec dextrum crus, melius incedere, quam sinistrum uideatur: idque in manu sola uerisimile appareat, ideo pauca quædam aduersus hos a me dicentur. enimuero maxima demonstratio, quamplurimos mares in dextra uteri parte concipi, ex animantium dissectione oritur: ut cum uterus duos sinus, per ceruicem ambobus communem coniunctos habeat, mares plerunque in dextro, fœminæ in sinistro concipi uideantur. quare præstitisset, huius rei, quæ sensu percipitur, causam inquirere, quam causæ ignoratione conari, ueritatem euertere. Sed uos causam didicistis in libris de anatomicis administrationibus, cum ad dextram uteri partẽ per renes sanguinem repurgatum, ad sinistram uero impurum adhuc, serosumque descendere conspexeritis. cor etiam in medio pectore, non in sinistra parte situm uidistis. Verisimile autem est, quosdam arbitratos esse, eo in loco positum esse potius, quod pulsus in ea parte percipitur. quod sinister eius uentriculus sit, qui pulsum edit.

*Concretum est, constitit citius, motum inquinatum est, & tardius augetur, & longiore tempore.* 44

Diximus iam sæpe, hoc in libro propter obscuritatem, sexcentas esse scripturæ uarietates, cũ alius aliter eas componit, prout cuique probabilis explicatio futura uidetur. ego uero scripturas ueteres ceteris antepono, quamuis non esse uerisimiles appareant, maioremque dubitationem afferant: nam uel hac de causa eas ita fuisse quis existimabit, quia licet in explicatione quædam existat dubitatio, uetustissimi tamen interpretes in eis consentiunt. quod si eas immutare ausi essent, certe in apertiorem dictionem, ut probabilior fuisset explicatio, commutassent. itaque cum hæc oratio nunc in antiquis ita sit libris exarata, eamque ita conscriptam esse ueteres interpretes attestentur plurimi recentiores uerbum inquinatum est, expungendum putauerunt: nonnulli uero ei uerbo motum, addiderunt tardius, ut talis esset oratio: Concretum est, constitit citius, motum tardius augetur: quidam uero toti orationi præposuerunt, & hanc ob causam, ut sic legamus: Et hanc ob causam concretum est, constitit. tamen ex his omnibus scripturæ generibus non admodum uaria oritur sententia, cum uelint interpretes, ideo marem citius concrescere, atque coustitui, quam fœminam, quod calidior sit: quam etiam ob rem citius moueri ipsum affirmant. quin etiam inter omnes fere Medicos constat, marem non modo citius formari, sed etiam moueri, quam fœminam: qua de re in libro de natura pueri est aperte dictũ, ut Diocles quoque in libro de affectibus mulierum disseruit. Rufus autem scribit, solum Diogenem Apolloniatem in secundo de natura libro contra sentire. ego uero cum librum non uidi, iam uero ipsæ grauidæ fœminæ & citius mares incipere moueri, & plures & uehementiores motus ab eis edi attestã tur. proposita uero sententia affirmat, citius, concretum esse, ac constitisse, hoc est compactum, firmũq; redditum marem esse. deinde uero mas tardius, quàm fœmina augetur. utrum autem incrementũ intelligat id solum, quod in utero fit, an quod a partu edito, incertum est: illud quidem est uerum, fœminam, cum in lucem edita est, augeri celerius, & eius incrementum citius desinere. porrò uelocioris incrementi causa est corporis mollitudo: siquidem huiusmodi corpora facilius in tria interualla longũ, latum,

A latum, ac profundum diducta incrementum ſumunt: celerius autem deſinunt augeri fœminæ, quàm mares, non iam propter mollitiam, ſed propter imbecillitatem: eſt enim naturalis in animantibus facultas, quæ eſt ipſorum incrementi effectrix: ob quam quidem imbecilliorem plus augentur, ſed præ imbecillitate creſcere citius deſinunt. ac ſi ipſe Hippocrates ſcripſit, ἐμωλύνθη .i. inquinatum eſt, profecto tale neſcio quid ſignificare uidebitur, quale eſt in ſecundo uulgarium morborum, cum ait, Secundum autem ſiniſtram tumor exortus eſt: ſequenti uero die etiam dextram, ſed is minor: utrum hi cõ minuebantur, ἐμωλύνθη, & non ſuppurauerunt: ἐμωλύνθη enim dixit id, cuius acutus motus, ac tranſmutatio ceſſat, quodque refrigeratum eſt.

45 *Ideo ualidior, bilioſior, magiſque ſanguineus eſt, quia is locus, eſt in animali calidior.*

Hac de re ait ſolidiorem, bilioſiorem, ac magis ſanguineum eſſe marem, quia locus, in quo concipitur, talis eſt. intelligit nimirum dextrum uteri ſinum. hanc autem ſententiam alij aliter ſcribi uolunt: omnes tamen eandem ſeruant ſententiam: ſiquidem uelle accurate perquirere, quænam uera ſit Hippocratis dictio, ſuperuacaneum eſt: præſtat enim non hoc quidem, ſed utrum uerum ſit, quod dicitur, conſiderare. ueritas autem, ut ante dixi, ex corporum diſſectionibus elicitur, cum mares in dextro uteri
B ſinu plerunque concipiantur. cur uero hæc pars calidior ſit, cauſam quoque, ex diſſectione nobis cognitam expoſuimus.

# GALENI IN SEXTVM DE VVLGARIB. MORBIS.

## COMMENTARIVS TERTIVS.

1 *Cutis raritas, uentris denſitas: cutis adſtrictio, carnium incrementum: uentris torpor, uniuerſorum confuſio: uaſorum immundicia, cerebri conſumptio: propterea & caluitium, & attritio inſtrumentorum.*

Sunt, qui putent, hanc eſſe rerum, quæ a Medicis cognoſcendæ ſunt, enumerationem. potius uero res quædam inter ſe iunctæ, dici per coniugationẽ
C uidentur. ac prima quidem coniugatio eſt, cum ait, cutis raritas, uentris denſitas: ſiquidem nonnulli ideo uentrem denſum, hoc eſt ſuppreſſum, & adſtrictum habent, quod multa per cutim euacuentur: quemadmodum contra nõnulli, cum ægre per cutim diſflentur, multa meiunt, multaque per aluum excernunt. altera ſubiuncta deinceps eſt coniugatio, cutis adſtrictio, carnium incrementum: ex qua intelligitur, coitionem, adſtrictionemque cutis plerunque eſſe in cauſa, cur carnes ſupra modum augeantur. eſt tertia, quæ has excipit, coniugatio, quæ his uerbis continetur, uentris torpor, uniuerſorum confuſio. torporem autem, intelligimus uentris imbecillitatẽ in cibis concoquendis, eſſe omniũ affectuũ, quibus corpus corripitur, cauſam. quod uero mox ſequitur, uaſorum immundicia, huic coniugationi poteſt annecti: nam quod in uentre non eſt recte concoctum, plerunque in cauſa eſt, ut uaſa immunda ſint. poteſt etiam non coniungi cum uentris torpore, & de uitiata coctione, quæ in uenis fit, intelligi: ut quemadmodum concoctio, quæ non probe in uentriculo fit, multa in toto animante confundit, ita etiam, quæ in uenis fit, cum ſuum finem non eſt ſortita, primum immundiciam in uenis, hoc eſt uitioſorum humorum redundantiam parit, deinde noxam magnam affert, ut quod medium eſt inter uentris torporem, & uaſorũ immundiciam, ſit utriuſque commune, quod ipſe uniuerſorum confuſionem nominauit. iam quod addit,
D cerebri conſumptio, propterea & caluitium, habere ego hunc ſenſum puto; cum cerebrum multo minus ſe ipſo factum ſit, id quod accidit ijs, quibus eſt natura ſiccius, tum ab oſſibus ſuperiacentibus recedit, quæ anatomici ſinciput nominant. hæc autem duo ſunt, quorum utrunque quatuor rectis lineis circumſcribitur: una quidem per ſuturam in longum exporrectam, utrique oſſi cõmunem, ſed poſterius, lateribus ſuturæ labdoidos; anterius uerò, coronali: utrinque ſquamoſis ſuturis. ab alijs caluariæ partibus potiſſimum quidem cerebrum non plus recedit. quod ſi quandoque receſſerit, tamen propter carnes oſſibus ſubiectas, cutis humiditas non prorſus exareſcit, proinde nec crines deffluunt. etenim in cõmentarijs, qui ſunt de temperamentis, didiciſtis, pilos neque ex perhumida cuti, neque ex uehementer exiccata naſci. porrò cutis capitis puerorum, mulierum, & eunuchorum humida eſt: caluorum autem, præter modum arida. cerebrum uero in iuuenibus quod molle, humidumque eſt, caluariam contingere, omnemque interiorem capacitatem ab eo occupari; in ſenibus uero areſcens, & ſubſidens ab ea recedere, ſæpenumero in animantium diſſectione conſpexiſtis. nunc uero nõ eſt nobis propoſitum, decretorum Hippocratis afferre demonſtrationes, niſi forte obiter id accidat, ſed obſcuram illuſtrare dictionem, ſimulque ſummatim cauſas interdum addere, prout demonſtrata decreta poſtulabunt. Cerebri autem conſumptionem & perfectum interitum, ut ipſum ſit omnino abſumptum, ne cogitatione quidem in uiuo animante fieri poſſe, omnes norunt. quare ſi hoc non ſit, reliquum erit, ut per cere-

bri

bri consumptionem intelligamus eam diminutionem, quam ex siccitate in caluis fieri dixi, ut sincipi- E
tis ossa, quæ laxiora, mollioraque ac ceteris superposita sunt, ob cerebri defectionem, cum usque ad
ipsa non pertineat, nec tangere ea possit, exsiccescant: subsidet enim, & depressum in suam basim con-
cidit. consequens autem est, his ossibus arefactis, cutim etiam eis prætēsam exarescere: eaque in cal-
uis ualde sicca esse, sensu perspicitur, ut demonstratione, a ratione ducta, nihil opus sit. cum uero etiam
cerebrum sit plus exiccatum, ut in quibus extrema senecture contingit, tum neruorum quoque exor-
tus siccescere necesse est: quam ob rem neque ita, ut prius, uident, neque audiunt, neque aliud quicquā
aut sensuum munere, aut motionibus, quæ a uoluntate proficiscuntur, ualenter administrant: sed omnia
earum actionum instrumenta, per quæ illæ prius gerebantur, exoluta, infirma, languidaque redduntur:
quod quidem uerisimile est, ipsum appellasse instrumentorum attritionem, ducto nomine per transla-
tionem ab attritis uestibus, atque uasis: quæ sane post diuturnos usus, cum ea attrita esse dicimus, se
ipsis facta esse sicciora uidentur. quidam uero putant, hæc non esse per coniugationem accipienda, sed
singula separatim, aiunt Hippocratem consulere, ut ipsorum uires expendamus: ac, ne uagemur latius,
cutis raritas (hęc enim primo loco descripta est) quid ualeat, cognoscendum nobis est, ut eam, cū opus
erit, inducere ualeamus: eandemque detrahere, cum non erit ex usu. Scriptum autē etiam est, inquiūt,
in libro de alimento, Corporis raritas ad difflationē facit, ac quibus plus detrahitur, magis sani: qui- F
bus minus, magis morbosi uiuunt. Sed huic sententiæ repugnat quod in medio scriptum est, uentris
densatio, cutis adstrictio, si quidem hæc est enumeratio rerum, quas nosse Medicum, expediat. præterea
quod subinde scriptum est, uentris torpor, omnium confusio: indicio est, uoluisse eum scribere cūcta,
quæ suapte natura in unum coire apta sunt: & non simpliciter, quæ affectiones in corpore consistant,
quas cognoscere conueniat: nam quod ait, uniuersorum confusio, non affectionem, sed mala, quæ ex
praua affectione oriuntur, indicat.

*Detractio cursibus, luctis, quiete, multis [celeribusque] deambulationibus, bisque elixa maza plurima, panis Medicu-* 2
*dandus est.*

Nomen euacuationis de solis liquidis, detractionis uero potius de solidis, quandoque uero etiam
de liquidis dicitur. & sane quæ in præsentia dicta sunt, communia sunt extenuationis liquidorum, & so- 1
lidorum, cum sine purgatione, aut sanguinis euacuatione eam, in sanis scilicet, facere uoluerimus: ægro
tantes enim nemo est, qui cursibus, luctisque curet: nam his, atque alijs consimilibus cōmune est exer-
citationum genus, quod etiam iactus discorum, iaculorumque comprehēdit, itemque saltus, halteres,
armatorum certamina, & omnes actiones, quas in uita homines obeunt, præsertim in agro colendo,
dum arant, metunt, ac fodiunt: siquidem omnes exercitationes tum carnis, & adipis, tum uero humo- G
rum abundantiam imminuunt. eas autem uno in corpore adhibere non possumus: sed dāda opera est,
ut quæ cuique sit accommodata exercitatio, ex habitu, ex ætate, ex uiribus, & consuetudine inuenia-
mus, ut in libris de ualetudine tuenda conscripsimus. nunc autem ex Hippocratis librorum explana-
tione medicinæ præcepta nō discitis, cum ea prius, ordine in proprijs libris tradita sint a nobis, in qui-
bus omnibus eius decreta cum demonstratione, & ea omnia quæ ex illis decretis particulatim conse-
quuntur, cognouistis. cum uero seriem eorum, quæ ipse dixisset, cōsequi cuperetis, petijstis a me, qui id
minime institueram, ut commentarium conscriberem: obscuræ enim dictiones nō admittunt eam ex-
planationem, quæ scientiam gignit. quare cum statim deinceps subiunxerit, quiete, aperte intelligi nō
potest, quid hac uoce significare Hippocrates uoluerit. Sed, ut in ceteris obscuris dictionibus, ita in
hac suspicari oportet, quid sibi uelit, ut hoc uni, illud alij probabilius uideatur, prout etiam uisum est;
& alius aliter nomen quietis exposuit. potest ergo de cessationibus, quæ exercitationibus interponun
tur, dicta quies esse, ut in aphorismis dixit, Vbi laborare cœperit, quies statim lassitudinem adimit. po
test etiam intelligi de cessationibus per integros interiectos dies futuris. potest etiam perfectam quie-
tem aliquibus corporibus consulere: etenim si ipse ita ait, Motus roborat, otium consumit, poterit
sane uita in otio traducta corpus extenuare: ita enim quibusdam, qui se ab exercitationibus ad otium H
traduxerant, euenisse conspeximus, sed diligenter distinguendum est, ut qui nam sint, qui his extenuā
di causa indigeant, intelligamus: neque enim redundantium humorum euacuatione opus est, cū otiū
suapte natura id efficere nullo modo queat. quam ob rem nonnulli merito dicunt, hic uerba fieri de car
nis detractione, non de humorum euacuatione, ut in plenitudine, & aquosis habitibus fieri solet. fieri
etiam potest, ut, cum de utrisque dixerit, hæc sit enumeratio omnium auxiliorum, quæ sunt utriq; de-
tractioni communia, quæque alterius ipsarum sunt propria. possumus etiam accipere, ut post exercita-
tiones quietem scripserit, ut de singulorum dierum exercitationibus, deque eis succedēte quiete uer-
ba faciat, ne statim ab exercitatione cibos ingerant, ut mos est, dum calor ab ipsa exercitatione in cor-
pore adhuc seruatur, sed postquam perfecte refrigerati sint: nam & id ipsum in libris de tuenda sani-
tate cum ab Erasistrato, tum ab alijs recte esse dictum cognouistis: ut uel ex hoc planum sit, in expla-
nationibus eorum, quæ propter breuitatem obscura sunt, multum loci esse coniecturis. cum uero uer-
ba, ut cuique placet, scribere permissum sit, tum ueteris auctoris sententia multo redditur obscurior.
in hac autem oratione, nobis proposita, quidam scribunt, multa quiete: quæ scriptura neque in anti-
quis libris extat, neque eam primi libri interpretes habuerūt. siquis uero nos eam interpretari cogat,
dicemus multam quietem post exercitationes ab eo imperari. Sed hæc missa facienda est, & de qua

inter

A inter omnes conuenit, explicanda. itaque dicimus, id consilij dari, ut multis, celeribusq; ambulationibus quis utatur: propterea quod tardæ, sicut etiā lentæ exercitationes corpora pinguiora reddunt. miror equidem, cur in eis omiserit uerbum, celeribus: cum & celeres cursus, & huiusmodi exercitationes carnis molem adimant, & humorum exuberantiam inaniant: qua de re inter omnes fere exercitatores, ac Medicos constat. quare Hippocrates deinceps de alimento apto ijs, qui detractionis indigent, scripsit uno sumpto exemplo, ut consueuit, sibi ipsi commentarium parans eius rei, quæ omnibus uniuerse congruit. eis autem omnibus commune est, ut ualentis materiæ cibos non sumant, qualis est suilla caro: sed imbecillæ, qualis ouilla est, quæ quidem pecudis est. maza quoque parum nutrit: itaq; huius plurimum, panis uero modicum sumi iubet.

3 *Detractionis signum, eandem diei horam seruare: subito enim trahitur.*

Non dubium est, quin hæc oratio annexa sit superiori, in qua docuit, ut facienda detractio sit, quare ut cognoscamus, num eius modum accurate simus coniectura consecuti, in præsenti eius rei signum adscribit. est autem hæc oratio nobis obscura propter eam causam, quam sæpe dixi, quod hic liber ab eo confectus non est, ut ederetur, sed ut formulam quandam, & apparatum sibi ipse haberet: nam si ad
B editionem eum scripsisset, profecto quam diei horam dicat, in qua signum detractionis obseruandum sit omnino explanasset. cum autē ipse non scripserit, quidnam aliud probabilius quispiam intellexerit, quàm quod eadem diei hora eum, qui detractionis indiget, ad exercitationes perducamus, &, ut ipse iussit, obseruemus, an subito trahatur, hoc est, moles corporis concidat, uiresque cadant, ac debilitentur? nam uerbum εἰρύεσθαι sine dubio significat trahi. potest etiam ab illo ad hæc transferri propter naturam rerum, de quibus uerba fiunt: quibus, ut sæpe in obscuris locutionibus dixi, quæ nobis prius in mentem ueniunt, accommodamus. quidam tamen pro εἰρύεται hoc est trahitur, scribūt ἐρείπεται hoc est cadit, rei explicationem ex hac uoce sperantes clariorem fore. uerumtamen uetus lectio uerbum εἰρύεται habet.

4 *Remittere labores, aut defluet.*

Hoc etiam loco scribunt quidam, subtrahere de laboribus, aut defluet. hæc autem est orationis uis euacuatio omnis, nisi paulatim fiat, uires dissoluit, & corporis habitum repente digerit. quam ob rem quidam scripserunt, subtrahere de laboribus, aut defluet: cum uelint, euacuationem quæ cōfertim fit, hoc uerbo defluet, significari. alij scribunt, ᾗ εἰρύεται, addentes ʽ, ac circumflectentes, & † ι subscri-
C bentes: ut significet, ex laboribus eatenus subtrahere, quatenus homo consumitur. aiunt autem hoc uerbum εἰρύεσθαι de corporis consumptione, deque uirium casu dici, ut eiusmodi oratio sit, labores minuendi sunt, cum uires concidunt, corpusque digeritur. iam illi quoque, qui ἐρείψεται scribunt, hoc est labetur, orationem ipsi quoque ad uirium casum traducunt.

† fortasse legēdū est & ῃ cū ι scribentes.

5 *Totum enim similiter concidit.*

Hanc quoque particulam in neteribus exemplaribus post superiorem scriptam comperi: eamque ita habere, ueteres interpretes aiunt, & ex recentioribus Sabinus idem confirmat. nullam tamen eius explicationem attulit: cum enim totam superiorem sentētiam adscripsisset, deinde singula eius uerba explanauisset, huius particulæ explanationem omisit: ut fecit etiam Zeusis ipse, qui unus e ueteribus interpretibus est. sunt, qui dicant, totum enim similiter concidit, ab Hippocrate dici, ut tale quid significet: quemadmodum repletio nocet, ideoque detrahenda est: ita euacuatio, quæ modum excedit, æque ac repletio, noxia est: propter eam enim corpus cum detrimento collabitur, sicut propter repletionem in molem extollitur. quidam autem hanc explicationem, ut absurdam, reprehendentes, uel totam hanc particulam omittendam, uel in hanc mutandam putant, confertim enim defluet: uoluntq;
D Hippocratem nobis præcipere, ut corporis detractionem diligenter obseruemus: propterea quod illis usu uenit, ut in exercitationibus confertim digerantur, ac defluant, cum quis per multos deinceps dies ualde eos exercere perseuerauerit, ac tenui uictu aluerit.

6 *Cum uero conciderint, suilla carnes assæ præbendæ sunt.*

Monuit uerbis superioribus, immoderatam detractionem caueri oportere. quia uero interdum inuiti in eam incidimus, uult ad hoc quoque Medicum paratum esse: ut si confertim detractio forte sit facta carnes suillas assas præbeat: ac suillas quidem, quia multum nutriunt: assas uero, quia solidā, & in exiguam molem coactam carnem, non humidam & flaccidam gignunt. quidam pro uerbo præbere, legunt offerre suillam assam: ex quo eadem elicitur sententia: sed uerbo magis proprio utuntur.

7 *Vbi autem replentur, indicat corpus floridum.*

Hoc commune omnis refectionis signum paucis uerbis descripsit: floridum enim corpus redditur tum in exercitationibus, tum uero, ijs, qui probo sanguine reficiuntur.

8 *In exercitationibus signū est sudor, guttatim manans, qui tanquā ex aqua ductibus egreditur: aut ex elatione depressio.*

Hoc loco deest, casus, aut detractionis, aut quid tale, quod nonnulli addentes, non dubitarunt interpretari

interpretari perinde,ac initio ita esset scriptum,ut hæc oratio sit,In exercitationibus signũ extenuatio- E
nis est sudor,qui uelut ex aquæ ductibus manat.deinceps uero aliud signum sit,ex elatione depressio re
pentina:nã hic quoq; subaudiendum est morbum,repentina.quia licet modo id non adscripserit, tamẽ
supra dixit,subito.n.trahitur.hæc aũt contingere,cum corpus immodice digeritur, perspicuum est.

*Mulieri,quam primum in Cranone curaui,lien natura magnus erat: febris ardens,rubicunda,spiritus decimo die, sudor multus superius: sed & decimaquarta die inferius.* 9

Nihil notabile ex hac oratione percipi põt.equidẽ mirarer,si Hippoc. ipse ita scripsisset, nulla facta
urinæ mentione:quã si addidisset,aliquid plus ad recordationẽ sibi,ac nobis eadẽ rõne parauisset, qđ
aũt initio scriptũ est,quã primũ curaui,est perobscurũ.quæstio.n.est,utrũ sui ipsius gratia,ut nominũ &
locorũ,ubi ægri iacebãt,facere mentionẽ cõsueuit,ita nũc quoq; scripserit,quã primũ curaui:ut nomi-
nis mulieris recordaret̃,an potius indicet,nũc eã mulierẽ ex recidiua ægrotauisse,ita & spiritus, qui de
cimo die accidisse scribit̃,obscurũ est,nũ quamlibet anhelitus difficultatẽ absolute, an solũ cõcitatã, &
ualde crebrã spirandi difficultatis speciẽ significet,quidã uero his uerbis multũ ẽt spiritũ in uentre col-
lectũ indicari putant.atq; hæc in uerbis obscuritas est,in sentẽtia uero alia sunt nõ minus obscura: utrũ
enim ex solo liene affecto acciderit,ut mulier in febrẽ ardentẽ incideret,& spirãdi difficultatẽ, aut uen
tris inflationẽ,& prærubrũ colorẽ,an alia quæpiã febrilis affectio in ea fuerit,propter quã his malis ue F
xata sit,quæstio est.quod aũt,ut dixi,plurimi refert,in eo positũ est,quod ignoramus,quales ad iudica-
tionẽ usq; urinæ fuerint:& cur decimo die sudores apparuerint:ipse.n.dies,in quibus uehemẽtiores ac
cessiones fiũt annotare cõsueuit:ut uideamus,ipsum ex lõgo usu rerũ singularũ peritiã esse cõsecutum,
cuius ope hãc de omnibus morbis sententiã in uniuersum pronũciauit: Quorũ accessiones fiũt diebus
imparibus,ita iudicationes quoq; imparibus diebus absoluũtur:iã uero quod in hac oratione omnium
absurdissimũ est,nũc exponã:mortua ne sit,an uixerit hæc mulier,prætermissum est.quã ob rẽ quidã uer
bũ,minus,qđ inter hãc,& sequentẽ orationẽ scriptũ est,huic annectũt:quidã sequẽti præponũt: nam si
scriptũ esset,ei mulieri die quartodecimo bonã iudicationẽ esse factã,cõsentaneũ utiq; esset, huic ora-
tioni uocẽ,minus,nõ esse adiungendã:quia cũ dixerit,decimo die sudores mulieri emanasse maiore ex
parte superius,tũ addiderit,sed & inferius quartodecimo, quõ,si illa omnino incolumis euasit, ipse ẽt
uerbũ,minus,adscripsit?est igit̃ uerisimilius,bona facta iudicatione,sudores per totũ corpus effluxisse.
qđ si quis cõtra statuat,mortua muliere,perniciosos sudores extitisse,is iure optimo ad finẽ huius ora-
tionis uerbũ,minus,adiũget,ut dicamus,sudauit aũt decimo die,magis superius,sed & inferius.sudauit
quoq; decimoquarto,inferius uero,minus.Sed iã ad sequentem orationẽ transeamus : in ea.n.fortasse
erit apertius q̃ ad partẽ uox,minus,utrũ inquã ad finẽ superioris,an principiũ sequẽtis aggregãda sit. G

*Minus ijs,qui ex capitis grauedine,raucitateque laborant,cum febricitant,ut ego quidem puto, recidiuæ fiunt.* 10

Subaudiẽdum est,cum febris cessarit: quomodo enim alia ratione recidiuas eis minus accidere exi
stimabimus,nisi prius febris desierit?quod si ab hac sententia uocem, minus , adimamus , ut putarunt
quidam,qui in hanc uocem terminari superiorem orationem statuunt: huic contraria sententia ex hoc
sermone elicietur: ut in ijs,qui ex capite grauedine raucitateque laborant,cum febrem habent,recidi-
uas fieri intelligamus. quod igitur in omnibus facere soliti sumus, ut non orationis probabilitate, sed
ope eorum,quæ in ægris perspicue cernuntur, quæstiones definiamus si idem nunc quoque faciemus,
profecto uocem,minus,huic sermoni recte præpositam esse comperiemus: febris enim grauedini,rau-
citatique superueniens, firmius eas concoquit,ut licet aliquod erratum committatur, non tamen faci-
le fiat recidiua:cum alioqui illis, qui sine febre ob huiusmodi causam laborant, si quid deliquerint,ma
lum reuertatur. Sed cur in oratione positum est, ijs qui ex capitis grauedine laborant, cum grauedines
ex alio membro non oriantur? an hæc oratio dicta est, ut in illa quoque est scriptum,Vertebræ,quæ in
spina?an addidit,ex capite,quia raucitatis est facta mentio: cum ea possit etiam alia de causa excitari?
an adiecit, ex capite,recordationis causa, ut paucis uerbis has ab illis grauedinibus quæ a parua ali-
qua externa causa oriũtur,distingueret: ut indicaret se de his loqui,qui propter naturalem capitis im- H
becillitatem in hunc morbum facile cadunt: hos enim merito quispiam ex capite grauedine tentari,
non eos,qui ex frigore,aut æstu,aut omnino ab aliqua externa causa corripiuntur,dixerit. Verba autẽ
illa,ut ego quidem puto,in quibusdam scripta sunt exemplaribus : quibus intelligitur , ipsum de ijs,
quæ enunciauit, ambigere, consentaneum autem etiam est,ut sine illis uerbis scribatur , cum id , quod
ait,uerum sit. in sequenti autem oratione eorum,quæ recte pronunciauit,demonstrationem adiunxit:
quare iam ad eam transeamus.

*Quicquid suppurat,recidiua non est obnoxium. nam ipsa maturatio est simul & indicatio,& abscessus.* 11

Non est hæc obscura oratio ijs, qui habent in memoria, quæ iam sæpe de concoctione dicta sunt.
nunc uero eorum quoque mẽtionem facit,illorum causa,ut dicebam,quæ præposita sunt, ut tota ora-
tio sit huiusmodi: in grauedine,& raucitate,quæ ex capitis destillatione oriuntur,cum febris superue-
niens frigidam,humidamque fluxionem concoxerit,quodque concoctum est,fuerit excretum , tũ fir-
mam morbi iudicationem esse factam,neque iterum in morbum casurum esse hominem sperabis.

*Quibusdam, cum rebus ucnereis utuntur,uenter inflatur,ut Damagora: quibusdam strepitus fit, ut Arcesilao.* 12

Hanc etiam orationem alius aliter scribit. quidam uocem, quibusdam,adimentes addunt hæc uer-
ba,Cum incipiunt; ut ita legatur, Cum incipiunt rebus uenereis uti,uenter inflatur: uolũtq; ijs, qui ue
nereis

A.l.3.f.1.t.4.c.19.p.376.F.& 377.A.

A nereis uti rebus incipiũt,hoc eſt ijs,qui illud opus primũ aggrediũtur,ea accidere,quæ ſubinde in hoc ſermone declarãtur.& tñ hãc lectionẽ neq; uetus ullus codex habet,neq; ullus interptes agnouit:nihilominus Sabinus uult de illis uerba fieri,qui res tractare uenereas incipiũt:licet unius hominis Damagoræ Hippocrates nominatim meminerit.id aũt facere ipſe cõſueuit,cũ res,quã explicat, paucis acciderit.quanquã aũt de his nihil Hippocrates literis mãdaret,tñ ab ipſo uſu,quid appareat, perdiſcendũ eſſet:propterea quod non inflatur uenter nec ſtrepitus in eo cõtinetur in illis,qui coire incipiũt: ſed potius quibuſdam,idq; raro,cum ætas declinat,& affectu,qui flatuoſus,hypochondriacus,& melancholicus uocaẽ,detinentur,cum coitu utuntur,inflari magis uentrẽ contingit:quibus ẽt accidit,ut continẽter corporis miſcẽdi libidine teneãtur.quod igitur iã perſæpe memoraui,ſiue lectiones uarias, quas in hac oratione ſtatuerũt,prætermittã,ſiue oẽs afferã,id mihi uitio dabũt pleriq;, qui nõ ex rerũ natura, ſed ſua cupiditate modũ in orationibus metiũtur.iã uero ſi eorũ,quæ dicta, quæq; ſcripta ſunt , quædã dixero,quædã ſilẽtio tranſiero ita ẽt reprehenſores inueniẽtur;quod quædã quæ omittẽda eſſent,propterea quod nugatoria ſint,cõmemorarim:quædã uero præterierim,quæ quia nõ ſint deteriora ijs,quę allata ſunt,dicta oportuiſſet.in quotidianis uero cõgreſſionibus quãcunq; explanãdi rationẽ audite uelint ij,qui præſentes ſunt,ab ipſis interrogati,ad eorũ nos uoluntates accõmodare conamur.in libro ue

B ro id agere nõ licet:ſiquidem cõſtitui,in pleriſque ſentẽtijs nullam penitus facere mentionem eorum, * qui ueterẽ ſcripturã immutarũt,aut eorũ,qui oĩno abſurde ſunt. interpretati.aliquando tñ ea recitare, quæ nõ plane improbabiliter dicta erũt.ceterũ meminerint,qui cõmẽtarios legũt,in ſingulis partibus eadẽ repeti,permoleſtũ eſſe.qđ igiẽ Sabinus dicebat,ijs qui primũ rebus uenereis utunẽ, ea accidere , quæ ꝓpoſita oratione cõtinẽtur,pro uero ſtatuẽtes,eius cauſam conãtur afferre.alij uero cõtra,quã hi, uerba ſic legũt,Sunt,quibus uenter inflatur,cũ coeũt.ac Sabinus quidẽ nõ ſine rõne dixit, hoc illis euenire,qui coire incipiũt:primũ,qđ magna fit in corpore innouatio(ita.n.ille ſcribit)propter quã innouationẽ & flatus,& comitialis morbus,& renũ affectus,& alia diuturna uitia oriunẽ:deinde uero,quia Democritus hominẽ ex hoĩe in cõplexu uenereo gigni dixit.iã uero inquit magnũ pruritũ ex ſeminis ſalſugine,acrimoniaq; patiũtur:cumq; mariũ & fœminarũ cõis ſit ratio,in fœminis perſpicuã eſſe cauſam ait:utero.n.inteſtinũ ſubijcitur,ueſica ſuperiacet:uerĩſimile eſt aũt ipſum diſtentũ,atq; in uenerẽ concitatũ,utriuſq; excretionẽ cohibere:atq; ita flatu retento,cõtinenter inflari,& intercepta urina, abdomẽ intumeſcere.hæc eſt Sabini ſententia,improbabiles cauſas eorũ, quæ nõ fiũt, afferẽtis : ꝓpterea quod hæc nõ accidunt adoleſcentibus,qui experiri uenerẽ incipiũt,ſed melãcholicis,& ijs,qui flatuoſi nominantur:qui ſane poſt ætatẽ declinantẽ hæc patiunẽ.omnino aũt,ut flatu repleanẽ,ab innati caloris im-

C becillitate ꝓuenit : quo ualẽte,nihil tale uſu uenit . Ariſtoteles aũt in problematis cauſam quærit , cur melancholici ſint in uenerẽ proni: aitq; in hypochondrijs ſpiritum flatuoſum,eũq; non mediocrẽ coaceruari: itaq; hmõi affectus ſpirituoſos,hypochondriacoſq; uocari.Diocles quoq; , & Pliſtonicus , &
« alij cõplures Medici eos ita appellari affirmãt.non erit fortaſſe alienũ quædã uerba ab Ariſtotele con-
« ſcripta in mediũ afferre: Cur inquit,melancholici ſunt libidinoſi?an qđ flatus in eis redundat: ſemẽ.n. eſt flatus excretio: quare cum is copioſus ſit,cupido illius excernẽdi ſæpe excitet necesse eſt;etenim leuantur.quã ob rẽ Rufus quoq;† ait: pro ſtrepitu maluit timorẽ ſcribere,ut Hippocrates de melancholicis,quorum proprius uel maxime timor eſt,loquatur: aliud.n.alij formidoloſum eſt,unum quid ſaltẽ ipſis ſingulis omnino:cum modice triſtes ſunt:ſin ſecus,& duo,& plura,& admodum multa, & quibuſdã eorum omnia.ex Rufi igitur ſñia ſic legemus,Sunt quibus,cum coeunt,uẽter inflatur, ut Damagoræ,unde metu afficiunẽ.ueteres tñ Interpretes ita,ut initio ſcripſimus,legunt.illorum.n.ego lectionem ſemper præpono,quamuis a primis librarijs,deprauata eſſe uideatur:præſtat.n.ut iam ſæpe memoraui, ita,ut ſcriptum inuenitur,afferre,tum quidpiam cogitatione noſtra addere,& ſignificare id a nobis effici.Sabini autẽ hæc eſt explicata ſentẽtia. Capito autẽ ſcripſit hoc modo: Aliquibus cum rebus uenereis utũtur,uẽter inflaẽ,ut Damagoræ:alijs uero in his ſtrepitus:Dioſcorides ſic,Aliquibus cum rebus

†Verbum ait, expungendũ uidetur,& ita erit integra ſententia.

D uenereis utuntur,uenter inflatur,ut Damagoræ:alijs in his ſtrepitus.is expunxit particulam,uero.præterea in nomine ſtrepitus explicãdo inter interpretes non cõuenit : quidã.n.aiunt murmur ſignificari, quidã ructum,quidã flatus per ſedẽ exeuntes:quidã uero quoduis horũ abſolute,qualiſcunq; in inteſtinis motio ſit,quæ in aurium ſenſum cadat:ſiquidẽ aliæ ſunt,præter murmura,in inteſtinis motiones, & ſtrepitus,quædã ſonis,quædã ſibilis,aut alicui alteri huius generis ſtrepitui perſimiles. Arceſilao uero inquit,nõ modo ĩflatus uẽter eſt,ſed ẽt intumuit:hoc eſt œdema habuit.ego uero ſæpe monui,œdema
« ab ipſo tumorẽ quemuis præter naturã uocari,ſiue is inflãmationis,ſiue eryſipelatis, ſiue ſcirrhi ſpeciẽ referat:cum tñ recẽtiores Medici eo nomine ſolum laxum tumorẽ appellent.Sed qualis tumor Arceſilao acciderit,nõ mediocris quæſtio eſt.equidẽ puto,eum nunc intelligi,quẽ recentiores propríe nominant.non tamen abſurdum eſt,aut eryſipelas,aut inflammationem,aut ſcirrhum,aut aliquid tale tempore coitus,aut paulo poſt,accidiſſe:tum uero non ita multo poſt reſediſſe:quæ ſane contemplatio eſt ab interpretibus omnino prætermiſſa.huius autem Arceſilai alibi in hoc ipſo libro meminit, cum ait, Sunt qui in complexu uenereo ſtrepitum emittũt,ut Arceſilaus.quare planum eſt,uentrem horum eſſe flatus plenum:eumque ob contentionem,quæ in coeundo fit,excerni contingit. Dioſcorides uero ita hanc ſententiam ſcripſit,Arceſilao autem male olebat flatuoſum: hoc eſt, tetrum odorem flatuoſum exhalabat: uoluitque ille ita ſcriptum eſſe.ceteri tamen omnes hoc uerbum,flatuoſum,initium ſequentis dictionis,ut deinceps eſt ſcriptum eſſe cenſuerunt.

*Flatuosum simul causa est πιτυρώδεσι: sunt enim flatuosi.* E 13
Quos πιτυρώδεις, hoc est furfurosos uocet, inuentu difficile est: nisi quis medicorum ueterũ libros,
ut Herodoti,& Ctesij,perinde legat,ac si historiæ solum essent.nõ autem ut in arte exercenda maiores
progressus faciat.id tñ pleriq; explanatores negligunt,præsertim autem ij, qui Sophistarum institutum
æmulati eam solum explicationem afferunt,quæ in promptu est,quæq; ex primo uerborum aspectu se
se offert: nec præterea utrum in ægris uera sint,quæ dicuntur,exquirunt. quod hoc etiam loco usu ue-
nit, cum πιτυρώδεις dici uelint eos,qui furfures in capite continenter gignunt: huiusq; rei causam co-
nantur reddere,quod excrementa in caput ascendẽtia furfures creent, eaq; in sublime a spiritu calido
ferantur,& hac de causa huiusmodi homines esse flatuosos.uitiosa autem hæc est illorum ratio: primũ
quia rerum euidentium caret testimonio: innumeros.n.uidimus,in quibus perẽnis furfurũ copia in ca
pite gignitur,qui tñ flatuosi nõ sunt:deinde licet euidentia idem attestarẽ, hæc sane ratio omnibus ijs
esset cõmunis,qui excrementa calida producũt. præterea uero hoc symptoma plerunq; ipsius capitis
est,ut propter peculiarẽ eius temperaturã furfures gignãtur,& humores suũ naturalẽ statũ seruẽt. quã
ob rem merito factum est,ut quidã ueterẽ scripturã cõmutarint,& ita scripserint,Flatuosum simul cau-
sa est alatis.nostis aũt hoc esse in medicorum more positũ, ut alatos eos uocent, qui instar alarum auiũ
scapulas prominentes,retrorsumq; reflexas habẽt.his autẽ ait flatuosum esse causam adiuuantẽ,cur eo F
affectu,in quẽ cadunt,hoc est sanguinis reiectatione corripiãtur:siquidẽ flatuosi ipsi sint.nõ est autẽ ob
scurum, flatum esse causam adiuuantem, cur aliquid in pulmone disrumpatur: utrum autẽ qui pecto-
re angusto sunt,flatuosi sint,id nobis est longo usu accurate peruestigandũ.mihi aũt ferme oẽs uisi sunt
huiusmodi,ac fortasse propter uitalis caloris,quẽ a corde manare cognouistis, penuriã. quare cũ alati
cor paruum habeant,ad eius quoq; rationem calor,qui inde ductus in totum corpus diffunditur, imbe
cillus est: ob cuius ab ipsa origine infirmitatem, cor, ut nostis, paruum est factum.alij non πτερυγώδεων,
hoc est alatis, sed πυρετώδεων, hoc est febriculosis, scribũt, itaque aiunt,Flatuosum causa simul est febri
culosis: siquidem flatuosi sunt. sed non est uera eorum oratio, cum omnes febriculosos esse flatuosos
putent.Dioscorides autem,ut paulo ante dixi,ad finem superioris sententiæ uerbum,flatuosum, adde-
bar,hancque scribebat hoc modo; causa adiuuans est alati; ut continuato ductu sic totum legas: Ar-
cesilao autem male olebat flatuosum: tum alio sumpto initio, causa adiuuans est, alari: sunt enim fla-
tuosi. sed satis modo sit de flatuosis dictum, ne & nunc, & aliàs semper oratione uitare uelle prolixi-
tatem uidear,re autem ipsa,præter necessitatem nimis protrahere sermonem deprehendar.

*Quod ualde frigidum est, ut nix, ut glacies, uenas rumpit, tussim ciet, & constringit,ut pherea, & gongrona. duri-* 14
*tia uero causa adiuuans est.* G

Quęnam sit facultas frigidi & in libro de usu liquidorũ,& in aphorismis dictũ est a nobis copiosius.
uerum hic quoq; nõnulla eius opera designantur,quæ ad eius cõmunem facultatẽ inueniendã adiumẽ
to sint:ut.n.eius natura fert,ea oĩa,quibus occurrit,cogit,densat,stipat,stringit. quam ob rem & occul-
tos corporũ meatus,& sensibus effluxus impedit,unde in aphorismis ita scripsit, In his frigido utendũ »
est,unde prorupturus sanguis sit:non in ipsis,sed circa ipsa,unde effluit:& cetera,quæ deinceps ibidem
scripta sunt,propriæ frigidi facultatis opera, cum nullo interiecto medio agit.itemq; cum ait, frigida,
qualis nix,& glacies,pectori inimica,tusses citãt,sanguinẽ,destillationẽq; proritãt.nã ut pectori infen »
sa sint,ex ꝓpria frigoris ipsius ui pronũciauit:ut aũt tussim,destillationẽq; inducãt,id alijs interuenienti
bus efficiãt: qñ.n. uasculorũ sanguinẽ cõtinentiũ corpora in se ipsa cõtrahunẽ, & cõstringuntur, ideo
qñq; accidit,ut eorũ tunicæ rũpanẽ: ut qđ in laxis uasculis,cũ magna inest copia,efficiẽ,idẽ distẽtis eue-
niat,cũ nõ multũ inest. qđ in causa fuit,ut in hoc sermone nõ dixerit absolute,qđ frigidũ est,uenas rum
pere,sed qđ ualde est frigidũ.eandẽ fere uim habet,qđ in aphorismis scripsit,hoc modo: Frigida, qua-
lis nix,& glacies:ubi exẽplis,quænã ualde frigida sint,declarauit.cũq; in aphorismis dixerit,Vlceribus
frigidũ mordax est:cutimq; obdurat:nũc ait,frigidũ cõstringere,qđ idẽ est,ac copulare. ita igiẽ & in mẽ »
bris neruosis tumores gignit,atq; in neruis quidẽ,ea quæ gãglia noĩatur,aliasq; nõnullas distentiones, H
tũ lõgiores,tũ uero rotũdiores:egoq; puto lõgiores uocari ab ipso pherea; rotũdiores uero, gõgronas.
ut pherea uocarit eas,q̃ aliquã φηρῶν similitudinẽ habeãt:ita.n.quidã Iones uocãt Satyros,quos oblõ-
gis ad aures eminẽtijs pingũt,& fingũt.gõgronas aũt rotũdiores eminẽtias cũ duritia cõiunctas appel
lant; quales sunt in arboribus appendices,quas γόγγρους nũcupãt: ut Theophrastus in primo de historia
plantarũ sic ad uerbũ scripsit: quædã aũt habẽt eos,quos gõgros uocãt,aut qđ illis ꝓportione respon-
deat,ut oleæ. nõnulli etiã aiũt,audire se hodie in Thessalia,hasce durities appellari gõgronas,cũ in cer- »
uice cõstiterint.at pherea neq; ego apud ullas gentes dici audiui,neq; aliquẽ,q̃ audiuerit unquã,noui.
& tñ qdã interpretes pherea ab Hippoc.uocari uolũt,q̃ in Pelopõnesi ciuitate pheris abundãt.qdã ue-
ro pĩ & φ primã syllabã scribẽtes,aiũt pherea dici,q̃ in urbe Thessaliæ Pheris sæpenumero oriunẽ,ce-
terũ pherea uocari oblõgas eminẽtias,attestari uiderẽ id, qđ in septimo uulgariũ morborũ scriptum est »
his uerbis,Vulgabanẽ inqt tusses ꝑcipue aũt pueris plerisq; circa aures talia,qualia in Satyris,fiebãt.qđ
aũt ad finẽ huius orõnis scribiẽ,duritia uero causa adiuuãs est: habet hãc uim: causa adiuuãs ortũ horũ
affectuũ,q a frigore nascunẽ,est durities corporis,in quo affectus ipsi cõsistunt,hoc est,cũ homo suapte
natura cutim durã habeat:eadẽ.n.rõne & frigus,& dura cutis in causa sunt,ut memorati tumores oriã-
tur:etenim qa,ut ipse ait,frigus cutim obdurat, ideo huiusmodi affectus creat, cum humores sub cute
coaceruati ꝑtrãsire ꝑ ipsam nõ possint.quorum ergo cutis suapte natura est dura,in ijs ipsa quoq; causa
adiutrix

A adiutrix est, ne crassi, glutinosiq; humores discutiãt: & ut sub ipsa collecti dictos duros, scirrhososq; tumores gignãt. iã uero in ijs, q duriore natura sunt, uenas ob uim frigoris disruptũ iri, nõ est obscurũ: nã si uascula a sanguine in uenis contẽto rũpunt, pfecto id multo magis usu ueniet ijs, q præ duritia ægre, uixq; dilatant: quibus est.n. natura comparatum ut latius extendantur, etsi multũ est, quod in eis continetur, tamen id ipsum cõprehendunt, neque rumpuntur, tusses quoque in corporibus natura durioribus merito excitantur. dictum enim est, hæc facilius, quàm mollia, exasperari. cum autem quidam pro βηχῶδες hoc est tussim excitat, scripserint φυσῶδες, hoc est, flatuosum, hac etiam de re dicere aliquid par est: uidemus enim quotidie uentrem spiritu flatuoso impleri ijs, qui refrigerati sunt. & tamen uetus scriptura non flatuosum, sed tussim excitans habet: & in aphorismis, ut nuper dixi, cum exemplũ frigidissimarum rerum attulisset, eis flatuosum non adiũxit: frigida inquit, qualis nix, & glacies, pectori inimica, tusses citant, sanguinem, destillationemq; proritant. docet autem tum hac nobis proposita oratione, tum prædicto aphorismo non absolute quæ a frigore, sed quæ ab ingenti frigore fiant: cum hic dixerit, quod ualde frigidum est, in aphorismis uero, ut nix, & glacies. quod uero inflatur, debere esse caloris alicuius particeps, sicut etiam ea, quæ

Deest quidpiam.

15 B *Concretio magis puerulis post mictum fit: an quia calidiores?*

De calculosis pueris uerba fieri hoc loco, dixere oẽs, qui hũc librũ explanarũt: cur uero addiderit, post mictũ, cũ absolute pronunciare id posset, cõcretio puerulis fit, nõ sunt perscrutati: sicut neque cur dubitandi coniunctionem adiecerit, nec simpliciter dixerit, concretio puerulis accidit, quia calidiores sunt. hoc enim, an quia calidiores, est hominis pro certo affirmare non audentis. & tamen in aphorismis absolute dixit, Qui crescunt, plurimum innati caloris habent. ceterum hoc nomen σύμπαγμα, hoc est concretio, in solo septimo uulgarium morborum comperi: ubi auctor ille ait, cõcretio uidebatur in aqua in qua lotæ sunt manus. cur aũt addiderit post mictum, & cur dubitationem, deinceps inuestigabimus, ac primum quod ad dubitationem attinet, licet secundo loco sit scriptũ. itaq; uel adhuc dubitabat, cum hæc scripsit, & temporis progressu demonstrationem quampiam inuenit, ut de crescentiũ temperamento pronunciarit: uel, quod ẽt est melius, & a nobis in commentario de temperamẽtis, & item in aphorismis definitum, quia puer non est adulto absolute calidior, sed natiuo calore calidior. non natiuum autem, cuius maiorem copiam habẽt adulti, esse absolute calidiorem natiuo probatum est. quocirca par erat ab ho[...]lore potius calculum in uesica concrescere. quam ob rem merito dubitat. ueritas autem est, calculos in uesica puerorum ob urinæ crassitudinem gigni. ac pueros quidem crassissimas
C urinas meiere, ẽt inter omnes eos, qui ante nos fuerunt, Medicos constat. cur uero huiusmodi meiant, est quidem per se contemplatione dignum, sed nihil ad hunc locũ: cũ urinas ab eis crassas reddi, perspicue appareat, & res ipsæ idẽ attestẽtur: hæc.n. collecta, atq; in unũ coacta crassitudo quotiescunque tẽpore opportuno excreta non sit, sed diutius intra corpus permanserit, cõsistẽdi cõcrescẽdiq; initiũ sumit: hoc aũt facto initio, facile postea quicquid crassi in uesicã cõportatur, ad illud aggregatur, maiorq; tosi speciẽ referens calculus efficitur: ut foris in aquis calidis spõte nascentibus, & in uasis, in quibus quotidie aqua calefit, uidetur consistere. princeps igitur, ac maxima gignendi calculi causa est crassitudini urinarũ accepta referenda: calor autem uel mediocris ad hanc cogendam materiã satis est: siquidẽ in calidis aquis sponte scaturientibus, etsi tepidiores sunt moderatis, concrescere tosi conspiciuntur. quibus quidem rebus Hippocrates dubitationem adiecisse mihi uidetur, propterea quod tantus calor, quem innatum pueri habent, aliquid ad concrescendum adiuuat: non tamen ipse præcipue id præstat, sed materiæ, ex qua calculus gignitur, qualitas, cur ille cõsistat, in causa est. quid igit causæ est, cur addiderit, post mictũ, & nõ absolute dixerit, cõcretio in pueris fit? nimirũ quia hoc loco de calculis uesicæ, nõ renũ, loquitur: nã in uesica, post mictũ: in renibus uero, ante, consistũt. nec nos latet, pueris calculos in uesica gigni, in ætate declinãte, in renibus. quare, quod paulo ante dixi, ita se habere, quæ sen-
D sibus apparent, nobis declarant. quænam uero causa sit, inuestigare per orium licet. atq; ita iam finẽ habet explicatio. Sed ego causam, ut in superioribus feci, nũc quoq;, licet minime necessariũ sit, exponã: prius tamen eos esse accusandos puto, qui ideo calculos in pueris creari, quod uiæ ob uasculorum paruitatẽ angustæ sint, asseruerunt: etenim hac ratione in renibus potius eorũ crearentur, quod illorum transitus angusti sint: uesicæ aũt ceruix in pueris ita lata est, ut cuiusque materiæ crassitudo pertransire per ipsam facile possit. an uero, ne in illis quidẽ, qui ætate processerunt, meatuũ per renes angustia gignendorum calculorum causa est, sed actionum imbecillitas, & crassorũ humorũ cruditas? cũ enim in pueris naturales oẽs actiones ualidæ sint, humorum crassitudo funditur, atque dissoluitur: at in ijs, qui prouectiore ætate sunt, cogitur. quinetiã in rebus externis, quascũq; suapte natura crassas per aliquas
A.l.3 f,18.t.2 angustias uolumus pcolare, quæ a calore liquatæ sunt, facile pertrãsire, quæ nec fusæ, nec liquatæ sunt,
c.16.p.667.B permeare nõ posse cõspicimus. huius materiæ exẽpla sunt pix, resina, seuũ, cera, mel. quare cum pueri multum innati caloris, actionesque ualentes habeant, materiæ crassitudo attenuata in renes peruenit, ideoq; facile in uesicam percolatur: nec parum ad exitus celeritatem robur actionum conducit. ibi autem, cum uesica frigida sit, quia & neruosa est, & pauci sanguinis, & maximam intra se concauitatẽ habet, ea crassitudo, quæ in ipsam delapsa est, iterum cõsistit, atq; densatur, sumitq;, ut ante dixi, hoc initiũ cõsistẽdi, cũ in uesica sit cõmorata diutius. iã uero crassam hanc materiẽ in pueris tenaciorẽ esse, qđ

magis ab innato calore elaborata sit,uerisimile est:nā quæcūq; a calore immutantur, dū cōcoquuntur, E
licet prius tenacitatē nullā haberēt,tamen progressu tēporis quandā assumunt,eamq; ob causam ma-
gis in unū conducuntur,consistunt,ac condensantur: In ijs.n.quæ æq; crassa sunt,aptius est ut in unum
coeat,& spissetur,quod tenacius est. Sed cū rerū quarundā causas ad sentētiā nobis propositā minime
necessarias perscrutati simus,addam etiā causam, cur urina puerorum crassa sit.ea aūt est, tum edaci-
tas,tum uero motiones,quas sumpto cibo ludentes,ac prosilientes moliuntur: in lactentibus uero ma
teria ipsa id adiuuat: siquidem lac est natura crassum,& ad calculos gignendos aptissimum. & sane in A.l.3.f.18.c.2
adultis,qui caseo frequentius uescuntur,calculos in renibus sæpe genitos conspeximus. c.16.p.667.

*Figura subleuant: ut quidam sarmenta manu plectens,ac torquens dolore confectus procubuit: somnum autem paxilli* 16
*suffixi apprehendit,eique inhæsit,& subleuatus est.*

Hæc sane pspicua est oratio: causam uero rei afferre,est perarduū,cū Hippocrates ipse nō adscripse-
rit,licet posset,nū dolor illi repēte obortus sit,explicare:an paulatim increuerit; an uero ipsum inuase-
rit,in sarmētis plectēdis occupatū; an statim eo negotio cōfecto,an alio quodā diei,noctisq; tpe. Sed
nec quænā particula doleret,exposuit.sunt qui manū putēt,quod ille palo apprehenso sit leuatus.qua-
re si sarmēta intorquēs fatigatus esset,nō esset absurdū,ut ex huiusmodi figura dolor esset sedatus:nam
quæ manus figura dolorē sedet,in libro de fracturis,& in eo,qui est de officio chirurgico, dictum est.si F
qua uero in manu uersanda facta sit in homine musculi distortio,aut flatuosus spiritus inter duos mu-
sculos inclusus exitum non habuerit,par erat,ut homo dolore uexatus,in figura apta positus, ut spiri-
tui exitus pateret,subleuaretur.

*Quem ex ὀρεινῷ πόνῳ i. montano labore iuxta pontem conspexi ego crura iactantem, ei altera tibia minime attenuaba-* 17
*tur femora autem ualde: urina uero,& genitura non supprimebantur.*

Vocant ὀρεινοὺς Græci eos,qui ex mōtibus quiduis in ciuitatē,ut ligna,ut lapides, ut alia huius ge-
neris deportant.cū aūt Hippocrates nō ita absolute scripserit,ὀρεινὸν πόνον quendā uidi crura iactantē, sed
ex,propositionē adiecerit,scripseritq;, ex mōtano labore,insinuat quodāmodo a principio actionis in
mōtanis negotijs,læsam esse hominis spinalē circa lūbos medullā,unde nerui crura mouētes, oriūtur.
illud uero,iuxta pontē,additū est, qđ satis esse poterat,ut illius ægroti recordaretur, nec præterea ulla
alia arte indigeat.fuerit aūt fortasse superuacaneū quærere,cur homo ille ex cruribus laborasset:sicur il
lud quoq;,quid ea uerba significēt,crura iactantē,utrū ille nihil pati[redacted]mobilibus doluerit:
id quod a quibusdā minus probabiliter est pronunciatū.fuerit a[redacted]ū crura essent im-
potētia,factā esse eorū in ambulādo motionē talē,qualē faciūt i[redacted]nō tm̄ fortiter, proij
ciunt,quin ēt nec quod illi utraq; tibia,aut altera tm̄ minime extenuaretur,femora aūt ualde, ullā no- G
bis audientibus utilitatem affert,ut etiam neq; Hippocrati est ad recordationē adiumēto:hæc.n. nō ra
ro,sed sæpe fieri,& ab oībus Medicis plane cognosci uidenē.cur igitur ita scripserit,conabor ego decla
rare,tota sentētia clarioribus,paucioribusq; uerbis,ac detractis ijs,quæ abūdant,prius enūciata: cuidā
cui resoluta crura erāt,femora magis,quàm tibiæ extenuabātur:ei tamē urina,genituraq; suppressæ nō
sunt. hæc sane est,qđ ad cognoscēdū nobis utile est: sed quærat fortasse quispiā,quid sit, quod in libro »
de articulis cōscripsit: qm̄ inquit,multo pluribus crura,manusq; debilitātur,& corpora torpescunt, & »
urinæ cohibenē,quibus licet uertebræ neq; introrsum,neq; extrorsum inuersæ sint,tm̄ per directū spinæ »
sint ualde conquassari.his uerbis persuasi quidā,ob neruorū resolutionē ex medullæ spinalis affectu hu
iusmodi symptomata oriri dixerunt: non animaduertētes,uertebris de suo naturali statu deturbatis, &
affectus cōicatione,inflāmationibus primū,deinde uero præduris tumoribus in uesica,& intestino, qđ
rectū uocāt,excitatis,naturales horū instrumentorū actiones labefactari qđ in causa est, ut quæ prius
ab eis excernenda sunt,supprimantur:uerū solis neruis læsis,citra ullū horū instrumentorū consensum,
non naturales actiones,sed quæ a uolūtate procedūt,deprauari.quocirca ipsis ēt nolentibus urina ex-
cernitur,& itē stercus,cū nerui,qui ad musculos in uesicæ,ac recti intestini finibus positi, protendūtur,
& a quibus utriusq; instrumēti osculū claudiē,atq; constringitur,sint prorsus resoluti.hæc igitur uerba H
monticolæ illi nō suppressam esse urinā declarant:sed utrū eo inuito,an uolēte excerneret,ipse nō addi
dit.uerū si hūc librū confecisset,ut in apertū proferret,ex eo,quod nō esset adiectū,clarū esset,id quoq;
non esse factū:id.n.omnino declarasset:at nōn ea ratione cōscriptus liber est sed,ut sæpe dixi, ita adum
bratus recordationis causa:nā de ipsis quoq; deiectionibus,ne uerbū quidem:cū tamē necesse sit, uel
nullo pacto eas esse retentas,sed perinde atq; urinas,præter uolūtatē effluxisse,aut ex uolūtate esse de-
iectas.sed uerisimile est,illi,ad eorū quæ uiderat,recordationē,id quod de urinis dixit,satis esse potuis-
se:nā cum stercoris euacuatio parē cum urinis rationem haberet,si quid in alterutro cōtrariū accidisset
id etiam prorsus adnotasset. cum autem eundem tenorem seruarent,utriusq; facere mētionem neces-
se non fuit.Sed nec genitura,inquit,continebatur.naturalis.n.est huius quoque, sicut urinæ,ac sterco-
ris euacuatio.cur autem qui rebus uenereis uti uolunt, id efficiant; qui uero nolunt,non item: est a no
bis in libro de dubijs motionibus longiore oratione disputatum.

*Laterum natura alata propter occasionis imbecillitatem sunt:& in malignis destillationibus siue excretio fiat,siue non* 18
*fiat,malum.*

Iā diximus,quinā alati a Medicis nominenē.eos uero esse ēt ad tabē aptos ex tertio de uulgaribus
morbis libro didicistis. Hippocrates aūt ac prisci Medici ferme oēs occasionē soliti sunt uocare oēm

A materiã unde initiũ motus ad actiones subsequẽtes existit, siue argẽtũ, siue quæpiã alia suppellex, siue
potẽtia quędã, [illegible] siue fides, siue factio, siue causa, siue aliud q duis absolute sit. sunt tñ, qui putẽt,
locos, qui primũ a[illegible]iorũ occasiones ab ipso uocari: idq; aiũt illa oratione cõprobari, in qua
ait, Occasiones, unde [illegible] re cœpit, perpendẽdæ sunt. Si uero hæc quoq; sit eius uerbi, ut diximus, si
gnificatio, erit uniuersale, qđ multa huiusmodi singularia sub se cõtinebit: hoĩum. n. actiones & orato-
res, & historici, & philosophi occasiones uocãt: quippe qui de illis disputent. est aũt nomẽ hoc, ut alia
multa naturaliũ actionũ, atq; affectuũ, translatũ: in quibus oĩbus hoc cõe est, unde fieri incipiũt. nunc
uero Hippocrates in allata sentẽtia dixit, unde laborare cœpit: ad cuius similitudinẽ dici posset, unde
cœpit nauigare, bellũ gerere, pacẽ agere, pugnare, mutuo diligere, odisse, tyrannidẽ exercere, & cetera
huius generis oĩa. ac nũc primũ principiũ, cur alatus quispiã euadat, ab Hippocrate dictũ est: qđ quis
nõ absurde occasionẽ uocarit: ecquæ igiĩ est? innati caloris, cuius initiũ ex corde existit, imbecillitas:
nosti. n. ut si cerebrũ magnũ sit, ita quoq; caput simul augeri: si paruũ, simul caput minui, eadẽ ratione pe
ctus ad cordis rationẽ simul augeri, atq; diminui. cor uero ipsum exiguũ reddi ab infirmitate uitalis po
tẽtiæ, cuius essentia natiuus est calor. itaq; cũ hic imbecillus in aliquo suapte natura sit, hoc est, ab ini-
tio, ex prima sui cõformatione, tũ & cor, & pectus parua sint, necesse est. ceterũ tria esse principia ani-
B mal gubernãtia, in libris de Hippocratis Platonisq; decretis demõstratũ uidisti. qui aũt occasiones pro
locis primario affectu laborãtibus dici arbitrãtur, eos in propositæ sententiæ explicatione uehemẽter
errare cõperies: præterquã quod non unũ aliquod uerbũ, sed integrã orationẽ subaudiri a nobis uolũt:
perinde ac dictũ sit hoc modo: Oẽs laterũ naturę alatæ ob occasionis mbecillitatẽ in malignis destilla
tionibus, potissimũ tabe corripiunĩ: & siue excretio fiat, siue non fiat, malũ. sed cum interpretes multa
in his uerbis explanãdis dixerint, satis sit, me nunc, quæ mihi uerissima, & ijs, qui artẽ medẽdi addiscũt,
utilissima uidentur, quã fieri potuit breuissime, solum adumbrasse. destillationes igitur a capite in pul-
monẽ defluẽtes, tũ demũ esse malignas existimandũ est, cũ ea, quæ defluũt, tenuia sint, facultatibusque
corrodẽtibus prædita. hæc aũt neq; cõtineri in pulmone tãdiu debent, quoad cõcocta crassa reddãtur,
ut ceterę defluxiones tenues illæ quidẽ, sed nõ corrodẽtes, & difficiles ad cõcoquendũ, neq; statim ex-
pelli: propterea qđ intus morantes, nõ facile cõcoquuntur, ulcerareq; uiscus deprehẽduntur: si excer-
nanĩ, tusses uehemẽtes citant: a quibus & caput impletur, & ab ipso rursus defluxio in pulmonẽ demit
titur, & ob tussis uehementiã periculũ est, ne aliquod eius uasculũ disrũpatur: qualis quidẽ tussis eos ue
xat, qui humores tenues, & aqueæ consistentiæ ex pulmone nõ facile reijciunt: etenim hi a spiritu per
tussim emisso sublati ascendunt. at cũ tenues, aqueique sint, dissipãtur, & contra illius impetũ, priusquã
C totam asperam arteriam pertransierint, delabuntur. quare uerum est, siue in pulmone permaneant hi
humores, siue euacuentur, noxam sequi.

19 *Rigores mulieribus a lumbis magis incipiunt, & per dorsum, tum in caput: sed & uiris posteriore parte potius, quàm
anteriore. horrent autem exterioribus corporis partibus magis, quàm interioribus, ut cubitis, ac femoribus uerum & cu-
tis rara, indicio autem pilus est. ab alijs autem si rigent, fortasse ulceribus, rigor a uasis incipit.*

Quæ hoc sermone continenĩ, reliqua tũ in aphorismis, tum in secundo uulgariũ morborũ exposui-
mus: quod uero ad finẽ adiunctum est, nõ parum negotij attulit ijs, qui librũ sunt interpretati: siquidem
alius eã partẽ aliter scribit, innuitq; probabilẽ inde elici sensum nõ posse, si uetus lectio seruetur. ea aũt
est huiusmodi, ut quidã pro fortasse ulceribus, cõmutãdo legãt, sicut ulceribus: ut hoc ipsum aliorũ sit
exẽplum: quia non solũ ab ulceribus, sed ẽt abscessibus, cũ suppurantur, rigent. quinetiã cum urũtur, &
secantur quidã, in ustione, sectioneq; rigent. uidi ego, qui ex acri medicamento ulceri imposito rigue-
rint. Sed in his omnibus rigoribus prægressa causa apparet. alij uero sunt in tertianis, quartanisq; febri
bus, qui sæpe sine manifesta causa simul cũ iudicatione suboriũtur: deq; eis aiunt dictũ esse, Rigores mu
lieribus magis a lumbis incipiunt, & quæ sequũtur. atqui mirabitur, hoc quispiã in primis, qũo in apho
rismis, ubi uel maxime suã de hac re sententiã explicat, deq; rigore cõscribit, in uniuersum de eo locu-
D tus sit, nec eã distinctionẽ, quæ hoc loco adiuncta est, adiecerit: nã si quis hæc intueatur, uidebitur Hip-
pocratis opinio esse, nõ oẽs rigores uno modo fieri, cũ ait, Ab alijs aũt si rigent, fortasse ulceribus, ri-
gor a uasis incipit: præter quàm quod hoc ipsum, quod ait, ex uasculis rigorẽ incipere, nõ ex altera par-
te diuidendo antedictis respondet. itaque licet dicere, omnes rigores a uasculis incipere, hoc est ex
malitia humorum, qui illis continentur: sed primũ lumbi, tum dorsum, deinde reliqua horrẽt. quocirca
nõnulli uetere scriptura cõmutata ita eã scribi uolũt: ab alijs aũt si rigẽt, ut ulceribus, a uasculis rigor in
cipit: ut oratio sit hmõi: rigores q nullo loco affecto excitanĩ, e lũbis, dorsoq; originẽ ducũt: alij uero ab
affectis particulis, quæ ẽt ipsius rigoris causę utiq; sunt, oriunĩ. quidã uero pro uasculis, scribũt cõtrarijs
ut in quibus affectus locus est rigoris causa, in se ipsum, ut aiũt, eo t pe, quo rigẽt, sanguinẽ ex toto cor-
pore attrahẽs, tũ rigor ex locis, quæ sunt affectis particulis cõtraria, oriri uidebiĩ: cũ ipse cõtraria uocet
superiora inferioribus, dextraq; sinistris. itaq; pspicuũ est ijs, q mẽtẽ adhibẽt, ex his scripturæ mutatio-
nibus orationẽ in maxime cõtrarias trahi sñias: cũ quidã uelint, ex affectis partibus rigores oriri: quidã
uero ex cõtrarijs illatũ, q̃, ut ipsis placet, sunt quæ inter se plurimũ distãt. de causa aũt, licet cuiq; ut uelit
dicere: at quæ euidẽter apparẽt, non licet: ita. n. artes oẽs euerterenĩ, uitaq; hominũ rolleretur. ut aũt in
aphorismis scriptũ reliquit, rigores oẽs ex lumbis, dorsoq; prodire cõspiciunĩ. & qđ ad finẽ huius ora-
tionis adiectũ est, si Thessalus Hippocratis filius, qui librũ, ut aiũt cõposuit, in patris cõmẽtarijs inuẽtũ,

descripsit,male fecit,cũ id in librũ transtulit : nã q̃ pater lõgo tẽpore perpendit, & uniuersali enuncia E
tione in aphorismos redegit;firmiora debebant ab eo existimari, quàm ea, quæ scripta erant, dum res
quærerentur,necdum antea notæ essent. quod si ipse per se id adscripsit, [illegible]iã maioris culpæ affinis:
quod uniuersalem patris sententiã inuerterit,ac deprauarit.sin alius post Thessalũ, librum hũc cõfecit,
ipse quoq; errauit,quia,ut iam sæpe diximus,quæ euidenter apparent, experientia, nõ rõne, quam sibi
quisq; probabilẽ fingat, iudicanda sunt:nã cum hoĩes consentiunt fieri quidpiã,id ratio inuestigat;atq;
esse cõtendit:sed eius,quod fieri oĩno conspicitur,afferre causam,quæ fieri ipsum doceat, nugatorium
est. alia etiam hoc loco ab interpretibus adducuntur:uerum ego, ut iam sæpe sum testatus, nolo omnia
cõmemorare:præsertim cum quæ uerisimillima uidentur,diligẽtius perpensa,falsa esse deprehendunt.

*Caput autem est, ex ortu,occasione,plurimis sermonibus, & paulatim cognitis colligere, ac perdiscere, similia ne inter* 20
*se sint, sique non similia sint inter se, ex dissimilitudinibus una fiat similitudo : ita enim fit uia : atque ita eorum, quæ recte*
*se habent, extimatio, & non recte habentium reprehensio.*

Quæ nunc ait, nõ est difficile præcipere,sed in ægris exequi:siquidẽ caput artis in ipsis omnino con-
sistit:nam siquis ægri naturã ab ipso statim ortu diligenter cognouerit, & quam ob rẽ in morbũ modo
ceciderit,& ex multis sermonibus paulatim cognitis similitudines & dissimilitudines quæ appareãt,cõ
siderarit,ceteraq; quæ hac oratione continẽtur,probe repererit,is curare optime poterit.quare omnia F
singillatim contẽplemur, in memoriamq; reuocemus quæ alibi uberius pertractauimus, eisq;, si quid
desit adijciamus.cognoscendam igitur naturã,quæ cuiq; eorũ, qui curantur, a primo ortu sit tributa, &
dictum est a nobis,& ut optime quispiã id faciat,demõstratum.nec minus ostensum est,quæ de affectis
locis,quæq; de ijs,quæ per cõsensum afficiuntur in ægris scire,dignoscereq; diligenter oporteat:ut actũ
etiam est de causis,quas anteincipientes, quas antegressas, &.quas cõtinentes uocant : est item hoc in
libro declaratum,cum exposita est,quæ in ægrotante sit œconomia, quæ quisq; ex ægri sermonibus ad
artis exercitationẽ utiliter possit traducere:&,ex multis,quæ in ipsa singillatim conspiciuntur, conside
rantem dissimilitudines ad unam uniuersalẽ,cõmunemq; redigere similitudinem oportere.plurima au
tem eorum,quæ in his scripta sunt libris,utilia sunt.quod uero deinceps scriptũ est,rursus dissimilitudi-
nes his,partitionem uniuersalium,cõmunium,ac similium,in differẽtias indicat,id quod a nobis in om
nibus artis partibus est ostensum:ut in libro de symptomatum differentia,in cõmunis symptomatis di
uisione:& in libris de differẽtijs pulsuũ,in pulsuum diuisione.sed in his quoq; differẽtijs similitudo est,
& unaquęq; itẽ differẽtia in alias magis particulares differẽtias,ut docuimus,distinguit.atq; hæ quasdã
etiam habent similitudines.quare cũ dixerit,dissimilitudines his subiũxit,similiane inter se sint:ut intel
ligamus desiderari hæc uerba,qua ex parte:uult.n. dissimilitudines,quæ quidẽ differentiæ sunt,a nobis G
cognosci:qua ex parte iterũ sint inter se similes:ut ex dissimilitudinibus una similitudo efficiatur:una.n.
quæq; differẽtia ipsa per se cõmunem habet similitudinẽ,quas oẽs generalis illa cõplectitur. quare re-
cte dixit,hanc uiam rectã esse ad quãuis artẽ,ut didicisti, constituendã.ceterũ,qui posteriores Hippoc.
fuerunt,non uiã hãc,sed methodũ appellauerũt : qua probantur ea, quæ recte inuenta, recteq; facta in
artibus approbantur : quæ uero non recte se habent, reprehenduntur.

*Sanguinis ex naribus eruptio uel ijs,qui subuirides nigrique sunt ; aut ijs,qui rubri & uirides sunt: aut subuiridibus fit.* 21

Non est in hac oratione adiunctum,utrum potius prædictis fiãt in morbis sanguinis eruptiones, an *
uero his,magis,quàm alijs illæ prosint.sed nec quos subuirides nigrosq; uocet,planum est:nam,ut iam
sæpe dixi,consueuere Græci colorem in stirpibus herbaceum ab herba,eiusq; colore nomẽ ducentes
sic plerũque nominare.quandoq; autem hoc nomine abutuntur,& quicquid uiget,ac suum bonum ha,
bitum habet,ita appellant.interdum uero pallidos hoc nomine uocant:in quam sentẽtiam placet qui-
busdam explanatoribus ab Hippocrate modo dictum esse,subuirides nigriq;, ac si dixisset, pallidi ni-
grique.hos ad sanguinis profusionem aptiores esse aiunt:idque propter pallidum bilim admistam,quæ
sua acrimonia recludere uasculum possit.quidam autem hos magis iuuari, quod prauis humoribus e-
uacuationis indigentibus referti sint.est etiã inter eos de ijs, qui rubri uirides appellantur, dissensio : cũ H
alijs placeat,ita uocari eos,qui ad sanguinis eruptionem procliuiores sint:alijs uero,eiusmodi magis iu
uari.sed cõmune utrisq; est,ut in eis pallida bilis redundet;non tamen commune est,ut in ijs, qui palli-
di nigriq; sunt succus magis melancholicus:in ijs uero,qui rubri uiridesq; sunt magis sanguineus admi
stus sit.alij autem ἐρυθροχλώρους per ρ literam scribunt : uoluntq; eos,qui rubro colore sunt,significari. qui
uero tertio loco subuirides dicti sunt,hic pro subpallidis accipiunt:cum autem hęc uox eos,qui parum
habent palloris indicet cui nam esse illum admistum uelint,non exponunt:nam si nigrori, eos primum
ab ipso commemoratos aiunt : si rubori, eos secundo loco.an uero eos subuirides uocat, cum cando
ri pallor est mistus ? at albi coloris homo neque admodum est ad sanguinis eruptionem propensus,ne-
que hæc illi magis,quàm prædictis, prodest.

*Parum remittentem,crassum uero efficere aride.* 22

Hæc quidem antiqua scriptura est. sed Sabinus non legit βραχέα id est parum, sed βραχίονα,id est bra-
chium,aitq; sanguini e naribus proflueñti uenã in brachio sectã,reuulsionis causa,adiumẽto esse: nec so-
lum suã ipse scripturã interpretaĩ,uerũ ꝓbabile esse cẽset,ut hoc, brachiũ remittẽdũ, de uena in cubito
secãda dictũ esse intelligamus.ego uero eiusmodi uenæ sectionẽ aĩaduerti ĩmoderatæ sanguinis e nari
bus eruptioni abũde ꝓfuisse:siquidẽ eã reuellit,ac cohibet:uerba tamen Hippocratis. id significare nõ
uideo.

A uideo. Sed hæc uerba, parũ remittendũ, in eã sententiã, ut pleriq; interpretes acceperunt, dicta uidẽtur, ut sanguinẽ fluere parũ sinamus, tum curandũ esse, ut crassiorem ipsum efficiamus. quia aũt nõ dixit absolute, crassum sanguinẽ efficiendũ esse non cũ humiditate, sed siccitate, ideo quidã putant scribi oportere, crassum efficere arido, ut subaudias, medicamento: idq; ex consequentibus declarari. qui uero dari consilium uolunt ijs, quibus cõtinẽter sanguis fluit, nõ in morbis, sed cũ non decũbunt, hæc uerba ad uictus rationẽ esse referenda arbitrantur: ut ipse iubeat, ex incrassantibus cũ siccitate boni succi uictũ esse eis parandũ: ex quo genere esse alicam, & amylum, & lac, & recentẽ caseum, itemq; suillas carnes, agninasq;, præsertim uero agnorũ lactentium: atque etiam hœdorũ, confirmant. quibus uero placet, hæc de sanguinis eruptione, quæ in morbis fit, dicta esse, ij censere Hippocratẽ dicunt, sanguinẽ sine cibo fieri crassum debere. id. n. significat uerbũ, aride: quod uelit succorũ prauorum copiã concoqui: & ad concoctionem facit inedia. & cõcoquentiũ medicamẽtorũ usus, cũ adstringẽdi ui prædita sint: siquidẽ ipsa quoq; nõ secus, quàm cõcoctio, sanguinẽ crassum reddũt: quorũ medicaminũ exẽplũ est ab ipso deinceps allatum. quidã uero scribunt nõ aridæ, sed arido, aiuntq; Hippocratẽ imperare, sanguinẽ, qui profusione ex naribus euacuatur arido medicamento reddi crassum oportere.

23 B *In alijs uero minus crassitudine utendum.*

Aiũt alios ab ipso dici eos, quibus sine paucitate succorũ cõtinuo sanguis effluit: in q̃bus neq; pallida neq; atra bilis cũ sanguine mista est. ceterũ hoc loco quidã nõ crassitudine, sed crassum facere scribũt: itaq; locutionẽ clariorẽ reddunt, sed tamen eadẽ manet sententia: cum ipsi quoque uelint, ab ipso censeri, alios quibus ob uitiosi sanguinis copiam sanguis effunditur, minus crassos effici oportere: ut crassum reddere etiam duobus modis intelligatur: nonnullis uictus ratione sanguinis faciendam esse crassitudinem, nonnullis uero, medicamentis, quæ naribus admoueantur, nonnullis denique utroque modo iudicantibus. sed nullam firmam ex eiusmodi lectionibus haberi posse cognitionem, iam sæpe diximus.

24 *Arido autem opus est albo: ut galla, & alumen.*

Hæc uetus scriptura est: quam, quia difficulter põt explicari, quidã cõmutarunt: alij minus, alij magis. ac magis quidẽ mutarunt, qui ita scripserunt, Sicco aũt albo ex naribus, ut galla, alumẽ: uoluntque hũc sensum esse: qui sanguinem immoderate ex naribus profundũt, præter iam dicta, sunt ẽt localibus remedijs curandi: eiusmodi aũt remediorũ exemplũ aiunt dictum esse, aridum medicamentum album, quod intra nares ponatur. Sed cum galla alba nõ sit, quidã alumen addiderunt: atq; hoc modo scripse-

C runt, ut galla, & alumen. quod uero scriptum erat hac, aut illa, merito deleuerunt: utpote quod parui esset ponderis, & Hippocratis sententia non dignum. uolunt aũt indicari, ex utra nare sanguis fluat, ei medicamentum aridum esse inijciendum. Si autem uetus lectio seruetur, erit perobscura sane locutio: propterea quod quænã censeat alba ex naribus euacuari, aut purgari, aut concoqui, aut sponte fluẽtia contemplari, inuentu difficile prorsus est, cum ipse Hippocrates † albo nihil adiungat. quocirca hac de re primum fuit merito inter interpretes dissensio: quod alius aliud, atq; aliud subaudiendum esse existimaret: quibus omnibus id repugnat, quod legitur, ut galla: quia legendum erat, ut galla in sexto casu, non in recto. hoc igitur omnibus communiter aduersatur, nec fieri potest, ut absurdũ dicendi genus uitent, idque emendent, licet uerba commutent. Sunt qui dicant, totam hãc orationem esse ei nũc quoque de sanguinis ex naribus eruptione: eumque hoc dare consilij, ut in his adstringenti medicamento utamur, quod in narẽ, unde sanguis manat, indatur, donec, sedata sanguinis eruptione, albæ prodeant. iam uero multa præterea in hãc dictionem corruptam, ut ego quidem puto, & ab aliquo forte interpositam, perperam dicunt. licet autem cum alijs multis, tum uero hoc ẽt loco admirari eos, qui ad Hippocratis uerba in ea quæ cuique placeant commutanda, facile impelluntur: cum enim omnes interpretes sciãt in hac sententia scriptum esse, Ex naribus alba, ipsi tamen uariant, scribuntque, ex naribus albo.

† Si Gal. legisset λείῳ. i. arido i tenuẽ pollinẽ redacto, forte sublata esset obscuritas.

D ego uero sępe dixi in locutionibus perobscuris mutari ad uerisimilitudinem uerba licere: sed hoc prius indicandum est, tum uero lectio commutanda.

25 *Cum rebus uti uenereis aut hircire inceperint, tum sanguinis eruptione tentantur.*

Qui eam ætatem agunt, in qua eis euenit id, quod hircire uocant, ij nõ solum ægri, sed ẽt sani sanguinem de naribus facile profundũt. possunt autem hi rebus uenereis iam uti. prius autem, cũ pueri essent, multo sanguine affluebant: pro incremento uero, non iam æque copiosus in eis inest: sed calidior fit. quæ res facit, ut sanguinis eruptione tententur. meminisse autem uos puto sanguinis profluuia, quæ ceteris e partibus fiunt, semper cum loci appellatione dici; quæ uero ex naribus, quandoque etiam nulla facta particulæ mentione nominari.

26 *Sunt qui in accessionibus perstrepunt, ut Arcesilaus: quidam etiam accessuri, horrescunt, ac rugosi fiunt: nonnulli ubi congressi sint, neuter eis inflatur, quo in numero Damagoras fuit.*

Sæpenumero testatus sum, si oĩa, quæ pleriq; interpretes perperã dixerũt, refellẽda suscipiã, fore, ut oẽs mihi cõmẽtariorũ lõgitudinẽ uitio uertãt: si uero mediocria tm̃ persequar, alijs nõ reprehẽsis, q̃ ingenio ualẽt, possint ꝑ se ipsi de ijs, quæ ego præteriero, iudicare: id quod nunc faciã. quod aũt ait, in accessionibus, omnes ferme de complexu uenereo intellexerunt: sicut illud, perstrepunt, de flatu per anum emisso: de quo etiam paulo ante diximus. quod uero deinceps scriptum est, quidam etiam

accessuri horrescunt, & corrugātur, hunc habet sensum: quidā cum rebus uenereis utuntur, dū calfiūt, E horrescunt: qua sane ratione iā sæpe nostis omnibus ijs in quibus praui succi sunt, cū repente magis cō calescunt, id euenire. Quidam uero pro horrescūt, scribi putāt oportere, rigēt: quod mihi perraro uidetur accidere: estq; id maximæ succorum prauitatis indicium. quare nec quenquā noui, qui initio coitus riguerit. Sed & quod ait, rugosi fiunt, quidā pro ῥυσῶδες scribunt κακῶδες, uoluntq; alij pro eo dictum esse, ut uitiari corpus significet: alij, quod corpori odor teter comparetur. Ventrem autem quibusdam inflari consuesse, ante diximus. Dioscorides autem hanc orationem, ut alias sexcentas in eam, quā uoluit, commutauit, ut tota talis sit: in congressibus aliqui ueluti perstrepentes sunt, ut Arcesilaus: ut foetidos ipsius crepitus fuisse intelligamus. Capito quoque ipse, qui hanc orationem multis modis commutauit, eiusmodi eam esse uoluit, in congressibus aliqui perstrepunt, ut Arcesilaus: alij congressuri rigent, rugosi.

*Mutationes cauenda.* 27

Idem cautius tum alibi, tum in aphorismis dixit, additis uidelicet his uerbis, multum, & repente: siquidē neque eæ mutationes, quæ ex aere nos ambiente, nec quæ a nobis ipsis paulatim fiunt, periculosæ sunt; sed solæ, quæ confertim fiunt, periculum uitiandæ sanitatis inuehunt. quare uitare eas oportet. aeris autem nos ambientis mutationes cauebimus, si nos domi plurimum contineamus, sique usu con- F trariorū illis occurramus: ut in humidis mutationibus corpus exiccemus: in siccis uero, humectemus: pari ēt ratione calfaciamus, ac refrigeremus, cum horū utrunq; fuerit opportunū. cauere aūt eas mutationes, quæ in uictus ratione consistunt, est in nostra sitū potestate: ut neq; ab exercitationibus repente ad otiū, neq; ab otio ad exercitationes transeamus. sic neq; desuetudine balneorū ad balnea, nec cōtra a balneis ad eorū abstinentiā: neq; ab aquæ potu ad uini potū, neq; a uini potu ad aquā bibendam traducamur. quod est in ceteris omnibus pariter obseruandū. atq; hæc quidē & uera oratio est, & ab Hippocrate sæpe pronunciata. nec scio, qua ratione moti quidā dixerint, in his uerbis, mutationes cauēdæ, subaudiendū esse ætatū: ipse.n.cū in aphorismis dixisset, multū ac repēte euacuare, aut replere, aut calefacere, aut refrigerare, aut quouis alio modo corpus mouere, periculosum est: quoniam quicquid multum est, naturæ inimicum est: nullam fecit ætatum mentionem: nam in eis, cum paulatim progrediantur, reperitur quod naturæ multum sit: neq; ullam diligentiorem custodiam requirunt, quantū ad cōia ualetudinis tuendæ præcepta pertinet: quemadmodum neque anni tempora, cum paulatim suas mutationes habent: sed hæc interdum uidemus magnas repente mutationes in contrarium efficere. ætatem uero nullam repente lapsam uidimus: ut puer postridie, neque paulatim, neque per adolescentiam, neque per iuuentutem transiens in uirum euaserit. G

*Cibi paucitas, lassitudinis, sitisque uacuitas.* 28

Cū in uniuersum dixerit, caueri mutationes oportere, unū quiddā, quod sibi ad memoriā adiumento esset, quodq; ad eiusmodi cautionem facit, subiunxit: in utrisq;.n. mutationibus tam ijs, quæ ad ambientem nos aerem, quàm quæ ad instituta uitæ nostræ, & uniuersam uictus rationem pertinēt, iubet propositam nobis cibi paucitatē, & sitis, ac lassitudinis uacuitatē in omnibus rebus, quas gerimus, esse debere. interpretes aūt cibi paucitate sitim, lassitudinēq; leuari dixerunt: quod uniuerse pronunciatum falsum est: propterea quod ijs, qui pituitosos succos, aut boni sanguinis copiā continent, cibi parcitas lassitudinem sitimque sedat illa quidē, at biliosis, & in quibus sanguinis sit inopia, neque lassitudinem, neq; sitim tollit, quemadmodum ipse in libro de uictus ratione in morbis acutis docuit. Sed peius ēt illi senserunt, qui ita scripsere: inedia lassitudinem, sitimque adimit. sunt ij plane rudes, quippe qui ignorent, quæ ne uulgus quidē nescit. alij ad finem orationis addunt, esurieti: aiuntq; cibi paucitatē esurieti sitim, lassitudinēq; adimere. esurientē uero eū esse dictū censent, qui se cibi indigentē esse sentiat. & tamen præstaret, ut dicerent, ei qui se indigere cibo sentiat, cibi paucitatē non esse opportunam: ei, qui non sentit, esse utilem: quod eius corpus succorum multitudine redundare nobis indicet.

*Extenuatio omnis cutim laxat, deinde contendit: refectio contraria, cutis corrugatio concidentis extensio refectæ: horrens, leue: utriusque signum est, subbiliosum, subrubrum. sic etiam mammas detrahi; graciles uero aut sursum, aut circum trahi, nemo propter hanc causam, sed quia caro creata sit, fieri existimaret.* H 29

Non possum nō mirari interpretes, qui locutiones obscuras, quas nemo est, qui intelligat, se solos percipere profiteanť: quæ uero nobis oībus sunt perspicuæ, eas illi solas ignorēt. hanc aūt, quæ obscura non est, distrahūt multis modis, cū aliter, atq; aliter eius enūciationes inuertāt: & contra, quā attestētur ea, quæ plane sunt oībus euidentia, interpretentur, quod cauere maxime debuissent: de ijs.n. agit Hippocrates, quæ in nostris corporibus dum extenuantur, & reficiuntur conspici solent. at illi tantū abest, ut quæ in his apparent omnia, aut eorum causas cognoscant, ut ne quidem quid extenuatio sit, scire uideantur: fieri tamen extenuationem per euacuationem enunciant. aliqui autem siue extenuationē, siue euacuationem dicas, interesse nihil putant. Sed hoc, ut dixi, nosse, non est magnæ alicuius sciētiæ. multi aūt nō paruā habēt sanguinis copiā, cū tū sint maxime graciles: ut alij crassi sunt illi quidē, sed parū habent sanguinis, atque ego mulierem gracillimā, cui iā octo mēses purgationes mēstruæ suppressæ erāt, nō exiguo detracto sanguine, in pristinum statum suū breuissimo tēpore, ut etiam plerasque alias, redegi. Sed quod in ea muliere accidit, (neque enim erat ignobilis) præclarum fuit: cum enim ei uena secta esset, Medici utilitatem ullam fore, firmiter polliceri uerebantur: immo uero quidam etiam

A et iam nobis aduersari audebant non solum propter mulieris maciem, sed etiam quod dicerent, eam
hoc incommodi esse accepturam, ut secta uena cibi appetitio aboleretur. hoc autem facere longius,
est melius, quàm dare operam, ut diligenter de utro Prodico loquatur Hippocrates, inuestigemus. sed,
ut iam sæpe dixi, recentiores medici ad sophisticum disciplinæ genus deflexerunt: quippe qui ea, quæ
ægris eueniunt, diligenter obseruare, & ipsorum affectiones, causasque, ex quibus curationis ratio in-
uenitur, quæ ipsa quoque per experientiam dijudicatur, inuestigare negligant. ei autem mulieri, cuius
modo memini, primo die sanguinis sesquilibram detraxi: postridie uero eius diei, iterum libram: tertio
die, non ita multum plus semilibra: erant enim octo unciæ. sophista, qui hæc leget, incipiet indagare,
quis apud Græcos libras, uncias que nominarit: medicus uero alia itidem signa præter mensium sup-
pressionem uenæ sectionem faciendam indicantia scire auebit: quæ ego nũc memorabo, luctu prius so-
phisticis indicto: eius uenæ eminebant, sanguinisque plenæ, & liuidi coloris uidebantur. cumq; uasculũ
esset sectum, sanguis liquidæ pici, & colore & crassitudine similis effluebat: quam ob rem multo copio
sius euacuandus esse uidebatur, atque hæc quidem a nobis obiter dicta sint ijs, qui medicinam recte ex
ercere uolunt. sed ut eo, unde digressa est, referat se oratio, dicam, non recte interpretes censuisse, cor-
poris extenuationem simpliciter ex inanitione effici: erant enim addendæ distinctiones, extenuationẽ
B uidelicet esse totius molis detractionem quandam, aut collapsum, aut subsidentiam, aut utcunque ap-
pellare eam libeat: crassitudinem uero contra, molis accessionem. interdum igitur infirma carnosi gene
ris facultate, & uitioso sanguine uenis, arterijsque contento, fit extenuatio: sæpe autem ex contrarijs
crassitudo fit: ut scilicet exiguus sanguis in uasculis sit, quippe qui in carnium alimentũ sit absumptus:
illę autem probe sint nutritæ, & per eas etiam tota corporis moles aucta sit. hoc autem uel ipsi mango-
nes omnes norunt, cutim carnosis partibus prætendi, & corporum naturas quasdam, quæ in molem ex-
crescere prætenta cute non possunt, agnoscunt: ipsam enim summis digitis sursum trahunt, & quatenus
a subiecta carne abscedat, intuentur: & eo usque gracilia corpora refici posse sperant, quo usque tracta
cutis sit, nam & laxa in extenuatis, & extenta in ijs, qui crassi facti sunt, cutis apparet. extenuationes au
tem multis de causis contingunt: nam & alimenti penuria, & nimia exercitatio, & uigiliæ, & curæ, &
dolores, & morbi, in quibus colliquandi, & discutiendi uis inest, & copiosa per aluum, aut uomitus, aut
sudores, aut sanguinis eruptionem euacuatio extenuationum causæ fiunt. refectionis autem unus est
modus, apta mensura eorum omnium, quibus sani egemus: hæcque sunt, ut ipse postea dicet, labores,
cibi, potus, somnus, res uenereæ. cum autem multis modis corpora extenuentur, omnium commune
est, primum ut cutis laxetur: deinde ut extenuatione perseuerante extendatur. at si refectio illam exci-
C piens subsequatur, coutrarium fiet. distendetur enim cutis, [tum laxabitur.] quarum rerum causas iam
persæpe audiuistis: ac nũc quoque summatim exponentur. in memoriam autem uobis redigenda sunt,
quæ sæpe in utribus, ac uesicis conspexistis: ut enim in illis repleto interiore spatio corium circunten-
ditur, euacuato autem, laxatur: ita in animantibus usu uenit: nam in bene habitis distenta cutis uide-
tur, in extenuatis, laxa: etenim ut liquor in utres infusus, earum pelles extendit, ita & copia genitæ car-
nis cutim nostram circa se ipsam obtendit. ac licet plane in omnibus pinguibus cutim ita distentam in-
tueri, ut nemo eam apprehẽdens ne minimum quidem a subiectis carnibus possit diducere: in gracili-
bus uero ita laxam, ut quis eam longissime trahens, acu traijcere, neque ullam subiectam partem con-
uulnerare queat. ad hunc autem usque locum omnes fere orationem recte intellexerunt: sed eos turba
uit, quod hanc partem sequitur, extenuatio omnis cutim laxat: negãt enim ab ea fieri contrarium. quam
ob rem quidam hæc uerba, deinde contendit, de refectione dicta putant: nec uidens sibi ipsis aduersari,
quod sequitur, cum ait, refectio contraria. siquis autem sententiam explanationis illorum sequatur, hic
erit sensus, omnis extenuatio cutim laxat: contra uero in refectis extẽditur: refectio autem apta est ad
contraria efficienda. sed primum probabile erat, ipsum dicere refectionem efficere non contraria, sed
contrarium: cum enim nnum de extenuatione dictum esset, refectionem quoque uni contrariam dici
D erat consentaneum. quare si extenuatio cutim laxat, a refectione circuntendi eam oportebit. præterea
uero id uidetur deinceps dixisse, cum magis in promptu, & apertior, & breuior talis oratio fuisset, om-
nis extenuatio cutim laxat, refectio circuntendit, quid igitur significat his uerbis, deinde contendit? ni-
hil sane aliud, nisi quod ab omnibus aperte intelligitur, cutim inquam primum in extenuationibus la-
xari, tum manente extenuatione, nec in refectionem mutata, distendi: in refectione uero contra: in prin
cipio quidem cutim circũtendi, tum progressu temporis fieri laxiorem. atque hæc quidem, si tam dili-
genter, quàm Hippocrates fecit, obseruassent ea, quæ sensibus apparent, fieri cõspexissent. in primis igi
tur uobis commemorabo quæ aperte uidistis, deinde causas eorum, quæ sensibus apparẽt, exponã. eo-
rum igitur mementote, qui in morbis cõtabuerunt, atque ea præcipue tabe, quæ retorrida nominatur
in quibus recordemini, cutim ita, ut aridum corium, fuisse distentum. sed quid mirabile est, in illis lon-
giore tempore exiccatis cutim distentam uideri, cum id etiam primis quandoque diebus accidat? nã
Hippocrates ipse in præsagijs ea persequens, quæ in principio morbi eueniunt, præter cetera signa quę
“ in facie conspiciuntur, hoc etiam adiunxit, Cutis inquit, circa frontem dura, & distenta. id autem ob
euacuationem effici, ipse deinceps declarat, cum ait, Inquirendum est, an uigilia, aut uehemens uentris
resolutio, aut inedia præcesserit. sed inter omnes medicos, qui post Hippocratem fuerunt, tanquã uno
ore loquentes, conuenit ob euacuationem copiosam, quæ uel sensibus percipiatur, uel sensus fugiat, ta
lem

lem effici faciem posse, qualem his uerbis descripsit Hippocrates; Nares acutæ, oculi cōcaui, collapsa E tempora, frigidæ, languidæque aures, & imis partibus leniter uersæ, cutis circa frontem dura, & intenta, quare cum id quod sensibus apparet, aperte nos doceat, a ualida euacuatione contrariam affectionem gigni, quàm a moderata fiat, ipsorum quidem uerisimilis, non uera tamen uidetur oratio, qui dicunt, manentibus ijs causis, quæ affectionem pariunt, non contingere, ut ipsa ad contrarium transmutetur: propterea quod in euacuationibus immoderatis transmutari euidenter conspicitur, siue ea longiore tempore perdurare aperte uideantur, siue etiam clam, ut cum ægri aut colliquantur, aut digeruntur. prius quàm igitur ad ipsam cutis propriam substantiam euacuatio perueniat, cutis non secus, quàm inaniti utres, & facci, & uesicæ, relaxat: si uero diuturna euacuatio sit, talis redditur, qualia coria, pellesq; siccæ, quæ extendi præ duritia non possunt. talis quoque in utribus, uesicisq; effecta cutis uidetur, cum exiccata ualde fuerit. quousque autem humida, mollisque sit, & in spatio interiore aliquid suscipit, rursumque emittit, certe accipiens, cum expleta ualde est, distenditur: cum euacuata est, relaxatur. quam ob rem Hippocrates recte dixit, cum ait, extenuatio omnis cutim laxat, deinde intendit: siquidem ita fieri apparet, & allata causa est. ac recte quoque adiecit, contraria fieri a refectione: siquidem cutis principio contenditur, deinde progressu temporis fit laxior: cum enim cutis suapte natura sit subiectis ei carnibus durior, atque aridior, serius etiam, quàm illæ, in extenuationibus obdurescit, & in refectioni- F bus mollescit. cum igitur ipsam duram, & iam exsiccatam refectio excipit, primum carnes adaugēs, merito distendit: tempore uero procedente, cum alimentum accepit, fit humidior, ac molliot; quā ob rem iterum laxatur, quemadmodum siccæ pelles, coriaque cum aqua madefiunt, oleoque ac seuo illinunt. hæc autem, quæ uere, & aperte ab Hippocrate sunt proposita, illi propter ignorationem rerum, de quibus ei instituta oratio est, perperam sunt interpretati: consequentia uero, quæ nō æque perspicua sunt, & fortasse ab aliquo interiecta, plana esse arbitrantur. & tamen in eis explanandis non secus, quàm in superioribus dissentiunt, ueteresque scripturas commutant. sed ut planior fit oratio, singulas huius sententiæ partes seorsum persequar, cutis corrugatio concidentis: extensio refectæ: cutim relaxari in extenuationibus prius, quàm ipsa in propria sui substantia aliquid passa sit, in refectionibus autem extendi, & spatio temporis exsiccatam in contraria commutari, est ante declaratum: his autem uerbis ait, ipsius concidentis fieri corrugationem, refectæ uero extensionem [Greek] autem Græci nominant corpus & cutim, quibus rugæ cum contractione insunt, ut uidere est in senibus: eorumque affectionem, corrugationem uocant. sed in iuuenilibus quoque corporibus corrugatio quædam uidetur, cū depressæ uenæ sunt: præsertim uero, cum redundans in eis sanguis dissipatus sit, & medicamentum, quod austeræ, adstringentisque facultatis particeps sit, quispiam imponat. ait autem huiusmodi constitutionem G in cute concidenti oboriri, hoc est, cum imminutis ijs, quæ intra ipsam continentur, decidit, & in se ipsa residet. contrariam uero constitutionem, cum in longitudinem, latitudinemque se propagarit, extēsionem mortales appellant. quandoque autem usu uenit, ut in longitudinem solum, aut latitudinem extendatur, atque residat. nunc uero de extensione, & contractione, quæ in utraque dimensione fiunt, intelligere hoc uerbum conuenit. at si quis præcedentem particulam recte intellexit, ei non admodum hac opus erit. horrens, leue, utriusque signum est subbiliosum, subrubrum. quidam scribunt sic, rugosum, leue, utriusque signum. sed quia in membro superiore de corrugatione est dictum, magis consentaneum uidebitur, ut nunc horrens dicatur: ut Hippocrates formam, quæ in corrugatis fieri solet, similem horrentibus, insinuet. similitudo autem hæc est in cutis inæqualitate, ac ueluti asperitate quædam, dum aliæ eius particulæ depressæ, aliæ eminentes apparent: cum enim hoc symptoma in tota cuti per breuia admodum interualla oritur, tum horror appellatur. ac tu tecum cogita, corporis leuis statum esse exquisitæ maris tranquillitati persimilem: horrorem uero, eius inæqualitati, quæ nuper incipiat. in quam sententiam dixit etiam Poeta:

Qualis strata leui perlabitur æquora flatu
Principio Zephyri clemens horror. H

quare fit, ut leuitas refectis corporibus insit, contrarijs uero, quod uelut horror est: & alterutrum alterutrius signum est, non autem alterutrum amborum, nec simul ambo alterutrius. eodem quoque modo subbiliosum, & subrubrum, alterutrum est alterutrius signum, & subbiliosum extenuati, subrubrum refecti corporis: siquidem extenuatorum corpus, propter causas extenuationem efficientes, de quibus supra diximus, biliosius redditur: eorum uero, qui reficiuntur, sanguine abundantius: cum recte alifine probo sanguine non queat. cum autem in fine locutionis additum sit, sic; ideo quidam uolunt hoc esse sequentis orationis initium: quidam uero huius finem. sed exponi utroque modo potest. quare nō est, quod hac de re diligentius disceptemus. transeamus autem ad ea, quæ proxime consequuntur, principio orationis ab hac uoce, sic, ducto: quando plerisque explanatoribus idem esse faciēdum placuit: Sic etiam inquit, mammas detrahi; graciles uero aut sursum, aut circum trahi, nemo propter hanc causam, sed quia caro creata sit, fieri existimaret, hæc uetus scriptura est: quam alij parum, alij permultum immutarunt: in quibus etiam est Sabinus, qui scripsit hoc fere modo, Sic longas & graciles detrahi, aliàs sursum tolli: ut significet, graciles, laxari, longasque uideri: bene habitas uero, sursum trahi. Rufus autem uetere seruata lectione, antiquiorum interpretum explanationem attulit, quæ quidpiam Sabini sententiæ contrariū docere uidetur: uult enim bene habitas detrahi, graciles uero sursum trahi: quam rem

A rem attestari sensus uidetur,cum ipse Hippocrates dicat, quamuis id fieri nemo existimaret: nam cum dixerit,in extenuatione cutem laxari,in bona nutritione uero eam circũtendi, iuuenies ex priore sequi,ut mammæ detrahantur,ex secundo uero,ut sursum tollãtur.quæ res facit,ut dicat, quamuis nemo existimaret.hoc autem ueteres interpretes,qui empirici fuerunt, ut Glaucias, & Heraclides Tarentinus,pro firmissimo rationis momento tenuerunt:atque ex hoc putant se probare, secũ Hippocratem sentire,probabilibus dogmaticorum argumentationibus non esse adhibendam fidem,sed ei soli, quod sit experientia comprobatum.& tamen id ipsum,quod apparet,si sine distinctione proferatur,utroque modo falsum erit,siue in extenuationibus infra trahi,laxariq; huiusmodi dixeris, siue sursum tolli. hoc ergo erat eis in primis accurate exquirendum,atque empiricis quidem,quia res sensui apparentes obseruant,ac memoriæ mandant: dogmaticis uero,quia causas eorum,quæ sunt,non autem eorum, quæ non sunt,reddere eos oportet.quid autem sit,quod sensui apparet,ego exponã, cum in quamplurimis, & non in paucis mulieribus id obseruarim,audiuerimque non ab obstetricibus modo,sed etiam ab ijs, quæ nihil huiusmodi scirent: ipsæ enim quæ apparent,uerius narrant, quam qui ob decreti sui amorẽ in illis cæcutiunt.quod autem accidit, est tale: cum mammæ lactis plenæ sunt, in omnem dimensionẽ augentur: siquidem & in altitudinem,& latitudinem attolluntur,& longiores uidentur. lacte euacua-
B to,rursus se ipsis minores fiunt,cum in triplici dimensione minuantur.quod si sine lacte in tenuitate solum,& crassitudine,ut alia membra uicissim mutentur,æque, atque illa, afficiuntur: nam & primo cũ extenuantur,laxæ; cum incrassantur,distentæ redduntur: progressu uero temporis contrarium statum adipiscuntur:utpote quæ exiccata cute breuiores: humectata uero lõgiores in refectione ut ante comprehensum est,efficiantur. quo sane modo senescentibus primum laxantur, postea uero contrahunt. exposui quæ in mammis appareant,eorumque causas adiunxi.aliorum interpretum nemo id fecit:sed, ut quisque uoluit,hæc uerba scribens, suam postea scripturam exposuit.merito autem & explanationes contrarias, & scripturas mancas,indistinctasque attulerunt:ut quicquid dicat quispiam,partim uerum,partim falsum sit futurum:cum mammæ,dum lacte implentur,maiores:dum inaniuntur, minores reddantur:sine lacte uero,in extenuationibus primum laxentur,mox retrahant: dum uero crassæ fiunt, in principio retrahantur,postea paulatim relaxentur.est tamen huic quoque reficiendi rationi adiuncta distinctio: quod quidam reficiantur prius, quàm adeo extenuentur, ut cutis arefacta tendatur: quidã uero,cum ea iam inaruerit,refectioni se tradant.

30 *Iugula perspicua, venæ conspicuæ.*

C Quæ huiusmodi sunt orationes non claram scriptoris sententiam ostendunt, quod non sit in eis adiunctum, in quibus apparere hæc uelit: multi enim,qui suapte natura graciles sunt, iugula manifesta habent,& uenas expositas,ac plenas sanguinis: ut alij contra,neque iugula, neque uenas expositas, ut autem huiusmodi corporum differentia per naturam uidetur,ita etiam in his,qui præter naturã, quàm sunt initio consecuti,aut extenuantur,aut incrassantur,& humoribus uel abundant,uel egent: planum enim est,uenas repletas in corpore gracili nobis indicare,sanguinis plerunque corrupti copiam in eis inesse:quemadmodũ de ea muliere cui menstruæ purgationes suppressæ erant,paulo ante dixi:subit autem mihi uel solum Capitonem admirari.qui his fere uerbis hanc orationem conscripsit: magna repletio perspicua est,uenæ conspicuæ:si enim ita scriptum esset,quid necesse omnes interpretes habuissent, eam in apertiorem commutare? cum in illis demum,de quibus ambigunt,ut facilius intelligãtur,commutare consueuerint.quinetiam ego,qui multos libros in manibus habui, ut agnoscerem quæ ueteres scripturæ essent,& de quibus inter omnes constaret,aut esset dissensio, nullum exemplar ita scriptum inueni.quare cum omnes interpretes ita legant,& ita in omnibus sit scriptum exemplaribus, Capito, qui commutauit,non recte fecit,atque ego fortasse meo officio functus ab initio non sum, qui eius mentionem feci:cum pollicitus sim me huiusmodi scripturæ ineptias in explanationibus præteriturũ.
D quare uitandæ prolixitatis causa in sequentibus id præstabo.

31 *Prodicus febricitantes interfecit cursibus,luctis,fomentis,malum,quod febriculosum est,inimicum est fami,multis circuitionibus,cursibus,frictioni,laborem labore,ipsis.*

Hoc quoq; uerba alius atque alius aliter scribunt.quidã mutãt hæc uerba, circuitionibus,luctis.alij in principio ponũt, luctis.alij id ipsum adimunt.alij in principio statuunt,fami. circuitiones autem appellat lentas deambulationes,quæ in longius tempus protrahuntur: ut in libro de ratione uictus in acutis ipse dixit,lentam multamque circuitionem inambulasse.Prodici uero, ut multis de ambulationibus utentis mentionem fecit Plato.de quo autem nunc agat,an de Leontino,an de Selymbriano,nihil opus est quærere:siquidem huiusmodi oĩa sum alio uolumine persecutus. in præsenti uero quæstiones historicas pertractandi,non est tempus:quando nobis satis sit,si non paucis quorundã interpretũ explanationibus silentio præteritis,nostram nos octo libris cõcludamus. cur aũt Prodicũ reprehẽdat, ipsemet declarat his uerbis,quod febriculosum est,id circuitionibus,aut fami inimicũ est, planũ uero est,aliis,quoq;, quæ annumerauit,idẽ esse infestũ:qñ febrilis calor & luctis,& fomentis, & frictioni sit cõtrariũ:ita.n.intelligẽdũ est,quod ait,inimicũ:qm̃ solent etiã amicũ per trãslationẽ pro familiari usurpare.uerbũ autem hoc,malum,quod inter utrãq; dictionẽ est positũ,alij ad finẽ superioris adiũxerũt,

alij

alij principiũ sequentis esse uolũt: ut una talis sit oratio: quod febriculosum est, circuitionibus est inimi E
cum. lædi autem febricitantes a deambulationibus, cursu, fomentis, luctaq;, quod calorem in corpore undiq; adaugeant, nemo, qui in arte medendi sit exercitatus, ignorat. at Prodicus non solum rõnalem auxiliorum inuentionem nescire, sed empiricam etiam obseruationem uidetur, negat enim ratio labori laborem mederi, hoc est, noxa noxam, & malo malum tolli: contraria namq;, non similia affectioni, quæ affligit, auxilia sunt adhibenda. at ille uidetur admouere similia, siquidem deambulationibus, palæstra, frictione, fomentis, fameq; utitur. fomentum autem hoc loco intelligimus omnem calorem, qui nobis extrinsecus accedat, siue is ab igni, siue a balneis procedat. iam uero fames ipsa prædictis contraria est. nam ubi fames, laborandum non est. sed non modo initium huius orationis mutant, uerum ab initio ad finem usque, ut ut uolũt, ita scribunt. at ego ueterem scripturam, quamuis difficiliores explicatus habeat, ceteris antepono. quod uero in extrema oratione scriptum est, ipsis: quidam faciunt sequẽtis initium: quidam omnino expungunt: quod nullam maiorem, quàm quæ dicta sunt, nobis inserere notitiam uideatur.

*Ventrium rubor, liuor, pallor, costarum dolores molles.* 32

Dictum est, pronomen ipsis, quod in fine superioris orationis erat positum, posse in huius principio F poni, ut oratio talis sit: ipsis, de quibus dixi: erãt autem ij febricitantes, sed non recte a Prodico ad motiones beneualentibus accommodatas perducti. hæc autem quæ modo ait, in homines cadunt, sed nõ oĩa in unum & eundẽ: ꝓpterea quod nõ potest in eundem cadere rubor, & liuor, & pallor: siquidẽ unũ horũ quodq; alia duo adimit: nec similes affectiones comitãt: nã quorũ uires mediocres sunt, probusq; sanguis, ijs, cum exercentur, aut fotibus calefiunt, corpus rubicundum fit: qui uero imbecilliores, aut uitiosis repleti humoribus sunt, ijs liuidum, pallidumque redditur. sunt qui orationi præponãt hoc uerbum, tumores, atque ita scribant; tumores uenarum, rubor, liuor, pallor. quod autem in fine ait, costarũ dolores molles, quidam in hoc probabiliter commutarunt, κοιλίης, hoc est, uentris dolores. quos excitari uolunt in ijs, qui importune exercentur. & tamen interpretes omnes ita legendum censent, ut dixi, costarum dolores molles: ac molles eos intelligunt, qui sine inflãmatione, distentioneq; affligãt.

*Sine siti, os claudere, silere auram cum potu frigidam introducere.* 33

Scripsit hoc unum Hippocrates, quod ei totam febricitantium uictus rationem in memoriã posset redigere, simulque ostendere, quàm perperam Prodicus febricitantibus consuleret: non enim ea faciẽda sunt, ex quibus in sitim cadant, utpote calfacti iam sint: sed potius ea, ex quibus sine siti maneãt. sunt G autem hæc, in primis ægri corporis quies, quæ motionibus est contraria: secundo loco cetera, ex quibus mitescant potius, quàm accendantur, quæ febrilem affectionem cõsequuntur: in quibus unum est, sine siti ægrum seruare. quomodo autem sine siti seruetur, adiunxit, clausum os habere, & tacere, aurãque frigidam cum potu introducere: quod est dicere, uentum frigidum cum potu attrahere. quod si cũ potu, planum etiam est sine potu esse faciendum, per solam inspirationem. quare prouidendum est, ne aer, qui inspirandus est, calidior sit, quàm conueniat, præsertim æstiuo tempore. Capito autem & Dioscorides hoc loco ueterem lectionem audacius permutantes, hoc modo scribi contendunt, uentum in potu frigidum non introducere. sed Dioscorides, ut solet, alteram scripturam adiecit, ex quibus uentũ frigidum introducere. at Capito alteram, quæ passim in omnibus exemplaribus reperitur, & de qua est inter explanatores omnes consensio, ne secundo quidem loco dignam censuit: sed addita particula, non, pro eo quod est, frigidum introducere, scripsit, frigidum non introducere, quasi nunquam frigidũ inspirare aerem debeat is, qui febri iactatur.

*Spectanda occasiones sunt, unde morbus originem duxerit, an capitis dolor, an auris, an ue lateris fuerit. signo autem erunt dentes, & ingunum bubones.* 34

Hanc sententiam in secundo uulgarium morborum, in primo commentario explanauimus. H

*Vlcera nascentia, & tubercula febres indicant: quibus hac non eueniunt, indicatione carent. quibus aliquid intus relinquitur, eos certissima, citissimaque recidiuæ consequuntur.* 35

Hæc quoque oratio unà cum superiore in secundo uulgarium morborum exarata, apte explanata est in secundo eorum commentariorum uolumine, quæ in eum librum conscripsimus.

*Sputa rotunda delirium portendunt: ut in Pleno.* 36

Sputorum causa, quæ uelut materiam continet, est crassitudo & tenacitas humorum, qui in pulmonum fibris sunt coaceruati: quæ uero, ut efficiens est, calori loci ipsius est accepta referenda. id ego in plerisque febri uacantibus conspexi, qui longo temporis spatio nihil mali pati uidebantur. & tamen ij omnes postea tabe consumpti sunt. si uero huiusmodi sputa unà cum alijs signis delirium indicantibus, in febribus interdum appareant, ipsa quoque aliquid facient. ut futurum delirium præsagiamus. aliqui uero, non item. quare ad insaniam prædicendam, ne huic soli signo confidito. propriam uero insaniæ notam persæpe audiuistis. in commentarijs quoque prædictionum diximus, calorem eis adiunctum,

A adiunctum, quod uaporibus caput impleat, aliquid ad delirium conferre; ipsum uero per se non esse idoneum insaniæ, præsertim phreniticæ, signum. nam & in febrium uigore ideo, quod repletum caput sit, multi delirant. ceterum in hac oratione in quibusdam libris additum in fine est, ut in Pleno: in alio uero sic, ut Plen Soli. atque omnes interpretes hanc lectionem, ut Sabinus quoque, probauerunt: ac plenum esse loci nomen uoluerunt: cuius tamen ciuitatis locus is sit, non exposuerunt.

37 *Qui hæmorrhoidas habent, ij neque dolore lateris, neque pulmonis inflammatione, neque phagedæna, neque furunculis, neque terminthis, forte uero etiam, neque lepra, ac forte neque alijs.*

Deest uerbum, corripiuntur, quod subaudiendum est. cur autem non corripiantur, perspicuum est: excretis enim per hæmorrhoidas uitiosis succis, mali quidam habitus quandoque in toto corpore suboriuntur, itemque decolores, & hydropes homines fiunt, at nullus certe talis morbus eos uexat. Phagedænas uero ab eo dici ulcera depascentia, quæ ueteres medici phagedænica itidem uocant, dictum etiam nobis est in tertio commentariorum, quos in librum de humoribus edidimus: siquidem eo in libro hæc sententia est totidem fere conscripta uerbis. quidam tamen pro phagedænis multorum ciborum esus intellexerunt: quos a uitiosis humoribus, qui immoderatas ciborum appetitiones excitant,
B prouenire nos etiam fatemur. sed huius succorum maliriæ non esse remedium hæmorrhoidas, sed melancholicæ potius affirmamus. frigidus autem succorum acor, qui hunc ciborum appetitum excitat, interdum in quibusdam hæmorrhoidas habentibus repertus est. nomen uero terminthorũ nigras quasdam pustulas in cruribus potissimum erumpentes significat: ductum a similitudine figuræ, coloris, magnitudinisque, quam cum τερμίνθῳ, hoc est ciceris fructu gerit. quod autem in extrema sententia scriptum est, forte uero neque in alijs, quidam scribunt, neque ἀλφῶν, propterea quod ἀλφοὶ, hoc est uitiligines ex prauo quodam humore, qui in cute consistit, originem ducunt.

38 *Multi igitur importune sanati, mox his ipsis correpti sunt: eaque ita perniciosa fuerunt.*

Intempestiue curant hæmorrhoidas illi, qui neque uenam per circuitus secant, neque aluum subducentibus medicamentis, aut exercitationibus euacuant: ac ne unam quidem saltem illarum relinquũt, sed omnes simul adimunt.

39 *Et quicunque alij abscessus, ut fistulæ: [aliorum remedia sunt.]*

Non solum quæ in partem aliquam corporis amandantur, sed etiam, quæ excernuntur, abscessus ab
C eo sæpe nominari comperimus. in quibus igitur huiusmodi affectibus fistulæ sunt, per eas superuacanei humores expurgantur. quare ut in hæmorrhoidibus, ita & in his neque simpliciter, neque ut sors fert, est adhibenda curatio.

40 *Decubitus in quibus facta soluit, in eis eadem ante facta prohibet.*

Vetus hæc lectio est. multi autem interpretes eam in apertiorem mutarunt: & pro facta, & ante facta legunt factus, & ante factus, ut hæc ad decubitum referantur: omnesque quod ipse ait, εὐνὴν, pro abscessu intellexerunt. qua in re fortasse lapsus est primus, qui librum descripsit, librarius: cum idem sit in omnibus scripturis sensus morborũ: uult. n. Hippocrates indicare, in quibus morbis facti abscessus dissoluere eos possunt, si ante fiant, prohibere, ne morbi exoriantur. potest hæc oratio ita quoque mea sententia, intelligi, si sic scribatur. σκεπτέον ἐστι, hoc est, considerandum autem est, omnia, quæ post aliqua facta sunt, liberant: ea si ante fiant, uetare, ne illa prodeant: cum enim ueteres ε, & ι, eodem charactere scriberent, qui nunc alterum tantum elementum ε, significat: multi sunt commissi errores a librarijs, qui non ad scriptorem sententiam literas commutarunt. quam ob rem eiusmodi scripturæ sunt diligenter animaduertendæ, in quibus literam ε, in ι, mutantes, aut contra, emendare locũ
D ualeamus. idem in literis ο, & ω, faciendum est: quoniam ambæ uno charactere prius notabantur.

41 *Loca alterius loci excipientia aut præ dolore, aut præ grauitate, aut ob aliud quidpiam liberant: aut alijs societates.*

Hæc ipsa oratio est ad finem libri de humoribus conscripta: ut sunt etiam eæ, quæ supra sunt allatæ, quarum prima fuit illa, Qui hæmorroidas habent. interpretati autem eas sumus illic diligentius, nunc uero caput explicationis memorabitur: est enim huiusce orationis talis sententia: Loca morbos aliorum locorum excipiunt, prout succi, qui eorum effectores sunt, sedes commutant, aut ob dolorem aliquem eius partis, in quam illi migranres decumbunt: aut suam ipsorum grauitatem: aut aliam causam quampiam, ut acre medicamentum irritans, aut frictionem, aut calorem aliquem extrinsecus aduenientem. fiunt etiam hæ migrationes propter naturæ membrorum communionem: qua ratione testiculus in tussientibus tumefactus indicat ei cum pectore, mammis, genitura, uoceque societatem intercedere. alij uero pro eo, quod est, aut alijs societates, scribunt, diuersæ societates, uoluntque hoc esse dictionis consequentis initium: aiuntque Hippocratem ad aliud genus societatis pertransire, quod in humorum affinitate uersatur. ipse autem inquiunt, ait, propter propensionem non iam sanguis prodit, sed pro succi affinitate talia expuunr. Rufus quoque sic scripsit, uerbaque distinxit, atque hæc uerba, diuersæ societates, ueluti propositum quoddam: quæ uero consequuntur, ueluti propositi ipsius explicatio-

nem

nem esse existimauit: ait enim inter sanguinem & pus societatem intercedere, qui autem non amplius E sanguinem sputo reijciunt, cum scilicet ipse ad contraria repit, ijs sputa purulenta, quæ sanguinis sunt affinia, reiectari, itaque uerba ipsa sic scribit, Sed propter succi affinitatem pus expuunt. Sabinus uero antiqua seruata lectione, hæc uerba, propter propensionem, fecit proprium dictorum initium, ad quæ nunc transeo.

*Propter propensionem non iam sanguis prodit, sed pro succi affinitate talia expuunt.* 42

In tertio eorum commentariorum, quos in librum de humoribus conscripsi, iam hanc orationem diligenter exposui: nunc uero eandem breuius interpretabor. cum sanguis per aliquam particulam, ut per sedem, aut nares, aut uterum, aut per circuitus ex uentre, aut fistula, aut ex qualibet alia parte euacuatus in alias particulas uergat, is non iam per priorem locum euacuatur. est aũt hoc priuatum exemplum eius sanguinis, qui in pectus & pulmonem impetũ facit: nam ex hoc loco pro humorum cognatione alius ab alijs, expuitur: ut spumeus, cum pituitosus sit: pallidus, cum biliosus: ater, cum melancholicus: ut ruber, cum sanguis purus defluxerit. merito igitur fecerũt quidam, qui τ, præponentes non ῥοπὴν. i. propensionem, sed τροπὴν, hoc est uersionem scripserunt: quod propter sanguinis mutationem existimarent id expui, quod uersioni affine esset: quandoque enim ad biliosum, quandoque ad melancholicum uertitur. F

*Est interdum sanguinem in tempore detrahi his, qui huiusmodi sunt: in alijs vero, vt in his, non par est.* 43

Vtile inquit, est horum aliquibus mitti sanguinem: in quibus uidelicet is redundat, nec dum in alterius humoris naturam est insigniter conuersus: non mitti autem expedit ijs, in quibus iam mutatus est. uirium tamen habita ratione, quod consilium debet præcedere: licet id interdum in ijs sermonibus silentio transeamus, in quibus eas indicationes, quæ a solis affectionibus ducuntur, persequimur.

*Impedimentum ijs, qui cruenta expuunt tempus anni, dolor lateris, bilis.* 44

Hanc quoque orationem deinceps post ante scriptas, in extremo libro de humoribus alij aliter, atque aliter scribunt, & declarant. sed cum omnes & scripturæ, & explanationes absurdæ sint, mihi ea uisa tolerabilior lectio est, quæ uerbis ijs, quæ præposui, continetur: explanatio uero hæc: ijs, qui cruenta expuunt, impedimento est, ne uena secetur, anni tempus, quod aduersatur: aut affectus, qui latus obsidet; aut humor redundans, qui biliosus sit. atque anni quidem tempus prohibere, perspicuũ est: siquidem in calidis temporibus, qualia sunt sub cane, a secanda nos uena continemus. simili quoque modo, si homo sit mirum in modum biliosus. solum uero uidetur repugnare quod de lateris dolore subiungit: propterea quod affectus sanguinis missioni non aduersatur: sed eam postulat, nisi uires, aut anni tempus, aut ætas uetent. quocirca uidetur id quod ait, habere hanc sententiam: ijs qui cruenta expuunt, se G canda omnino uena est, quantum ad hoc pertinet: nisi propter lateris dolorem huiusmodi expuant: his enim non iam omnino uenam secabis, quasi sanguinem excreantibus: sed proprijs distinctionibus morbo lateris aptis curabis: quæ hominibus ita affectis aut mittendum, aut non mittendum sanguinẽ docent. id autem mihi tum in mentem uenit, cum librum de humoribus explanarẽ: interim enim quendam ægrotum uidi, qui cum sanguinem ex dolore lateris screaret, me quasi sputo sanguinis laboraret, accersiuit. ego uero cum sputum conspexissem, ab eo quæsiui, sensum ne ullum doloris in costa sentiret, nec ne. ille paruum quendam subesse fassus est. erat autem eo habitu, ijsque uiribus, ut si sanguinis sputo laborasset, quando res urgeret, ad uenæ sectionem aggredi ausus essem. sed cum dolor lateris mitis esset, necesse non habui. itaque hoc remedio usus non sum. plane autem apparuit, ipsum hominem morbo lateris obsideri: & alijs auxilijs hunc ad morbum accommodatis, omissa uenæ sectione, conualuit: nam cum cruenta excreantur, mitissimi esse hi morbi solent. quidam tamen explanatores, uerbum impedimentum, ad finem superioris orationis aggregant, & hanc ita legunt, In ijs qui cruenta expuunt, tempore dolore lateris, bili: uoluntque tempore dictum esse de ijs, quæ & opportune, & ut par est, fiunt: ipsumque uoluisse declarare, quando in dolore lateris in principio cruenta expuuntur (sic enim plerunque contingit) progressu temporis in biliosa postea commutari. esse enim ordinem, ut cum do- H lor lateris, ad iudicationem recte progrediatur, post cruenta, subinde biliosa expuantur. quædam præterea memoratu non digna in medium attulerunt, qui hanc sunt orationem interpretati. nũc uero mea, ut nostis, sententia est, cum multis alia in arte sint, in quibus utiliter ponere studiũ nostrum ualeamus, in obscuris orationibus tempus non esse conterendum.

# GALENI IN SEXTVM DE VVLGARIB. MORBIS.

## COMMENTARIVS QVARTVS.

1

*QVAE in aliquibus sub indicationem iuxta aures exorta non suppurarint, eo subducto fit recidiua pro recidiuarum ratione. facta autem recidiua, iterum tument, ac permanent: vt febrium in simili circuitu recidiuæ: atque in eis spes est, abscessum in articulos futurum.*

Tumores, qui præter naturam iuxta aures in ægris exoriuntur, appellare ἐπάρματα consueuit, idque tum integra, tum mutila oratione, ut in præsenti facit: integra enim fuisset, si ita esset locutus: Tumotes qui secũdum aures in ægris nascuntur: ut scilicet in primo de uulgaribus morbis in ipso statim primæ constitutionis initio scripsit his uerbis: Tumores autem plurimis secundum alterutram aurem, plurimis
B uero secundum utranque extiterunt: febre carebant: non decumbebant. scimus autem, ut hoc loco dixit ἐπάρματα, sic sæpe oedemata ab eo nominari: omnesque tumores, qui præter naturam nascuntur, ita ab eo uocari docuimus: non, ut a posterioribus, solum laxos, & dolote uacantes: quibus hoc fere inest, ut sine ulla inflammatione consistant. illud quoque meminerimus, omnes inflammationes, etiã si tumorem præter naturam nullum habeant, φλεγμονάς ab ipso nuncupari. at qui post eum extiterũt, nomen φλεγμονῆς tumoribus pręter naturam tribnunt, quibus inflammatio resistentia, dolorque cum pulsu iunguntur. cum igitur inquit, aliquo in morbo, iudicationis tẽpore, quæ propter aures sunt exorta, prius quàm suppurauerint, subducantur, hoc est retrahantur, & euanescant: ijs ita affectis expectanda recidiua est. iam autem sæpe accepistis, consuesse Hippocratem, uerbum καθίστασθαι, hoc est subduci, usurpare in ijs omnibus, quæ quoquo modo retrahuntur: quod ea fiant inaniora. quare accidit, inquit, recidiua ijs, in quibus parotides non suppurarint: aitque ipsas interdum (neque enim id semper fit) iterum tepetere, augeri, iudicarique pro recidiuarum ratione: quod est dicere, simili modo ipsarum, & per eosdem dierum circuitus. spes autem in ipsis est, fore etiam quosdam in articulis abscessus. id quod in diuturnis motbis contingere, persæpe diximus. ceterum hanc sententiam ad finem libri de humoribus conscriptam in tertio commentariorum, quos in eum librum edidimus, sumus inter-
C pretati. nunc uero cum dixerit, quæ in aliquibus iuxta aures exorta sunt, adiecceritque, eo subducto, ideo Dioscorides addita ex, prępositione legit hoc modo, Ex eo subducto: aitque subaudiendum esse tempore. uel ex eo dictum esse, pro eo quod est, post hæc. at si penitus licet, ueteres scripturas immutare, poterat ille eo, in ijs mutato, molestia se exoluere.

2

*Vrina crassa, alba, qualis Archigenis erat, in laboriosis quartanis quandoque it, abscessuq; liberat: si praterea sanguis etiam de naribus abunde, copioseque fluat.*

Si cum articulo scriptum esset hoc modo, τῷ τοῦ ἀρχιγένους, intelligeremus aut seruum, aut amicũ aut familiarem Archigenis. si uero τῆς τοῦ. aut famulam, aut uxorem, aut quouis modo domesticam. sed uarias lectiones in medium afferre nolumus, cum eadem manet sententia. quod etiam de ijs, quæ post dicentur, in memoria habendum est. illud etiam laboriosas hic dici febres, non eas omnino, quas multæ motiones præcesserunt, sed omnes, in quibus lassitudinis sensus inest. atque ipse quidem in aphorismis scriptum reliquit, Lassitudines quæ sponte sua nobis irrepunt, morborum esse nuncias. ac nunc potius putare conuenit, ei de motbis hoc modo laboriosis institutam esse orationem, qui ex copia crassorum prauorumque succorum plerunque nascuntur. quam ob rem ubi per urinas fiet ex-
D cretio, morbus ipse depellitur. firmior autem morbi solutio est, si euacuatio die critico cœperit. quicunque autem neque urinam, neque per sanguinis eruptionem sunt iudicati, eorum morbus desinere in abscessum soler.

3

*Cui intestinum in dextra parte, postquam dolore articulorum correptus est, quietior erat: illo autem sanato magis doluit.*

Est hoc etiam loco duplex lectio, quæ sententiam uariat. uetus habet literam ν in prima syllaba huius nominis ἔντερον ut intestinum significet: alia uero tecentior, sine ν scriptum illud nomen habet, ut sit ἕτερον, i. alterũ. noluntq; qui ita scribũt, alterũ de tumoribus iuxta aurẽ excitatis intelligi: quẽadmodum qui scribũt intestinũ, uel de ijs, quibus intestinũ dolet, uel de ijs, quibus distentũ intestinũ est, dictũ putant. ceterũ cũ intestinũ in singulari dicit, sunt qui colon dici arbitrentur: sunt etiam qui cæcũ, quod facile in scrotum descendit, utpote sit uinculis solutum, at quod aiunt hoc solum intestinum esse solutum, cum cetera omnia lactibus alligata sint, illisque inhæreant, uera loquuntur: ut uero scias, an propter ipsum in scrotum delapsum, is qui morbo articulorum laborabat, subleuatus sit, tum ipso curato, in idem ille reciderit, diuinatione opus est, probabilius autem est, ut hæc de eo dicta sint, qui ex intestini dolore laborabat: par enim erat, ut dolores articulorum leuarentur, una sane ratione,

quam ipse attulit, doloribus simul excitatis, non tñ eundem locum obsidentibus, uehementior alterũ obscurat. altera ratione, quod humores in articulos defluentes, ad colon intestinum conuersi sunt. quidam interpretes hunc, qui articulorum morbo conflictabatur, ex coxendice laborasse aiunt: itaq; cæco intestino delapso esse subleuatum, cum coxendix præterea nec comprimeretur, nec grauaretur: uolẽtes nimirum præter consuetudinem Græcorum eum, qui coxendicis dolore tentatur, arthriticum nominare. hactenus autem omnes hæ orationes in libro de humoribus sub finem habẽtur. iam ergo ad eas trãsibo, quæ hoc solo uolumine, uobis proposito continentur. E

*Agesios puella cum esset, crebro spiritu erat: mulier autem facta, non diu a partu leni dolore correpta est. cumque magnum pondus sustulisset, protinus quid in pectore ei crepuisse uisum est. postridie asthmate laborauit, & dextra coxendix dolore tentata est. hæc cum dolore uexaretur, asthmate quoque grauabatur. illo sedato, hoc quoque sedabatur. spumosa expuebat, inter initia, florida. ubi uero constitissent, uomitioni biliosa tenuique similia uidebantur. dolores autem præcipue eam affligebant, cum manu laboraret.* 4

Spiritum pro respiratione ab ipso dici, sæpe legimus: quare quàm crebro spiritu fuisse dicit, eam crebro respirantem fuisse existimandum est. quibus autem hoc difficultatis spirandi genus abunde sit auctum, in ijs affectus ipse uocatur † ἆσθμα, & id est ut ne nisi recta ceruice spiritus trahatur. ὀρθόπνοια: cũ F inquam sine febre constiterit: siue ubi crassi, glutinosiq; humores uias spiritus intercipiunt, siue ubi incoctum aliquod tuberculum pulmonem obsidet. cum autem hæc difficulter prius spiraret, post partum dolore correpta est. quod si nulla facta spirandi difficultatis mentione ipsam dolore correptam esse dixisset, probabile fuisset, intelligere hanc mulierem toto corpore lassitudinis sensum percepisse. uerum, quia crebro illam spiritu fuisse scripsit, iure quispiam eum dolorem in pectore constitisse percipiet. cũ uero is moderatus esset, tale quoddam aliud symptoma accidit: ut onere quodam manibus sublato, statim quendam strepitum in pectore senserit, disrupto, ut par erat, tuberculo. postero uero die cũ humor qui tuberculo continebatur, ad asperam usq; arteriam distributus esset, contigit, ut frequentia spiritus incresceret: ac nec iam esset simpliciter crebra spiratio, sed iam quod asthma nominatur. eo autem paulatim per sputum reiecto, quæ in Muliere spirandi difficultas erat, ex toto cessauit. adhuc nulla quæstio est: sed omnia conuenienter rationi facta sunt. sed cum nulla pectori cum coxendice ut ei cum partibus genitalibus communio intercedat, posset merito in controuersiam uocari, cur coxendix & pectus simul, paterentur, simulque leuarentur. fortasse igitur erat imbecilliore coxendice, ideoque dolore conflictata est, cum eodem tempore superuacanei quidam humores eo delapsi essent: neque enim in mẽbris, in quibus naturalis societas est, hunc affectus cõsensum qui natura indicet, fieri apparet, cum imbecilliora membra noxiorum humorum redundantiam suscipere prius festinent. nam spumosa pituitosum esse humorem docent: florida uero, sanguinem redundare: ut pallida bilim quæ pallida, flauaq; nominatur. simili quoque modo atra, bilim atram significant. est autem persæpe dictum, cum biliosa absolute dicit, eam bilim, quæ pallida, flauaque est, intelligi: quod suo colore plus, quàm ceteræ biles, inficiat: nam & æruginosa bilis, & subrubra, & atra, & obscura euomitur. quod autem in extrema oratione dictum est, eam in manuum actionibus magis doluisse, ad consensum affectus indicandum pertinet. iam enim alio loco audistis, cum superiores pectoris partes circa primum & secundum costarũ interuallum patiuntur, manus quoque in affectus consensum merito trahi, quod nerui in eas pertinẽtes inde progrediantur. est etiam uerisimile, ut cum graue illud onus est sublatum, aliquid in dextra pectoris parte ruptum esse: ideoq; dextram coxendicem, e regione positam, in affectum incidisse. si uero, cum Mulier onus tolleret, nerui affecti sunt, & pectus factum est noxæ manus particeps, probabile est, ipsum ea parte potissimum affectum esse unde nerui in manus pertinentes exoriuntur. G

† .i. cũ æger sine sono, & anhelatione spirare non põt.

*Hanc abstineri ab allio, suilla, ouilla; bubulaque carne. in ijs uero, quæ ad respirationem pertinent, a clamore, & excandescentia.* 5

H

Variæ huius loci lectiones extiterunt, quod nonnulli in tertio casu scripserunt huic, itaque legerũt, huic abstineri a suilla, allio, ouilla, bubulaque carne: nonnulli uero sine eo casu, a uerbo abstineri exorsi sunt. arbitrantur autem omnes subaudienda esse hæc, nobis ipsam curantibus uisum est: aut, consuluimus, ei hæc singula esse conductura. sed non est de uaria lectione laborandum, ac permittendum, ut quod cuique cordi sit, dummodo eadem sententia maneat, perscribatur. quare omissa hac uerborum diligentia, ad ea quæ traduntur hoc loco, transeamus. itaque cum mulieri nobis propositę, tum alijs ita affectis expedit, a suillæ, bubulæ, & ouillæ carnis esu abstineri: quod hę sint ualentis materiæ, & difficulter concoquantur. ab allio uero, quod acre, & corrodens sit: a clamore, quod non solum uasa rupta possit amplius dilacerare, sed etiam quæ nihil prius in respirationis instrumentis passa erant, lædere: distentionem quandam, calorem, atque inflationem in eis concitans. constat autẽ, hæc ab Hippocrate exempli gratia dicta esse, dat uero hoc consilij, ut omnia concoctu difficilia, omniaque acria, & omnia, quæ mali succi sunt, & item quæ uiolentam quandam in respirationis instrumentis distentionem efficiunt; uitentur.

*Cui in capite depascendo tumor serpebat, is primum alumen combustum apposuit. habuit alium abscessum prius: forte quia os erat abscessurum, abscessit sexagesimo die. supra aurem superne ad uerticem uulnus erat.* 6

Quæ

A Quæ ita scripta sunt, quædam forte ad recordationem ipsi scriptori conducebant: at nobis legentibus quænam inde utilitas emanet, non satis constat: explicat enim, ut cuidam, qui ulcus depascens habebat in capite, primum combustum alumen profuerit. aitque eidem alia in parte abscessum fuisse, ubi postea os separatum est: adscripsit etiam affectam capitis partem: sed & rem, quæ perraro euenit, memorauit, & nullum ipse consilium adiunxit, uerum ea solum, quæ euenerunt, exposuit.

7 *Cola habet, ut canis: maiora tamen pendent ex mesocolis: hæc uero ex neruis a spina in uentrem.*

Planum est, hæc ipsum sibi recordationis causa scripsisse, quæ ad præcepta corporum dissecādorum pertinent: homo enim habet intestinorum naturam cani similem: sed ea & maiora esse dicit, & dependere ex mesocolis: quod perinde est, ac si dixisset, ex mesenterijs: nam mesenteriorum nomen communius est, mesocolorum uero pressius. de ieiuno autem intestino, aut alijs gracilibus nullum aliud huiusmodi nomen est: nam mesoieiunum, aut quid tale nemo dixit. ceterum mesenteria sunt continua tenuium, crassorumque intestinorum, & tamen quædam propriæ distinctiones apparent, ac præcipue per uenas, quæ in eis sunt, separantur: siquidem una uena priuatim in tenuium intestinorum & priua-
B tim in crassorum intestinorum, quæ cola nominantur, mesenterium diducitur. & cum utraque uena, arteria quoque discurrit. uinculum autem, unde tam mesenterium, quàm mesocolon dependet, (con-
A.l.3.f.16.t. 2.c.1 p.613. tinuū enim est totum, ut dixi) ad unam quandam lumbi uertebram post septum transuersum sitam per
C. uenit. hæc autem est subiecta uentriculo. hoc autem uinculum est totum neruo simillimum, quauis eandem habeat cum ligamento materiam. quæcunque enim exanguia corpora ex ossibus orta neruis sunt similia, ea plerique medici neruos copulantes uocant, ut a neruis uoluntario motui seruientibus ea sic distinguant. atque hoc etiam loco neruorum appellatione propter similitudinem usus est.

8 *Aegris gratia: ut poculenta, aut esculenta pure conficiantur: puraque sint, quæ uideant: & mollia, quæ tangant: reliqua non ualde lædant, aut noxa, quæ facile corrigatur: ueluti frigida, ubi ea opus est.*

Quibus in rebus gratificari ægris medicus debeat, in quibus non debeat, si in hoc libro accurate disquiramus, nobis id, sicut de alijs omnibus facere soliti sumus, abunde suppetet: nempe cum semel aliquid perfecte tradidimus, nunquam id alibi totum repetimus, sed summatim solum percurrimus. di-
« ctum uero ab ipso in aphorismis est in hanc sententiam, cum scripsit, Paulo deterior potus & cibus, sed
C suauior: melioribus illis quidem, sed insuauioribus anteferendus est. qua in re primo aspectu uidetur aliquid ægrotantibus uoluptatis causa gratificari: quod tamen re uera non facit: nam quæ iucundiora sunt, quamuis paulo deteriore natura sint, ea assumpta melius concoquimus. est autem ægrotis utilissimum, ut quod sumpserunt, recte concoquatur. in hoc autem sermone fecit alterius generis, atque rei mentionem, in qua medicus nihil morbum exacuens gratum ægris faciat, eisque uoluptatem afferat: ut cum ei concedit, ut ante opportunum tempus lauet, bibat, fructus edat, aut frigidam potet. quādoq; enim opportunum, accommodatumq; singulis ijs rebus tempus est futurum postridie: sed ægri medicos compellunt, ut uno ante die id eis permittant. quidam uero sæpenumero id ægris statim concedūt, illorumque cupiditatibus inseruiunt, ut plus lucri faciant. sed hæc ex artis præscripto non fiunt. quod autem in aphorismis dictum est, quæque nunc memorantur, medici præstantissimi ægris utiliter concedunt. usus autem eorum, quæ nunc ab ipso deinceps scribuntur, est, ut medicus ægros sibi magis obedientes faciat. nam quos libenter uident, eis magis parent, quæ res fecit, ut mater, & pater auersum a cibis filium ad eos sumendos impulerint, cum tamen id nemo alius ei persuadere potuisset. eademq; ratione filius patri, ac matri, frater fratri, amicus amico, denique persuasit. quos autem homines non æquo animo intuentur, quamuis utilia eis proponant, tamen non audiunt. itaque ad hanc comparan-
D dam obedientiam, dixit Hippocrates, prædictiones nobis adiumento esse, & omnino, ut æger medicū admiretur. ita etiam Pergami apud nos uidemus eos, qui a Deo sanati sunt, illius dicto audientes esse, ut a potu uel quindecim dies illo imperante penitus abstinuerint, qui nulli medico id iubenti unquā paruissent. ad impellendum autem ægrum, ut imperata faciat, magnum momentum affert, si firme conceptum animo habeat, magnam utilitatem se inde esse percepturum. præter hæc autem attendenda sunt ea, quæ proposita oratione continentur: de quibus, singula separatim expendentes, prout descripta sunt, iam dicemus. ut inquit, poculenta, aut esculenta pure conficiantur: medicus multa poculenta, aut esculenta ægro sæpe offert, quæ contra, quàm ipse uellet, parata sunt. iubet ea pure debere parari quædam exemplaria pro καθαρῶς .i. pure, habent καθαρίως .i. nitide: quod est in primis in eo positum, ut uasa, quibus cibi, & potus ad ægrum feruntur, nulla sorde inquinata sint. secundo autem loco, ut nihil aliud eorum, quibus ei ministratur immundum sit: plerunque enim usu uenit, ut id, in quo ei cibus, & potus affertur, mūdum sit, id uero in quo aquā gelidā, aut calidā minister gerit, sit sordidū: ut etiā e ceteris uasculis, quæ ad aliquod sunt parata ministerium, quædam sordida interdum conspiciuntur. iam uero & medicus ipse, in primis ac maxime habere manus quàm mundissimas debet: itemq; faciē, & pilos, tum barbæ, tum capitis, atque alias deinceps corporis particulas, ut uestē quoq; nitidā: quæ quidem, inquit, æger intuetur. hæc inquam, & qui ægroti curam gerunt, & quæ in ædibus, ubi ille

ægrotat, sunt, ita se habeãt, ut ipse nihil eorũ iniquo animo uideat, ministri quoq; illi adsint semp, quo- E
rum consuetudine potissimum delectatur : ex ijs autem, qui illius curã habent, ij diutius ibi morentur,
qui ei amici summi sint : de ceteris uero, alterutrũ faciendũ est, aut nec oĩno ad ægrum accedant, aut
ne diutius anre illius oculos uersentur. atque hæc quidem adhibito studio, & diligentia medicus tum
facier, tum imperabit. quædam uero etiam sine accurato studio, sponte cognoscet. sæpe autem accidit,
ut dum medicus ægrum aspicit, & curat, seruus aliquis ingressus nunciet, adesse hominem, qui salutare
ægrum cupiat : & interdum hoc audito, æger statim lætatus sit, interdum uero uehementer sit tristatus,
quod ille, qui eum non uere amet, sed fingat, molestiam ei allaturus uideatur. ac tum quidem, cum in-
gressus sit quispiam, quem æger non libenter intuetur, debet paulo post medicus aliqua uerisimili ratio
ne affirmare, ægro conductorũ, si conquiescat: & sub hoc prętextu imperare, ut inde omnes recedant.
planum enim est, amicos qui statim cum non amicis exierunt, ingredi non ita multo post posse. hæc
sane spectacula ægri animum tum molestia, tum uoluptare perfundunt: non tamen proprie in sensu ocu
lorum, sed acie mentis. quædam autem eorum, quæ aspectabilia sunt, quæ sensum oculorum oblectant,
quemadmodum quæ in olfactum, gustatum, auditum, & tactum cadunt. nõ tamen ex omnibus par ma-
nat delectatio: siquidem alij alios & colores, & figuras, & flores, & stirpes, & germina, & pictas animan
tium imagines tum ad delectationem, tum ad tristitiam intuentur. iccirco debet medicus a domesticis F
quærere, quibus nam rebus ægri delectentur, easque in ædes, in quibus decumbunt, inferri iubere.
Et mollia inquit, quæ tangant. hæc ad solũ, nudumq; sensum tactus iucunda sunt : ut etiam flores, stir
pes, quæq; uaria sunt, ac cetera, quæ prædiximus, solũ aspectũ iucunditare titillãt. quare quæ sunt huius
gñis, prædictis adijciemus. omissa aũt sunt, tanquã perspicua. cumq; ipse duorũ sensuũ fecerit mẽtionẽ,
aspectus & tactus, tu reliquos olfactũ, gustatũ, auditumq; adiungito. atque in auditu non secus, quàm in
aspectu utere distinctione, ut quædã soli sensui iucunda sint, ut suaues uoces : quædã auditum lædant, ut
nuncij, qui tristes afferuntur : contra uero quædam uoluptatem, iucunditatemque pariunt. at id ne uul
gus quidem ignorat, nihil eorum, quæ ægri perturbare animum possunt, ei esse dicendum; ut quę sunt
illi magnam uoluptatem allatura, nuncianda sunt omnia, atque adeo quædam etiam falsa adiungi li-
cer, uerbis autem consequentibus quædam, quæ hic omissa uidebuntur, a capite arcessens adijcit, cũ
ait, reliquæ. est autem hæc præscriptio aliarum gratiarum, quæ dicendæ sunt. nam cum ante dixisset, æ-
gris gratiæ: tum addidisset, ut esculenta, & poculenta munde parentur, tum quæ ad aspectum, tum
quæ ad tactum iucunda sunt, percurrerit, pollicetur se de alijs gratijs, præter superiores esse dicturum,
de quibus deinceps audies. in quibusdam tamen exemplaribus hæc præscriptio, aliæ, ex toto expun-
cta est. quidam uero non reliquæ sed reliqua in neutro genere, quod uocant, legerunt, reliqua non ual- G
de lædant, aut noxa, quæ facile corrigatur, ueluti frigida, cum ea opus est : & quæ non ualde lædunt, in-
terdum danda sunt ijs, qui ea uehementer expetunt : ac nisi ea consequantur, odio sunt medicum pro-
secuturi, eumque auersaturi, ac nihil denique facturi eorum, quæ imperarit. quare ijs dare quædam eo
rum, quæ cupiunt, necesse est, si non magnopere læsura sint. prædicat medicus, ea noxam esse allatura,
concedere tamen, ut ægro aliqua ex parte morem gerat : in posterum uero se uicissim ab ægro petere,
ille ipsi, ut obediat : noui enim quosdam, quod uoti compotes facti essent, obedientes fuisse. hac ratio-
ne ego aquam frigidam in iis morbis sæpe dedi, in quibus illius usus futurus erat postridie : hocque
solum ægro gratificatus sum, ut ne optimum dandi tempus expectauerim. simili quoque modo de
balneo, uino, alijsque huiusmodi me fecisse perspicio. at si morbus neq; postridie, neque penitus quic-
quam tale postulet, tum non est ægro mos gerendus : propterea quod paruam quidem noxam futura
postea ægri obedientia potest corrigere: sed adeo magnam, ut uel extremum afferre periculum, uel in
longum tempus morbum producere possit, non iam in meliorem redigere statum ualemus. hæc autem
pars alio etiã modo alibi legitur, ut hoc modo, sed & ualde nocere, ut frigidam, cum opus est: ut uerbũ
βλάπτει in fine literam ι, habeat. hancque lectionem ueteres interpretes sunt secuti. aliam lectionẽ
in alijs exemplaribus inuenies, ubi sine ι, uerbum scriptum est sic, quæ non magnopere lædant : aut H
non facile corrigantur, ut frigida, cum oporret : quo loco hæc uerba, aut non facile corrigantur, si-
gnificant, quæ non cito cedere remedijs possunt, ut facta iam noxa corrigatur. sed hac de re, siquis ea
quæ ante dixi, in memoria habeat, nullam prætcrea nouam explicationem requiret.

*Ingressus, sermones, figura, uestis ægrotanti, tonsura, ungues, odores.* 9

Cum hæc omnia ad medicũ referunť, tum uero interiecta uox, ægrotanti, controuersiã quandã exci
tat. quare nõnulli eã penitus expungentes, se eam nullo modo inuenisse scriptam dissimulant. & tamẽ
antiqui interpretes hãc etiam scripturã agnoscũt. fortasse autem, si singula seorsum expẽdamus, aliquid
nobis probabile suppetet, quod ad eã intelligendã ualeat: ac pŕimũ medicorũ ad ægros ingressus, qui-
cunq; sint eis grati. sunt. n. qui molestiã sibi putãt afferri ab ijs, qui crebro eos inuisunt: sunt qui hac re
mirũ in modũ delectenť. quidã uero medici usq; adeo insaniũt, ut ad dormiẽtes ægros cũ pedũ strepitu,
ac uoce elatiore ingredianť: quã ob rem ægri interdũ experrecti illis irascunť, seq; ab illis maximopere
læsos conqueruntur, prouideat igitur medicus hæc omnia, ut neq; eo tempore accedat, quo non debet
neque temere magno cum strepitu, aut alta uoce, aut incessũ, aut aspectu, aut aliquo alio huiusmodi
in quo

A in quo decorum non seruetur. Sermones. maximam hi uim habent, cum a Medicis cum ægro aut conuenienter, aut secus sint habiti: quidam enim eorum summam stolidiiatem præseferunt; quales Zeusis a Bacchio scriptos esse commemorat: nempe Callianacta Herophileum studiosum Herophili commentariorum, & eorum, qui illam familiam adamarunt, extitisse: is enim cum ei æger quidam dixisset, moriar, hoc illi carmen fertur cecinisse:

" Pulchra prole parens ni te Latona creasset.

cumque alter idem ei dixisset, tradunt eum ita respondisse:

" Te perijt multo præstantior ipse Patroclus.

ceterum quidam huius temporis Medici, & si moderatiores Callianacte sunt, ita tamē duri erga ægros sunt, eos ut illi oderint: quemadmodum alij e contrario seruilem in modum ita illis adulantur, ut uel ob hanc causam contemnantur. ut autem non decet, Medicum odio dignum ægro uideri, ita nec contemptui: sed in eo debet cum humanitate, modestiaque ac suauibus moribus seueritas esse cōiuncta. nam nisi eum, tanquam Deum æger admiretur, scito ipsum eius dicto nunquam audientem fore. itaque præstiterit, eum neque adeo adulari, ut contemptui habeatur: neque ita rusticum ac durum esse, ut Callianacta fuisse diximus. id fiet, si in aspectu, sermone, & omni corporis habitu Medici grauitatem B seruabit, ægrumque præceptis suis parere docebit. ceterum sermonum sunt multa genera: nec grauabor, unum tibi, exempli causa, subiungere. poterit Medicus probabili exordio usus, ea postea ægro commemorare, quæ in hanc sententiam ab Hippocrate sunt literis consignata: ac primum, quod in

" aphorismis ait, Debet autem non solum Medicus ea facere, quæ oportet, sed & æger, & qui assident,

" & quæ extrinsecus adueniunt: tum quod est in primo de uulgaribus morbis: Ars inquit, ex tribus constat, morbo, ægro, & Medico: debetque æger unà cum Medico morbo aduersari: propterea quod cum tres sint, Medicus, morbus, æger: si æger solum Medicum cum morbo pugnare permittat, uel etiam ad morbum transfugiens Medico repugnet, certe fiet, ut Medicus a morbo uincatur: at si deserto morbo, socius Medico aduersus morbum fit, tum duobus uiris contra unum morbum pugnantibus magna futuræ uictoriæ spes ostentatur: ut contra, in nulla spe ponendum est, si æger pro morbo contra Medicum stet: siquidem ipse solus duobus succumbet. hoc tibi exemplum satis erit, qui a simili alia pleraque huius generis poteris excogitare, de quibus Medici cum ægrotis loquantur. nec solum sermonum, qui a Medico cum ægris habendi sunt, talis sit sententia, sed & uocis magnitudo, & sonus, & omnis denique actio sermonum sententiæ pro portione respondeant. quod si cum homine erudito uerba faciat, det operam, ne, quando id quoque Medicis contemptum parit, barbaC rismos, solœcismosque cōmittat. Figura. totius corporis figura & dum ingreditur, & dum sedet Medicus, eiusmodi sit, ut neque propter humilitatem despiciendus, neque propter fastum atque arrogantiam inflatus uideatur: quidam enim & extenti, & ampli ingrediuntur, & sedent: quidam fracti, quidam incurui, & abiecti. itaque exuperantia omnis fugienda est: conandumque est, ut mediocritas retineatur. at si interdum, quod tamen raro accidit, humilitatis studiosus tibi æger uideatur, tum a mediocritate parumper ad humilitatem deflectere præstabit: si uero ille contra affectus sit, tu quoque paululum a mediocritate, & naturali statu tuo in alterutram partem declina. Vestis hæc quoque sit eadem ratione mediocris: neque sumptuosa, ut arrogantiam præseferat: neque sordida, & plane abiecta: nisi æger fortasse immoderatius aut pretiosa, aut sordida ueste delectetur: eo enim casu a mediocritate in eam partem, quæ ægro cordi est, deflectes, quatenus fore ægrotanti accommodatum suspicabere. hoc autem uerbum ægrotanti, quod interiectum est, dubitationem afferre dixi. quod si in principio totius orationis, aut in fine esset, constaret indicari, hæc omnia esse in Medico oportere, ut ægrotanti grata sint, ingressum, sermones, figuram totius corporis, uestem, pilorum tonsuram, unguium modum, odores: alius enim, ut ante diximus, est ad alium ægrotantem introeundi modus, eadem etiam sermonum est ratio: quidam enim Medicos fabellas narranD tes iucunde audiunt: quidam fastidio afficiuntur: quidam grauibus sermonibus, quidam facetis delectantur. ac de forma corporis, deque ueste ut ad ægri uoluptatem comparanda sit, nuper dicebamus. Tonsura pilorum. erit autem suapte natura optima tonsura, si sanitatis capitis habeas rationem: non enim idem omnibus conuenit. & ægris non omnibus eadem tondendi forma iucunda est. quocirca debes id quoque considerare, habita eius, quem curas, ratione: quemadmodum Antonino Commodi patre imperante omnes familiares erant capite ad cutem detonso: Lucius uero eos mimos appellabat. quam ob rem ceteri postea comam aluerunt. Vngues. quantos autem Medicis esse ungues deceat, ipse in libro de officio chirurgico docuit: addiditque ipsorum modum aspicientibus iucunditatem afferre. de unguium autem scabie, aut de alio eorum huiusmodi affectu. ut etiam de areis, quæ uitia pilorum capitis sunt, ne uerba quidem sunt facienda. siquidem hæc, ut iam præter naturam, Medicum pati, ut etiam uehementem articulorum dolorem, aut quid tale, turpissimum est. Odor. oris autem, ac totius corporis, odor in quibusdam est natura teter: ut quibusdam est uitio uacans: in alijs uero propter negligentiam: quod Medici nihil se peccare putent, si aut allium, aut cæpas redolentes ad ægros uisendos accedant. hoc autem Quincto, patriæ meæ ciui, cum medicinam Romæ faceret, contigit. hominem fortunatum, ac potentem a prandio, uinum uehementer redolens inuisit. cumque ille magna febri cum capitis dolore iactaretur, ideo-

que odorem a uino manantem ferre non posset, a Quincto petijt, ut paulo longius absсederet, quod E
uehementi illo uini odore offenderetur: quæ sane æger modeste dixisse uisus est: at, stolidius Quin-
ctus subiunxit, fer inquit uini nidorem, quando ego quoque tuæ febris fœtorem perfero. sed non
est par ratio, febrim, aut uinum redolere. alterum in nostra Asia medicum noui, cuius axillæ tam
tetrum odorem exhalabant, ut nullus paulo politior ægrotus eius accessum perferret. hunc ergo in
se affectum curare prius debuerat, tum ad alios curandos accedere. quamuis enim id illi esset, perin
de atque hircis, natura tributũ, tamen fieri poterat moderatius: tum uero etiam quotidianis aspersio
nibus uim mali odoris obtundentibus mitescere. alius autem, cum os ei male oleret, purgatione, ac
medicamentorum ad hoc facientium potu huic rei succurrebat: & quotidie parũ quid aut amomi,
aut folij malabathri, aut aliorum huius generis odorarorum, ore assumebat, atque ita domo egre-
diebatur.

*Aqua decocta, tum ut aerem suscipiat: tum ne uas plenum sit, habeatque operculum.* 10

In quibus affectibus, aut cuius utilitatis causa decoquere aquam, aut omnem, aut eam solum, quæ
praua sit, expediat, non est hac oratione comprehensum. quam ob rem nulla inde ad nos utilitas ma-
nat: etenim Hippocrates, ut alia pleraque in his libris quærendi potius, quàm in apertum proferendi
causa adnotauit, ita hanc quoque orationem uidetur conscripsisse, nobis imperfectam illam quidem, F
sed sibi tamen ad memoriæ usum nõ imperfectam. quod si proposita quæstione inuestigemus, quænam
aquæ prius decoquendæ sint, tum refrigeratæ potui dandæ, siquidem eas bibere frigidas, uelimus: &
contra, quas calidas in potu sumere in animo habeamus, non eodẽ modo decoquamus, sed huic oper-
culum adhibeamus, quod uasi, in quo calfacta aqua est, conueniat: illi uero nullum operculum impona
mus, sed aquam calentem in nudo, detectoque uase sub dio teneamus: deinceps uero quæramus, qui
affectus calidas, frigidasve aquas postulent; nos quidem aliquid utile inueniemus, ad eius tamen in-
uentionem hæc oratio proposita nulli nobis erit adiumento: cum ne initium quidem clarum habeat.
quocirca non defuerunt, in quibus est Artemidorus, cognomento Capito, qui eam cum superiore
coniungãt: plerique tamen ab ea separent, eamque seorsum considerent. si igitur cum superiore con-
nectatur, erit hæc fere ipsius sententia: ægris gratificandum est, ut esculenta, & poculenta nitida pa-
rentur: & cetera, quæ deinceps Hippocrates recensuit: ad finem uero addendum, & aqua frigida in-
terdum eis danda est, cum uel nullam penitus noxam, aut plane perexiguam ex eius potione futuram
speramus. deinde uero ad memoriam, ut aiunt, quomodo præparanda aqua sit; conscripserit: cum for
te nollet, fontanam aquam, prius quàm excalfacta esset, potui dari: forte uero aliqua inuenta distinctio
ne, quibus calefacta, refrigerataque aqua, & quibus omissa calefactione sit danda: ac forte, ut aqua ui G
tio uacans, non decocta, praua autem, non nisi decocta propinetur. fortasse autem duplicem aquæ ui-
tio carentis refrigerationem describit: quarum altera ex ambiente aere existit. equidem Alexandriæ,
in cunctaque Aegypto uidi, qui aquam in testaceis quibusdam uasculis hoc modo refrigerarent: occi-
dente sole aquam prius calefactam in uasa fundebant. tum id uas totum sublime in speculis uento ex-
positis suspendebant, ut per totam noctem refrigeraretur. deinde ante Solis ortum uas humi depo-
nebant, & aquam frigidam perspergebant, ac circum totum uas folia frigida apponebant tum uitis,
tum lactucæ, tum aliorum generis eiusdem: ut frigus, quod ab aere nocturno aqua nacta erat, quamplu
rimum perduraret. multo etiam maiore studio ad hunc apparatũ homines deuenere, quod aquam ab
omni labe puram non haberent. dico autem ab omni labe puram eam, quæ neque limi, neque mali
odoris particeps est, & gustantibus nullam penitus qualitatem præ se fert: quædam enim sunt, quæ ab
surdas qualitates aut salis, aut uitri, aut sulfuris, aut bituminis, & aluminis, aut aliarum huiusmodi re
rum permistas habent: quas omnes non secus, quàm multa legumina, itemque olera, fructus, &
partes animantium prius elixamus, atque ita efficimus, ut uesci eis possimus, melius est ut prius de-
coquamus & ad meliorem naturam perducemus, tum propinemus. ad alium quoque usum aquã prius
calfactam refrigeramus, etiam si neque gustum, neque odorem prauum habeat, sitque plane pura: cum H
scilicet, periculum fecerimus, eam in uentriculo diutius commorari, aut eum ferire, aut inflare, aut præ
grauare: sunt enim huiusmodi permultæ, quas maxime ab optimis aquis discreuisse Hippocrates ui-
detur, cum ait: aqua, quæ cito calefit, ac cito frigefit, leuissima est: nam neq; in cœnosis, neque in graueo
lentibus, neque in ijs, quæ gustatui aliquam medicamenti facultatem afferunt, utilis hæc dignotio
est: cum hæ uel omnibus plane notæ sint: sed in quibus nihil quidem tale est, uerum alia quædam
prauitas ob corrupti aeris admistionem, aut aliud quoddam uitium ipsi aquæ innatum, ab ignota
causa proueniens, aquis inest: siquidem in eiusmodi prædictum signum ad optime dijudicandum
ualet: nam quæ tales sunt, neque cito frigefiunt, neque cito calefiunt. alia quoque huic similis
dignotio ex oleribus, aut leguminibus, aut carnibus, aut fructibus, aut denique radicibus, quæ
aquis incoquuntur, sumi potest; nam in optimis, celerrime: in prauis tardissime res elixantur. ac
nonnulli ex ueteribus aquas ita prauas, indomitas, ac crudas æque, ac legumina, quæ difficulter eli-
xantur, appellauerunt. ob has igitur utilitates interdum aquam prius calefactã refrigeramus. quin
etiam cum aquam calidam sumus potui daturi, cum cœnosa, limosave, aut foetens sit, ita paramus: cũ.n.
prius excalfacta, refrigerata sit, tũ euidenter fœdũ odorẽ, quẽ ex putredine fere cõtraxerat, deponit: &
quicquid terreũ erat, facile subsidet: qđ cũ tota aqua prius, quàm calfacta esset, per minutas particulas
mistum

A mistum, & unà cum illa epotum non mediocrem noxam attulisset: præcipue autem ijs, quorum renes, aut uesica gignundis calculis est obnoxia. ac mihi quidem non solum aquam calentem, sed alia etiam quædam sub dio tenere, ut huiusmodi secretio fiat, excogitasse medici uidentur: quæcunque enim ex diuersæ naturæ substantijs sunt concreta, mixtaque per exiguas particulas sunt, hæc postquam incalue rint, refrigerata, facile secernuntur: statim uero post elixationem, antequam refrigerentur, adhuc agitantur, atque ideo omnes particulæ permistæ sunt. at ubi sint refrigerata, quod graue terreumque est, subsidet, quod leue est, supernatat. si igitur hæc de aqua decoquenda oratio cum superioribus, in quibus egit de ijs, in quibus est ægrotis gratificandum, coniungatur: & ipsius utilitas erit perspicua, & nos fortasse quod dicitur, quale sit accurate inuenerimus. si uero hanc ab illis seiungamus, ipsamque per se expendamus, erit tota dubitationum plena. quare ipsam prius ut superioribus annexam expo nemus, dicemusque ab eo nobis tradi, quomodo aqua innoxia paretur, quam frigidam potui datu ri simus: id quod nos quoque sæpe facimus, cum alicui ægroto frigidam aquam daturi sumus, nec fontana sine uitio nobis suppetit. Romæ autem cum alia plurima sunt eximia, tum fontium pulchritudo & frequentia est, quorum nullum neque fœtidam, neque medicatam, neque turbidam, neque coctu difficilem aquam effundit: sicut neque apud uos Pergami, in alijs uero multis urbibus non

B paucæ aquæ prauæ comperiuntur. atque ex Tiburtinis montibus per lapideos aquæ ductus in urbem comportantur, alijs quidem uitijs carent, crudiusculæ tamen sunt: ut nec tam celeriter calfiant, ut urbani fontes, nec tam cito refrigerentur: nec tam cito, ut in fontanis, quæcunque inijcias, siue legumina, siue olera, siue carnes, decoquantur. his præterea aliæ alijs in locis multo magis crudæ sunt: atque ab indigenis duræ, grauesque nominantur: propterea quod uentriculum feriant, multique post earum potum grauari se sentiant. nam & alias fere multas causas aliquid efficientes ab effectu nominare homines solent: sic contra, optimam aquam cum laudant, leuem illam, & mollem appellant. ceterum hæc, quæ dicta sunt omnia, cognitu utilia sunt illa quidem, sed tamen hæc nobis proposita oratio eorum nihil declarat, neque sine demonstratione, neque cum demonstratione, neque paucis, & obscurius, neque pluribus, & distinctius explicata. quare præstat huiusmodi orationes, mea quidem sententia, uel integras præterire. sin uero sit Hippocrati propositum docere quomodo aqua ad potandum frigida paretur, horum uerborum erit huiusmodi sententia: si ad hunc usum aquam decoquamus, aut uasculis, in quibus decoquitur, nihil super imponemus, sed aquam quæ decoquitur, in aere circunfluo libere uersari sinemus: aut contra, aerem excludemus operculo uasi imposito. hæc etiam eadem uel dum decoquitur, nel postquam decocta est, dum refrigera-

C tur, facienda esse possumus intelligere: sed probabilius est, ut de refrigeratione, minus probabile, ut de decoctione dicta sint: propterea quod docere non possumus, quem usum afferat inter decoquendum aer, si aquas attingat, aut si operculo sit exclusus. at ubi decoctæ refrigerandæ sunt, cum puteus adest, in quem uasculum demittamus, tum operculum uasi imponendum est: atque omni ex parte diligenter occludendum. cum uero hæc facultas nobis nō suppetit, tum uas apertum sinendum est, ut frigidum aerem excipiat. quotquot autem explanatores hæc uerba superioribus non attexunt, de prauis aquis loqui Hippocratem uolunt: præcipue autem de ijs, quæ propter aliquam terream substantiam eis commistam sint deprauatæ. modum autem decoquendi ab eo esse præscriptum usque, dum puræ ac perspicuæ externo aere assumpto reddantur: quod optimæ aquæ non per se, sed propter admistum aera splendidæ uideantur: seque in sermonem de rerum natura conijciūt cuius nullam afferre rationem possunt: etenim pura aqua splendida uidetur, non quod ulla splendida lux extrinsecus in ipsam cadat, sed quod a lumine occurrente alteretur: ut aer quoque non est suapte natura splendidus, alioqui nocturno etiam tempore omnino talis esset: sed quod supernis eius finibus Solis lux occurrat, ideo cum sit ipse sibi continuus, totus alteratur, atque immutatur. in aqua autē, aut aere inania quædā esse spatia Epicuro, Asclepiadeque, cum de elementis loquuntur, pla

D cet: Aristotelis uero, Stoicorumque sententiæ aduersatur. quod nullo in loco in hac mundi sede inane reperiri, sed omnia corporum plena esse, sibi persuaserint: neque enim in pumice spatia illa, quæ inter corpora terrea sunt, omnino eis uacua uidentur: siquidem eis contineri aerem asseuerant: in aqua autē nullam esse eiusmodi meatuum structuram, qualis in pumice cōspicitur, sed ipsam esse sibi undiq; continuam. melius igitur est, ut quod ait, ut aerem suscipiat, de non occluso uase dictum putemus: nam antedictam explanationē non admittit quod sequitur hoc modo, tum ne plenum sit, habeatq; operculum. siquidē opponitur ei, quod dictum est, aqua decocta, tum ut aerem suscipiat: secundæ. n. parti orationis in qua censet, uas habere operculum oportere, opponitur ea, qua dicitur, nullū penitus operculū imponi: id quod innuit Hippo. cum scripsit, tū ut aerē suscipiat: propterea quod uas, quod operculū habeat, aerē nō accipiet: quod uero non habeat, facile nimirū capiet: id quod in aquis, quæ ad aerē frigidum refrigerantur, ut Alexandriæ fieri solet, usu uenire affirmamus. ubi aūt decoctam aquam fontibus scaturientibus subijciunt tum uas aliqua ex parte inane esse præstat: ut aer, qui inter operculū & aquā uase contentam intercedit, prius refrigeratus, suo contactu uicinam aquam refrigeret: ut enim aqua citius, quàm terrena corpora omnia calefit, ac frigefit, quod e tenuioribus constet partibus, eadem ratione aer celerius, quàm aqua. ac mirarer, cum hoc quotidie cōtingat, si quis usu doctus non sit: nam

inter uinaria uasa, si quod reclusum fuerit, facit, ut uinum facile acescat: ut uicissim, quod occlusum E est, id minus patitur: ac multo etiam minus, quæ plena sunt: quæ enim quadam ex parte sunt inania, quia aerem in se continent, ideo per illum ab externo aere citius alterantur. at plena ita, ut uinum oper culum contingat, per illud debilem, obscuramque alterationem eousque accipiunt, quousque dēsitas operculi pertingit. proinde comperies, quæ pice, aut gypso sunt oblita, diutius uina conseruare: minus uero, quæ solo corio obstructa sunt: sicut quæ cuneis obstruuntur. quocirca obstructa prius aut cuneis, aut corio dolia gypso postea, piceque oblinunt. hac igitur ratione cum reddere frigidiorem aquam uelimus, si niuis nobis suppetat copia, aquam prius excalfacimus, tum niuem extrinsecus aquæ circumponimus: at si nix non adsit, in puteum, aut fontem scaturientem demittimus, itaq; refrigeramus: prius tamen calfacimus, ut facilius immutetur, quod unaquæque res prius calefacta ab ijs, quæ ei occurrunt, tota præ calore promptius alteretur. ob causam uero iam dictam, operam damus, ut aer frigidus eam attingat. quare si hæc dicta ab Hippocrate sunt, ut aqua decocta fiat frigida, nos probabilem explanationem excogitauimus: sin autem, ut praua corrigatur, sumpto iterum initio a decoctione quæ totam aquam æquabiliter fundens, eam aptam ad partium secretionem facit, perpendenda res est: cū enim motus ex calfactione in ipsa adhuc permanet, necesse est, ut quædam crassarum partium corpora in ea fluitantia in sublime ferantur: illo uero penitus sedato, quæ terrea sunt, innato pondere deorsum F ad fundum uasis feruntur: aqua supernatat: qua sensim in aliud uas transfusa: citra ullum damnum uti poterimus. Ceterum nescio, cur Zeusis initium secundæ particulæ ita explicarit: uult inquit, Hippocrates, aquam non innatare uentriculo: acuit enim secundam syllabam huius nominis ἐμπλέον non primam, ut alij, uultque non uas plenum intelligi, ut illi putant: sed uentriculo innatans, quod est dicere superfluitans. sed quia amans in re amata cæcutit, ideo nostri amor nos, qui aliena perspicacissime intuemur, in nostris solis rebus cæcos plerunque facit.

*Quia ex sanguinis proruptionibus in aquam inter cutem prolabuntur.*

11 Hæc oratio eandem uim habet, quam hæc, qui sanguine fluente dissoluuntur: quorum utrunque refrigerato corpore contingit.

*Si qualia purgari oportet, purgentur, ac leuiter ferunt.*

12 Quidam hanc particulam sine coniunctione scribunt, ut in aphorismis habetur; plerique uero, &, addunt: uoluntque uerbum confert, subaudiri, quod in aphorismis expressum est, cum ait, Si qualia pur- G gari oportet, purgentur, confert, & leuiter ferunt. quo in loco additam coniunctionem indicare aiūt, præterquam quod eis confert, etiam euacuationem ex purgatione factam eos leuiter ferre: siue nobis medicamentum dantibus, siue natura corpus expurgante noxij humores euacuentur: solet enim purgationes uocare non modo eas, quæ medicamentis fiunt, sed eas etiam, quas natura molitur. Thucydides autem eas euacuationes, quæ in morbis impetu naturæ per symptoma ratione morbi eueniunt, purgationes, expurgationesque appellauit his uerbis: Et bilis expurgationes omnes, quæcunq; sunt a medicis nominatæ, euenerunt: quæ ab eo in secundo historiarum in pestilentiæ narratione dicta sunt.

*In anno leguminū continuo comedentibus maribus, ac fœminis crurum imbecillitates fiebant, ac permanebant: erant autem uescentibus genua doloribus conflictabantur.*

13

Deest explanatio.

*Plane uigilans calidior exterius, frigidior interius est: dormiens, contra.*

14 Quod in principio orationis positum est plane, idem ualet, quod euidenter, & perspicue. sequentia H uerba, quæ uigilanti iuncta sunt, plana sunt: in quo putat Hippocrates extimas partes calidiores, intimas frigidiores esse, contraque in dormiente contingere: id enim uel ex eo apparet, quod pluribus stragulis indigent, quodque capite operto esse uolunt, si uero circunfluus, ut hyberno tempore accidit, frigidus sit: cum tamen interdiu nihil tale requirant. quinetiam maior inspiratio maiorem calorem in intimis corporis partibus collectam esse declarat. iam uero cum concoctiones dormientibus potius, quàm uigilantibus fiant, nec solum in uentriculo eorum ciborum, qui ingesti sint, sed humorum quoque, qui iecore, uenisque continentur, signo sunt corporis penetralia fieri dormientibus calidiora: siquidem constat, estque antea demonstratum, calorem natiuum esse omnium, quæ in corpore fiant, concoctionum auctorem. atque ita etiam in aphorismis ipse de ætatibus, anni temporibus, uitæque institutis conscripsit: Ventres inquit, hieme & uere calidissimi suapte natura sunt: somnique longissimi: quare hisce temporibus plura alimenta offerenda sunt: propterea quod calor natiuus copiosus est: itaque copiosiore alimento ei opus est: indicio sunt ætates, & athletæ. quibus sane uerbis de ætatibus breuiter scripsit: in alio uero aphorismo prolixius, ideoque clarius id ipsum pertractauit, cum ait, Quæ crescunt plurimum innati caloris habent: plurimum igitur alimentum

A alimentum postulant: ſin minus, corpus conſumitur. ſenibus uero exiguus ineſt calor: quâ ob rem pau cis fomentis egent. in æstatibus autem cum nec intro, nec foras ingenitus calor migret, ſed progreſſu temporis contabeſcat, ſenilis ætas fit omnium frigidiſſima. at cum calor per hiemem internas partes petat, tum uentriculus, uiſceraque calidiora: quæ uero ad cutem ſunt, frigidiora redduntur: quo ſane modo profundas terræ partes hieme calidas eſſe apparet: quam etiam ob rem fontes calidiores ſunt. & quidam in profundum uſque fodientes, cum procul a terræ ſuperficie receſſerunt, calorem perſpicue ſentiunt.

15 *Calidæ naturæ refrigeratio, aquæ potio, quies.*

Quid hoc loco præcipiat, clarum eſt: quicunque enim ſunt, quàm par eſt, calidiores, in ijs ſumma uictus eſt ad refrigerationem dirigenda. quare cibaria frigidioris temperaturæ eis præbenda ſunt, potui autem dandum aut dilutum, aut ipſa denique aqua: non multæ exercitationes eis imperãdæ: quando motiones ad res neceſſarias obeundas eis ſatis eſſe poterunt. iam eiuſmodi homines ab ira, mœroribuſq; ſibi eſſe temperandum intelligant: balneiſque potabilium aquarum quotidie, nec ſolũ ſemel, ſed ſæpe etiam ſi uelint, utantur. facultas quoque alimentorum, quibus ueſcuntur, cum eſſe frigidior, B tum maxime æſtate debet. ceterum ante omnia in his orationibus inueniſſe oportet, conſueſſe Hippocratem, calidas naturas appellare eas, in quibus calor non natiuus ille quidem, ſed acer, & mordax, quem aduentitium, & non naturalem eſſe exiſtimat, redundarit.

16 *Somnus in frigore ueſtibus opertæ.*

Quamplurimi eorum, qui hunc ſunt librum interpretati, hæc uerba ſeparatim explanarunt: mihi uero magis probatur, ut ſuperioribus copulẽtur, ut ex omnibus una fiat oratio, ad hunc modum, Calidæ naturæ refrigeratio, aquæ potio, quies, ſomnus in frigore ueſtibus opertæ: ut ſcribatur ἐν ψύχει per ν nõ ἐμψύχει, quod perinde eſt, ac ſi dicas ἐν τῷ ψύχει cum articulo, hoc eſt in frigore. qui. n. calida præter modum tẽperatura ſunt, præſtat eos in loco frigido dormire, & aerẽ frigidũ inſpirando attrahere, præſertim cũ in ſomnis calor in corporis penetralia recedat. ſed ſi ut in ſomno cũ calor exteriorem corporis ſuperficiẽ deſerit, intimæ partes calidiores fiunt, ita etiã extimæ partes propter aerẽ ambientẽ refrigerant, intimæ uero calefiũt: certe homo nõ poterit per inſpirationẽ perfecte refrigerari. quare melius eſt, ut ſtragulis calfacientibus calor ad cutẽ reuellatur: frigidus uero aer inſpiretur, ut utraque ratione calidum corpus ad temperaturæ mediocritatem perducatur. quam ob rem ſatius, ut dixi, fuerit, hanc parti C culam cum ſuperiore coniungere. at plerique interpretes eam ab illa ſeiungentes, putant non modo calidis naturis, ſed etiam cunctis hominibus generatim utile eſſe, in aere frigidiore dormire, quo is, qui intimis in partibus collectus calor eſt, refrigeretur: ueſtibus autem operiri, ne uniuerſus calor immoderate interius recedat, eo, qui refrigeratis ab externo aere extimis partibus repellitur, ad illum addito, qui per ſomnum erat intro reuocatus. quæ res in multis naturis uera eſt, in omnibus uero, non item: nam ut qui calidiore, quàm par ſit, temperatura ſunt, refrigerari: ita qui frigidiore, calfieri debent. Fuere autem qui non modo propoſitam particulam a ſuperiore diſiungerent, ſed hanc ipſam ſeparatim legentes diuiderent, ſic, ſomnus refrigerat: ſcribunt autem primam uerbi ἐμψύχει ſyllabam per μ: ut ἐμψύχει unicum uerbum ſit perinde ac καταψύχει, & non duæ orationis partes præpoſitio, & nomen. ſed hi ſequentem orationem cum fine huius neceſſario iungunt, itaque legunt: Strato ſomnus firmus, ſtanti dormitatio: uoluntque illud ἐπιβεβλημένῳ, quod diximus, ueſtibus operto, poſitũ eſſe pro ſtrato, & iacenti. uerum præterquam quod uiolenta tralatio eſt, ut pro iacenti ἐπιβεβλημένῳ dicatur, hoc etiam uile atque inutile eſt; cum uelint a nobis intelligi, in ſomniculoſa corporis affectione iacentibus ſomnum profundum, firmumque; ſtantibus uero dormitationem conciliari.

17 D *Somnus firmus, ſtanti dormitatio.*

Quæ plerique interpretes ad hæc uerba explicanda attulerunt, præſtat ſilentio pertranſire. quæ uero propius ad uериſimilitudinem dixerunt, ſunt huiuſmodi: a uigilia refrigerari corpus aiunt, eiuſque rei indicium eſſe pallorem, qui eos comitatur, qui uigilias egerunt. cum igitur inquiunt, calidam naturam refrigerare in animo habemus, ad alia, quæ ſupra Hippocrates propoſuit, hoc etiam addendum eſt, ut prius in cogitationibus, negotijſque uerſati uigilent: uel ſi id minus facere queant, prohibendi ſunt, ne iacentes ſomnum capiant: coguntur. n. duorum alterutrum facere, aut ſedere, aut ſtare: ac ſomnum eorum qui ſedent, aiunt ἐδραῖον quaſi ſedentarium dicas, a ſede appellatum: parem autem eſſe horum ſomnum dormitationi ſtantium. quocirca dictum eſſe ab Hippocrate, ſomnus ἐδραῖος ſtanti dormitatio: ac ſi tota oratio eſſet hoc modo pronunciata: Calidæ naturæ a plurimo ſomno arcendæ ſunt: melius enim eſt, ut uigilent, & aliquid faciant: præcipue autem prohibendæ ſunt, ne ſedeant: ſin minus, id concedendum erit, quod eſt ſtantium dormitationi perſimile, ſed ne decumbant, cauere conuenit. quidam ſomnum ἐδραῖον pro arcto & profundo dictum putant: ut quicunque ita affecti ſunt, ſtãtes iam dormituriant. ſed cum non addiderint, quem uſum hæc afferant, quæ ſcripſerunt imperfecta eorum oratio eſt. ipſe autem hoc nobis conſilij dat, ut quos firmiter, hoc eſt arcte dormire uolumus, eos eatenus uigiles ſeruemus, quatenus ſtare iam, niſi conniuentes, non poſſint: nam

si eo perducti erunt, arctus postea somnus eos complectetur: ego enim multis, qui se celerius E
quieti dederant, cum uigilare diutius coegissem, suauem somnum conciliaui: ut quosdam etiam, qui se ciborum appetitionem amisisse querebantur, cum ad multum diei in media continuissem, esurientes effici: enimuero cum somno, cibisque se dedant, prius, quàm natura eorum indigens sit, in eiusmodi caduut incommoda. non est intempestiue cogenda natura: sed ei est in tempore ministrandum. atque hæc quidem sunt, quæ in huius orationis explanationem dicta esse probabiliter puto. qui uero somnũ refrigerare semper existimant, eos ego quiddam, quod in arte præcipuum est, ignorare arbitror: somnus enim semper humectat, ut uigilia exiccat: idque ipse nos docuit: at ut semper calfaciat, aut refrigeret, non est ei natura comparatum: sed cum in ijs, qui febrim non habent, aut pituitosos, aut crudos, aut quouis modo frigidos in corpore humores inuenit, eosque confectos, & concoctos reddet, atque ex eis probum sanguinem creabit, tum aucto natiuo calore hominem calefaciet. cum uero in illis febris iam ex huiusmodi humorum putredine accensa sit, tum extincto quidem calore, quem febris concitauit, sed aucto natiuo, refrigerabit, at ubi uel cum febri, uel sine febri biliosi humores redundẽt, siquidem eos potest secernere, ac subinde excernere, corpus ad salubris temperamenti mediocritatem perducit. quod si hæc efficere non possit, idem temperamentum seruat. siquis uero ex uisceris inflammatione febricitans in principio accessionis dormiat, hic somnus importunus aucta inflammatione fe- F
brim simul adaugebit; & inde corpus calidius calore præter naturam reddetur. uno tamẽ modo interdum contingit, ut corpus calidius, frigidiusque simul a somno efficiatur: quia cum in corpore duplex caloris genus sit, quorum alterum proprium est, & innatum: alterum alienum & præter naturam, si alterum ipsorum somnus auxerit & corroborarit, alterum detraxerit, & debilitarit, quomodo quispiam nõ merito dicet, uno, eodemque tempore corpus ex somno calidius iuxta, atque frigidius simul reddi? sed hæc ab initio plerique eorum, qui libros Hippocratis sunt interpretati, non intellexerunt. id autem, quod dico, ita esse, ex Lyci uerbis percipies, quibus Hippocratem coarguit, quod in aphorismis scripserit, qui crescunt, plurimũ habent innati caloris. at Lycum ausum esse uitio id dare Hippocrati propter ignorationem eorum, quæ ab illo recte sunt de caloris differentia literis mandata, uno integro libro est a nobis demonstratum, cuius hæc est inscriptio: Nihil in eo aphorismo erratum esse, cuius initium est, Qui crescunt, plurimum habent innati caloris: plurimum igitur alimenti postulant.

*Victus imbecilli, frigidi: ualentes uero, calidi.* 18

Appellauit imbecillos uictus aut eos qui in infirmis uitæ institutis, cibisque, ac potionibus uersãt: aut eos, qui animantes imbecillos reddunt. frigidi autem siue propter ipsorũ temperamentum, siue pro G
pter affectionem, quam in nobis pariunt, appellentur, nihil interest: ceterum infirma uitæ instituta dicentur, quæ exiguis corporis motionibus transfiguntur, ut ualida, quæ uehementibus. edulia uero imbecilla sunt, quæ neque ualido ullo odore sunt prædita, neque in gustatu uehementem ullam qualitatẽ acoris, dulcedinis, salsedinis, amaritiei, acerbitatis, aut acrimoniæ referunt: sed mediocri dulcedine, aut mediocri adstrictione gustatum afficiunt, atque etiam parum calfaciunt: ualentia uero sunt horum contraria. quare si corpori imbecilla omnia & instituta, & edulia adhibeantur, uehementer refrigerabitur, ut si ualentia, insigniter calefiet. sin uero quædam infirmæ, quædam ualentis materiæ administres, tum ad mistionis proportionem aut propius ad alterum extremorum accedet, aut longius abibit.

*Aquarum artis expertium, quæ ab æthere excreta est, aut cum tonitru, tempestiua: nimbosa uero, mala.* 19

Quibus in arte medica, non in ægris modo corporibus, sed etiã sanis utimur, ea merito materiæ nominantur: atque a medicis nonnullis confecti libri sunt, quorum index est, de materia. fit igitur interdum, ut corporibus ipsis sponte natis ad curationem, ac salubrem uictus rationem utamur: interdum uero, ut in materia præparanda nos aliquid faciamus: ut quædam decoquamus, quædam aduramus, H
quædam lauemus, aut prius condiamus, aut prius humectemus, aut refrigeremus, aut aliquid aliud huiusmodi efficiamus. ita in aquis apparandis usu uenit, ut interdum aliquid ex arte depromamus, ut ipse paulo ante dixit, aqua decocta, tum ut aerem suscipiat: etenim ipsa decoctio, tum refrigeratio, siue ea sit ab aere nos ambiente comparata, siue a uento quodam, aut in domo, quæ frigidum in se aera contineat (sunt enim domus quædam quæ frigidis, & quandoque etiam humidis speluncis sunt similes) siue a niue circumposita, siue quod sub fonte scaturiente sit posita, siue in puteo: quod fieri duobus modis potest: siquidem modo uas ipsum, quo calefacta aqua continetur, in aquam demittimus: modo uero super aquam appendimus: quemadmodum etiam Alexandriæ, & in Aegypto aquam turbidam per testas quasdam raras, quæ non absolute fictiles sunt, sed arte confectæ ut raræ sint, percolant, ut si eiusmodi uasculum non adsit, usu linteoli idem præstant. hæc inquam omnia artificiosum apparatum habent: sicut etiam cetera omnia, quæ in fontanarum aquarum ductibus efficimus: quos non ex quouis lapide, ædificamus, & quandoque interius oblinimus. nec paruũ discrimen est, qua re illinas, pice ne, an gypso: an uero sine his, laterem solum coctum adhibeas, aut lapidem, in quo mala quædam, aut bona qualitas, aut nulla omnino manifesta inesse uideatur. puteos quoque persæpe in diuersa terra perfodimus, & aquam ab aliquo fonte per tubos, aut fistulas, quæ reddere eam meliorem, deterioremue pos-

A. l. 1. f. 3. d. 5. c. 7. p. 131. C

A sint, aut nullo modo immutent, deducimus: quæ omnia in aqua paranda arte fiunt. at cum ex eo loco, in quo uitam ducimus, aquam haurimus, aut e lacu, aut præter labente flumine, aut pluuiam, quam uocant, colligimus, tum nihil plane artis adhibemus: quocirca Hippocrates dixit, aquarum artis expertium, ut eas opponi ostenderet ijs, in quibus est artificiosa præparatio: quas facta cum artis expertibus comparatione, artificiosas appellamus. ut autem paulo ante non de omnibus aquis, quæ arte parantur, locutus est, sicut, si librum in uulgus edendum conscripsisset, sed unius tantum præparandi generis fecit mentionem, utpote sibi ipse commentarium memoriæ causa componens; ita nunc quoque non de omnibus aquis artis expertibus, hoc est quæ suapte natura tales manant, sed de una sola specie, quam, ut dixi, pluuiam uocamus, disseruit. eius duas differentias statuit: quarum alteram perspicue uituperat, eaque nimbosa est, quam malam esse ait: de altera uero, quam deinceps annumerat, non satis constat, utrum solum uacantem reprehensione an alterius cuiusdam esse participem uelit: illam sane incommodam censuit: eam enim, quæ ab aere expressa est, aut cum tonitru demissa, ὡραῖον, hoc est tempestiuã esse dicit. fieri aũt potest, ut ὡραῖον appellet eam, quæ opportuno tempore prouenit, ut hac ratione eam laudet: potest etiam sic solum uocare eam, quæ media æstate per imbres descendit: propterea quod Græci potissimum hoc anni tempus ὥραν nominant: quod quidem nomen etiam autumno, hiemi, &

B ueri attribuunt: per excellentiam uero anni partem illam, in qua fructus, qui ὡραῖοι dicuntur, ad maturitatem perueniunt, interdum ὥραν uocant. tes igitur ex uerbis Hippocratis plane intelligi non potest, nisi nos ipsi aliquid ex ijs, quæ oculis perlustrauimus, aut ex rerum naturali cognitione adiungamus: tũ uero causam afferamus, cur procellosam reprehendat, ætheriam uero, aut cum tonitru emissam non damnet. ignoratur item, utrum iubeat, ita eam parari, ut potui detur, an uero, ut sit ad medicinæ usus accommodata: quando ad oculorum medicamenta huiusmodi aqua opus sit, & ex eadem medicamẽtum, quod aqueum uocatur, conficiamus. ceterum ὡραῖον hoc est tempestiuam, satius erit intelligere nõ uernam magno impetu effusam, ut quidam fecerunt: quando nemo per excellentiam uer anni ὥρας, sed absolute ὥρας hoc est tempus, ut etiam alias partes nũcupauit. præterea pluuia, quæ uerno tempore effusa est, nullam habere eximiam uirtutem uidetur: sed ait multo præstantiorem existimandam esse eam, quam ὡραῖαν uocant, quod eo tempore, quod anni ὥραν uocant, plueritːidem.n. attestari etiam uidetur, quod ait, quæ ab æthere excreta est: nam ueteres cælum nos ambiens, quando ex omni parte purum est, ætherem: cum uero caliginosum, aut nubilosum est, aerem uocare soliti sunt. qua etiam ratione locum, qui supra nubes est, æthera nominant; quod aperte poeta declarauit his uerbis:

« Tum scandit abietem, summis quæ in rupibus Idæ

« C Hærebat feriens proceris æthera ramis.

contra uero uidetur significare, cum ait,

« Candida dispersit præ se densum aera Iuno.

itemque, cum scribit:

« Aeraras puppes obscurus cinxerat aer,

« Et Phœbe tetra nimborum in nocte latebat.

itaque cum æstate aqua a calore illius temporis attenuata in halitus oculorum obtutũ effugiẽtes dissoluta sit, atq; ita clam nobis in aerem supra terram sit elata, tum propter aliquam mutationem in frigidũ aut uentis contra se uicissim reflantibus, condensatoque aere halitus ante attenuati rursus cogantur, & in sensilem aquam uertantur, tum illum imbrem esse tempestiuum dicemus, attenuata nimirũ aqua, & ab aeris calore prius elaborata: atque ideo meliorem esse hanc, quam nimbosæ, quæ neque confecta, neque ulla mutatione elaboratæ sunt: quales aquæ in nonnullis fontibus comperiuntur, quas ueteres indomitas nominarunt. nunc autem, cur eas, quæ cum tonitru effusæ sunt potius, quàm nimbosas approbet, deinceps consideremus. mea autem sententia est id ab eo fieri, quia scit tonitrua excitari aut ob ignem interceptum, qui dum erumpit, circunfusam nubem quasi dirumpit, quo etiam tem-

D pore fulmina decidunt: aut allisis inter se nubibus, quæ ambo in nimbosa desiderantur: quod in eiusmodi constitutione aer condensatus est, totusque ab una continua, atque nube comprehenditur. unde nec immerito in hoc aeris terram ambientis statu nulla tonitrua edũtur: in diuulsis enim nubibus, propriaque circumscriptione delatis, cum inter se concurrunt, fieri attritionem consentaneum est. at cum tota continua, perpetuaque nubes est, fieri attritio non potest: quapropter hoc statu nulla fulmina emittuntur: quod neque aer calidus intra nubes intercipiatur, neque ulla ualida fiat attritio: cum enim nubes inter se concurrentes, igneum id quod in eis inclusum est, intra se ipsas cõpellentes, & cõpingentes ex toto densauerint, tum fulmen quandoq; in sublime, quandoq; in obliquum, quandoque in terram extruditur. quam solam fulminis delationem intuemur, ceteræ nos latent. breuiter igitur, ad proposita uerba explicanda, est a me dictum, quomodo tonitrua generentur, & cur aquam cum tonitru expressam meliorem, quàm nimbosam esse dixerit. summe autem pura & attenuata est tempestiua, quæ elaborata est: inter quam & nimbosam media est quæ cum tonitru sit effusa: ut quo inferior est, quàm tempestiua: eo sit, quàm nimbosa præstantior. iam igitur ijs, qui omnia criminantur, erit in promptu dicere, Medico non conuenire, hasce de rerum naturalium causis disputationes attingere. Sed si ego nulla ratione allata, absolute pronunciassem tempestiuam aquam esse nimbosa meliorem; & mediam inter utranque censeri eam, quæ cum tonitru emissa sit, statim me aliqua probatione confirmare quæ

re quæ dixissem,imperauissent: quod neque par sit meis uerbis, tanquam legibus, fidem adhibere: neque necesse sit,ut tyrannicis præceptis,eis parere: quare si uitare non possumus, quin in sermones imperitorum,improborumque hominum incidamus,& melius est,ut ab illis de rebus melioribus damnemur,profecto recte factum est a nobis,qui naturalem tonitrui causam explicauimus: quod enim expers probationis est,id nemo credit. quod uero aiunt rerum naturalium causas non esse Medico attingendas,non recte dictum uidetur: nam qui ita sentiunt,uelle uidentur,suis mandatis æque, ac si ipsi tyranni essent,obtemperari. præstaret autem non ita more tyrannico nobis aliquid iubere,sed nos docere,eam orationem,quæ probatione uacat,magis fide dignam esse, quàm quæ cum probatione coniuncta pronuncietur: aut in causa reddenda aliquid falsi esse a nobis allatum.at isti neutrum horũ faciunt, sed utroque modo nos uituperant: propterea quod si nullam probationem afferamus tum,quia nostra dicta nulla sint ratione munita,uos nugari aiunt: si rationem subiungamus,negant Medici partes esse, ut naturalis philosophi,ea quæ ueritatis sunt,pertractare. E

*Aqua uorax,uigilia uorax.* 20

Ab ijs, quæ tum aqua, tum uigilia efficere apta est,eis nomen imposuit,uoracem utranque uocans, quod uoraces nos efficiant. hodie quoque Græci omnes in nostra Asia consueto uocabulo cunctos homines,qui comedere plurimum possunt, uoraces uocant. Scitis autem ex aquæ potu cibi appetentias augeri,qua ratione & gelidam aquam bibentibus, uel edulio frigido,uel astringenti uescentibus:ostẽsum enim est,quæcunque sanguinem in uentriculi tunicis contentum in arctum cogunt,appetẽtias augere,& facere: quæ uero calfaciunt,ac sanguinem fundunt,ea imminuere appetentias, atque sedare. hac igitur ratione aqua fit uorax: uigilia uero, quod corpus digerat: huius enim uim alibi, ut somni quoque didicistis: siquidem somnus concoquit,quod in ipso calor interna petat: uigilia uero digerit, quia natiuus calor, dum ad externa mouetur, non modicas corporeæ substantiæ particulas secum rapit. quæ causa fecit,ut aqua & uigilia uoraces dictæ sint. tu uero caue decipiaris,ne ue putes idem esse, multa ingerere,& multa concoquere, atque conficere: uinum enim non modo ad concoctionem in uentriculo obeundam, est aqua præstantius, sed etiam ad ea, quæ concocta sunt, distribuenda, in sanguinemque conuertenda: itemque ad nutriendum,urinam irritandam, & ad corpora diflanda; idque in sanis hominibus. est autem perspicuum de eis hoc loco Hippocratem uerba fecisse: cum nemo nesciat,plurimis ægris uinum nocere. uerum & uigilia cum duplici modo adhiberi queat,duplicem quoque ex cibis consequi finem potest: nam si quid noctu agatur,ut in celebritatibus, quæ pernoctationes appellantur,totam noctem insomnem traducunt, corpus quidem inanitur,nullam tamen insignem noxam uires contrahunt: at si strati aliquam noctis partem dormiamus, reliquum ipsius uigiles transeamus, tum uires dissoluentur: ut neque melius appetamus, neque concoquamus, neque naturales actiones concoctionem consequentes sine culpa obeamus: cum plane languidiores, quàm qui bene dormierint, euaserimus. F G

*Per calidam naturam,calido tempore,in frigore cubile crassam facit: in calido extenuat.* 21

Hoc nomen, percalidam, quod in principio orationis est, a recto casu percalida deriuatum esse, planum est.quod uero ait, calido tempore, perinde accipi potest,ac si ex præpositione & casu iunctum esset, ut in calido tempore diceretur; ut sane omnes ferme interpretes intellexerunt:quorum nonnulli hanc dictionem duas in partes diuiserunt,quasi utraque explanationem suam requirat: nonnulli uero totam,ut unam explanarunt. Dioscorides autem,ut in obscuris facere dictionibus consueuit, hanc in clariorem mutauit: separatim uerò scripsit, per calidam naturam calido tempore: eique addidit,extenuat: uoluitque a nobis intelligi,percalidam naturam,hoc est multum calidam in calido tempore,hoc est æstiuo extenuari: ut pote quæ digeratur ab ea,quæ iam ab omnibus recentioribus Medicis consueto uocabulo appellatur difflatio,quæ ratione percipitur; quam alij quidam alio nomine perspiratione quæ sensum latet,nominant: quæ sane in nobis omnibus per omne uitæ tempus efficitur: sed pro ætatibus,anni temporibus,institutis,&,ut uno uerbo dicam,pro omni uitę,quam ducimus,ratione differt. uerum in his omnibus differentijs illud commune est,ut temporibus,regionibus,ætatibusque ac naturis,necnon uiuendi rationibus calidioribus non exigua de corpore nostræ substantiæ portio foras effluat: frigidioribus uero,cute condensata, plurimum detineatur,& exiguum inaniatur.hæc igitur ratio ne uerum est, percalidam naturam calido tempore extenuari: geminata nimirum effluxione,ut ad proprium calorem, quem insitum habent, alius quoque ex calido tempore foris adueniẽs accedat.at ego neque in ullo alio exemplari hanc lectionem reperi, neque quisquam interpres ita legit: solus uero Dioscorides in fronte libri se in duobus solis exemplaribus hæc uerba ita reperisse conscripsit: per calidam naturam,calido tempore in frigore cubile crassam facit: in calido extenuat: & tamen nos non in duobus, sed in omnibus,quotquot uidimus,exemplaribus ita uerba hæc scripta inuenimus, cum de industria omnia,quæ publicis in bibliothecis asseruantur,& quæ apud amicos nostros sunt inuenta,diligenter inspexerimus. Sed iam omnibus ijs,quæ male sunt ab interpretibus mandata literis, silentio præteritis, ad uerborum explanationem accedamus. ac mihi quidem uidetur, priorem huius sententiæ partem perfici hoc modo oportere: percalidam naturam tempore calido cubile in frigore crassam reddit: H

A reddit: ut calido tempore perinde intelligatur, ac si dixisset, in calido tempore: in frigore uero idem sit, ac si dixisset, in aere frigido: ut hoc sit ex duabus orationis partibus iunctum, ex in, præpositione, & frigore, quod nomen est: ac talis erit tota sententia: utile est naturæ, quæ multum calida est, per tempus calidum in frigido cubili dormire: ita enim crassa reddetur. Hippocrati autem causa fuit, cur id a nobis in naturis multum calidis fieri oportere præceperit: cum enim calida natura propter copiam effluxionis sit extenuationi exposita, si tempore calido ei addito euacuatio conduplicetur, tertia deinde alia inanitio in calida regione accedat, homoque stratis calidis incubet, certe continget, ut corpus triplici euacuatione exhaustum digeratur, atque extenuetur. uerum si binis inanitionibus a natura temporeque prouenientibus, quas uitare non liceat, tertia saltem aduersetur, quæ non digerere, sed cohibere effluxiones possit, non iam ad extremam euacuationem homo redigetur. immo uero potius crassescet, quàm extenuabitur: cum enim frigidum cubile non solum significet lectos frigidos, sed etiam stragula, quæ ex densioribus linteis, attritisque uestibus, & quæ sunt huiusmodi, constant; aliud quoque accedit, quod eam intemperiem quæ a tempore, quæque a naturali temperatura prouenit, maxime corrigat. ut corpus ex frigida inspiratione refrigeretur. id quod ante est etiam a nobis dictum. nunc uero de stratis adiecta mentio est, ut corpus undique perfrigeretur, & difflationis exupo-
B rantia ad salubrem mediocritatem redigatur. atque ita quidem priorem propositæ nobis orationis partem sic explicare posse quispiam potissimum uidetur. reliqua uero, cum ait, in calido extenuat: clara esset, si post nomen calido, scriptum esset, aere. ut tota oratio ita esset proposita, naturam percalidam in tempore calido cubile in aere frigido accedens crassam facit: in calido uero aere cubile positum extenuat: atque ita quidem per rectos casus maxime esset aperte explicata sententia. nunc uero si alio casu uti uolumus, dictio erit huiusmodi: naturæ ualde calidæ in calido tempore, & cubili in aere frigido accidit, ut crassa reddatur: locato uero eodem cubili in aere calido, extenuari eidem continget.

22 *Studium bonæ ualetudinis est, non satietas cibi, & impigritas ad labores.*

Caput salubris uictus esse censet, ne quis ad saturitatem usque se impleat, ne ve piger ad exercitationes obeundas sit.

23 *Siti, quæ superficie tenus ex uigilia oritur, somnus remedio est: ei uero, quæ ex somno, uigilia nonnullis.*

Sitim superficie tenus esse intelligendum est eam, quæ ualde exigua sit: quæ neque a toto corpore, neque a magna quadam partium uentriculi affectione ortum duxit: sed, ut ait Erasistratus, arescenti-
C bus, incalescentibusve locis ijs, per quæ humor ab ore in uentriculum comportatur. huius sitis remedium est somnus, humectatis internis partibus, quippe cum sanguis per somnum intimas partes petat. contra uero in ijs, qui experrecti sunt, sitique ea leui tenentur, si uigilent, facile sedatur: oritur enim huiusmodi sitis, incalascentibus interdum, ijs partibus, quarum fecisse mentionem Erasistratum dixi, incalescunt autem interim, dum alimenta in uentriculo concoquuntur: cum enim concoctio a natiuo calore perinde, atque elixatio, fiat, ut in illa calidus uapor quidam excitatur, ita etiam in uentriculo quandoque contingit, præcipue autem in ijs, qui uinum meracius ebiberunt. sed si ipsis uigilantibus uentriculus uacuus nullos præterea uapores subministret, & calor in partibus incalescentibus euanuerit, siti liberantur. quidam tamen a somno propter esculentorum, poculentorumque calorem excalfacto uentriculo sitim contrahunt: quæ sine externo auxilio non sedatur. quocirca nonnullos, qui frigidam bibere consueuerant, hoc tempore ante lotionem, ac cibi sumptionem gelidæ aquæ potus adiuuit. quam ob rem in secunda sitis differentia addidit, nonnullis: propterea quod non omnibus, ut ostensum est, a somno cum siti excitatis, eadem accidit affectio. ceterum hanc lectionem ueteres explanatores agnoscunt, & ita in exemplaribus accurate scriptis inuenitur.

24 D *Quibus calor plurimus inest, hi maxima uoce sunt præditi: etenim aer frigidus plurimus est. cum autem duo magna sunt, ea quoque, quæ inde gignuntur, magna sunt.*

Paulo ante dixi, ueterem huius orationis lectionem non ita, sed hoc modo reperiri, in quibus plurimus calor: sicque legunt illi interpretes, qui a fine superioris uerbum, nonnullis, adimũt. nos uero iam de propositæ sententiæ ueritate loquamur: quibus plurimus calor inest, in corde uidelicet, (hoc enim quasi sedem ac focum innati caloris esse docuimus) ijs aerem, qui inspiratur, plurimum esse necesse est: nam & hoc in libro de usu respirationis est demonstratum. si uero plus caloris huiusmodi naturis inest, aerque inspiratur, ac rursum expiratur, ac proinde magnam fieri uocem sine ulla conditione pronunciemus, decipiemur: in commentarijs enim, qui de uoce sunt, nullo modo fieri uocem magnam posse probauimus, nisi multus aer celeriter expiretur: quod fit, ubi aspera arteria, gutturque sunt ampliora. quod si totum quoque pectus magnum sit, non modo magnam mittere uocem homines poterunt, sed etiam diutissime uociferari, ut præcones faciunt, cum pedem, quem uocant, canunt. sed quoniam in quibus plurimum innati caloris est, cor statim inter initia, dum in utero conformatur, amplificatur, & augetur: & ad eius proportionem pectus quoque amplum plerunque fit. cuius amplitudinẽ pulmonis magnitudo necessario consequitur, cui etiam asperæ arteriæ magnitudo fere respondet; & huic, gutturis: idcirco merito accidit, ut percalida natura homines ut plurimum magna uoce præditi

sint.

ſint: etenim ſi ſemper, & omnino ad magnitudinis cordis proportionem pectus auctum eſſet, E neque ulla unquam praua ei obtingeret conformatio, certe homines percalidæ naturæ non plerúque, ſed ſemper magna uoce præditos eſſe dixiſſem. Sed non, ut pulmonum magnitudo pectori ſemper reſpondere inuenitur, ita ipſorum amplitudini tria uaſorum genera, quæ in eis ſunt, reſpondent: hanc.n. proportionem non exquiſite ſeruari, in animantium diſſectionibus apparet: quippe cum in huiuſmodi particulis aliam parum quid excedere, aliam uero deficere comperies: id quod in corde ad pectoris comparationem eximium eſt: atque hoc maxime in cauſa eſt, ut in hominibus æque calidis inſignis quandoque in uocis magnitudine differentia conſpiciatur. Hippocrates autem uocis magnitudinem in ſolam aeris copiam refert: ſed hæc neque ſola cauſa eſt, neque ijs, quæ magnam uocem efficiunt, eſt dignitate præſtantior: eſt enim hæc magnæ uocis materia, ut in commentarijs, quos hac de re conſcripſimus, probatum eſt nobis.

*Qui calido uentriculo ſunt, ij frigidam carnem habent, graciléſque ſunt. ijdem uenoſi, iracundioreſque ſunt.* 25

Duplicem in corporibus animantiũ calorem eſſe ab Hippocrate cognitum, alterum, quem ipſe inſitum nominat, cuius eſſentia in ſanguine, ſanguineiſque uiſceribus ſita eſt: alterum uero acrem, mordacem, & igneum, quo genere febris continetur, eſt iam in multis ipſius libris declaratũ. atque ego quoque in meo commentariolo quodam hac de re diligenter egi, cuius inſcriptio eſt, Nihil in eo aphoriſmo erratum eſſe, cuius initium eſt, qui creſcunt, plurimum habent innati caloris. F in eo autem Hippocratem defendo, & Lyci aduerſus aphoriſmum obiectiones diluo, oſtendoque illum ex optimorum decretorum ignoratione Hippocrati inſultauiſſe. huius autem caloris differentiam neque Lycus, neque alius quiſquam aut Eraſiſtrateus, aut Herophilius, aut empiricus cognouit. quæ res fecit, ut multa Hippocratis dicta, perperam expoſuerint. at Hippocraticos uiros non decebat quidem Hippocratis decreta amplexari, deinde uero eadem perinde explicare, ac ſi unus genere calor in animãtibus eſſet: ſed cum Hippocratem, aut alium quempiam, qui nonnullos calido uentriculo homines diceret, audirent; qua in ſignificatione nomen illud prolatum eſſet, conſiderare eos, præſtitiſſet: utrum inquam, is qui nomen illud pronunciauit, aut ſcripſit, naturalem calorem in uentriculo copioſum eſſe diceret, an alium intelligeret: quem ſæpe aduentitium, interdum non naturalem, interdum uero præter naturam uocamus: quo ſane calore qui calidiores ſunt, ij mordacem halitum, & calidum habent, ideoque cum primum denſata cutis ſit in febrim cadunt: ut, qui altero calore magis abundant, etſi ſuppreſſa diſflatio eſt, in plenitudinem illi quidem, ſed non iam in febrim incurrunt: propterea * eſt hoc quoque perſpicuum, ciborum concoctiones in uentriculo a calore innato redundante optimas effici, ut ipſe in aphoriſmis declarauit his uerbis: G Ventres inquit, hieme & uere calidiſſimi ſuapte natura ſunt, ſomnique longiſſimi: quare hiſce temporibus plura alimenta offerenda ſunt: propterea quod calor natiuus copioſus eſt: itaque copioſiore alimento ei opus eſt. indicio ſunt ætates, & athletæ. ut igitur huiuſmodi uentriculorum indicium eſt ciborum citra omnem culpam concoctio; ita frigidiorum in acidum conuerſio; calidiorum uero in qualitatem nidoroſam commutatio. itaque qui cibos recte concoquunt, in ijs optimus ſanguis ineſt, & moderata caro gignitur: uel etiam, quàm deceat, interdum copioſior, ſi in magno otio degant, frequentique lauatione utantur: ſed minus bona caro eſt, & ad habitum corporis non accommodata: immo uero ubi magna eius congeſta ſit copia, totũ corpus in morbos impellit. at qui ob uentriculi intemperiem male concoquunt, ciboſque in fumidam, nidoroſamq; qualitatem corrumpunt, prauus ijs in uenis ſanguis colligitur, prauaque in toto corpore nutricatio efficitur. de his autem propoſita oratio intelligenda eſt: nam in iecore & corde multum eſt ab initio natiui caloris: in carnes uero e ſanguine influit. itaque in huiuſmodi corporum naturis, quales modo nobis Hippocrates deſcripſit, carnes frigidas eſſe neceſſe eſt, ut pote quibus ſanguis non copioſus, ſed paucus; & is quidem prauus ſubminiſtretur: utrunque enim ijs accidit, quibus uentriculus igneo calore intemperatus eſt, ut cibi corrupti deſcendant, & ob eam cauſam exiguum inde alimentum corpus attrahat: idque ipſum, quia non eſt probe concoctum, ut prauum ſit: H quippe cum non coctis, corruptiſque in uentriculo cibis optimus in iecinore, ueniſque creari ſanguis nullo modo poſſit. Si uero paucus ille quidem, ſed non prauus ſanguis in uenis eſſet, carnes ipſum attraherent: qui cum minus eas aleret, tum uenas ita inaniret, ut & contraherentur, & uix apparerent. at præterquam quod paucus eſt, etiam eſt prauus, tum quamuis indigentes ſint, illum tamen non trahunt, non ſecus quàm nos ipſi, qui cibos nidore, aut alia improba qualitate quadam infectos quamuis magna nos alimenti cupiditas teneat, non ingerimus: etenim ipſa appetentia, deguſtato huiuſmodi cibo, reſtinguitur. ex quo fit, ut carnes parum ſanguinis ex uenis attrahant, quod uidelicet ad ſui alimoniam ſit maxime neceſſarium: & propterea breui tempore plus deprauati ſanguinis in uenis coaceruatur. quapropter in uenæ ſectionibus nunquam uidebis in huiuſmodi hominibus rubrum ſanguinem profluere: ſed alio colore, prout eum appellare quis uelit, infectum. Sed ilico etiam male olet: & ſi homo iampridem euacuatus non ſit, ater etiam ſanguis ſecta uena profundetur, habebitque aliam aliàs in craſſitudine, ac tenuitate conſiſtentiam: ut modo ſeroſus, & tenuior, modo craſſior, ut etiam interdum adeo craſſus ac niger, ut liquidam imitari picem uideatur. hæc autem, quæ nunc per capita recenſuimus, cum in quibuſdã alijs commentarijs noſtris, tum uel maxime in medẽdi methodo perfecte tractauimus: in præſenti uero ab interpretibus omiſſa, breuiter ſunt a nobis repetita: ſolent enim illi in rebus inutilibus eſſe copioſi: in

ijs uero,

A ijs uero, quæ utiliſſimæ ſunt, deficere. quare cum hæc oratio ſit perutilis, ipſam repetens, per capita iterum exponam, eamque explicationi propoſitorum nobis uerborum accommodabo. Eſt igitur exiſtimandum, calidos uentriculo ab ipſo dici, non ut pueros, & athletas natiuo calore abundare affirmauit; neque ut hieme uentres calore naturali maxime calidos eſſe aſſeruit: ſed ut qui mordacem prauũq; calorem, eumque non exiguum in uentriculo intemperato habeant. eos autem carnem frigidam habere merito dixit, cum propter copioſæ, probæque alimoniæ inopiam, ali non poſſint: quæ in corporibus temperatis e ſanguine, qui ſuum naturalem ſtatum ſeruet, eis ſubminiſtratur; penuriam enim ſanguinis ſequitur, ut carnes frigidæ reddantur: quippe quæ calorem aduentitium ex ſanguine, non autẽ ut iecur, & cor peculiarem, innatumque poſſideant. carnibus autem deficientibus, graciles neceſſario fiunt: ex quarum incremento & detractione tenue, & craſſum totum corpus efficitur. hos præterea uenoſos eſſe ait, quod eſt dicere, eis conſpicuas uenas eſſe, hoc eſt eminentes: quippe quæ ſanguinis plenę ſint, & nudæ ob carnium, quibus conteguntur, inopiam ſub aſpectum ueniant. quin etiam iracundiores ipſos dixit, non abſolute iracundos, neque tertio gradu, iracundiſſimos, quod ſane eis contingeret, ſi calor in corde permultus eſſet: uerum quem in uentriculo habent, eius ori moleſtiam afferẽs, iracundiores eos facit: nam & hoc eſt a nobis alibi oſtenſum, hanc particulam in ſui affectus conſen- B ſum animum quoque pertrahere: quo enim tempore frigidior ſit facta, tardiores ad intelligendũ, atq; agendum homines reddit: promptiores uero, atque iracundos cum ſit calidior, non naturali quidem calore, ſed qui aduentitius, & præter naturam ſit, de quo tota hæc habita eſt a nobis oratio. quam ob rem, qui ſe Hippocraticos nominãt, & præcipua artis Hippocraticæ decreta, quibus ea etiam quæ per experientiam euidentia ſunt, aſtipulantur, plane ignorant, iure accuſandi ſunt, propterea quod aliter, ac nos fecimus, hæc expoſuerunt: arbitrantur enim in uentriculis calidioribus natiuum calorem in profundum refugere, & extimas partes deſerere: ac proinde hominum carnes frigidas reddi. at huiuſmodi caloris motiones pro ratione temporum, regionumque fiunt: itemque pro aeris ſtatu, præterea uero pro uigilijs, ac ſomnis, atque etiam animi perturbationibus, ut mœroribus, timoribus, & corporis, atque animi uoluptatibus uariantur: quando neque naturalis corporis fabricatio, neque ætas talem natiui caloris mutationem efficiat: ſed ut in libris de tuenda ſanitate docuimus, ſunt prauæ corporis conſtitutiones, quarum nonnullæ cum totius animantis intemperie, nonnullæ cum partium quarundam inæquali ſtatu coniunctæ ſunt: qualis eſt ea, quæ propoſitis uerbis continetur, quæ ad eos pertinet, qui uitioſam, & non optimam uentriculi conſtitutionem habent: cuiuſmodi eſt in ijs, in quibus calor natiuus eſt plurimus: & idcirco maximam uim habent ad bonam C carnem gignendam, habitumque corporis craſſiorem reddendum: ſiquidem neque detrahunt, neq; perinde atque intemperatæ, extenuant.

26 *In terræ ſqualoribus auium genus bene ualet.*

Aues, utpote quæ ſicciore, quàm nos, temperamento ſunt, in ſqualoribus melius ualent. Scimus & eas aridioribus alimentis, & pauco potu uti: non autem perinde ut ſues, qui aqua continenter prolui, & non exiguo potu continenter impleri cupiunt.

27 *Vbi aſperior mitti uox incipit, uter teſtis extra appareat, uidendum: nam ſi dexter, marem: ſi ſiniſter, fœminam gignet.*

Cum ætas puerilis in adoleſcentiam tranſit, ut eis ſemen, & pili in genitalibus exoriri locis incipiunt, ſic & teſtes repente augentur: non ſecus quàm etiam puellis uirginibus mammæ ſimul cum menſtruis purgationibus excreſcunt: tunc uocis fit mutatio potiſſimum in maribus: cum enim prius acuta eorum uox eſſet, cum puberes perfecte euaſerint, grauis efficitur: interiecto autem tempore uocem ueluti raucam mittunt. quid uero cauſæ ſit, cur hæc omnia in ea ætate appareant, non eſt huius inſtitu- D ti perquirere. Sed hæc omnia euenire ipſa quoque experientia demonſtrat: ſicut etiam illud, ſi dexter teſticulus prius intumuerit, hos adoleſcentes cum ad perfectam, uirilemque ætatem peruenerint, filios mares potius, quàm fœminas eſſe procreaturos: contra uero, ſi ſiniſter. idem etiam de utero cenſet: quare in aphoriſmis ita ſcriptum reliquit. Fœtus mares in dextris, fœminæ in ſiniſtris ſunt potius.
" quapropter quæ a nobis in aphoriſmorum explanatione dicta ſunt, ea in hunc ſunt transferenda locum; cum una communis & in maribus, & in fœminis cauſa ſit, cur ſiniſtræ partes ad fœminas; dextræ uero ad mares concipiẽdos ſint accommodatæ. qua etiam de re in libris de uſu partiũ diſſeruimus.

28 *Vt oculi ualebunt, ſic & corpus: & color in peius, aut melius uertitur.*

Planum eſt, intelligi oportere, ut oculi ualidi ſint: quod etiam quidam adſcripſerunt. Sententia igitur horum uerborum, ſi quis, omittens ea, quæ plurimi perperam dixerunt, optime uelit exponere, ut ego quidem puto, hæc potiſſimum fuerit. arbitror equidem Hippocratem docere, quomodo quiſpiam ex oculis totius corporis affectionem cognoſcere poſſit: cum illi nobis certiſſimam notitiam præcipue afferant. quare in ijs, quos anima deficit, aut in quibus uires alioqui collabuntur, nemo manus aut crus, aut reliquas faciei partes, præter oculos, inſpiciens, quicquam certi habere poterit, quod uires imbecillas eſſe, aut ualidas ei declaret, ſicut ſi oculos intueatur; propterea quod in illis tam ro-

bur,quàm imbecillitas aperte conſpicitur cum nonnulli acute cernant palpebris patentibus,nonnulli uero ne eas quidem ex toto queant aperire.quinetiam ipſorum color, & moles aliquid de uiribus indicant:nam ſi imbecillæ ſint, oculi concaui, ſqualidi, decoloreſque apparent: ſi firmæ, bono ſunt colore,& in molem attolluntur,& humore ſplendente ſunt referti. hæc autem fieri euidenter perſpicimus,etiam ſi cauſa,cur fiant, nobis ſit ignota: ſed ijs,qui norunt, qualis nam ſit natura oculorum,perſpicua cauſa eſt: quod nos cum alibi,tum in libris de aſpectu docuimus: animalem ſcilicet ſpiritum luminoſum e cerebro ad oculos plurimum comportari: qui cum aut imbecillus, aut paucus fuerit, tum ea ſymptomata,quæ diximus,in oculis cõtingunt: & color inquit in peius, aut melius uertitur.hoc clarum eſt,ſiue de oculis etiamnum, ſiue de totius corporis colore loquatur: quia utrunque uerum eſt: cum oculi & in firmitate,& imbecillitate, itemque in bono, maloque colore uarient, eoſque totius corporis affectio comitetur: nam ſi oculi bene colorati ſint, etiam γυῖα hoc eſt corpus totum in ſalubri ſtatu, eſſe ſignificant. cum uero malo aliquo colore ſunt infecti, ſtatim totum quoque eſſe offenſum declarant, atque in oculis propter eorum munditiam,atque nitorem, celerius, quàm alijs in partibus colorum mutatio perſpicitur.at hæc uerba non ſolum hoc poſſunt ſignificare, ſed etiam in toto corpore coloris mutationem ex ijs ſignis,quæ in oculis appareant,conſequi.quare ab oculis ad totius corporis cognitionem hoc modo poteſt deueniri.ceterum hæc uerba,omiſſa parte de oculis, explanari per ſe poſſunt:ſiquis ea ſequentibus connectat.deinceps igitur eadem,alio ſumpto principio,ad hũc modum explanabo. F

*Et color in peius, aut melius uertitur. par autem eſt, ut, quemadmodum alimentum ſe habeat, ita & exteriora conſequantur.* 29

Ait colorem ad proportionem alimenti,hoc eſt ſanguinis, in peius,aut melius progredi: ac ſanguinem appellat hoc loco uniuerſum humorem,qui uaſculis continetur: qui pituitam,utranque bilim,& ichores comprehendit: nam id ipſum eſt, quod melius, peiuſque efficitur.humor uero,qui in hoc continetur,qui proprie ſanguis nominatur,& a cuius præſtantia totum id ſic uocatur,prauus dici: ut neque etiam alium,quàm rubrum,habere colorem,non poteſt.

*Letalia ſigna per cutim,[nares]calidus uapor,prius autem nares frigidum ſpiritum emittunt.* 30

Siue in quarto caſu legas,calidum uaporem; ſiue in recto,calidus uapor, aliquid utroq; modo ſubaudiendum eſt: uerba enim habere hunc ſenſum debent:inter letalia ſigna,ſunt hæc: calidum uaporẽ; A.l.4.f.1.c.1. c.44.p.824.E

per cutem exhalare,cum per expirationem ſpiritus frigidus præceſſerit. Si uero caſibus rectis eandem G efferas ſententiam,ita dices:ſigna mortalia maxime ſunt,calidus uapor per cutem exhalans,cum ſpiritus frigidus prius expiratione egreſſus ſit.ac frigidam quidem expirationem inter pernicioſiſſima numerari,in pręſagijs quoque dictum eſt,in illo loco,Si uero frigidus naribus & ore expiretur,iam ualde pernicioſus eſt.nunc uero quoddam ſymptoma addidit ijs,qui ita affecti ſunt,quod non perpetuũ eſt: effluit enim confertim calidus e cute uapor,ſed,ut dixi,neque in omnibus,neque omni tempore. atq; hæc docere debent interpretes ij, qui de ijs, de quibus nihil opus eſt, nugantur: quandoquidem id in illis ſolum euenire comperies,in quibus febris feruentiſſima, quæ corpus ipſum cordis torreſecit, ac proinde ipſum ad extremum refrigerauit, mortem præceſſit. quare cum uitale robur, moriente iam corde,ſit diſſolutum, in alijs ſudores, qui animi defectionem afferunt, proueniunt, cum humores redundent in corpore: alijs uero, qui ex febri æſtuoſa ante exaruerunt, pro ſudoribus uapor calidus tibi tangenti perſpirare uidebitur.Sed ne hic quidem in quocunque morbi tempore prodit,uerum cum morbo in longius producto cutis refrigeratur,quod halituoſa ſubſtantia exhauſta ſit: que attenuatis a febre æſtuoſa humoribus, morbo uigente fuerat coaceruata. tantum enim abeſt, ut quo tempore cor moritur,calidus excitari uapor poſſit,ut ne frigidus quidem, aut tepidus queat. quare fit, ut cor omne prope mortem frigida intemperie ſit affectum. non tamen in quolibet morbo mortifero ſemper eſt huiuſmodi,ſed in ardentiſſimis febribus ſæpe eſt, ut dixi, calidiſſimum. cum igitur cor frigida intemperie laboret,tunc calidum emitti uaporem,non comperies: cum iam morti propinquus æger frigidum exhalare ſpiritum inceperit.neque etiam humores in illis,qui ita affecti ſint, prius extenuati ſunt: neque æſtuoſa febre laborant:neque bilioſos humores habent, qui temperie calidi, conſiſtentia uero tenues ſint: ſiquidem in frigidis intemperiebus pituitoſi,crudi, craſſi, & frigidi omnino, non bilioſi,calidi,ac tenues humores redũdant. H

*Vitalia uero,contraria.* 31.

Hoc aperte ijs aduerſatur,qui calidiſſimam in naribus febrem,mortiferum eſſe ſignum,dictum putant: etenim qui uerbis illis,Letalia ſigna,quæ in ſuperiore oratione ſunt,reſpondeat,nunc ſubiungit, uitalia uero,contraria.tamen ut illorum explanatio uult, his uerbis,letalia ſigna, non iunguntur hæc, quæ hic ita ſcribuntur,per nares calidiſſimum:immo hæc per nares calidiſſimum,non habent ſibi adiectum,letale ne ſignum ſit,an ſecus: neque enim hoc letale eſt,niſi præceſſerit id, quod Hippocrates me- * morauit:ut nares frigidum ſpiritum prius emittant:nã ſi ſine hoc,calidiſſimus uapor per cutim effluat, poterit ſymptoma eſſe humorum,quos calida febris attenuarit:& non omnino mortis argumentum.

A immo interdum etiam id utiliter fit, ut pote cum humores attenuati difflentur: quos, ubi crassiores sint, natura per sensiles excretiones e corpore expellit, sudores, copiamque lotij, aut deiectionũ ciens, aut uomitus proritans. quare omnia, letalibus signis, quæ diximus, contraria erunt uitalia: ut frigidum non expirare, neque calidum uaporem per cutem exhalare. sed & Zeusis qui signa mortalia separatim interpretatus est, omnia hæc uerba, quibus ait, uitalia uero, contraria ad sanitatem, expungenda merito iudicauit.

## GALENI IN SEXTUM DE VULGARIB. MORBIS HIPPOC. COMMENTARIUS V.

1 *NATURAE sunt morborum medicæ.*

Dictum persæpe est, cum longitudinem commentariorum uitare instituerim, non esse mihi propositum, de ijs scripturis ferre iudicium, in quibus licet
B uerba mutentur, eadem tamen omnino sententia permaneat: id ipsum autem hoc etiam loco memoriæ causa dicendum esse existimaui, quod in ijs dictionibus, quas deinceps explicaturus sum, nullum de eiusmodi scripturis uerbũ faciam. atque horum quidem uerborum sensus, si quis simpliciter accipiat, perspicuus est, cum suam ipse Hippocrates sententiam aperiat: se in eorum non esse numero, qui naturam artis expertem putant, sed ipsam & artificem esse, & animantibus prouidere. nunc uero per naturæ nomen uis quædam intelligenda est, ijs corporibus, quæ ab ea reguntur, insita: cuius quænam sit essentia, inuestigare, ut etiam de anima nostra, aut de principe eius parte ad hoc institutum non pertinet. nihil enim horum postulat hæc oratio: sed id solum, recte sensisse Hippocratem, naturam esse medicam morborum: existimabit enim fortasse quispiã, artem medicam hac oratione tolli: quam ob rem hæc uerba, naturæ sunt morborum medicæ, non simpliciter accipi debet: est enim in eis sensus reconditus, qui magnam in explicando requirit diligentiam: præsertim cum hoc nusquam alibi declarauerim. ceterum amicis institutum meum cognoscentibus, in quorum gratiam conscribere has explanationes institui, nunc quoque commemorabo, quodcunque decretum probationis indigens, sit a me semel uspiam accurate pertractatũ, me de eo alio in libro nolle differere: quod
C norim superuacaneam loquacitatem esse, eadem ijsdem de rebus inculcare, in quod uitium recentiores Medici quidam, non modo bis, ter ve, sed quater, uel etiam sæpius in multis commentarijs, & libris eadem de eisdem iterantes, incurrerunt. ego uero, cum quid semel rõnibus firmaui, eo postea in alijs libris utor, eiusque summatim facio mentionem, & me id alibi ostendisse commoneo. ita nunc quoq; semel de natura loquar, itemque docebo, & cur eam morborum curatricem Hippocrates uocet, & artem medicam ab hoc decreto non tolli. tu uero, in quorum manus hi nostri commentarij inciderunt, iam mihi orationem exordienti, animum adhibeto. siquis igitur sit, qui morbos ab alimento, quod apta qualitate, atque copia in tempore sit datum, ab humidis præterea fomentis, a cataplasmatis, a clysteribus, a uenæ sectione, & ab alijs omnibus huius generis curari dicat, is non utique mentietur: ut nec ille, qui morbos a Medicis curari affirmet; nec, qui artem medicam esse ægrotantium curatricem pronunciet. ut autem qui hæc dixerit, coargui mendacij non poterit, ita neque ille, qui naturam seruã di animalis causa omnia efficere existimarit. ex hoc autem consequitur, ut ipsa prima morbis medeatur, præsertim cum hominem ualentem reddat, dum sudorem copiosum effundat, aut per urinam, aut per aluum, aut per uomitum humores noxios excernat. quare par est, ut in ijs, quæ bonam efficere ualetudinem diximus, cui primæ. cui secundæ, cui tertiæ denique tribuendæ sint, inuestigemus; idq;
D eo studiosius faciendum est, quo alia etiam quædam ijs accedunt, per quæ morbi propelluntur: quorũ omnium ordinem pro eorum dignitate melius erit agnoscere. porrò nobis quidem satius uidetur dici, naturam morbis mederi, recte uero & medicinalem artem, & Medicum: uere quoque & eius ministrum, & uenæ sectionem, & sanguinis effluxionem, quæ inde facta sit. putabit autem fortasse quispiam, coquum etiam adiumento esse, & textorem, & ædificatorem, & fabrum ferrarium, & quosdã item artifices, quorum opera ad eorum usum adhibemus, quæ ad bonam ualetudinem hominibus cõparandam instituuntur. sed quædam horum materiæ auxiliorum, non auxilia sunt; quædam uero instrumenta apta ijs, qui auxiliantur. fiunt autem auxilia, cum in tẽpore, &, ut oportet, eis Medici utuntur: si enim uinum ægris datum prodest, eius propinatio auxilium est. at si importune datum, aut delirium, aut insaniam afferat, iam morbosa, non salubris causa, nec auxilium erit. quis igitur in causa est, ut auxilium fiat? is profecto, qui opportunum tempus est nactus. quo autem nomine hunc Græci uocant? an non est omnibus perspicuum, hunc Medicum appellari? quare Medicus ad sanitatem naturalem, & † quæ arte comparatur, est uino potior: uinum enim sanis in tempore, & moderate potui datum prodest: morbos uero pellit; propinatum, cum opus est. uerum Medicus, non quia animal sit, aut terrestre, aut bipes, aut rationis particeps, aut politicum, eò idoneum cuiusque materiæ tempus, & modum nouit: sed in eo, quod artem, qua salubria, morbosaque distinguuntur, perdidicit.

† uidetur in Græco libro pro ποιεῖν, legendũ. etiã ποιητικόν.

etenim,

etenim, si illis adiuuantibus, hæc sciret, omnes homines eadem essent præditi scientia. itaque ars, F
per quam Medici homines fiunt, est Medicis dignitate certe prior: eius enim facultate usi morbos di-
scutiunt. sed ut materia & instrumenta ad Medicum eiusque artem effecta sunt, ita ipse uicissim, eiusq;
ars ad naturam eius, qui curatur: siquidem natura est, quæ omnia in corporibus animantium opportu
na efficit: ut pote quæ alat, cum alimonia opus est: & sanguinem sibi ipsa paret, quo particulas alimen
ti indigentes mox alat: tum uero ut sanguis creari iterum possit, cibum in uentriculo confectum elabo
ret. si uero ingesti cibi neque probe concocti sint, neque distributi, neque in sanguinem conuersi. neq;
facultatem alendarum partium nacti, statim ne alimenta quidem fuisse nostri corporis dicentur. ut au-
tem ad nutriendas particulas nutricationis indigẽtes longe omnium princeps causa est facultas ipsas
nutriens, ita & uentriculi facultas ad concoquendos cibos: et iecoris, ac uenarum ad id, quod conco-
ctum sit, in sanguinem conuertendum. uerum omnia naturæ opera singillatim recensere, non est ne-
cesse: satis enim est, commemorare, in cõmmentarijs de facultatibus naturalibus quatuor esse uniuer
sales eius facultates, quibus omnia, quæ in animali sunt, efficiuntur, demonstratum esse: quarum pri-
ma est attractrix propriorum: secunda eorundem alteratrix, & concoctrix: tertia utilium retentrix,
quarta denique expultrix alienorum. harum sane facultatum ope non modo sanum animal conseruat,
sed iam morbo oppressum ad bonam ualetudinem reuocat. ex quibus quidem constat, quantum ipsa F
ceteris causis sanitatis effectricibus dignitate præstet: nam reliqua omnia materiam propriã ei parãt,
non secus, quàm in artibus externis artem aliam alij ministrantem intueri licet, nam textrici radios,
textoria, pectinesque faber lignarius facit: huic ligna parat is, qui materiam cædit: itemq; securim ac
dolabram faber ferrarius: ipsi ferrario ferrum suppeditat is, qui metalla effodit. ac raro inuenies artẽ
de numero earum, quæ in faciendo uersantur, nullius alterius indigentem, quæ aut instrumenta ei,
non fabricetur, aut materiam idoneam non paret. ita etiam Medico multæ artes materias aptas præ-
parant, ut ipse quoque cum quibusdam ministris, naturæ: quæ enim inter architectum & ædificatores, li
gnarios fabros, & alios artifices, quibus præest, eadem inter Medicum, eiusque ministros est ratio: sunt
autem hi, herbarij, unguentarij, coqui, cataplasmata super dantes, fomenta adhibentes, & qui clysteres
infundunt, scarificant, uenam secãt, cucurbitulasque affigunt, quod si nos & hæc didicerimus, & etiam
faciamus, similes erimus gubernatori, qui & remigandi peritus sit, & summum malum scandere ualeat,
& reliqua omnia nautarum obire munera & sciat, & faciat: etenim plerique imperatores arcu uti, iacu
la uibrare, gladio & hasta pugnare sciunt, & id ipsum faciunt, itemque reges: sed non in eo quod rex,
aut imperator etat Alexander Macedo, aut eius pater Philippus hæc militaria munera obibant, sed
alijs quibusdam artibus, quæ imperatoriæ, regiæque ministrant. itaque nos etiam, quia Medici si- G
mus, cuiusque auxilij qualitatem, quantitatem, occasionem, atque utendi modum nouimus: ut mi-
nistri uero, uenam incidimus, cucurbitulas affigimus, & reliqua manibus facimus. quare ars medicina-
lis dignitate Medicis antecellit: Medicus, artibus ministrantibus: illæ, ministris: ministri, alijs artibus
instrumenta, materiasque præparantibus: illæ artificibus, per ipsas agentibus: artifices denique mate
rijs præparatis, atque instrumentis. conuerso igitur ordine firmioris cognitionis, memoriæque causa
ex enumeratione artium consequitur, ut ad tuendam, efficiendamque sanitatem postremum dignita-
tis locum obtineant, qui clysteres nouaculas, specilla, forfices, ceteraque Medicæ artis instrumenta
conficiunt. in eodem quoque sint cum his loco, qui materias parant, quales sunt, qui radicum exci
sores, herbarijque uocantur, quique res metallicas effodiunt, atque alia id genus subministrant: his ue
ro superiores sint artes ipsorum; atque his, ministri medicorum: his, ars ipsorum: hac uero Medici:
his medica ars, quæ rursum est ministra naturæ. inter facultates autem naturæ ipsius quædam prima-
riæ sunt, quibus uidelicet animantes in uita seruãtur. hæ summum ordinem dignitatis ad optimam cor
poris uitam sibi uendicant. optimam autem uitam appello, quam scilicet in sanitate traducimus: pra-
uam, quam in morbis. quædam uero facultates harum ministræ sunt, & illarum item aliæ. cum ergo
omnes ad sanitatem, uitamque necessarias artes, facultatesque recensere instituerim, quas tamen H
nusquam aliàs persecutus sum, profecto facultatum nos regentium dignitatem addere non grauabor.
primæ igitur sunt, quæ salubrem animantibus moderationem in quantitate, qualitateque conseruant:
nam cum substantia corporis nostri nec quantitatem, nec qualitatem eandẽ retineat, sed quantitas per
eam difflationem, quæ sensum fugit, diminuatur: qualitas uero, temperatura semper uariante, mutetur
non modo ab aere nos ambiente, sed, ut in libris etiam de tuenda sanitate docuimus, ex nobis ipsis, cer
te ad quantitatem emendandam data nobis altrix facultas est: ad qualitatem uero corrigendam respi
ratio, & per totum corpus difflatio. cum autem alendæ partes propria materia egeant, alia quædam in
nobis facultas inest, quam non ab re fuerit breuioris, clariorisq; doctrinæ causa sanguinis effectricem
appellare: cui rursum alia facultas in uentriculo, concoctrix inquam, deseruit. his autem omnibus com
munes illæ quatuor sunt, quarum paulo ante mentionem fecimus, & eas, ut apertior esset oratio nostra
proprijs nominibus attractricem, contentricem, alteratricem, atque expultricem appellauimus. qua-
re moneo uos, ut hæc in memoria habeatis; sciatisque, me hoc solum loco hæc disseruisse, cum naturã
longe omnium artium principem ac præcipuum in medendo locum obtinere declararem.

*Natura sibi ipsi aditus, non cogitatione, adinuenit, ut est conniuere, & ea, quæ lingua subministrat, & quæcunque sunt his consimilia. cum uero indocta natura sit, nec didicerit, quæ oportet, efficit.* 2

Aditus

A Aditus naturæ,quasi uias,impetusq; ad agendum appellauit: quos ipsa,non ut nos qui prius animo rem uoluimus,& adhibito consilio agimus,aggreditur.itaq; conniuent(ita autē dicitur,cum quis clausas ante palpebras rursus celeriter aperit)a nemine docta animantia,cum primum sunt in lucem edita. planum autem est, maximam oculis hac ipsa actione utilitatem comparari:nam si toto,quo uigilamus tempore palpebræ apertæ permanerent, defatigarentur, & multa in oculos ipsorum tunicas lædentia extrinsecus inciderent. sed aliud est naturæ opus multis partibus admirabilius, quod non uulgus modo, uerum etiam maior Medicorum pars, licet quotidie usu ueniat, tamen oscitanter prætereunt: nam si puero bimo panem oculis ostendas,ipsumque simul ei panem ostendendo, hoc nomine appelles, idque iterum, ac ter facias: puer & uocem panis esse ostensi corporis signum,intellexit: & ipsam imitatus,cum a nullo,ut mouere linguam debeat, edoctus sit pronunciat. idem quoque in alijs motionibus quas uoluntarias uocant, ab omnibus animantibus efficitur:si enim aliquem artum uelint inflectere, id statim facient:quamuis eum musculum, a quo fiat inflexio,non cognoscant. eademque ratione si uelint extendere,alterius musculi ope id facient : animantia tamen, quæ mouentur, nec quis ille musculus sit, nec quomodo obire eam actionem possit,perspectum habent: qui enim fieri potest, ut hæc sint eis cognita, cum multos etiam Medicos lateant? quid? multos dico: immo uero quidam musculi

B sunt, quos ne artis quidem corpora dissecandi peritissimi, ante nos cognouerunt: cuiusmodi est is, qui intra articulationem abditus, poplitem inflectit: & tamen omnes homines genu articulum simulatque uoluerint, incuruant. sed non solum hominibus,uerum alijs etiam omnibus animantibus hoc genus actionis inest, ex quo fit, ut naturæ uis ad ea, quæ animantibus prosunt, melius efficienda, sit quauis arte potentior. quam ob rem Hippocrates tum eius palpebrarum motionis meminit, qua illas uel alteri muneri uacantes mouemus, cum ait, ut est conniuere: tum uero illius, qua linguam in loquendo ciemus, cum ait, & ea quæ lingua subministrat: cum enim quanque proferre uocem uelimus, lingua ad ipsam articulandam prompte obsequium suum præstat. quo in genere uidemus pueru los, qui uoces ad pronunciandum difficiles, ut strax, & sphinx nunc primum audiunt; statim, nos imitantes, exprimere, neque tamen scire, quos linguæ musculos mouere, neque quomodo ipsam extendere, aut inflectere, aut circumuoluere, aut superius palato, an dentibus prioribus, aut alij oris parti admouere oporteat. cum autem ait, & quæcunque sunt his consimilia: uoluntarios motus tibi commemorat: quibus, ut dicebam, cuncta animalia non solum motus musculorum, sed musculos etiam ipsos ignorantia, simul ac membrum inflectere, aut extendere uoluerint, id statim faciunt: sicut etiam, si in obliquum abducere, & conuertere, & circumuoluere, aut alio quouis modo moue-

C re. quocirca his explicatis, acclamauit: cum uero indocta natura sit, nec didicerit, quæ oportet, efficit:qui autem quæcunque disciplinam didicerunt, ij esse illa eruditi dicuntur. naturæ uero id tributum est, ut maximis sit rebus erudita, nec docta a quoquam sit: ut de Themistocle Thucydides literarum monimentis prodidit: sua enim, inquit, intelligentia, nihil eorum, quæ ad ipsam pertinerent, neque prius, neque posterius edoctus, eorum quæ statim incidebant, celerrimo consilio cognitor præstantissimus: & eorum,quæ erant longissimo post tempore futura,coniector optimus.

3 *Lachrymæ, narium humiditas, sternutamenta, aurium sordes, saliua oris, excretio: spiritus ingressus, exitus, oscitatio, tussis, singultus, non eodem modo omnibus accidunt.*

Cum ea prius recensuero, quæ ad horum uerborum explanationem quispiam afferre optime posse mihi uidetur, tum ad huius libri interpretes me conuertam, qui hæc uerba a superioribus disiungi debere putauerunt,& omnia singillatim: tanquam ad præsagiendum ualeant, interpretati sunt. Ego uero existimo, Hippocratem, quod principio proposuerat, nunc quoque toto hoc sermone confirmare. erat autem ei propositum, ostendere naturam ad hominis salutem moliri omnia. quare ab illius operibus sumpto initio, quæ in corporibus animantium, dum bene ualent, efficit: ijsque su-

D periore oratione expositis, deinceps quæ in morbosis affectionibus, aut ijs, quæ ualentium, ægrotantiumque corporum sunt communes, ad salutem animantis agit, nunc persequitur. quæ singula ego seorsum exponens, quædam esse morbosarum affectionum propria, quædam ægrotantium, ac bene ualentium communia declarabo. atque in ægrotantibus lachrymæ nonnunquam prodeunt modum morbosæ oculorum affectionis sequentes, sicut quando inflammatione tentantur: nonnūquam uero,cum natura redundantem humorem excernit,aut in glandulis ipsorum deficienti creat.sic etiam narium humiditas fieri solet,ijs excremētis, quæ erant in cerebro coaceruata,per ipsas expurgatis.sternutamenta uero semper naturæ sunt opera illa quidem,sed tñ ab affectionibus morbosis ortum ducūt. morbosas autē affectiones uoco,non modo cum iam quidam in morbos inciderunt, sed etiam qñ non nulla ipsarum incipit exoriri:qualis.n.est ea,quæ proprie perturbatio in oculis dicitur,quæ est quoddā inflāmationis initium:tales multæ morbosæ affectiones quæ incipiūt consistere,cū natura uapores,humoresq; ipsarū auctores expellit,dissoluuntur:de qbus oībus in libris de causis symptomatū dictū est: etenim quædā eorū a natura semper fiūt,quę morbosas affectiones uel exoriētes,uel futuras prohibēt ut quædam etiam sunt, quæ iam factas, atque absolutas curant: idque est, quod interpretes in errorem induxit: quippe qui non iam hoc loco Hippocratem de naturæ operibus loqui putent. ego uero in tribus commentarijs, quibus symptomatum causas prosecutus sum, totam hanc disputationem

absolui: ubi docui, huiusmodi symptomata, de quibus modo sermo est, natura agēte fieri omnia: nā & E
aurium sordes ab ea fit, cerebrum excrementis expurgante: & tussis, ut uiæ respirationis mundæ reddantur: sicut singultus, oscitatio, & pandiculatio, ut recrementa expellantur. quædam uero eorum, quæ proposita continet oratio, ne symptomata quidem sunt omnino: in quibus & respiratio est, & per totum corpus difflatio. ac de respiratione ipse dixit, cum ait, spiritus ingressus, exitus: de difflatione autem posterius, ubi iterum scripsit, alimenti, spirationis. Saliuæ autem in ore exortus ex ijs est, quæ a natura prouide fiunt, ut etiam est ex pectore, pulmoneq; sputi reiectatio: de quibus in hac oratione dictum est, his uerbis, saliuæ oris, excretio: qua in re quod ait, saliuæ oris, per se proferendum est: tum addendum, excretio: ut sputi nomen subaudiatur: in quo describendo forte primus librarius lapsus est: forte uero Hippocrates ipse prætermisit, ut qui exemplar quoddam sibi institueret, nō librum in uulgus edendum componeret. quod autem in extremo ait, non eodem modo omnibus accidunt, habet hunc sensum: ea omnia, quæ dicta sunt, non sunt eiusdem modi in ijs omnibus, de quibus dictum est: nam, uti docuimus, quædam in ijs modo fiunt, qui naturalem statum seruant, quædam in solis morbosis affectionibus, quædam præterea in utroque genere conspiciuntur; quædam præterea ipsorum solius naturæ sunt opera. ceterum cum interpretes hanc sententiam uarijs modis legant, uarietas lectionis paulo post a nobis afferetur: nunc uero, quod reliquum est eius sermonis, F
quo naturæ opera recensuit, prius exponam.

*Vrinæ deiectio, & flatus, & huius utriusque, alimenti, & spirationis, quæ in fœminis fiunt: & in reliquo corpore sudores,* 4
*pruritus, pandiculationes, & cetera huius generis.*

Alij hanc quoque orationem aliter scribunt: sed ego nunc etiam eam lectionem, de qua est inter plurimos consensio, quæque toti huius orationis sententiæ magis consona est, atque in uetustis, probatisque exemplaribus inuenitur, ceteris anteposui. eius autem is est sensus: ut in prædictis symptomatis opera naturæ, quam nemo docuit, ad animantium salutem fieri ostendit, ita nunc quoque urinæ, deiectionis, flatus duplicis mentionem fecit: itemque alimenti, ac difflationis, & quæ in solis fœminei generis animātibus insunt: deinceps uero sudorum, prurituum, ac pandiculationum: nam si memoria repetas, urinæ secretio uti fiat, profecta ea res admirabilem tibi in regendis animalibus naturæ prouidentiam indicabit: idque cum ob renum fabricationem, & urinariorum uasorum originem, quam ex renum uentriculo ducunt: tum uero ob opercula, quæ illorum osculis in uesicam se inserentibus insident: atque etiam musculum, qui proportione musculi adstrictori, qui ad sedem est, re- G
spondet, collum uesicæ circumplectitur. insuper uero & ob alia, quæ minora sunt his illa quidem, minusque admirabilia, tantum tamen usum ad rem conficiendam præbent, ut nisi ad hunc modum facta essent omnia, profecto perperam, aut ne omnino quidem urina secerneretur, atque euacuaretur. non secus etiam quæ ad deiectionem, hoc est ad reliquias cibi depellendas attinent, a natura fabricandis nutritionis instrumentis comparata, eius de animantibus prouidentiam, sapientiamque demonstrant: quæ omnia habes a nobis in libris de usu partium explicata. nunc uero capita solum persequi satis fuerit. quidam autem sunt, qui utrunque uerbum in principio huius orationis positum separatim legant, urinæ, deiectio: uoluntque, factam his esse ab ipso stercoris mentionem. quidam utrunque coniungunt, ut sit urinæ deiectio, hoc est euacuatio, ac si dixisset, urinæ euacuatio. atque hi in principio scripserunt hoc modo, stercoris & urinæ deiectio: perinde ac dixerit, stercoris & urinæ euacuatio. ut autem reliquiæ cibi mirabile artificium in secernendo indicant, ita etiam in expellendo flatu utroque & qui per rectum intestinum, & qui per gulam emittitur, quem ructum uocant, naturæ prouidentia quædam perspicitur: cum ad flatum utrunque expellendum instrumenta, in quibus aceruatur, insurgant: idque, quamuis illi, in quibus sunt, dormiant, & in somnum prolabantur, somnoque sint oppressi, & ueterno, sopore, delirio, & alto sopore detineantur. Simili quoque mo- H
do naturæ artem inuenies, si omnia perdiscas, quæ ad alimenti, spiritusque distributionem machinatur. ac multo maior te capiet admiratio, si omnia noueris, quæ in fœminis ad fœtum concipiendum est fabricata. sunt etiam his consimilia, quæ in toto corpore ad sudores excernendos, ad scalptus & ad pandiculationes pertinent. uocant autem scalptus, unguium confrictionem & motum, quem in prurientibus particulis animantia suapte natura faciunt: qui in eis omnibus inest. ac uos etiam dudum perspexistis, cum grauidam capram uiuentem dissecarem, ut fœtus ex ipsa ligata extractus, atque humi depositus quatuor ambulare pedibus aggressus sit, cum tamen eum nemo docuisset, eas partes esse corpori ambulandi causa subiectas: tum uero paulo post superuacaneum humorem, quo extima cutis contegebatur, excusserit: ac non ita multo post, costas uno pede sibi scalpserit: quam ob rem uos omnes, qui aderatis, clamorem sustulistis; primum, quod eius symptomatis sine doctore medelam inuenisset, deinde quod eo solo membro id fieri posset; postremo, quod eo modo. pandiculatio uero tale, opinor, in omnibus musculis symptoma est, quale in solis maxillæ inferioris musculis in oscitatione contingit: quod in libris de symptomatum causis, si modo in memoria habetis, a natura fieri, ut halituosa excrementa euacuentur, demonstrauimus: idque ab infantibus, ceterisque animantibus sine doctore fieri, conspicitur.

hæc

A hæc igitur omnia, & quæcunque simul dicebamus, quale est, quod de hædo, qui e capra in dissectione eductus humorem excussit, recensuimus, admirabilem quandam erga animantia naturæ prouidentiam, qua bene ualentia conseruantur, ægrotantiaque curantur, nobis ostendunt.

*Hominis anima semper ad mortem usque producitur: sin autem ignescat, simul cum morbo & anima corpus depascitur.* 5

Est opus diuinatione potius, quàm ulla uia ac ratione, cuius ope quispiam inueniat, quid significare Hippocrates uoluerit, cum uerbum φύεται, hoc est, producitur, scripsit: potest enim accipi pro eo, quod est, generatur, ut postea Asclepiades existimauit: & pro eo, quod est augetur: &, ut quidam intellexerunt, potest significare idem, quod conseruatur, nobis uidelicet, cibo, respiratione que utentibus: nam quicunque animam esse spiritum arbitrantur, iidem ex halitu sanguinis, & ex aere, qui intra corpus per asperam arteriam inspirando attrahitur, conseruari eam dicunt. nec quenquam fugit, nihil eorum, quę dixi, nos posse, tanquam uerum sit, contendendo enunciare: nisi prius animæ uim atque naturam accurate inuenerimus. itaque si, ut in libro de septimanis auctor ille de animæ natura aperte pronunciauit, B ita in alio quopiam uolumine, quod Hippocratis uerum esse constaret, dictum inueniretur, ego quoque aliquid haberem, quod de uerbo producitur, efferri posset: sed cum Hippocrates in nullo proprio libro clare exposuerit, quid uerbum producitur, significet, ideo præterquam quod hoc nescio, neque etiam animæ naturam me firmiter tenere, mihi persuadeo. cerebrum sane sensus, motusque uoluntarij principem, auctoremque esse omnibus animantis particulis, in libris de Hippocratis, Platonisque decretis demonstraui. illud præterea persuasum habeo, spiritum, qui eius uentriculis cótinetur, primarium esse animæ instrumentum: quem quidem temere pronuncians eo ferebar, ut animæ uim, atque naturam esse dicerem. Siue autem tota cerebri natura ex quatuor elementorum temperatione ad talem sit redacta substantiam, per quam sensus, uoluntarijque motus primus auctor in animantibus sit, itemque memoriæ, & intelligentiæ: siue alia uis quædam uacans corpore sit cerebro indita a conditore nostro, & recedat, nobis morientibus: nullam habeo firmam de hac re demonstrationem; immo eos, qui hac de re definire aliquid uolunt, existimo nobis temeritate potius, quàm sapientia præstare. ego uero existimo superuacaneam Medicis esse de animæ substantia notitiam: propterea quod satis sit artem medicam cum ratione tractantibus nosse, usque dum cerebri, ac spiritus, qui eo continetur, naturalis temperies incolumis seruatur, uiuere animal posse. C at si contentus spiritus aut omnino corruptus sit, aut a naturali temperatura cum ea, quæ in cerebro est, plurimum deflexerit, mortem sequi. eum autem hæc Medicus intelligat, semper dabit operam, ut bona temperie perfruantur, atque permaneant. qua in re methodos eas sequetur, quæ a nobis in commentarijs de ualetudine tuenda, & de curatione morborum scriptæ sunt: quas omnes Hippocratem primum tradidisse probauimus. quocirca neque hanc particulam esse Hippocratis ueram censeo, sed ab aliquo, ut alias permultas, interpositam. fortasse autem eius filius, Thessalus, ut memoriæ proditum est, cum patris scripta colligeret, in chartis, ac corijs eas reperit, & quasdam huiusmodi particulas interiecit. quidam autem eorum, qui commentarios in hunc librum conscripserunt, hoc uerbum producitur, pro his, melior fit, scriptum esse contendunt: quod animam progressu temporis in ijs, qui in scientiam, sapientiamque incumbunt, euadere meliorem existiment. Sed hæc oratio nec Medico conuenit, neque consentanea est ijs, quæ sequuntur: planum enim est ex eo, quod ipse subijcit, uerbum, producitur, de ipsius substantia dictum esse, ut cum air, sin autem ignescat, simul cum morbo & anima corpus depascitur. in quo uerbum ignescat, uidetur de Hippocratis sententia significare, animæ substantiam esse natiuum calorem: quem ipse naturalium actionum multis in locis esse auctorem affirmat. maximum autem hoc loco decretum agitatur, de quo est etiam D inter philosophos dissensio: nam quidam unam esse animæ, naturæque substantiam arbitrantur, quorum alij in spiritu, alij in corporis proprietate consistere eam uolunt: quidam uero non esse unam aiunt, sed propriam esse utrique attributam, eamque non parum, sed toto genere differentem: ac naturæ quidem substantiam caducam esse, animæ uero, æternam statuunt. Aristoteles autem, atque Plato utranque potestatem ut nomine comprehendunt: quippe qui non solum qua ratiocinamur, atque meminimus, animam uocent, sed eam etiam, quæ plantis inest, qua aluntur, & augentur, & conseruantur, quoad progressu temporis exaruerint. Stoici autem appellare naturam solent, qua stirpes, animam uero, qua animantes gubernantur: utriusque uero substantiam innatum esse spiritum, atque inter se qualitate differre arbitrantur: sicciorem enim esse animæ spiritum, humidiorem naturæ: atque utrunque non solum alimento, sed aere quoque indigere, ut permaneat. quicunque autem huius decreti principem Hippocratem fuisse putant, ut in libro de septimanis est dictum, ij uerbum producitur, de instauratione esse dictum aiunt, quæ in ipsis ex utraque substantia & alimenti, & aeris efficitur: ut euidenter apparet, & usum utriusque nouimus. probatum enim est, moderationem innati caloris a respiratione conseruari: a ciborum uero oblatione id, quod de corporea substantia defluit, resarciri. ac si anima est quædam forma corporis, merito produci ad mortem usque dicetur. at si eius substantia alia est a substantia naturæ, quam

Aristo. altricem, Plato uero appetitricem uocat, uerum quidem erit id, quod dictum est, sed de ani E
ma, quæ rationis particeps est, non iam idem uere dici poterit. at innatum calorē, cui corporea opera
Hippoc. præcipue accepra refert, ignitum non modo non posse priora munera obire, neque nos alere,
quod eius erat præcipuum munus uel maxime, sed etiam nō secus, quàm ignis, corrumpere, & lique
facere; nobis rem ratione perpendentibus, & corporis colliquationes ab æstuosis febribus factas eui-
denter intuentibus, est planè perspicuum. cum autem in toto hoc sermone, qui habitus est, tertia illa a-
nima, aut facultas, aut quoquo nomine appellare eam uelis, prætermissa sit, quam Plato iracundiam, & fluctuantē uocat, satius est de ipsa quoq; aliquid dicere, ne quid in hoc sermone de anima desideretur.
est quidam in iecore natiuus calor, per quem sanguis gignitur. alius item est in corde maior, ad iracun
diam excitandam nobis datus: siquidem est eius etiam usus quidam, ut in libris de Hippoc. Platonisq;
decretis docuimus. atq; ille quidem calor alimento, hic uero perspiratione indiget: sic enim appellare
Medici solent duplicem arteriarum in toto corpore actionem, cum fuliginosum excrementum com-
pressione expellunt, & circunfluum aerem distentione attrahunt.

*Morbi connutriti, in senectute maturatione, solutione, ac raritate deficiunt.* 6

Non est ei de omnibus morbis connutritis instituta oratio: ita autem eos uocant, qui longo tempo F
re humana corpora obsederunt: nam neq; hoc fieri cernitur, neq; ipse ignorat, qui in aphorismis aperte
pronunciat, senes plerunq; minus, quàm iuuenes ægrotant, quicunq; autem diuturni morbi in eis oriū »
tur, plerunq; cōmoriuntur. cum uero in oratione addiderit plerunq;, & non uniuerse sententiam extu-
lerit hoc modo, quicunq; autem diuturni morbi in eis excitantur, cōmoriuntur, manifeste ostendit, se
nosse aliquos morbos esse, qui ante mortem dissoluantur. qui nam autem sint huiusmodi, ut qui ante
mortem non finiantur, ipse in aphorismis declarauit his uerbis: Raucitates, ac grauedines in ualde se
nibus non concoquuntur. quo in loco cum frigidorum meminerit, planè indicat, quosdam calidos in
seniore ætate posse dissolui: si modo contraria sunt contrariorum medicamina: sunt autem hi rari, ut
capitis dolores calidi, & cum alterutra parte caput dolet: & calidi renum affectus, & articulorum do-
lores, qui ex causa admodum calida originem traxerunt. atque hoc genus solutionis, quod a tempe-
rie senectutis proficiscitur, in maturationibus numerat: cum maturatio omnem perductionem ad mo-
deratum temperamentum significet, ut in fructibus maturescentibus apparet. alia autem duo solutio-
nis genera adijcit, quæ etiam sunt minus frequentia, quàm maturatio, alterum quod rarefactione fit;
alterum, quod ambigue dicitur, siue per dissolutionem, siue per solutlonem intelligatur. hoc autem
fit cum corporea substantia, quæ omnibus tam animatis, quàm inanimatis communis est, dilabitur: a- G
liquid enim ex ipsis omnino defluit, sed plurimum e mollioribus, minus uero ex ijs, quæ non ita sunt
mollia. ita sane quidam præter naturam tumores, dilabente paulatim materia, tractu temporis soluun
tur. quod solet ijs euenire, qui recta uiuendi ratione utuntur: quemadmodum qui pleniore cibo uescun
tur, in causa sunt, ut humor ad affectas particulas confluat, quæ res parem digestioni per halitum uim
habet, atque ita affectus ipsos seruant. tertium porrò solutionis modum. corporis esse raritatem propo
suit, quæ a Medicis consulto fit, at ab ætate senili, perraro, cum uiribus imbecillioribus, habitu corporis
extenuato, cuteque male nutrita meatus rariores facti sint. ac nos quidem ita hæc uerba interpreta-
mur: semperq; damus operam, ut Hippocratis sententias ijs, quæ in ægris conspiciuntur, consonas, esse
comprobemus. at pleriq; interpretes alia omnia potius, quàm hoc faciunt: qui hic etiam, quasi de om-
nibus morbis institutus is sermo sit, causas eorum afferre conantur. sed absurdiores his sunt illi, qui hu
iusmodi affectus, ut animi iracundiam, auaritiam, ac superstitionem: corporis uero amatorias per-
turbationes, in senecta solui aiunt.

*Remedium est, contraria cogitare, affectuique non consentire.* 7

Hæc oratio eandem uim habet, atque illa, contraria sunt contrariorum medicamina, de qua H
sæpe iam uerba fecimus.

*Frigidum & auxiliatur, & interimit quæcunq; ex calido existunt.* 8

Hoc quoque memoriæ causa scripsit, quod prioris sententiæ uniuersalis pars est; nam frigi-
dum frigidis affectibus prodest, calidos tollit: sermo enim ab uno, tanquam exemplo, ad om-
nia contraria traducendus est.

*Iracundia cor & pulmonem in se ipsa attrahit: calida uero & humida in caput: lætitia cor relaxat.* 9

Aenigmatis speciem præfert hæc oratio: quam ob rem plures eius scripturas, eisque consen- A.l.1.f.4.c.1.
taneas explanationes attulerunt. uerius autem dicet quispiam, non explanationes scripturis, sed p.134.F
prius excogitatis explanationibus eos deinde scripturas effinxisse. ac primum quidem, quid in
hac oratione significat, uerbum attrahit? nempe exponemus, cor atque pulmonem ob iracun-
diam attrahi, nunc ab ipso dici. sed cum addita sint hæc uerba, in se ipsa, & in caput, alium in-
sinuare sensum uidetur: qui talis est, cor & pulmo attrahunt in se ipsa & in caput calida, & hu-
midum. quo in loco, quod ait calida, uix potest intelligi. dicendum enim potius erat calidum,
quam

A quam calida. quare præstiterit fortasse, relicta singulorum uerborum, quæ in hac particula sunt, explanatione, utpote quæ confusa sit, eam longiore uerborum ambitu, per ἔμφασιν, aut παράφρασιν, aut ut quisque appellaret, eam proponere. at ne id quidem fieri pōt, nisi unum saltem uerbum interpretemur: quod est attrahere. duorum autem alterum dicendum est, in iracundia uel pulmonē & cor in caput attrahi: uel cor, pulmonē & caput in se ipsa calidū, humidumque attrahere: est enim probabile, ex iecoris regionibus, unde sanguinis distributio est, calorem atq; humorem attrahi. porrò in iracundia cor unà cum arterijs in totum corpus pertinentibus pulsum maiorem, ac uehementiorem efficere conspicitur: consentaneum enim est, ut, quæ ipsius dilatatione implent, tunc plura inducantur. referri uero in caput plus humoris, atque caloris, indicat is, qui oculos, totamq; faciem occupat, rubor. quinetiam si tetigeris, hæ partes calidiores esse factæ, tibi uidebuntur. oculi præterea euidenter micant, eosque simul factos prominentiores, totumque caput calidius euasisse apparet. lætitia uero inquit, cor laxat: hoc est, quæ dicta sunt, ipsum relinquunt. ex horum cognitione hæc utilitas manat, ut iracundia interdum uitetur, interdum uero de industria concitetur. ac cauenda quidem est, cum cor, & caput sua naturali intemperie sunt, quàm conueniat, calidiora: aut aliquo aduentitio affectui sunt obnoxia. excitanda autem in frigidis affectibus, & cum caput est natura frigidius. eodemque modo in totius corpo

B ris temperatura faciendum est: nam si morbo, aut suapte natura, calidior sit, quàm par est, eam iracundia magnopere lædet. quæ huius contraria erit, eam ualde iuuabit: id quod in secundo de uulgaribus morbis ab ipso traditum esse docuimus, ubi habet hæc uerba, Data autem opera excitanda iracundia est, ut color, succusque recuperetur.

10 *Labor articulis, & carnibus: cibus & somnus uisceribus.*

Quia Hippocrates nomen laboris solet plerunque pro exercitatione usurpare, interdum pro dolore, aut absolute pro quauis noxa, ut iam in plerisq; commentarijs didicistis; iccirco ex ijs, qui librū hūc sunt interpretati, alius aliam harum trium significationum secutus est. itaque alius putat ab ipso dici, exercitationem articulis & carnibus esse ueluti cibum, hoc est alimentum, & robur, & adiumentum: quod statim ab exercitationibus nihil minus, quàm ab alimentis, augeantur, & corroborentur. alius uero, cibum copiosum esse articulis & carnibus cruciatum, atque dolorem, significari existimauit: quod plenitudo non modo articulos tardos ad motum efficiat, & carnes, quod est dicere musculos, siquidem in eis carnium genus continetur; sed etiam fluxiones moueat, ex quibus dolores excitentur. in eandem sententiam ire nidentur illi, qui tertiam significationem secuti, arbitrantur multum ci-

C bi, hoc est plenitudinem articulis, & carnibus detrimentum importare. at plenitudo non solum articulis, & carnibus, sed alijs etiam omnibus corporis partibus & damnum, & dolorem afferre consueuit. iam uero secunda huius dictionis pars, in qua ait, somnus uisceribus, hunc sensum habebit: ut labor articulis, & cibus carnibus, ita somnus uisceribus, aut exercitatio bonum habitum inducet, aut dolorem, uel noxam afferet. posset autem quispiam intelligere, uiscera in somnis exerceri, quatenus tunc maxime agunt, cibumque conficiunt: at noxam aliquam, aut dolorem afferre, non utique uerum est: siquidem est somno comparatum natura, ut indolentiam potius pariat, adiumentoq; sit, quàm ut contraria efficiat: nisi quis in principijs accessionum hæc ab eo fieri dixerit. uerū cū hic nulla sit adiecta distinctio, uera oratio non erit. an uero melius erit ita legere? Labor articulis, & carnibus: tum ab alio initio pergere, cibus somnus uisceribus: ut huiusmodi sit oratio, exercitatio articulis & carnibus utilitatem affert, cibus uero, & somnus uisceribus: cum enim natiuus calor intimas partes petat, ut ipse docuit, tum cibi melius concoquuntur, uisceraque eo tempore aluntur. in uigilijs autem naturali calore ad cutim redeunte, uiscera se ipsis frigidiora redduntur. quæ uero illis in somno, hæc & artubus, & omnibus externis membris in uigilia contingunt.

11 D *Animæ deambulatio, cogitatio hominibus est.*

Omnes, qui hunc librum interpretati sunt, deambulationem pro exercitatione acceperunt: ut talis sit oratio: cogitationes sunt hominibus exercitatio: ut nomen deambulationis exercitationem significet: ea enim uox speciem quandam exercitationis indicat. Sed cum hæc nimis affectata locutio sit, recte fecit Dioscorides, qui ea repudiata non scripsit περίπατος, hoc est deambulatio, sed interiecta ι litera, fecit περὶ παντὸς: ut oratio sit huiusmodi: animæ de omni re cogitatio hominibus est. ut sit hæc eius sententia, uis rationis est omni in re ab hominibus exercenda. siquidem animi meditationes appellantur cogitationes, proinde Socratem quoque cogitatorem, & prudentiæ ipsius consilia cogitationes uocauerunt: ut in Nebulis Aristophanis inuenitur, ubi Socratem mordet, & tanquam garrulum maledictis incessit. Si cui autem hæc oratio philosophicam potius, quàm medicinalem attingere contemplationem uideatur, is primum animaduertat, hoc commune esse omnium artium rationalium, in quibus uis rationis exercenda est; ut a plerisque alijs Medicis, & ab Erasistrato sæpe dictum est: deinde uero affectus quidam oriuntur, qui partim animi partem in qua ratio est, & in qua memoria uiget, obstupefaciunt: partim uero graues, profundosq; somnos inducūt. atque his quidem utiles esse cogitationes putandum est: ut iracundias ad bonos succos creandos, & ad naturalem habitum recuperandum utiles esse, alibi docuit.

*In uulneribus sanguis concurrit: subueniendum, ut quod uacuum est, impleatur.* E

Hæc quoq; oratio ænigmatis speciē refert, quod nō sit perspicuū, quid significet uerbū cōcurrit: &
quid, uacuū implere. quā ob rē quidā explanatores hunc sermonē de sanguinis eruptione, quæ in uul-
neribus fit: quidā de inflāmatione, quæ superueniat, habitū uolunt: utrique.n.censent, sanguinē in partē
uulneratā cōfluere: eo uero effuso, uenas in toto corpore euacuari, quibus prouidendum esse aiunt, ut
iterū impleantur: duplicem aūt esse implendi rationē, cōpresso nimirū refrigerātibus, adstringētibusq;
medicamētis sanguine, & cōmoda mēbri, qua sanguis a uulnere refluit, figura. quidā uero nō modo de
uulneribus, sed ēt de ossibus ualde cōtritis, pręsertim cū aliqua ipsorū pars extra cutim eruperit, itemq;
de omnibus huiusmodi luxationibus, ac plagis magnā corpori cōtusionē infligētibus hęc uerba esse di
ćta intelligūt: nā τραύματα uocat Hippocrates magnas noxas ab aliqua externa re, ēt sine uulnere illatas.
ad hæc aūt concurrere sanguinē, & quod euacuatū est, impleri. eodē modo exponitur ab ijs, qui hæc
asserunt. consuesse autem Hippocratem τραύματα huiusmodi noxas appellare, in multis eius libris iam
uidimus. utrum uero nunc quoque intelligat, temerarium est affirmare. nonnulli uero dixerunt, cum e
uulneribus sanguis profluit, ea aptis medicamentis, linamentisque impositis esse implenda.

*Si auris doleat, lana circa digitum conuoluta calidum unguem instilla: tum lanam uolæ manus imponens, auri subijce* F 13
*donec tibi aliquid exire uideatur: postea in ignem proijce dolo.*

Suspitionem attulit hæc oratio, ne interiecta sit, præcipue autem propter uerbum dolo, quod in eius
extremo est: nam uerba præcedentia sunt huiusmodi, Si auris alicui doleat, lanam digito indici, interdū
etiam pollici circundatam unguine madefaciens, hoc est oleo, aut eliquata pinguedine in aurem instil-
lato: id quod hoc etiam tempore per specillum lana inuolutum facere solemus, cum non solū unguen,
ut ipse ait, sed quodcunque aliud liquidum medicamentum infundimus. medicamentum uero, quo la
nam imbuimus, sit ad lucernæ, cereæve candelæ flammam calefactum. estque non semel, aut bis, sed sę-
pius instillandum, ut aliquid ad exteriorem partem foraminis, quod auditui deseruit effluat. id uero
quod effluit, nos apposita simpliciter lana excipimus. iussit autem Hippocrates, ut lanam uola manus,
sinistræ uidelicet, teneamus: qua id, quod ex aure emanat, excipiamus. ex quo planum est, eum iubere,
non semel, aut iterum, sed sæpe infundendum esse. Si autem id, quod sequitur, esset absolute scriptum
hoc modo, postea in ignem proijce, diceremus, recte interpretatos esse eos, qui aiunt, uoluisse Hippo-
cratem, in ignē lanā proijci, ut qualis inde odor manaret, perciperemus: quando ipse quoque id quod
per tussim ex pulmone reiectabatur, ita examinauit. quia uero additum in oratione est, donec tibi ali-
quid exire uideatur; & hoc uerbum uideatur, conuenire cum dolo, quod est extremum huius oratio- G
nis uerbum apparet; idcirco magis probati interpretes in eam sententiam iuerunt, ut Hippocratē hoc
ad agendum, ut ægrum falleret, deuenisse existimarint: quod interdum ex huiusmodi rebus solatium
ægri capiant, putentque se maiore diligentia curari. aiunt etiam utile esse, ut affectus ægris maiores es-
se, quàm re uera sint, uideantur, ut ne Medicis, tanquam non cito eos depellentibus succenseant: & ut
in accurata uictus ratione dicto audientes sint. addunt alij, maiorem mercedem, ac munera ab ægris
esse accepturos Medicos, si illi magnis se morbis eorum opera liberatos credant: quod rursus Hippo-
cratis sententiæ non conuenire, alij putant: eamque ob causam, totam hanc orationem esse ab aliquo
interpositam suspicantur: neque.n. de proposita oratione dici pōt, quod se quidā probabiliter inuenisse
existimarūt, ut dolus pro doloris mitigatione dictus sit, quasi non sit idē, morbosum affectū curare, exci
sa eius ueluti radice, & dolorē mitigando sedare. interdū tamē hoc ipsum totā affectionem reddit dete-
riorē: qualia sunt, quæ in colicis ex opio, alterco, mandragora, styraceq; componūtur: nā cū adiacentes
partes refrigerēt, paratiores eas reddūt, ut eisdē de causis secūdo loco offendantur. Sed uerbū dolo, nul
lo modo intelligi pōt, ut pro leniēdo dolore, ut dixi, adiunctū sit. Siquidē repugnat ei, qđ dictū est, do-
nec tibi aliquid effluere uideat̃: quādo is, qui hæc scripsit, indicet medicū ad hāc manuū operā deueni-
re, ut ægrotos fallat. quare, hāc orationē ne omnino quidē esse Hippocratis, existimare præstiterit. H

*Lingua lotium indicat. linguæ uirides, biliosæ: biliosum autem a pingui; rubræ a sanguine; atræ ab atra bile: aridæ uero* 14
*ab ustione fuliginosæ, atque ab uteri particula: alba uero a pituita.*

A.l.3.F.13.&.
c.17.p.527.C

Ait linguā nobis indicare, quale lotiū sit: qđ nomē significat, uel qđ ita proprie appellat̃, & quotidie
excernit̃, uel qđ ueluti humorū serū est: utrūq;.n.genus hūc sensum habet: nā lingua, nō secus quàm uri
na, indicat, quænā in humoribus sit affectio. ac nos utilitate ex hac oratione percepta, quid lotiū signifi
cet, cū sit minime necessariū, perquiremus? utilitas aūt, quā tota hac oratione nos docet, est hæc, quas-
dā linguas nobis indicare bilis redundantiā, quasdā sanguinis, aut alterius cuiusdam non absimilis; de
quibus oībus deinceps agendū est: in rebus.n. quæ ad artis opera sunt accommodatæ, immorandum
censeo, illas uero prætereundas, quas in quæstionem sophistę adducunt. Virides igit̃ linguas appellauit
quo modo in cōi uitæ usu hoīes loquūtur, cū se quosdā uirides conspexisse aiūt: in quibus color in bi-
liosiorē ob pallidā.s.bilem erat mutatus: hanc.n. simpliciter nominant, non ut alias cū additione, uᵗ cū
atrā, aut ęruginosam, aut rubrā, aūt flauā, aut uitellinā uocāt. ac flaua quidē bilis proxime ad pallidā ac-
cedit, estque ex eodem fere genere. ac fere ita non addentes pallidam, absolute dicunt, hominem bi-
lim euomuisse. in flaua autem raro inuenias, qui absolute hoc enunciet: siquidem nomen coloris
statim

A statim adijciunt, dicuntq; aliquē flauam, aut puram bilim euomuisse; æruginosam uero, aut atram bilim tantum abest ut Medicus quispiā sine adiectione, ut ne uulgus quidem, sicut nec eam quæ isatidis herbæ, aut porri, aut uitelli ouorū colorē præfert, nominarit: sunt.n. hæc bilis nomina, a quibusdam Medicis inuenta, & a coloribus, quibus ea imbuta est, deriuata. atque ita ēt rubram bilim uocant, quæ serum sanguinis est. uitellina aūt fit flaua bile crassescente, sicut & pallida, cum aqueam substantiam quandam assumit. itaque uirides linguæ nunc pro pallidis euidenter dictæ sunt, quod uidelicet a pallida bile sint infectæ: cum enim lingua magnas uenas habeat, substantiaq; rara, & spongiam referente constet, ideo promptius, quàm ceteræ duræ, densæque particulæ, serosos humores intra se recipit & ab illis, uelutì lana, coloratur. est autem orationi interiectum, biliosum autem a pingui; in quo indicat, biliosum succū plurimum ex pingui alimenti parte gigni. pingue autem intelligendum est non solum, quod unctum est, sed etiam quod dulce, & prorsus quod iucundum est ijs, qui statum suum naturalem seruant: propterea quod illi solum, qui de naturali statu deflexerunt, amaris, acerbis, acidisque edulijs delectantur. at qui in statu naturali constituti sunt, & excrementis uacant, ij & pinguibus, & dulcibus, & ijs, quæ nullam insignem qualitatem habent, cum uoluptate uescuntur. hæc igitur omnia pingue in alimento sunt: & proinde pinguem agrum, & opimam regionem multi ex ueteribus dixerunt, ut his nominibus indi-
B carent, eam feracem esse eorum fructuum, quibus nos, cum bene ualemus, sine ulla noxa uescamur. porrò aūt ex melle, & omnino ex dulcibus, si plus incaluerint, amaræ bilis succum procreari, in quarto commentario eorū, qui de simplicium medicamentorum facultatibus sunt, a nobis est demonstratū. illud etiam euidenter constat, si huiusmodi in uentriculo diutius moram traxerint, neque distribui, neque concoqui properarint, pallidam ex eis bilem effici: & quicunque tunc uomuerunt, eiusmodi bilem euomuisse. Sed hæc de pallida lingua sint satis. rubras autem ait a sanguine fieri: quando ne cogitatione quidem comprehendi potest, ab ullo alio humore redundante rubrum colorem ulli particulæ induci: color enim, qui in humoribus est, ab illis ducitur, quæ in eis exuperant, & redundant, nō quæ deficiunt. eodem quoque modo nigras linguas a nigra fieri bile confirmat: est enim hic etiam eadem ratio: aridas uero, quod idem est, quodadmodum siccas, a febre æstuosa, quæ uelut ignis sanguinem accēdens, fuligini potius, quàm uapori similem exhalationem facit, quocirca huiusmodi linguæ atræ sæpenumero apparent. tales itidem linguæ ab uteri parte, id est ab ipso utero redduntur: quandoquidem uterum inflammatum calidissimæ etiam febres comitantur. quemadmodum autem pallidæ a pallida bili, atræ ab atra, rubræ a sanguine fiunt, sic albæ linguæ a pituita redduntur. atque ea quidem, quæ significantur, prædictis signis perpetuo comitantur: rebus autem ipsis non necessario signa comitan-
C tur. nam si uterus inflammatione obsideatur, febres æstuosæ non perpetuo adsunt: sicut neque cum sanguis redundat, rubra lingua fit. iam uero si atra bilis in liene, aut aliquibus uenis inferioribus contineatur, lingua colorem non mutat: ut neque ob pallidam bilem, neque ob pituitam: sed tum denique uariat, cum uel quid tale in uentriculo continetur, uel cum multus calor humores fundit, atque in spiritum uertit, halitus in sublime feruntur. quare in uniuersum dicendum erit, unumquodque ex prædictis de lingua signis indicare aut febrem æstuosam adesse, & simul humores singulos ex Hippocratis sententia, redundare, aut eiusmodi in uentriculo contineri.

15 *Vrina cibo, potioniq; concolor, & qualis esse consueuit, ubi humidi colliquatio.*

Vrina quandoque concolor est ei, quod epotum sit, cum cibi nec mutati, nec in sanguinem uersi pro-
A.l.1.f.2.d.3. c.2.p.97.B. be sint. cū quibus ipse itidem potus unà mutatur: interdum uero, quia aliqua particula in corpore colliquescit, ut Sabinus scriptum reliquit. utcunque autem fit, cū corpus præter naturam suā gubernatur. cum uero secundum naturam affectū est, tum unà cum ortu humorum potus cōmutatus, ac coloratus, urinarum differentias facit, quæ neque epoti humoris, neque particularū in corpore liquescentiū qua-
A.l.1.f.2.d.3. litatibus, sed humorum genitorum formis respondeant: ut iā est ante demonstratū. cū igitur urina rei
c.1.s.2.p.95. D epotæ colorem seruarit, si aqua epota sit, aut albū, tenueq; uinū, tum ea aquea, albaq; apparet. at si uinū
C. crassum, nigrumque fuerit, ea nigrior erit, & crassior; sicut ēt flauior, si uetus, fuluūq; illud extiterit. col-
A.l.1.f.2.d.3. c.6.p.101.B. liquatarum aūt partiū colorem indicat, cū partes aliquæ erui, aut farinæ crassioris speciē referētes unà excernuntur: hæ namq; a iecore prodeunt, sicut cū magis similes carunculis sunt, a renibus: sic ēt cū folia imitantur, a uesica: cū pingues, ab adipe. at quæ magnitudine & duritia † farinæ crassioris similitudinē habent, nec tamē albæ sunt, carnis colliquescentis sunt indicia: quemadmodū nigræ, lienis sunt potius. urinæ uero, quæ iumentorum lotio sunt similes, nequaquam sunt, ut Sabino placuit, colliquationis signum: nam in commentarijs aphorismorum eiusmodi urinas in ijs fieri docuimus, qui plurimū eius humoris, qui crudus appellatur, coaceruarunt, cum ille a calore fusus est: tunc enim contingit, ut uersus in spiritum, flatuosos halitus ad caput transmittat, unde etiam capitis dolores suboriantur.

† Sūt, qui hordei legāt. Grę ci tamen libri habent κριμνώδη. Sicut ēt superius.

A.l.1.f.2.d.3. c.3.p.100.D.

*Lingua προσάνοισι concolor, ideo ex his humores cognoscimus.*

16 Hoc uerbum προσάνοισι est hoc loco perobscurū: qđ quidā putent, extēsiones succorū, qui a uētriculo ascendūt, hic dici: quidā eos, q in lingua sunt impacti: quidā uero eos, qui linguā madefaciūt. Satius aūt fuerit, hos oēs intelligere, ut sermo de humoribus quouis modo linguā attingētibus habeat: ea.n. illis cōcolor apparet, siue a uētriculo in sublime ferātur, siue per uenas, quæ ipsum alunt, fluxerint, siue per quosdam uapores sublatos exterius ipsi adhærentes, ipsiq; concretos, qui tamē intimas eius partes nō madefaciant.

madefaciant. quocirca humores quoque cognoscimus: ut si pallida sit, amaræ bilis humores; si atra, melancholicos esse intelligamus. simili quoque ratione de ceteris iudicandum, de quibus paulo ante dixi, cum interpretarer orationem, in qua hæc insunt uerba, linguæ uirides, biliosæ. E

*Si carnes gustanti salsæ uideantur, superuacaneæ materiæ signum erit.* 17

Non solum linguæ color redundantes humores indicat, sed etiam gustandi facultas, qua prædita est: quare nonnulli, qui amarum in lingua succum habent, omnia, quamuis dulcissima sint, amara tamẽ esse suspicantur: quod ijs, qui arquato morbo laborant, usu uenit. nonnulli uero salsa, propter eum saporem, qui salsus appellatur. atque huius quidam rei euidens in bene ualentibus argumentum est: propterea quod si quis absinthium gustarit, statimque aliquid aliud postea gustet, illud ei amarum uidebitur. Si item sal mandatur, tum aliquid confestim ingeretur, illud quoque gustatui salsum apparebit. simili quoque modo in morbosis affectionibus, cum lingua impura, & excrementis imbuta sit, cibi redũdantium in ea humorum saporem pro natura excrementi referent: si modo cibus, qui gustatur, omnis uehementis qualitatis sit expers. sin secus, mistus quidam duorum saporũ sensus in lingua erit, & eius, qui in ipsa redundat, & eius qui in cibo ingesto dominatur: quædam enim admodum salsa sunt, quædã amara, quædam acria, ut acida alia, & dulcia. mista igitur, ut dixi, si quis ea gustarit, ex his erit saporũ dignotio, eius qui iam linguam occuparit, & eius, qui extrinsecus ipsam attingit. quapropter Hippocrates unũ quoddã ex his sibi ipse memoriæ causa descripsit, ut in his facere commentarijs consueuit. F

*Si papillæ mammarum, & rubrum earum pallidum sit, uasculum ægrotat.* 18

Vterum appellare uasculum, non sapit dicendi rationem Hippocratis: perspicuum tamen est, quod hic dicitur; quia si quod ex prædictis signis circa mammas appareat, morbosam in utero affectionẽ esse indicabit. uos autem, quæ nam sit inter mammas uterũq; societas, iam sæpe audiuistis.

*Sordes aurium in hominibus dulcis, letalis est: amara autem, non item.* 19

Posset fortasse aliquis æger sordes aurium gustare: at id Medico præcipere, esset plane sordidum. ceterum constat, nullo alio tempore gustari sordes dulces posse, nisi quo cerebrum ægrotat: siquidem est sordibus natura comparatum, amaræ ut sint: quare ipsas liquescente cerebro fieri dulces aiunt.

*In diuturnis morbis, solum mutare, utile est.* 20

Siue nauigatione, siue terrestri itinere in alienam terram quis proficiscatur, motus qui in itinere, aut nauigatione fit, aut aeris mutatio proderit: præsertim uero cum in aerem, qui cõtrario temperamento sit, fiat migratio. dico autem contrarium temperamentum non solum temperamento aeris illius regionis, in qua æger degebat, sed ipsi itidem morbo: ut si humidus morbus sit, aerem, in quem perueneris, sicciorem postulabit: si siccus, humidiorem simili quoque modo si calidus, frigidiorem, si frigidus, calidiorem. Si item calidus & siccus, humidiorem, frigidioremque: & sic in alijs cõiugationibus est faciẽdum. iam uero, qui solum uerterit, maiorem fructum feret, si pro modo, quo morbus a naturali statu declinauit, in aerem contrarium fiat mutatio: nam morbus, qui a naturali temperie ad paulo frigidiorẽ recessit, aerem mediocri temperie paulo calidiorem requirit: qui uero longius, is etiam magnum excessum ad contrarium postulat. de regionibus quoque idem tibi dictum puta: ea enim inter se contraria accurate sunt, quæ a medio, & a commoderato ad utrunque latus æqualiter recedunt. G A.l.1.f.4.c.1. p.134.F

*Cibi imbecilliores breuem uitam habent.* 21

Nihil aliud per cibũ imbecillum potest intelligi, quàm is, qui parum alimenti corpori dat. in hoc genere sunt olera, & plurimi arborum fructus. hos ait breuem uitã habere, hoc est, aptos esse, ut eos, qui illis uescuntur, breuis uitæ efficiant, cum e corpore celeriter euacuentur. Sed affectatũ dicendi genus est, ut moram ciborum in corporibus, pro uita ipsorum accipiamus. H

*In cedmatis uenas in auribus, posteriores secare conuenit.* 22

Cedmata uocat defluxus in crura decumbentes: maxime uero eos, qui in primum articulum, ubi coxendix est, impetum faciunt. Sed præceptum hoc de uena secanda non uerum esse mihi persuadeo: ut nec etiam cuiquam eorum, qui id recipiunt, est accurare persuasum. id te ipsa declarant, quia in ægrotis hoc remedio nunquam utuntur. ceterum nõ est satis propria locutio: scribit enim uenas in auribus, cum non in auribus, sed circa aures dicendum sit: siquidem uenæ quædam post aures insignes sunt: in auribus uero, quædam perexiguæ, & uix aspectabiles, & quæ plerunque nihil apparent.

*Venus morbis, qui ex pituita procreantur, utilis est.* 23

Vsus rerum uenerearum non omnibus ijs, qui ex pituita laborant, sed quorum uires robustæ sunt, utilis est: imbecilli enim cum ab earum usu ad extremam debilitatem redigantur, magnopere læduntur. qui uero uires habent robustas, non soluentur, sed inde utilitatem capient, quod res venereæ redundantiam pituitæ exiccent: nostis enim concubitum, non secus quàm uigiliam, exiccare, quod humores

A humores ualde per halitum digerat. at concubitus robustorum corpus calfacit: imbecillorum uero confestim quidem calfacit, sed postea mirum in modum refrigerat.

24 *Validi potus, ac cibi calido præditos uentriculo perturbant.*

Non, ut paulo ante ualidum uictum esse diximus, qui ex cibis multum nutrientibus constat, ita hoc loco ualidos potus, ac cibos intelligere debemus, qui multum alimenti corpori afferant: sed qui uim talem habeant, ut cepa, allium, laser, eiusque liquor, uinum uetustissimum, atque alia, quæ naturalem intemperiem augent: quæ autem illi contraria sunt, ea sunt utilissima. naturas autem culpa uacantes a similibus, intemperatas uero, sicut etiam morbos ab ijs, quæ earum sunt temperamento contraria iuuari, iam sæpe perspeximus, quidam uero huius libri interpretes sequentis particulę initium uoluerunt esse huius, quæ proposita nobis est, finem; ut tota sit huiusmodi: Validi potus, ac cibi calido præditis uentriculo perturbant atram bilem. est autem plane perspicuum, eiusmodi cibos ac potus uim habere conturbandi ea, quæ in uentriculo sunt, in ijs, qui eundem calidum habent: in omnibus tamen non perturbant ea, quæ sunt in toto corpore; sed quorum temperamentum aut calidum, aut siccum est, aut utraque qualitate immodica præditum. unde hæc cibaria non solum atram bilem, sed flauam etiam per B turbant. fortasse autem atra bilis perturbata maius afferre detrimentum solet. proinde uolunt hic de ipsa per excellentiam intelligi. plurimi tamen his uerbis per se circunscriptis, initium sequentis orationis hoc modo fecerunt.

25 *Atra bilis, ut simile per hæmorrhoidas profluat.*

Euidenter constat, melancholias ex hæmorrhoidibus leuari: multosque uidimus, illis suppressis, insanos factos esse: quosdam uero non semel, aut iterum, sed & ter, & quater, simulatque suppressa hæmorrhois est, in insaniam incidisse: quosdam singulis annis hoc malo correptos esse, nisi prius per has uenas aut medicamentum, quo atra bilis purgata esset, incommodum ante uertissent. plerisque autem eorum, non omnibus tamen, sanguis ater euacuatur. ceterum non una de causa hæmorrhoides aperiuntur, sed interdum, cum natura melancholicum humorem expurgat: interdum cum plenitudinem excernit, ut accidit etiam ijs, quibus de naribus sanguis prorumpit: interdum uero uena sanguinis in ipsam irrumpentis impetu patefacta, cum id prouide natura non facit. quocirca quod euacuatur, interdum atrum non est. quinetiam natura quandoque ora uenarum aperit, ut quod atrum est euacuetur, sed accidit, ut prauo euacuato, bonus sanguis subsequatur: nisi prius uasculum occluda-C tur, sed diutius apertum maneat. in proposita igitur oratione, non est existimandum ab Hippocrate dici, atram bilim ab omni hæmorrhoide uacuari: itaque cum aperitur, melancholicis prodesse: cum supprimitur, eosdem lædere: eamque si claudatur, esse aperiendam.

26 *Morbos increscentes mistio.*

Lædat ne, an eos iuuet mistio, prætermissum est: cum tamen omnes interpretes, præter unum Herculem Erythræum, nescio quo modo iuuari ipsos statuant, mistionemque pro congressu cum muliere accipiant. cumque omnes inter se de significatione uocis increscentes, dissentiant, ego id solum, quod maxime probabile mihi uidetur, ut in ænigmatis facere soleo, nunc afferam. morbos igitur increscentes eos intelligo, qui progressu temporis augentur, atque in peius semper labuntur, nisi prius sol-uantur, quales sunt podagræ, articulorum dolores, renum affectus, morbi comitiales, melancholiæ, qui omnes a rebus uenereis læduntur. Sabinus autem esse increscentes morbos uoluit eos, qui in pueris orti, unà cum eis usque ad ætatem Veneri aptam, augentur, ut morbum comitialem, insaniam, quartanam febrem, capitisque dolorem. non omnes tamen his affectibus esse obnoxij, præterquam morbo comitiali, uidentur. quem etiam uel ob hanc causam puerilem morbum ueteres appellarunt.

A. l.3. f.1. c.5. c.3. B. p.385.

D gignitur etiam pueris calculus in uesica: non tamen ita multis, ut comitialis morbus: quem quidem in puerilis ætatis mutatione plerunque, nisi magnus in uictu error committatur, dissolui contingit: at calculus uesicæ non mutatione ætatis, sed sola chirurgia curatur. itaque cum nos etiam sine hac dictione, sciamus, comitialem & alios omnes pituitosos morbos mutatione ex puerili ætate in adolescentiam magnopere iuuari, quamuis nullus uenereorum usus intercedat, cumque perspectum habeamus, neque dolores articulorum, neque febrem quartanam, neque renum affectus a rebus uenereis sedari, efficitur, ut ex hac dictione, quæ ænigmatis speciem præfert, nullum fructum, sicut neque etiam a ceteris, quæ huiusmodi sunt, percipiamus. concubitus autem quandoque prodest refrigerando, ijs nimirum solis utilis, in quibus fuliginosi, fumidique halitus ob naturalem intemperiem continentur: qui quidem si retenti sint, grauiter, lædunt: atque hi sunt, quibus usus rerum uenerearum opportunus & modicus prodest.

27 *Refrigeratio, quæ circa uentrem fiunt, durat.*

In hac etiam particula inest aliquid, quod omnibus ijs, qui artem exercent, utile est, siue illi empirici, siue dogmatici sint: aliquid uero quod ijs solis conducit, qui omnium eorũ, quæ fiunt, causas scire sibi proposuerũt, ego uero de priore, quod oĩbus utile est, uerba faciã. in his igitur uerbis, refrigeratio, quæ

quæ circa uentrem ſunt, durat, omnes, quos quidem ego norim, communiter acceperunt, de alui E
deiectionibus haberi ſermonem, qui idem ualeat, quod ille in aphoriſmis. at inquit, ſi aquilonia
fuerit, tuſſes, fauces, alui duræ. utrum uero partium corporis extimarum ſolum refrigerationem
dicat, quæ in aquilonijs etiam conſtitutionibus accidit, an internarum, in quibus eæ quoque ſunt,
quæ ad uentrem pertinent, interpretes non conſiderarunt, quamuis inter eas non mediocris ſit
differentia: nos enim ea, quæ hominibus accidunt, obſeruantes, refrigerationem exteriorum ſemper
durare uentrem perſpeximus: interiorum uero contra humectare, ſiquidem eas affectiones gignit, quæ
cæliacæ nominantur, atque interdum, cum ipſa interiorum membrorum corpora duriora fiunt, hu-
mores uero cibis nec recte concoctis, nec diſtributis deſcendunt. hæc autem medicos omnes noſſe ne
ceſſe eſt: eorum uero cauſas ſolum præſtantiſſimos: neque enim, quod interpretes hoc loco attule-
runt, uerum eſt, quia frigus cogat, & congelet ea corpora, quæ attingit, ideo eadem reddere duriora:
nam hoc de partibus, quæ non intimæ ſunt, refrigeratis dici recte poſſet, at partes uentris non poſſunt
ad tantam refrigerationem perduci, ut eſculenta, poculentaque congelata; ſicut alia extra corpus no
ſtrum per hiemẽ, obdureſcant: ſiquidem homo prius, quàm tantopere refrigeraretur, interiret. ſed eo
ſolum tempore, quo extimæ partes ab aere ambiente refrigerantur, uentris partibus incolumibus ſer-
uatis, obduratæ deiectiones apparent: cum uenter factus ſit calidior, ut ipſe dixit, Ventres hieme, ac F
uere calidiſſimi ſunt natura. inuenies autem interpretes ſemper dicẽtes, calidum a frigido in intimas
corporis partes retruſum refugere, cum exteriores frigent. quare nũc quoque ita dicam, cum calidior
effectus uenter eſt, ſuppreſſaque deiectio ob eam cauſam, quam paulo poſt afferam, ſimul optime con
coqui cibum, & uniuerſum ex alimento ſuccum diſtribui. quod ubi fit, ibi conſequitur, ut deiectiones
obdureſcant. cum autem duæ cauſæ ſint, quæ contacta corpora durent, quarum altera refrigerat, ſiccat,
altera, cauſa refrigerans ad ea, quæ uentre continentur, nobis uiuentibus peruenire nullo pacto poteſt:
altera uero ob diuturnam intus motam, cum neque concoctio, neque diſtributio læſa ſit, omnino eue-
niet. reliquum autem eſt, ut quod hactenus diſtulimus, explicemus, quid cauſæ ſit, cur cum aer nos am-
biens ſit frigidior, quæ in uentre ſunt, ibi diutius immorentur. quod autem euenit, tale eſt. ut cibi per
inteſtina deferantur, naturale opus eſt: & in commentarijs de naturalibus facultatibus oſtenſum eſt, id
effici, inteſtinis illos conſtringentibus. ſunt autem imis partibus impoſiti muſculi, ſedem claudentes,
qui per frigus coguntur, ac conſtringuntur, & contrariam affectionem contrahunt, quàm cum quis
aqua calida eos perfuderit: propterea quod tum relaxantur, & excrementa impulſu, conſtrictioneq;
inteſtinorum in ſedem depulſa, maxime uero colore prouocante, ſuſcipiunt: conſtat enim excretiones
a calore prouocari. at ſedis partibus refrigeratis, ac proinde coactis, & conſtrictis, contrarium ſympto G
ma conſequitur: conſtringentem ſcilicet inteſtinorum actionem ab infernis partibus incipientem ſur
ſum propellere ea, quæ contineantur, ut plerunque euidenter conſpicitur, cum aut bilem, aut morda-
cia excrementa ad ſedem defluentia ſponte retinemus, quod uel aliquo negotio tum impediti ſimus,
uel latrina procul abſit: Surſum enim illa ſtatim recurrunt, ut ne ui quidem adhibita poſtea prompte
obediant. cauſa igitur, ob quam eſculenta, & poculenta in uentre diutius manent, cum aer nos am-
biens frigidus eſt. expoſita eſt nobis, huic autem comitari ſiccitatem, ſicut euidenter ſiccitati duritiã,
oſtendimus. ſi uero particularum uentris corpora refrigerata ſint, tunc & concoctionem uitiari, & per
eam deiectiones humectari potius, quàm ſiceſcere, neceſſe erit. abſoluto igitur toto ſermone, qui de
priore lectione inſtitutus erat, tranſitum ad alias infra ſcriptas faciamus.

*Concubitus quæ in uentre ſunt, durat.* 28

Totum corpus uſu rerum uenerearum exiccari planum eſt: non tamen ſemper alui excrementa pro
pterea fieri ſicciora uidemus: ſed quando illa ſit ab ipſis ſummopere ob uirium diſſolutionem grauata,
& item refrigerationem earum partium, a quibus alimentum concoquitur, & quæ uentre contenta
ſunt, diſtribuuntur, tunc concubitus quæ in uentre ſunt, refrigerat, & durat: uolunt enim ex concubi- H
tu, quæ in uentre ſunt, frigefieri, ex frigore uero ſiccitatem ſequi: cum tamen ſiccitatem non frigoris,
ſed duritiæ ratione fieri docuerimus. quod autem ſuperius non dixi, erit fortaſſe melius hic adiungere:
cum enim extimarum partium refrigerationẽ durare deiectiones probarim. exiſtimabit fortaſſe quiſ-
piam, hanc ſolam cauſam eſſe, cur, quæ in uentre ſunt, exiccentur, non eſt autem hæc ſola, ſed ipſa quo-
que conſtringentis inteſtinorum facultatis imbecillitas, & item contentricis, & eius, per quam ea, quæ
in uentre ſunt, in iecur diſtribuũtur, robur: præterea uero obtuſus inteſtinorum ſenſus, & alimentum
morſu uacans. quod ſi quis putat, omiſſos eſſe in his cibos, potuſque adſtringentes, is falſo putat: in ijs
enim, quæ contentricem facultatem roborant, comprehenduntur.

*Veratrum epotum ſi purgare celerius uis, lauare, aut comedere oportet.* 29

Vniuerſalis, communiſque purgationis cuiuſq; ratio tradita eſt eo aphoriſmo, qui eſt huiuſmodi,
corpora, cum purgare quis uelit, fluida faciat. hic uero in uno medicamento, quod omnium purgan-
tium uehementiſſimum eſt, unius ad facilem fluxum præparationis mentionem fecit. quæ ex balneo
exiſtit, cuius uis eſt, humores ut fundat, laxetq;, ſi qua ex parte contentum, duratũq; corpus ſit. prodeſt
igitur ijs, qui ueratrum ſumunt, neque multo ante, neque multo poſt illud ſumptum, lauari: maxime
autem

A autem prius, quàm sumpserint: possunt tamen etiam statim illo hausto. at si purgatione iam incipiente, aut non ita multo post inceptura, hominem laues, motum humorum ad interiora a medicaméto tractorum reuelles, itaque ut ijs, quorum sanguis est crassus, iussit, ut ante uenæ sectionem lauent, ita quos sumus purgaturi, prius lauemus, ut celerius, & minore cum molestia purgentur. ipse uero hoc loco solius celeritatis meminit. præstiterit autem non solum eo die, quo medicamentum homo bibit, lauari, sed superioribus etiam diebus quibus ad purgationem corpus parabat. id ipsum Hippocrates censuit, cum in aphorismis ita scriptum reliquit: Ad ueratra, ijs qui non facile purgãtur, corpus alimẽto, & quiete prius humectandum. si autem quiete, & alimento humectandum esse corpus iubet, certe ut etiam lauationibus pluribus in aquis potabilibus, utamur, nobis consulit: quando hæ quoque humectant, nunc uero addidit etiam comedere, quod intelligendum est, aut eo tempore, quo ueratrũ homo sumpsit, aut superiore uictus ratione, cuius aliud etiam esse caput diximus, ut humores attenuet, ac uias humoribus qui in uentrem deferuntur, expeditas paret: hæc enim in eo, quod in aphorismo dixit, fluida facere, continentur.

30 *Sanguis per somnum ad interiora magis abit.*

B Supra quoque hanc sententiam conscripsit: uigilans calidior exterius, frigidior interius est: dormiens, contra. itaque nunc puta illam explanationem esse huius etiam communem. nam quæ de motu caloris, deque migratione in uigilantibus, ac dormientibus ibi audiuisti, eadem te de sanguine audisse puta: siquidem natiuus calor tum in ipso, tum in ijs, quæ ex ipso nutriuntur, maxima ex parte consistit.

31 *Rigor a uentre superiore, ignis potius ab inferiore.*

Ex partibus uentris superior rigorem magis, inferior febrim efficit, aut sentit, aut initium ei tribuit: quod etiam est uerisimilius: & hanc ob rem additum esse uerbum, potius, existimo, tanquam se uicissim, quæ dicta sunt, solum comprehendant. sed si hoc etiam concedamus, existit alia quædam quæstio, cum ignoremus, utrum prædictis partibus inflammatis id dicat euenire: an cum succi aliqui mordaces e corpore in ipsas confluxerint: an uero cum alimentum corruptum sit. ac mihi quidem potius placet, eum uerba facere de noxa, quæ ex humoribus proficiscitur. deque ciborum corruptela, quæ ex illa consequit̃: nam cũ uel frigidus, uel mordax succus in ore uentriculi sit coaceruatus, ex ciborum corruptela, aut praua qualitate, aut etiam confluxu ex corpore contractus, tum initium rigoris inde ducitur. in libro autem, qui de rigore est, rigorem a causa frigida, aut mordaci excitari, cum ea
C per sensibilia corpora mouetur, ac uehementius fertur, ostendimus. atque ut hoc accidere conspicitur, ita ex corruptis cibis febrem accendi nonnunquam uidemus: cum ij corrupti in uentrem inferiorem demissi sint. quo sane tempore rigor non præcedit, ut quando uentriculi os mordebatur.

32 *Attractio, pulmo, aridus æstus, immodice euacuatum somnus multus exiccat.*

Quod euacuatum est, a multo somno exiccari, cum experientia, qua omnes rationes iudicantur, percipies: tum uero antequam experiare, ad hoc credendum ab ijs, quæ ante didicisti, perduceris: nam si in somnis sanguis, & cum eo natiuus calor intimas partes petit, in uigilia uero foras profunditur, certe quæ in uentriculo & iecore sunt, in quiete concoquentur: in uigilia uero totum corpus nutrietur. quare si in euacuatis calor interius uergit, nec quicquam habet, quod concoquat, contabescit: nam ipse primus omnium est, qui, ut ignis ex lignis, sic ex alimentis nutritur. caute autem additum est, multus: quando quidem paucus, laborem antegressum sedat, cum homini est facta per uentrem euacuatio: deinde si in iecore, & primis uenis crudorum humorum sint ullæ reliquiæ, eas omnes concoquit. atque hæc quidem secunda huius sermonis pars nullum magnum in uerbis errorem habet: at prima quæ ita scripta est, Attractio, pulmo, aridus æstus, plurimum ab usitato Græcorum loquendi genere
D abest: erat enim ita efferenda: Attractio fit, quia aridus æstus in pulmonis temperamento est: ut attractio pro inspiratione accipiatur. Quinctus uero non ideo celerem, frequentemque fieri spirationem uult, quod siccus calidusque pulmo sit, sed contra, ex tali spiratione pulmonem exiccari, & calefieri noluit idem attractionem significare omnem absolute respirationem, sed eam, quæ celeris, frequensque sit. ceterum a frequenti spiratione pulmonem exiccari, ipse etiam in libro de ratione uictus in acutis morbis docuit.

33 *Frigidissimum edulium est lens, milium, cucurbita.*

Milium, & cucurbita etsi non frigidissima sunt edulia, frigida tamen euidenter sunt: at lentem frigidum esse edulium, non concesserim: ut enim cucurbitæ, & cum eis atriplex, blitum, lactuca, chondrilla, & ex frumentaceis hordeum, & milium manifesto refrigerare conspiciuntur, ita contraria ratione lens nullam refrigerationem affert, neque statim ut ingesta est, & adhuc in uentre superiore continetur, neque posterius, cum in tenuia, crassave intestina deuenerit. sed quoniam in libris de medicamentis simplicibus, in succo adstringente uim quandam refrigerandi inesse docuimus, ideo arbitrabitur fortasse quispiã, lentẽ refrigerare: oblitus nimirũ, in ijsdẽ nos libris dixisse, unũquodq; horũ & uideri & dici simplex, si ijs, quæ a nobis cõponuntur, comparetur: simplex tamen exquisite non esse. porrò in primo de

facultatibus

facultatibus alimentorum libro lentem ex contrarijs conflatam esse substantijs ostendimus, altera, qua E aluum cohibet; altera, qua eandem citat. harum, quæ compescit, frigida, terreaque est: quæ ad excretionem irritat, calida. quam ob rem lens exiccans edulium est, frigidum uero nullo modo, sicut neq; calidum, sed ex utroque mistum, & medium: uel parumper a medio ad calidius declinans. Vbi igitur ne simpliciter quidem frigidam esse lentem quis concesserit, quomodo eam per superlationem frigidissimam dixerit? quinetiam lens inflammatis ulceribus cataplasmatis modo superdata humores in partem affectam confluentes coercere, ac repellere uidetur, quod ui adstringente nimirum facit. iam uero habere etiam aliquam uim concoquendi, & suppurandi uidetur, quod frigidis minime inest. siue igitur Hippocrates ipse ita scripserit, siue alius quis hæc uerba interiecerit, is certe de uiribus lentis non recte sensit.

*Si non purgatus quis laboret, ulcera exorientur.* 34

Iam alibi didicimus, in laboribus, hoc est exercitationibus calorem adauctum ex intimis partibus ad cutim humores perducere, & per halitum digerere. ubi igitur hi uitiosi in corpore coaceruati sint, sua acrimonia cutim erodunt, ulceraque procreant, sicut ubi crassi, glutinosique sunt, iecur, & renes obstruunt: & in cute affectus cum tumore coniunctos gignunt. F

*Mulier, & capra elaterium, aut syluestrem cucumerem comedentes, pueris purgatio.* 35

Non solum si elaterium, quod cucumeris syluestris succus est, sicut neque si ipsum solum cucumerẽ mulieres comederint, sed etiam si quod aliud medicamentum, de numero eorum, quæ subducentia uocantur, sumpserint, lac puerorum lactentium purgans reddent. siue autem dicat, mulierem sumpto elaterio, capram uero cucumere syluestri, siue utroque ab utraque deuorato, pueros suo lacte purgare, nihil interest: sicut neque si comedentes, aut uescentes quispiam scribat. hæc autem oratio & ad medicinæ usum, & ad naturale decretum est utilis: nam cum infantes purgare uolumus, siquid tale comedendum matri lactanti, aut capræ damus, ea ratione infantem purgamus: itemque ualet ad ferendam de illo decreto, de quo controuersia est sententiam: cum enim quidam existiment, nullam facultatem ex ijs quæ primum in alimentis erant, post concoctionem, & in sanguinem mutationem remanere; alij fuere, qui facultates eorum perdurare diu ualidas uolunt, usque adeo ut etiam earum uis in sudoribus sentiatur: id quod ea, quæ modo dicuntur, attestantur: siquidem in eis facultatẽ eorum, quæ ingesta sint, seruari uidemus. quinetiam apud nos uerno tempore cum capræ germina scammoneæ depastæ sunt, lac gignunt. quod purgandi uim habet. idem quoque usu uenit, si tithymallum comedant. in G Doride quoque, & Bœotia, & Thessalia, omnibusque finitimis locis multi ex coturnicum esu musculorum distentionibus correpti sunt: quod illæ ueratrum comedissent. id ipsum quibusdam, qui largius coturnicibus uescebantur, Athenis accidisse conspeximus.

*Percalido, quod comederit, intus refrigeratio, extra labor, sole, igne, ueste, æstiuo tempore: contrario autem contrarium.* 36

Percalidæ naturæ dixit refrigerationem, aquæ potum conuenire: præterea uero, ut quiescat, hoc est, ut a uehementibus exercitationibus abstineat. quomodo igitur hoc loco, ut quidam interpretantur, exerceri iubet? quomodo etiam in Sole & ad ignem calefieri? ostendimus enim huiusmodi temperaturas a balneis refrigerari, quod fumidi, ac fuliginosi uapores, qui in calidis gigni temperaturis solent, extinguantur: & quod humiditas solida membra madefaciendo refrigeret. ignis autem & Sol, itẽque uestis, & æstiuum tempus calefaciunt. quam ob rem ita in aphorismis scriptum reliquit: Verno autem tempore, atque extrema æstate pueri, quique his ætate sunt proximi, optime degunt, & rectissime ualent: æstate, & autumno ad aliquam usque partem, senes: reliqua eius parte, atque hieme, qui in media sunt ætate constituti. quocirca si calida ætas hieme, frigida uero, æstate melius habet, non est H existimandum, ipsum credidisse, calidiores natura a Sole, igne, æstiuoque tempore iuuari, sed lædi. ceterum quod in principio sententiæ ait, percalido: aliquid exposcit, quod subaudiatur, ut temperaturæ, aut naturæ, aut corpori, aut homini. sed quod ex repugnantia subiunxit, indicat, corpori aut homini potius, quàm temperaturæ, & naturæ nomen esse intelligendum: alioqui enim dixisset, contrariæ autem contraria: & fœmininum articulum fœmininis, non masculinum masculinis addidisset. tota igitur oratio talis erit: percalido corpori ex cibis, potionibusque comparata refrigeratio intus conuenit: nocet autem exterior calor a Sole, igni, æstiuo tempore, & uestimentis; a quibus omnibus siccus calor significatur: nam humidum, & moderatum, qualis balneorum est, potestate refrigerare ostendimus. planum autem est, in huiusmodi sermonibus, ubi non adiungimus aquarum spõte nascentium, aut marinarum, aut sulfurearum, aut aluminosarum, semper has consuetas balneas intelligi: nam illæ siccant, †& calfaciunt, non refrigerant. contrariæ autem naturæ corpori, contraria. hic etiam subaudiẽdum est, iuuantibus iuuantia: & lædentibus lædentia: hæc ut fugiamus, illa ut asciscamus: si enim calidiores naturas cibis, potibusque iussit refrigerari: certe frigidiores contrarijs esse calfaciendas statuet. iam uero si calidiores naturas a Sole, ab igni, atq; æstate lædi cẽsuit, profecto frigidiores ab eisdem iuuari, & a contrarijs lædi confirmabit.

†Locus ĩ græco codice corruptus, sed emendatus ex Orib. lib. 10. cap. 3.

37 A *Cibi partim cito, partim sero uincuntur.*

Solus Capito ex ijs, quos ego quidem uiderim, pro sero, scripsit contra, huiusmodique orationem esse uoluit; cibi partim cito conficiuntur, partim contra. eadem autem ex utraque lectione est sententia: ait enim ea, quibus uescimur, inter se differre, quod alia celeriter a corpore uincantur, alia tarde. ceterum quod ait uincuntur, accipi debet pro eo, quod est, mutantur, & concoquuntur, apponuntur, & corpori similia redduntur. ex singulis antem edulijs alia cito conficiuntur, in sanguinem mutantur, & alimentum præbent: alia uero tardius: quæ omnia in tribus de facultatibus alimentorum commentarijs sumus diligenter persecuti.

# GALENI IN SEXTVM DE VVLGARIB. MORBIS HIPPOCRATIS.

## COMMENTARIVS VI.

1 B *CARNES ex uentre & extrinsecus trahere, sensus indicat: quia inspirabile, & expirabile corpus est.*

Ait, carnes ad se ex uentre, & extrinsecus attrahere: atque ex uentre quidē esculentorum, poculentorumque succum, a quo nutriuntur: at extrinsecus, nō eodem modo: siquidem incertum est, alimentum ne, an aerem dicat: fieri enim potest, ut, quemadmodum carnes alimentum ex uentriculo trahunt, sic idem ab extimis partibus in intimas reuocent. potest etiā aer a carnibus per arterias ad cutim pertinentes attractus, ad ipsas deferri: quod magis uidetur cum tota hac uerborum comprehensione conuenire: sed de attractione controuersia est: nam & medici, & philosophi nōnulli eam penitus esse negauerunt: nonnulli eā quidem esse, sed non in carnibus. dixi autem horum omniū demonstrationes in commentarijs, qui ad explanationem aliorum pertinent, a me scribi non posse: & quod sæpe eadem inculcare cogerer, & quod tanta esset multitudo, longitudoque commentariorum, ut ne numerari quidem facile possent: immo uero ne uniuersum uitæ tempus satis esset ad librorum Hippocratis explanationes conscribendas, si in qualibet parte cuiusque decreti demonstrationes sem-
C per afferrem. molesta quoque res lecturis esset, & commentarios comparaturis longo tēpore, magnaque impensa conscriberentur. quare existimaui melius esse, si in his commentarijs cuiusque partis sententiam exponerem, quod est interpretis propriū: interdum uero ijs, quæ ab ipso dicuntur, causas congruentes decretis alibi demonstratis subiungerē, ipsa autem decreta hoc loco rationibus nō confirmarem: solum memorarem, in quibus a me libris essent demonstrata, ut nunc faciam. itaque in libris de naturalibus facultatibus ostensum a nobis est, cum membra, quæ aluntur, proprium ad se succum attrahant, alimentum ad ipsa deferri. totum uero corpus inspirabile, expirabileque esse, & libro de usu respirationis, & eo de utilitate pulsuum est comprobatum: in quorum primo usum respirationis esse docuimus, ut moderatio caloris, qui in corde est, conseruetur: in altero uero, qui est de usu pulsuum caloris mediocritatem in toto corpore arteriarum opera custodiri. atque hæc quidem sola satis sint ad priorem orationis partem explanandam: quare ad secundam iam transeamus, in qua illud, sensus indicat, neque ad Hippocratis, neque omnino ad Græcorum loquendi consuetudinem dictum est. nonnulli antem castigantes, sensui scripserunt, ut talis sit oratio, perspicuum sensui est, totum corpus animalis inspirare, & expirare: quibus postea subijcitur, carnes ex uentre, & extrinsecus trahere, est a sensu confirmatum, quod est dicere, ab ijs, quæ nostris sensibus euidenter apparent. equidem uulgares
D quosdam homines audiui, qui quod eis ex potabilium aquarum balneis euenerat, admirabantur: nā cum dudum confecto per Solem itinere domum essent reuersi, squalidum corpus, & os aridissimum se habere, maximaque siti enectos esse, dicebant: a balneo uero & restinctam sitim esse, osque humidū redditum, & totum pariter corpus, depulso squalore, quo prius erat obsitum, molle, atque humidum, effectum. alij uero, se aperte percepisse, in solijs corpus suum aquam in se ipsos traxisse, affirmarūt. hæc autem, quæ etiam uulgo patent, sunt, huius decreti ab ipso sensu profecta testimonia. aliqua autem subtilioribus rationibus a medicis inuenta sunt, e quorum numero illud est, quod ipse deinceps attulit: quod in sequentibus uerbis intelligetis: nam ad hæc uerba percipienda, hæc satis esse possunt: quippe cum ex ijs quæ recte dicta sunt, facile quæ interpretes perperam literis mandarunt, deprehendere ualeamus.

2 *Calidior uenula sanguinis multitudine quod exustum est, gignit, ac statim excernit.*

Per calidiorem uenulam intelligenda arteria est: cum omnes, qui in Hippocratis libros explanationes conscripserunt, arterias appellare, uenas non ab hoc solum, sed ab alijs quoque multis ueteribus confiteantur. hæc igitur, inquit, uenula sanguinis copia incalescens, quod exustum est, gignit, atque excernit. exustum autem appellat, quod ex calore procreatur, estque ueluti fuligo humoris uehementius

calefacti.hoc autem quia calida temperatura eſt,tenuique conſiſtentia, facile excernitur. hâc ego pro- E
babiliorem eſſe explanationem duco , ſi quidem oporteat uerum ſimul & Hippocraticis decretis con
gruens nobis eſſe propoſitum . uerum autem eſſe decretum,quod modo propoſui, cum in libro de uſu
reſpirationis,tum in eo de uſu pulſuum eſt demonſtratum:ex ea enim inſpiratione,qua & per os,& per
uniuerſam cutim animantes utuntur,duplicem exiſtere utilitatem docuimus : ut natiuus calor perpe-
tuo refrigeratus roboretur,ne diſſipatus intereat,præſertim cum ex qualibet auctus cauſa eſt:&, ut ex-
citetur,fiatque ualentior,quando copia frigidioris materiæ grauatur : ut etiam ignis uentilatione ac-
cenditur.quin etiam duplex hic motus eſt ei propria atque innata exercitatio, quæ robur ei comparat:
ſiquidem hæc eſt utilitas,naturaque exercitationum.itaque cum ſupra dixerit,carnes ex uentriculo at-
trahere,& extrinſecus,tum addiderit corpus inſpirans,& expirans eſſe, & quomodo inſpiratio efficia-
tur,quemque uſum præſtet, docuerit,cum carnes eſſe attractrices aſſeruit,de expiratione uero nihil ſit
locutus ; merito fit,ut in propoſita oratione de ipſa uerba faciat : cũ eſt de arterijs inſtituta oratio , quæ
cordi quidem communis eſt,licet de illo eam eſſe,ſit obſcurius.eſſe autem communem,perſpicuum ex
hoc eſt:diximus,fuliginoſum excrementum ab innato calore in ſanguine procreari , præcipue cum ſit
ipſe calidior . expellendum igitur illud eſt,idque eſt molita natura , ut quæ ex corde eſſent excernen-
da,ea expiratione:quæ ex toto corpore,ea arteriarum compreſſione propelleret.hęc autem ex arterijs, F
& uenis,quas communia habere inter ſe ora docuimus,per cutim confeſtim compreſſis arterijs expel-
luntur:quæ uero ex corde,ea prius ſuſcipit pulmo,qui cordi cum dilatatur,attrahenti ; cum comprimi
tur expellenti præparatus eſt quaſi quoddam ſpiritus promptuarium. atque hæc eſt noſtra de his uer-
bis ſententia : & ſequentia uerba & his , & ſuperioribus congruere,paulo poſt oſtendemus.qui autem
hoc loco de ortu febris ardentis loqui Hippocratem uolunt , hi primum eam orationem,quæ de attra-
ctione carnium eſt,mancam relinquunt:propterea quod illæ non modo quod accommodatum eſt, in
ſe trahunt : ſed etiam quod tale non eſt,expellunt.attrahendi autem utilitas notior eſt : excernendi ue-
ro obſcurior,& aliquam rationem ad perſuadendum expoſcit . itaque ad ſequentem partem tranſea-
mus,quæ,ut nuper dixi,ad meliorem explanationem diſcernendam, nobis alicui erit adiumento .

*Et quibus quidem pingue,bilis flaua : quibus uero ſanguis,atra.* 3

Duæ ſuperioris particulæ explanationes ſunt memoria tenendæ : nos enim diximus , Hippocratem
demonſtrare utilitatem reſpirationis : hocque nomine intelligi ſpiritum in toto corpore ex arterijs ad
externa delatum:ſicut ore exeuntem,expirationem uocamus.quidam uero de febris ardentis ortu uer
ba fieri ſunt opinati : quorum ſententiam non admodum confirmare illud diximus,quod ait,quod exu
ſtum eſt,gignit,ſtatimque excernit : neque enim in ardentibus febribus ea confeſtim excernuntur,quę G
ipſi per uomitus,aut per aluum euacuari aſſerunt : neque neceſſe eſt,aliquod febris ardẽtis ſymptoma
in oratione,quæ de ortu eius eſt,commemorari.noſtram autem interpretationem eſſe, quàm hæc ſit,
meliorem affirmamus : primum quod in has reprehenſiones non cadit ; deinde , quod in hoc ſermone
totum decretum de ſpiritu intro,foraſque perlato traditum uidetur : quam rem in quibuſdam noſtris
commentarijs non ſolum per oris reſpirationem,ſed per diſflationem , quæ in toto corpore eſt , fieri
probauimus:cum nonnulli inſpirationem fieri dicãt:ut animalis ſpiritus generetur,ut Aſclepiades cen
ſuit:nonnulli uero,non ob id ſolum,ſed etiam ut uitalis procreetur, ut Eraſiſtrato placet : nonnulli de-
nique,ut hi ſpiritus nutriantur:referre uero uſum expirationis ignorent.Hippocrates autem,ut in præ-
dictis commentarijs oſtendimus,uerum uſum non modo eius expirationis,quæ per os,ſed etiam , quæ
per totum corpus fit,eſt hoc ſermone perſecutus. alios autem interpretes par eſt accuſare , quippe qui
obliti ſint,cuiuſnam auctoris librum explanent : alioqui enim in aliorum placita nõ deflexiſſent,omiſ-
ſo conſenſu eorum,quæ Hippocrates ſtatuit:nam cum ipſe clariſſime dicat,carnes ex uentriculo,& ex-
trinſecus attrahere,quod ualde ab ea ſententia diuerſum eſt,quæ alimenti diſtributionem a uentricu-
lo in corpus fieri conſecutione eius,quod inane eſt,cenſuit:primum exiſtimandum erat,non modo eo-
rum,quæ ſibi propria eſſent,uim attrahentem in eis eſſe,ſed etiam aliena expellentem:hoc enim ſequi- H
tur ex ſententia illorum,qui naturam ſaluti hominum conſulere ſtatuunt, in quibus etiam Eraſiſtratus
eſt:ſecundo uero loco quidnam excretione egeat,erat exponendum : neque enim dicent ſanguinem ,
quo alitur corpus : ſed illi neutrum horum fecerunt : at Hippocrates cum ex ijs , quæ ſenſui manifeſta
ſunt,utrunque euidenter comprobari,dixiſſet,mox ſe ad diſflationis in toto corpore uſum exponendũ
tranſtulit:cauſamque ortus fuliginoſorum excrementorum neceſſariam eſſe aſſeruit : ſiquidem calor ,
qui in corpore animantium eſt,eiuſmodi excrementa perpetuam euacuationem poſtulãtia creat . pro-
inde hac in parte materiam huiuſmodi excrementorum gignendorum aperuit : ut enim maior calor ad
ea gignenda aptus eſt,ita etiam materiæ quædam ſunt ad eorum ortum accommodatæ. quare non ſine
ratione atræ bilis mẽtionem fecit : uos enim duplicem eius eſſe ortum didiciſtis & ex ſanguine craſſo,
ut ex flaua bili exuſta . quod ſi de febris ardentis origine locutus eſſet , atræ bilis fruſtra meminiſſet.
quam ob rem uel ex hoc perſpicuum eſt , & noſtram explanationem ueram eſſe , & Hippocratis de- c
cretis congruere:illorum uero,non item.hanc autem eandem ſententiam in alia libri parte ſcripſit , &
nos expoſuimus : quo etiam loco illud monuimus , pingue non ſolum de opimo, & adipato ſed etiam
de quouis dulci dictum eſſe,debere exiſtimari:ut eo uerbo mel quoque , & ἕψημα , quod noſtri defru-
tum , uocant , comprehendatur.

*Frigidior*

4A *Frigidior in frigido tempore & regione calidior erit.*

Conſtat inter omnes neque eum,qui ob affectum aliquem,neque eum, qui ob ætatem frigidior ſit,
in frigida regione, frigidoque tempore fieri calidiorem poſſe. quam ob rem Sabinus hanç orationem
in ijs,qui natura frigidiores ſunt,ueram eſſe tradidit . & tamen ne in ijs quidem uera eſt, ſi abſolute, &
ſine hac conditione pronuncietur:euidens eſſe,frigus exterius circumpoſitum partes cutis denſare,ac
refrigerare:intimas uero corporis partes non pari modo afficere : ſed quemadmodum in aphoriſmis
definitum eſt, ubi ait,Eſt interdum,cum in diſtentione ſine ulcere iuueni quadrato,in media æſtate,co-
pioſæ frigidæ perfuſio calorem reuocat:ſic adhibēda nobis eſt hoc loco diſtinctio : frigus enim noſtro
corpori inſperſum aut eatenus intimas partes petit, quatenus illas, non ſecus quàm extimas refrige-
ret:aut ſolas eas refrigerat,quæ ad cutim ſunt.quod ergo in profundum penetrat , partes illic poſitas
refrigerat , nec mediocrem toti animali noxam affert.at eius ui in extimis corporis partibus diſſoluta,
tantum abeſt,ut intimas ſit refrigeraturum , ut etiam multo, quàm prius eorum temperamētum eſſet,
calidiores effecturum ſit. quicunque autem nunc uerba ab eo fieri putant de ijs,qui raram cutim,raraſ-
que ſub cute carnes habent : ij quia dicunt eos calore difflato frigidiores effici,& proinde cute condē
ſata, & calore,qui prius diſſipabatur,retento incaleſcere : aliquid ſane ueri pronunciant : non tamē ue-
B nire eos in hanc ſententiam oportebat,ut eos,qui ſic difflentur,frigidiores dici exiſtimarent:quādoqui
dem hæc,ut noſtis,humidis,calidiſque corporibus potiſſimum inſunt:ſecundo loco,calidis,licet nulla
ſit eis humiditas coniuncta : nullum autem frigidum corpus facile per halitum digeritur : ſed huic rei
humida minus , ſicca magis obnoxia ſunt . utriſque uero præſtant , quæ ſuapte natura calida ſunt . ita-
que in hac re falli eos exiſtimo.

5 *In doloribus proximum uentrem purga, ſanguinis autem uentrem ſeca.uſtio, ſectio, calefactio, refrigeratio, ſternutamentum. ſtirpium humores, in quibus uim habent, & Cyceon. maleficorum, lac, allium, uinum ferueſactum acetum, ſal.*

Enumerat hoc loco remedia,quæ ad paruos,magnoſque ſunt dolores accommodata : ut in aphoriſ-
mis quæ ſolum oculis dolentibus conueniant,ſcripſit hoc modo , Dolores oculorum meri potio , aut
balneum,aut fomentum,aut uenæ ſectio, aut epotum medicamentum ſoluit . nunc uero quædam re-
media ſubiunxit, oculorum doloribus incommoda . primum igitur omnium,quæ hoc ſermone enume
rata ſunt,eſt purgatio:quam * contentioſa,irritant,neque ſtulta * noſque remedia,quo
ordine ab eo ſcripta ſunt, plane declarauimus.prima uero eorum , quæ deinceps conſequuntur , eſt u-
ſtio:quæ ſolet adminiſtrari,cum loca maximis morbis ob prauorum humorum redundantiam affecta
C ſunt,ut in malignißimis ulceribus uſu uenit:cum interim nos palam igne candētibus ferramentis,inte-
rim uero medicamentis,adurendi ui præditis aduramus.poſt uſtionem ordine ſequitur ſectio: quæ ipſa
quoque in membris , in quibus ex antegreſſis magnis inflammationibus multū puris collectum erat,
dolores ſedat.hanc excipit calefactio, lauationibus nimirum,fomentiſq; adhibita.alias autem fomen
A. l. 3 ſ. 22. 2. c. 7. p. 747. A. torum materias didiciſtis,& quibus affectionibus dolorem inferentibus admouēdæ ſint.ut quæ in pe-
ctoris doloribus in uſum ueniant , in libro de ratione uictus in morbis acutis ipſe deſcripſit . oculis au
tem mollē ſpongiam adhibemus , cum locus calefactiones per ſacculos,& cataplaſmata nō ferat.quin
etiā conſperſio ex oleo, quæ calefactio eſt,in medijs corporis partibus,& capite dolores mitigat . iam
ex aquæ fotu dolor artuum tollitur.atque in dolentibus particulis eſt apud Medicos calfactionis uſus
& frequentiſſimus,& plurimus:nam & contenta laxat,repleta euacuat,& refrigerata calfacit.in dolori
bus autem refrigeratione utimur rarius.denſat ea exteriorem partium ſuperficiem, ideoq; difflationes
cohibet,diſtenta uero magis intēdit. quocirca refrigeratio eas modo calidas intēperies ſanat,quæ mul
titudine uacāt,ut in capitis doloribus ex æſtu,aut febris ardore contingit.quare caput oleo roſaceo fri
gido perſpergentes ſymptoma curamus:itemq; ignes ſacros propter redundantē calorē dolore uexan
tes, * & podagras quoq;,cū biliosa aut calida ſit defluxio.ab his uero ſubinde ſcriptū eſt,ſtirpiū
D ſucci,in quibus uim habent.quorū uerborū ſententia mihi eſſe talis uidetur : ſucci quoq; ſtirpium erūt
quādoq; doloribus remedio.hi autem permulti ſunt qui partim liquidi manent, partim condenſant̃. &
primum quidē oleum,ſi calidū adhibeatur,multiplicē nobis utilitatē curandis,leniēdiſq; doloribus af-
fert:deinde etiā alia multa,quæ multo plus, quā ipſum,calefaciūt,ut laurinū,cedrinū,ricininum,ſinapi
num,& raphaninum.atq; hæc ſane liquida ſunt:cōcreta uero alia magis,alia minus,& reſinæ, præcipue
autem inter eas,quæ ſponte ſua diſtillant:& thapſia quoq; & euphorbiū,& liquores omnes,ut cyrenai
cus,particus,medicus,aſſyrius,*ſagapenius,quiq; ex tithymallis,& qui ex panace fluit,qui,ꝓprie opo-
panax nominat̃.huius quoq; generis ſunt & chalbana,& alia multa,quæ oīa in cōmentarijs de medica
mentorum ſimpliciū facultatibus didiciſti.nūc uero ſiue liquor,ſiue ſuccus alicuius ſit,noīe humoris cō
† piſſelæum , legendum uidetur. prehenditur.ex hoc etiā eſt genere pix liquida,& quod † piceū uocatur:& quod in Cilicia capnelæum
dicitur,aliaq; innumera tū ex herbis,tū ex fruticibus,tū ex arboribus cōfecta,quorū cōmune nomē eſt
ſtirps,cuius hic Hippoc.meminit,cum ait,ſtirpiū humores.addidit autē,in quibus uim habēt.: & obſcu
ram orationē breuitate fecit.quā ob rē interpretes inter ſe diſſentiunt:uerbaq; nō modo aliter atq; ali-
ter interpretant̃,ſed etiā ſcribūt.ut igitur ne longior ſim in multis conſcribēdis, illis prætermiſſis,ea ſo
la in medium adducam, quæ mihi ueri ſimillima uidebuntur. Ex medicamentis igitur,quæ ſunt ad le-
niendos dolores apta, ut aliud alij affectioni , ita aliud eſt alij membro accommodatum . quia autem
hæc

hæc oratio commentarij modum excedit, eam exemplis breuiter persequi decreui, ac non omnes E
eas affectiones, quibus iunctus dolor est, non eadem medicamenta exposcere, hoc tibi exemplum esto. cum mordaces humores intestinis cõtinentur. prius ea inijcimus, quæ eluunt, in quorum numero sunt mulsa, & ptisanæ cremor. ubi autem hæc excreta sint, tum quæ morsus mitigant, quæque intestinis inhærentia, eorumque tunicas operientia tuentur a mordacibus humoribus superne in ea descendentibus, in sedem indimus: eduliaque boni succi, quæque difficulter corrumpuntur, eis offerimus. cum uero huiusmodi humores in uentre superiore, præcipue autem in eius ore sunt, primum ita affectis uomitum imperamus. si difficulter uomant, oleum, aut oleum aqua temperatum, aut quid simile sorbẽdum damus: inde autem citato uomitu, aliquid foris adstringens, & odoratum superdamus, interius uero cibos porrigimus, qui bonum succum creent, ægre corrumpantur, & nonnullam adstringendi uim habeant. Oculis uero dolentibus nihil horum efficimus, sed prius totum corpus expurgamus. si sanguis redundet, ad uenam cubiti externam, quam humerariam uocant, incidendam accedimus: mox uero medicamento quàm mollissimo, & minime mordaci utimur. deinde cum per totum diem usque ad uesperam ieiunarit, lauatum ducimus. at si neque purgatione, neque sanguinis detractione indigeat, tum prędictis medicamentis; & post illa, lauatione; sicut nostis, hosce dolores sedamus: neque ad morsus uentris collyrium ullum inijcimus, neque oculis tragi succum, aut caprillum adipem, aut ceratum morsu uacans, aut aliud huius generis, quale in sedem dare soliti sumus, adhibemus. hæc nobis loco exempli dixisse satis sit, ut, eidem affectioni diuersis in locis excitatæ non eadẽ esse adhibenda remedia probaremus: erat enim nobis propositum indicare, quo sensu dixerit Hippocrates, & stirpium humores, in quibus uim habent: nam in quibus, aut particulis, aut affectionibus, aut utendi modis necessario intelligitur. dico autem utendi modos, cum aut causam, quæ parti affectæ dolorem inuehit, prædicimus; aut flatuosum spiritum ex illa genitum discutimus: idque duobus modis efficimus, cum aut crassior & flatuosa illius pars extenuatur, aut corpus ipsum continens rarescit. est & alius præterea dolorem remouendi modus, qui in sensu hebetando uersatur. isque prudentiam non mediocrem desiderat, ut alia cum stupefacientibus misceantur, nec sola adhibeantur: nam quis est, qui nesciat, in medicamẽto, quod philonium uocatur, doloris cessationem a sensus stupore proficisci? quæ uero stuporem inducunt, sunt hæc, papaueris liquor, & alterci semen. at si hæc sola, & pauca admodum dẽtur, dolorem sedare non poterunt: si uero ea mensura assumantur, qua sedare dolorem queant, partem affectam non mediocri noxa afficient. itaq; ut ne magnopere noceant, sensumq; stupefaciant, Philo alia medicamenta, quæ admisceret, excogitauit. quanam autem uia, & ratione quispiam utatur, ut huiusmodi medicamenta conficiat, in libris de eorum compositione docuimus. itaq; de his hactenus. uideamus iam, quæ G
deinceps consequuntur, quorum est princeps omnium, cyceon. nos autem in commentarijs aphorismorum iam tradidimus, dolores oculorum, qui ex obstructione orti sint, uino sedari. nũc uero aliorum dolorum, quicunque eadem ratione excitantur, partim ex sanguinis crassitudine, partim ex frigore, uobis ueniat in mentem: cum sæpenumero in doloribus uentris, & capitis, cui hemicraneæ nomen est, meracius uinum sumptum illico, euidenterque iuuisse: tum somno accedente, ex toto eos sustulisse conspexeritis. uidistis autem non statim ieiuno, sed assumpto cibo, me uinum propinasse: nunc uero Hippocrates utrunque & cibum & potum coniunxit: siquidem tale quidpiam cyceon est, ut apud Homerum legistis, cum alia uino miscerentur, omniaque uinum haberent commune, fortasse uero uinum cum polenta miscebatur. necessario autem alia quoque misceri, quispiam putabit, hoc nomine cyceon ueteres significare uoluisse: ut potius hanc uocem in illum sensum usurpasse intelligatur. cum autem ego interdum alicui, quem dolor affligebat, iussissem, ut uino sine cibo uteretur, quo meam confirmarẽ sententiam, deprehendi, quẽadmodum uerebar, multis subito calidis uaporibus locum affectum petentibus, unde & inæqualis intemperies, & repletio illius membri consecuta est, eum esse uehemẽtius cruciatum. ostendimus autem, repletionem, corpora omnes in partes distendentem, infirmis partibus dolorem afferre: inæqualem uero intemperiem ideo id efficere, quod aliquæ partes adhuc sint integræ, aliquæ uero refrigeratæ sint illis proximæ: unde quæ male affectæ sunt, molestam refrigerationem adhuc integris impertiuntur. at quæ totæ refrigeratæ sunt, quæque, ut ita dicam, hecticam temperaturam quandam sunt adeptæ, non dolent: dolores enim inquit, excitantur in ijs, quorum naturæ mutantur, & corrumpuntur: non ijs, quorum sunt iam mutatæ, atque corruptæ. equidem uinum sine cibo epotum esse læsurum suspicabar: experientia uero idem attestata meam magis sententiam confirmauit. cyceon, cum in se cibum quoque contineat, non utique lædet: nam ex moderata utriusq; mistione æquabilis calefactio in affectis partibus paulatim augetur, quæ sine multis uaporibus quæ refrigerata sunt, calefacit, quæque impacta sunt, discutit: ea enim attenuata ac fusa, itemque continentibus ea corporibus rarioribus effectis, eas partes permeant, in quibus propter crassitudinem erant infarcta: quæ res ab ijs, quæ æquabiliter calfaciunt, fieri solent. iam uero sternutamenta quoque, nam & de ijs deinceps scripsit, capitis dolores, quos flatuosi spiritus copia excitauit, euidenter curare conspiciuntur. hæc igitur omnia cum eo, quod erat initio propositum, conuenire ostendimus, & perperam ab explanatoribus in multos sermones esse distributa. ad sequentem uero partem nos conferamus, quæ plus etiam ab omnibus superioribus, quàm ille inter se, discrepare uidetur. potest autem ipsa quoque, ut ego quidem puto, de doloribus, non secus, quàm illæ, intelligi: ab illis tamen malitia differre: siquidem maligni quidam

quidam dolores a maleficis excitantur, siue ea medicamenta malefica sint, quæ uenena nominantur, siue feræ uirus iaculantes, siue succi quidam ex prauo uictu, pestilentiq; aere in corpore geniti: ad quæ omnia pertinere dicta remedia, ut lac, ut allium, ut uinum feruefactum, ut acetum, & salem censeo. ac lac quidem aduersatur uenenis erodendo necantibus: propterea quod attemperatione ad ea opus est: allium uehementi refrigeratione lædentibus: uinum ijs, quæ mediocri. cum uero additum ei sit feruefactum, ideo ualde calidum possumus intelligere. potest etiam ita decoctum accipi, ut defrutum, quod uocant, factum sit: nam & hoc erodentes acrimonias temperat, acetum autem ut glutinosos humores, ut qui ex esu fungorum gignuntur, dissecare possit: uel refrigerandi causa, ut est ad thapsiam accommodatum. sal deniq;, ut totam maleficorum humorum, ac medicamentorum substantiam consumat. uerum quoniam corpora nostra non solum per simplices rerum nos attingentium qualitates, sed etiam per totam earum substantiam iuuantur, ac læduntur (nam id quoq; aliis nostris in commentarijs didicistis) ideo recte dictum utique fuerit, Et stirpium succi, in quibus uim habeant: proprietates enim quæ ex tota rei substantia prodeuntes nostris corporibus idoneæ, aut alienæ sunt, in quadruplici genere materiæ uersantur: nam aut purgantia medicamenta sunt, aut alimenta, aut tertio post hæc loco, quæ Hippocrates hic malefica nominauit: aut quarto, horum remedia. cumq; tertium materiæ genus in medi-

B camenta, quæ perniciosa dicuntur, & uenena ferarum diuidatur, ideo fit, ut eorum quoq; duplicia sint remedia: nam quæ perniciosis occurrunt, ἀλεξιφάρμακα, hoc est uenenorum auxilia: quæ ferarum ictibus, theriaca nuncupantur. sed existimabit fortasse quispiam, purgantium quoque medicamentorum materiem in perniciosis contineri: propterea quod ea supra modum sumpta nos perdant. quod si concesserimus, consequens etiam erit, ut alexipharmaca, & theriaca sint in perniciosis numeranda: quia ea quoque tollere homines queant, nisi quis parum eorum omnino assumat. quam ob rem medici multa medicamenta non mortifera uocare mihi uidentur, quod necessaria quædam eorum per occasiones utilitas existat: perniciosa uero, quæ nullo unquam tempore aut ægrotantes, aut bene ualentes homines adiuuant. nam neq; aconitum, neq; argentum uiuum, neque argenti spuma, neq; marinus lepus intra corpus si sumantur, nobis ullam utilitatem præstabunt: ut etiam alia pleraq;, de quibus egimus in commentarijs, in quibus de ijs, quæ ex totius substantiæ proprietate prosunt, aut obsunt, disseruimus.

6 *Homini ex lassitudinibus, quas ex itinere contraxerat, imbecillitas, grauitasque accidit: expuit: tussijt enim ex uertice. febris ei acuta, manum submordens, secundo die caput graue, linguaque exusta fuit: nares unguibus rescissæ; sanguis non prorupit: sinister lien magnus, ac durus dolore conflictabatur.*

C

Quæ huic ægro acciderint, recensuit: mortuus uero ne sit, an incolumis euaserit, quorum causa cetera omnia scribuntur, silentio præteriit. audebit autem fortasse quispiam, de me audire, quid ego de huiusmodi ægro futurum prædicerem: cui quidem uerum dicendum est: si quis eius mihi urinam ostendisset, plane quid de illo sentirem, pronunciarem: quantum enim possum ex iis, quæ hoc loco dicuntur, facere coniecturam, pernicioso morbo tenebatur: at si optima urina fuisset, hominem quidem incolumem fore, acuto tamen morbo laborare, dixissem. quod si urina quoque praua fuisset, breui illum moriturum: si mediocris, ut nec laudanda, nec uituperanda esset, longius uitam productum iri, moriturum tamen affirmassem. nempe cetera symptomata medium fere inter perniciem, ac salutem locum tenent: sed quod ait, nares unguibus rescissæ: deinde sanguinē non effundentes (sic enim scripsit Zeusis, nares unguibus rescissæ sanguinem non emiserunt) pessimum signum fuit. si uero scriptum sit, ut in plerisq; exemplaribus reperitur, nares unguibus rescissæ: sanguis non prorupit: perniciosum fuerit illud quidem, sed tamen minus, quàm ut nihil penitus sanguinis fluxerit. perspicuum autem est, manus opera rite adhibita, sanguinem non fluxisse: alioqui enim, si uitio operæ, quam manu adhibemus, id accidisset, minime commemorasset, fuisse quidem rescissas nares, nec tamen sanguinem prorupisse. ferūt

D autem priscos medicos non modo suis unguibus, sed etiam ferramento quodam ad id parato nares secuisse. ac medici, qui ægrum, de quo hic agitur, curabant, ad nares incidendas ob capitis grauitatem deuenisse uidentur. quod uero de liene dixit, sinister lien magnus, quidam esse additum sinistrum putant, ut poeta lac album, & sues humi cubantes uocat, cum tamen nullum lac non album, nullique sues non humi cubantes sint. * incisa sanguis non effluxit sinistra, perinde ac dixisset, sinistra nare: quod hæc recta lienem respiciat: & uerisimile sit, medicū ad manuum operam hac in nare deuenisse. sed cum primus librarius mendum fecerit, idem error ad nos manauit. præterea cum in hac oratione sint etiam hæc uerba, tussiit ex uertice, huius libri interpretes controuersantur: alii enim ex capite exoriri tussim uolunt, non ut plerunque solet ex pectore, atque pulmone, & aspera arteria, cum hæ partes primo affectæ sunt: alii uero ex eo, qui proprie uertex dicitur, existere eam arbitrantur, ut non modo distillatio ex capite, sed etiam ex ea capitis parte, quam uerticem uocant, emanans tussim efficiat.

7 *Qui quartana laborant, magno morbo non corripiuntur: si uero prius corripiantur, & quartana superueniat, liberantur.*

A.l.3.f.1.t.5. c.8.p.385.b. Morbū comitialē prisci & magnū morbum, & affectum puerilē, ut ipse quoq; Hipp. in libro de aere,

aquis, & locis fecit, nominarunt: quod ea ætate sæpe proueniat. quidam uero Herculeum appellaue- E runt: non quod Hercules ipsum pateretur, sed uidentur ij, sicut alij, qui quàm sæuus esset, nominibus explicarunt, ita hoc etiam nomen Herculei, ut eius magnitudinem significarent, effinxisse. quidã sacrum morbum falsa opinione inducti uocauerunt: ut ipse in libro de sacro morbo declarauit. hic autem morbus cum interdum alijs partibus affectis oritur, tum præcipue cum cerebrum ipsum primum patitur, nec in alterius membri patientis consensum trahitur. morbi causa est crassus, frigidusque humor in cerebri uentriculis coaceruatus: qui neruorum quoque origines, præsertim uero spinalis me dullæ initium comprehendit. huic humori & aliæ febres, maxime autem diuturnæ, & inter has quartanæ potissimum adiumento sunt: itemque illa quartana quæ longissima est, quæq; cum rigore inuadit, & ipse itidem rigor. * * uectes. * cum hic humor cerebri initium obstruit, potest febris calor ipsum prius attenuare, atque discutere: totamque temperaturam uehementibus rigoribus commutare, atque cum humida, frigidaque sit, in calidiorem, sicciorem que conuertere. gignitur enim ab ea interdum humor pituitosus in corpore. uerum excretionibus quæ plerunque per sudores, aut uomitus, aut aluum fiunt, quibus etiam conuulsio tollitur, corpus expurgatur: in quam sententiam in aphorismis dixit, præstare febrim conuulsionibus, quàm febri conuulsiones superuenire: nam & comitialis morbus est totius corporis conuulsio. in hoc F autem de uulgaribus morbis libro ita ipse conscripsit: tutissima uero, facillimaque, & longissima omnium quartana est: siquidem non est ipsa modo per se talis, sed etiam ab alijs magnis morbis liberat. est autem perspicuum, qui febri quartana prius uexantur, eos morbo comitiali corripi non posse: nam cum iam præsentem quartana febris arcere consueuit, tum uero multo magis, quando nondum hominem corripuit, eum ne apprehendat, prohibebit. A.l.4.f.1.t.2. c.61.a.p.797.

*Pro quibus, qui morbi.* 8

Hæc conueniunt cum superioribus; hancque habent sententiam: pro quibus nam morbis alij mor bi oriantur, scire conuenit: hoc enim subaudiendum est. nam ut quartana comitialem morbum discutit, & febris quæuis conuulsionem, uel etiam destillationem, & suspirium tollit; sic inflammationem oculorum alui profluuium, læuitatem intestinorum acida eructatio, lateris dolor peripneumoniam, ue ternum insania curat. cõtra uero si in ueternum insania, & in peripneumoniam lateris dolor uertatur, non boni consulendum est. hæmorrhoides quoque incipientem melancholiam prohibuisse, & iam factam remouisse & item lienem, qui obduruerat, curauisse uisæ sunt. iam uarices & hos ipsos morbos, & podagras, & articulorum dolores sanant. A.l.3.f.22.t. 2.c.15.p.743. A.& 745.C.

G

Quæ sequuntur, usque ad finem octaui commentarij, ex libro manu scripto sumpta sunt omnia, ac nunc primum in lucem edita.

*Bilis, ut dixi de auibus, quia biliosæ sunt.* 9

Quod sæpe sum testatus, ex obscuris orationibus elici nullum uerum sensum posse, hoc etiam loco commemoro: neque enim quam uim habeat uerbum bilis, satis intelligi potest: ut nec etiam conijci, quid nobis prænunciet. quare hæc sententia uel Hippocratis non est, ut ego quidem censeo: nam quid de auibus ipse unquam supra dixit? uel est ab eo recordationis causa forte conscripta. quod autem ait, quia biliosæ sunt, id ipsum uerum esse declarat earum leuitas, & quod in sublime ferantur: cuius rei alibi exposita a nobis causa est copiose.

*Caliditas acrimoniæ signum est, turbationes, transitusque.* H 10

Vera hæc oratio est: siquidem caliditas acrimoniam parit: estque eius signum. ceterum si acrimonia quæ in corpore, aut particula, quæ naturalem suum statum seruet, inesse comperiatur, dum funditur, sensum sui excitat, idque est, quod ait, transitus. eadem cum interna, ac penitiora loca petit, intusq; manet, turbationem affert.

*Delirantibus laterum dolores cessant: quibusdam uero etiam febres: quibusdam non item, sed cum sudoribus: quibusdam etiam cum perturbatione. quibusdam cutis arida, circumtenta, falsaque efficitur.* 11

Perspicua hæc oratio est. dolor lateris quempiam inuasit, ut signa, quæ affectum indicãtia nominanẽ, nobis declarant. quod etiam grauis transitus morbi attestatur. quare sæpe fit, ut medicus repẽre ingressus, & morbi & doloris leuationẽ esse factam, & astantes lætos cõperiat. ipse tñ lætari temere nõ debet: sed quærere, factane sit iudicatio, aut abscessus eruperit. quorum nullum si factum inuenerit, sed ægroti oculos perturbatos, signaque delirij adesse intueatur, tum magnum esse malum pronunciabit: tunc enim sedata quidem pleuritis est, sed ad perniciem: propterea quod materia in cerebrum impetum fecit: quicunque enim aliqua parte corporis dolent, ac plerunque dolorem non sentiunt, eorum ægram esse mentem constat. ac sæpe usu uenit, ut pleuritis in delirium non desinat: sed per sudores excernatur: quandoque etiam per tussim expurgetur: quandoque autem ex multorum symptomatum

A symptomatum turbatione abscessus in cutem fiet, quam ob rem illa arida, circuntentaque efficietur. ac si interdum e falso humore excita pleuritis est, eundem ad cutim propellet.

12 *Stupores quales nam sint, & quibus de causis orientur, & quales coxam corripuerint, considerato.*

Hæc oratio accommodata erat ei, qui cum aurem curaret, eique uerum remedium non suppeteret, stuporem inducentibus medicamentis dolorem mitigabat. id quod etiam in coxæ dolore faciebat.

13 *Propter aures, & ex auribus † tertio die fere pereunt.*

† Liber manu scriptus non habet, tertio die.

Cum auris una sit corporis nostri pars, multos ex auribus, & propter aures mori nunc scribit. ac quod ait, ex auribus, indicat ex primario aurium affectu id accidere: quod uero ait, propter aures, id ex consensu fieri docet: sæpenumero enim grauis morbus aures corripuit, qui serpendo serie quadam propter continuitatem ad cerebrum peruenit, mortisque causa fuit. sæpe etiam contigit, ut cum magna materiæ copia cerebrum obsideret, eam natura ad aures amandarit, ægrotantique perniciem attulerit.

14 B *Quibus cutis circuntenditur arida & sicca, sine sudore pereunt: quibus laxa est, cum sudore moriuntur.*

Hæc sententia plerisque in locis est ab Hippocrate pronunciata: si cutim peraridam, ac circuntentam in morbo compereris, ut ne sudores futuros suspiceris: propterea quod cutis durior eos non admittit: at si eam laxatam inuenias, tum sudores prorupturos uerisimile uideri. sed animaduerte, ut diligenter differentias Hippocrates nouerit: cum aliud durum sit, aliud aridum, aliud denique circuntentum. quod ex contrarijs probe cognoscitur: nam duro molle, circuntento laxum, arido humidum opponitur: natura enim noluit iniqua esse, ut uni multa efficeret contraria.

15 *In morbis, qui παλίμβολοι sunt, mutationes prosunt. mutatio autem ad id, quod decet, priusquam male afficiantur, facienda est. ut Cheroni contigit, cui irritata sunt ex quibus faucium exasperationes oriebantur.*

Quid morbus παλίμβολος sit, scire non possumus prius, quàm quem παλίμβολον hominem mortales uocent, intelligamus. ergo παλίμβολος homo est dolosus, qui aliud loquitur: aliud sentit: & qui facile sententiam mutat. eiusmodi, quoque morbus appellatur, qui speciem ille quidem facit leuationis, sed tamen intus malignus est. itaque in hoc genere morborũ faciẽda mutatio est. sed cur dixit, ad id quod decet, hoc est, consentaneum est, cum in eodem statu morbus non maneat, sed modo quiescat, modo C malignus fiat? an tunc non esse faciendam mutationem censuit. hoc est, non commutandum in contraria, ut a calidis auxilijs ad frigida ueniamus, sed copia, & uis mutanda sit, ut a calido ad calidius proficiscamur. quod autem maximi refert, ipse nobis nunc indicat: fieri quandoque, ut in morbis mutabilibus leuatio per dies aliquot esse secuta uideatur, tuque perfectam solutionem esse factam putes, & plenius ægrum nutrias. quo casu si morbus ad malignam se naturam couertat, noli in errato persistere: sed tu quoque ad tenuiorem uictus rationem te conuerte. id obseruauit Hippocrates in Cherione quodã, cui exasperatæ fauces sunt. quia in re illud scito, ut nausea uomitum antecedit, sic tussim asperitas. fit autem tum propter meatuum, tum propter branchiorum pulmonis obstructiones: spiritus enim cum obstruente pituita pugnans sonitum creat. itaque cum hic affectus illum affligeret, ac paucis diebus intermisisset, pleniore uictu usus est: cum uero morbus repetijsset, ad tenuiorem redijt.

16 *Siquid sani relictum est, subducta per infernas partes causa, aut detrahe, aut deliga, aut eijce, aut incide, aut adure. in quibus uero non, tu quoque nihil horum facito.*

Admirabilis hæc sententia est, chirurgicisque medicis apta: sæpe enim morbus præter naturã in cor * D pore extitit, medicusque ad manuum opus esse accedendum cognouit. quare monet, ne in infinitum usque incidamus, sed usque adeo, dum sanum locum inueniamus. uerũ si, ut fere fit, uires in media actione hominem destituant, quod uehemens dolor urgeat, nec possit medicus id totum, quod præter naturam est, præcidere, tum ab instituto desistet, ac postea detrahet, aut deligatione intercipiet, aut adurente medicamento auferet, aut secundo loco ad ferramenta reuertetur.

17 *Quibus magna sanguinis copia, ac sæpe e naribus fluit, ijs, si color malus fuerit, merum modice datum, prodest. quibus autem colores rubri fuerint, ijs non æque confert. [præterea quorum caput facile tolerat, hos merum iuuat: quorum non, minime.]*

Hæc non habet uetus liber.

Hæc quoque oratio aperta est. fluxit persæpe copiosus sanguis: eiusque fuit tanta uis, ut facies sit facta pallidior. eaque coloris priuatio in pallidioribus facile deprehenditur: in rubris uero, non pari modo. quocirca si totum corpus euacuatum sit, alendum esset carnibus ijs, quæ multum sanguinis gignũt, & item pane. sed ipsa edulia per se non concoqueret: immo uero ei potius dolorem afferrent. quam ob rem quæ facile & concoquuntur, & distribuuntur, danda erunt. huiusmodi autem censetur uinum, nisi forte capitis dolorem uereamur: siquidem tunc dilutius ei præberemus.

*Quorum nares natura humidiores ſunt, ac genitura humidior, & copioſior, ij † ægrius ualent: quibus contraria, ſalubrius.* E 18

† v.l. non hēt.

Non hoc ait, quorum nares humidiores ſunt, eorum quoque genituram eſſe humidiorem. ecquænam cauſa ſubeſt? ſed quorum ſint nares humidiores, & quorū ſit genitura humidior, eos ualere: propterea quod nares excrementa, quæ ſuperne deſcendunt, expurgant: genitura uero, quæ inferne. ſiq; hæc cohibeantur, qui ita affecti erunt, ægrotabunt. Hippocrates autem recte addidit uerbum, natura: quando in deſtillatione nares humidæ ſunt, & in gonorrhœa humida eſt genitura, nec tamen tum homines, quod excrementa per naturam non euacuentur, integra ualetudine perfruuntur.

*Sputa rotunda delirium portendunt, ut in Plinthio apparuit. huic de ſiniſtra nare ſanguis profluxit, & quinto die liberatus eſt.* 19

In hac libri parte Hippocrates rationes expoſuit tum cauſarum, tum morborum: nunc uero de ſymptomatis diſſerit. uerum quia hiſce de rebus alibi dictum eſt copioſius, ideo quantum eſſe ſputum debeat, multum ne, an paucum; & qua conſiſtentia, utrum inquam craſſum, an tenue: & quo odore, fœtidum ne, an ſecus: & quo colore, nigrum ne, an album: & qua figura, rotundum ne, an paſſum, quo F denunc agitur, tu per te ipſe in præſagijs perleges. quod ſi globoſum, rotundumque ſputum eijciatur, ſtatim ars nos docet, humorem eſſe glutinoſum: qui humor in aſpera arteria contentus, atque ibidem multas horas moratus eandem cum illa formam acquiſiuit: ſiquidem ipſa quoque, & globoſa eſt, & in orbem eſt rotundata. id tamen non contraheret humor, niſi calor ibi eſſet, qui eum quaſi perfrictum reddidiſſet. ex quo conficitur, ut rotundum ſputum caloris omnino ſignum ſit. quod ſi caput quandoque tale inueniatur, ut facile patiatur, facileque ſentiat, cum eiuſmodi uapores recipit, tunc delirium exorietur: & ſputum omnino erit cum calore coniunctum: & omnino homo delirabit. quod cū Hippocrares in certo homine cognouiſſet, fecit affectus mentionem, cum dixit, ut in Plinthio: nam cū nomen illius ignoraret, loci nomen adhibuit: cum enim procliue ad patiendum caput eſſet inuentum, tali ſputo egrediente, delirium eſt ſubſecutum: quod poſtea ſanguinis profuſio ex ſiniſtra nare excepit. hic autem pro delirio non eſt intelligenda phrenitis, quando ipſum Hippocrates nunquam phrenitida uocet: ſed tum denique cum mens de ſuo ſtatu deturbata eſt, aut furore correpta. ſed compertum habemus, in hoc homine fuiſſe deſipientiam, cui rei argumento eſt quintus dies, qui criticus eſt, ut nos iā & in aphoriſmis, & in libris uulgarium morborum expoſuimus. at in phrenitide criticum diem natura expectare non poteſt. præterea dixit, ipſum eſſe liberatum, quod indicat, ſanguinem non guttatim, ſed G confertim profluxiſſe. quare liberatus eſt a deſipientia, & ſputum rotundum remanſit: uel quod ait, liberatus eſt, ſignificat, & deſipientiam, & ſputum rotundum, & morbum eſſe depulſum.

*Vrina, quæ habet multa ſubſidentia, qualis Dexippi poſt caluitium fuit, deſipientia liberat.* 20

Hippocratis ſententia hæc eſt: ego inquit, ſanguinis proruptionem, non quia ſanguinis profuſio ſit, æſtimare conſueui, ſed quia humorem, a quo deſipientia efficitur, euacuet. hinc etiam efficitur, ut euacuationem eam laudem, quam ſudores, & eam quam aluus, & eam, quam ueſicæ per urinas moliuntur. itaque ubi multa urina, quæ multa habeat ſubſidentia, excernatur, ſedare deſipientiam poterit: præſertim uero, ſi ea urina ab humore, qui morbi auctor erat, ſit excreta: ſiquidē nihil abſurdum eſt, quædam interdum eſſe corpori attributa, ut multum urinæ euacuetur, ipſa tamen deſipientia perſeueret. ſed ſi urina ſit ab humore illam faciente expreſſa, tum deſipientiam ſedare poterit, quemadmodum Dexippo eueniſſe ipſe perſcribit. hoc etiam loco certi ægroti fecit mentionem, ut cuius deſipientiam copia urinæ ſedet, intelligeremus. huic enim, cū exorta deſipientia eſſet, poſt caluitium per urinas ſoluta eſt. caluitium autem ipſe defluuium pilorum nominat. itaque deſipientiam tum caluitio, tum urinis eſſe euacuatam, nos monet. H

*Vltra annum quartana non progreditur.* 21

De febri quartâna modo ſermonem inſtituit. nos uero tertianam breuem eſſe, periculoq; uacare: quotidianam & longam eſſe, & periculoſam: quartanam denique & longam, & periculi expertem eſſe diximus: ipſe uero nunc ait, quartanam annuum tempus non excedere: ſed intra annum terminari. qua in re noli putare, falſam hanc eſſe orationem, ducta ab ijs, quæ modo apparent, coniectura, quod in multos annos trahi quartana uideatur: ſed in primis cauſam in tempus, corporumque differentiam conijcito: propterea quod ſi noſtra corpora eo tempore fuiſſent excrementorum expertia, atq; pura, certe uel in eam affectionem nō incidiſſent: aut in ea breui tempore permanſiſſent: nunc uero & ſordes corporis, & excrementa morbos diuturnos efficere plane poſſunt. fortaſſe etiam non de omni genere quartanarum uerba facit: duplex enim quartana eſt: tum quæ ex nimia atræ bilis aſſatione oritur, quæ bilis acris eſt, præcipueque ſi computruerit: tum quæ ex fæce ſanguinis putreſcente gignitur: quæ quidem imas partes non attingit: propterea quod ſanguis, qui naturæ amicus eſt, nunquam ita putreſcit, ut in eo bilem atram imitetur. hoc igitur loco forte eam quartanam intelligit, quæ ex atra bili originem duxit: ea enim, cum plerunque acris ſit, breui tempore perdurat: præſertim ſi

æſtate

A æſtate hominem corripiat: nam hoc ſcitum eſt, æſtiuas quartanas fere breues eſſe: autumnales, longas: ac tum maxime, cum hiemem attingunt. ſuppetit etiam nobis tertia cauſa, cur febrim quartanam eſſe breuem dixerit: ut eam quæ conuenienter rationi curetur, intelligamus: hoc eſt, cum in tempore ſanguis detractus ſit, purgantia medicamenta data, et uitæ ratio inſtituta. hæc profecto ne annuo quidem tempore fortaſſe hominem afflixerit.

22 *Quem æſtatis morbi corripiunt, ei quinto die eruptiones accidunt. quibuſdam etiam id tardius fit.*

Agit de alia re, cum ait, Quem æſtatis morbi. duplex autem ſcriptura eſt: nam legendum eſt, uel ὦτα, ut aures intelligamus: uel ὅ τι, hoc eſt, quem: nos utranque explicabimus. ſi ergo ſecunda ſcriptura probanda eſt, ſententia Hippocratis erit huiuſmodi: uidi hominem, quem cum morbi æſtiui corripuiſſent, ut tertianæ, ardentesque febres, & herpetes, ſtatim, hoc eſt quinto, aut ſeptimo die eſſe liberatum quod morbi a bili orti breues ſint. illi autem diſſoluti ſunt eruptione uaſis cuiuſdam, ut aut ſanguis eruperit, aut per hæmorrhoidas fluxerit. ſi legas ὦτα .i. aures, hic erit ſenſus. excitatus eſt alicui abſceſſus æſtiuo tempore ſecundum aurem: qui cum diſcuti non poſſet, in pus
B conuerſus eſt: cumque ille ruptus eſſet, quinto, ſeptimove die liber euaſit.

23 *Quæ circa gingiuas, linguamque ſunt, ſeptimo die expuuntur: præſertim uero ſuppurationes, quæ nares, gingiuaſque obſederunt.*

Cum ſupra de abſceſſibus diſſeruerit, nunc quoque de ijſdem loquitur. ceterum quod ait, expuuntur, cum ſputo intelligendum uidetur: uult enim circa linguam, atque gingiuas defluxionem primum attenuari, atque unà cum ſputis excerni. cum autem craſſa eſt, ibique manet, tum impacta ſuppuratur. at quo nam in loco? nimirum in naribus, gingiuisque potiſſimum: quandoquidem harum condenſa ſubſtantia eſt. quæ quia denſa eſt, idcirco materiam diſcuti per halitum, non ſinit: ideoque neceſſario fit, ut in pus commutetur.

24 *Quibus in dentium dolore tenuia a ſupercilijs deueniunt, ijs ſi piper bene imponatur, poſtridie craſſiora prouenient: idque ſi alia non uicerint: nam in Hegeſippo medicamentum ſoporiferum non uicit: ſed dolorem magis prouocauit.*

Admirabilis hæc ſententia eſt, non facilis tamen, niſi quis prius quædam percipiat: quare ſcien-
C dum eſt, excitari quandoque dentium dolorem, quæ ὀδονταλγία nominatur: iſque a defluxione erodente gignitur. cum enim illa materia terrea ſit, ſtridorem in dentibus parit: ex quo uehemens dolor excitatur: præſertim cum in dentibus guſtandi, tangendique ſenſus ineſſe uideatur. hunc dolorem cum leuare medicus ſummopere ſtudeat, an aliunde ad dentes dolor confluat, an quod ipſi perforati ſint, itaque patiantur, diligenter inueſtigat. ſi igitur defluere aliquid ad dentes comperiat, quærit etiam, an ex toto corpore, an ex ſuperioribus partibus, an ex inferioribus illuc confluat. id autem ex ſuperioribus deferri compertum habet. uerum multæ ſunt ſuperiores partes: ideo ſupercilia exempli gratia adhibuit. quare fit, ut quia inde dolor manat, curari nullo modo poſſit, niſi pars, quæ eum immittit, cohibeatur, & comprimatur, id ab adſtringentibus, refrigerantibusque perficitur. quo peracto, ad loci affecti curationem deinceps accedit: utiturque medicamento, quod ex tribus piperis generibus conſtat: ac poſtero die quod craſſum eſt, euacuat: pleraque enim medicamenta tractu temporis agunt. nos uero his omnibus uſi ſumus, atque opem tulimus. ſed uires non ſufficiunt, itaque & confirmare eas quandoque, & eis etiam ſtuporem inducere refrigerantibus opus eſt: ſiquidem ea ſine ullo dolore adhibemus. alicui tamen medicamentum ſoporiferum non profuit. appellat autem ita, quia ex refrigerantibus ſomnus ſequitur. ſed in eo, quem memo-
D rat, refrigerans, nullius fuit efficaciæ. eius culpæ affinis eſt medicus: ſiquidem prius dentem ſcarificauit, & eò magna copia confluxit, ideoque refrigerans medicamentum irritum fuit.

25 *A capite oſſium naturam æſtimato: deinde uero neruorum, uenarum, carnium, & aliorum humorum, ſuperiorum, inferiorumque uentriculorum, tum morum, atque mentis: denique quæ conſueto anni tempore citius fiant, uelut papulæ, & quæ huiuſmodi ſunt: & quæ ſingulis diebus citius, ſeriusque inuadant.*

Quoniam non poteſt curare quæ præter naturam in corpore conſtiterint is, qui ea, quæ ſecundum naturam ſunt, ignoret, ideo de eis hoc etiam loco diſputationem inſtituit. quare monet, ut quæ ſecundum naturam ſunt, inueſtigemus: quæque in nobis ſunt, contemplemur. in primis uero quæ noſtri corporis quaſi fundamenta ſunt, conſideremus. ea autem oſſa ſunt, quorum quædam ideo fabricata natura eſt, ut eſſent tanquam nobis ſtrata, atque ſubiecta: quædam ceu propugnacula, & tecta, noſque cuſtodirent. uerum quia capitis oſſa uaria ſunt, effectum eſt, ut ipſo, pro-
* pter ſummam oſſium præſtantiam, cerebrum contineretur. quod etiam ei forte tributum eſt, ut ad eius proportionem cetera oſſa efficerentur: cum inde quoque ſpinalis medulla ſit exorta. Cum autem oſſium naturam perluſtraris, deinceps neruos intueri debes: utrum illi ex cerebro, an ex

medulla dorſali ortum trahant.tum quo pertineant,ubi inſerantur, ac coaleſcant. erit poſtea tibi ad or E
tum uenarum progrediendum: ut iecoris tibi ſit perſpecta natura: tum ad carnes contemplandas te
accinges. ac carnem quidem appellat Hippocrates non ſolum eam, quæ muſculos efficit, ſed eam
quoque ex qua inteſtina, & ueſica conſtant: ſiquidem unaquęque particula ex carne ſibi idonea con-
flata eſt. iam uero humores tibi ſunt perpendendi, ut & quot ſint, & quam temperaturam habeant,&
qua in parte redundare ſoleant, intelligas. uerum humores non uagantur, ſed uentriculis quibuſdam
continentur. porrò uentriculi ipſi partim quod ſuperuacaneum eſt, partim quod neceſſarium eſt con
tinent: neceſſarium uero eſt, ut uis, cuiuſmodi eſt cerebrum: uel ſpiritus, ut cor: uel humor, ut ie-
cur. ſimili quoque modo aut excrementum, aut humorem in ſe habent, ut ueſica: aut quod ſolidum
eſt, ut rectum inteſtinum. atque, ut uno uerbo complectar, ſuperiores, inferioreſque partes, qua
natura ſint, perueſtiga. nunc autem pro natura temperaturam, diſtributionem, conſtructionem,
fabricationemque intelligit. hæc omnia perquire, ut ſcias, qua mente ſint prædita, quomodo
conformata, quo habitu, qua intelligentia, qua ratione, quibus denique moribus præſtent. quod
autem mores dicit, legitur etiam τρόπων, ut uiciſſitudines, mutationeſque ſignificet. quare mores ſcru
tare, ut ſcias cuiuſque mores, & homo homini quantum interſit: & te non lateat, quomodo aer com
mutetur, quod permagni refert, ut perſpectum habeas: cum enim alijs rebus omnibus quãdoque uta F
mur, aerem certe perpetuo ſpiritu ducimus. quare ſtudium adhibe, ut noſcas, an ſuam naturam reti-
neat, an de ſuo ſtatu deſciuerit. quod autem ad ſtata anni tempora pertinet, immutatane illa ſint, nec
ne, da operam, ut cognoſcas: ut utrum uno tempore, an quibuſdam, an omnibus ſit facta mutatio. tũ
ſpecta, an ad ſimilia, an uero ad diſſimilia declinarint. id autem dico, quia non temporum nomi-
na, ſed res ipſæ uarietatem efficiunt: neque enim ſi de aliquo audias, æſtatem aduenisse, iam debes *
omnes morbos æſtiuos expectare: propterea quod ſæpe citius, ſæpe tardius appetit tempus, quod
temperaturam ſuam adulterat. quod in ſingulis anni temporibus intellectum uelim: diximus enim ſu-
pra, cum illa uerba explicaremus, Aſcarides ad ueſperam, totum diem proportione toti anni reſpon-
dere: ut maturinum tempus ueri: meridies æſtati: ueſpera autumno: nox hiemi comparatum eſſe ui-
deatur. hæc igitur omnia perquire, ut quo tempore exoriri morbi ſoleant, quemadmodum ipſe de
papulis, ceteriſque omnibus dixit, tibi ſit omnino perſpectum.

*Licino lien magnus ultimo fuit: quartoque, aut quinto die dolore conflictatus eſt.* 26

Hæc oratio expungenda plane eſt: nam cum oſtendat, Licino magnum lienem factum eſſe, addidit
ultimo, quod uel in extrema anni parte, uel in extremo morbo id ei cõtigiſſe ſignificat. quare, cum non G
perfecte cuncta narrarit, non eſſe hanc ueram Hippocratis ſententiam, quiuis uel mediocriter eruditus
exiſtimabit.

*Corpus bilioſum, ſanguineumque, ſi effluxus non habeat, melancholicum redditur.* 27

Nunc agit de alio quodam, quem fieri poſſe melancholicum ſcribit. poteſt autem id duabus de cau
ſis contingere, & propter atram bilem, quæ exuſta ferme ſit, ac computreſcat: & propter fæcem ſan-
guinis putreſcentem: quæ tamen fęx nunquam adeo acris efficitur, ut ad atræ bilis acrimoniam perue-
niat. ait igitur, corpus, quod flauam bilim continet, ſanguineumque eſt, fieri melancholicum, niſi efflu-
xus, hoc eſt, niſi euacationes habeat: nam niſi melancholicus humor paulatim euacuetur, ex eo mor-
bi plerique efficientur.

# GALENI IN SEXTVM DE VVLGARIB. MORBIS HIPPOCRATIS.

## COMMENTARIVS VII.

### *Io. Bap. Rasario, Medico, Nouariensi, interprete.*

Hæc particula ad uulgares morbos potissimum pertinet: in eaque pestilentis aeris descriptio continetur: tum uaria symptomata, quæ secuta sunt, diligenter explicantur.

B *TVSSES circa brumam, decimoquinto, aut uigesimo die ex crebra austrinorum, aquilonaliumque & niualium flatuum permutatione cœperunt. ex his tum breuiora, tum diuturniora symptomata, frequentesque pulmonis inflammationes oriebantur. deinde uero ante æquinoctium quamplurimis reuertebantur: idque fere die ab initio, quadragesimo: ac quibusdam admodum breuia, bonaque indicationis: quibusdam uero fauces inflammabantur: alios angina, alios paraplegiæ corripiebant: alij lusciosi fiebant: id quod pueris potissimum accidebat. ceterum pulmonis inflammationes perbreues erant. faucium inflammationes tussientibus post fiebant: aut ualde breues pro tussi excitabantur. faucium uero affectiones breues, ac magis etiam in lusciosis id usu ueniebat. anginæ autem, ac paraplegiæ aut dura, & sicca; aut pauca, & parum concocta reiectabant. quidam uero ualde matura excreabant. qui igitur plus uoce defatigabantur, aut rigebant, in ijs tusses in anginas potius desinebant. qui autem manibus laborabant, manibus tantum resoluti sunt. qui equitarant, aut longum iter confecerant, uel cruribus erant defatigati, his in lumbis, aut cruribus incontinentes resolutiones, in fœmoribus uero & suris lassitudo, dolorque fiebant. durissimi autem, uiolentissimique dolores erant, qui ad resolutionem perducebant. atque hæc quidem omnia in recidiua contingebant. in principio uero non ualde. horum complures in medio cursu tusses reliquerunt: non perfecte tamen: siquidem cum recidiua aderant. quibus uox ad tussim proruperisset, horum plurimi ne in febrim quidem incidebant. quanquam nonnulli breui tempore febrem habuerunt: nemini tamen eorum neque pulmonis inflammationes, neque resolutiones accidebant, neque aliud quicquam inuadebat:*
C *sed morbus in sola uoce indicabatur. lusciosorum affectio firmabatur, ut quæ alijs de causis eueniebant: hæc tamen potius pueros attingebat. nigra oculorum uaria fiebant: præcipue autem eorum, quorum pupillæ paruæ essent. magna autem ex parte [tota nigra oculi pars erat uaria] ac magis in ijs, qui nigros oculos habebãt, & rectos nigrosq; capillos. quorum erant parui oculi, non item. mulieres non ita tussis infestabat. immo uero raræ in febrim incidebant. atque admodum pauca pulmonis inflammatione corripiebantur: eaque iam seniores erant: ac cuncta euadebant. in causa ego esse existimaban, quod non æque, ac uiri prodirent: & quia non eodem modo, quo uiri, a morbis corripiuntur. anginæ tamen duabus liberis, atque eæ quidem mitissimæ, acciderunt: at ancillis & multæ, & uiolentissimæ: & breuissimo tempore iugulabant: uiris euenerunt plerisque: alijque superstites fuerunt, alij uita excesserunt. ad summam, qui solum deglutire non poterant, ijs fiebant admodum mites, ac faciles ad tolerandum: qui autem simul etiam obscurius loquebantur, ijs molestiam maiorem afferebant, diutiusq; uexabant. quibus temporum, ac ceruicis uenæ attollebantur, malum: quibus autem etiam spiratio in sublime ferebatur, ijs pessimum erat: siquidem simul quoque tepescebant: enimuero, ut scriptum est, sic affectuum erant consortia: & qui prius scripti sunt, sine ijs, qui posterius: quiq; posterius, non sine ijs qui priore loco descripti sunt, extiterunt. celerrime peribant: ac cum febrili rigore rigebant. his neq; reprimentia medicamenta, neq; uentris perturbatio, neq; uenæ sectio, neq; quæcunque probarim, ullum notabile auxilium attulerunt: secui enim et in cubito, & sub lingua uenam: & per superiora purgaui. atque hæc quidem in æstate, quemadmodum etiam alia multa, quæ proruperant extiterunt.*

Lib. impr. habet, totus oculus niger erat

D Si quis æstimare recte uelit, is forte cõperiet, hic deniq; uulgares morbos primum pertractari: nã in principio dictum est nobis, huius quidẽ libri indicẽ de morbis esse uulgaribus. eorũ tamẽ doctrinã hic non tradi: sed ferme eorum, qui dispersi noĩantur. dixi aũt illud ferme, quia eorũ quoq;, qui Aeni uiguerunt, fecimus mẽtionẽ. hoc aũt loco morbos re uera uulgares nos docet: propterea quod nec Hegesippo, neq; Anaxioni morbus accidit, sed totã ciuitatẽ inuasit. sed quinam morbus is esset, ipse non indicauit. id uero nouimus, sub aquilonali tractu urbem, qua de agit, sitam esse: ait. n. niues ibi extitisse. nã ubi in æthiopica regione nix comperiatur, ibi quæ constitutio fuerit, didicimus. illud aũt sciendum est, cum Hippo. facit temporis mutationis mentionẽ, neq; cõmemorat, quodnam antecesserit, ipsum ita capi, ut plane suũ statũ, naturãq; seruarit. itaq; in frigida ciuitate hiems noĩe quidẽ, sed nõ re fuit: quod calidior extiterit, quia austrini flatus in eius initio uiguerũt; auster enim, ut sæpe diximus, calidus, humidusq; est: ac tũ corpus oblæsit: præcipue caput, utpote quod nudũ esset, & externo aeri expositũ. nã & in aphorismis scriptũ est, grauẽ auditũ ab austro cõparari: humorem. n. ex toto corpore in caput attrahit. quod si auster solus perflasset, certe calor discutere materiã potuisset: sed repẽte aquilonius flatus exortus est: eaq; subita mutatio uires perturbare satis potuit. præterea cum Aquilo sit frigidus, discuti iam materiam non sinit. unde illa ibidem permanens, graues, difficilesque morbos gignit. in omnibus autem una erat primitiua causa, quæ in aeris constitutionem referebatur: vna item, quæ antedicta est,

quod cerebrum esset repletum. particulæ quoque pro hominum natura, habituque & partium ad quid E suscipiendum habilitate, uariæ erant, ac differentes: cum enim materia in cerebrum comportaretur, si corpus ad affectum suscipiendum erat procliue uincebatur, & morbum attonitũ, aut comitialem contrahebat: si ualidum fuisset, morbos expulisset. similis est ratio partium propinquarum, aut longinquarum; hinc morbi oculorum, hinc pulmonis inflammationes a simili causa profectæ sunt. ipse uero magnum symptomatum numerum affert, cum ait, Tusses circa brumam cœperunt. hiems igitur, inquit, cum Sol capricornum est ingressus, fuit: cumque eius temperaturam mutauisset, facta est calidior. ac ubi quindecim, aut uiginti dies uiguisset, tusses sunt excitatæ. recte autem ab Hippocrate initium est a tussi ductum: utpote quæ a superioribus partibus ad inferiores descendat: nam si auster flat, caput impletur, parsque humoris in guttur decidens tussim creat: id quod tum maxime facit, cum frigus a niue exortum uiget. atque hæc quidem tussis ex crebra austrinorum, aquilonaliumq; uentorũ mutatione originem duxit. etenim, ut in aphorismis dictum est, cum hæc constitutio dominetur: sic hoc loco, cum hæc mutatio crebra fit, morbos in pulmone concitat: siquidem is, utpote mollis, & ad spongiæ similitudinem factus extrusam e cerebro materiam recipit. huiusmodi autem morbi tum diuturniores, tum breuiores pro facultate, ac temperatura ægrotantis fuerunt: & multi per hiemem uiguerunt, ineunte autem uere, cum Sol in ariete est, recidiua est facta, fuitque F spatium illud interiectum, in quo deterius affecti ex recidiua sunt, ad dies usque quadraginta: sæpe enim morbi inuadere mortales solent, qui in principio non admodum maligni sunt, quod uires adhuc ualentes eis repugnent: sed tamen cum intermiserint, iterum inuadunt, uiribusque ante prostratis inuentis, grauius affligunt: idque magis in medio tempore faciunt, nisi quis eos conuenienter ratione curarit. quare cum eo tempore morbus repetijsset, quidam mortui sunt, quidam bene, id est non imperfecte iudicati, i. non sine iudicatione incolumes euasere: dies enim adueniebat, in qua nó multa symptomata, quæ uictam naturam sequi solent, ægros urgebant. ac si natura quandoque nó erat superior, materia partes inferiores petebat. quare inflammatio aut in fauces, aut in guttur irruebat: &, uno uerbo, eam partem, quæ facilius morbum susciperet, occupabat. quandoque etiam paraplegia excipere hominem solebat. est autem paraplegia, cum una particula corporis sensum, motumque amittit: quod fit, quia humor illius neruum obstruxit. reddebantur etiam quidam lusciosi, quos νυκτάλωπας uocant: qui morbus solet uulpem, quæ ἀλώπηξ dicitur, corripere, quod ea propter spiritus tenuitatem diurno tempore uidere non possit: propterea quod fundatur a radijs Solis, ac discutiatur: nocte uero cernat, quod spiritus factus sit densior. & quod uulpibus per diem accidit, id illis de nocte euenit. siquidem qui sic affecti sunt, de die cernunt, de nocte, non item: cum enim materia ad cerebrum peruenerit, G illic permanet, ac progressu temporis putrescens fit nigrior. ideoque caliginosos uapores ad oculos mittit: ac spiritui, qui aspectum efficit, tenebras offundit. unde fit, ut de die uideant. quod lumen solis caliginosos uapores illos possit reddere tenuiores: de nocte uero nihil cernant, quod spiritus propter frigus fiat crassior. atq; id est, quod ait, eos factos esse lusciosos: de quo affectu dictũ est etiã a nobis alijs in locis copiosius. docuimus etiam, quid causæ sit, cur nonnulli cernant ea, quæ prope sunt, quæ uero procul absunt, non uideant. cuius rei caussam a spiritu, qui aspectus est auctor prouenire diximus: qui licet sit purus, non multus tamen est, ut suam uim mittere procul possit. sed hoc quoque in eiusdem crassitudinem conijci potest, & sordes, quibus spiritus perspersus est: qui a longinquis rebus obscuratus, prius, quàm munere suo fungatur, fit tenuis: atque ita cernere longinqua nullo modo potest: uicina uero nequit intueri, quia purus, nitidusque non est, neque ab eo spatio, quod est interpositum, attenuatur. id autem uerum esse, declarant ipse, cum ait, pueros præcipue factos esse lusciosos: nam cum ipsi essent, quàm ceteri humidiores, spiritus uidendi facilius perturbabatur. hinc admirari Hippocratem licet, qui non solum ab experientia fidem ducit, sed ad demonstrationes quoque confugit: nouitq; symptomata ipsa & propter ætatem, & propter genus, & propter fortunã, & propter corporis habilitatem uariari. atque ætatis quidem habita ratione, cum ait ætatem puerilẽ ma- H gis, quàm florentem, affectam esse: generis uero, cum docet, uiros potius, quàm fœminas ægrotauisse: & tamen par erat, uiros minus passos esse, & quod robusti sint, & quod exerceantur. sed aliam inijt rationem senex: sciebat enim mulieres parietibus se continuisse, ac magna ex parte, capite operto fuisse, ut aeris uitare iniuriam possent. at uiros, quia continenter domo exirent, ideo esse passos. hanc porrò caussam huiusce rei fuisse, ipsemet ostendit, cum seruas magis, quàm ingenuas in morbum incidisse commemorat. qua in re uides etiam fortunæ habitã rationẽ. siquidem seruæ multis partibus plures ægrotarunt, quod domo prodire cogerentur, ut dominarum mandata curarent: cum enim in aere uersarentur, morbos etiam contrahebant. quod autem ad habilitatem pertinet, ut quis sit quàm alius, ad morbos procliuior, non iam uno exemplo ostẽdendum est, sed tibi ex omnibus morbis facere coniecturam licet: siquidem nulla alia inueniri causa potest, quàm hæc ipsa, cur tot sint differentiæ, generaque morborum. facti igitur sunt pueri, ut dictum est, lusciosi: pulmonis uero inflammationes non multæ extiterunt. sed quid est, quod dixit Hippocrates, frequentes fuisse pulmonis inflammationes, nunc uero eas non fuisse scribit? nos ita respondebimus: lusciosos illos quidem fuisse, sed pulmonem non esse eis inflammatum, quod uniuersa materia in sublime ferretur. id quod in multis ostendere locis ualemus. forte uero ait Hippocrates, in morbi principio inflammationes quidem pulmonis

extitisse:

*Ex hoc loco planum est, cõ textum uerborum Hipp. eẽ deprauatum.*

A extitisse: sed tamen cum morbus repetijt, non iam eos apparuisse. cum enim in eo interuallo natura esset leuata, pulmonem ita roborauit, ut non iam amplius esset suscipiendæ affectioni procliuis. has autem explicationes ex uerbis ipsius auctoris elicimus: ait enim lusciosos non admodum factos esse postquam tussi conflictarentur. ut illo uerbo post, indicet, se morbi principium cum recidiua conferre: quod secunda continet explanatio. & cum ait, lusciosos non esse factos postquam tussi correpti sunt, docet, cum materia in partes aliquas incumbit, ceteras partes liberas esse, quod prima nostra interpretatio asserebat. iam uero propter internorum musculorum gutturis inflammationem anginæ quoque exortæ sunt. uerum scire conuenit, in pestilentia quamuis morborum omne genus excitetur, tamen hos magis, illos minus conflictari, prout antecedens causa præsto esse uideatur. quare fit, ut si quis multum sit locutus, gutturque redditum sit imbecillius, illuc potius, quàm alio materia sit impetum factura: ac magis etiam si ille riguit, aut frigido in loco, ubi guttur male acceptum sit, habita fuerit oratio. Si autem quis aut manus, aut pedes fatigarit, is in paraplegiam, aut resolutionem cadet. est autem resolutio sensus & motus in toto corpore priuatio, facie tamen excepta: paraplegia uero est unius partis resolutio. quod autem prius erat commotum, id materiam attraxit. trahitur autem materia aut propter calorem, aut propter imbecillitatem, aut propter dolorem. illi uero calorem in pedi-
B bus habebant, qui aut equitassent, aut ambulauissent: imbecillitatem ij, quorum guttur est frigore oblæsum: dolorem, qui manum fatigassent. quibus omnibus de causis paraplégia exorta est: ubi enim erat lassitudo, ibi & labor. quam ob rem durissimi, uiolentissimique labores ex paraplegijs erant: quod distentio illuc materiam compingeret. qui uerba tantum attendunt, nec rem ad uiuum resecant, quęrunt, quomodo Hippocrates de labore disserens, eum durissimum appellarit. sunt qui dicant, eum hæc scripsisse, ut sibi aliquod memoriæ lumen afferret: ideoque in loquendo nullam adhibuisse diligentiam: sed uera ratio est, cum una res duo habet nomina, licet ei, qui uerba de ea facit, primum nomen de una re, secundum de altera efferre: nam ut est apud Homerum, Tiresiæ nobis animusque superuenit: cum non anima illius, sed ipse Tiresias Vlyssi superuenerit, ita hic est accipiendum: grauis erat labor, durissimi, uiolentissimique dolores, qui ad paraplegiam perducebant. neque id de medijs intelligẽdũ est; nã cum multi morbi essent exorti, in pestilentiæ recidiua sola tussis conquieuit: sed nec ipsa ex toto sublata est. sicque materia uniuersa unam in partem irruere uidebatur, ceteræ liberabantur: ac si quandoque ad instrumenta uocis materia reperet, ut tussim excitaret, tunc graues morbi non fiebant. atque hunc affectum quidam anginam, sed male, nominarunt. nam quomodo in angina dicere Hippocrates potuisset, febrem non fuisse? itaque ait, sola tussi, ac uocis priuatione, aut raucitate correptos
C esse, quod illuc materia confluxisset. quocirca neque febris, neque pulmonis inflammatio, neque ullus alius affectus eos inuasit. causa autem omnium erat materiæ ad uocem commigratio: omniaque superueniente tussi leuabantur. Lusciosa autem affectio perseuerabat, quasi ex alia causa eam constare existimes. fieri quidem potest, ut hic affectus etiam oculo nihil cum alia ulla parte patiente, sed proprio suoque affectu laborante, oriatur: ut cum glacialis humor crassus fit, spiritusque fuliginosior euadit: quo casu est curatu perdifficilis. quare tam difficilis ad curandum ille fuit, ut non iam in cerebri cõsensum tractum esse oculum putes, sed suo affectu laborasse eum censeas. qui sane effectus lusciosos homines faciebat, molestiaque conflictabat. causa est, quia pupillæ oculorum a frigore condensatæ minuebantur: ipsumque tuberculum in molem tollebatur: idque uel ob humoris redundantiam, uel quod frigus spiritum crassum efficiebat: qui sane non discussus, utpote redundans oculum inflabat. ceterum colores oculorum erant uarij: partim nigri, propter austri calorem: partim rubri, propter uim frigoris, quam aquilo inuehebat. Hippocrates autem magna ex parte nigros oculos fuisse commemorat. nigror uero ex calore consequitur: & tamen morbi omnes, qui relati sunt, ab aquilonis frigore ortum habuerunt. atque quod foris patimur, id nũc esse exortum: nam si lapidem in aquam proijcias, sitque inter te & aquam perexiguum interuallum, qualisnam sit lapis, intueberis: at si magnum,
D qualis ille sit, non perspicies. Simili quoque modo, si nitidus lapis sit, aureus uidebitur: si sordidus, nõ talis. idem eo tempore contigit: frigus enim glacialem humorem intro compegit: ideoque niger, & caliginosus sub aspectum ueniebat. cumque spiritus glacialem attenuare non posset, ideo oculus propter nebulosi spiritus redundantiam & niger, & caliginosus uidebatur. in hanc etiam sententiam adduxit Hippocratem id, quod palam apparebat: adeo enim caliginosus erat is spiritus, qui ex capite manabat, ut etiam capilli nigri essent: adeoque humidus, atque excrementis abundans, ut recti etiam fierent. atque hactenus quidem hæc uiris euenisse Hippocrates literis mandauit. at mulieres minus in morbos inciderunt: quod se domi continebant, nec se se aeri exponebant. idcirco sublata esse causa uidebatur, ut etiam ipse monuit. quam ob rem duæ solum ingenuæ ægrotarunt: atque eæ quidem leuiter. at seruæ omnes malignum in modum morbo oppressæ sunt: quod continenter in aerę uersarentur, & quod seruilis uictus ratio prauos succos gigneret. cum autem hi morbi omnes in pestilentia uigerent, factum est, ut plerique uita defuncti sint: pauci robusti superstites fuerint. ac uixerunt, quibus materia in guttur decubuisset. Si quandoque uero ad instrumenta uocalia esset comportata, ut loquela impediretur, etiam hi euadebant, sed diutius uexabant. ac quod diutius ait, non de uno homine dicitur, (nam quomodo angina sit diuturna?) sed diutius in tota urbe permanebant: siquidem hæc longo tempore in urbe uagabantur. atque hucusqe uulgaris hic morbus erat: nunc uero pestilens est factus,

cum

cum multi mori cœperint. mors autem maiore ex parte ab angina proficiſcebatur. Sed audi rem mira E
bilem, quam deinceps narrat. angina inquit, excitabatur: quæ circa thoracem ſunt, diſtendebantur:
atque inde caput quoque tendebatur, itemque uenæ temporum, & ceruicis: ut cum morbus mali-
gnus eſſet factus, ad partes extimas tranſmittere ſuam malitiam inciperet. ac ſi quando magna ſpira-
tio facta eſſet, id erat mortis ſignum. ueruntamen id poteſt etiam controuerſum uideri: quia ſi magna
erat reſpiratio, planum eſt, multum aeris intro eſſe perlatum. multum autem intro ferri non poterat,
angina non ſoluta. Sed tamen nos alibi diximus, reſpirationem quæ ſine uiolentia fit in eo, qui ſecun
dum naturam ſit affectus, a ſolo ſepto tranſuerſo effici, at cum natura oppreſſa eſt, tum eam quoque
muſculos pectoris ad actionem adhibere. Si uero grauis fiat pulmonis inflammatio, tunc eam ſubli-
mioribus muſculis, qui ad ſcapulas ſunt, uti: quo etiam tempore narium pinnæ dilatantur. ac thorax
quidem mirum in modum dilatatur, non tamen aer ad dilatationis proportionem introducitur: cum
id prohibeat obſtructio. quod hoc tempore contingebat: cum enim natura anguſtia premeretur, ſu-
blimiorum muſculorum motu utebatur: ac ſpirationem ſublimem faciebat. quæ res magnam ſubeſſe
anguſtiam ſignificabat: itaque mortale ſignum erat. ad hoc accedebat, ut qui ſic ſpirarent, etiam tepi-
di uiderentur: calor enim intimas partes obſidebat, eaſque materiæ abundantia ſuffocabat: quam ob
rem extimæ tepidæ reddebantur. at ſi forte cum febri riguiſſent, repente moriebãtur: quod calor diſ- F
ſoluens ſatis eſſe non poſſet ad mortem afferendam, niſi etiam rigor ſuperueniſſet: quî enim ſufficere
uires ualebant? fortaſſe etiam illud nobis indicatur, in febri non intermittenti, extremorum refrigera
tionem in malis eſſe: ſed hoc tempore, cum natura ob ſuffocationem pene eſſet diſſoluta, in imas par-
tes receſſerat; unde extremæ partes a ſanguine deſtitutæ ſunt refrigeratæ: ipſeque eam, quæ abſolute
perfrictio eſt, rigorem appellauit. atque abſolute dixit, conſortia, hoc eſt coniunctiones morborũ fuiſ-
ſe huiuſmodi. nam morbus inuaſit, tũ intermiſit, ac poſtea repetijt, & qui morbi in principio orti ſunt,
non habuerunt eos, qui in recidiua fuerunt: at qui in recidiua extitere, eos exceperunt, qui principio
uiguerant. huius rei cauſa fuit, quod uires ex recidiua conciderant. quamuis autem morbi omnes per
id tempus uiguerint, maxime tamen anginæ ſunt dominatæ. neque id tamen culpa medicæ artis conti
git: neque quod Hippocrates ipſos morbos deſpexerit: ſed quia ipſorum malitia cuncta ſuperabat: ni-
hil enim Hippocrates non fecit, ut remedium adhiberet. ac ſi totum corpus eſſe plenum inueniebat,
ut ad locum affectum materiam tranſmitteret: uenæ ſectione utebatur: eaſque uenas incidebat, quæ
prope linguam ſitæ ſunt. Si uero corpus qualitates quaſdam ad locum amandabat, purgatione uentrẽ
perturbabat: & peracta communi curatione, ad loci propriam accedebat, ac extenſione utebatur. Sed
in multis libris ſcriptum eſt, extenſione, in multis uero preſſione, in alijs denique reprimentibus. nos G
ſingula explicemus. ait igitur, ſi quando ſuſpicatus eſt, anginam ex pituita ortam eſſe, uſus eſt extenſio-
ne, hoc eſt inedia; ut pituita conſumeretur. Sed hæc repudianda opinio eſt: quod nunquam inediã Hip-
pocrates extenſionem nominarit: at ſi legas, preſſionem, hic erit ſenſus, non latuiſſe Hippocratem,
quod raro ſolet accidere, quodque magna ex parte euenit: atque hoc quidem, fieri plerunque anginã
ex muſculorum gutturis inflammatione. illud uero, quod raro contingit, fieri anginæ ſpeciem ex uer-
tebræ ad anteriora migrationem. ait igitur Hippocrates, ſi unquam ſuſpicatus eſt, hunc affectum ita
eſſe factum, ſe compreſſione uſum eſſe, ut uertebra ſuum in locum compelleretur. Sed hæc reijcien-
da, explodendaque ſententia eſt: quando ipſemet hanc eſſe inſanabilem affectionem cenſuit: & quo
nam modo id effici contingat, ipſe ſigno adiuncto plane indicauit in orbem uidelicet, excauatum lo-
cum eſſe. Sed cum nihil tale appareret, quomodo ad uſum compreſſionis ei erat deueniendum? qua-
re quod ait, ita eſt accipiendum: ſæpe fit, ut qui propter oris anguſtiam imponere digitum non poteſt,
ut perungat, penna inungat: ſæpe cõtrarium facimus, ut digito comprimamus, ut materiam extruden-
do euocemus. ne igitur hoc etiam in loco inſanabilem eſſe affectũ putes, locũ affectũ digito ait *
autem ſe compreſſione ſuperiore uſum eſſe, nec quicquam profeciſſe: adhibuiſſe quoque purgationẽ
per ſuperiora. nec tamen ait ſe per ſuperiora purgauiſſe. cum ipſemet iubeat, ne per locum affectum H
unquam euacuemus, ne tanquam imbecillus ad ſe trahat omnia, ſed purgationes nunc uocat gargariſ-
mata: & quæ pituitam euocant. negat tamen hæc ulli fuiſſe ægrotis auxilio. atque huiuſmodi quidem
erant præſidia, quæ ſe admouiſſe Hippocrates ſcribit. nec tamen ſuperare morbum potuerunt: nã quæ
rumpebantur, quæque ſymptomata ſuperueniebant, maligniora erant, quàm ut remedijs cederẽt. ac
ſæuiora erant, quæ rumpebantur: quod materia diſcuti progreſſu temporis non potuiſſet, ideoque
acrior effecta, erodendo cutim diſrupiſſet. aut etiam in pus a natura commutata erupit, & abſceſſum fe
cit. atque huiuſmodi erat peſtilentis aeris conſtitutio.

*Ac primum per ſqualores, lippitudines cum dolore coniuncta, uulgata ſunt.* 2

Quidam hanc orationem a ſuperiore disiungunt: aiuntque Hippocratem de tali quadam conſtitu-
tione differere, ut dicat, æſtas ſicca uer ipſum excepit: in qua multæ lippitudines ſunt uulgatæ. ego ue
ro hunc ſermonem cum ſuperiore eſſe coniunctum puto, ut dicat, hiemem fuiſſe commutatam, dein-
de etiam æquinoctium uernum præter naturam extitiſſe: ſed & ineuntem æſtatem in una qualitate ad
ſimilem eſſe formam commutatam: ſiquidem arida fuit: non tamen multi in ea morbi extiterunt. dictũ
enim in aphoriſmis eſt, maiorẽ nos moleſtia ab imbri, quàm a ſqualore affici: niſi cum nimius ſqua-
lor

A lor ſit: quoniam eo tempore graues ipſe quoque morbos gignit. itaq; cũ nunc ſiccitas fuerit, cum tamẽ
eſſe non conſueſſet, maiorem noxam attulit. in primis.n. uſu uenit contrariũ eius, quod ſolebat: cum ni
hil ſit oculo humidius: & tamẽ lippitudines exortę ſunt, atque eæ quidem dolorem adiunctum habe-
bant: periculum enim erat, ne tunicæ propter ſiccitatem rumperentur.

3 *Sanguinem uenarum ſiſtunt hæc, animi defectio, figura ſurſum ſpectans; alia interceptio, linamenti in orbem circumuo lutio; appoſitio, deligatio,*

Admirabilis hæc ſane eſt ſententia: nam quandoque nimia ſanguinis profuſio ex uenis, aut arterijs
facta eſt: itaque ne tantũ progrediatur, ut uires diſſoluat, comprimenda eſt. comprimitur autẽ aut ali-
qua re naturali, aut artificioſa. a re naturali, ad hunc modum: ſæpe fit, ut cum ſanguis confertim effluit,
euacuato uitali ſpiritu, animi defectio conſequatur. ea cutim refrigerare, materiamque craſſam redde-
re, & ſanguinis proruptionem ſedare poteſt. hoc a natura proficiſcitur: artis multa ſunt opera: nã co-
hibet etiam figura, quæ ſurſum uergat: ut ſi ex partibus inferioribus, ut a pede ſanguis exeat, pede in
ſublimi collocato, ille ſupprimitur. cohibet etiam linamentum. ac ſi ſuperficietenus ſanguis fluat, ſo-
lum linamentum admouet: ſi ex imis partibus, circumuoluit. Vel quod ait de circumuolutione, ita erit
B accipiendum: ſæpe ex naribus ſanguis exit: noſque eum & inuoluendo, & nares claudendo comprimi
mus. deligatio quoque ſanguinem profluentem ſedat: ut in libro de fracturis eſt dictum: præſertim ſi
deligatio non a ſanis partibus ad ægras perducatur, quoniam ita ſanguinem attraheret, ſed ſi ab ægro-
tis ad ualentes pertineat, ut eundem repellat. quod autem in medio ſcriptum eſt, alia interceptio, uel
tanquam index eſt, ut ſignificet, alias eſſe cohibendi ſanguinis rationes, ut per linamentum, ut per cir-
cumuolutionem: uel ut ſit aliud remedij genus: cum ſæpe contigerit, ut diſſectum aliquod uaſculum
laqueo intercipientes fecerimus, ne ſanguis ultra proflueret. his modis omnibus ſiſtitur is, qui ex ue-
nis ſanguis prorumpit. melius autem eſt, ut ex uenis, quàm ex arterijs effluat: ut ipſe nos docebit: cum
propter particulæ nobilitatem, tum uero, quia pars ipſa pulſu agitata, tantum quietis naturæ, ut cica-
tricem inducat, non concedit.

4 *In bubonem plerunque attollitur, quia hepatica eſt. Sed & arteria uitiata malum ſignum eſt. ut in Poſidonia uſu uenit.*

Hæc implicita, perobſcuraque oratio eſt: multaſque habet explicationes: cum enim dixerit, graue
eſſe, ut ſanguis e uenis euacuetur, ſubiungit, id non ex quacunque uena eſſe intelligendum: quia nõ ex
C tenui, quæ telam aranearum imitatur, ſed ex ea, quæ in bubonem elata eſt, malum erit. in bubonem au-
tem attolli dicitur, quæ ſe ſe in ſublime effert. hæc ſi ſanguinem fundat, graue id erit, quia hepatica eſt:
hoc eſt, quia ex hepate exoritur. eſt alia etiamnum explicatio, ad hunc modum, ſæpe ſanguis ad interna
fluit: iſque in alia uaſa comportatur: ac uarices excitat. uerum ſanguis profluens non omnem uenam
in bubonem, altumque attollit: ut uarices oriantur: ſed ſolam hepaticam. hæc uera quidem interpreta
tio eſt, ſed tamen quandoque fit, ut quis ulcus in extremo pedis digito habeat, & bubo excitetur. quare
Hippocrates hæc recordationis cauſa ſibi ipſe conſcripſit, quæritque, quid cauſæ ſit, cur una parte affe-
cta, bubones aliam corripiant. nos uero reſpondebimus, id effici, quia cum dolor pedem obſideat, na-
tura illuc unà cum ſanguine feſtinat, ut dolenti parti auxilietur: ac glandula aliqua rara inuenitur, quæ
excepto humore inflammatur. quod præcipue fieri ſolet, cum hepaticæ uenæ illuc feruntur: ſiquidem
propter magnitudinem multum humoris aduehunt, qui in cauſſa eſt, ut glandula bubone corripiatur.

5 *Frons non ſudabat iis, qui ex ſanguinis profluuio peribant, ſed ueluti concidentes, & ſpiritus pleni moriebantur. malum uero etiam erat, ſi cum ſudore de uita decedebant.*

Huius orationis ſententia cum ſuperiore coniuncta eſt. profluxit ſanguis, qui neque naturali, neque
D ab arte profecto remedio cohiberi potuit. itaque ne quis artem medicam plane damnet, ideo docet,
quomodo & præſagire, & prædicere mortem poſſimus. dicendum ergo eſt, ſudores non eſſe ſecutu-
ros: nam cum humor omnis ſit euacuatus, unde ſudor manabit? porrò ſi ſudor non profluet, neque ẽt
ſyncopa conſequetur: præſertim ſi ne frons quidem ſudet: eſt enim dictum, ſudorem cum ſyncopa
iunctum circa frontem, & ſuperiores partes eſſe ſolere: ſiquidem ſudor frontis, colli, & partium earũ,
quæ ad pectus pertinent, facultatis animalis imbecillitatem, atque infirmitatem indicare plerunque
uideatur. cum enim alicuius corpus per halitum digeri, ac diſſipari debeat, tũ natiuus calor, qui ſub-
mouere euaporationem cupit, ad faciem celeriter currit; ſed ſi uinci ſe ſinat, cum uapor per ſuperiores
partes euacuat: atque ita ſudor efficitur. uerum, ut hæc uult ſententia, ſudores nulli erant: ſed cutis cõ
cidiſſe, exaruiſſeque uidebatur: & ſpiritus pleni moriebantur. nam quos ſpiritu plenos hic nominet,
non ſat ſcio: hancque ego orationem interiectam ab aliquo, & non ueram Hippocratis puto. an uero
tales appellat, quorum eſt magna, & frequens reſpiratio: eamque ob cauſam cum ſudore non mo-
riuntur: in quo genere ſunt, qui aqua inter cutem laborant: hi enim utpote humore perſperſi, uitam
effuſo ſudore finire deberent.

6 *Ventres turbationem facile tolerant, ut Poſidonia contigit.*

Eſt hæc admiratione digna oratio, ſi clara ſit. declarabitur autẽ ſi ordine legatur: ait enim fieri alui
profluuium

profluuium,& turbationem; & utrum obsit,an prosit,iudicari ex ea,quæ sequitur facili,aut difficili tole E rantia:atque ut Posidoniæ contigit,sic etiam de alijs esse iudicandum. quare,si legas hoc modo, Vêtris turbationem facilis tolerantia indicat,ut Posidoniæ contigit,perspicuam orationem facies.

*Quæ etiam feras ingenerent,considerabis.* 7

Feras appellat morbos ferinos, ac sæuos: quandoque etiam lumbricos.uide igitur,unde huiusmodi feræ gignantur: & quid ipsæ faciant. generantur autem a crudo succo,uel a pane,uel a leguminibus, uel ab oleribus: ipsæ uero & tormina,& morsus faciunt. quocirca si quis pane impuro, & cum leguminibus facto utatur, eumque frequens cruditas male habeat, & edat ea, in quibus sit aliqua corruptela: is lumbricos in uentre habet, sine dubio, uel generabit.

*In extenuatione ante mortem distentio: umbilicusque prominens ei ulcerabatur. gingiuarum quoque ulcerationes fiebant circa dentem ab iis, quæ ingrediebantur.* 8

Videtur id de Posidonia enunciare: ut intelligamus,sanguinis profusionem tam copiosam esse factam,ut natiuus calor sit refrigeratus, & aqua inter cutem oborta. itaque si aqua inter cutem excitata est,distentio uentris est subsecuta,non a bono humore illa quidem,sed ab excrementitio profecta.quæ F res prominentiorem quoque umbilicum reddidit: eumque ulcerauit. sunt qui legant hoc loco, non ἡλκῶσθαι, sed εἱλκύσθαι, hoc est extentum, & productũ umbilicum esse. ceterum hic humor distribui cœpit,& superiores partes petere: ubi sua acrimonia ulcus in gingiuis excitauit: fecitque, ut edulia omnia,quæ dentes subibant,noxia esse uiderẽtur.ac fortasse dentis nomine non intelligit eos dentes, qui sub aspectum cadunt: sed de gula agit, utpote quæ esset ipsa quoque ulcerata: siquidem per dentes transit.ac dentem quidem appellat Hippocrates secundæ uertebræ exortum, qui a nuclei forma πυρηνοειδὴς nominatur: unde iter illud,per quod esculenta,poculentaque in uentriculum comportantur, cui οἰσοφάγου nomen est, proficiscitur. itaque forte accidit,ut humor illac pertransiens,locum ulcerarit.

*De quaque re præcipi rectè multa possunt: atque hæc quidem, ut idem ualentia, illa uero non item: ueluti sunt diffundi,delitescere, educi, obdurari, concoqui, & euacuari.* 9

Si quis in memoria habeat, quæ supra sunt dicta,ei nullam utilitatem hæc afferet oratio: nam supra nos Hippo crates monuit,spectandum esse,sint ne res similes inter se,an dissimiles: id quod nunc quoque iterat, cum ait, de quaque re potest quisque multa rectè præcipere.ecce ut ego tibi præcipio, ut quæ similia, quæ dissimilia sint, perquiras. nos autem in superioribus de similitudine, deque dissimili G tudine multa diximus: ac quo modo multæ dissimilitudines ad unam communem similitudinem redigendæ sint: ut ex multis dissimilitudinibus una similitudo fiat, exposuimus. nunc uero pro huius rei exemplo hoc statuit: duos medicos ad ægrum accessisse, eumque inflammatione uexari comperisse. itaque uterque in eam sententiam uenit,locum ipsum euacuationis indigere: sed alius statuit humorẽ esse fundendum,aut discutiendum: alius esse constringendum,atque ad superiora repellendum. num igitur opponitur fusio constrictioni? an uterque euacuationem molitur? in alio quoque cum multi medici refrigerare uellent, alius ptissanæ, alius lactucæ,alius aquæ usu refrigerauit. hæcque eadem, nomine tamen differre existimantur.in re sane conueniunt,siquidem refrigerarunt omnia.

*Et ubi opus est homines a lecto propulsare,ibi timidos a lecto extrudes: & torpentes ad ea,quæ serius agunt,excitabis.* 10

In plerisque libris scriptum reperi non a lecto, sed κλίνη, ut sit sensus,quo humor repit,inde euacuationem molire: sed uera lectio est, quam ego adscripsi: sæpe enim contingit, ut quidã propulsato morbo sani sint: exurgere tamen e cubili timeant,quod eo oblectentur: hos inquit,oportet extrudere,atq; excitare: ne corpus torpore correptum refrigeretur. tum uero ubi excitaris, eis manda, quæ potissimum gerenda refugiunt: igitur, si nolint scribere, aut legere, ut scribant, aut legant, si sciant, im- H perabis.

*Aqua inter cutem correptos citius incidere,tabidosque statim urere,caputque secare conuenit.* 11

Non docet hoc loco curandi rationem,sed tempus: ut intelligas,quicquid agis,celeriter esse agendum.hoc autem ad chirurgicos maxime pertinet: etenim persæpe usu uenit,ut aqua inter cutem, quæ ascites nominatur,ab humiditate circumspersa consistat: ac tum manum uelis adhibere, cutim ut perfores.iubet,ne quid temporis interponas,sed confestim rem aggrediaris, ne humor ad internas partes confluat.itemque mulieribus, quæ hydropes sunt ex retentis menstruis purgationibus, & eis, qui ex retentione alicuius excrementi, quod euacuari consueuisset, uel ex suppresso profluuio sanguinis e naribus,aut hæmorrhoidibus,festina adhibere remedium prius,quàm robur deficiat, & uires prosternantur. pari etiam modo si tabidum urere constitueris, ne cuncteris: propterea quod conandum est omni studio, hoc ut facias ante,quàm ulcus ipsum putrefiat: tunc enim omnis frustra suscipietur labor. Iam si os capitis quandoque prope membranas fractum sit, siue secare, siue subleuare ipsum uelis, celeriter facito. idem in ceteris rebus omnibus obseruabis.

*In hydropibus ne partem,quæ sub imo uentre est, neque interna attingas: simile enim genibus contingit.* 12

Quia

A Quia dixit hydropicos confeſtim ſecari oportere, nunc non omnes hydropas ſecandos eſſe, nos monet: neque enim confeſtim perforare uentrem illorum oportet: ſed tum denique, cum ita humor auctus eſt, ut uires ægrotantis euertat, & profliget. ſunt .n. eorũ tria genera: alius tympanias ex flatu cõſtat: aſcites alius ab humore ſic redditus, tertius anaſarca, in quo humor per carnem ſparſus, ac diſſeminatus eſt. tympanias ſecandus non eſt, propterea quod propter flatus nemo ad manuum opus deuenit: neque uero etiam anaſarca: quia ſparſus, diſſeminatuſque per carnem humor euacuari non poteſt. Sed quemadmodum in tumore, qui genu obſideat, ſi a flatu ſit excitatus, eum nemo incidit: immo uero nec ſemper cũ ab humore ortus ſit, ut cũ incoctus, ac durus eſt: nec etiam cum ſit in pus perfecte mutatus: ita in ſolo aſcite ad manuum opus accedimus, qua in re damus operam, ut neque imum uentrẽ, neque ullam internam partem attingamus.

13 *Si quæ circa os uentriculi doluerint, ut Xenarcho, tum quæ calida admodum ſunt, inſpirabis: & ulcus ab initio, euacuationis loco, fouebis.*

Hæc ſententia ad curationem pertinet. cum enim Xenarchus, ut Hippocrates commemorat, ægrotarit, ei uiri intelligentes profuerunt: cum igitur ulcus haberet in pulmone, frigidi aeris inſpirationem B uitandam eſſe diligenter præceperunt: ſiquidem ſciebant, frigus eſſe ulceribus inimicum: eaque ab illo pungi pene, atque feriri: præſertim uero ubi reſpiratio frigidi aeris ad rarum, teneruṁque pulmonem comportetur. atque hoc eſt, quod circa uentriculi os dicit. quod ſi intelligas circa præcordia, aut ipſum cor affectum excitari, ſed non, qui eryſipelatis, aut inflammationis ſpeciem gerat, quia in eo caſu mors hominem arriperet, uerum eam animi defectionem, quæ ſyncope cardiaca appellatur, quæ ex innati caloris refrigeratione exoritur, tunc quia refrigeratum cor eſt, ideo frigidum aerem non introduces, ſiquidem malum adaugebis; ſed uel ab ipſo morbi initio fouebis.

14 *A quo unum, ſic cetera.*

Hæc ſententia uera eſt Hippocratis, quamuis multi eam expungendam iudicarint: cenſet enim his uerbis, ut qua ratione Medicus unum ſymptoma comperit, eadem de ceteris iudicium faciat. ut, exẽpli cauſa, dolore lateris quiſpiam correptus eſt: cum primum ingreſſus eſt Medicus, pungentem eſſe dolorem inuenit. itaque ab hoc ſigno facta coniectura, poteſt de alijs loqui, & ægrum interrogare: ueluti tuſſim, difficilem ſpirationem, febrimque adeſſe iam, aut ſubſequi debere. ac ſi poſt concoctionem inuenerit, caput grauatum eſſe, tunc ſanguinem proruptutum eſſe prænunciabit: ad eundem modum C dicet, inferius labium concuſſum iri: & ſplendentia quædam eſſe oculis obuerſatura. quare ſit, ut uno ſymptomate inuento, de ceteris, aut futuris, aut conſequentibus tibi ſit prædicendum.

15 *Iracundiæ, atque aliarum perturbationum ſignum eſt, ut ſi uox, qualis iratorum eſt, in non iratis ſit; ſi oculi turbati, ac terribiles ſint, quales eſſe iratorum ſolent: ſi alia deniq; ad hunc modum adſint. idem in morbis ſpecta: ut cũ quis natura ad tabificum morbum imaginem præ ſe ferat, tabificam formam faciet, ſi cetera pari quoq; ratione adſint.*

Ratio hæc fere naturalis eſt: ſunt enim quidam re uera naturã hominum cognoſcentes, qui ex facie de animi moribus diuinant. hinc efficitur, ut ſi quem uideant ſupercilijs ſurſum contractis, eum impudentem uocent: ſi demiſſis, ingenuum. atque illi quidem hæc perueſtigant, ut animi mores comprehendant: Hippocrates autem hæc inquirit, ut corporis affectionem agnoſcat. ait igitur, iracundiæ ſignum eſſe, ſi uox tremula ſit, ſi facies rubicunda, ſi oculi ſint perturbati. ac ſæpe hæc omnia in aliquo, qui ſuum ſtatum naturalem ſeruet, comperiuntur. quare ars ipſa nobis indicat, ſi in aliquem ille morbum inciderit, fore, ut phreniticus, ac furioſus fiat: ratio enim e ſtatu naturali facile ducitur: qui ſtatus eſt ad huiuſmodi affectus originem accommodatus. ſimili quoque modo ſolicitudinis, ac moleſtiæ ſigna eſſe cognouimus demiſſa ſupercilia, oculos, qui nullo motu cieantur, colorem pallidiorem. D itaque ſi hæc ſine ulla ſolicitudine ac moleſtia in homine inſint, ars commonſtrat, eum ſi in quem aliũ morbum, tum potiſſimum in melancholicum eſſe caſurum: ſiquidem ita ei natura inſitum eſt, ut ad ortum illius affectus ſit comparatus. ſed quorſum ea perſequor, quæ animi naturam indicant, ea quæ in corpore ſunt, ſilentio inuoluens? ſunt enim quædam ad tabem comparatæ naturæ, ut quæ ſcapulas in modum alarum prominentes habent, quibus pectus anguſtum, ac non altum eſt: quare nos ex arte facimus coniecturam, ſi is ægrotabit, fore ut facile tabido morbo corripiatur: quod naturalis fabricatio ad eum affectum contrahendum procliuis eſſe uideatur. idem eſt de ceteris omnibus exiſtimandum ita, ut ex naturali ſtatu de ijs, quæ præter naturam futura ſunt, iudicemus.

16 *Tuſſes, quæ laſsitudinem iunctam habent, læſa, præcipue autem articulos pertingunt.*

De tuſſi leui, deque laſſitudine, quæ ex primitiua cauſa orta ſit, nunc differit. aliquis magno itinere confecto in laſſitudinem incidit: eaque frigido in loco eum corripuit: ac tuſſis excitata eſt. cumque tuſſis urgeret, uires robuſtæ humorem expulerunt: & ad imbecilliores partes amandarunt. quid autem eſt articulis imbecillius, ſiue ſtatum ſuum ſeruent, ſiue præter naturam ſint affecti? atque hoc quidem tempore propter motum in laſſitudine facti imbecilliores materiam irruentem ſuſceperunt.

17 *Verum & in febribus cum laſsitudine tuſſes ſiccæ factæ ſunt: quæ ſi cum febre relinquuntur, in articulos firmantur.*

Superior oratio erat de leui tussi instituta,hæc autem de maligna habetur: itemque de lassitudine, E
cuius causa posterius exorta est: nec tamen de omni lassitudine uerba fiunt, cum non de ea, quæ ulce-
ris,sed quæ tentionis sensum inuehit,deque ea,quæ ossa lassat,sermo sit: quæ quidem ex crassa materia
oriuntur.ex quo etiam efficitur,ut cum crassa materia sit, nihil in tussi reiectetur: sed materia ibi consi-
stat,cumque discuti non possit,infra ad debiles,calidosque sinus uergit: huiusmodi enim articuli sunt.
itaque Hippocrates ait, tunc aridas tusses in articulos firmari, cum relinquuntur,hoc est,cum materia
omnis non sit a tussi euacuata: sed permanserit,& ad articulos impetum fecerit.unde ne eijcere quidem
flatus oporteat. quidam uero per uerbum linquuntur, existimarunt spirationem interceptam signi- *
ficari,quod est unum difficilis respirationis genus: quod in malis habetur. Sed satis insulsa eorum
oratio est.

*Spirationes obscura in tabidis, & sterilibus, mala: & item cetera, qua ab eadem constitutione huiusmodi* 18
*proueniunt.*

Perobscura hæc oratio uidetur: eamque ita quidam interpretantur: si in tabidis difficultas respira-
tionis aliquid indicabit, morbus leuabitur: hoc est,si neq; facta iudicatio sit, nec abscessus grauis sub-
secutus: quia quæ non manifeste facillima sunt,si fiant,non sunt in absurdis habenda. Sed ipse hoc ait, F
sæpe quispiam ægrotum adijt, eiusque magnam, ac frequentem spirationem uidit: paulo post uero ite
rum ad eum ingressus, eum sine ullo signo,& ulla, quam animo concipere possit, causa paruam habere
respirationem comperit. plerique autem lætantur, putantque se a morbo liberari, quod difficilis spira
tionis sit facta mutatio. at qui uere Medicus est,pulsum attingit,eumque & exilem & inæqualem inue-
nit: magnumque subesse malum pronunciat: tunc enim parua ,respiratio,est facta , non quod morbus
soluatur,sed quia uires debilitatæ non iam dilatare pectus possunt.hincque exigua fit respiratio. idem
est de sterilibus sentiendum: quæ ipsæ quoque ægre spiritum ducunt.Hippocrates autem hoc loco ste-
riles non appellat eas, quæ ut concipiant, non iam aptæ sunt,sed uiduas,quæ uti rebus uenereis nolũt:
atque ita se facturas constituerunt, in ijs enim semen concretum coalescit, atque in unum conducitur:
atque initio, cum calor seminis magnus esset,magna quoque respiratio fiebat: progressu temporis, cũ
seminis remissa uis est,parua respiratio est. idem in alijs multis perspicitur: in ijs enim,qui suppurati no
minantur, pus ipsum prius educitur: ideo maior respiratio est.postea uero,non quod cessarit morbum
efficiens causa,sed quia uis,quæ educebat,imbecillis facta est,ideo minor efficitur respiratio.

*Tabidis autumnus malus est.malum itidem est uer, quando ficulna folia pedibus cornicis sint similia.* G 19

Cur autumnus sit tabidis noxius,in promptu causa est: etenim inæqualis est, ut in eo modo calor,
modo frigus uigeat. quoniam autem inæqualitas naturam prosternit,ideo fit,ut nõ solum autumnus,
sed uer quoque sit infensum: tunc enim apta temperies quæ sanguinis fusio est, humores ad pulmonẽ
aduehit,naturamque adauget: id quod ueris principium facit uel maxime. ac principium quidem ip-
sius ijs signis indicauit,quæ scripta reliquit Hesiodus, cum in summa ficu folia similia pedibus corni-
cis appareant.

*Perinthi uerno tempore tabidi quamplurimi fuerunt. causa adiuuans fuit tussis hyberna,qua populariter uagata erat;* 20
*ac nonnullis,quibus morbi diuturni fuerant,cum in dubio essent,tabes ne illa esset,nec ne,confirmauit. quibusdam uero in*
*diuturnis morbis non facta tabes est: quo in numero erant,qui renum dolores habebant: immo uero & alijs id contigit, ut*
*homini illi,ad quem me Cyniscus perduxit.*

Hæc oratio ad uulgares morbos re uera pertinet: siquidem tota urbs Perinthi affecta laborauit.qua
re tussis uerno tempore in populũ est grassata: sed initium ab hieme duxerat: & in uer usque pertinue-
rat.ceterum nisi huius orationis uerba traijciamus, erunt sane perobscura. Scribit igitur,tussem Perin-
thi fuisse, ac si quis suspicabatur, se esse ægrotaturum factum esse,ut tusse superueniente, in morbum H
inciderit. aitque Hippocrates, quibus morbus fuit diuturnus,eos in autumno tabem non esse perpes-
sos,cum materia se assuefecisset,ut in alio esset affectu occupata. cum autẽ multi diuturni morbi essent,
renum dolorem exempli caussa memorauit.ac nonnullorum narrat historiam,qui cum diuturno essent
morbo conflictati,& tabem,& tussim postea passi sunt.ac nihil mirabile est, si humorum malitia, quæ
suberat,in totum sit corpus distributa. quo morbi genere affectus erat is,quem ad Hippocratem Cy-
niscus philosophus adduxit.

*Dolorum,qui latera,pectus,aliasque partes obsident,tempora,an multum inter se differant,spectanda sunt: ut & quãdo* 21
*melius,& rursus quando peius affecti fuerint,intelligas,nullusque error committatur.*

Eadẽ ferme est de doloribus in aphorismis cõscripta sentẽtia:nosq; ibi eam explanauimus. ceterum
quod ad doloris tẽpora pertinet,nos monet,ut qñ dolores magis urgeãt,qñ mitiores sint,diligẽter ob-
seruemus: quo aut principiũ,aut incrementũ,aut statũ,aut declinationẽ adesse,aut denique in quo t̄pe
morbus sit,nos nõ fugiat: ita.n.& ad prædictionẽ,& ad curãdi rationẽ hoc præceptum nobis erit accõ
modatũ: hoc est, ut salutem,aut mortem futuram prædicamus,& ut uictus rationem rite instituamus.
atque ita fiet,ut neque æger,neque nos ulla in re de recta uia deflectamus.

*In diuturnis*

22 A *In diuturnis dysenterijs, cibi fastidia, malum, cum alias, tum uero si etiam febris adsit.*

Dictum est a nobis in commentarijs, ijs, quos in aphorismos conscripsimus, ubi & hanc, & superiorem Hippocratis sententiam declarauimus, dysenteriam ex acribus humoribus exoriri: & ab hac affectione intestinum ulcerari, atque ita, ut etiam tractu temporis corruptelã subsequatur.

23 *Vlcera circum glabra, maligna sunt.*

Et hunc aphorismũ etiam declarauimus, docuimusque, humores uitiatos, ac prauos ad ulceris partes comportari, atque ita ulcus erosione tentari: ut pilorum radicibus corruptis, ulcera cicatrice concludi nullo modo possint.

24 *In lumborum doloribus, si fiat recursus ad latus, malum. itemque tuberculum, quod seps uocatur.*

Quemadmodũ cum a nobili ad ignobilem locum fit decubitus, est boni consulendũ; ita cũ ab ignobili ad nobilem fit recursus doloris, aut alterius mali, id non esse noxium non potest. id ipsum exemplo doloris lumborum ipse nobis declarat. is enim inquit, si ad latus, & costas perueniat, atque cõscendat, est multo periculosior, quàm ante fuerat: sicut etiam in rebus perniciosis ac malis habẽdũ erit erũpẽs

B tuberculũ, quod a serpentis tabifici, ac mortiferi noĩe seps, hoc est totius corporis corruptio, nominat.

25 *Vitia renum post annum quinquagesimum sanata non uidi.*

Cautius locutus est in aphorismis, ubi scriptum est, Renum & uesicæ uitia in senibus difficulter sanantur. nã quod addidit difficulter, nõ omnino sanari posse significat: sed posse quidẽ, uerũ magno cum labore: ac nisi summo studio, & singulari adhibita diligentia. caussam uero difficultatis cũ illic attulerimus, nihil est, cur hoc loco sermonem producamus.

26 *Quæ exacerbata in somnis sunt, & quibus extrema frigent, ac mens turbatur. itemque alia, quæ in somnis contingunt, huiusmodi: atque horum contraria.*

Diximus persæpe, hunc librum non ita esse confectum ab Hippocrate ut in apertum proferretur: sed ut sibi ipse commentariolum conscriberet. Signo est, multa esse imperfecta, & nullo modo inter se cohærentia, & uerbum nullum habere, quo quasi copula coniungantur. quod hic locus plane demonstrat. ignoratur enim præceptum ne sit, an quædam eius obseruatio. Sed si addas uerbum, expende, aut specta, aut considera, stabit senis præclara sententia: iubentis spectanda esse omnia, quæ in somnis ac-

C cidunt, ut qualia sint, intelligas. nam si lædere uideantur, si mens quasi de suo statu deturbetur, si extrema refrigerentur, scito mala hæc esse omnia: cõtra uero si sedare ægritudinẽ, lenire dolorẽ, & cõcoquere morbum, & corpus reficere uideantur, esse bona spe poteris, & somnum profuisse, & ægrotum esse conualiturum. ita enim ipse quoque cum alibi, tum etiam in aphorismis iudicauit.

27 *Quibus nihil intra definitum tempus accidit, ijs, quæ ipsæ pariunt, uitalia.*

Multa possunt mulieribus prægnãtibus accidere, quæ & ipse in aphorismis, & nos in commentarijs in eosdem sumus diligẽter persecuti: quorũ quædã ab aere nos ambiẽte, eiusq; cõstitutionibus; quædã a corporis immutatione, ut ab alui profluuio, aut a febri, aut ab alijs malis proficiscũtur. quæ omnia nobis nunc omittere consilium est. ceterum quod ait intra tempus constitutum, hoc uel septimum mensem, ut in commentario libelli de septimestri partu docuimus: uel nonum significat. de octauo enim certum est, non edi in ipso uitales partus. in decimum uero, & in undecimũ quandoq; mensem, ut Aristoteles auctor est, fœtus differuntur: sed raro.

28 *Quæ apparent, quibus in mensibus.*

D Præter cetera incommoda, quæ grauidis imminent, illud est ualde attendẽdum, utrum mẽstruæ purgationes erũpant. uix.n. fieri põt ut illis procedentibus fœtus integer conseruetur: præsertim si nõ primis mensibus, in quibus fœtus exiguo adhuc eget alimento, hoc usu ueniat. Si.n. mulieri ut ipse ait, prægnãti mẽstrua erũpat purgatio, fieri nõ põt, ut fœtus integra ualetudine perfruat. Alij uero de statis diebus, ac tẽporibus purgationũ menstruarũ, quæ primũ in uirginibus apparẽt, loqui ipsum arbitrãtur. ego uero eis concedo, ut in ijs obscuris orationibus, quicquid uelint, diuinent.

29 *Dolores per circuitus fiunt. qui autem in septuaginta mouetur, is triplicato numero perficitur: qui uero in nonaginta, is etiam triplicato numero absoluitur.*

Videtur hic innuere numerum dierum, in quibus partus absoluuntur, & in lucẽ edũtur. quia uero & septimo, & nono mense uitales eduntur, ideo ex duplici eorum motu, utrunque tẽpus designat. qui.n. in septuaginta diebus mouẽtur, ij triplicato hoc dierum numero perfecti & absoluti reddũtur, & foras erũpunt. facile.n. subducere quiuis rationem potest, ex tot diebus, quot sunt ex triplicato eo numero, septẽ menses confici: præsertim cũ iam probauerimus in hoc partu intelligi mensem, qui triginta dies capiat. septuaginta.n. ter ducta numerum dierum ducentorũ ac decem cõficiẽt: sicut nonaginta ter ducta numerum dierum ducentorum ac septuaginta, ex quibus nouem menses constant, absoluunt.

*Post muliebria tum dextra, tum sinistra hiat.* E 30

Est probatum in superioribus mares potius in dextra uteri parte, fœminas in sinistra concipi. itaq; ait, tum dexterã partem, tum sinistram magis patere ad semen recipiendum & continendum post menstruas mulieris purgationes: quo tempore magis concipere mulieres, & nos ostendimus, & ipse quoque scriptum reliquit; & ab eodem accepit Aristoteles, qui id ipsum in librum de natura animantium transtulit.

*Humiditas ex procedentibus, victu humido.* 31

Pleraque sunt, quæ Delio, ut aiunt, natatore indigent: nam & ita breuiter, & ita obscure sunt proposita, uix ut intelligantur. puto igitur hoc significari. plerasque fœminas non concipere, quod nimia humiditate refertum, & imbutum uterum habeant: ideoque uictus ratione, qua exsiccentur, eas curari. cognosci autem uteri nimium humorem ex ijs ait, quæ inde procedunt, ac profluunt. ex nimia purgatione, uel quæ aquea sit, uel certe eiusmodi, ut inde facere de uteri statu coniecturam possis.

*Citius per membra discretus, motus vero rursus, tardius augetur.* 32

Supra in secundo commentario monuimus, mares in utero citius conformari, hoc est quincto trigesimo die: & sua membra distincta habere: cum uero mouentur, & in lucem proferuntur: tardius augeri. fœminas non item: sed contra potius: quod in utero tardius conformentur, & in lucem editæ facilius F ad incrementum perducantur. hoc idem statui hoc loco, mea fert opinio.

*Labores plerunq; accidunt tertio, quincto, septimo, nonoq; mense: & quarto, sexto, & octauo.* 33

Appellare solet πόνους Hippocrates hoc est labores, pro eo, quod ὠδῖνας, hoc est dolores quandoq; ut etiam pro quauis molestia idem nomen usurpat: ut hoc loco. significat enim omnia, quæ grauidæ patiuntur. quæ paulo ante fieri statis temporibus, & per circuitum dixit. ideo quibus potissimum mensibus accidant ipse declarat: tertio inquam, quincto, septimo, & nono, tanquam in mensibus imparibus: tum uero quarto, sexto, & octauo, tanquam paribus. in hoc enim spatio & appetitus deiectiones, & uomitus, & malum, cui picæ nomen est, & pedum etiam tumores, & capitis dolores accidunt. adde uero etiam uentris profluuia, febres multiplices, & abortus: qui plerunque aut tertio, aut quincto fieri mense solent: quanquam etiam alio quouis tempore hanc calamitatem mulieribus contigisse conspexi.

*Hæc ex parua tabella.* 34

Puto hoc fuisse adscriptum a Thessalo Hippocratis filio: qui ut notaret, unde nam omnia, quæ collegerat, sumpta essent, sic addidit: ut postea cognosceret, unde illa essent repetenda, siquid fortassis occurrisset. consuesse autem ueteres in tabulis, aut tabellis suas res conscribere, constat inter omnes. G hæc igitur uerba nihil ad artem medicam, aut aliam quamuis contemplationem pertinent. quare huic commentario finem imponamus, ut ad octauum aggredi, & tandem ad finem perducere ualeamus.

Finis septimi commentarij.

# GALENI IN SEXTUM DE MORBIS VVLGARIBVS COMMENTARIVS VIII.

*Io: Bap. Rasario interprete.*

VICTVS *ex repletione, inanitioneque constat cibariorum, ac potuum. horum mutationes ex qualibus in qualia vt se habeant, spectandum.* H 1

Quemadmodum Hippocrates bonorum omnium, quæ ad faciendam medicinam, quæque ad morbos cognoscendos, & caussas indagandas pertinent: & omnium, quibus ad tuendam sanitatem opus est, & ad recuperandam eam, quæ iam perdita sit, inuentor fuit: ita etiam ipse princeps fuit, quem uictus rationem recte instituisse cognouerimus. is enim præter eam pulchram, & utilem scriptionẽ, quam de ratione uictus in morbis acutis nominauit, in quam nostri etiam quatuor sunt commentarij, pleraque conscripsit opuscula, in quibus præcepta, atque rationem intueri possis, ad omnium hominum uitam gubernandam pertinentia. nam & de uictu salubri, & de uictu ualentium & alia permulta nobis reliquit, quibus ad recte, salubriterque uiuendum informemur. sed & præter hæc ipsa, quæ data opera, ad hoc pertinentia, memoriæ consignanda putauit: multa quoque omnibus in locis disseminauit, cum alijs in libris, tum uel maxime in aphorismis, & his, quos modo explicamus, quæ ad eandem rem facere uideantur. intelligebat enim ad uitam humanam tuendam hoc ualere plurimum; quod uiuendi ratione usque dum hac lucis usura perfruimur, uti uel inuiti cogamur. & fere hæc una res est, cuius maiorem habere rationem, quàm aliarum omnium medici debent: nam extra aërem, nos ambientem, cuius maxima habenda ratio est, si quidem

A dem ipsum continenter ducimus, & emittimus, hoc est inspiramus, & exspiramus, quid est, in quo tam diu, aut tam sæpe, quàm in uictu uersemur? purgationes enim, sanguinis missiones, ceterasque euacuationes, & quæ communi nomine remedia uocantur, raro adhibemus. sine uictus autem ratione, quomodo ægrum sustentes, aut uires conserues, aut morbos ad statum usque, tum ad declinationem perducas, certe non habebis. Ipse uero duabus potissimum in rebus positam esse uictus rationē uidetur statuere, in alimentorum repletione, & inanitione: quas res ut serues, & apte constituas, magna cura, & singularis adhibenda diligentia est: ut intelligas quando alendus ægrotus sit, quando non sit: quid dandum, & quantum, & quale. & item quando mutanda uictus ratio, & ex quibus rebus in quas sit facienda mutatio. qua de egit in libro de ratione uictus in morbis acutis sane quàm diligenter: quo etiā in loco Medicos sui temporis ualde accusauit, qui nullam rectam uiuendi rationem instituerent. Nūc uero, ut monui, duplicem esse ipsam uictus rationem docet: ut altera parca sit, affluens & largior altera: utranque tamen cibis, potibusque uult contineri. uel etiam censet uictus rationem quandoq; imperandam ex ijs alimentis, quæ ualentis, aut ex ijs, quæ imbecillæ sint materiæ. cuiusmodi autē possis huius rei gratia alimenta adhibere, nihil opus est hic commemorare: quando habeas nostros de alimentorū uiribus commentarios: ad quos si eum libellum quoque aggregaueris, qui est de bonitate, ui
B tioque succorum totam rem plene comprehenderis. neque id oscitanter faciendum est: quando usu interdum uenit, ut sit facienda alimentorum commutatio. an quod de permutatione ait, non modo de ratione uictus, quæ potu ac cibo continetur, sed de alijs quoq;, ut de somno & uigilia, de motu, & quiete, ac ceteris ad uitam pertinentibus, intelligendum esse. ita enim fortasse intelligere præstiterit. non tamen nos latet, illud præcipue uitandum esse, ne corpora nimium expleamus: cum planum sit multa inde exoriri genera morborum de quibus in eo potissimum libro locuti sumus, quem de plenitudine inscripsimus. ubi etiam duas esse plenitudinis species ostendimus. cum enim caussæ morborum effectrices corporibus occurrunt ijs, in quibus nulla sit humorum uitiosorū redundantia, aut certe superuacanea sint perexigua, non magnam admodum, immo uero modicam noxam afferunt, & ea molestia, siue morbus sit, siue quiduis aliud, breui tempore corpus occupat: contra uero si plena humorum malorum corpora offendant, certe non secus in ea agunt, atque eadem opprimendo coercent, ut pote parata ad morbos, ac soleat flamma ignis in arida ligna suam uim exercere, ac sicut accensi lychni flamma sulfuri admota. Licet enim eius subitam, & uehementem actionem intueri. ita si plenum excrementorum, quæ uitiata sint, morbus a caussis suis excitatus, corpus inuenerit, statim comprehendit, atque in sua esse potestate omnino cogit. quare danda opera est diligenter, ne corpus redundans, affluensque
C excrementis in morbū incidat: ne ue caussæ morborū ipsum tale tanquā inueniant. fieri enim quandoq; potest, ut in malum habitum cadat, & alijs plerisque morbis corripiatur, quibus adhiberi nullo modo remedium possit.

2 *Odores delectant, molestia afficiunt, implent, placant. eorum mutationes ex qualibus in quales, ut se habeant.*

Est ēt in medicina odorū usus nō paucus. nā & in animi defectionibus, & in suffocationibus ex utero solemus suaues infra, fœtidos supra adhibere: illis ut uterus oblectatus laxeī, & calfiat: his ut offensus fere, eos auerseī, ac refugiat. est ēt quibusdā natura tributū, ut grati eis odores sint, quibusdā, ut ingrati uideanī. qđ debet Medicus animaduertere, ut si qñ sit faciēda permutatio, ex qualibus in quales facienda sit, nō ignoret. etenim si quis prius calidis oblectabaī, eoq; morbo sit correptus, ad quem calidi sint accōmodati, nō est faciēda cōmutatio. sin uero morbus frigidos requirat, uide ut odores sint cōtrarij, qđ ad qualitatē caloris, aut frigoris ꝑtinet: suauitatē aūt ne mutes. hoc aūt dico, ne gratos & suaues in fœtidos & insuaues mutes. ut igiī cetera commutes, seruāda tñ perpetuo est odoris gratia. alios cōperias, quos odores lædūt. ijs ne adhibeas. si necessitas urgeat, da operā, ut parū admodū consuetudinē immutes, & quàm minime hoīes offendas. qđ uero ait, implere; id ne ad replēdū caput, an ad alēdū referri oporteat, incertū est. constat. n. utrunq; ab odoribus præstari: quorū alterū nos iā in eo aphoris-
D mo, facilius est impleri potu, quàm cibo, ex Hippocratis sentētia probauimus: alterū uero, quod ad implendū uaporibus caput pertinet, ita clarum est, ut putidam sit uelle confirmare rationibus.

3 *Spiritus irrumpentes, intrantes, exeuntes, & item corpora.*

Diximus persæpe, magnā habendā esse aeris nos ambiētis rationē, eiusq; cōstitutionis, ut an purus sit an crassus, an tenuis, an cælū sit nubibus obductū, an sudū, sciamus: quē sane aerē modo spiritū irrūpentē ipse nominauit. qm̄ aūt is nostro spiritu duciī, aut emittiī, qđ opus est eius, quæ cōi nomine uocaī respiratio, ideo ait ēt uidendū esse, qui spiritus introeāt, quiq; exeāt: ut illo uerbo significet inspirationē, cū aerē intro ad nos trahimus: hoc uero, expirationē, cū attractū iā aera foras pellimus. magnum profecto usum hæc cōtemplatio & ad præsagiendū de salute, aut pernicie futura: & ad morbū curandū afferre cōsueuit. id qđ ipse sexcētis in locis docuit, & nos in libris de usu, deq; difficultate respirationis eius secuti sententiā, declarauimus. iā uero qđ addit, & itē corpora, nihil uelle aliud uideī, quàm ut oīa quæ corporibus nostris admouentur, cōsideremus: siue eà alimēta sint, ut potiones, sorbitiones, & quæ ciborū nomine appellanī: siue remedia & medicamēta, ut emplastra, unguina, & quæ pellendi morbi causa imponunī: & itē oīa quæ exeūt, ut excremēta ꝑ os, nares, oculos, aures, secessum, urinam, sudores, sanguinis ꝓfluuiū, & cōtinuū effluxū illū uaporū, qui oculorū effugit obtutū. nisi. n. hæc oīa medicus diligēter spectabit, periculū est, ne offendat: aut ne occasionē, quā esse ꝑcipitē dixit Hippocrates, arripiat.

*Rumores meliores, & tristiores.*

Vult hoc quoque medico curæ esse, ne nuntij tristes ad ægrotum perferantur, ne ve quis coram ipso de rebus tristibus, & quæ motus turbidos afferre nobis solent, sermonem instituat: sed de rebus iucundis, & animum oblectantibus habeatur oratio, quæ de re supra quoque mentio facta est.

*Qualia ex qualibus linguâ adsciscat.* 5

Aegrotantium lingua solet plerunque indicare, qui nam succi uitiosi redundent in corpore. sunt enim quibus dulcia esse amara, & contra, uideantur: sunt quibus insuauia magis placeant. ut enim in uitijs oculorum fit sæpe ut omnia flaua, aut alterius coloris uideantur, pro ea nimirum specie, quam gignit humor is, qui unitus est, ita in linguâ usu uenit. atq; hoc est, quod ait Hippoc. in illo loco, cibû paulo suauiorem, licet paulo sit deterior, esse ægroto concedendum. cum enim deprauatus gustus sit, & itê uitiata ea facultas, quæ appetitum excitat in nobis, fit, ut interdum in huiusmodi rebus, côniuere oporteat: quando in morbo regio tantam uim habet bilis in gustatu, ut omnia amara uideantur. sic cum salso, aut acido humore imbuta sit, omnia, quæ offeruntur, eiusdem esse saporis ægroti existimant.

*Spiritus simili modo calidior, frigidior, crassior, tenuior, siccior, humidior: implens plus, aut minus: atque ab ijs mutationes quales ex qualibus, ut se habeant.* 6

Magna adhibendâ diligentia est, ut aëris qualitates omnes, & eiusdem subitas, & quæ statis quibusdam têporibus fiunt, mutationes medicus perspiciat. si enim sciat, qñ is calidior, aut frigidior sit, quàm usus postulet, itemq; siccior, aut humidior, & crassior, aut tenuior, poterit omnibus uictus rationem instituere, quod ad aerem pertinebit, ad unamquamq; temperaturam accommodatam. ac si qua exuperâti sit, eam instituta contraria uictus ratione corrigere, & si ratio morbi ita exigat, curandum erit, ut calidæ qualitati frigidus aer, frigidæ calidus, & humidæ siccus, ut siccæ humidus comparetur. quod uero ait, de crassiore, aut tenuiore, non est ullo modo contemnendum. scimus enim Thebis crassum, ut in tota Boeotia; Athenis tenue cælum fuisse. ideo ingenio acuto Atticos, crasso Thebanos fuisse commemorant. Vnde illud Pindari, cum uellet sua poesi ornare laudibus, quod eam calumniam ægreferret infligi Thebanis de ingenij tarditate, ac proinde Boeotij sues dicerêtur, sic, inquit, Boeotium uitabimus suem. sed uidendum etiam est, sitne purus aer, aut nebulosus, aut mala quadam qualitate infectus, cuiusmodi nos esse docuimus eum, qui e stagnis, aut paludibus, aut latrinis prodit. ut in libro de aere, aquis, & locis ostendimus. Adhibendum quoq; studium est, ne nos fugiat, utrum multum, an parum impleat. quo in casu si magnam implendi uim habeat, parum, si exiguam, multum ducere oportebit: uel uariâdum prout morbi, aut ualetudinis ratio postulabit: quam mensuram nobis suppeditabunt uires corporis, & robur, & firmitas. quocirca, ut in superioribus, monet, habendam esse rationem mutationum: hoc est ab G aere calido in frigidum, & contra, & item in alijs repugnantijs & simplicibus, & côiunctis, ut fiat commutatio: ut quid repente, quid progressu temporis faciendum sit, intelligamus.

*Continentia, contenta, impetum facientia.* 7

Planum est continentia hic appellari solidas corporis partes: siquidem humores hæ partes continent: côtêta uero humores, qui solidis partibus continentur: impetum denique facientia, spiritus quod hi ex omni parte, & momento temporis corpus quod in suo statu sit, facile, & sine ullo impedimento penetrent. nos uero iam alibi docuimus, quæ nam sint solidæ corporis particulæ, ut ossa, nerui, uenæ, & arteriæ, ex quibus tum musculi ipsorum uero caro, & tota moles corporis est côstituta. ad quod genus pertinent etiam concretiones eorum omnium, quæ extima, quæque intima nominantur. exposuimus etiam, quænam contenta uocentur, hoc est humida omnia, quæcunque in uasculis sunt in totum corpus pertinentibus, sunt autem hi quatuor humores: ut sanguis, ut bilis flaua, ut pituita, & atra bilis. quibusdam uero eorum instrumentum a natura attributum, ut flauæ bili uesicam fellis, atræ lienem diximus: sanguini nullum esse proprium datum, sed uenas omnes, sicut neque pituitæ. Ex hoc triplici genere, hoc est ex continentibus, contentis, & spiritibus corpus humanum constat. medicus H uero dare operam debet, ut omnia naturali in statu sint, ut solidæ partes suum numerum, figuram, quantitatem, & positum habeant, humores attemperati sint, ne sit ulla ipsorum exuperantia, ne ve defectio, sed sit apta omnium symmetria: spiritibus ne sit aditus ullo in loco interclusus. ita enim corpus bona ualetudine perfruetur. sunt, qui addant in fine huius sententiæ, corpora: quod tamên ab ijs libris abest, quos ego adhuc uiderim. uerum & si uerbum illud addas, nullam tamen aliam inde elicies, quàm eam, quam nos attulimus, sententiam. itaque si sic, ut nos, siue ut alijs placet, legas, quod ad mentem Hippocratis pertinet, nihil interest.

*Sermonibus ac silentio. dicere quæ uult, eaque sermonibus quibus utitur, siue magni, siue multi: siue uerbi siue ficti sint.* 8

Hæc sententia conuenit cum superiore, in qua monuit, ingressum, sermones, figuram, uestemque ægrotanti gratam esse oportere, sicut tonsuram; ungues; & odores iucundos. uult enim, ut medici oratio, atque etiam adstantium sit ægroto iucunda. idem censet agendum de silentio: ut si loquax sit, suapte natura ægrotus, morem quoque ei medicus gerat, ut ipse sit loquacior: si ille taciturnus ipse quoque idem institutum seruet. uult præterea medicum uti eo sermone, qui sit ægro familiaris.

quod

A quod non secus de uoce intelligendum est:ut si altiore, aut submissa loqui æger uelit, idem medicus faciat. itemque ueritatis studio ducatur, uera itidem medicus [illegible] ferat: sin fictis, falsisque delectetur, ficta referat, ac uulgi rumores narret. In quibusdã libris l[illegible] non hoc modo, μὴ πᾶν, ἃ βούλεται, sed μὴ εἰπεῖν hoc est non dicere, quæ uult: quod ita ueteres Hippocratis interpretes exponunt, ut iubeat, non esse loquẽdum ad gratiam ægrotantium: sed si quid urgeat, [illegible] prohibendum sit, si quid imperandum deniq; illud esse aperte, & sine circuitione dicendum. [illegible] m[illegible]i non fit uerisimile, quia quæ sequuntur, hoc est, sermonibus, quibus utitur, siue prolixis, siu[illegible]ous [illegible] ueris, siue etiã fictis, repugnant huic sententiæ. Siue igitur legas affirmando, siue adda[illegible] e[illegible] nem, idem elicietur sensus: prima enim scriptura significabit, dicenda ea, quæ [illegible] lec[illegible] on dicen[illegible] uæ ille dici nolit.

9 *Abeuntia noscere oportet, unde [illegible] quatenus dissiparant: [illegible] rum item col[illegible] colorem, salsuginem, dulcedinem, tenuitatem, c[illegible] em[illegible] inaqu[illegible] er: corpus, tempus: mut[illegible] nes quales ex qualibus habeant.*

Dubiũ esse nemini põt, quin [illegible] lata in cõmentariũ, ut p[illegible] haberet materiã, unde, cũ uellet, multa [illegible] cotic[illegible] et. hæc n. [illegible] modi [illegible] aliquod me- sepius repetita
B moriæ lumẽ afferre possent. mone[illegible] ẽta oĩa attẽdamu[illegible], & ipso[illegible], naturãque cognoscamus. idq; duobus uid[illegible] te nimirũ, & [illegible] itate. ait. n. nobis uidendũ esse, qñ excretio inceperit, & [illegible] corpus afflixe[illegible] it u[illegible] desieuerit: qđ ad quãtitatẽ uidet̃ pertinere: dein [illegible] col[illegible] o[illegible], de[illegible] edinẽ. hortatur Medicos intueri colorẽ ex[illegible] ur[illegible] uc p[illegible], siue per palatũ, siue ẽt per uomitũ, aut per hæm[illegible] plerũq; [illegible] lot[illegible] icare humo[illegible] e uitiatũ. ad de qđ præsagia quoq; ex colori[illegible] qua[illegible] quas c[illegible] t. nec minus utilitatis affert cognitio ten[illegible] & [illegible] re[illegible] ut [illegible] uos euacuare, quos prius cõcoquere oporteat: & in[illegible] entũ it, an [illegible] uena, an clysteribus utendũ, aut quid deniq; facto opu[illegible] pertinet qđ [illegible] de[illegible] rpore, deq; [illegible] re: ut sciamus, extenuatũ ne corpus sit, an iuuenile, an [illegible] a[illegible] bustum, & [illegible] e c[illegible] uestitũ, [illegible] diutius morbũ possit. nã qđ tẽpus ait esse consid[illegible] er attendendũ est: ut [illegible] t Medicus, [illegible] t morbi principium, an incremẽtũ, an status, an d[illegible] quidẽ tot esse m[illegible] pora nos ia[illegible] q[illegible] odã in opusculo demõstrauimus. præterea utrũ in acc[illegible] ssione febris, aut incremẽt[illegible] aut alio morbi alicuius tẽpore æger uersẽt, cognoscere Medicus debet, ut [illegible] pore excretiones fiãt, intelligat: ut si per urinas,
C per alui excremẽta, per sudores fiat euacuatio. A[illegible] c quoq; cõtẽplationẽ dies critici pertinẽt: quæ res summo studio notãda est: nã sudores, ut est ap[illegible] Hippocratẽ, [illegible] eo, qui febrim habet, inceperint tertio die, & quincto, & septimo, & nono, & undec[illegible] mo, & quarto decimo, & septimo decimo, & uigesimo, & septimo uigesimo, & quarto & trigesimo, boni existimãtur, cũ morbos iudicent: ceteri uero, qui aliter prorumpunt, sunt indicia laborũ. merito [illegible] tur censet, habendam esse temporis rationem.

10 *An tentata expulsione superarit.*

Monet uidẽdũ esse, an cũ natura excretionẽ a[illegible] a est, suo co[illegible] u morbũ superarit, & uitiato [illegible] humores penitus excreuerit. hoc aũt cognoscet me[illegible] s duobus illis instrumẽtis, quæ nos in aphorismis designauimus hoc est, si cõtulit, & æger facile [illegible] scimus morbũ esse ꝓfligatũ, & nihil reliquiarũ superesse. alioqui cũ tẽtauit, nec præstare totã r[illegible] potuit, debet medicus adiuuare, ne recidiua statim subsequatur; ut solet excitari, si quid sit reli[illegible] in corpore, quod afferre morbum posset.

11 *Lachrymæ uolentibus, inuitis, multæ, paucæ, calidæ, frigidæ, crassæ.*

De lacrymis supra dictum est, si in acutis morb[illegible] sponte fluant, boni consulendũ esse: si nõ spõte, mali: id ipsum in febribus & alijs morbis tenendum esse, [illegible] se etiam alibi censuit. addit autẽ hoc loco, spectandum esse, an multæ, an paucæ sint: ut inde de hu[illegible] ore, aut minus humido cerebro facias cõiectu-
D rã. idem de calidis, ac frigidis statuendum est. illæ enim [illegible] alidum, hæ frigidum humorem in [illegible] cerebro redundare: ut crassæ crassum, & tenues tenuem indicabunt.

12 *Gustus, uomitus, sputum screatu, aut tussi euulsum.*

Diximus maximũ fuisse apud ueteres usum uom[illegible] s. itaq; permagni referebat, scire [illegible] bus conferret, & quo tpe esset imperãdus, & sæpe ne, an raro [illegible] hoc remedi[illegible]. Sed utilitate quoq; affert uomitus cõsideratio ad præsagiendũ, ut in cõmẽtar[illegible] præsagia dec[illegible] uimus. ubi ẽt d[illegible] sputo, deque screatu satis diximus. in quo notandũ illud est, ẽt c[illegible] uentric[illegible] nem u[illegible] pe[illegible] h: ut e particulis, quæ respirationi deseruiunt, tussi: & [illegible] us, ac [illegible] e, [illegible] ue ex ore, spuendo. qui uero plura scire aueat, nostros illi comm[illegible] tarios percu[illegible] t.

13 *Solis æstus, frigus, humiditas, & siccitas: tum mutatio per [illegible] ua, ex quibus in q[illegible] habeat.*

Ait considerandum esse, an quispiam in morbũ [illegible] quod [illegible] in [illegible] sit [illegible] ut frigus perpessus sit. hæc. n. duplex caussa multiplices g[illegible] gn[illegible] os [illegible] as. sed de temporum mutationibus & naturis abunde actum e[illegible] item in ijs commentarijs, quos in librum de aere, aquis & locis, & [illegible] rum d[illegible] us [illegible] s. sicut etiam fere de ijs omnibus, quæ deinceps consequuntur.

*Labores, somni, otia, uigilia, quæ per somnum accidunt, insomnia, cubilia, in quibus, & ex quibus.* E 14

Hoc loco nomen laborum pro exercitationibus usurpauit. qui enim ijs assuetus, eas desinit, aut non ita, ut prius, utitur, plerunque pati solet. quare Medicus, si potest, debet dare operam, ut hominem ad pristinum statum reducat: ita etiam faciat [illegible] eo, qui cum in otio uitam degeret, coactus sit, multos, magnosque labores suscipere. iam uero de somno, ac uigilia est eadem ratio: & item insomniorum, quorum uim supra exposuimus. admonet non esse n[illegible] dam contemplationem cubilium: ut scias duro ne, an molli uti strato æger consueuerit: [illegible] habitare, & iacere debeat: quod sane ad morbum depellendum plerunque multum [illegible]

*Mentis cogitatio expendenda, sua ne sponte, [illegible] instrument[illegible] gaudeat, timeat, confidat, speret, ac desperet, ut Hippoli[illegible] puella suo [illegible] sciebat [illegible] ciderant.* 15

Hoc præceptū ad præ[illegible] p[illegible] inet[illegible] qu[illegible] sponte, sine caussa perspicua, nō dubium est, quin humor[illegible] aphorismis ait his uerbis: si inquit, timor & mœror [illegible] humor[illegible] me[illegible] [illegible] li quoque modo iam didicimus lætitiam [illegible] aperta [illegible] quàm uariæ imagines rerū obuersentur animis [illegible] quos hic humor uexat qui [illegible] commutatū existimabat, proinde ne- F minem sibi propinquare uolebat, ueritus n[illegible] et, alius nullū se habere caput arbitrabatur. i[illegible] ne [illegible] esse fuit [illegible] grauissimā [illegible] pl[illegible] ut se tandē habere caput persentisceret, a[illegible] extrudendos esse, & expellendos clami[illegible] plerique horum sunt, qui [illegible] ant eorum omnium, quæ in morbo gesta sunt: quod memoria illæsa permanserit: licet [illegible] gitatio de recta uia deflexisset: quod ipse Hippothoi filiæ euenisse memorauit.

*Aetatem ab ætate discernere: & an ante, aut post factum est, quàm oportuerat: [illegible] hieme solutus morbus est, & seni, aut puero, quod ad ætatem pertinet. & num æstate ante, uel post [illegible] d[illegible] [illegible] xitus dentium, pilorum eruptiones: semen, plus & minus, capillorum incrementum, crassitudo, potentia, diminutio.* 16

Aetatis, anni tēporis [illegible] & consuetudinis [illegible] esse Medico rationē, sexcentis in locis Hippocrate [illegible] monuit: liquidē perpetuo inspiciendū [illegible] ate, quo morbo, qua regione, & quo anni tēpore m[illegible] amenta propinentur. concedendū. n. m[illegible] est ēt consuetudini, sicut ætati. hoc certe scitū est, pueris & [illegible] enibus ut neq; uacuationē per medica[illegible] ic neq; per inediā imperandam: quod illorū uirtus cito dissipetur, hi uero, utpote qui iā ætatis [illegible] gerati, & imbecilles, durare diutius nō po- G terūt. illud ēt uidendū, an morbus puerū, an senē [illegible] pes. n. in puero est, fore, ut ætate procedēte cōmutetur: in sene non itē. sed si qui morbi lōgi eos occupāt, fere ad mortē usque eis comitantur. Sed neque hoc esse satis existimauit, quod cognoscatur: [illegible] t enim, an ante, aut post factū quid sit, quàm oporteat: hoc est, ut uideamus, an morbi æstiui [illegible] uere, & an uerni per hiemem: & an hiberni per autumnum apparuerint. siquidem uehemente[illegible] nē, & ualidam caussam esse necesse est, quæ alieno tēpore huiusmodi morbum excitarit: ut [illegible] febris hieme, & morbus attonitus æstate exoriatur. hi namque morbi prorsus naturæ temporū [illegible] ū aduersantur: suntq; periculosiores, quàm si suis tēporibus, hoc est calidi morbi calidis tēporib[illegible] di frigidis excitarentur. ait ēt considerandum esse exitum dentium, hoc est [illegible] at[illegible] eam, in qu[illegible] e dentes pueri incipiūt: & itē eruptionē pilorū, hoc est cum puberes fiunt: & [illegible] primum se[illegible] unditur, quo sane tēpore fit ēt uocis in asperiorem commutatio. & attendendum qui ab hac [illegible] plus, minusve absint. denique monet, ut puerilem ætatem, florentem & uirilem, atque etiam [illegible] genter spectemus: quas sane ætates ipse tribus uerbis indicauit, his, crassitudo, potentia, dimi[illegible] nos ab ipso, ut ætatum inditia, proposita esse, & tanquam signa conscripta existimamus.

*Quod c[illegible] num, quodque per se [illegible] spectandum: ac [illegible] is, & minus.* H 17

Morbi aut per se mēbra [illegible] s occ[illegible] consensum aliarū partiū. nā cum inter uterum & mammas non mediocris sit [illegible] s, hoc [illegible] uterus male affectus sit, māmæ quoq; simul patiātur: contra [illegible] māmę labore [illegible] nō [illegible] orū. simili quoq; modo accidit, ut firmū caput suapte natura [illegible] habeat, [illegible] a [illegible] uētriculo in ipsum comportatur, in consensum morbi trahatur. [illegible] icut ēt pōt [illegible] e, ut [illegible] dolore tentetur. quare uidere Medicū decet, ut hæc apte [illegible] et, ne qu[illegible] on[illegible] um genuit, per se exortum arbitretur: aut etiā cōtra, & ita m[illegible] nam

*Anni [illegible] an tempus, in quo est factum, pluuium fuerit, an squalidū: calidum, [illegible] & qu[illegible] ent. & an in anni, aut temporis principio, medio, fine, aut semper, & [illegible] um.* 18

De [illegible] mus: de temporum uero mutationibus, quæ morbos pati[illegible] ant [illegible] uel subsequuntur, in aphorismis abunde egimus, ut de u[illegible] aquis, & locis, & in tertio in librum de humoribus comme[illegible] us: neque par est, ut quæ alibi recte dicta sunt, huc tran[illegible] ramus.

Tempus

19 A *Tempus morbi & hora, & quæ succedunt, spectanda. circuitus item, & ex his, qui maiores, qui multa habent incrementa: & alterius morbi incrementum, itemque remissio, ac uigor, & magis, ac minus cessans: & quando, ac quomodo, quo tempore, qua ætate denique.*

Superior sententia anni tempora, eorumque mutationes comprehendit: hæc uero tempora morborũ, non quæ esse quatuor nos docuimus, sed quo tẽpore morbus exortus sit, hoc est, an hieme, uere, æstate, & autumno hominẽ corripuerit. scripsit enim etiam in aphorismis hæc dere, ac monuit quosdã breuiores esse, quosdã diuturniores, si æstate, aut autumno inceperint. uult uero & symptomata, quæ comitari morbos solent, spectari. hæc etiam modo salutaria, modo perniciosa censentur. Sicut præstat febrim conuulsioni, quàm conuulsionem febri superuenire: & in alijs plerisq; morbis idẽ usu uenire sæpenumero animaduertimus, & ipse in aphorismis adnotauit. Circuitus quoque attendendi sunt, ne in accessionibus ægrum alamus, & ita morbum augeamus. quia uero & uehementiores, & minores esse circuitus solent, ideo monet, ut & maiores, & minores spectemus. si enim accessiones uehementius hominem conflictarint, incrementum notabile indicabunt: & item morbum acute moueri, aut uelociter, ut ad statum properet. neque incrementa circuituum ait esse oscitanter consideranda, quando nõ me-
B diocrem nobis usum ad tempus futuri status cognoscendum sint allatura. addit etiam tempora morbi nobis esse nota oportere, ut principium, incrementum, statum, ac declinationẽ. deniq; uidendũ, in quibus morbus magis cessarit, in quibus minus, hoc aũt ex pulsu potissimum cognosces, si is ad integritatem redijt, aut secus. Sed hanc tractationem, ut alibi diximus, Hippocrates omisit.

20 *Modi superuenientium morborum considerandi: & num quis cum uomitu, aut sine uomitu inceperit: an epoto quodam adstricti sint, aut parum purgati.*

Vtrum acuti, an non superuenientes morbi sint, cognoscendum esse ait: ut eorũ impetũ uideamus, eiq; occurramus. præterea quærere de ægroto, aut familiaribus debemus, utrũ morbus cum uomitu, an sine uomitu inceperit. quod huc pertinet, ut si ad uomendum æger sit procliuis, & se se uomitionibus euacuare consueuerit, nos quoque eodem utamur remedio. sin contra, ut neq; cum uomitu inceperit, neque ad uomendum aptus homo sit, nos quoq; uomitu uitato, alia præsidia adhibenda esse intelligamus. postremo admonet, hoc esse attendendum, an per secessum purgatio recte fiat: quod quidam ita sunt a natura facti, ut per infernas partes aut uix purgentur, aut non nisi magno cum labore, & dolore: quidam uero ideo epoto medicamento non purgantur, quia crassi, incoctiq; humores adhuc sint: quos
C ut educas apte, concoques.

21 *An candidi febricitent: & horum labra, & modus, & tempora:*

Senes, propter frigidum ipsorum corpus, nõ nisi uehemẽti de causa in febrim incidunt: quos, ut pote exangues fere, & a natiuo calore destitutos, exalbescentes uocauit. eorum quoque spectanda esse labia subiunxit, ut si ulcerata sint, de magnitudine febris faciamus coniecturã. Sin aliter affecta sint, pro ratione affectionis ipsa æstimemus. Sed & modus considerandus est, ut de uita, aut morte fiat præsagiũ.

22 *Corpus, actioque obseruanda, itemque aspectus, auditus, nasus, tactus, lingua, cogitatio.*

Persæpe dictum est, spectandã esse corporis constitutionẽ, & actionẽ non modo corporis totius, sed ẽt singularũ partium: ut quæ suo munere fungitur, sana: quæ eo fungi nõ potest, infirma iudicetur. quod ut intelligamus, subiungit, quæ actiones attendendæ sint, ut aspectus, quem oculi præstant, sit ne integer, an aliqua ex parte uitiatus, ut sæpe dixit supra, dextrum, aut sinistrum oculum distortum esse: tũ auditus, ut si secundum aures, aut in ipso meatu aurium quid uitij sit exortum: tertio loco nasus, ut de facultate odorandi faciamus coniecturam: tum tactus, ut sciamus, corpus ne calidum sit, an frigidum, an
D temperatum: an uero ulla noxa in sensum tactus ceciderit, quod uel paraplegia, quam uocãt, aut aliud simile symptoma solet efficere: superest gustatus, ut oẽs sensus corporis sint enumerati: quem ipse linguæ nomine significauit. postremo uero quia non solũ ea quæ ad corpus, sed ẽt quæ ad animum pertinent, spectanda sunt, ideo addidit nomen cogitationis: ut oẽs animi functiones eo nomine comprehẽderet: quas nosse Medicus debet, ut an in suo statu, an uero de eo sint detrusæ, perspiciat.

23 *Tumores in palpebris superioribus relictos nosse oportet: nam ceteris membris extenuatis recidiuæ fiunt. in extremitate uero subrubri, durique, ac ualde † turpes. in his. n. exorientia, & coarctata tõlluntur, ut Polymedæ Pharsalo usu uenit.*

† Lib. Ald. habet γλισχρὰ i. glutinosi.

Vnico exemplo ostendit eos tumores, qui in superioribus palpebris relicti sunt, recidiuam efficere, communi ratione eorum, quæ in morbis relinquuntur: præcipue aũt id cõtingere, cum cetera membra sint extenuata. Torsit autẽ ueteres interpretes hæc dictio. quocirca quidam eam fere totam commutarunt: quidam uero ita, ut nos attulimus, legentes, rectum inde elicere sensum sunt conati: alij unico uerbo commutato, se ueram inuenisse sententiam sunt arbitrati. nos uero de illorum dissensione nihil dicemus, quid uero sentiendũ sit, paucis exponemus. quare quod ait in superioribus          ita accipiendum est, quasi          ut tumores præter naturam ibi exortos, aut etiam prodeuntes.

E

Desiderantur quædam.

*Cum impetu rumpuntur tumores, ac liuores in lippitudinibus, & in ulceribus. itemque deiecta ex tuberculis, & suppu-* 24
*rationibus spectanda sunt. signa enim sunt.*

Tumores, qui in lippitudinibus oriuntur, cum ad suppurationem peruenerint, cum impetu rumpuntur: & confecto iam pure, noxij humores erumpunt. quæ uero deijciuntur in tuberculis, & suppurationibus, quæ per aluum plerunque excernuntur, spectanda sunt, ut tubercula rupta esse inde colligamus. prisci autem interpretes hoc quoque loco plura attulerunt. nos in locis obscuris diutius uersari nolumus, cum multa adhuc supersint, in quibus multum operæ, ac temporis ponere utiliter possimus.

*Circa messem tormina, & dolores circa umbilicum a porris, sed & ab allijs excitantur.* 25

Vsum porri circa messem modo tormina, modo dolores excitare creditum est. in caussa est acrimonia. cuius etiam allium est particeps. ac uel ob hanc caussam minus mirabile sit, si caput aggrauat, flatum gignit, fastidium affert, & dolorem eum excitat, qui esse molestus prius consueuerat.

*Ignis sacer in quibusdam a ceruice exortus in facie iudicabatur. quibus autem nigra erant in ceruice, mala: & quibus* F 26
*pustulæ & quæ turbationem afferrent, mala.*

Ad recordationem est hæc conscripta sententia, ut postea longiore ambitu uerborum eam explicaret. cum enim ignis sacer quosdam corripuisset, & a ceruice ducto initio in faciem pertransisset, ibidẽ iudicatus est. quod ipse, ut raro contingens, obseruauit. uix enim fit, ut recte morbus iudicetur, cum ab ignobili ad nobilem partem commigrat. in quo aduertendum est, quibus nigra in ceruice apparuerant, malum portendisse. hoc est non fuisse in ijs sacrum ignem rite iudicatum, quod sanguis ille crassus, aterque expurgari non posset. ac multo etiam peius fuisse, si pustulæ scatentes cutim occupassent. iam uero si alui turbatio, & mentis alienatio erant consecutæ, æger erat in desperatis: quod eam turbationem malitia, magnaque copia humorum excitaret.

*Adamantus, cum esset melancholicus, magna peplij copia sumpta, aliquando nigra euomuit. quod etiam alias sum-* 27
*ptus cepis fecit.*

Hanc etiam historiam, ut admirabilem adiunxit. cum enim humor melancholicus grauis sit, ut suapte natura deorsum feratur, ideoq; facilius per aluum, quàm per uomitum euacuetur; sicut flaua bilis propter leuitatem facilius uomitu reijcitur, quàm ut per inferna expurgetur; contra tamen in Adamanto accidisse commemorat, cum ille peplijs copiose usus esset, & item cepas comedisset. nam quod G ait nigra, non dubium est, quin atrum, & melancholicum humorem significet.

*Febres, in quibus labia ulcerantur, æqualiter intermittunt: ac tertianis refrigerationes sunt. ardentes autem sem-* 28
*per statim ad manum soluuntur.*

Labia uidentur nullam aliam ob caussam ulcerari, nisi quia acer quidam uapor illuc a uehementia febris amandatur, qui partes illas quasi ardore quodam consumit: nihil tamẽ mali præterea facit, præter ulcerationem, cuius nunc Hippocrates mentionem facit. hoc autem cum in tertianis quandoque contingit, tum uero maxime in ardentibus, cum febris calorem perferre æger non potest. atque has quidem febres ait æqualiter remittere, quod neque ullam habeant remissionem, nisi omnino soluãtur: at in tertianis ait esse refrigerationes, & intermissiones; adde uero etiam pulsus ad integritatẽ redire, tum eas repetere, ut tertio quoque die hominem occupent. ardentes uero cum soluuntur, hoc confestim faciunt, ac si manum admoueas statim eas solutas esse persenties. deuincuntur enim a manu, neque postea redeunt.

*Quale in articulis insit, & an non ad suppurationem perueniant.* 29

Interdum totum corpus pituita refertum redditur, ut quidam quasi muci per urinam excernantur. H quo sane tempore potest cõtingere, ut etiam ad articulos decubitus fiant, & abscessus quidam similes, ijs, qui in hydropibus sæpe cernuntur, ibidem excitentur. monet autem, ut si quis te ad eiusmodi homines curandos accersat, caueas, ne tibi idem, quod plerisque medicis, atq; ijs quidem nõ uulgaribus, accidat. cũ enim illi abscessus eos aperuissent, in eaq; essent opinione, fore, ut saniẽ ibi copiosam essent inuenturi, tantũ abest, ut saniẽ eo in loco cõspexerint, ut totã carnẽ, qua articuli cõtegebantur, pituitosam plane, & muco plenã intuentes, se deceptos, & falsos deprehẽderẽt. id aũt uitare omnes summo studio debent, ne & ipsi male audiãt, & ægrotis perniciẽ ultro moliti esse existimẽtur: præsertim cũ uel mortẽ afferant, uel dum altius plagas adigũt neruos, etiã præcidant, atq; ita mancũ, ac decurtatũ hominẽ reddant. est igitur diligenter obseruandum, ne quid temere facias, in articulorum tumoribus incidendis: præsertim nisi certo scias, ea quæ insunt, ad suppurationem deuenisse: ut ipse accurate monuit.

*Consuetudo, dum sani fuimus, attendenda qualis in uictu, uestitu, laboribus, somno, rebus uenereis, & mẽte fuerit.* 30

Cõsuetudinẽ in sex potissimũ rebus obseruari ait oportere, in cibo ac potu, in uestitu, & alijs, quas cõmemorat: quia, ut in cõmẽtarijs de uictus rõne in morbis acutis diximus, magna uis cõsuetudinis est. nã si qs semel modo cibũ sumere singulis diebus cõsueuerit, uelis aũt eũ bis alere, nõ mediocriter lędes: sicut et cõtra, si abstineas. pterea, q̃ cõsueta sunt, lædere minus solẽt. sed quãta uis cõsuetudinis sit, nos iã uno

A lib. copiose docuimus, quē de cōsuetudine ĩscripsimus. qđ aũt ait, σκέπαι, nō mō uestitū pōt indicare, sed habitationē quoq;: ut ĩquā ĩuestiget medicus, an ęger solitus sit ĩ domo, an sub dio cubare, & an itra domesticos parietes multū, an parū se cōtinere: ut ĩde de aere ambiēte facere cōiecturā possit. nec minus tñ ad uestimēta pōt referri. addit tertio loco labores solitos esse spectādos: qđ tñ possit cōsuetudo, ut uel senes, uel ĩbecilli cōmodius, quàm uel iuuenes robusti, labores ferant: id qđ ipse in aphorismis, & alibi sæpe, uim consuetudinis ornans laudibus, scriptū reliquit. Ad hæc ait, attendendū, quantū, & qñ quisq; somno indulgere per sanitatē consuesset: ut uel de periculo, uel de salute, uel de morbi diuturnitate, aut breuitate loqui certius posse Medicus uideatur. quinctū locū tribuit rebus uenereis, ut in illarū quoq; usu mos pristinus, cōsuetudoq; seruetur: ne ue magna fiat immutatio. supra. n. diximus ex ipsius Hippocratis sñia labores, cibos, potus, somnos, res uenereas mediocritatē excedere nō oportere. ultimo loco ait expēdēdū, qualis fuerit mens eius, dum integra ualetudine frueretur: ut quantum a statu naturæ suæ deflexerit, nos non fugiat. plerique enim læti sunt, aut mites, aut blandi. qui si contrariū in statum sint mutati, causa statim peruestiganda, & eidem est occurrendum. quod idem est, si contrariā in partem sit facta mutatio, faciendum.

31 *Qualiter morbi, & a quibus in quos modos mutentur: ad qua loca uersi sint, quando inceperint, adfuerint, cessarint.*

B Nisi quis morborū modos norit, uix, aut ne uix quidē curare eos recte sciuerit. sunt. n. morbi, aut cōtinui, aut intermittētes: aut acuti, aut lōgi: præterea aut cessarunt, & postea repetierūt; aut denique sunt aliquo modo cōmutati: aut e loco ad locū alium decubuerūt. quod, cū de decubitu supra loqueremur, qūo fiat, ostēdimus. ac nō modo hæc cognoscere Medicus debet, ut supra monuit, sed scire ēt, quando morbus inceperit, ut inde faciat coniecturā, utrum in statu, an adhuc in incremento sit, an declinet. qđ permagni refert tum ad remedia adhibenda, tum uero ēt ad uictus rationem recte instituendam.

32 *In quibus incontinens terrefactus sit, spectandum.*

Quicunque se a rebus uetitis abstinent, ij uel iudicio id faciunt, uel affectu, & monitu aliorū. iudicio faciūt ij, in quibus ratio cupiditatē uincit, ut uel ipsi cupiditate relicta gaudeāt: uel rationi quidem obtemperent, uerū ad ea, quæ deseruerunt, oculos retorqueant. hos ἐγκρατεῖς, hoc est cōtinētes uocāt. qui uero affectu quodam sunt continentes, id ipsum duobus modis faciunt, hoc est pudore impediti, ut solēt ingenui homines, & liberaliter eruditi: aut, cum seruili ingenio sint, metu solum abstinent a rebus prohibitis. hi uero suapte natura incontinentes sunt, sed metu ægritudinis perterriti, in officio continentur, ut non scortentur, non potēt, non se se cibis expleant: aut hos, uel illos cibos, quod esse noxios audierint, non gustent. id ergo uidere Medicus debet, ut quædam concedat, quædam prohibeat: moneatque

C quæ mala, quæque incommoda sint ex usu rerum uetitarum consecutura: ne si ægrotus deliquerit, ipse culpæ affinis existimetur.

33 *Victus in morbo contrarius.*

Est Hippocratis explicata sententia, contraria curari cōtrarijs. eandē nūc iterat, ut nobis in memoria firmius hæreat. ac nihil aliud hic monet, nisi, ut quæ ad uictum pertinēt, ea cōtraria morbo instituas.

34 *Facilitas, & difficultas in tolerando.*

Hoc ipsum sexcētis in locis inculcauit. causa est, quia mirificā in faciēda medicina utilitatē affert. uidendū. n. est, num æger facile ferat morbū, medicamēta, inediā, euacuationē, & cetera omnia, quorū in morbis habenda ratio est. Si facile ferat, boni consulendū: si ægre, & cū labore, mali. quod in euacuationibus est potissimum obseruandum, ut scias an cohibendæ sint, an uero adiuuandæ, aut ita sinendæ. idque siue natura eas moliatur, siue Medicus sua industria easdem tentarit.

35 *Ne te lateat, quantum uictus ratio cognosci possit. magna enim calamitas est, hanc si ignores.*

Nisi quis uictus rationē probe cognitam habeat, profecto innumera incommoda ægro afferet, quæ uel mortem, uel certe eius periculū minabuntur. debet igitur Medicus diligēter in hāc curā incūbere, ut quæ ad uictū pertinēt, accurate pernoscat omnia, ne quid delinquat, sed ægro semper adiumēto sit.

D

36 *Similitudines præstantibus etiam Medicis errores, & dubitationes afferunt: causā uero ipsa, ecōuerso. Scio aūt difficile esse etiam† intelligenti ratiocinando uias cognoscere, ut si acutum caput habeat, si simus, si subsiccus, si biliosus sit: si difficulter uomat, si niger, iuuenis, temere uictitans: hæc inquam omnia simul & inter se conuenire difficile est.*

†Lib. impressus nō habet συνετῷ. i. intelligenti.

Vt in philosophia magnos uiros, & clarissimos philosophos scimus esse deceptos in similitudinibus non rite discernendis, ita etiam in medicina usu ueniat, necesse est. neque enim rationum similitudines agnoscere possunt ij, qui non diu, multumque, & quotidie in rationibus sunt uersati. in quo maxime peccant ij, qui aliquid eorum, quæ uitam humanam attingunt, temere pronunciant, idque faciunt aut opinione sapientiæ, quam sibi arrogant, aut honoris, aut quæstus gratia. ut autem intelligeremus, quàm acri studio debeamus laborare, ut ne nos similitudines fallant, scripsit hanc rem non modo uulgaribus, ignarisque hominibus errores, ambiguitatesq; afferre, sed optimos etiam Medicos, & ualde exercitatos in errorem induxisse. caussa igitur spectanda est, qua cognita, fiet, ut minus labamur, minus decipiamur, & firmiore coniectura curationem simus adhibituri. uidetur tamen quasi excusationem quandam subiungere, cum ait, scire se, quàm difficile sit, rationes curationū omnes cognoscere, quæ uidentur uarijs in rebus consistere, ut in corporis figura, utrum quis capite sit acuto, an uero simus sit: ut in temperatura, utrum inquam sit siccus, an humidus, calidus, an frigidus. ut

in humorum cognitione, utrũ biliosus, an pituitosus, an melancholicus sit: ut in affectionẽ corporis E
aptus ne sit quispiam ad medicinas, ad uomitum, ad excretiones per aluum, per urinam, per sudores, &
cetera huius generis. Sicut etiam ex colore possumus facere coniecturam de humore redundante, nisi
sit is propter aliquam externam permotionem, & perturbationem mutatus. & item ex ætate nobis po-
test aliquid suppeditari, ut ex consueta uictus ratione, ut an conuenienter bonæ ualetudini uitam tra-
duxerit, an sine ullo discrimine rebus omnibus, & temere sit usus. quæ omnia inter se coniungere ait es-
se perdifficile: ac multo etiam laboriosius de eis recte iudicare.

*Fistula cuidam rursus rumpebatur: quod tussicula permanere prohiberet.* 36

Dixit permanere, id est perdurare, & perseuerare: quia cum iam fistula esset cicatrice conclusa, tussi-
culæ motus pectus agitabat, atque ita occlusam in eo fistulam aperiebat. uel etiam humores in capite
collecti ad pulmonem deferebantur, atque ita erodebant id, quod iam esset conglutinatum. hanc sibi
historiam scripsit Hippocrates, ut postea pluribus uerbis enarraret. hæc autem pauca sibi ad recorda-
tionem adnotauit, cuiusmodi etiam est id, quod sequitur.

*Cui iecoris fibra complicata erat, eum concussi, & dolor statim sedatus est.* 37

Hoc uel casu, uel ictu, uel ex lucta, uel alia externa caussa, potuit contingere. concussio autem fecit, ut
suum in locum fibra rediret. quare non mirabile est, dolorem esse eo pacto sublatum. F

*Thasi Satyrus, cognomento Grypalopix qui dicebatur, cum circiter uigesimum quinctum annum ætatis ageret, semen ge-* 38
*nitale per somnum sæpius emittebat: id quod etiam per diem sæpenumero ei accidit. is cum ad annum trigesimum peruenis-*
*set, tabidus factus, interijt.*

In urbe Thaso ait hoc, quod narrat, contigisse. Satyrus enim cum magnã uim seminis emisisset, idq;
non solũ nocturno, sed &t diurno tẽpore, circa annũ ætatis trigesimũ est factus tabidus, & ita mortuus
est. quod Hippocrates nulla alia nota temperaturæ, aut signo aduentitio adiuncto, memoriæ prodidit.

*Abderis palæstra custos, qui Sthenecus uocabatur, multum luctatus cum alio fortiore, in caput cecidit. unde abiens aquã* 39
*frigidam copiose bibit. Post hac autem illa nocte subsecuta est uigilia, molestia, & extremorum refrigeratio. postridie do-*
*mum ingressus est: & glande sedi imposita, aluus nihil deiecit. parum minxit, cum nihil minxisset prius. sub noctem lauit. &*
*tamen uigilia, molestiaque perseuerarunt. delirauit. tertio die extremarum partium refrigeratio eum corripuit: calefactusq;*
*sudauit. epoto uero mulso, tertio die mortuus est.*

Probabile est, cum ex ictu concussum esset cerebrum, magnã ei noxã esse ex aquæ potu allatã: unde
uigiliæ, & molestiæ sunt consecutę: & extremæ partes frigore correptæ sunt. Sed malitiam signorum G
quæ ex principe hac parte sumebantur, auxit etiam glans ano iniecta, quæ nihil irritauit, ut excrementa
deijcerentur. Sed neque fructum ullum tulit ex balneo: cum nulla neque ab eo, neque a glande esset
facta diuersio. eadem enim mala, & ijdem casus reuersi sunt: nisi quod ait, hominem calefactũ, hoc est,
ut ego quidem puto, ui morbi excalfactum sudasse: & postquam delirasset, & mulsam aquam bibisset,
e uita tertio die excessisse.

*Melancholici plerunque in morbũ comitialem solent cadere, & contra, qui morbo comitiali afficiuntur, melãcholici fiũt.* 40
*horum utrumlibet magis usu uenit, ut in hanc, uel in illam partem infirmitas uergit. nam si in corpus, morbus comitialis hõ-*
*minem corripit: si in mentem, melancholicus efficitur.*

Melancholia plerunque in morbum comitialem commutatur, sicut morbus comitialis in melancho
liam uertitur: id tamen non perpetuo accidit: propterea quod si a pituita comitialis existat, non iam in
melancholiam transeat. nos uero in commentarijs de locis affectis, quomodo ex melancholia fiat co-
mitialis morbus, & ex comitiali melancholia, & item quomodo cũ ad corpus & ad mentem repit, alter
uter morbus gignatur, plane ostendimus. quod qui scire aueat, eos libros legat, nec putet nos uelle ea-
dem de re sæpe eadem iterare. H

*Phaethusa Pythei coniux Abderita, olim cum puella esset, fœcunda fuit. Sed eius marito in exilium acto, menstrua pur-* 41
*gationes ipsam longo temporis spatio defecerunt. Postea uero dolores, & rubores articulos obsederunt. quæ cum ei conti-*
*gissent, corpus uirile, atque omni ex parte hirsutum factum est, barbamque emisit, & uox facta est aspera. cum uero om-*
*nia faceremus, quæ essent ad menstruas purgationes euocandas accommodata, ciere tamen eas non potuimus: sed ipsa non*
*ita diutius producta uita, perijt.*

Hanc historiam monimentis litterarum esse consignandam Hippocrates censuit, quod admirabilis
sit & contra opinionem omnium. uerisimile tamen est, cum menstruæ purgationes non profluerent, ut
excrementis ijs, quæ excerni per uterum debebant, ad articulos confluentibus, dolores primum, dein-
de rubores sint exorti. quare diximus alibi, uerissimam eius esse sententiam, cum ait, mulierẽ pedũ do-
loribus non laborare, nisi menstruæ purgationes eam defecerint. cum uero omnis redundantia ad cu-
tim propelleretur, etiam pili toto corpore, atque adeo barba ipsa exorta est. ac ne quid deesset, ut uiri-
le corpus esset factum, uox quoque facta est aspera. existimabat autem Hippocrates una sola in re cu-
rationem esse positam, si menses essent prouocati. itaque omni studio id esse tentatum commemorat.
sed frustra. quocirca illa intra paucos dies excessit e uita.

*Idem*

A *Idem quoque Namysia Thasiæ Corippi uxori accidit. unica autem spe medici omnes, quos quidem ego noui, ducebantur, si illa effœminaretur, menstruæque purgationes naturaliter profluerent. uerum multis remediis adhibitis, non fuit excita. immo uero illa non ita multo post obiit.*

Altero exemplo declarat, quid alteri mulieri acciderit, quam menstruæ purgationes diu defecerant. ait enim medicos multa tentasse, & nihil non esse conatos, eas ut prouocarent, frustra tamen omnem laborem impendisse: quod illa effœminari non potuerit: hoc est perduci ad eum statũ nequiuit, ut menstruæ purgationes prorumperent. ut nos fere admoneat, muliebres purgationes si diutius suppressæ fuerint, uix posse reuocari: & sæpius nos huiusmodi laborem frustra suscipere, quàm ut uoti compotes fiamus. Namysia uero, non secus quam Phaethusa, cuius facta est nuper mentio, cum nullum fructum ex medicorum opera tulisset, e uita excessit nec potuit diu uitam producere. non tamen hæc nos deterrere exempla debent, quo minus mulieribus ita affectis manum admoueamus: sed excitare potius, ut ingenium exacuamus, quo optata consequamur: siquidem tum denique officio nostro functi simus, cum omnia effecimus, quæ ratio nobis suppeditat, & longus usus peritiaque commonstrat.

Finis octaui in sextum Hippoc. de morbis uulgarib. Commentarij.

B

# GAL. IN LIB. HIPPOCRATIS DE RATIONE VICTVS IN MORBIS ACVTIS COMMENTARII QVATVOR.

*Quos Io. Baptista Rasarius, medicus, Nouariensis, cum uetustis libris diligenter collatos nuper latinitate donauit.*

Varia fuit apud ueteres huius libri inscriptio: nam & de morbis acutis: & de diæta: & de ptisana: & contra Gnidias sententias inscribi eum cõfesse docet Athenæus lib. 2. & Galenus deinceps com. 18.

## ARGVMENTVM.

C Agit de ijs, de quibus ueteres medici in acutorum morborum uictu controuersabantur: & in primo libro de ptisana uerba facit.

1 *QVI sententias, quæ Gnidiæ uocantur, conscripserunt, quid in singulis morbis ægri patiantur, & quædam eis euenientia recte quidem prodiderunt, sed tamen ea solum attigerunt, quæ etiã quispiam medicinæ ignarus scriberet, si ægrotum de singulis affectionibus interrogaret: quæ autem, non referente ægro, prænosse medicum oportet, eorum, multa prætericrunt: atque in alijs quidem alia.*

Scriptores Gnidiarum sententiarum nõ tantum nihil eorum omiserunt, quæ ægri patiuntur, sed etiam præter id, quod par est, de quibusdam, ut paulo post ostendam, mentionem fecerunt. non est autem id artis opus, nihil prætermittere eorum, quæ cognoscere uulgus potest; siquidem non est hoc artifici propositum: sed quæ ad curationem accommodata sunt, omnia conscribere. quam ob rem sæpe nonnulla addere, quæ uulgus penitus ignorat, & multa, quæ eidem nota sunt, detrahere, si ea nihil ad finem artis conferre uideantur, oportebit.

2 D *Et quædam ad coniecturam peropportuna.*

Cognitio, quæ ex eo fit, quod τεκμαίρειν, id est propriæ notæ argumentum dicitur, est τέκμαρσις, hoc est coniectura. τεκμήριον uero appellant ueteres signum ad concludendum accommodatum: non tamen omne signum absolute est τεκμήριον ut in libro, qui est περὶ τεκμηρίων καὶ σημείων, ostensum est. quæ igitur ad huiusmodi cognitionem tum necessaria, tum utilia sunt, non omnia in Gnidijs scripta sententijs, sed multa prætereita esse commemorat.

3 *Igitur de ijs, quæ ad coniecturam dicuntur, quomodo singula curanda sint, equidẽ longe aliter, atque illi enarrauerint, sentio.*

Cum multa quæ ad coniecturalem cognitionẽ utilia sunt, a Gnidijs medicis prætermissa dixerit, quã cognitionem coniecturalem uocet, ipse deinceps declarauit. quomodo inquit, singula curanda sint. nã quod ad horum inuentionem accommodatum fuerit, id ex arte existit. sed putabit fortasse quispiam eas omissas esse coniecturas, quæ tum ad dignotionem, tum ad prænotionem cõferunt. uerum non ita est: cum ea quoq; in ijs, quæ ad curationem ualent, necessario contineantur. nam si morborum dignotio, futurorumque prænotio nihil ad optimæ curationis inuentionem conferrent, hæ prorsus essent superuacaneæ.

superuacaneæ:nunc uero quia conferunt,ideo utiles sunt.ac dignotionem quidem affectuum esse ad curationem ualde necessariam,ne probandum quidem est · præ[illegible] cum dignoscere in primis oporteat,quisnam affectus sit,deinde ad eius est curationē aggrediēdum.prænotionem uero esse ipsam quoque utilem ad curationem,ipse in præsagiorum procemio declarauit.ita fit,ut qui ea omnia,quæ ad medicinam pertinent,commoda uel ad dignotionem ; uel ad curationem , uel ad prænotionem confirmet , is idem uirtute dicat : etenim curatio per se a medicis ex[illegible]etur:prænotio uero & dignotio curationis causa institutæ sunt.quam ob rem nemo dignotione[illegible] aut prænotionem finem artis, ut curationem,dixerit . nunc uero curationem intellige morborum [illegible]tionem,quæ iam sit facta , non quæ adhuc fiat.sed de his omnibus dictum abunde est in eo libr[illegible] qui est de fine medicinæ conscriptus . nec quicquam est , cur modo id quod præter rem est,quasi ad [illegible]m [illegible]aciat , tractare uelimus , quippe qui senis sententiam uel sine exquisito finis examine , iam [illegible]o[illegible]ouer[illegible]mus . Ceterum cum hic uerborum contextus in multis , atque ijs probatis exemplaribus al[illegible]ter le[illegible]atur,id etiam memorare non erit incommodum.differt enim a dictione nobis proposita in una litera [illegible] estque ad hunc modum : [illegible] : hoc est , Igitur de [illegible]js , quæ ad coniecturalem cognitionem dicūtur uel quomodo singula curanda sint . qui ita scribunt,per coniecturalem cognitionem intelligunt dignotionem,ac prænotionem . illis autem uerbis,quomodo sing[illegible] curanda sint , curationem : cum hanc in nomine coniecturalis cognitionis contineri nolint.id [illegible] sit , in antedicto contextu uerborum , cum ait, eorum multa prætererunt , atq; alia in alijs , & quædam ad coniecturam peropportuna , non recte partem artis , quæ in curatione posita est , Hippocrates om[illegible]. sed planum est, hos esse dicturos , hæc uerba addita esse,ut pars curationis quæ illic præt[illegible] erat , adiungeretur. sed ubi nulla uarietas est in re,quæ ad curationem pertineat,ibi producere sermone[illegible] est superuacaneum. ad ea igitur properemus,in quibus ea nos docet,quæ sunt ad curationem accommodata.

E

F

*Nec solum ea causa est,cur eos non laudem,sed etiam quod paucis numero medicamentis usi sint . maximus enim numerus medicamentorum , quibus in morbis non acutis usi c[illegible]mperiuntur,est [illegible]laterij,& seri, & lactis tempestiue exhibitorum. quæ sane si bona essent,& morbis ijs , in quibus dari censent,congruerent,multo essent laude digniora , quod paucissima satis essent : nunc uero non ita se res habet.* 4

Paucis quoque medicamentis eos usos ait,præter quàm in acutis morbis : quasi in his multa commemorarint:nam ita illi fecerunt.quæ uero in longis morbis præscripserunt , ea re uera contra se habent:siquidem tempestiua elaterij , seri , & lactis potione cuncta perficiuntur.

*Qui uero secundum librum dispositerunt,hi accommodatius ad medicinam,quæ singulis danda sunt,percurrerunt.* G 5

Dispositus liber dicitur secundus, qui post primum scriptus sit , cum idem est utriusque argumentū, & plurimæ dictiones eædem insunt , & secundus nonnulla eorum,quæ in priore erant,detracta habet, alia adiecta,alia denique permutata.huius rei si exemplum perspicuitatis gratia requiras,secundum Eupolidis Autolycum ex primo apparatum,dispositumque habebis . sic etiam Gnidii medici posteriores Gnidias sententias post priores ediderunt : quæ nonnulla omni ex parte eadem,nonnulla addita, nonnulla detracta,sicut etiam nonnulla permutata continerent. hunc ergo secundum librum Hippocrates magis fuisse priore medicinalem confirmat.

*Sed de diæta nihil ueteres notabile conscripserunt.quod licet magnum esset,tamen omiserunt.* 6

Ductus curationis,qui cōsuetis materijs efficitur , diæta hoc est uictus ratio nominatur:ut etiam qui consuetis sectionibus,adustionibusque,& aliis, quæcunque manibus fiunt, constat, chirurgia uocatur. tertia præterea medicinæ pars est in medicamentis posita,quæ scilicet,medicamentis rem perficit. Hippocrates autem priscos reprehendit, quod nihil notabile de diæta scripserint. id quod non dixit, quod nullum de uictus ratione præceptum scriptum reliquerint : siquidem scripserunt , sed quod nihil notabile.quale autem sit,quod notabile hic uocet,ipse deinceps exponet. H

*Varios autem morborum modos,ac diuersas eorum diuisiones quidam eorum non ignorârunt.* 7

Non solum non ignorarunt uarios modos morborum , uerum etiam plus quàm, par esset , de eis ut postea ostendam,scripserunt.

*Quidam uero cum singulorum morborum numeros clare uellent efferre, non recte scripserunt:quippe cum non facile numerari queant,si quis laborantium morbos alterum ab altero nonnihil differre, nullumque morbum eundem uideri , qui idem quoque nomen habeat,existimarit.mihi uero placet in omni arte animum diligenter aduertere . nam quæ officia recte procedunt,eadem sunt etiam singula recte facienda : quæque officia celeritatem postulant , celeriter obeunda : quæque sinceritatem , sincere : quæ sine dolore administrari debent , citra omnem dolorem administranda . cetera quoque omnia, quę huiusmodi sunt , multo melius , quàm ab alijs facienda sunt nobis . atque ego quidem eum medicum maxime laudarim,qui in morbis acutis,qui homines quamplurimos occidunt,ceteris ualde præstet.sunt autem acuti morbi, quos prisci nominarunt,pleuritis,peripneumonia,phrenitis,lethargus,ardor,& alij morbi,quicunque hos consequuntur : quorum febres prorsus continuæ homines interficiunt.* 8

Dixit paulo ante Gnidios medicos ab initio statim plureş morbos scripsisse , ut bilis morbos septem:itemque paulo infra,uesicæ morbos duodecim:& etiam inferius,renum,quatuor:& post hos etiā

uesicæ

A uesicæ ex urinæ stillicidio morbos quatuor: deinde etiam distentionis neruorum tres. præterea morbi regij quatuor genera: & præter hæc [illegible] tres. illi enim in * corporum uarietates, quæ multis de causis permutantur, urgentes, mo[illegible] dem esse non cognouerunt: vt nouit Hippocrates, qui ad eorum inuentionem methodo proc[illegible] qua solum inueniri morborum numerus potest. quæ sane methodus a nobis est in ipso statim meth[illegible] medendi principio demonstrata: deque ea nonnihil etiam in libro de elementis ex Hippocratis [illegible] dictum est. habes quoq; a nobis unum de morborum differentijs compendio conscriptum [illegible]um. nunc uero par est proposita uerba persequi. est enim hic expositionis scopus: † nam [illegible] exponendum demonstrationes scripserit, nec sermonem producet causa sanationis morbo[illegible] ipsum partem reliquerit, quæ ad maxime letalium morborum curationem excellit. proposita aute[illegible] onis hæc summa est: singulas uero partes deinceps percurram.

*quidā legunt symptomatū, sed ueteres codices tres, habēt συμάτων, hoc est corporum. tamen uetus tralatio habet, accidētiū. ut habuisse συμπτωμάτων uideatur.

† Ita legitur i duobus exemplaribus scriptis. in impressis uero sic, nā si quis in explicationibus demōstrationes scripserit, is sermonē producet, & præcipuam partē, quæ sanādorū morborū causa instituta est, omittet: eā inquā &c. vetus aūt translatio ita cōfusa est, ut nullus sensus elici queat. hic aūt nrā que lectio probari posse uidetur.

*Cum enim nullus pestiferi morbi modus [illegible] gr[illegible]tur, sed morbi sint σποράδες, & similes, ab ijs plures, quàm ab alijs omnibus intereunt.* 9

Declarat his uerbis Hippocrates [illegible] rbos uno eodemq; tempore copiose exoriri, quos si

B perniciosi sint, pestem uocant: si mit[illegible] m appellatione indicant, eosque epidemos nominant: ut epidemius morbus sit, qui in al[illegible] aliquo tempore abundet: pestis uero sit epidemia perniciosa. est præterea aliud morb[illegible] mmune, † quod pro tempore anni superuenit. ἐνδημον, quasi dicas patrium, nuncu[illegible] bus aduersantur σποράδες, hoc est qui uage homines corripiunt: qui ægros uarie [illegible] nt, n[illegible] nmuni modo constant. sed quid est, quod ait, sed morbi sint σποράδες, & similes è contrarium en[illegible] at d[illegible] endum, non similes inquam inter se esse: si ipsa utiq; morborum similitudine endemum, ep[illegible] emum [illegible] pestiferum iudicandum putauit. ergo duorum alterum, uel melior habenda est hæc lectio [illegible] & σποράδες, & non similes sint: uel oportet eos similes dictos esse non inter se, sed morbis ante [illegible] oc est cōsuetis: propterea quod morbi epidemij & pestiferi rarius accidant: qui u[illegible] sporadici [illegible] uocantur, frequenter oriantur: de quibus in præsentia loquetur, ut de epidemijs in l[illegible] uulgarium morborum: de endemijs uero in libro, qui de aere, aqua, & locis inscribitur. nullum autem peculiare uolumen de pestilentia conscripsit, quia illā esse unum ex epidemijs morbis, in libro de uulgaribus morbis docuit.

A.l.t.f.a.d.t. c.8.p.68.f.

† hoc totum, ὅτι εἰσὶ τὸ κατ' ὥρας ἐπιγινόμενον, c. v. nō habēt. præter unū, in quo in margine additū est.

*Idiota uero non admodum cognoscunt eos, qui in huiusmodi præstant ceteris.* 10

C Ait idiotas non omnino cognoscere eos medicos, qui in his morbis ceteros excellunt. est autē perspicuum, eum acutos morbos intelligere, de quibus ante dixit.

*Et alia potius remedia laudant, ac uituperant.* 11

Dicit idiotas, neque aptas, neq; laudabiles curationes dignoscere, sed alias potius. atque inde fieri, ut neque laudent recte, neque uituperent. deinceps uero, quasi subiungens eorum, quæ dixit, demonstrationem, scribit hæc.

12 *Magnum autem rei argumentum est, quod ipsi uulgares inter se in eiusmodi morbis maxime dissentiunt. quam ob rem adhibenda diligentia est: qui enim medici non sunt, ij in hisce morbis medici uidentur: quippe cum facile sit, ea nomina perdiscere, quæ ægrotis ita affectis prodesse uideantur: si quis enim ptisana cremorem, unumque tale, uel tale, et aquam mulsam nominarit, referre eadem omnia medici tum boni, tum mali plebeijs uidentur. † sed non ita se res habet: siquidem bi in his rebus plurimum inter se differunt.*

† hæc nō habēt ueteres scripti codices.

Quoniam medici tum boni, tum mali huiusmodi materias, quæ ad uictus rationem pertinent, adhibent, ideo idiotæ quis nam sit melior, internoscere non possunt: utpote qui nequeant discernere, qui

D in tempore, & debito modo materias auxiliorum ægrotantibus præbeant, qui secus. Hippocrates autem, ubi secundum proœmium hic præfinisset, ab hac oratione consequentia exorditur.

13 *Mihi autem digna scribi maxime uidentur ea, quæ medicos utile est nosse, quamuis ignorentur: quæ inquam magna commoda, aut magna damna inuehunt. quæ autem ignorantur, sunt hæc: cur in acutis morbis medici quidam ptisanas nō colatas perpetuo exhibeant, ac recte se curare putent: alij omnino contendant, ne æger bordei ullum noret: existimentq; magnam inde noxam secuturam: sed cremorem linteo colatum dent: alij neque crassam ptisanam, neque cremorem propinant: alij uero, quoad æger ad septimum diem peruenerit, alij denique, donec morbus indicatus sit, perpetuo exhibeant.*

Quod ab Hippocrate in controuersiam adducitur, potius ad logicam pertinere uidetur: cum nos etiam sine huiusmodi considerationibus medicari recte ualeamus: quippe cum medicis comparatum sit, ut ex cognitione agendorum, & non ex inuestigatione causæ, ob quam cōtrouersati sunt, qui uarias in huiusmodi morbis curationes conscripserunt, recte morbos curent. ueruntamen id re uera non modo utilissimum est, sed etiam primum omnium, & quæsitu necessarium, ut progrediens exponā: at prius quæstione dignum esse, quod ipse proponit, & quomodo id ipsum soluat, præstat percurrere. id igitur esse quæstione dignum, uel ex hoc disces. nam de philosophorum discrepantia, nullam habemus coniecturam euidentem: neque enim utrum mundus sit genitus, neq; utrum caducus, neque utrum extra

ipsum

ipsum sit inane, neque utrum sit ipse infinitus, neque utrum un[illegible]t, an plu[illegible]: neque si plures, quot nu- E
mero sint: neque utrum horum multitudo comprehendi no[illegible] longa con-
iectura consequi possumus. eadem est ratio multorum ex ij[illegible]a[illegible]untur, quorum nonnulla sunt, quæ iudicare prorsus nequimus, nonnul[illegible] summ[illegible], ac diligentia. at de ijs, quæ ægrotantibus adiumento sunt, non est sim[illegible] rat[illegible] ipsa inuenienda longo tempore opus est, & item uiro, qui multis uirtute præstet. quæ uer[illegible] inuenisse profitentur, iudicari facile posse uidebuntur: nempe si ea ægrotis admota p[illegible]nt, laudanda ea sunt, atque adhibenda: si noxam, fugienda, & reijcienda: quæ uero nul[illegible]m [illegible] adiumentum, aut damnum dederunt, in neutrius horum ratione censebuntur: si uero per[illegible]t ab eis abstinere medicos oportebit, quæ uero perexiguam habent † differentiam, nihi[illegible] in eorum usu permaneant ij, qui quoquo modo ab initio probauerunt: at quæ multum [illegible] alijs laudentur, ab alijs uituperentur, admirari quispiam posset eos, qui uald[illegible] eos, qui uere iuuantia uituperent. atque id est, quod modo Hippocrates in uno [illegible] exemplo proposuit. id autem est etiam ab Erasistrato in primo de febribus dictum, & [illegible] adiuncta solutio est breuiter ac perspicue, utpote qui Hippocratem est omnino secut[illegible] libro cum memoraret eos medicos, qui aduersissimum febricitantibus uictum præs[illegible]is inedijs ægros conficiunt, ac Petronam ipsum, qui carnes, uinumq; præbebat: ita [illegible]ionis progreditur: In multis autem ualde magnis plagis decidebant: si autem f[illegible] ex tali curationis ratione male liberabantur, qui ita curabant, a curatione desistebant [illegible], ut [illegible] hæc ipsa curandi ratio non omnibus febribus conuenit. Laudandus igitur Eras[illegible], qui cum hanc quæstionem in mediũ attulissent, eandem quoque explicauerunt. la[illegible] extollendus est is, qui primum eam proposuit. est autem intelligendum, non magis [illegible] morbis quam de ceteris omnibus eam afferri, atque explicari. siquidem responsio de omnibu[illegible]munis est: præsertim cum non modo in acutis, sed in alijs etiam morbis medici sint controuersæ [illegible] in [illegible], ut longo iam tempore in sua quisque dandi cibi ratione permaneat: quod nonnull[illegible] e[illegible] perspicue iuuari intueantur. in alijs uero, qui nihil inde auxilij percipiunt, statim ægrotos quoque aliquid [illegible] deli[illegible]uisse suspicantur: cum tamen id non sit, sed quod in libro de fracturis dixit Hippocrates, ubi agens de ijs, qui fracturas cum uulneribus male ligant, atque ideo lædunt, ait, Non enim inquit, deligationem esse in causa putant, sed aliud quoddã infortunium. sic etiam in uictus ratione eos opinari par est. quod autem in hac serie uerborum Hippocrates dixit, planum est, ubi quis eam secum in animo cogitans bis & ter perlegerit. nam in particulari exemplo communem tradi rationem comperiet: quam & uniuersalem uocare soliti sunt nõ modo phi- G
losophi, uerum etiam prope omnes qui logicam facultatem nouerunt. Erasistratus igitur aduersissimarum uictus rationum mentionem fecit: Hippocrates uero relictis ijs, quæ monstrosæ alienæque sunt, ad moderatiores animũ appulit. etenim monstrosæ sunt, re uera, quæ per summam inediã fiunt: quæq; ex immoderata repletione constant, qua Petronas utebatur. moderatæ uero, quarum meminit Hippocrates in morbis acutis, ab insignibus medicis exhibentur. quidam enim ptisanam hordeaceam in his dant: quidam solum cremorem: quidam ne hunc quidem in acutis morbis, ante iudicationem, præbẽt: sed ex sola aqua uictum instituunt, ut usque dum morbus iudicatus sit, interim solis potionibus, aqua, & melicrato, & si opus sit, oxymelite uictus ratio contineatur. causa igitur dissensionis est, quam ipse Hippocrates in progressu sermonis exponet, & quam ab Erasistrato in primo de febribus recte enunciatã dixi. est autem hæc, quod aliqui solo cremore ptisanæ indigent. quidam etiam ptisana hordeacea: quidam neutro horum, sed solis potibus usque ad iudicationem salutariter seruantur. atque ipse quidem, qui hordeacea ptisana, quique ptisanæ cremore, ac qui neutro horum indigeant, in sequentibus demonstrabit.

† alij legunt, uel parũ exsuperantia, uel lædentia, oẽs tñ c. v. habẽt διαφορὰν. i. dif ferẽtiam. tum addit, διέφερον, in eãdem sententiam. i. differunt.

*Huiusmodi sane quæstiones proponere medici non sunt soliti: neque fortasse si proponantur, dissoluuntur.* H 14

Hanc quæstionem ab Hippocrate primum adductam in medium esse, atque explicatam, est ex hac dictione perspicuum. neque enim inquit, tales quæstiones proponi a medicis consueuerunt: quod si quis eas etiam proposuerit, solutionem is fortasse non inueniet.

*Tota autem ars magnam adeo calumniam apud uulgum patitur, ut ne medicina quidem esse uideatur.* 15

Hac quoque oratione rem quandam uniuersalem particulari docet exemplo: primum, quod controuersia eorum, qui ad quoduis studium animum applicant, ignorationis suspicionem iure ostendit: deinde, quod rursus concordia iustam, magnamque cognitionis spem præ se fert. quod nimirum mathematicis demonstrationibus ualde profuit. neque enim discipulis solum id persuadẽt, quod uolunt, sed etiam ab ignaris imperitisque hominibus uerissimæ esse existimantur. † aiunt igitur mathematicis usos demonstrationibus eos, qui euidenter aliquid, & citra omnem ambiguitatem demonstrarunt. ceterum ipse rationem controuersiæ in sequenti oratione diligenter persequitur.

† Vetus tralatio sic hẽt, & v. c. Bessarionis, & duo præterea, qui apud nos sunt: in quibus legitur παρὰ.

*Quapropter in acutissimis morbis usque adeo dissentiunt inter se artifices, ut quæ alter porrigit optima esse ratus, ea alter mala esse existimet, ut uel ob hanc causam ferme ars ipsa diuinationi similis esse uideatur: cum etiam augures eandem auem a sinistra, faustam: a dextra, infaustam putent. huiusmodi quoque in aruspicina uidentur, alia in aliis: sed ex diui-* 16

*nantibus*

Hæc, quæ inclusa sunt, nec uetus translatio agnoscit, nec in codic. græcis scriptus legũtur.

A *nantibus quidam contraria sentiunt.[Ego uero hanc tractationem & pulcherrimam, & germanam ac commodam plurimis coniunctam, quæ in arte comperiuntur, esse sentio.]*

Appellauit hoc loco Hippocrates diuinationem eam, quæ ex auium uolatu, atque cantu percipitur: aruspicinam uero eam, quam per exta præsensionem, multi nominant: quam re uera alij quoque ex ueteribus aruspicinã nuncupant: propterea quod hostias inspicientes futura prædicunt ij, qui in ijs rebus excellunt. hostias autem appellari scimus ea omnia, quæ in deorum honorem exhibemus: quales sunt uictimæ, quæ immolantur, quarum exta inspicientes aruspices, prædicunt. qui uero ex auium uolatu augurantur, quos augures aut auspices uocant, eos nunc diuinatores, uatesque Hippocrates appellauit. quanquam nomen uatis & diuinationis de omnibus artibus dicitur, quæ ita prædicunt. nam uates dicuntur & aruspices, & auspices, & qui genethliaci uocantur, & qui per notas, & per uictimas futura prænunciant; præterea uero & fatidici, & diuini uates. sunt & qui cõiectores somniorum a poeta uocatos inter uates collocent: sed constat Hippocratem solos auspices appellare uates, ut etiam poeta uocauit. ille enim plerisq; sui poematis locis artem, quæ ex auium uolatu atq; cantu constat, futurorum prænotionem esse declarauit. ac simili etiam modo in principio primi Iliados libri dixit.

« Nunc age Sacerdotem aliquem, uatemve rogemus.

« B Seu coniectorem: nam de Ioue somnia manant.

cum Sacerdotem dixit, aruspicem intellexit; cum somniorum interpretem, eum qui ex somnijs futura conijciat: cum uatem, auspicem, uel augurẽ: etenim in rebus maximis sæpe in suo poemate huius mentionẽ fecit, usus etiã arte diuinandi, quæ ex alitibus percipitur. sed hæc fortasse dicta sunt a me de uatis appellatione prolixius, quàm par erat. quare tempus est, ad uerborũ sententiam transire: quod.n. ait, est huiusmodi: qui diuinandi artes exercent, nihil minus, quàm medici in particularibus rebus dissentiunt. Atq; ego quidẽ augures quandoq; in ijs uolatibus, quos dextros, & sinistros Hippocrates memorauit, discordãtes uidi. erat aũt eorũ alter Arabs, alter Græcus ex nostra Asia. Arabs dexteram auim seruare mulieres laborantes, sinistram uiros affirmabat: qui uero ex Asia nostra erat, si dextra auis ægrotãtibus hominibus a dextra apparuisset, interrogantibus ipsis, utrũ seruarentur, confirmari interrogationem te censebat: a sinistra uero, denegari. ego uero ab ijs quærebam, utrum eadem significandi facultas inesset in alite, si quocunq; uolaret a dextra, uel a sinistra: & utrum differre nihil putarent, si aut maxime sublimis, aut terræ proxima, aut media uolaret: &, si media, an si propius uel celsissimam, uel infimam, an adhuc inter has mediam. simili quoque modo si auis uel propinqua, uel lõginqua uolaret, an ne in his ulla esset distinctio. Arabs nihil eas differre respondebat ea distantia, quæ uel in altitudinem, uel longitu-
C dinem, uel latitudinem esset. Græcus uero de moderata distãtia dextræ, & sinistræ distinguebat, deque his ab auguribus scriptum esse memorabat: addebatque immoderatas distantias esse moderatis contrarias: testesque ad eam rem confirmandam libros Apolletis, Athenæi, Cheræmonis, Artemidori, qui Phocas dictus est, & aliorum quoque nonnullorum augurum clarorum uirorum afferebat. deprehendi sane Arabem illum confusum esse, Græcumq; distincte loqui, & artificẽ esse: siquidem artis, quæ usu & experientia sua præcepta dijudicat, uarietas atque discordia ex distincta, & confusa rerum explicatione oritur. quod cum ego ab Hippocrate didicissem, Græcum augurem eruditius de auium uolatu pronunciare iudicaui: cumq; augures præstantissimos testes citauisset, cum tamen esset minime necessarium, magis etiam fide dignus erat. Cumq; Arabs ipse quoque multos testes afferret, quibus ægrotantibus uera prædixerat, ei ego euenti quod plerunq; successerat, causam dixi. nempe si auis dextra moderate distans uiros seruat, immoderate uero distans fœminas, sint autem multæ, quæ immoderate distẽt, unaque sola moderate distet, iure quidem multis succedet ex sententia, paucis uero nõ succedet. Græcus autem augur alias distinctiones adiũgebat, quibus, licet dextera auis distet immoderate, interdum tamen seruandum esse uirum laborantem declarabat: nam qui molle, ac muliebre studium exerceret, ueluti † lanificium, mulierum figuris seruari dicebat: idque etiam ab optimis scriptum auguribus osten-
D debat. præterea uero alias quasdam distinctiones adijciebat, in quibus Arabs nihil intelligere uidebatur. Hæc a me propter sequentem dictionem relata sunt, quam nemo conuenienter exposuit, sicut ne eam quidem, quæ ante scripta est, cum ait, Quæstiones autem huiusmodi proponere medici non sunt soliti; neque fortasse si proponantur, dissoluũtur: cum enim clare dixerit huiusmodi, hoc est ita dissidentes, quidam de ptissana sola perperam intellexerunt: quidam uero paulo, quàm hi, melius, de ratione uictus acutorum: quidam absolute de omni uictu: quidam, qui melius ipsi quidem, quàm superiores, sed neque omnino adhuc recte sententiam assecuti sunt, de uniuersa curatione. Hippocrates autem, ut dixi, totius dissidij in omni arte, quæ possit experientia iudicari, causam peruestigauit. id autem ita esse, ex sequenti oratione perspicue cognosces.

† codices impressi, & duo scripti habẽt ἐριουργὸν, hoc ẽ qui i lana uersatur: codex tamen Bessar. habet ἱερουργὸν idest sacrificulum: sed utraque lectio ꝓbari potest.

17 *Nam & ægris omnibus ad sanitatem magnum quid potest: sanisque ad securitatem: tum uero se exercẽtibus ad bonum habitum, atque ad id, quod quisque uelit.*

Hæc oratio cum eos coarguit, qui putant Hippocratem dictionem supra scriptam de sola ptissana proposuisse: tum eos, qui de uictus ratione siue in acutis morbis, siue de omni uictu absolute id existiment, atque etiam eos, qui de uniuersa curatione quæstionem propositam arbitrantur. etenim hæc oratio, Nam & ægrotis omnibus ad sanitatem magnũ quid potest, plane reprehendit eos, qui uel de ptissana, uel de sola uictus acutorum ratione, uel de omnium morborum uictu eam enunciatam opinãtur:

propterea quod non omnes ægroti a sola uictus ratione curantur; cum multi & manuum opere, & E medicamentis indigeant: sed multo etiam minus a ptissana sola curantur. neque igitur de sola diæta acutorum, neque absolute de uictus ratione in omnibus morbis, neque de ea sola controuersia, quæ ex his oritur, nunc uerba facit, sed absolute de omni arte, quæ possit experientia iudicari. nam qui commune & uniuersale iudicandi instrumentum inuenit, is usu illius iudicat quæ particularia sunt. est autem unum particulare & quod de ptissana medici controuersantur, & in quo de diæta non solum acutorũ, sed etiam aliorum morborum dissentiunt: & item quod generalius est, de omni curatione: & id, quod etiam est hoc generalius, de omni corporum prouidentia, etiam si ea sanis corporibus adhibeatur: hæc enim arte indigent non quæ ad consequendam sanitatem præcepta tradat, sed quæ præsentem tueantur: quod Hippocrates dixit, sanisque ad securitatem. nãm ad rem aliquam conseruandam, securitate opus est. utilem quoque ait esse hanc tractationem ijs, qui exercentur, ad bonum habitum: ut enim ægrotantium curatio ea consideratione, quæ nunc ab ipso proposita est, indiget, sic etiam sanorum securitas, ut sanitas conseruetur: & sic eorum, qui se exercent, prouidentia, ut bonum firmumque habitum consequantur. hæc autem eius artis sunt omnia, quæ in corpore uersatur: quod autem adiungitur, id in omnem artem pertinet. ecquid hoc est? atque ad id inquit, quod quisq; uelit: nam & augur, & aruspex, & musicus, & orator, & uno uerbo omnis artifex causam uarietatis, quæ in eius arte sit, unam esse putabit, cum particulare ad uniuersale quisque retulerit. qua sane ratione in auguribus cõtrouersiam deprehendi, & qui ueriora loqueretur, iudicaui: atque huius rei causa paulo ante augurum & Arabis & Græci feci mentionem: cuiusque enim artis constitutio ex distinctione propriorum a communibus oritur: quæ qui potest distinguere, is optimus artifex est. atque ut constitutio, sic iudicium in distinctione consistit: falluntur enim qui artes constituunt, cum, quod alicui accidit, id uel in omnes, uel in plures, quàm par est, extendunt: nam quod nemini prorsus accidit, nemo id in eiusmodi arte uerum esse sibi persuadebit: tum enim re uera oritur discrepantia, cum quisque rem sibi persuadet, non autem contentiose litigat in eo, quod speciem præsefert alicuius rei, quodque confingitur: ut quidam † secus, quàm sentirent, de quibusdam rebus fecerunt: atque ut illi, qui aiunt, incertum esse, utrum uigilemus, an dormiamus: sapiamus, an insaniamus. quod si planum esse concedatur, utri magis uera dicãt, incertũ esse aiunt, an qui uigilant, ijs qui dormiunt: an non insani insanis: nemo enim, qui sibi ita persuaserit, aut qui secum animo opinatus sit, sed qui litigat, hos sermones usurpat. in arte autem medicinali quidam res nouas sunt aggressi, cum tamẽ nihil rebus prioribus inuenire melius potuerint: sed uulgi sensum, de quo etiã dixit Hippocrates, cognouerunt: uulgus enim id quod nouum est, necdum tamen utrum utile sit, intelligit, laudat potius, quàm quod usitatum est, quod esse utile cognoscit. sunt qui suauissimi uictus pro- G fessione persuadentes alliciunt ægrotantes: qui sciunt quidem se dolo malo agere, sed id tum lucri cupiditate, tum gloriẹ ducti studio aggrediuntur. exposita igitur ea controuersia, quæ in uerbis est, quam uiri huiusmodi inter se habent, ea quæ re uera controuersia est, oritur, quod enunciatio non distinguatur, sed uel de pluribus, quàm par sit, uel de omnibus, quasi simili modo se habeant, enuncietur. quam ob rem iure & merito laudandus Hippocrates est, qui de ea sola controuersia, quæ ex rei ueritate est, memorauit: quam, qui artem aliquam uolunt constituere, uere sentiunt, cum ipsi secum in animo differenter opinentur, & non uerbis dolo & malitia simulatis, ob gloriæ aut lucri cupiditatem id agant: nemo enim, qui cogitata uere per experientiam dijudicet, Petronæ uictus rationem recipiet, qui carnes assas, uinumque nigrum acutam febrim habentibus dabat: atque ita dabat, ut ne in tanta quidem siti uigesimam heminæ aquæ partem admisceret: tales enim uictus institutiones omnino absurdæ sunt, & duorum alterum existit, ut uel quod nouæ & inusitatæ sunt, a ueteratoribus exerceãtur: uel ut summam ob stupiditatem id agant, si soli plane se ueritatem inuenisse existimarint. quæ uero ab Hippocrate scripta sunt, ea in uiris prudentibus, qui artem uere student constituere, possunt reperiri: cum non maxima læsio sit, quando, quibus non oportet, offerantur. atque in huiusmodi quidem non facile distinguitur iudicatio, quæ experientia fit: in ijs uero, quæ multum differunt, facile. Discernere igitur uarietatẽ H in ijs, quæ parum inter se exuperant, ac demonstrare, quibus instituenda sit uictus ratio ex ptissana sola in morbis acutis, quibusque hordeacea danda sit, quibus denique neque hæc, neque illa, sed potus solus ad iudicationem usque sit porrigendus, est Hippocratis dignum intelligentia.

† uarij sunt v. c. hac in re. in c. Bessar. legitur ἑτέρων νόσων, id est alijs morbis: in nostris uero duobus sic, ἑτέρων πορφῶν, id est, in quibusdam alijs aio male affecti sunt.

18 A. l. 4. f. 1 z. 2. c. 2. p. 779. b

*Ptissana igitur frumentaceis pulmentarijs recte præponi in acutis morbis mihi uidetur: eosque laudo, qui eam prætulerunt. nam uiscositas eius lenis, continua, iucunda, lubrica, & modice laxa est, sitim arcet, &, ubi ablutione opus est, probe abluit: non adstringit: non uellicat grauiter: neque in uentre tumescit: quippe cum decoqueretur, intumuit, quantum maxime potuit.*

Qui hunc librum de ptissana inscripserunt, ij solum hanc legisse orationem mihi uidẽtur: uelut etiã primam procœmij partem illi, qui indicem, contra Gnidias sententias, esse uoluerunt: cum tamen Hippocrates in secunda exordij parte non iam contra Gnidios medicos agere, sed se ad curationem morborum acutorum conuertere uisus sit. tertia autem pars, quam hucusque percurrit, ad eam artem pertinet, quæ acutis morbis uictus rationem prẹscribit. uerum non est ad eam solam utilis, sed etiam sub aliũ sermonem, qui generalior est, cadit. In ijs autem commentarijs, quos in libros de fracturis, deque articulis conscripsimus, ostẽsum est nobis, consuesse Hippocratem, sermones, qui sub alios cadũt, alijs quibusdam

A busdam magis uniuersalibus significare: eumque docere uniuersalia illis, tanquam exemplis constitutis: ipse enim neque ab instituto recedit, neque sæpius docet, quod est commune multorum. ut autem de ptissana sermonem fecit, causam discordiæ, quæ de ipsa est, tum quærens, tum iudicans, ita etiam de omni acutorum morborum uictu, recto iudicio pronunciauit: nam & de uenæ sectione, & de purgatione, & de balneo, & de usu clysteris, itemque de cataplasmatis, de fomentis, uinoque & aqua mulsa, & oxymelite, de balnei usu denique non est inter medicos parua dissensio. quæ omnia hoc uno in libro Hippocrates ea methodo, quam nuper dixi, pertractat: cuius uim illi quoque nouisse uisi sunt, qui se empiricos nominarunt: cum a communibus propria distinctionibus secernant. quanquam discretiones potius, quàm distinctiones illi, quibus propria a communibus secernunt ac separant, appellare consueuerunt. sed uideamus modo, quæ de ptissana ab Hippocrate dicuntur. Prisci inquit, medici ptissanam ceteris frumentaceis pulmentarijs rectè prætulisse in acutis morbis uidentur. appellat autem frumentacea pulmentaria, quæ ex frumento fiunt. frumẽtum porrò homines præcipue triticum nominant, sed iam tum hordeum ipsum, tum Zeam frumenti nomine uocant. immo uero hoc nomen ita late patet, ut eo etiam, quæ cerealia semina uocantur, contineri uelint, ut lentem, fabam, lupinum, cicerculam, panicum, milium, pisum, fœnumgræcum, auenam, tipham, cicer, ac cetera

B generis eiusdem. ex his igitur frumentaceis pulmentarijs cetera quidem uulgo damnantur, quod magnam subito noxam afferant: panis uero solus, & alica in acutis morbis datur. cum quibus solis conferenda ptissana est: lens enim, & milium, & fœnum græcum, tanquam medicamenta propter quosdã uentris morbos, non ut cibaria alimenti causa præbentur. itaque frumentaceis edulijs rectè prælatam esse ptissanam dicit, hoc est pani, alicæ, & Zeæ, ex qua fit etiam is, quem tragum uocant: nam eorum, qui alicam Hippocratis tempore non fuisse existimant, errorem conuinces & quod quidam ex ueteribus comicis eius meminerunt, & quod Hippocrates ipse in libro de salubri diæta fecit eius mentionem; quamuis enim ille liber non sit Hippocratis, sed uel Euryphontis, uel Phaontis, uel Philistionis, uel Aristonis, uel alterius cuiuspiam ex ueteribus, siquidem ad multos ille auctores refertur, tamen illi omnes ueteres uiri sunt, atq; ex eis quidã Hippocrate uetustiores, alij æquales ætatis illius fuerũt. loquor aũt nunc de Hippocrate Heraclidę filio: cuius hic liber est: nam eius auus Hippoc. Gnosidici filius nihil oĩno scripsit, ut nõnulli sentiunt. alij uero duos ab eo solos libros, cum qui est de fracturis, & eũ qui est de articulis editos uolũt. ceterum quare ptissana frumẽtaceis edulijs rectè sit anteposita, ostendet ijs, quæ ipse subiũgit: quæcunq;. n. ad acutorũ morborũ sanationẽ ei insunt, in nullo alio inesse cõperient: id quod rectè iudicabis, si & acutorum morborũ naturã, & ptissanæ uim cognoueris. est igitur acutorũ

*τὰ πάνυ. C morborũ natura, ut ipse paulo ante dixit, ut eorũ febres * prorsus cõtinuæ sint. febris uero ortus est natiui caloris ad igneũ cõuersio: sicut alibi probauit, ac nunc declarabit, cũ dicet, ã thorace eam incipere, & ad caput flammam mittere. pręterea in libris de morbis uulgaribus magnã febrim appellare ignem consueuit: quasi nullã aliã naturã, quàm ignis essentiam, habeat. itaq; si cõtraria sunt contrariorũ remedia, propriũ febriũ remedium refrigerantem & humectantẽ uim habere oportet. id quod naturæ febris, quæ calida & sicca est, cum ignis sit huiusmodi aduersabitũ. Iã uero in febribus quoq;, quæ ex humorũ corruptela oriũtur, nõ mediocris adhibẽda diligẽtia est, ut quod admittere concoctionẽ possit, concoquatur, & quod iam exustũ sit, neq; cõcoqui præterea queat, euacuet. quod si febricitãtibus in usu sit cibus, qui hæc possit efficere, si præterea facile concoquitur, facileq; distribuitur, iam is oĩa, quibus opus est, habuerit. quænã igitur sit ptissanæ uis, ex Hippo. percipiamus. nã uiscositas inquit, eius lenis. lene exasperanti opponitur. exasperant aũt acria, & acida, & adstringẽtia. acria aũt oĩa calefaciũt, ut eruũ, & fœnũgræcum: acida uero cetera omittantur, de oxymelite solũ agat: ut etiã ex adstringentibus dimittant achrades, mespila, & cetera consimilia: & ex frumentaceis, lens, & quæ sunt eiusmodi. ptissana igitur exasperantium malitiam effugit, utpote quæ leuorẽ non solum tactu, sed etiam facultate habeat. Eius quoque uiscositas cõtinua est: cũ in omni parte sit sibi ipsi similis propter exquisitam unionẽ: quod † Zeæ nullo

† in duob. c. v. nulla uarietas est. in uno tantum legitur, τοῖς λοιποῖς ἔνεστι. i. alijs insulis id nõ inest. D modo inest. nõ affert etiam laudem ei mediocrem iucunditas, quæ molestiæ opponitur: hoc est ei rei, quæ dum sumitur, quandam insuauitatẽ gignit: sicut deniq; panis ipse insuauis est, dum sumitur, nisi ipsum abunde maceraueris. quinetiam ita a iucunditate, quæ in ptissana est, superatur, ut illa ne mandenda quidem sit, sed potuum instar sorberi possit. neque parua prærogatiua est, lubricitas quæ in ptissana, præsertim uero in cremore inest: siquidem thoracem pertransit, ac in nulla ipsius parte quidpiam relinquit: ueluti faciunt, quæ meatibus ita impacta sunt, ut uix dissolui possint: quod uiscosis fere omnibus, præter quam ptissanæ, accidit: siquidem sorbitio, quæ ex alica fit, uiscositatem quidem habet, sed a lubricitate destituta est. at ptissanæ inest, ut & lubrica sit, & abstergat. quam ob rem medici ad uiscosum humorem, qui in uentre fit impactus, detergendum, uomitibus ex ptissanæ cremore, non secus quàm ex aqua mulsa excitis utuntur. crudam quoque ptissanam conterunt puerorũ mangones, faciesque ad uitiosos cutis colores exterendos illinunt. id autem, quod in ea uim detergendi habet, cum ad deiectionem est idoneum, tum uero ad distributionem, præsertim cum alimentũ, quod distribuitur, a sima ad gibbam iecoris debeat transmeare: hic enim infarciuntur quæ crassi succi, quæque glutinosa sunt, omnia. quæ causa facit, ut alica non solum ijs, qui iecore male affecto sunt, maxime noceat, sed ijs quoq;, qui hoc uiscus nullo quidẽ modo læsum, sed cum meatuũ angustia suapte natura formatum habent: nam qui ita natura sunt affecti, ijs omnia glutinosa, & quæ crassi sunt succi, infarciuntur,

infarciuntur,& ob id in illis distribuendis,grauitatem in uiscere sentiunt:præterea ptissanæ uiscositas laxa est, E non tamen uehementer,ut aqua,& mulsa,sorbitio item ex alica,& oua,quæ sorbentur. hæc enim omnia ita aperte stomachum ipsis languentibus supinant,ut subuersum ipsum esse dicant: uerum ptissana humectare quidem potest,stomachum uero subuertere nõ potest. quo in loco stomachum intelligere debemus,ut nunc homines appellant,non modo ipsum meatum,sed etiam os uentriculi:quod cum imbecillum,exolutumque sit,tum quod ingestum est,diu in eo supernatans manet. contrarium autem accidit,cum a cibo aliquo † qui stomacho alienus sit,subuersum,quod continetur,expellit. nempe mador cum ipso recedit,& coquitur,& quod ita expulsum est, deijcitur:sicut crudum manet, & non cito secedit,quod in ore uentriculi supernatat:huius enim particulæ munus est non concoquere, sed appetere. itaque edulia adstringentia ut uim habent ad os uentris roborandum,ita etiam plus,quam par sit exiccant. pari quoque modo sorbitio,quæ ex alica paratur,ut humectare, ita etiã resupinare apta est. ergo ptissana humectantium uim assecuta,malitiam effugit. Iam uero sitim eam arcere ait,idq; maximum quid esse in eo morbo,qui totum corpus tum exurit,tum exsiccat,attestatur. qua in re ptissana est etiam multo,quàm aqua mulsa,præstantior. quanquam† abluendi bonitatem huic æque atq; aquæ mulsæ inesse deinceps scribit. imo si ptissanam aquæ mulsæ comparaueris,certe eam in acutis morbis & superiorem,& meliorem comperies:quod in progressu orationis ostendam. sed tempestiuum est,ut ser- F mo de ptissana institutus absoluatur. Dixit autem,eam probe abluere,cum hac additione, ubi ablutione opus est:quasi non in omnibus acutis morbis nobis opus sit edulio probe abluente:cetera enim omnia,quæ ptissanæ inesse dicta sunt bona,morbis acutis omnino sunt utilia,sed abluendi bonitas ijs,quibus subduci uentrem uolumus,ubi cibus in uia moratur, idonea est. ex quo fit,ut probe abluere neque tanquam febris affectioni,neque tanquam accommodatum quoddam auxilium,utile sit:sed quasi symptoma aliquod corrigat, & emendet. deinceps uero ait: Non adstringit,non uellicat grauiter: uiscositas inquam ptissanæ: sic enim de ea sermonem instituit. nõ adstringere autem quibusdam maxime bonum est: nemo enim adstringentibus edulijs utitur,nisi uel propter symptoma,quod animi defectionẽ inducat,uel propter immoderatum alui profluuium: nam & cogunt,& constringunt corpora, uiasque distributionis,& alimenti,& perspirationis eius,quæ foras fit, conniuere faciunt:quas esse apertas conducit. Quod uero addit, non uellicat,hoc est, nullam dum concoquitur,perturbationem facit,ad laudem ipsum quoque ptissanæ ualde pertinet. quod in multis edulijs usu uenit, quæ partim uentriculum mordent, partim inflant. quædam etiã ex pugnantibus facultate partibus constant,ut in lente & brassica uidere licet:quarum solidum corpus uentrem cohibet: ius uero ipsum proritat, atque subducit. sic etiam qui cerebrum, oleo garoque condiunt,ij totum ex dissimilibus partibus constans, & sibi ipsum G pugnans efficiunt:cum cerebrum ipsum stabile,& tarde means sit,quæ autem illi mixta sunt, impellere ad excretionem ipsum sint utilia. simili quoque modo ouum siue cum melle, siue cum sale,siue cum garo sumatur,quod ex eis constat, differentes uires habet. iuscula item fere omnia sunt huiusmodi. quã ob rem in principio orationis cum ptissanæ uiscositatem laudaret, dixit,continua:quod fieri non posset, nisi totum ex similibus inter se particulis constaret. nunc uero uerbo uellicat, addidit, male: non absolute scribens,ptissanam non uellicare, sed, male, adijciens: nihil enim magis, quàm hoc ipsum, concoctioni ciborum aduersatur. hinc efficitur,ut qui de concoctione scripserunt,ij uarietatem eduliorum, præsertim uero eorum, qui ex contrarijs facultatibus constant,infensissimam esse confirment: utpote quæ prohibeat, ne, quæ sumpta sunt,probe concoquantur. obseruant id maxime,qui luctantur, quique legitime certant: siquidem in prandio panem solum, in cæna uero carnem edunt. Essem in his explicandis longior, nisi scirem, te inuenire ipsa posse,admonitum ijs,quæ de cõcoctione in libris de naturalibus facultatibus a nobis sunt conscripta: quos libros si neglexeris, in his frustra uersabere qua propter de huiusmodi turbatione plura non afferens, ad omnium ultimum me conuertam, quod Hippocrates de ptissana adhuc loquens adiunxit: Neque in uentre inquit, tumescit. id quod non sine causa adiecit,quippe qui nosset,ptissanam quod flatum cieret, a multis damnari: nam ea inter coquen H dum,quoad maxime potuit,intumuit. qua additione & criminationem indicauit, eiusque solutionem attulit, & elixationem docuit. quædam tamen in sequentibus etiam de coctione scribit. sed nunc sermoni de ptissana hoc solum adijciam, ptissanam si plurimum coxeris,edulium flatus expers feceris. at lomentum fabarum,etiam si triduum coxeris, ne flatum quidem unquam amiserit: propterea quod ex propria essentia habet uim flatus non,ut ptissana,propter diminutam coctionem. sunt qui eam coquere non soleant,præcipue autem diuitum coqui:eam enim crudam in mortario terunt,deinde parum calfaciunt: nec coctam dominis afferunt. sed de ptissanæ elixatione,ut ante dixi,aliàs agetur. nunc uero cũ eius uim ostenderit, deinceps distinctionem usus eius exponit: quam ad rem ego quoque me conferã. præmoneo autem,me in sequentibus sermonem de ptissanæ ad aquam mulsam, & alia, comparatione absoluturum.

*Qui autem in his morbis ptissana utentur, ij ne uno quidem die uasa, ut ita dicam, inaniri sinant: sed ab eius usu non desistant, nisi uel propter medicamentum, uel propter clysterem emittere eos oporteat.* t9

Hoc loco orditur quæsiti explicationem: sed quoniam elocutione usus imperfecta est, ideo obscura reddita est oratio. quam ob rem ego dabo operam,ut quonam potissimum modo exposita nihil obscuritatis

† ita habẽt impressi cod. & lib. Bess. i uno tamẽ legitur, ὑπό τινος τῶν εὐστομάχων σιτίων. i. ab aliquo cibo,qui sit aptus stomacho. uetus tralatio idem habere uidetur, legendũ ergo esset cũ ab edulio aliquo, apto stomacho subuersũ fit. aut reductũ etc.

† In codicib. impressis, & scriptis hoc loco legitur, εὐέκκριτον. i. facilitatem excretionis, ut eodem modo in cõtextu Hipp. legẽdũ sit. uel nullo in loco mutandũ:cum paulo post sit etiam scriptũ ἀκώλυτον quod bonitatem abluẽdi indicat.

A.l.1.f.3.d.1. c.7.p.117.A.

A.l.4.f.1.z.1. c.8.p.779.C.

A scuritatis habeat,referam:eamque ab initio hoc modo repetam. quænã discordiæ causa est,cur in morbis acutis alij ptissana hordeacea,alij solo ptissanæ cremore,alij ne hoc quidem usque ad morbi iudicationem utantur? hæc quæstio est. deinceps uero solutionem accipe. qui morbis acutis laborant, alij a cremore solo,alij ab ipsa ptissana,alij a neutro horum iuuantur. sed medicus quisque de omnibus acuto morbo laborantibus sententiam tulit immodestius,ijs inductus,quæ non in omnibus erat expertus.ego uero & distinguam,& ostendam,quinam a ptissana,quique a cremore solo iuuentur,qui denique neutro horum indigeant.tota igitur ptissana uti debent acuto morbo laborantes ij, qui nullo alio remedio prius indigent,ut uel per uenæ sectionem,uel per alui subductionem, uel tale aliquid curent, neque ullum in eis symptoma est,quod periculum minetur:cremore uero,qui aliquid,quàm ij, habent fallacius.quos uero uel sanguinis missione,uel purgatione euacuare necesse est,uel dolores etiam sedare,ijs nõ ante uel ptissanam,uel eius cremorem dabis,quam aliquid eorum,quæ dixi, peregeris. hæc sane Hippocratem præscripsisse,& ab uno quoque singillatim sumpto initio locutum esse oportebat, siquidem clara futura erat oratio.quod cũ non fecerit,merito obscurus euasit,ordine conuenienti neglecto, itaque nos eius secuti dictiones, unamquanque in antedicta capita reducamus: eamque quæ proposita modo est, diligenter in primis exponamus, quare audi iam nunc me latius Hippocratis dictionẽ

B explicantem,& uerba etiam quædam perspicuitatis gratia interiicientem.qui igitur ægroti in his morbis ptissana utuntur (dicam autem paulo post,qui nam sint, qui utantur) iis quidem nullo die uasa inaniri,ut ita dicam,sibi permittant:nisi desistere debeant uel propter medicamentum, uel propter clysterem. his autem si bis dederis,si ita opus sit, recte feceris,& tantam copiam,quantam ferre uires corporis queant:tibi autem scopos exponam,in quos intuens,uel per uentrem, uel per uenas eos euacuabis, aut fomentis, uel cataplasmatis uteris, hæc si ita dixisset, tum unumquodque deinceps a capite arcessens conuenienti ordine exposuisset,nullo pacto obscura eius fuisset oratio, nunc uero quod in medio interuenit,semper ad finem usque persequi cupiens, & sermonem suspensum diutius permittens, merito obscurum effecit, uera autem me loqui cognosces ex eo, quod omnes dictiones singillatim claras, orationem uero totam incompositam, & ideo obscurum inuenies.

20 *Et qui bis in die cibum sumere consuerunt, ijs bis dare ptissanam oportet: qui semel, ijs semel primo die: deinde facta additione,si fieri potest,bis quoque exhibeatur,si res ita postulare uideatur.*

Bis esse cibum die dandum monet, si bis sumere consuerint, cum uero necessitas postulet, ut ij, qui semel cibum sumere soliti sunt,bis alantur,ptissanam bis dabis:incipiens quidem semel dare,tum paulatim procedens,ut bis des:id enim significat,quod ait,deinde facta additione,atque hoc pacto res fit,

C semel quidem dabis quod satis sit, sed paucissimum sit, quod secundo loco propinabis: deinde paulatim augebis, idque usque facies, dum utrunque alimentum æquabitur. huius autem sermonis fides nondum perspicua est ei, qui hunc Hippocratis librum legit: propterea quod ipse nondum declararit, quinam sint, qui ptissana utiliter utantur. Verùm cum ego paulo ante mediocriter ægrotantes ab ipso ita ali prædixerim, etiam id uelle ipsum Hippocratem non ita multo post declarabo. hæc autem tibi sit huius dictionis explicata sententia. plerique tamen sunt, qui eam ita scribunt: Qui semel cibari consueuerunt, semel quidem prima die dandum ex additione. quod si fieri potest, bis quoque detur, si etiam indigere uideantur, sed non habet mentem hæc dictio: neque enim fieri potest, ut prima die, ex additione detur, cum id quod ex additione fit, sæpius dando, ac non semel, nec statim prima die, fieri consueuerit.

21 *At in principio neque multam,neque admodum crassam dare oportet:sed quantum & consuetudinis gratia,& ne multa uasorum inanitio fiat,ingerere conuenit.*

Qui aiunt, ægrotantes ab Hippocrate repleri, quod ijs, qui periculo uacant, bis dandam ptissanam iubeat,si aiaduerterent, quid his uerbis dicat, se ipsi damnarent: tantũ.n.sorbitionis dandum præcipit, quantũ tum consuetudinis gratia, tũ ne multa fiat inanitio, corpori alimenti conueniat administrari. si

D igitur heminæ quartã partem ptissanæ quæ bis singulis diebus ad septimam, aut nonã usq; exhibetur, minorem uim habere,quàm id alimentũ, quo ipsi semel alunt, habere concesserint: existimo eos a nugis temperaturos.sed id paulo post ego probabo:nunc uero,quod dixit,in principio, declarabo:neque enim ita dixit, ut morbi principiũ significet:sed audi generalius quoq; huius uerbi significationẽ: nẽpe cum ægrotus primum ptissana indigere uidebitur, tum neq; multam, neque admodum crassam statim dabis.obseruat autem Hippocrates,ne multum,& subito uel expleat, uel euacuet.

22 *Sorbitionis autem augendæ quantitas animaduertenda est: nam si morbus siccior sit, quàm ut quispiam existimet, non ita multum ipsius dare oportet:sed ante sorbitionem,aut mulsam, aut uinum utrum accõmodatius erit,propinare: utriusque uero usum in singulis affectionibus dicemus.*

Morbus siccior multis modis cognoscitur: quanquã uniuersalem,cõemq; rationẽ habent eandẽ. ac peripneumonia quidẽ,& pleuritis,atq; omnino qui pulmonẽ,asperamq; arteriam obsident morbi,cum nihil ab affectis partibus expuitur: iecoris uero, uel mesaræi, uel uentris, aut ieiuni, uel intestini, uel lienis, ubi aluus prorsus cohibita sit, aut pro necessitate tum sicca, tum dura, & caprarum stercori similia excrementa excernat. morbi autem uenarum & arteriarum sicci tum linguæ siccitate,tum totius*cor-

*totis
*squalore

poris* ariditate.Inflãmationes quoq; siccæ eodẽ modo fiunt in his,quæ foris,& palã uidẽtur,ulceribus, ubi nulla ex eis sanies effluit. ac sæpe etiam oculorũ inflammationes siccæ oriuntur,nihil excernentes

cerebri quoque ægritudines,quæ neque per nares, neque per palatum quicquam expurgantur, siccæ E
merito dicentur.ac scito hanc esse omnium morborum siccorum notam,cum excrementa nulla excer-
nuntur.merito igitur Hippocrates in ipsis aliquid humectantium ante ptissanam assumi iubet, ut mul-
sam,aut uinum,tanquã hæc magis,quam aqua, humectent. sed quia uires ipsorum sese enarraturum
pollicetur,ideo eorum cum aqua comparationem in eam libri partem, in qua uires eorum nos doce-
bit, nos quoque reijciamus.

*At si humidum fuerit os, & quæ a pulmone excernuntur, sint, qualia oportet, augenda est, vt summatim dicam,* 23
*quantitas sorbitionis: nam quæ citius, magisque madescunt, indicationis celeritatem denunciant: quæ vero tardius, &*
*minus, ea tardiorem indicationem indicant.*

A siccorum morborum genere ad eos,qui contrario nomine opponuntur,se conuertit.tum uno me
morato,nec omnibus adiunctis,illius expositionem commune omnium eiusdem generis morborum
exemplum fore ratus,non sine causa obscuritatem adhibuit.nempe os madescere,& a pulmone expui,
nõ sunt absolute omnis humidi morbi notæ, qui in omni corporis parte sit,sed cum affectione alicuius
instrumenti ex ijs,quæ respirationi subseruiunt,hanc ob rem,ut dixi,facta obscura oratio est.quod autẽ
dixit,uerum omnino est,quæ inquam per sputa, qualia expui oportet, expurgantur, celeriter indicari: F
contraria uero,duorum alterutrum subire:ut uel in perniciem,uel in longum tempus finiãtur. ergo ijs,
qui probe expurgantur,date ptissanam oportet, ut uires corroboratæ, ijs humidorum expuitionibus
quæ per tusses ex pulmone fiunt, sufficiant.nam quod ait,qualia oportet,sunt quæ notas habent conco
ctionis:de quibus diximus in libris de crisibus perfectissime,& libro de temporibus morborum, & itẽ
in explicatione eius aphorismi,in quo docet Hippocrates,quomodo ex ijs, quæ apparẽt, prænotiones
faciẽdæ sint:quo in loco lateris dolorem pro exemplo supposuit hoc modo: Veluti inquit, in pleuriti-
cis si sputum in principio protinus appareat:morbum breuem facit:si uero postea appareat, producit.

*Atque hæc quidem talia magna ex parte sunt. sed multa quoque alia peropportuna, a quibus coniectura capienda* 24
*sunt, hic omisimus, de quibus postea dicemus.*

Ego quoque huic orationi deesse non pauca dixi, quæ ad distincte loquendum pertinent: de qui-
bus etiam ipse se acturum pollicetur. in præsentia uero de ijs, solum uult intelligere, quæ dicta sunt:
ea enim talia per se sunt,qualia ipse exposuit.

*Ceterum quo copiosior fuerit purgatio, eo plus dandum est vsque ad morbi indicationem: cuius impetus duos præci-* G 25
*pue dies non excedit, vbi vel quinto, vel septimo, vel nono die morbus debere indicari uideatur: vt & pares, & impa-*
*res dies perpendendi sint. post hoc autem, mane quidem sorbitionem dabis, vespere autem ad cibaria te conferes.*

Iudicationem modo dixit uel perfectam morbi solutionem, uel permutationem, quæ adeo insi-
gnis sit, ut æger sit extra omne periculum constitutus. iubet autem duos a iudicatione dies notari, ut
eos accessionum circuitus,qui paribus, quique imparibus diebus fiunt, obseruemus: quandoq; enim
accidit,ut perinde ac morbus sit omnino solutus,ægri confidant, tum negligentius cibentur, & ei ac-
cessioni, quæ per circuitum repetit, occasionem redeundi afferant. itaque tutum est, etiam si morbus
iam esse iudicatus uideatur,eam diligenter uictus rationem, qua æger usus est, usque ad biduum ser-
uare. præteritis autem a iudicatione duobus diebus, iam tutum est, plenius alere. ac ne tum quidem
tota simul facienda mutatio est, sed ut mane sorbitionem demus,postea uero progrediente die frumẽ A.l.4.f.2.t.1.
tacea alimenta præbeamus.planum igitur est,Hippocratem nihil aliud ante finitum tempus prædictũ p.833.c.101.
ægrotis dare, neque panem, sed ptissana omnino contentum esse. id quod non est ægrum replentis, C.
sed potius, si quis reprehendere uelit,tenuius, quàm oportet, alentis. uerum neque tenuior, neq; ple
nior, quàm oportet, talis uictus est: sed exquisite inter exuperantias medius est, atque optimus.quod
autem talis uictus in medio sit, demonstrat contentio eorum, qui contraria reprehendunt: in quibus H
Thessalus est,qui Hippocratem, tanquam ægrotos explentem, accusat: & Erasistratus, qui eundem
tanquam fame eos enecantem, damnat. nam quæ ab Erasistrato in primo de febribus contra Apol-
lonium,& Dexippum Hippocratis discipulos scribuntur,calumniam continent eius cruciatus, qui per
famẽ fit, qui ad Hippocratem illorum præceptorem refertur. sed Erasistrato potius ignoscendum est,
ut pote qui uerisimilia dicat: at eos, qui ab Hippocrate ægros expleri aiunt, uiros Thessalo dignos
esse existimandum est, qui cum nullam aliam Hippocratis sententiam, tum uero neque ea, quæ de
uictus ratione præcepit, intellexerunt.

*Talia autem magna ex parte prosunt ijs, qui tota ptissana protinus vtuntur.*

Siue totam, siue hordeaceam, siue ptissanam absolute dicas, unum & idem his tribus uerbis signi- 26
ficabis, cum unumquodque ptissanam non colatam notet: nam si quis post elixationem ipsam colaue
rit, tum cremorem secreuerit, ac dederit, is neque tota, neque hordeacea, neque ea, quæ simpliciter
ptissana uocatur, uti dicetur, sed solo ptissanæ cremore. nunc iterum commemorabo, quinam sint,
qui tota ptissana ab initio uti debeant, eritque breuis memoratio, nisi forte negligenter, quæ dicta
sunt, audiuisti. si ergo, quæ expuuntur, proba sint, ægerque neque medicamento, neque clysteri in
digere uideatur, ptissana hunc ali iubet. cuius etiam consilij sui rationem addidit, hoc modo.

Nam

27 A *Nam dolores pleuriticorum confestim sponte desinunt, cum aliquid notatu dignum screare, et expurgare ceperint. quin etiam purgationes multo perfectiores sunt, minusque suppurationes efficiuntur: quàm si alia uictus ratione educarētur. praeterea iudicationes simpliciores, facilioresque fiunt, neque tam facile morbi reuertuntur.*

Hæc omnia a ptissana recte fiunt, tum quod humectet, mediocriterque incidat eos humores, qui expui debent: tum quod uires roboret: utrisque enim concurrentibus cito expurgantur humores, qui instrumenta respirationis infestant, quos humectare quidem, & secare aqua mulsa potest: non tamen æque, ac ptissana, uires roborare. contrariam uim habent panis & alica, siquidē uires roborant, sed neq; humectant, neque secant: quod nulli alteri eorum, quæ nūc ægrotis dari a medicis consueuerunt, inest, ut ouo, testiculis gallorū, alis, piscibus, & pullis colūbinis, & ceteris huius generis. quare medicus, qui lenticulam ex aceto paratam pleuritico, cuius morbus iam perfecte declinarat, ut nulla alia re, nisi concoctorum expuitione indigeret, exhibuit, is non immerito languenti, qui sequēti nocte suffocatus est, mortis occasionem attulisse uisus est. immo uero lenticulam nemo, qui sana mente sit, dederit. quod si æger ptissanam, mulsamque fastidierit, pisces saxatiles erūt maxime idonei, ex aqua, porro, anetho, sale, & modico oleo parati: atq; ex non saxatilibus, aselli. sed oxymel ante propinandum est: siquidem id stomacho non aduersaē, nisi in languente nerui affecti sint, & uterus in muliere. cuius loco si medicamentū B aliud dare uolueris, dabis id, quod ex marrubio, irideq; conficitur: hoc enim etiam si per se cum mulsa bibatur, concoquit probe excremēta, quæ tū in thorace, tū in pulmone sunt, & ad expuendū præparat.

A. l. 5. f. 10. t. 5 c. 2. p. 305. C

28 *Ptissanam autem ex optimo confectam hordeo, & quam optime coctam esse oportet: idque præsertim, si non solo cremore uti debeas.*

Probatissimum hordeum iudicabitur prius, quàm experiaris, uel ex eo solum, quod & plenum sit, & nihil rugosum in se habeat. quod uero experiētia iudicatur, per decoctionem deprehendetur, ubi nimirum plurimum intumescat, & plurimum succi faciat: quod sane etiam est firmū uirtutis ipsius argumentum. nam quod ex plenitudine sumitur, id nec scientiam attingit, nec perpetuo uerum est: quanquam magna ex parte rectum, egregiumque sit. ptissanam autem perpetuo optimam esse iubet, præsertim uero si non solo uti cremore, sed ipsa tota uelimus. quare aūt id præcipiat, ipse perspicue declarauit, cū ait,

29 *Sic enim præter reliquas ptissanæ uirtutes, lubricitas eius facit, ne hordeum inter deuorandum, noxam inferat: neque enim adhæret, neque in recto thoracis tramite (ἴξιν uocat) manet.*

Scimus Hippocratem appellare ἴξιν magna ex parte rectum tramitem, quandoq; uero etiam lationē. rectum aūt iter per thoracem aut latio ptissanæ haustæ usq; ad uentrem fit per stomachum, ut inter omnes constat. uult autem Hippocrates in eo nihil adhærere: cum enim multus in thoracis pulmonisque C affectionibus calor sit, quod adhæret, arescit, atque adeo pertinaciter impingitur, ut & fastidium quoddam, & sitim inducat.

30 *Quæ autem optime cocta sit, ea lubricissima est, sitim minime affert, facillime concoquitur, & infirmissima est, quibus omnibus est opus.*

Ptissanam probe coctam non modo lubricissimam, & ab inferenda siti maxime alienam, & facillimæ concoctionis esse dixit, sed etiam in fine esse infirmissimā adiunxit. esse igitur eam lubricissimam, si recte cocta sit, iam dictum est. sitim uero minime inferre, hic adijcitur propter hordei naturam euenire: quod temperatura frigida est. Quomodo autem frigidam, calidamve essentiam discernas, in animāribus quidem in libris de temperamentis docuimus, in ijs uero, quæ animæ sunt expertia, in libris, quos de simplicium medicamentorum facultatibus inscripsimus. Iam uero huiusmodi ptissanā facillimæ concoctionis esse ait: utpote quæ dissoluta sit, neque quicquam habeat, quod durum sit, quodque difficulter confici queat: & quæ flatum omnem ex longa decoctione amiserit. Quod uero in extrema oratione addidit, ptissanā huiusmodi infirmissimā esse, si nihil de probissima eius concoctione dixisset, in prōptu nobis esset affirmare, hæc uerba ad eam referenda esse confectionem, quæ in uentre fit: quasi infirmissimam dixisset, ut quæ facillime uincatur & a uentre conficiatur, ac permutetur: sed quoniam id ante est dictū, D certe imbecillitatem eam intelligere debemus, uel quod paucam alimoniā corpori præbeat, uel quod nullam habeat uehementem qualitatem, quæ, sicut acetum & uinum, neruos, mentemq; pertingat.

31 *At nisi exquisita fuerit huius sorbitionis præparatio, adeo ut nihil desit, quo minus conferat, noxia sæpenumero efficitur.*

Docere incipit, quæ paulo ante se dicturum pollicitus est, cum dixit, sed multa quoq; alia peropportuna, a quibus coniecturæ capiendæ sunt, hic omisimus, de quibus postea dicemus. Verbum autem τιμωρῆσαι, hoc est conferre tum apud ueteres, tum apud Hippocratem sæpe pro uerbo auxiliari dictum esse, in alijs etiam libris ostensum est nobis in ijs commentarijs, quos in eos conscripsimus.

32 *Quibus enim cibus statim inclusus est, si, eo non uacuato, sorbitio detur, dolor præsens irritabitur: si dolor non est, protinus inducetur, frequentiorque spiritus reddetur: quod malum est: nam pulmo exsiccatur, præcordiaque & abdomen, & septum transuersum fatigantur.*

Cibū dixit excrementum, quod ab edulijs in intestinis continetur, quod etiam fæces, & stercus nominant. Si igitur hoc incluso, hoc est ex multo tempore non eiecto, ptissanam quis propinarit, lateri damnum afferri necesse est propter intestinorum obstructionem, quam contraxere tum ex collecto in eis stercore, tum ex flatu ob ptissanam oblatam non pertranseunte: denique ob prauam, quæ ad affectam partem fit, distributionem: quocirca necesse sit, si dolor sit lenitus, iterum augeatur: si

conquieuerit, generetur: nam & uapores, & spiritus flatuosi, & exhalationes stercoris, cum ad latus peruenerirint, dolorem ipsi pariunt, & adaugent. & his etiam de causis frequentior fiet respiratio. totam uero respirationem spiritus nomine uocauit, ut in præsagijs, & epidemijs. frequens autē reddita respiratio maiorem calorem ob continuum motum in instrumentis respirationis gignit. quo calore & pulmo, & septum transuersum exsiccatur. ac simul etiam exsiccantur, calfiuntque animantis partes, quæ circa præcordia, peritonæumque sunt: propterea quod omnes in respirationibus unà cum thorace mouentur. quod autem in principio dictionis est, Quibus enim cibus statim inclusus est, habet uerbū statim ordine præpostero. quod si suo loco statuatur, erit oratio huiusmodi. nisi nos prædicto modo ptisanæ sorbitionis præparationi auxiliati erimus, læsio frequentius orietur: statim enim, quibus cibus inclusus est, nisi quis eo prius uacuato, sorbitionem ita dederit, ea sorbitio maximam noxam afferet. E

*Praeterea ubi lateris dolor continuus est, calidisque fomentis non remittitur, sputumque non procedit, sed est καταγλισχραινόμενον ἀπέπτως, id est ualde lentum & incoctum, si tum neque alui subductione, neque uenæ sectione, si horum auxiliorum alterutrum conferre uideatur, dolorem solueris, ptissanam autem ita affectis dederis, illi præcipiti morte rapientur.* 33

In memoria habere debemus, de pleuritide, exempli causa, ab Hippocrate actum esse. ostendimus autem eam oriri propter inflammationem, quæ succingentem costam obsideat. si igitur quis ptissanam dederit, cum † increscit inflammatio, laborantem summe lædet. increscendi autem signa sunt, dolor continuus & eum usu calidorum fomentorum nihil remitti. est etiam orationi additum aliud pleuritidis signum, eiusque non solum magnæ, sed etiam malignæ: sputum inquam abunde glutinosum ab euacuatione arceri: infarctum affectis partibus, & adhærens. nam uerbum καταγλισχραινόμενον plus aliquid indicat, cum dictio uehementissimam tenacitatem significet, quod propositionem κατὰ assumpserit. satis igitur fuerit, ex ipsius additione distinxisse quod ita glutinosum sit ab eo, quod concoquitur: siquidem quod concoquitur, mediocriter glutinosum est: non tamen καταγλισχραίνεται, hoc est, non est summe glutinosum, neque extreme id habet. ac ne quis deciperetur, ideo statim uerbo illi adiūxit aduerbium ἀπέπτως, quod significat idem, quod ἄπεπτος, id est sine concoctione. nempe quod est summe glutinosum sine concoctione, id malum est. si igitur in hoc statu ægrotus sit, aliquis autem ei ptissanam dederit prius quàm dolorem aut uenæ sectione, aut alui inanitione soluerit, hominem iugulabit: In hac enim proposita pleuritide, postquam a calidis fomentis non remissum esse dolorem dixit, statim duo reliqua habet contra dolorem remedia, uenæ sectionem, ac purgationem: nam usus medicamentorum, quæ ex opio & alterco, & mandragora conficiuntur, non affectionem, quæ dolorem in pleuritide creat, curat ille quidem, sed sensum enecat. nunc igitur simpliciter uenæ sectionis & alui purgationis mentionem fecit: deinceps uero de utriusque usu distinctiones subiunget. F G

† ἀκμάζοντος hoc uerbum hoc loco non potest exponi uerbo uigendi, aut ut i statu esse significet, cum dicat sputum non prodire, ac reuci. quia ita inflammatio in statu esse nō pōt.

*Ob has igitur occasiones, ac magis ob alias huius generis, qui tota ptissana utuntur, uel septimo die, uel citius moriuntur: atque alij quidem dementes: alii uero a spirandi difficultate, & stertore suffocati.* 34

Quas ipse occasiones nominat, causas esse in alijs in eius libros explanationibus ostensum est nobis. quasnam autem alias causas, præter eas, quę dictæ sunt, intelligat adiuuare celerem mortem afferre, addere sermoni oportet. ac nunc quidem memorauit ptissanæ propinationem, si detur prius, quàm dolor soluatur: ac sputi propter frequentem respirationem, glutinositatem. ob quam etiam suffocātur: sed lædi etiam eos ait, si, ut supposuit, prius quàm uacuati sint, uinum, & item mulsam, & oxymel sumpserint. nam cetera omnia ne uulgus quidem ignorat. itaque merito dixit, alios dementes mori: quod solet contingere, si uinum, uinosaque intempestiue sumpserint.

*Proinde prisci eos sideratos esse existimarunt, cum ob hanc causam, tum uel maxime, quod mortuis, latus liuidum ad plagæ similitudinem uidebatur.* 35

Hanc opinionem conceperunt ueteres & ob mortis celeritatem, & quod quibusdam latus liuore affectum uideretur: ubi scilicet radix inflammationis erat: sanguine enim ad latus ob dolorem cōfluente, quicquid eius in cutim penetrasset, id in morte refrigeratum, contraxerat, nigrorem non secus, atque in illis fit, qui ita ex plaga sunt affecti. H

*Cuius rei causa est, quod prius, quàm dolor soluatur, moriuntur: citantur enim spirationes.*

Eos hoc pacto spirare, ipse deinceps ostendit his uerbis: 36

*A multa enim frequentique spiratione, ut dixi, summe uiscosum, incoctumque sputum effectum, fieri egressus prohibet.*

Quod supra dixit ἀπέπτως, nunc ἄπεπτον idest incoctum uocat. in quo confirmat, nos eo in loco hanc uocem in illam recte commutasse. 37

*Nam sputum ipsum, quod intus continetur, prohibet, ne spiritus ad interna feratur: ac foras celeriter egredi cogit.* 38

In huiusmodi affectionibus non omnis spiritus prohibetur, quin intro feratur: propterea quod statim homo necessario moreretur perinde, atque accidit ijs, qui strangulantur: sed is denique intro comportari prohibetur, qui respirationis usui conferat. itaque ad tempus aliquod sufficiunt, progressu uero temporis, aucta hac indigentia moriuntur.

Que

39 A *Quo fit, ut alterum ab altero uicissim ad malum adiuuetur: siquidem retentum sputum frequentem spiritum reddit: spiritus autem frequens glutinosum sputum facit: atque elabi ipsum uetat.*

A.l.3.f.10.t.4 c.1.p.499.A.

Verbum τιμωρεῖν significare auxiliari, & apud priscos, & apud Hippocratem, supra dictum est nobis sæpe. ac nunc quidem dixit alterum ab altero uicissim ad malum adiuuari, pro eo, quod est opitulari, & prodesse. quomodo autem sibi hæc mutuo opitulentur & prosint ad malum, cum ipse plane declarauit, tum etiam a nobis exponetur. sputum in bronchijs pulmonis contentum transitui spiritus angustiam facit. hæc angustia facit, ut laborantes minus inspirent. ac quo minus inspirant, eo magis inexpletam reddunt necessitatem respirationis: atque ita citius a priore inspiratione ad secundam properant, atq; id frequentem spiritum uocant.

40 *Accidunt autem hæc, non solum si ptissanã intempestiue sumpserint, sed multo magis, si quid aliud ptissana deterius uel edatur, uel bibatur.*

Hac de re dictum ante est, cum ait, Ob has igitur causas, ac magis ob alias consimiles. immo uero nos illic & uini, & mulsæ, & oxymelitis mentionem fecimus. hic autem alia quoque intelligenda sunt, quæ hominibus ita affectis a plerisque medicis dantur, quæ etiam magis, quàm mulsa, uinum, & oxymel, nocent.

41 B *Ergo easdem fere commoditates magna ex parte adipiscuntur, & ij, qui tota ptissana, & qui cremore ipsius utuntur. ijs uero, qui neutro horum, sed potione duntaxat utuntur, interdum uarijs modis auxiliandum est.*

Auxilia inquit, similia sunt et ijs, qui ptissana, & ijs, qui succo eius utuntur. & qui potionem solum sumunt, ijs interdum uarijs modis opitulandum est. qualis autem sit hæc uarietas, deinceps docet.

42 *Id uero omnino seruandum ita est. si quempiam, qui nuper cibum accepit, nec alui adhuc onera deiecit, febris uel cum dolore, uel etiam sine dolore corripuit, a sorbitione danda tantisper est temperandum, donec cibum ad infernam intestini partem descendisse conieceris.*

Animaduertit Hippocrates se dissolutum in partes, ac non apto ordine nec continuata serie digestũ sermonem fecisse: ideo nunc eundem auspicatur, & ad commodũ principium redigit. id autem ei contigit, propterea quod quæstionem de medicorum discordia explicare conatus, in ea explicanda, rationes curandi memorauit. sed re deprehensa, & his permutatis, sermonẽ ab initio debebat aliter exordiri. nam & mihi interdum melius contingere uisum est, ut ijs, quæ ante scripta erant, permutatis, aliter de ipsis conscripserim. quonam igitur modo & quæstionem sibi propositam soluere, & sermonem ordine distribuere deberet, ego exponam ijs, qui hæc optãt explicari. atque aperte uiam indicabo. animum igitur adhibe, ut orationem ab initio auditurus. quid causæ est, cur medici præstantes interdum de curatione dissentiant? quia inquam, quod in quibusdam experti sunt, id omnibus conuenire putauerunt. atque hoc sane modo in uictus ratione in morbis acutis instituenda uarij fuerunt, siquidem alij ægros ad morbi iudicationem usque ptissanæ cremore seruarunt: alij ptissanam ipsam præbuerunt: alij neutrũ horum administrarunt. ac partim quidem omnes uera dixerunt, partim uero sunt hallucinati: propterea quod quidam ex ijs, qui acuto morbo laborant, ptissana, quidam cremore, quidam neutro horum usq; ad iudicationem indigeant. quod ut perspicuum fiat, uno morbo acuto, tanquam exemplo, proposito, rem persequar. proponatur igitur pleuritidis curatio explicanda: si languenti qui nõ multo ante tempore comederit, nec uenter adhuc deiecerit, febris inceperit, sorbitionem huic non dabis, donec datũ alimentum plurimis intestinis penetratis, ad ultima eorum peruenisse, tibi uidebitur. si quis autem hoc sumpto initio, deinceps omnia ordine accommodato persequeretur, certe in his doctrinam minime obscuram efficeret.

43 *Vbi autem dolor aliquis uexet, potui dandum est oxymel, hieme calidum, æstate frigidum. si uero multa sitis sit, tum & aquam mulsam, & aquam ipsam dare conueniet.*

Si æger siti crucietur, a multo admodum oxymelite temperandum est: ideo deinceps aquæ mulsæ, & aquæ mentionem fecit: quatenus enim ad morbum pertinet, utendum potius est oxymelite: sed si æger accepto multo oxymelite adhuc sitiat, aqua mulsa insuper danda erit. si uero etiam siti enecetur, aqua etiam offerenda. ipsa enim aqua per se pota, reprehenditur: causas autem, cur aqua pota culpetur, postea intelliges, in ea libri parte, in qua de aquæ facultate disseritur. nunc uero considerandum nobis est, quid sit, quod huic orationi subiunxit; cum iussit, hieme, calido, æstate uero, frigido utendũ oxymelite: hoc enim nobis uiam commonstrabit ad aquæ gelidæ potionem, quæ in acutis morbis † magna ui & copia datur: quam omisisse penitus uidetur: cuius rei aliquis accusare eum posset: debebat enim hæc ratio diligenter declarari, non quasi per transennam attingi. quam ergo habuerit de aquæ frigidæ potione sententiam, ex hac possumus oratione intelligere. nam si ipse sitientibus oxymel frigidum aliquando dat, certe planum est, ipsum quoque aquam esse daturum: id enim, licet non omnino de frigidæ potu dixerit, tamen ex eius decretis cõsequitur: quippe qui putet, febrim ex natiuo calore ignescente exoriri: contraria autem contrariorum esse remedia: cumq; ignis calidus, siccusque sit, atq; ob id etiã febris, profecto aqua, quæ corpus refrigerat, & humectat, est febris naturæ maxime contraria. & sane ab ea, si in tempore detur, extingui subito febres uidentur. dictum autem satis hac de re est in libris de medendi methodo: ac nunc quoque rei summa exponetur. Cum ergo febris sit, ac uires constent, tantum abest, ut si tum aquam frigidam dederis, sis læsurus, ut etiam sis magnopere adiuturus. talis autem potio frigidæ tanta sit, quantum aquæ frigidæ æger uno haustu potest

† ἀγωνιστικῶς idest certatim significat magnam uim aquæ dandã esse, quasi certãdũ sit, ut athletæ solebãt. idem ait. l. de tabe. c. 8. uetus ãt tralatio sic. tanto iuuatiuo iuuamento nobili.

assumere. oxymel uero parum datur: neq; singulis oblationibus, † plus dimidia. in hoc igitur exhibẽdi E
scopus non est similis, cum uelit febrim extingui, aqua affatim pota, & usq; dum æger expleatur: aqua enim quæ ita bibitur, sanationis gratia potatur. oxymel autem æstiuo tempore frigidum datur, ne ægrotantis sitim irritet: immo ut etiam aduersus contrarium adiumento esse queat. itaq; iubet oxymel frigidum dari prius, quàm morbus concoquatur: quasi frigidam aquam ad satietatem usq; in eiusmodi affectione æstiuo dare tempore non debeamus: ea enim inflammationem densabit, si ex ea febris extiterit: crudosq; humores refrigeratione sua reddet, cum ex ijs morbi orti sint: † id quod ab oxymelite corrigetur, cum secandi uim habeat: quod enim secat, & penetrat id est dẽsanti, cogentiq; corpora cõtrariũ,

*Deinde si dolor sit, uel periculum aliquod immineat, danda sorbitio est, sed neque multa, neque crassa: sed post septimam, † uel nonam ], si ægri uires sufficiant.* 44

Hanc dictionem omittere uidentur ij, qui ægrotos ab Hippocrate repleri, (hoc enim uerbo illi utuntur) scriptum reliquerunt: ut contra, qui eos fame ab eodẽ necari aiunt, solam hanc legisse existimãtur. quod si utriq; aĩaduertissent, eorumq;, quæ recte dicta ab eo sunt, meminissent, qũo scilicet naturę inter se ualde differãt: fortasse eos Hippoc. accusare, quod pugnãtia dicat, puduisset: præsertim uero si cetera quæ ipse demonstrauit, aio uoluissent, ut cũm docuit regiones a regionibus, temporaq; a temporibus, F
ætates ab ætatibus, cõsuetudines a cõsuetudinibus, & peculiarẽ uictus rõnem qua quisq; ægrotus, antequàm in morbum incideret, usus sit, magnopère differre. ita fit, ut si eos, qui in oĩbus his, quę dicta sunt, cõtrario modo sunt affecti, cõparaueris inter se, maximas sis in uictus rõne differẽtias inuenturus: quas ubi e regione cõstitueris, iã hoc etiã pacto permultas in medio cõsistere diligẽter intuebere. sed de differẽtia horũ oĩum dictũ cumulate est in libris methodi medẽdi, summa tñ eorũ nũc quoq; afferetur. statuatur igĩ aliquis, cuius corporis habitus natura siccus sit, densa tñ superficie, tũ uenas latas habeat, ac uitalem uirtutẽ robustã, sitq; assuetus non multis cibis, in hieme non admodũ frigida, ac loco tali ægrotare, ac prius quàm in aduersam ualetudinẽ incideret, in ocio uersatus, ac citra satietatẽ edulijs † multiplicibus usus. ad hæc uero ualidũ sit os uẽtris, quod etiã stomachũ nõnulli uocant: sit aũt & alter cõtrario modo affectus, humidus inquã, & mollis, ac uirtute uitali imbecilla, quiq; plures ingerere cibos cõsuerit, ægrotet autem æstiuo tẽpore æstuoso, similiq; in regione, statuamusq; ipsum antequã ægrotaret, tum curis, tũ assiduis actionibus defatigatũ, pauca etiã, præter cõsuetudinẽ edisse, eaq; olera, & quæ nõ nutriunt: uẽtris itẽ os non ualidũ, sed natura imbecillũ habere. his ita constitutis, ponamus eos, eodem morbo laborare: ac si uis tu, ea pleuritide, quam Hippoc. exẽpli causa proposuit. nũ tibi una uictus rõ in utroq; uidetur esse definienda? an posterior primo quoq; die alendus: prior uero potu solo ad septimã G
usq; sustinẽdus, ubi morbũ non longius se protracturũ speraueris? ego enim, qui utrũq; longa experiẽtia probaui, optimã hanc fore uictus rõnem, tibi affirmo. quod si cõtra feceris, ac priorẽ primo die nutrire aggressus sis, posteriorẽ uero ad septimũ usq; diem sine cibo seruare uolueris, profecto utrũq; ante quartũ diẽ, alterum nimirum præfocans, alterius uero, uires prosternẽs, trucidabis. iam uero adde si lubet, ætatẽ utriusq; contrariã, ut priorem quadragenariũ, posteriorẽ puerũ statuas: ita enim celerius etiã uterq; ad mortẽ properabit. sed hæc, quæ dicta sunt, omnia ad unam intentionẽ referuntur, quam uno uerbo Hippoc. declarauit: quid enim ait? sorbitio danda est post septimã, si ægri uires sufficiant. uerbũ quidẽ unum est, sed ex omnibus, quæ nuper dicta sunt, inuenitur: si enim uires sufficiant, ut oxymelite, & mulsa, & aqua educatus æger ad septimũ usque diem perduret, per ea omnia, quæ dixi, liberabitur, ac sanabitur. quod si quædam eorum adsint, quædam absint, uires eorum quæ præsentia sunt, uiribus eorum quæ absunt, comparando, scies quot dies sufficere æger possit tali uictus forma gubernatus. hæc sunt, quæ nostris in libris demonstrata sunt: quos si legisti, nunc eorum recordare: si non legisti, ad eos prius trãsfer te, si ueritatem Hippocraticæ sententiæ uis intelligere. quæcunque enim nostris in scriptionibus diximus, ea diximus uerissima Hippocratis decreta secuti. sed cum non possit unus homo & conuenientem methodum, & singula quæque in eã contenta perdocere, ideo neque tu ab H
Hippocrate singularia omnia te auditurum putaris, sed reprehende potius eos, qui cum ea, quæ recte docuit Hippocrates, efficere deberent, studio gloriæ ducti aliam sectam constituunt. at nos qui ueritatem plurimi facimus, cum in alijs rebus omnibus Hippocratem laudamus, tum quod in unoquoque opere proprium scopum ita docuerit, ut qui huic omnino attentus sit, is inueniendorum auxiliorum certam, definitamque uiam habeat. atque ita quidem unum, communemque prorsus scopum dandi cibum tum bene ualentibus, tum ægrotãtibus esse docuimus. hic autem est, uitalis facultatis custodia, quam ipse nunc aperte indicauit, cum dixit, si uires sufficiant: nam huius facultatis ope sani edimus, bibimus, ceteraque omnia uitæ munia exercemus. propter hanc eandem etiam ægri ad cibum, potũque progredimur: morbus enim ipse suæ affectionis indicat auxilia, ut uenæ sectionem, ut clysterem, ut purgationem, ut cataplasma, ut oxymel, & mulsam, ac cetera singillatim: uirium uero custodia solum alimentum indicat. itaque si alimentum nullo pacto morbosam affectionẽ offenderet, nos uiribus solis attendentes, ægros, ut sanos, aleremus. uerum quia persæpe, ut ostendimus, lædit: ideo morbi affectionem nõ ut indicantẽ, dari cibũ oportere, sed ut prohibentẽ, contẽplamur. cum igĩ non prohibeat, idq; uires præcipiant, tunc nutrimus: nunquã enim alimentũ sui ratione morbosam affectionẽ iuuabit. quod dixi, propterea quod una eademque materia & cibi & medicamenti uim obtinet, ut ptissana,
quæ

† codices scripti hic nihil uariant. uetus tralatio habet, unc. iiij. & dimidia. ut fortasse in græcis desit numerus unciarum, & dimidiæ tantũ uestigiũ remãserit. alij legũt oxybaphum.

† Hoc loco adduntur ex uetere tralatione hæc. sed tum oxymelitis parum damus tãquam prius calidum sit in uẽtriculo euasurũ, quàm eius frigiditas usq; ad costã perueniat: qđ si quid parũ fuerit ẽt distributum, id ab oxymelite corrigetur: cum etc.

† Hoc nulli c. v. quos ego uiderim, habent, nec etiã uetus tralatio.

† C. Bess. nihil uariat: ceteri habent πολυτρόφοις. i. ualentis materiæ, uel, multi alimenti. quod rectius est, ut postea ex sequenti ęgroto, quẽ contrariũ statuit, animaduerti licet.

A.l.1.f.1.c.2. c.8. p.779.B.

A quæ in eo quod uires roborat, ad hoc efficiendum nata est, ut alimentum: in eo uero, quod secat, atq; humectat, quæ expuenda sunt, rationem obtinet medicamenti. alica autem pleuritico solum alimentum est, oxymel uero medicamentum: quorum amborum uim, usumq; ægrotis ptissana præbet: sed ut uires conseruentur, tanquam alimentũ: ut uero morbus soluatur, tanquã medicamentũ datur. itaq; cum uires usq; ad morbi iudicationem sine ptissanæ sorbitione sufficiant, oxymel & aqua mulsa satis erunt. ex quibus oxymel medicamenti duntaxat, aqua uero mulsa alimenti exigui, & imbecilli uim haber. si igitur iudicationem ante septimum diem fore speraueris, ut uerbi gratia circa quartũ, aut quintũ, multos ægrotantes sine ptissanæ sorbitione sufficere posse comperies: sin ad septimum usque protendatur, omnino perpaucos: atque ij quidem erunt, qui uires robustas, & corporis habitum durum, quique ægre transpiret, & succos crassos, ac glutinosos habent: sique aer ambiens non sit calidus. nam si nihil e nostro corpore efflueret, alimento non indigeremus: sed quia effluit, ideo ad eius proportionem cibi quantitatem definimus. quibus igitur parum per meatus difflatur, ijs possumus summam inediam consulere: ac multo magis, si uires ab initio robustas habuerint. propterea quod si imbecillas habeant, ut in senibus se res habet, licet corpus parum diffletur, tamen celeriter laborent. quæ res fecit, ut paulo ante, eum, qui quadraginta, non qui septuaginta annos natus esset, memorauerimus.

45 B *At si cibus iampridem sumptus, nondum descenderit in eo, qui nuper cibum accepit, si uires ualent, ac uiget ætas, clyster immitti debet: imbecillo autem glandem supponere oportet: nisi aluus sponte sua probe deiecerit.*

Hoc etiam loco remediorum indicationem a corporis affectione accepit, simulq; uires cõsiderauit: non ut quæ usum remediorum unquã indicent, sed ut quæ contra indicent, atque interdum prohibeãt: neque enim ideo clysteri indiget ægrotus, quod uiribus robustis sit, sed clysteris indicatio ex affectione uentris accipitur: uires autem ipsæ robustæ euacuari permittunt: imbecillæ uero, prohibent. sed adhibe rursus mentem ad Hippocratis consuetudinem, qui in eiusmodi aliquando de solis uiribus facit mentionem, ut in antedicta dictione uidemus, aliquando uero ætatem etiam adijcit: est enim uirium scopus præcipuus: sed ad eius notitiam confert quoque ætatis cognitio: siquidem in pueris uires cito labũtur propter difflationis copiam: in florente uero ætate, multum sufficiunt. sed ut mollis & humida corporis natura in pueris † præcipua causa est, ut uires exoluantur: sic in regionibus & anni temporibus usu uenit: etenim horum calores, magna copia euacuationis & celeriter, & confestim uires dissoluunt. merito igitur Hippocrates doctrinam huiusmodi distinctionum modo ex solis uiribus constituit, modo uero aliquid ex alijs adiungit, ceteraque cum illis commemorat.

† διαφορεῖται hoc uerbum significat, etiã, quę difflatur: & huic loco uterque sensus aptari posse uidetur. Vetus tralatio nullum retinet huius uerbi uestigium.

C *Tempus autem dandæ sorbitionis tum ab initio, tum per totum morbi decursum summopere obseruandum est: etenim pedibus frigore affectis non solum a sorbitione, sed etiam a potione maxime abstinendum est: sed cum calor ad pedes usque descenderit, tum dabimus. tempus autem opportunum cum in omnibus morbis, tum præcipue in acutis, potissimum ubi et febris & periculum summum subest, ualere admodum, putandum est.*

Quemadmodum dixi unum esse scopum alimenti in uiriũ custodia positũ, sed simul morbi affectionem esse spectandã, ita etiam cibi dandi tempus inuenitur ex eo, quod morbus non prohibeat. quantũ enim ex primo uirium scopo intelligitur, interdum in principio accessionum, alimenti necessitas est: ut, etiam in sano, ubi primum in naturalibus euacuationibus eo deductus sit, ut parum absit, quin collabatur, refectione ei opus est: at alimentum quod & in principijs, & incremento, accessionum exhibetur, magnopere lædere consueuit: ideo differimus, ne demus, cum tamen corpus iam eius indigeat. quænã igitur optima est alimenti ægrotantibus dandi occasio? nimitum, cum thorax & uenter moderatissime affecti sunt. quæ pessima? cum hi deterrime se habent. ecquando igitur se habent pessime? in principijs inquam accessionum. ecquando moderatissime? in declinationibus. igitur optimum esse alimenti dandi tempus in declinationibus ægrotantium, perspicuum est. accessionis autem principium fit, calore omni ex toto corpore ad cor, thoracemque confluente: incrementum uero, cum paulatim ad extremas corporis partes se expandit: status, cum æq; per totum corpus fusus est: declinatio contra fit, quàm principium, cum scilicet calor perspirarit, & mediũ corporis reliquerit: quod ipse uno uerbo declarauit, hoc
D modo: Cum calor ad pedes usque descenderit: neque enim idem est, calidos ex frigidis pedes reddi, & ad eos calorem descendere: siquidem descendere, significat caloris ex una parte in aliam mutationem: at calfieri pedes etiam potest contingere, cum calor adhuc medias corporis partes obsideat, quod in statu usu uenit.

47 *Proinde in primis & maxime ptissanæ cremorem, deinde ipsam quoque ptissanam dabis, si coniecturas præscriptas diligenter contemplabere.*

Cum dixerit, quo tempore ægrotantes solo potu alendi sint, & quo uti ptissana debeant, nunc quando solo ptissanæ cremore, & quando ipsa etiamnum ptissana utendum sit, breui, perspicuaq; distinctione declarat. cum ergo ijs coniecturis, quas dixi, attentus si quempiam ex ægrotantibus ptissana uti posse comperies, primo cremorem ei dabis, tum ad ptissanam paulatim accedes. dico autem paulatim, ut primum solo cremore utaris: deinde plus quidem cremoris exhibeas, ptissanæ autem parum: tum uero æqualem utriusque portionem, mox plus ptissanæ, ac tandem ipsam solam præbeas. in quo scias, ad alendum corpus, & uires roborandas ptissanam præstare: cremorem uero concoqui, cõficique facilius. quã ob rem ubi morbi affectionem, & uirium robur ad meliorem se uergere statum animaduertas, tu quoque ptissanæ oblationem adaugeto.

# GAL. IN LIB. HIPPOCRATIS DE RATIONE VICTVS IN MORBIS ACVTIS COMMENTARIVS SECVNDVS.

## ARGVMENTVM.

Exemplo doloris lateris,agit de ui,deque uſu fomentorum,deinde de repentina in uictu,& reliquis rebus mutatione fuſe loquitur.

*LATERIS dolorem,ſiue is in principio,ſiue poſtea obortus ſit,non ab re fuerit tentare,tepidorum fomentorum uſu diſſoluere.* 1

Præſtat id nunc quoque memorare, quod a me ſæpenumero dictum eſt: explicationes adhiberi dictionibus obſcuris: & tamen interpretes non id ſolum F in commentarijs faciunt, uerum etiam demonſtrant ea, quæ ijs libris, quos ipſi explicant, continentur. quæ quidem conſuetudo cogit etiam me ijs, quos non probo conſentire: ac ſæpe de ijs, quæ explicationis indigent, meam enunciare ſententiam: non ſcribo tamen eorum, quæ in hiſce commentarijs uera mihi uidentur, demonſtrationem: ſiquidem de unoquoq; eorũ eſt a me conſcripta tractatio, ſed ſolas earum rerum, quæ in alijs ſunt demonſtratæ ſcriptionibus, ſummas, ad memoriam redigo: quemadmodum hoc etiam loco de dolore ſum facturus. De doloris igitur origine dictum eſt nobis & in libro de elementis ex Hippocratis ſentẽtia, & in libris, quos de cauſis ſymptomatum edidimus: eum ſcilicet in corporibus ſenſilibus fieri, cum ea in id quod præter naturam eſt, ſubito, ſimulque mutantur: itemq; duplicem eſſe mutationem, alias corporibus ipſis totis ſimul, & uiolente in qualitate alteratis: alias in continuitate diſſoluta. alterantur autem tota ſimul a qualitatibus efficientibus, cum & calfiunt, & refrigerantur, & ſiccantur, & humectantur. corrumpitur autem eorum continuitas, ubi corpora uehementer† diſtenduntur, & comprimuntur. hoc igitur modo lateris quoque dolor in affectionibus pleuriticis, de quibus agit, exoritur, cũ inflammatio, quæ in locis illis eſt, præ caloris, qui præter naturam eſt, copia partes eas intemperie contriſtet, & repletione corpora quæ inflammatione obſidentur, diſtendat. Cenſet igitur Hippocrates G primum ad tollendum, mitigandumque dolorem auxilium eſſe in experiẽtia tepidorum fomentorum: hæc enim ſolent cutim ad perſpirationes raram efficere, & ſanguinem, qui in inflãmatione eſt, tenuare, ac per halitum digerere. hæc ſi fient, non ſolum aliquid ſanguinis euacuabitur, uerum etiã affectæ partes, quæ minus diſtenduntur, mitius exinde dolebunt. at cum ſanguis in inflammatione non minuitur, uel etiam ſpiritus uaporoſus ex calore gignitur, tum accidit, ut dolor augeatur. non minuitur autem ſanguis propter humorum redundantiam, quæ in toto corpore eſt. ad partem enim calore affectã plus trahitur, quàm euaporetur: cùm ea ſit calfacientium natura, ut, ſicut quod uicinis partibus continetur digerunt, ſic etiam quod redundat, ex propinquis trahãt. itaque ubi fomenta tepida dolorem non ſoluerint, corpus totum erit euacuatione aliqua† inſigni præuacuandum. inſignis autem in acutis morbis euacuatio aut per uentrem, aut per uenæ ſectionem efficitur: quarum alterutra uti Hippocrates monet, atque etiam ſcopos eius, quæ maius præſtare cõmodum queat, nos docet. hæc igitur eſt huius orationis ſumma. quæ uero ſingillatim ab eo dicuntur, eaque quæ multis nõ ſunt aperta, deinceps exponã. dixi autem multis, quia ijs, qui ſe in antiquis dictionibus audiendis ante exercuerunt, obſcura ſunt omnino perpauca. ſed nos non id ſolum in noſtris commentarijs intuemur. H

A.l.1 ſ.1. d.1. c.15.p.77.B.

†e.v.eres hẽnt τείνουσι τον i.cum ſecãtur.

†hoc uerbum in Græcis libris non reperi.

*Calidorum porrò fomentorum probatiſſimum eſt, aqua calida, uel in utre, uel in ueſica, uel in uaſculo aut æneo, aut teſtaceo admota.* 2

Fomenta calida nimirum uocat hoc loco ea, quæ corpus quoquo modo calfaciunt: quorum alia prorſus liquida ſunt, alia ſicca, alia ex utriſque miſta. alia quoq; mordentia, & non mordentia alia, & ex his miſta tertia. primũ igitur eorum genus, quod in dictione memorauit, morſu caret, liquidumq; eſt: ſecundum ex utriſque ſicco & humido, mordenti & morſus experte conſtat: tertium ſiccum quidem eſt, ſed uel mordens, uel morſu uacans. ſi uero affectiones quoque ipſe adiunxiſſet, quæ unum quodque horum poſtulant, profecto tanto melior eius fuiſſet oratio, quanto legentibus utilior. cum uero ipſe id non dixerit: neque etiam neceſſe eſt, nos, qui alterius doctrinam explanamus, non noſtram perſequimur, id recenſere. at uero quoniam meæ partes ſunt, agere longe aliter, quàm ceteri faciant interpretes, qui ſuis in explanationibus ſophiſticas quæſtiones inſerunt, quæ diſcentibus nulli uſui ſunt ad finem artis adipiſcendum, ego uero quæ commodiſſima ſunt, ſemper coner exponere: ideo ne nunc quidem adijcere grauabor ea quæ prætermiſit ille quidẽ, ſed tamen uniuerſam ſententiã, decretaq; & uniuerſalia eius præcepta conſequuntur. quo igitur fomentũ omne ſæpenumero doloribus adiuncto ſit, prius dictũ eſt. dictũ quoq; de ijs doloribus eſt, quibus nihil auxilij a fomẽtis afferi, niſi totũ corpus ſit

prius

A prius euacuatum. cum autem hæc ſint omnibus fomentis communia, humida quidem ijs inflammationibus, quæ ab humore bilioſiore oriuntur, conueniunt: ſicca ijs, quæ a tenui & aquoſo ſanguine naſcũtur: ſemper enim in memoria habendum eſt, contraria contrariorum eſſe remedia. hoc igitur ſcopo fomenta morſus expertia aduerſus mordentes ſuccos proſunt: mordentia uero, quia attenuant, craſſis, glutinoſisq; idonea ſunt. quam ob rem quis in ea parte, quæ inflammatione obſidetur, humor ſuperet, conare tu quoque coniectura conſequi, in ea, quæ dixi, ut in ægri ætatem, naturalem temperaturã, tempus, regionem, ac uitam antecedentem intuens: ſi uero etiam inflammatio ſub aſpectum cadat, poteris ex ijs, quę in colore, in magnitudine, in duritie, atque mollitie ipſi contingunt, facere coniecturã: ſi pleuritidem, uel peripneumoniam cures, ex ijs, quæ expuuntur. uerum cum omnis ante dicta dignotio ſit coniecturalis, non ſcientiam attingat, nec firma ſit, præſertim cum, particula quæ dolore afficitur, in imo corporis ſit ſita, inchoandum eſt ab ijs, quæ tibi magis, quàm cetera, profutura uidebuntur. ſi nihil profeceris, ad alia tranſibis. dolore autem non ſedato, ad totius corporis euacuationem accedito. Hippocrates autem ab eo fotu incepiſſe uidetur, qui periculo omni uacat, qui & minime mordet, atq; humidus eſt: is enim etſi nihil proderit, nihil tamen magnopere lædet. ceterum qui ex aceto, uel eruo, uel ſale fiunt, niſi conuenientem diſpoſitionem ſortiantur, non ſolum nihil proderunt, uerum cum

A.l.3.f.10.r.f. c.2.p.504.D

B efficacem uim habeant, malum quoque magnopere exaſperabunt.

3 *Sed molle quippiam, ut iucundius fiat fomentum, lateri prius ſupponendum eſt.*

Cum aquam in utre, aut ueſica, aut uaſculo uel æneo, uel teſtaceo poſitam lateri adhiberi cenſuerit, nunc ut neque comprimat, neque ullo modo moleſtiam afferat, quod admouetur, iubet molle aliquid prius lateri applicari: cuiuſmodi ſit aut lana mollis, aut linteum multiplex: aut aliqua res mollis & tenera. ſed paulo poſt cum de eo fotu ageret, qui ex ſpongia fit, nihil ſupponi cenſuit.

4 *Quinetiam utile eſt ſpongiam mollem, magnamque, ex aqua calida expreſſam admouere. contegendum autem linteo fomentum eſt: ita enim longiore tempore ſufficiet, ac permanebit: ac ſimul, ne halitus ægri ſpiritum pertingat: niſi id forte uſum quendam præſtare uideatur: nam interdum uſum quendam præſtat.*

Cetera, quæ in hac oratione ſunt, plana ſunt, ſed de halitu dicendum eſt: qui & multum faſtidium & triſtitiam affert, quæ non ſolum ſpirandi difficultatem caloris incremento, ſed etiam pulmonis proritat anguſtiam, qua ob replentem halitum, qui humidus eſt, afficitur. quam ob rem halitus inſpiratio ſolis laterum doloribus ſiccis, & in quibus nil expuitur, apta eſt, quippe quæ plus commodi, quàm in-

C commodi afferat. hoc loco igitur primum fotus genus ſcriptũ eſt: mox ad ſecundum progrediẽs, ait.

5 *Ad hæc hordeum, & eruum in aceto ſic temperato, ut paulo acidius ſit, quàm ut ipſum bibere quis poſſit, macerantur, ferueantque, deinde marſupio inſuta adhibentur. furfur quoque eodem modo.*

Hordeum & eruum non ſemina integra ex aceto & aqua coquere præcipit, ſed prius comminuta, quod declarauit, cum dixit, macerentur. quinetiam ex ipſa re quiſpiam, hanc eſſe Hippocratis ſententiam, intelliget. ſiquidem ita & blandior, & efficacior erit fotus. iam uero furfur quoque hoc modo parari iubet. ceterum huiuſmodi fotus priore efficacior propter aceti facultatem redditur. quod ſi ex eruo paretur, is quoque non parum iuuabit: ſiquidem poteſt erui uis & ſecare craſſos ſuccos, & conficere, & per halitum digerere. itaque adhibendi tales fotus erunt, cum in particula inflammata craſſos, aut glutinoſos collectos eſſe ſuccos ſuſpicabimur. id autem tum ex præcedenti uictus ratione, utrum ea gignere tales ſuccos potuerit, tum uero ex ægrotantis temperatura, annique tempore, & regione, & ætate cognoſces: præterea etiam ſi blandi fotus, quos prius memorauimus, nihil præſidij attulerint: nam ubi de totius corporis repletione diſtinxeris, cum neque huius ſigna apparuerint, neque mites hi fotus quicquam iuuerint, ſcito craſſitiem ſubeſſe ſuccorum, quæ in halitum, ſpiritumque flatuoſum ſoluitur, qui, quoniam exire non poteſt, moleſtiam affert, atque triſtitiam. flatum ergo hũc, & ipſum

D efficientes ſuccos prædicti fotus diſcutiunt: præſertim uero, qui ex eruo conficiuntur. præterea moderatam aceti cum aqua temperaturam apertiſſime, optimeque in ſermonis curſu memorauit. nempe acetum ita oportere dilutum eſſe dixit, ut paulo acidius ſit, quàm ut quiſpiam id bibat: ut ſcilicet acrius, propter mordendi facultatem: aquoſius uero propter actionis ignauiam uitemus. in incidendis autem & per halitum digerendis craſſioribus glutinoſioribusque ſuccis, quod acrius eſt, aquoſa poſca erit aptius: ſed quoniam partes inflammatione obſeſſæ huiuſmodi medicamenta non tolerant, ideo mediam utriuſque exuperantiæ temperiem eius fecit. id porrò ſecundum eſt fomentorum quæ in principio tripartito diuiſimus, genus.

6 *Ex ſiccis autem fomentis ſal, miliumque frictum aptiſſime in laneis marſupijs apponuntur: milium enim & leue eſt, & iucundum.*

Ad tertium fomenti genus eorum, quæ principio diſtinximus, nunc tranſit, cum ſalis, milijque mentionem facit. eſt autem utrique communis ſiccitas: ſed ſalis proprium eſt, ut mordens ſit, milij uero, ut morſu uacet.

*Huiuſmodi ſane fomentum & dolores ad iugulum uſque pertinentes ſoluit.*

7 Adiectione coniunctionis, &, declarauit, alios quoque dolores hoc fomento diſcuti, hoc eſt eos, qui ad hypocondria extenduntur.

*Sectio autem non æque dolorem dissoluit: nisi ad iugulum dolor extendatur.* E 8

Sectionem ipsam,hoc est uenæ sectionem,quam non æq; discutere dolorem dicit,auxiliari etiã non negat.sed plura de hoc auxilio in sequentibus scribet.

*Vbi fomentis dolor non soluatur,non diutius calfaciendum est: siccatur enim pulmo, & suppuratio excitatur.* 9

Cum uaria fomenta uel humida,uel sicca,uel morsus expertia,uel mordentia adhibueris,& frustra-
ta te fuerint,ut dolor nõ leuetur,totum corpus euacuabis, ac fomenta omittes, ne aut pulmonem ex-
siccent,aut suppurationem,quam uocant,excitent. Fit autem suppuratio, cum lateris inflammatio nõ
exhalat,sed in pus commutatur: mox pus ipsum in mediam thoracis pulmonisque regionẽ confluit.

*Cum ergo ad iugulum dolor extenditur,aut grauitas,uel brachium,uel mamillam,uel partes,quæ supra septum trans-* 10
*uersum sunt,infestat,internam cubiti uenam secare expedit.nec uerearis copiosum sanguinem detrahere,sed uel donec mul-*
*to rubicundior†,uel pro puro,rubicundoque,liuidus effluat: utrunque enim accidere solet.*

A.l.3.f.10.e.5.c.2.p.343.A.

†aliqui addũt, & flauior. Sed hoc a scriptis cod.abest.

Pro inclinatione eorum humorum,qui inflammationem gignunt, euacuationes facit: uerissimum
enim illud est,quo natura uergit,ac per conferentia loca,eo ducere. id autem interdum ob differentiã
partium eius membranæ,quæ costas succingit, usu uenit: siquidem superiores eius partes,cum inflam- F
mantur,ad iugulum,brachium,& mammam affectionem extendunt: inferiores uero, ad septum trans-
uersum,& hypochondrium.cum igitur affectio superiores partes obsidet, uena in cubito secanda est
ea,quæ sanguinem ab affecta parte & magis & uelocius & reuellere,& uacuare possit: si partes infernę
male affectæ sint,uacuatio erit purgatione facienda.recte autem dixit,grauitatem & non dolorem in
brachio esse: siquidem grauitas,quæ ex multitudine fit,signo est,sanguinem eo in loco magis coacer-
uari,ac repere: tensiones autem ex sola etiam affectus participatione fieri solent: cum particulæ, quæ
partes inflammatas contingunt,citra sanguinis in eis redundantiam tenduntur.quam ob rem sangui-
nem redundantem secta interna uena euacuari iubet. sunt autem in † interna cubiti articulatione plu-
res uenæ, quas incidere consueuimus: de quibus satis dictum est a nobis in tertio anatomicarum tra-
ctationum; atque etiam in alio libro, quem separatim de uenarum,arteriarumque dissectione confe-
cimus. Sed nunc quoque ducta ab initio oratione, de ipsis summatim dicemus. Vena caua ex gibba
iecoris parte sursum ad dextram cordis aurem sanguinem ferens,partibus quidem interiacentibus exi-
guum ipsius distribuit,sed ipsi cordi plurimum elargitur. deinde ab eo tanquam a principio,progressa,
ad collum recto tramite fertur,atque in duas rectas scinditur in thoracis parte uenas, easque magnas,
quas iugulares uocant.propagantur autem ab ipsa prius,quàm ad cor perueniat,magnæ quidem uenę G
ad septum transuersum,paruæ autem ad inferiorem thoracis partem,quæ ex octo costis constat, con-
tendentes.pars autem hæc ab una uena,quæ coniugio caret,nutritur: quæ in quibusdam animantibus
supra cor adnascitur: in quibusdam uero,ut in hominibus,ex ea parte emergit, qua iam cordis aurem
uena caua tangit: hinc enim emergens,submissior per cor defertur,atque in spinam contorquetur. ue-
na igitur,quæ ad inferiorem thoracis partem fertur,utrinque costis octo ad septum usque trãsuersum
distribuitur.ceteræ autem sublimiores thoracis costæ quatuor ab alio uenarum coniugio nutriuntur:
quod a uena caua propagatur prius,quàm ea in iugulares scindatur. ab his autem duabus uenis dein-
ceps existunt eæ,quæ ad manus per axillas pertingunt,quæ uero humerariæ appellantur, ab ipsa caua,
postquam in iugulares fissa est,utrinque una,iam extra thoracem,propagantur: habentque radices ijs
iugularibus,quæ in superficie extant, communes. itaque ut a iugularibus,quæ in superficie extant, par
tes fere omnes tum colli, tum capitis,quæ in superficie sunt,sic & a iugularibus profundius latentibus
omnes profundius latentes partes nutriuntur.quæ uero ad scapulas,& ad dorsi medullam, quæ in col-
lo est,loca sita sunt,uenas habent, quæ ex inferioribus prædictæ radicis communis partibus ad ipsa
ascendunt.dico autem communem radicem,quam proxime dixi & ijs,quæ in superficie sunt, iugulari-
bus, & humerarijs communem.merito igitur humeraria partes,quæ supra clauiculas sunt,quæ in col- H
lo,& capite sunt,tum magis,tum celerius euacuat: quæ uero ad axillas est, thoracis partes, ac magis
eas,quæ in sublimi sunt sitæ,ac potissimum in hominibus: cum partes humiliores omnes una alia uena
nutriat,quæ sub corde a uena caua progreditur. ex sinistra autem uenæ illius parte,quæ infernas thora
cis partes alit,atque ad costarum radices prona fertur,usq; ad septum transuersum singulis intercosta-
libus spatijs tum sinistris, tum dextris rami distribuuntur.uerum quod reliquum ex ea est, septũ trans-
uersum penetrat,primisque ab eo corporibus dispensatur. ceterum uenæ,quæ per axillas ad manus fe
runtur,proximas ijs,quæ sublimes quatuor thoracis costas alunt,radices habent: suntque multo ma-
iores,quam quæ per humerum ad manus tendunt: ascendunt autem ad internam brachij utriusque:
atque,cum per ipsam pronæ feruntur, musculis ijs,qui inibi situm habent,notabiles ramos dispẽsant.
cum autem ad cubiti articulationem prope uenerint, uenas brachij internas ad ipsius cubiti ossis no-
dum,qui hic situs est,producunt.quicquid uero reliquum est, bifariam scissum per cubiti flexum defer
tur, ea parte,quæ in superficie est,uenam eam,quæ in eo cubiti flexu secatur,efficiente:profundiore ue
ro eam,quæ cũ arteria diuiditur. Secatur etiam alia in cubito obliqua uena,ueluti & ea,quæ in utraque
manu una est,humerariæ non parua portio.nam & humeraria ipsa per brachium subter cutim perspi-
cue percurrens in ipsa cubiti articulatione, qua partes sublimissimæ sunt, figurata scilicet, ut Hippo-
crates

A.l.3.f.10.e.5.c.1.toto capite.p.502.

†Liber Bessar. habet etiã ἐνδον, ut impressi.duo aũt alij,non item.

A.l.1.f.1.d.5.p.45.c.3.B.

A crates in libro de fracturis ait, manu,diuiditur.quæ igitur sublimior uenæ ipsius a fissura portio per externa cubiti loca defertur,ea apud fissuram ipsam inciditur,qua primæ uenæ radici e directo maxime respondet.qua de causa & sublimiora clauicularum loca citissime uacuat. portio autem,quæ in cubiti flexum oblique fertur, minus quidem,quàm ea,sed tamen magis, quàm ceteræ, eas partes euacuat. pars uero,quæ ab interna magna uena oblique itidem fertur, minime quidem prædictas uacuat partes,sed maxime thoracis superiora:[quod radices tum eius,quæ per axillam ad manũ fertur, tũ eius, quæ superiores partes thoracis alit,uicinæ admodum sint.]Hippocrates igitur hanc secari iubet prius, quàm uenæ,quæ ex humerariæ fissura prouenit,sit præsens,atque inseratur. quæ si aliquãdo non apparuerit,pro ea secamus aliquam ex internis,quas recta in os cubiti deferri diximus.quod si ne eæ quidẽ comparuerint,ad eam,quæ ex prædictarum duarum uenarum obliquarũ coalitu gignitur, accedimus. cum autem ea quoque possit interdum non apparere,humeraria apparente,secabis humerariam, cum scias,euacuationes,undecunque fiant,in uniuersum animalium corpus pertinere,licet neque celeriter neque similiter ex omni uena fiant.nos uero partem,quæ inflammatione obsidetur,& celerius, & magis,quàm reliquas partes,in acutis præsertim morbis uacuare contendimus: quod quidem interna cubiti uena facit,ac multo magis,ubi sanguinis redundantia ad superiora uergere uideatur, aut superio-

Ex uetere tralatione desumpta. Cod. n. Gr. nõ habẽt.

B res thoracis partes affectæ sint: tunc enim maior grauitas in brachio,mammaque sentitur. uerum quæ partes thoracis inferiores prope septum transuersum inflammationes obsident,non sine causa ad hypochondrium dolorem transmittunt. quocirca huiusmodi dolores nó admodum iuuat euacuatio,quæ in cubito fit, corde scilicet medium occupante: etenim uenam,quæ inferiores thoracis partes alit, sub corde emergere paulo ante didicisti. Hæc autem mihi dicta sunt de eo, quod ab Hippocrate recte scriptum est,de interna cubiti uena incidenda. Cumque uacuandi sanguinis terminum statuerit coloris mutationem,de hoc quoque deinceps dicendum est. quidquid igitur sanguinis in inflammatione continetur,id abundantia caloris in colore permutatur:reliquum autem in omnibus partibus simile permanet.eam ob causam cum sanguis,qui in totum corpus spargitur,pituitosior sit,rubicũdior sane erit is,qui in latere,quod inflammatione obsidetur,contineatur.quod si sanguis in totum corpus diffusus, ruber fuerit,certe is,qui ad inflammationem est,assatus in nigrum permutabitur. liuidus autẽ in permutatione,quæ a rubro ad nigrum fit,medium obtinet. coloris igitur mutatio sanguinis ex inflammata particula detractionẽ abunde commõstrat.quare uacuationis mensuram,quæ affectui sit accommodata,diximus: sed si interdum uires tantum euacuare prohibeant, scire conuenit, parti quidem ipsi, quæ inflammatione affecta est,minus auxilium futurum,sed melius esse,uires non exolui,quàm redun-

C dantem sanguinem uacuari.

11 *At si eas partes,quæ sub transuerso septo sunt, dolor afficit,sed ad iugulum non ascendit, tum uel nigro ueratro, uel peplio aluus ducenda est. miscere uero oportet ueratro uel daucum, uel seseli, uel cyminum, uel anisum, uel aliud quidpiam boni odoris: peplio uero silphij liquorem. quanquam & hæc ipsa simul mista non absimiles uires obtinent. ueratrum aũt nigrum tum melius, tum ad iudicationem accommodatius, quàm peplium, uentrem soluit: sed peplium magis flatus discutit. [dolorem etiam ambo hæc sedant. Sed alia quoque expurgantia sedant. uerum hæc omnium, quæ quidem ego nouerim, sunt præstantissima. nempe & quæ in sorbitionibus purgantia medicamenta dantur, soluere possunt: quæcunque scilicet non admodum insuauia sunt uel propter amaritudinem, uel aliam quampiam insuauitatem, uel quantitatem, uel colorem, aut aliquam suspitionem.]*

A. l. 3. f. 10. t. 4. c. 7. p. 497. C. & 303. A.

Veteres codices hæc non habent.

Medicamenta purgantia per experientiam inueniri,& quem nam humorem expurgent,atq; utrum purgent omnino,in libris de simplicium medicamentorum facultate didicisti.opus autem esse purgatione,si redundantes humores deorsum repant,id & ratione animaduersum est,& testimonium ac fidem ab experientia habuit.ipse autem Hippocrates facultates eorum medicamentorum, quæ in huiusmodi affectionibus dat,te docuit, cum nigrum ueratrum dixit accommodatius ad iudicationẽ eua-

A. l. 3. f. 10. t. 5. c. 1. & 2. totis p. 502.

D cuare: peplium uero flatus magis discutere. appellat autem accommodatiora ad iudicationem ea,quę morbi iudicationem magis efficiunt,quod idem est, ac si dixisset, quæ magis iuuant. Ceterum cum omnia medicamenta purgantia uentrem,præsertim uero ipsius os,quod maxime & neruosum, & sensile sit,lædant,idcirco eorum,quæ boni odoris sunt,excogitata permistio est,ut ne sola,neve sincera medicamentorum purgantium uis os uentris attingat.Sed & peplium & ueratrum mista inter se ait non absimiles habere,hoc est consentientes,ac nulla in re dissidentes uires: est enim in purgantium medicamentorum mistione dissidium,non cum alterum ipsorum bilim,uerbi gratia, alterum pituitam possit euacuare,quia utrunque potest eodem tempore uacuari: sed cum unum statim, alterum uero multo post,quàm sumptum sit,ad ciendam purgationem sit natum: ita enim inæqualis, eis simul ingestis, fit euacuatio.inæqualem dico,ut cum altera iam cessare uideatur,altera rursus incipiat:nam medicamẽtum,quod uacuare citius solet,id ex alio quidpiam simul uacuat: ex quo fit,ut quod exiguum ipsius relinquitur,id imbecillius reddatur,& serius multo purgationem suam incipiat. præscripta igitur euacuationis norma simile est ueratro peplium,potestque similiter, ac ueratrum, nigrum humorem educere. cetera uero & huius dictionis,& consequentium perspicua sunt. hæc igitur consideranda nobis sunt, inq; memoria tenenda,non tamen uti eis perpetuo in pleuriticis debemus,memores illius aphorismi,
« In acutis morbis raro,& in principijs utendum medicamentis est,ubi inquit, non solum acutus mor-

A. l. 1. f. 4. c. 5. p. 139. B.

A. l. 1. f. 4. c. 9. p. 142. D.

bus

bus fuerit, qualis est lateris dolor, uerum & cum febre uehementissima, multo magis purgantis medicamenti uitanda administratio est: & per uenæ sectionem potius euacuandum, etiam si in hypochondrium dolor pertineat: quamuis enim minus auxilium, quàm ex purgatione consequatur, multo tamen tutius ages. immo uero nullum ex uenæ sectione periculum impendet, cum maximum discrimen ex eo quod purgatione tentatur, existat: ac tum potissimum, cum quis laborantis naturam ignoret: quibusdam enim sic natura comparatum est, ut difficulter purgentur: quidam uel modico sumpto medicamento, copiose purgantur. quibus autem consentaneum est dare, ijs tantum dato, quantum in plurimis mediocriter uacuare nosti & longo usu didicisti. nam si hominis naturam non noris, periculum est ne uel plus, quàm par est, uacues, uel ne uacuationem quidem moueas: aut si moueas, non tamen quantum satis sit, uacues. hæc omnia magnas in morbis acutis noxas pariunt, quæ non facile, ut in ijs, qui febrim non habent, corriguntur. cum igitur febris uehemens non fuerit, sisque naturæ laborantis expertus, ad medicamenti purgantis potum te conferes: usus ijs, quæ ab Hippocrate dicta sunt, uel etiam alijs similis naturæ, quo in numero est id, quod ex colocynthide conficitur: quod iam usu quodã hieram uocant. cumque ea uarijs modis paretur, quæ ueratrum accipit, scammoniamque non habet, ea erit ijs, qui medicamentum purgans assumere omnino possunt, optima. E

*Cum medicamentum aliquis ebibit, mox ptissana sorbitioni danda est, non minore pene quantitate, quàm consueuit.* F 12

Ventris ori, quod & stomachum uocant, ut in ipsis purgantium medicamentorum potibus illæsum maneat, maxime consulere oportet. præcipue autem, ubi febricitantibus tale quidpiam propinetur. præcipua autem, ne offendatur, cautio est, si medicamentum purgans quod datur, purum non sit, sed alijs, quæ malitiam ipsius hebetare possunt, mistum, ac temperatum: purgantium enim medicamentorum omnium natura, corporum, quæ purgantur, naturis contraria est. atque, ut quispiam dixerit, letalis ac perniciosa. ut autem liquoris papaueris, mandragoræ, & alterci, atque aliorum huiusmodi multorum, quæ & substantia, & uiribus nobis aduersa, & perimere corpora nostra apta sunt, exiguam portionem assumentes, magna ex illis percepta utilitate perfruimur, ita etiam purgantium medicamentorum, quorum est nostris corporibus natura contraria, exiguam substantiæ partem amputantes, ad commodum utimur. quemadmodum autem in horum medicamentorum potu nonnulla semina, quæ boni odoris sint, miscemus, quæ & ad malitiam retundendam nata sunt, & ipsorum actionem non impediunt, cum tenuandi & incidendi uim habeant, ut & crassos humores incidant, & uias, per quas euacuatio fit, aperiant, ac patefaciant, sic & a sumpto medicamento sorbere ptissanam expedit: ipsum enim purgans medicamentum, utpote quod exiguum sit, ad uentris quidem fundum peruenit, ceterum dum transit, & stomachus, & quæcunque sublimior uentris pars non qualitatem modo purgantis medicamenti, sed & substantiæ, quæ in transitu hæret, aliquid assumens, uehementer læditur. utilis igitur est ptissanæ cremor super ingestus, quippe qui & detergere, & deorsum trahere, quod uix adhæret, & medicamenti qualitatem, quæ his partibus indita est, temperare, permutareq; possit. ob eas igitur causas præcipit, ut a medicamenti potu ptissana insuper absorbeatur. sed ubi purgatio incepit, non uult eam dari, ueritus ne purgantis medicamenti actio exoluatur: itaque ait, G

*Quoniam uero consentaneum est, in media purgatione non est danda sorbitio: sed ubi ad purgationis finem deuentum est, sorbitio detur, minor tamen, quàm pro consuetudine. tandem leuato dolore, nisi quid aliud obstiterit, liberalius exhibeatur.* 13 A. l.1 f.4.c.5. p.140. D

Statuit de hac re Hippocrates contra, quàm plerique huius temporis Medici: hi enim ubi uacuarunt, copiose nutriunt: Hippocrates uero post purgationem minus ptissanæ dari iubet: natura enim corporum, quæ expurgata sunt, expurgatione fatigata, alimentum ferre non potest, neque id probe conficere, nisi sit omnino paucum. purgatis igitur tantum cremoris, quantum superare ualeant, dari primum iubet: deinde paulatim adaugere, si inquit, & dolor cessarit, & nil aliud obstet. quod de dolore ait, manifestum est: sed quod nihil aliud obstare addit, accipiendum est, ut ad prædictas distinctiones referatur: in quibus docuit, quomodo acuto morbo laborantibus uictus sine sorbitionibus instituendus sit: quarum hæc erat summa, cum uel morbum ante iudicationem nulla indigere sorbitione speramus, uel in quibus summa cruditas est, quæ inflammationem facit. H

*Eadem ratio est, cum ptissana cremore sit utendum.* 14

Tempus dandi ptissanam & cremorem simile esse antea quoque declarauit, atque in uno duntaxat differre: principium inquam exhibendi a cremore sumendum esse. A. l.1 f.3.d.4. c.7.p.117.B

*Melius autem esse puto, ut protinus ab initio sorbitionem dare incipias, quàm tertio, quarto, quinto, sexto, aut septimo die, cum uidelicet uena ciderunt, nisi sub hoc spatio morbus sit indicatus.* 15

Quod in aphorismis scripsit, id nunc quoque persequitur, cum in omnis morbi statu iubet, ut uictu utamur tenuissimo. si igitur quinta die sit futurus morbi status, & æger solo potu usus sufficere nõ possit, melius esse ait, si protinus ab initio ptissanã des: & neq; tertio, neq; quarto die propinare incipias. quo in genere errare ẽt eos ait, qui quinto, sextove die, aut septimo sorbitionẽ dare incipiunt, nisi forte in hoc temporis interuallo morbus sit iudicatus. iudicationem autem, uti dixi, non perfectam morbi liberationem, sed insignem mutationem intelligo.

*Atque*

16 A *Atque hos ſimiliter, ac ſuperiores præparare oportet. ac de ſorbitionis quidem exhibitione, ita ſentio.*

Et quibus ab initio ſorbitionem daturus ſis, ſimiliter eos præparari iubet: hoc eſt, ſiue ſecari uenam, ſiue clyſteris uſum, aut glãdis impoſitionẽ neceſſitas poſtularit, illud eſſe prius faciendum.

17 *De potu quoque, qualiſcunque ex ijs, quos declarabo, ſumatur, eadem fere mihi eſt ratio.*

Si ægrotãtem ſolo potu, ſine ptiſſanæ ſorbitione, alueris, prædictas quoque præparationes tibi faciẽdas, monet: hoc eſt, ut uenam ſeces, aut clyſteri, aut glande utaris.

18 *Verum & Medicos, contra omnino, quàm oportet, facere non ignoro: quippe qui ab initio duos, aut tres, aut etiã plures dies fame cruciant ægros, deinde & ſorbitiones, & potus exhibent: quod uidelicet ipſis operæpretium uidetur, magnæ corporis mutationi quidpiam quod ualde magnũ ſit, obijcere. equidem mutationem laudo, ſi modica fuerit: recta enim eſſe debet mutationis tranſlatio. maxime uero in cibis dandis mutationis eſt habenda conſideratio.*

A.l.4.f.1.t.2. c.8.p.778.& deinceps.c.9.

Eos Medicos reprehendit, qui ægrotantes in abſoluta inedia primis diebus ſeruant, deinde eos repente alij quidem ad ſorbitionem, alij ad potus deducunt. non tamen mentionẽ eorum fecit, qui alimenta firmiora ante morbi concoctionem præbent. conſueuit enim, ut ante dixi, maximis erratis prætermiſſis, minora culpare, & noxam, quæ ex illis oritur, demonſtrare. qui autem ità mutant, forte putant, ſe conuenienter rationi mutare, in magna corporis mutatione, uictus quoque inſignem permutationem facientes. quod eos bene exiſtimaſſe ait: non tamen de omni tranſmutatione, ſed de aliqua putandum eſt: de qua partim iam dixit, partim quidpiam dicturus eſt: declinandas eſſe repentinas mutationes, ratione confirmans.

B

19 *Læduntur autem grauiſsime, qui tota utuntur ptiſſana, niſi recte mutatio fiat. læduntur quoque, qui ſuccum ſolum aſſumunt: ſed minus. læduntur præterea & qui ſolo potu utuntur: ſed hi minime.*

A.l.4.f.1.t.2. c.8.p.780. E

Repentinam uictus mutationẽ, quam paulo ante dixit, qua primis diebus in abſoluta inedia ægros ſeruãt, & circa diem quartũ nutrire incipiunt, ait nocere uel maxime, ſi ad ptiſſanã totã transferantur: minus uero, ſi ad cremorem: minime uero, hoc eſt paruiſſimã læſionem ſentiunt, qui ad ſolas potiones traducentur. nam ex magnitudine facultatis eius quod exhibetur, læſionis oritur magnitudo.

20 *Oportet autem & ex ſanorum hominum uictu diſciplinam, quæ conferat, inſtituere: cum enim non parum interſit, hac ne, an illa uictus ratione ſani utantur, cum in alijs quibuſdam, tum præcipue in mutationibus: quî fieri poteſt, quo minus magna ſit in morbis, præſertim uero in acutis, uarietas?*

C

Suam de uictus ratione ſententiam, de qua ſupra eſt dictũ, incipit enunciare, eos etiam coarguens, qui uictum aliter inſtituunt. ſed ut dilucida ſit oratio, præſtare uidetur, ut ſummam totius prius exponam. earum autem ſumptionum, quæ ad hanc rem probandam aſſumuntur, altera conſtat ex huiuſmodi effato uniuerſali: ſi ualentibus nocent repentinæ uictus ad contraria mutationes, multo magis ægrotos lædent. id quod nos uarijs poſſumus modis interpretari. dictionem alio, atque alio modo commutantes, ut ſi dicas, in repentinis uictus mutationibus ſani minus, quàm ægroti læduntur: uel ſic, ægroti magis, quàm ſani læduntur: uel ita, detrimenta minus ſanos, quàm ægrotos, afficiũt. & generalius hoc modo, detrimenta robuſtiores minus lædunt; imbecilliores uero maiore damno afficiunt. Licet alio quoque modo huiuſce dictionis uim interpretari, aut ex eo, quod per ſe, & primũ utile ſit ad id, quod demonſtratur: uel ex aliquo effato, aut ſumptione earum, quæ id ipſum continent. ac talis quidem tibi ſit altera ſumptionum, per ſe credibilis: quas ſumptiones Ariſtoteles axiomata uocare conſueuit. alteram uero, experientia cognitam, deinceps audi: ſanos etiam repentina uictus mutatio offendit. ex his ambabus ſumptionibus, efficitur concluſio, magis lædi ægrotantes a repentina uictus mutatione: ac multo etiam magis eos, qui morbis acutis detinentur. hæc eſt uis ſermonis. Hippocrates aũt alterã e ſumptionibus, quæ ipſa per ſe prius credibilis eſt, protinus citra probationem capit: alteram uero ijs, quæ ſingillatim per experientiam noſcuntur, confirmat. quod etiam ſequens declarat oratio.

D

21 *Vitioſam autẽ uictus rationem in eſculentis & potulentis, quæ nũquam uariat, multo eſſe ad ſanitatem tutius obſeruare, quã ſubito uel ad meliorem tranſire, facile intelligitur.*

Incipit modo alteram e ſumptionibus, id quod propoſitum eſt, oſtendentibus, multis rerum ſingularum exemplis confirmare: in unamque ſummam eius probationem redigit, hoc modo, magnæ & repentinæ præter conſuetudinem mutationes, non mediocrem læſionem ſanis afferunt. perſpicua ſane hæc eſt oratio: tamen ſi quid occurrat, quod ut percipiatur, explanationis indigere uideatur ijs, qui minus exercitati ſunt, id nos explicare non grauabimur: erit enim hic commentarius ad hominum naturam accommodatior, ſi non ad eos modo, qui ſunt in rationibus exercitati, ſed eos etiam, qui exercitati non ſunt, dirigetur, ac pertinebit. ſed ſi quis prædictarum diſciplinarum & ignarus, & imperitus ſit, is aliud quidpiam faciat.

22 *Quippe & qui bis, & qui ſemel duntaxat in die cibum aſſumere conſueuerit, ſi ſubito conſuetudinem commutarit, noxam, imbecillitatemque ſubibit: etenim prandium aſſumentes qui id non conſueuerunt, protinus imbecilli, toto corpore graues, ſegneſque redduntur. quod ſi præterea cænauerint, ructus acidus, & alui leuitas ſubſequitur: grauatur enim ſub inſueto onere uentriculus, qui antea aridus eſſe, neque bis intumeſcere, neque bis coquere cibos ſolebat.*

A.l.1.f.3.d.2. c.7.p.117.B.

Quia

Quia non solum,in repentina consuetudinis mutatione ualde homines lædi, sed etiam quænam læ- E
siones sequātur,ac quomodo emendari singulæ possint,explanat,ideo prolixam orationem fecit: ut, si
eos duntaxat in repentina consuetudinis mutatione lædi ostendisset,rora breuis fuisset oratio. prima
igitur consuetudinis mutatio quam nunc pertractat,est de ijs,qui prandium sumere non sunt soliti,as-
sumunt tamen interdum:quos ait & infirmos fieri,& totum eorum corpus grauari,eosque infirmos, &
segnes reddi.quæ quidem eis accidunt, quia uirtus ab alimēto,tanquam a pondere grauatur: siquidem
ea imbecilla non fit propria ratione,ut in alimenti penuria fieri solet.quæ res fecit,ut adderet in hoc ip
so sermone,totum corpus grauari in ijs,qui bis cibum sumpserunt,eosque fieri pigriores.in assuetis ue
ro prandere,& non pransis imbecillitatem quidem uirium esse scripsit,sed grauitatem nō addidit:pro-
pterea quod in eiusmodi mutationibus uires suapte ratione imbecilles reddūtur. præterea cum in præ
senti uictus mutatione desides fieri dicat, in contraria timidos esse asseruit, quasi omne opus perosos,
ac si dixisset opera aggredi ueritos. nempe res ita habet:siquidem qui ita affecti sunt, uirium imbecilli
tatem uere sentiunt:& ob eam causam eas,quas ante prompte obibant, actiones aggredi non audent.
quinetiam ijs,qui diminute cibum sumpserunt,uiscera uideri pendere ait,eosque tum calidum,tum ui
ride meiere:calidum dicens,id est solito calidius,uiride uero,hoc est pallidum,more quodam Asiatico
rum Græcorum,qui hodie quoque seruatur: cum enim pallidos quosdam uident, rogant, quid causæ F
sit,cur ita uirides sint:nihil interesse,utrum uiride, an pallidum dicant, existimantes. cumque aliquem
uident, se ipso uiridiorem,pro eo quod est, pallidiorem dicunt. est autem re uera pallidus color ueluti
ignis,& color ochræ,quam ὤχραν prima syllaba acuta uocant: fitque talis permista aqueo excremento
pallida,amara,& quæ flaua nominatur,bile. nam quantum flauus color a rubro in albidiorem secedit,
tantum etiam a flauo pallidus. scripsit alia quoque symptomata,quæ ita affectis contingunt: de quibus
cum ad dictionem peruenerimus,agemus. nunc præsens dictio perpendenda est. ad ea quæ ait contin
gere ijs, qui prandere non sunt soliti, hoc etiam adiecit: si præterea cænauerint, acidus ructus sub-
sequetur: nouimus enim ructus acidos fieri propter uentriculi frigiditatem, & propter pituitam in eo
sæpe coaceruatam, & propter ciborum multitudinem,aut si modici quidem illi sint, sed facultate frigi
di. omnium autem prædictorum commune est, ut ingenitus uentris calor a cibis uincatur, non ut eos
uincat,neque ut eis præstet,neque eos probe conficere queat: ut si modicæ flammę magnam uim ligno
rum super aceruaueris, uel si etiam citra multitudinem, & uiridia & humida imposueris. Nonnullis
etiam eorum, qui ita nutriti sint, ait alui leuitatem sequi: hoc est liquidam deiectionem. uerum in ple
risque exemplaribus non alui deiectionem liquidam scriptum reperies, sed ἄσην, ut nimirum in eo,
qui ita nutritus sit proiectionem corporis moleste & grauiter se habentis propter alimenti multitudi- G
nem, & implacidi atque inquieti, ac se in lecto huc & illuc iactantis, intelligamus. sub finem autem
dictionis,concoctionem debere esse elixationi similem, perspicue ostendit: ut quæ fiat a calido, non
a sicco, squalentique succo,cuiusmodi est febrium calor: sed humido & uaporoso, qualis est secun-
dum naturam in animantibus.

*Proinde iuuandi sunt tales compensata mutatione, siquidem dormire eos oportet,tanquam noctem a cæna ducerent: atque hieme quidem frigus, æstate vero calorem vitare. si dormire non queant, multos circuitus lenta ambulatione absoluant: non stent, non cænent, nisi forte perexigua quædam, eaque minime noxia sumant. præterea vero minus bibant, idque non dilutum. [maiore tamen molestia afficietur is, qui ter eadem die ad satietatem vsque cibum ingesserit, ac multo magis si crebrius. quanquam sunt, quibus nihil molestiæ affert, ter in die cibo repleri, si ita fuerint assueti.]* 23

Non erat necesse, hoc loco hæc commemorari: est enim ei propositum docere, repentinas con-
suetudinis mutationes nos lædere,non quomodo huiusmodi curare læsiones debeamus. uerum cum
ei ita facere uisum sit, ideo nos, quæ ipse scripsit, persequemur. maxime autem eis iniungit, ut pluri-
mum dormiant: sique dormire nequeant, plures lenta ambulatione circuitus conficiant: idque, ut
plerique interpretes aiunt, a cæna: ut autem sensus eorum, quæ dicuntur, uult, a prandio: propterea
quod cum ait, tanquam noctem, de somno meridiano, non de nocturno dici par est. præterea quod H
deinceps ait,Si dormire non queant,mulros circuitus lenta ambulatione absoluant, non stent, nihil
cænent, nisi forte exigua, testatur, uelle eos a prandio, non a cæna dormire. duorum ergo alterutrū,
uel emendanda scriptura est, ut quæ mendum contineat, atque efferenda, dormire eos oportet a prā
dio. tanquam noctem agant: atque hieme quidem citra frigus, æstate uero citra calorem: uel si serua
re hanc orationem ita, uti scripta est,& intelligere a cæna,uelimus,sic erit intelligenda,dormire autem
eos oportet, ut a cæna ante dormiebant, sic nunc a prandio, tanquam noctem ducant. cur autem ue
lit,eos uel nihil omnino, uel parce, uel leuiter cænare, in promptu ratio est: uult enim uentrem quie
scere: & ob laborem,quem grauatus tulit, refoueri: quod homo præter consuetudinem pransus erat.
ex hoc etiam id consequitur, quod ait, minus bibant, idque non dilutum: nam & fluctuationem, &
humiditatem, & refrigerationem uitare oportet: cum uenter sit a ciborum multitudine prægrauatus:
ipsum porrò, qui datur, potum non dilutum, esse debere, sed calfacientem, & qui uentrem robo-
ret. cetera, quæ sequuntur, perspicua sunt.

*Qui autem bis in die cibum sumere soliti sunt, ij nisi pransi sint, imbecilli, & infirmi fiunt, & ad quoduis opus timidi, & dolore præcordiorum torquentur, veluti suspensis visceribus sint: vrina calida, pallidaque redditur. stercus exuritur. sunt quibus os amarescit, oculi cauantur, tempora palpitant, extremæ partes frigescunt.* 24
A.l.1.f.3.d.2.
c.7.p.117.B

A In hac oratione,quæ ad comparationem eorum,quæ præter conſuetudinem pranſis euenire diximus,ea ſunt declarata: de reliquis autem nunc dicam. ſtercus igitur ipſorum,hoc eſt alui excrementũ aduri ait,a calore ſcilicet aſſatum: corpus enim tum magis ſiccum,tum magis ignitum redditur ijs,qui conſuetum prandium omittunt. nonnullis etiam addit, os amarore affici.atque hi quidem ſunt natura biliosiores: hiſque caui oculi fiunt,ab eadem,qua ſtercus aduritur, cauſa exſiccati. quod autem in amaræ bilis naturis innatus calor in id quod igneum eſt, uertatur,ideo fit, ut & tempora palpitent, id eſt temporum arteriæ euidenter pulſent. præterea uero extremæ corporis partes frigidiores fiunt; quod uenter biliosis ichoribus repletur,quorum morſu & moleſtia affectus,uires diſſoluit, & corporis extrema refrigerat.

25 *Sunt plerique,qui non pranſi,cænare nequeunt: qui ſi cænauerint,uentris grauitate afficiuntur: ac multo difficilius cubant,quam ſi pranſi eſſent.*

Qui natura amaræ bilis ſunt, præter conſuetudinem impranſi manentes, cibos auerſantur: uentre ſcilicet ipſo uitiato. qui uero coacti cibum ſumpſerint, grauantur,ac difficilius cubant,ut ipſe ait, hoc eſt,male ſe habentes in lecto permanent.

26 B *Cum igitur hæc ſanis contingant,ſi per diei dũtaxat medietatem,ratio uictus a conſuetudine mutetur, conſtat, ut neq; addi quicquam,nec minui utiliter poſſit.*

Rurſus inter exponendum,quæ eueniant ſanis ijs,qui conſuetudinem ſubito mutarũt,ſermonis ſummam interiecit,cuius cauſa hæc exponit omnia,quæ ſanis contingunt: ſi enim,ut plane conſtat, uictus per dimidium diei permutatio ſanis adeo moleſta eſt,quomodo hæc quæ multa eſt, ægrotis non erit infeſta? deinceps uero redit iterum ad ea, quæ ſanis accidunt,hac ſequenti oratione explicanda, ad hunc modum,

27 *Igitur qui præter conſuetudinem ſemel tantum cibum ſumpſit,deinde exinanitis toto die uenis, quantum ſolebat, cænauerit,par eſt, ſi cum a prandio abſtinuit,doluit,& ægrotauit,aſſumpta autem cæna grauis effectus eſt,eum multo magis grauari.quod ſi longiore tempore uenæ ſint inanitæ,ac repente cænarit,magis etiam grauabitur.*

Horum uerborum hæc eſt ſententia.Si is,qui præter conſuetudinem impranſus manens, minus ſolito cænauerit, nocte grauetur:certe multo magis grauabitur,ſi plura, quàm ſueuit, in cæna acceperit. qui autem longiore tempore ex inanitis uenis,repente cænarit, magis adhuc grauabitur. nempe qui impranſi præter conſuetudinem manent,partim ad breuius,partim ad longius tempus inediam pro-
C ducunt. hos igitur magis etiam grauatum iri affirmat.

28 *Quibus autem præter conſuetudinem uenæ inanitæ ſunt,reficiuntur,ſi eodem die a frigore, a calore,& labore tuti ſeruentur: hæc enim omnia ægre tolerantur. deinde cæna multo leuior, quàm pro conſuetudine, inſtituenda eſt,eaque non arida, ſed humentior. tum bibant,idque neque dilutum,neque minus, quàm ciborum poſtulat ratio. poſtero die pauca in prandio ſumant: ut ex additione ad conſuetudinem redeant.*

Vt eorum,qui præter conſuetudinem pranſi ſunt, detrimenta emendauit, ſic etiam eos,qui ideo afflicti ſunt,quod ſemel duntaxat in die præter ſolitum comederunt,iubet uitare in primis calorem, frigus,atque laborem: quod hæc ægre ferri ſolita ſint omnia.tum iubet,minus eos, quàm conſueuerant, cibi in cæna ſumere. & tamen multi contra faciunt uel maxime: cum enim aliquo negotio impediti prandere non potuerint, id alimentum, quod in prandio omiſerunt, in cæna uolunt aſſumere. non uidentes corpus quidem prætermiſſo alimento indigere, ceterum id a uentriculo ob longiorem abſtinẽtiam læſo confici non poſſe. Sed ipſe ut minus cibi,ita eum humentiorem dari cenſet: eſt enim huiuſmodi alimentum & uentriculo & corpori uniuerſo exſiccatis peculiare remedium. uult præterea uentrem ipſorum roborare potu uini,quod neque dilutum,neque minus ſit, quàm alimenti proportio po-
D ſtulet: dilutum enim uentris robur exoluit: minus uero,non aptum eſt exiccato iam uentri. poſtero ẽt die cenſet eum,qui ita affectus ſit, proſpicere uictui debere: ut minus ſolito,alimentum ingerat: ut ex additione,hoc eſt paulatim addendo ad conſuetudinem priſtinam reuertatur.

29 *Huiuſmodi uero noxas grauiſſime ferunt ii,quibus ſuperiores partes amara bili redundant.*

Dixi ego iam paulo ante, amaræ bilis homines grauius ferre repentinam a uictu ad abſtinentiam mutationem,quàm pituitoſi faciant: bilem enim in eis facilius contrahit totus corporis, & item uentriculi habitus.Sed cur non dixit abſolute amaræ bilis homines, ſed addidit, ſuperiores partes? nempe, cum flaua bilis,quam & pallidam, & amaram uocant,ſuperiori uentri ſupernatat, iure in huiuſmodi hominibus amara bili ſuperiores partes redundare affirmabimus:cum uero ea per ſedem demittitur,partes inferiores eadem redundare dicentur. Paulo enim rhetori, qui toto corporis habitu pituitoſus erat,ſingulis diebus flaua bilis ſupernatabat, primumque ipſam a lauacro non paucam euomebat.Eudemo autem philoſopho,cuius erat bilioſa natura,per ſedẽ demittebatur: ac raro etiã is unquã pallidam bilim uomebat. Sed ut Pauli excrementa parum bilis habebant, ita Eudemi, multum.qui igitur præter conſuetudinem non prandent,ſi & toto corporis habitu,& ſuperiore uentre amaræ bilis homines ſint,ijs neceſſario contingunt omnia,quæ paulo ante memorauit. quibus uero ſolum uenter ſuperior amara bili redundat,ijs quidem ſimiliter eueniet,ut ægre tolerent, cetera uero ſymptomata uel

nulla omnino, uel certe moderatiora persentient: supra enim etiam dixit, eos qui præter consuetudinem prandium omittunt, timidos ad quodcunque opus aggrediendum reddi: stomachi erosionibus affici, & ut pendere eis uiscera uideantur: tum uero calidam & uiridem urinam eos emittere, & stercus eorum exuri. ac quibusdam os quoque amaritie affici. tum cauos oculos fieri, temporaque palpitare, & extremas partes refrigerari. horum quædam potius contingunt ijs, quorum totus corporis habitus amara bili redundat: quædam uero ijs, quorũ uenter superior talis est. & hanc ob causam ad quãuis actionem timiditas, & extremarum partium refrigeratio, ac lotium calidum, ac uiride, & exustio excrementorum. & cauitas oculorum, & temporum pulsatio ijs eueniunt, quorum totus corporis habitus amaram bilem continet: utrisque autem, ut pensilia sibi esse uiscera opinentur, & oris amaror. nã propter insolitam abstinentiam suspensa, pendulaque uiscera sentiunt: ob bilis uero† exuperantiam, os amarum redditur ijs, quibus in toto corpore amara bilis abundat: non quod hæc affectio in ore potius sit, sed quod in ea parte natura sensum collocauit, quo succorum species dignoscantur. Venter autem magis ijs exuritur, quibus ex hepate in uentrem bilis effusa supernatat; minus autem, quibus deorsum mittitur: his enim intestinum ad excretionem proritat: illis uero stomachum mordet. quam ob rem Eudemus singulis diebus, bis, terue deijciebat, Paulus uero interdum nullo pacto excernebat: nisi enim intestina a mordente re aliqua irritentur, uel copioso grauentur excremento, prompta ad excernendum non redduntur: quorum neutrum impransis contingit: siquidem non mordentur intestina, bile in os ascendente, illaque non mordente, aut infestante: neque grauitas in eis fit, qui nullo pacto comederunt. E F

† Codex Bessar. habet πικρὸς. i. amaritiem.

30 *Quibus uero in superioribus pituita continetur, ij inediam præter consuetudinem magna ex parte facile tolerant. quo fit, ut minus quoque lædantur, si semel in die modo, præter consuetudinem, cibum capiant.*

Dictum ante est, eos in quibus partes superiores amaram bilim continent, difficilius ferre, si semel modo cibum sumant: nunc ad pituitosos accedens pro cibi usu, qui semel in die adhibeatur, inediæ meminit: ut ex eo, quod apertius detrimentum continet, ad id quod minus nocet, ex proportione transiret: nam si par est, eos magis lædi, qui sine cibo integrum diem, præter consuetudinem permanserunt: minus autem eos, qui prandent: & pituitosi facilius ferunt, quàm amare bilis homines, si semel tantũ in die cibum sumant, profecto pituitosos quoque facilius inediam esse laturos, est omnibus perspicuum. causa autem, quare pituitosi facilius tolerent, si semel modo alantur, ex ijs, quæ ante de biliosis dicta sunt, clara est: nam bilis succus in inedia redditur amarior: pituita uero, temporis progressu coquitur, sanguisque efficitur: cum neutra bilis in sanguinis abire naturam possit: præsertim cum ex sanguine plus excalfacto flaua bilis fiat: ex eodem uero assato, atque etiam ex crasso atra gignatur. pituitæ autem ortus in pituitosis edulijs sanguinem perpetuo antecedit: atque edulia, intercedente pituitæ ortu, in sanguinem mutantur. id quod non deterioribus modo cibis, uerum etiam quibusdam eorum, qui admodum salubres existimantur, ut pani, ut alicæ, ut semidali contingit. equidem scripturam eam interpretatus sum, quæ mihi optima uidebatur: id enim, quod ea docemur, ipsum per se uerum est, & ex antedictis consequitur: quod propositum est ijs, qui res optime declarant. non tamẽ ita expressam hanc sententiam in omnibus codicibus inuenies: sed in alijs pugnantem: in omnibus autem fere libris, diuerso modo conscriptam: ut & falsus sermo sit, & nulla serie cum ante dictis coniunctus esse uideatur. G

A.l.1.f.1.d.4. c.1.E.

31 *Efficax etiam hoc argumentum est, quod maxime in nobis mutationes tum naturæ, tum habitus, maxime morbos pariunt.*

Naturæ nomẽ apud Hippocratẽ multa quidẽ significat, sed hoc loco significari tẽperaturã quispiam suspicabiť: ut ẽt partiũ structurã, habitũ nũc appellari: in qua structura cõtinetur, ẽt bilis ad partes superiores fluctuatio, & ad infernas deiectio, & uiscerũ tũ suspẽsio, tũ stabilitas: cũ.n. uenter est suapte natura magnus, licet sit expers ciborũ, uiscera tñ firmat. at si paruus sit, tũ ea firmat, cũ cibis refertus est: uacuatus uero, subsidẽtia relinquit: hinc fit, ut suspẽsa uiscera sentiãtur. de ijs uero, qbus flaua bilis sursum fluctuat, ante dictũ est: cũ meatus, bilẽ ipsam ex iecinore ad id intestinũ, quod ἔκφυσιν, hoc est uẽtris exortũ uocãt, cõportat. qui structurã habet differentẽ: uã interdũ quibusdã portio aliqua ab ipso ad uentrẽ procedit. his quidem biliosum excrementum supernatat: alijs uero deorsum omnino mittitur. H

32 *Quamobrem neque uenas intempestiue uehementer inanire, neque uigentibus, feruentibusque morbis aliquid ingerere: neque repente uel ad hoc, uel ad illud in toto negotio quicquam permutare conuenit.*

Hæc dictio sine ordine scripta est: copulari.n. debuit cũ ea, quæ ante scripta est, ut tota oratio esset huiusmodi: Has noxas grauissime ferunt ij, quibus superiores partes amara bili redundãt: quibus uero in superioribus pituita continetur, ij inediã præter consuetudinẽ magna ex parte facile tolerãt. quo fit, ut minus quoque lædantur, si semel in die solum, cibum capiant: quam ob rem neque uenas intempestiue uehementer inanire, neque uigentibus, feruẽtibusque morbis aliquid ingerere licet: perfecto.n. eo sermone, quo sanos, non æque atq; ægrotos in magna uictus mutatione lædi docuit, iure subiunxit id, cuius gratia mentionẽ de his omnibus fecerit, hoc modo: quã ob rem neq; intempestiue, neque ue-

hementer

A hementer uenas inanire licet. quanquam autem rem propoſitam abunde demonſtrarit ijs, quæ dicta ſunt, tamen ad alium tranſire ſermonem uidetur, qui id ipſum comprober, probarioneque uti minime neceſſaria. ſequentis igitur orationis principium iure eſſe hoc cenſetur, Efficax etiam hoc argumentum eſt, quod maximæ in nobis mutationes tum naturæ, tum habitus, potiſſimum morbos pariunt: cui quidem ſermoni continua erit ea dictio, quæ ſequitur ad hunc modum: Multa autem his germana de uentriculo, atque alia quiſpiam dixerit: quam ſane dictionem explanaturus ſum: ſed nunc ad eam, quæ propoſita eſt, redeo, cuius hæc eſt ſententia: neque intempeſtiue, neque uehementer fame necare, neque in morborum uigoribus uictũ ex inedia ad cibi oblationẽ permutare licet, ſicut neq; in cõtrarium ſubito mutandum eſt. ex quibus ſequitur, ut talis uictus ratio inſtituenda ſit, qualem is præcepit. ſumma autem horum eſt, repentinas ad contraria mutationes eſſe deuirandas.

33 *Multa autem his germana de uentriculo, atque alia quiſpiam dixerit: ut pote qui cibos ſuapte natura non bonos, ac potiones quoque, ſi ipſis uti conſueuerint, facile ferant. contra, grauiter ferre ſolent tum cibos, tum potiones, quamuis uitio careant, ſi præter conſuetudinem ingerantur.*

Quæ ſimilia ſunt, atque, ut quiſpiam dixerit, ualde genere cognata, ea uocare Hippocrates germa-
B na conſueuit: propterea quod cognatorum omnium familiariſſimi, ac genere iunctiſſimi ſunt fratres, qui germani uocantur: ceteræ enim cognationes ſunt his poſteriores, ut patrui, & amitæ, & fratrum ac ſororum filij atque filiæ: & quæ generis huius ſunt. cetera quæ hac dictione continentur, plana ſunt: cũ eundem ſermonem declaret, quem antea docuit, cuius hoc caput eſt, conſuetudinem plurimum poſſe, repentinam uero mutationem corpora non mediocriter offendere.

34 *Quo minus mirandum eſt, ſi maiore labore afficitur uentriculus eorum, qui præter conſuetudinem multas carnes, aut allia, aut laſerpitium, aut laſer, aut eius caulem, aut reliqua id genus, magnas proprias uires obtinentia, quàm alia, comedunt.* [*ſed neque etiam, ſi ſcias, mazam præter conſuetudinem ingeſtam, tumultum, tumorem, flatum, torminaque excitare, præſertim ubi quis mazam edere non conſueuerit: uel ſi didiceris, quemadmodum calidus panis ſitim ſubitamque plenitudinem afferat: propterea quod ſiccitatem creat, ac tarde deſcendit: itemque panes, ſeu admodum puri, ſeu confuſi, præter conſuetudinem ingeſti, differentes inter ſe actiones gignant: ſimili quoque modo maza, ſiue arida, ſiue humida, ſiue uiſcoſa ſit: & item qualiter polentæ afficiant, recentes quidem eos, qui recentibus uti non conſueuerunt: & aliæ eos, qui ſunt uſui recentium aſſueti: ſic uini quoque & aquæ præter conſuetudinem potio ſubita in contrarium facta permutatione: uinum quoque repente potum ſiue dilutum, ſiue meracum: illud enim ſuperiores uentriculi partes madore perſpergit, inferiores flatibus cruciat. hoc uenarum palpitationem gignit, capitiſque grauitatem, & ſitim excitat. idem ex uino tum albo, tum*
C *nigro accidet, ubi ſubita fuerit a conſuetudine mutatio: quamuis enim uinoſum fuerit utrunque, magno tamen diſcrimine, pro corporum ratione, alterum ab altero differt: ut nihil mirum ſit, ſi dulce, idemque uinoſum uinum, ubi ſubita fuerit mutatio, non idem efficere uideatur.*]

† Hæc omnia abſunt a libris ueteribus. ea tamẽ Gal. explanat. & in lib. de conſuetud. citantur.

Cum totius ſermonis ſenſum prius dixerimus, ad ſingulas dictionis ipſius partes perueniam: totius igitur orationis ſenſus talis eſt: Nemo eſt, qui admiretur, ſi uictus mutationem in ea eſculenta & potulenta, quæ magnam uim habent, uideat corporibus nocere: ſed mutationem, quæ in ea fit, quæ parua prædita ſunt ui, ne ſine noxa quidem fieri, merito mirabitur. hæc eſt totius orationis ſententia. ut uero ſingula perſequar, totius orationis principium nominatim facit mentionem eorum ciborum, qui uehementem facultatem habenr, ut carnium deuorationis, alliorum, laſerpitij, laſeris, & caulis laſerpitij ipſius. nam totum laſerpitium fortem uim habet, & particulatim eius liquor, & caulis. Sed hæc abſolute dixit, at cum carnium faceret mentionem, adiecit uerbum, multas: ſiquidem ita magnam uim multa caro habebit, moderata uero, non habebit. quæ deinceps dictio ſequitur, ad eos cibos pertinet, qui non magna facultate ſunt præditi, ut ad mazam, ad panem calidum, aut frigidum, uel purum, uel confuſum. appellari autem ab ipſo non purum eum, quem συγκομιστὸν uocat, perſpicuum eſt ex comparatione,
D qua cum puro eum confert. eum panem homines hodie appellant αὐτόπυρον. hoc eſt ex toto tritico, cũ furfuris pars non ſit ſecreta, ſed unà cum pura farina ſit conſperſa. poſt hæc deinceps polentarum differentiam attulit. ac recentes quidem ποταίνια uocauit ionica, & priſca uoce. mentionem quoque fecit uini, aquæq; potionis, quæ pręter conſuetudinẽ commutetur: itemque meracioris, ac dilutioris potionis. qua in re illud ſignificauit, uinum dilutum, ſuperiores uentriculi partes madore perſpergere, hoc eſt humidas ipſas reddere, ac laxare: inferiores flatibus cruciare: meracius uero temporum palpitarionẽ, capitis grauitatem, & ſitim afferre: id quod caliditate ſua facit: dilutum autem contraria facere, idque ſua humiditate, ac frigiditate. meminit etiam differentiæ uinorum: ex his oĩbus colligẽs id, qđ fuit ei a principio omnino propoſitũ, omnẽ. ſ. repentinam mutationem non paruũ afferre corpori detrimentũ.

35 *Ceterum hanc ſententiam contraria quoque ratione fulcire oportet: ſiquidem in ijs ratio uictus permutata eſt, corpore non permutato, ut neque ob auctum robur cibos addere, neque ob infirmitatem minuere eos oporteret.*

Hoc uerbũ fulcire, ſignificat patrocinari oportere. neq; ullũ aliud auxiliũ huic orationi adhibendũ eſt, ꝑter patrociniũ, quo uera eſſe cõprobet: ex duobus. n. ſermonibus cũ alter ipſi placuerit, alter uero aduerſet, ei quidẽ q placuit, hucuſq; patrocinatus eſt, ac nũc ad alterũ patrociniũ ſe cõfert: cuius ſñiam ſecutus quiſpiã diceret, par eſſe, ut ægrotantes magnopere in uictus mutatione iuuarent, propterea qđ & corporis affectio in contrarium ſtatum ſit commutata: quippe cũ antea ſani eſſent, nũc uero ęgrotẽt.

ſane in huius etiã ſermonis gratia eſt antea in uniuerſum locutus his uerbis, Equidẽ mutationẽ laudo: B ſed recta eſſe debet mutationis translatio. deinde quæ recta eſſet, declarauit multis uerbis, quæ ad unã ſummam redigens dixit, quam ob rem neq; uenas intẽpeſtiue, uehemẽter inanire, neq; uigentibus, neque feruentibus morbis aliquid ingerere: neque repente uel ad hoc, uel ad illud in toto corpore quicquã permutare conuenit: ut anticiparir iam eam explicare ambiguitatem, quã nuper ſermoni conſentiẽs enunciauit. adijciet autem etiam aliquid in præſentia, cũ dicet, In ſingulis igitur perpende & uim, & ſpeciẽ morbi, & cetera, quæ conſequuntur, quæ in ſequenti oratione declarabo.

*Itaque in ſingulis perpende & uim, & ſpeciem morbi, atque hominis naturam, & ægrotantis in uictus ratione conſuetudinem: nec ſolum in cibis, ſed etiam in potionibus.* 36

Ad inſtituendam in acutis morbis conuenientẽ uictus rationẽ, ut ipſe docuit, iubet & robur, & morbi modũ, itẽque hominis naturam, & conſuetudinẽ debere conſiderari. caput autem, quod ipſe aſtruit, eſt hoc, non permutandã eſſe uictus formã prius, quàm ſigna concoctionis manifeſta ſint. id autem fiet, ſi tu prænoueris, quot diebus morbus ad ſtatũ ſit peruenturus. uerũ cum uictus, quem indicabo, poſſit uel magis, uel minus permutari, quod ægrotantes quoque differant inter ſe in uirium firmitate, & infirmitate, itemque naturali temperie, & forma morbi, & anteacta conſuetudine, ideo ſi in hæc tu diligen- F ter intueberis, poteris ex arte facere coniecturã de minore, aut maiore uictus forma inſtituẽda: utrum inquã aqua mulſa, an oxymel ægroto dari debeat: aut aqua ſola potui dãda ſit uſq; dum ſigna cõcoctionis appareãt: an ptiſſana exhibẽda, an eius cremor ſolũ: deniq; utrũ bis in die, an ne ſemel. In uictu autẽ tum maior, tũ minor copia ex ijs, quæ modo ait, conijcienda eſt: nam ſi ægrotũ cremore indigere cõperies, iam ſcies quantum eius dandum ſit: ſimili quoq; modo in aqua mulſa, oxymelite, & aqua. Sed ut ad uictus rationẽ inueniendã opus fuit dignoſcere, an uires ægrotãtis firmæ, an infirmæ eſſent, & intra quot dies futura eſſet morbi concoctio: ita nunc quoque & quantum robuſtæ, & quantũ infirmæ ſint, tibi conſiderandum eſt: magna eſt. n. in uirium firmitate differentia: cum in imbecillitate uel maiore, uel minore magna quoque uerſetur. ſic morbi differentias conijcere oportet: non ſolum. n. noſcendũ eſt, eſſe pleuritidem aut pulmonis ægritudinem, ſed qualis ipſa ſit & in dolore, & in febre, & in ſputis. nam pleuritides, quæ cum dolore ſunt, aliæ maiorem, aliæ minorem & dolorem habent adiunctum: febrẽq; uehementem habent particulares pleuritides tum maiorẽ, tum minorem. in ſputis autem haud parua differentia eſt, ut in præſagijs eſt dictum. cum igitur ægri in prædictis differentijs ſingillatim uariẽt, certe nulla reperiri doctrina põt in ijs, quos Empirici cõcurſus uocant: neq;. n. ſcribi poſſunt, differẽtię eorum exceſſuum, qui in uiribus ſunt, neq; eæ, quæ in febriũ uehemẽtia, neq; eæ, quæ in copia ſputorum, G neque eæ, quæ in maiore aut minore particulariũ colorum, & diſſimilium eductionum quantitate uerſantur: ſed cuiuſq; rei ui percepta, oẽs inter ſe ſeparatim, particulatimq; comparare, atq; ex eis unã ſummã colligere oportet: hac. n. in re Medici, licet eadẽ didicerint, tũ meliores, tum deteriores cõperiũtur: nam qui acutiore ſunt ingenio, magis probantur, quàm qui eodem ſunt hebeti: laborioſi quoq; ſegnioribus: & magis exercitati minus exercitatis: qui deniq; memoria magis ualent, ijs qui eam non ita habent exprõptã. melius igitur eſt, ut ex omnium particularium uirtute uniuerſam formam, & ſingulorum alimentorum copiam in unum caput redigas. imbecillitas enim indicat ſæpe quidem, ſed paulatim dandum eſſe alimentum, quæ res ex eo probatur, quod bis in die æger cibum ſumere conſueuit. cõtrariũ indicat firmitas uirium: nam ſi in eo, qui bis cibum ſumere ſit ſolitus, appareat, ſemel quoque ei cibus dandus erit. quod ambæ indicant coniecturæ. ſic & corpus, quod bene diſſlatur, ad cibum dandum impellit: quod ægre, ad contraria agit. quod item tenues habet ſuccos, cibum dandum indicat, quod tales non habet, contrarium commonſtrat. atque in ſingulis, quæ dicta ſunt, magis & minus proportione ſibi & auxiliorum uſum auget, & remittit. quibus de rebus in libris methodi medendi dictum eſt nobis: ubi omnia deinceps, atque ordine expoſita ſunt, ut ea tum celerrime perdiſcere, tum facillime habere in memoria poſſis: neque enim fieri poteſt, ut uno hoc in libro bene omnia ſcribat Hippocrates, H ordineque doceat: præſertim cum ipſe primus horum inuentionem conſcribere inſtituerit. qui tamen hæc ab Hippocrate & inuerſa, & inordinata didicerit, totamque uitã ſuam in ea, quæ ex operibus perdiſcitur, exercitatione poſuerit, is & perſpicuitatem, & ordinem adijcere doctrinæ poterit. quod ſi pluribus id libris complectatur, quanta futura ſit præſtantia claritatis eorum, quæ docentur, planum eſt. nemo igitur animum deſpondeat, ſi hoc loco confundatur, ſcoporum multitudine: affatim circumſeptus: ſed nouerit, hæc eſſe a nobis in methodo medendi ſingillatim declarata: quem ad librum ſi acceſſerit, eaque ſtudioſe ſingula didicerit, is & quæ hic ſine ordine dicuntur, plane intelliget, ac contemplationem in ipſis artis operibus exercens, eiuſdem ueritatem laudibus afficiet.

*Additioni autem multo minus ſtudendum eſt: nam ſubtrahere omnino, ſæpe expedit: modo ſufficere poſſit æger, donec morbi uigor matureſcat.* 37

Quoniã uictus cuiuſq; ſpecies ex ijs, q̃ ante dixit, inueniſ, ideo quæ in p̃dicta dictione expoſita ſunt, perpẽdere oportet, ut ĩ ſingulis uictus formis quãtitas præſenri dictione reperiaſ, cũ ait, Addirioni aũt multo minus ſtudendũ eſt: nã ſubtrahere omnino, ſæpe expedit: cũ ſciret aũt præſidiorum ſingulorum quantitatem artificioſa indigere coniectura (artificioſe autem conijcere eſt uiri, qui uires omnium eorum,

A eorum, quę in arte sunt, didicerit, memoria teneat, summoque studio, ac diligentia in operibus sit uersatus: pauci autem omnino huiusmodi sunt) merito in proposita dictione, hæc quæ dicuntur, adscripsit, monens, ut in quantitate, ad id quod minus est potius, quàm ad id, quod maius est, deflectat, ubi quis, a iusto modo discedit: nam quod plus est, noxas interdum inemendabiles facit: quod uero minus est facile corrigitur: cum nos, si uires collabi uideantur, modicum cibi darę queamus. uerum si in uentrem cibus iam sit delapsus, certe quod redũdat, cum aliàs, tum uero multo magis in acutis morbis difficile est auferre: nam prorsus subtrahere, sæpenumero utile est ubi sufficere æger possit, donec morbi uigor ad maturitatem perueniat. Hanc autem prædictæ dictionis partem † assumpsi, ut hunc sibi familiatem scopum & hoc in libro, & in aphorismis ad memoriam reuocarem: nam si æger sine cibo ad morbi usq; cõctionem sufficere posse uidebitur, in omni ciborum abstinentia eius uictum institues, ac potum solum dabis cum necessitas postulare uideatur.

† C. Bessar. & alter nihil uariãt ab impressis, in tertio uero nostro legitur, ἀνίκαστον. & ita legit uetus trãslatio.

*Quibus autem id faciendum sit, scribetur.* 38

Planum est, ante dixisse Hippocratẽ, cum uniuersalem uictus rationem docuerit in hoc libro, se ad ceteras omnes acutas ægritudines transiturum. nullus tñ huiusmodi liber reperitur: nam quæ in hoc libro post balneorum tractationem habentur, si quis ueluti in commentario ad suam memoriam ab eo
B conscripta, in domo reperiens post uiri mortem in lucem ediderit, fortasse id ratione ille fecerit: uerũ, ut liber, non est Hippocratis facultate dignus: ut neq; etiam sunt ea uolumina, quæ de morbis, & affectibus inscribuntur: quanquam multa in eis bene sunt dicta. sed hæc in explanationibus in ea conscriptis, considerabimus, ac iudicabimus.

39 *Multa autem & alia ijs, quæ dicta sunt germana quis scripserit.*

Ad eundem iterum sermonem redit, quem multis exemplis confirmauit: ac consuetudinis mutationem nocere ægrotis ostendit. sed quia a sanis ad eos pertransiuit, ideo quæ bene similia sunt, germana dixit. quod autem deinceps dicturus est, huius est orationis testimonium. quanquam nec simile, neque congruens, neque ut ipse ait, germanum est: sed id, de quo quæritur. sed uiri sententia, in sequentis dictionis explicatione, tibi erit perspicua.

40 *Tamen res, de qua plurimum habui sermonem, efficacius testimonium non desiderat: cum ipsa commodissimum contemplanti documentum præbeat. nempe quidam in acutorum morborum exordijs eodem, quo laborare ceperunt, die cibos ingerunt, alij postero die, alij quiduis, alij cinnum sorpserunt. quorũ error, & si grauior est, quàm si diuersa uictus ratione usi essent, tamen peccata, quæ hoc tempore committuntur, minus lædunt, quàm si duobus, tribusue primis diebus uasa quis omnino inanierit, mox quarto, aut quinto die hanc uictus rationem aggrediatur. sed aget etiam deterius, si omnibus ijs die-*
C *bus uenas inaniri permittat, deinde posterioribus diebus ad huiusmodi uictus rationem se conuertat prius, quàm morbus concoquatur: siquidem hoc pacto mortem plerisque afferet, nisi benignus admodum morbus fuerit. errores autem ab initio protinus commissi, non ita difficulter corriguntur: sed multo facilius emendantur.*

Ante ab ijs, quæ sanis ex consuetudinis mutatione eueniunt, ad ægrotos per similitudinem transiuit. nunc autem transitutus etiã est, atq; id ipsum, quod propositum est, fere ita habere, est demonstraturus. sed quidnam id est? nempe, neq; in principio, neq; primis diebus fame cruciatos ægros, cum prope statum iam peruenerint, replere oportere. tota autem hac dictione uult ostendere, grauiorẽ afferri ægris noxam, cum prope statum erratum sit, quàm si in principijs morborum quid delinquatur: ait enim, tamen peccata, quæ hoc tempore committuntur, minus lædunt, quàm si duobus, tribusve primis diebus uasa quis omnino inanierit, mox quarto, aut quinto die hãc uictus rationẽ aggrediatur: uel prius, quàm morbus concoquatur. perspicuum autem est, quem πέπειρον uocat, significare morbum qui ad maturitatem sit perductus. ceteros morbos benignos dixit non eos qui maligni sunt: sed qui facile ad bonum uergunt: scimus enim plerosque ueteres hoc nomine ita usos esse: id quod etiam Hippocrates fecit, ut alibi est a nobis declaratum.

41 *Hæc sane maximum documentum esse reor, quod primis diebus nullum sorbitionis genus subtrahendum est iis, qui paulo*
D *post uti sorbitione quauis debeant.*

Eundem hoc loco sermonem affert, quem ante sæpe enunciauit: nutrire scilicet eos oportere præcipiens, qui usu sorbitionum ad uigorem usque citra ptissanæ ingestionem sufficere non possunt: compellemur enim, eos prope uigorem nutrire, cum tunc oporteret, licet prius plenius sint nutriti, ad tenuiorem uictus formam pertransire.

42 *Qui ergo hordeacea ptissana utuntur, funditus nesciunt, ipsam noxiam esse, si duobus, aut tribus, aut pluribus etiam diebus, inanitis iam uenis, sorbere ceperint. neq; etiam cremorem eius duntaxat accipientes, noxam sibi inferri intelligunt, cum non recte sorbere ceperint: sed tum demum & cauent, & periculi magnitudinem agnoscunt, cum æger ante morbi maturationem, ptissanam hordeaceam sumit, qui cremore eius uti solebat. unde apertissime colligitur, medicos nõ recte ægrotis uictus rationem præscribere: quippe qui in morbis non uenarum inanitione, sed sorbitione egentibus, uenas concidere permittant: contra, in quibus non est a uenarum inanitione ad sorbitiones transeundum, in illis transeant.*

Quod dixit funditus, significat uel omnino, uel a principio: ait enim medicos ignorare, quando primum ptissanam, aut cremorem dare ægrotis conueniat: eos tamen scire, si hordaceam ptissanam ante morbi concoctionem dederint, se ægrum læsuros, reliquas uero huiusce dictionis partes, quibus cadẽ ijsdem sæpe dictis ostendit, propter claritatem de industria pertransibo.

*Et plerunque ἀπαρτὶ. ac nonnunquam a uenarum inanitione ad sorbitiones eo tempore transeunt, quo satius esset, ita* E 43
*exigente morbi irritatione, a sorbitionibus ad uenarum exinanitionem transire.*

Quod ait ἀπαρτὶ, apud Atticos, & Hippocratē ipsum significat exquisite, & absolute: in qua significa
tione modo ponitur: uult enim indicare, Medicos eo potissimum tempore uictus rationem ex inedia
ad sorbitiones commutare, in quo est ad inediam transeundum: apertissime hic etiam declarans, cum
morbi status adest, tum necesse esse uictu tenuissimo uti.

*Interdū autē & cruda tum a capite, tum a thorace attrahuntur biliosa: quibus uigilia quoq; morbi maturationē impe* 44
*diens, accedit: tū mœstitia, amaritudineq; infestantur: delirant, ac splendentia quædam ipsorum oculis obijciuntur: aures so-*
*no implētur: extrema frigent, urinæ crudescunt, sputa tenuia, salsa, colore sincero, & exigua: sudores circa ceruicē: anxieta-*
*te uexantur: spiritus errat, quippe cum sursum fertur, aut frequens est, aut ualde magnus: supercilia grauantur: animi defe-*
*ctio urget, eaq; mala: uestes a pectore proiiciuntur: manus tremulæ fiunt, & inferius labrum nonnunquam concutitur.*

Hæc omnia contingere ait ijs, quibus a Medicis uictus ratio male instituta est: siquidē primis diebus
enectos fame ægros die tertio, aut quarto, aut quinto, aut sexto repente ad edulia, non peracto morbi
statu, traduxerūt: quasi dicat, si peractus esset status, eos recte uictus rationē mutauisse. quod igitur di-
cebat, permutandū esse uictū sanorū in ægrotis, non tñ temere id agendū, iā planū esse ex ijs, quæ prædi
cta sunt, arbitror: cum.n. una sit corporis cōstitutio salubris, altera uero, quæ a morbi principio ad statū F
usq; pertinet; tū tertia quæ ad perfectā usq; morbi solutionē protenditur; quarta deniq; cōualescentię,
quæ ad sanitatis usque habitū extēditur, fit, ut in nulla cōstitutione magnæ uictus mutationes sint fa-
ciendæ prius, quā ad aliud cōstitutionis genus sit peruentum. qui igiť ægrotātes in principio morbi in
omni ciborū inedia cōseruāt, si hoc uitæ genus ad statū usq; tolerare ægri queant, nemo id eis uitio uer
tat: sin minus, propter ægri uires collabētes, id facere possint, certe patet, eos minus recte inediā impe-
rauisse, atq; ægros exsiccasse: quo uerbo intēpestiuam inediam indicat, quæ corpus plus, quàm par est,
exsiccat: ex eo.n. qđ cū tenuiore uictu utendū est, quod prope adest status, ipsi dare cibū cogunť, perspi
cuū est, eos immodica inedia ægros exsiccasse, quod ταριχεῦσαι dicitur. quam ob rē ait, ex huiusmodi ui
ctus ratione multa, prauaq; symptomata sequi: quæ oīa, a crudis biliosis exorsus, deinceps cōnumerat.
cruda aūt biliosa appellauit, quia ēt eā, quæ in excremētis fit, cōcoctionē uocat: quāuis ea cōmutata nu
trire corpus nō possint, ut bilis utraq;, & sanies: ueruntamē quia talia quoq; natura uincit, ideo excre-
menta huiusmodi, quæ a natura superata sint, cōcocta: quæ uero nō superata sint, incocta nominare cō-
sueuit. quocirca pus quoq; in ijs, quæ concoquūtur, inflāmationibus fieri dicit, cum tñ nulla pars ex pu
re nutriatur: quēadmodū usu uenit in humoribus, qui crudi dicūtur, & pituita, quæ reliquū perfectio-
nis assecuta, & perfecte concocta, nutrire corpus queunt. sic igitur biliosorū humorum concoctio est, G
ut sanguinis inflammatione contenti, in pus migrantis. qua in re cōcoctionis nomē in sua generaliore
significatione intelligimus: est aūt generalior, cum natura causis fortior fuerit, easq; pro sua ui permu-
tauerit. quæ aūt, ueluti in corpore inanimato, putrescunt, nihil ad alterationem conferente innato calo
re, hæc a ratione cōcoquendi degenerāt. id quod interdū in aquosis humiditatibus, quæ per urinas ex-
cernūtur, usu uenit. quā ob rem incoctas urinas cōcoqui dicimus, cū tamē ab urinis concoctis ali cor-
pus nō possit. hac autē generali concoctionis significatione utimur, cū uel grauedinē, uel destillationē,
uel fluētes ex his humiditates, quas ichores uocāt, uel eas, quæ in oculorū inflāmationibus manant, aut
crudas aut coctas esse affirmamus. ita ēt bilim aut crudā, aut incoctā, aut cōcoctā dicimus. nā cruda, fla-
ua abunde est, & acris, & male olēs: concocta uero, pallidior, & minimū male olens. bilē igitur incoctā
ait ad uentrē necessario confluere, quæ ob prauam uictus rationē tum ex capite, tum ex thorace trahi-
tur: idq; cum fame ægros necant, neque ulla re utili uentrē cōsolantur: & cum ex inedia ad ualidos ci-
bos prope statum intēpestiue transeunt. Deinceps uero alia symptomata recenset, quæ propter prauā
uictus rationē oriuntur. ac primum quidē uigilias, quæ longas inedias, & cibos intēpestiue datos con-
sequūtur: in quibus utrisq; medicorū uictus ratio accusatur. qđ aūt uigilias morbi cruditas consequať,
planum est, si quidē somnos sequitur concoctio. tum mœstitia inquit, afficiuntur: propter utrunq;, hoc H
est, longā inediā, & ualentē cibum repente datum, a quo uenter pergrauatur: isque grauatus & langui-
dos & mœstos ægrotantes reddit. adde quod amaros eos fieri ait, quiddā sane consimile ei, quod dictū
est, declarans: ut.n. quidam ex melancholia mœsti sunt, sic alij quidā sæpe excādescunt, ut pote quibus
in stomacho sit bilis aceruata. uel cū ait eos amaritudine affici, eā quæ in ore ipsorū ex tali bili fit, amari
tudinē significat. Deliria uero & acres excādescētias, & bilim amaram uel in stomacho, uel in cerebro
collectā sequi apta sunt. Splēdentia uero quædā oculis obijciūtur ꝓp eam exhalationē, quæ a uētre exi
stit, & ꝓp sanguinis, qui ad caput ferť, copiā. horū aūt alterū, quod prius est, ex importuna interdum ci-
borū oblatione ꝓficiscitur, alterū uero propter criticā sanguinis eruptionē, uel propter imminēs deli-
riū. simili quoq; modo aures sonis implentur, tū propter eos uapores, qui a uentre in sublime efferūtur,
tum propter flatuosum spiritum, qui in ipso capite exoritur. corporis aūt extremas partes, quæ sunt ma
nus, & pedes, prōpte refrigerari, cū os uētris male affectum est, nos non latet: utpote cum propter lon
gā inediā uehemēter a mordacibus ichoribus mordetur, uel propter intempestiuā cibi multitudinem
grauatur. utrunq; autē hoc malum contrahit ab antedicta uictus ratione, qua Medici, cum primis die-
bus ægrotos fame exsiccauerint, tum, cum tenui uictu alere eos deberent, ad frumentacea edulia
repente transeunt. quæ res etiam facit, ut qui hac uictus ratione utuntur, eorum urinæ non concoquā-
tur.

A tur: in ea enim exſiccatione, quæ ſine ptiſſanæ cremore, aut aqua mulſa, aut oxymelite fit, ſanguis, pro
pterea quod non purgatur, in bilim uertitur: & propter ſubitam ad eſculenta permutationem uenter
grauatur, ſimul etiam cum eo facultate uitali laborante. hinc efficitur, ut ſyncopæ, quæ ſtomachicæ no
minantur, facultatis uitalis cum ore uentriculi conſenſum nobis aperte indicent: ſiquidē hoc & ma-
gis, & primum ab intempeſtiuis & inedijs, & cibis affligitur. quam ob rem ſputa renuia, ſalſa, colore
ſincero, & exigua fieri dicit: ac ſudare ceruices duntaxat, atque anxietatem, & ſpirandi difficultatem
ſequi: morbus enim, propter utrunque exceſſum, ſcilicet inediam, & intempeſtiuam cibi oblationem
crudus manet: ex cruditate uero conſequuntur ſputa commemorata: ueluti circa collum ſudores, ui-
ribus propter famem diſſolutis, & intempeſtiuo cibo grauatis. eodem modo anxietas commune eſt
utriſque ſymptoma, hoc eſt inediæ, quæ uentrem ichoribus replet, & cibo intempeſtiuo grauanti. Spi
randi autem difficultas, qua ſpiritus offendit, potius ob cibum intempeſtiuum, quàm ob indigentiam
excitatur: ſpiritum enim, inter inſpirandum, & offendere, & quaſi ſiſti, tum anguſtiæ, tum conuulſio-
nis nota eſt: nam latio, quæ ſurſum fit, exſpirationem efficit. tali autem ſpiritui contrarium & in ſe-
cundo, & in ſexto de morbis uulgaribus libro Hippocrates memorauit his uerbis, Duplex intro reuo
catio, ueluti aſpirantibus. talem porrò ſpirandi difficultatem ex intempeſtiuo cibo, & non ex penuria
B fieri, patet ex Hippocratis oratione, qui ſpiritum frequentem, aut ualde magnum in ijs, quibus uitio-
ſe cibus ſit datus, fieri ait. efficitur autem frequens & magnus, acto in anguſtiam ſepto tranſuerſo
ab eo alimento, quod uentriculo continetur, cum id neque uictum, neque probe à uentriculo con-
fectum inflationem gignit: tunc enim, quamuis thorax ea dilatatione qua prius utebatur, dilatetur,
tamen ob ſepti tranſuerſi anguſtiam, minus aeris inſpirari neceſſe eſt. ergo quod nunc aeris deeſt prio-
ri, qui inſpirabatur, id diminutum uſum reſpirationis facit, atque ob eam rem animal maiorem reſpi-
rationem, uel frequentiorem, uel utranque facere cogitur. ceterum de omnibus ſpirandi difficulta-
tibus dictum abunde eſt in libris, qui de ſpirandi difficultate inſcribuntur: in quibus tum harum, tum
uero etiam aliarum ſpirandi difficultatum cauſas unà cum ſuis demonſtrationibus expoſuimus. ad
hoc autem inſtitutum, hæc ſufficiunt. ex intempeſtiua præterea cibi oblatione ait grauari ſupercilia.
id duobus modis ſcriptum inuenitur: in quibuſdam enim exemplaribus in numero ſingulari ſcribi-
tur hoc modo: ſupercilium grauatur. in ceteris uero in numero multitudinis ſic, ſupercilia grauan-
tur: ſignificat enim his uerbis, ſupercilia quodam modo euelli, aut retrahi: id quod fit modo utriſque
in morem conuulſionis intentis, modo altero ſolo: interdum etiam, cum alterum reſolutum eſt. ad-
dit præterea ſequi prauas animi defectiones, ſermonem ad ea ſymptomata referens, per quæ ue-
C ſtes etiam abijciuntur ægrotis æſtuantibus. interdum uero plus aucto malo, totę manus tremulæ fiũt.
concuſſio autem labri inferioris morſum uehementem in ore uentriculi ſignificat. ex quo efficitur, ut
etiam huiuſmodi ſymptoma uomitus acrium humorum ſit ſignum.

45 *Hæc ſi ab initio appareant, uehemens delirium indicant: & ægri magna ex parte moriuntur.*

Si prædicta inquit, ſymptomata in morbi principijs appareant, uehemens delirium denũciant. quo
in loco morbi initium intelligendum eſt totum id tempus, in quo nondum ſunt notæ concoctionis: nã
in libris de criſibus dictum eſt nobis, principij nomen & multa ſignificare, & ſignificationem principij
in hoc loco, conuenienter ei diuiſioni, qua morborum tempora diuidentes, morbos ipſos ex princi-
pio, incremento, ſtatu, & declinatione conſtare aſſeruimus, accipiendam eſſe. cum igitur nuper dicta
ſymptomata prope morbi ſtatum apparent, iudicationem futuram in morbis ſalubribus ſignificant: ſi
in principio, tum non iudicationis quidem, quippe cũ in principio nihil queat iudicari, ſed delirij ſunt
notæ. ſcriptum autem etiam de his abunde eſt in libris de criſibus: ex quibus tu quoque totam de hi-
ſce tractationem perdiſce: eſt enim longior, quàm ut hunc recenſeri tota poſſit: ſed profecto, ſicut in
ceteris, ita in his rem ſummatim complecti, ſatis erit. ergo quoties natura ad excretionẽ properat, inſi-
D gnis in corpore fit perturbatio, ob quã huiuſmodi ſymptomata cũ manifeſtiſſimis coctionis ſignis ap-
parent. uerum cũ perturbatio ſimilis efficitur, nullo a natura facto ad ea, quæ moleſta ſunt, excernenda
apparatu, tunc periculoſiſſimũ ſignum eſt. dictum autem in alijs etiam commẽtarijs eſt de criticis ſym-
ptomatibus, & qualis ſit ipſorũ natura, & q̃uo differant ab ijs, quæ ſuper apparẽtia appellantur, in qui-
bus erunt ẽt ſigna coctionis: nã & præſagia, & librũ de humoribus, & aphoriſmos iam ante hũc librum
explanauimus. eadẽ autem de eiſdem ſemper dicere, eſt eius, qui prolixiore uti ſermone uelit.

46 *Qui autem euadunt, ij uel cum abſceſſu, uel ſanguinis e naribus fluore, aut craſſi puris ſputo euadunt. aliter ue-
ro, non item.*

Cum mori eos dixit, nõ abſolute id enũciauit, ſed magna ex parte. itaque erat cõſequẽs, ut diceret,
quomodo quidam ex eis ſeruarentur. eos nũc recenſet, ac quoſdã a morte liberari ait aut per ſanguinis
eruptionem, aut per abſceſſum, aut per puris abunde concocti ſputum. ac ſimul etiam his uerbis indi-
cat, ægrotos propter multitudinem in hæc cadere ſymptomata.

47 *Neque enim uideo Medicos ita harum rerum peritos, ut imbecillitates in morbis diſcernant, ſiue ob uenarum inanitio-
nem, ſiue ob aliam quandam irritationem, ut uel laborem, uel morbi uehementiam eueniant. neque omnigenas affectionum
ſpecies dignoſcant, quas uel natura noſtra, uel habitus ſingulis efficere ſolet: quanquam ab ijs uel ſalus, ſi cognoſcantur:
uel mors, ſi ignorentur, expectanda eſt.*

Quia de ægri robore,deq; imbecillitate locutus est, qui uictus rationis scopi sunt non contemnen E
di,ideo nunc sermonem de imbecillitate repetit: atque debere Medicos nosse,quibus hæc modis effi
ciatur.aliam uidelicet oriri ex uasorũ inanitione,siquidem uerbum hoc κεναγγεία id proprie primumq; A.l.1.f.1.d.1.
significat:& ob id ciborũ abstinentia sæpe uenarũ inanitio dicitur:tanquam nomen generis ad speciẽ c.19.p.79. C.
quoque homines cuncti transferre consueuerint: aliam uero ex labore,qui uel ita proprie intelliga-
tur,uel dolorem significet: seu ut quispiam dixerit,malam affectionem,qua in acutis morbis ægri ma-
le afficiuntur: alia præterea ob aliam quandam fieri irritationem docet.in quo si morsum dixit uel uen
tris,uel intestinorum,hoc symptoma sub nomine dolorum intellexisse uidebitur: si uero aut uigilias, A.l.3.f.11.e.2
aut oris uentriculi affectionem dixit,non proprie exposuit. ceterum uirtus dissolui uidetur etiam ob c.6.p.516.F.
euacuationem,quæ uel sanguinis eruptione,uel uomitu, uel deiectionibus,uel sudoribus fiat: & item
ob diuturniorem, quàm par sit inediam,& ob dolorem aliquem, aut uigilias, aut assiduas deijciendi
excrementa suscitationes: atque etiam cum os uentriculi sic affligitur,ut syncope suboriatur: idq; uel
propter grauantis alimenti multitudinem, uel quandam ipsius qualitatem,quæ molestiam afferat: si-
quidem hæc uires & celerrime fatigant,& dissoluunt. atque omnes quidem hæ uirium læsiones ex ma
nifestis causis proficiscuntur,sed aliæ ex non manifestis existunt: ut cum sine aperta euacuatione, uel
uigilijs,uel inediã,uel oris uentriculi sensu ægri ad talem affectionem trahuntur, qualem in principio F
præsagiorum scripsit Hippocrates his uerbis,Naris acuta,oculi concaui,collapsa tẽpora, & quæ dein-
ceps sequuntur:hæc enim corporis constitutio fit & ob uigilias,& ob excretionem quandam,quæ mul
ta sit,& ob inediam: fit etiam sine his: ut cum humores corporis tenues fuerint,& acer febris calor: nã
qui sic extenuati humores sunt,per euacuationem,quæ sensu non percipitur,euaporantur.ceteris autẽ
ob intemperiem quoque unius principis partis affectæ facultas imbecilla redditur: etenim affecta pri
ma laborat: deinde affectuum participatione reliquæ duæ læduntur. Scis enim,unam esse in neruis fa
cultatem,quæ cerebrum habet sui principium: alteram in arterijs,cuius principium est cor: tertiam in
uenis,cuius origo est iecur. ergo unius partis, quæcunque ea sit, intemperies propriam interdum fa-
cultatem uiolauit,cui affectus participatione reliquæ duæ facultates consenserũt. corde igitur patiẽ-
te,celerrime homines moriuntur: deinde, affecto cerebro: tardissime autem, iecore: ut enim hæ par-
tes intemperie affectæ in maximam suæ facultatis læsionem singulæ cadunt: sic partes aliæ principio
unicuique propinquæ, si uehementi intemperie affligantur, principia facultatum ad consensum, tra-
hunt.sunt etiam aliæ,quæ quamuis propinquæ non sint,ob† generis tamen communitatem, uel quan- †Vide primo
dam affectionis proprietatem partes facultatum principia continentes lædunt. cum igitur os uentri- in 3.epid. 4.
culi uitalem facultatem ad consensum ducit, syncopas infert: cum uero eam facultatem, quæ proprie G
animalis uocatur, deliria,ac conuulsiones. Vterus uero interdum facit,ut spirare non possint, interdũ
neruorum contentiones. uerum hæc omnia, cum perfecta sunt, ab omnibus cognoscuntur: cum uero
fiunt,& sensim crescunt, Medicos plerosque prætereunt.quæ sane non sunt denique cognoscenda, cũ
propter magnitudinem adhiberi eis remedium non potest,quod uulgaribus usu uenit, sed & cum in-
cipiunt,& cum fiunt: quod sane est optimum. quod si fieri non possit, saltem cum crescunt, ea cogno-
scere necesse est.hæc autem omnia significasse,mihi uidetur Hippocrates,cum dixit, Neque omnige-
nas affectionum species,quas uel natura nostra,uel habitus,singulis solet efficere.ubi naturam pro tem
peratura,& habitum pro corporis structura posuit. nam qui natura sunt rariore,ij tum per halitum di-
geruntur,tum syncopa facile corripiuntur: qui uero densiore natura constant,ij in morbis diutius mo
rantur. sic autem quidam partes habent tum frigidiores,tum calidiores,tum sicciores, tum humidio-
res: atque omnibus peculiaris suæ temperaturæ morbus accidit.

*Maius enim malum est,si uel ob laborem,uel ob morbi uehementiã debilitato aliquis uel potionem, uel sorbitionem co-* 48
*piosiorem,uel cibum exhibeat,existimans eum a uenarum inanitione factum debiliorem: turpe etiam est,eum, quem uena-*
*rum inanitio reddidit imbecilliorẽ,non cognoscere,& abstinentia torquere.quanquam ne hoc quidem peccatum periculo ua* H
*cat:tamen ut superiore leuius est,ita magis deridendum:si enim alius quispiam siue Medicus,siue plebeius accesserit,noritq;*
*accidentia,deinde contra prioris Medici institutum,cibum potionemque exhibeat,is plane uidebitur auxilium attulisse,*
*proinde prioris artificis institutum maximam apud homines calumniam subit: uideturque superueniens uel Medicus,uel*
*plebeius ueluti mortuum resuscitasse.*

Sæpenumero ægri ob dolorem sine pulsu redduntur, & animi defectione urgentur, & nullo mo-
tus genere cientur. idem patiuntur ob morbi uehementiam. quibusdam non hisce de causis uirtus im-
becilla fit,sed propter uasorum inanitionem quouis modo factam. siue igitur per excretionem sensui
manifestam,siue per digestionem per halitum,siue ob inediã uirtus labascit,hi quàm celerrime alimẽ-
tum postulant. contra fit in ijs,quibus uel propter dolorem,uel propter morbi uehementiam uires im-
becillæ fiunt:quippe qui euacuationis potius interdum,quàm repletionis indigentes sint: quibus qui
alimentum dederit,maximum afferet detrimẽtum. qui autem ex uenarum inanitione imbecilles sunt,
si quis tenui uictu torqueat,lædet, quanquam neque tam perspicue,neque tam celeriter. ignorare au-
tem,utrum æger ob euacuationem potius,an ob dolorem imbecillus sit, turpe est. cetera huiusce di-
ctionis sunt perspicua.

Nos

49 A *Nos vero de his rebus notas quasdam scribemus, quibus singula discerni queant.*

Pollicetur iterum hoc etiam loco, ut paulo ante fecit, se alium quendam de acutis morbis librum esse confecturum.

50 *Haec porrò similia sunt ijs, quae ventriculo contingunt. etenim si vniuersum corpus praeter consuetudinem multum quieuerit, non protinus robustius euadit. si vero longiore quoque spatio torpuerit, deinde ad labores repente aggrediatur, id quod effecerit, vile erit perspicue. eadem est singularum corporis partium ratio: etenim & pedes & ceteri articuli, ad laborem non assueti, tale quidpiam patiuntur; si post longum tempus ad laborem subito se vertant. similiter & oculi, & dentes, & cetera quoque partes afficientur: nam & cubile praeter consuetudinem aut durum aut molle, laborem parit. & quod sub diuo praeter consuetudinem stratum est, corpus indurat.*

Absoluto sermone, in quem de uirium imbecillitate per digressionem inciderat, ad institutũ suum redijt. ait, autem, quae nunc dicentur, similia quodam modo esse ijs, quae uentri accidere dicta sunt. summam autem ad illud ipsum dirigit, quo repentinas mutationes magno aegrotis detrimento esse confirmat. quod autem scribit hoc loco, habet hanc sententiam: quemadmodum uenter, qui diutius omnino in otio torpuerit, recte suo fungi munere non potest prius, quàm paulatim ad consuetudinem reuocetur; suaque munia exerceat: ita quoque uniuersum corpus, & singulae eius partes: tum partes quas-
B dam nominatim commemorat. in extrema autem oratione fecit quoque mutationis cubilis mentionem. nimirum illud ipsum de consuetudinis mutatione confirmans, quod erat ei ab initio propositum.

51 *Sed horum omnium satis erit exemplu quadam afferre: nam si quis vlcus neque admodum insigne, neque admodum vile in tibia acceperit, isque neque perdifficilem, neque facilem omnino vlcerum curationem admittat, & prima statim dieita iacens curetur, vt nequaquam crus eleuet, is inflammatione non afficietur: citiusque sanitati restituetur, quàm si oberrans curaretur. quod si vel quinto, vel sexto die, vel superiore etiam surrexerit, utque ambulare voluerit, magis vtique dolebit, quàm si statim ab initio obambulans curatus esset. si vero subito, multumque fatigetur, multo maiore dolore afficietur, quàm si per iam propositos dies inter curandum esset fatigatus.*

Vt ante alijs propositis exemplis, sic nunc ulceris exemplo agit adhuc de repentina mutatione: nam si quis inquit, ulcus habeat in tibia, debeatq; quiescere, & iacere, obambulet quiete incedens, (id enim significat quod ipse ait oberrans curetur) is laedetur quidem prorsus, sed minus, quàm qui primis diebus quieuerit, tum repente uel quinto, uel sexto die uel etiam superiore, hoc est tertio, aut quarto ambulare coeperit. sunt qui putent, diem superiorem intelligi sequentes dies, ut septimum, octauumq;, & nonum: qui tamen, si id eis placebat, debebant principium huius uerbi per ε & ξ, ἐξωτέρω. i. exteriore, &
C non per α & ν, ἀνωτέρω. i. superiore scribere. quare autẽ, inquiunt, non potest tale ulcus esse, ut non parum laedatur qui septimo aut octauo die ambulare coeperit, & antea quieuerit: ac grauiter quidem laedatur, dixerim, si ulcus magnũ fuerit, & aeger eiusmodi, cui ulcus difficulter curetur: & magis, si haec ambo concurrant. at si neq; ulcus magnũ fuerit, neq; laboranti difficulter ulcera curentur, accõmodata uero adhibeatur curatio (nam & hoc subaudiendum est) is iam circa septimã aut octauã diem bene habebit, & ambulare sine laesione poterit. ideo addidit in oratione, cum de ulcere loqueretur, neq; admodũ insigne, neq; admodum uile simplex uidelicet ulcus, uile nominãs. de homine uero, addidit, qui neq; perdifficilem, neq; facilem oĩno ulcerum curationẽ admittat: nam qui talis sit, si nullus alius in curatione error admittatur, solum quia mediocriter ambulet, cum iacere debeat, laedetur quidẽ sed non ita grauiter, ac si primis diebus quieuerit, tum uero tertia, aut quarta, aut quinta, aut sexta coeperit ambulare. qui uero magnum ulcus habeat, sitq; eiusmodi, ut ei difficulter ulcera sanentur, is quidem non mediocriter, sed grauiter laedetur ab initio obambulans: quẽadmodum cõtra, qui paruum ulcus habeat, & ualde facile ulcera ei sanentur, cum in primis diebus quieuerit, si quinto, aut sexto coeperit ambulare, nõ grauiter, sed mediocriter laedetur. quã ob rem Hippoc. de eo, qui in utraq; oppositione medium locũ tenet, sermonẽ fecit. dicit autẽ oppositionẽ, quae inter magnũ, paruũq; ulcus interiecta est, & eam, qua is qui facile, ab
D eo qui difficulter ulceris curationẽ admittit, distinguitur. planũ aũt est, nihil differre, siue insigne, siue magnum ulcus dicas: sicut etiã siue uile, siue paruũ pronuncies: nã insigne propter loci naturã tale fit, quod uirtute magnũ efficitur, etiã si cutis dissectione sit paruũ, uel etiã si ipsa sectionis magnitudine insigne fiat. uile aũt, qđ simplex est, & paruũ, uel ꝓpter loci naturã, q̃ abiecta est, uel ꝓpter paruã sectionẽ, appellatur.

52 *Itaq; ex his perpetuo licet perfectum colligere testimonium, omnem subitam supra modum & ad haec, & ad illa mutationem, detrimentum afferre.*

Facit mentionem huius sermonis in singulis exemplis. ac nunc quoq; in exẽplo ulceris idem fecit: nam quod ait perpetuo, significat idem, quod ubiq;, & semper.

53 *Multiplex autem in uentriculo est laesio, si ex multa uenarum inanitione repente quid plus, quàm par est, ingeratur. sic reliquum quoque corpus, si ex multa quiete subito ad uehementem laborem deducatur, magis laedetur, quàm ubi ex pleniore cibo ad uenarum inanitionem transmutetur. illorum etiam corporũ torpere necesse est, qui ex multa fatigatione, repente ad ignauiam, socordiamque sese conuertunt. proinde uentriculos ipsorum non ita multo cibo exercere oportet: alioqui & dolore, & grauitate totum corpus uexabitur.*

Quod primũ omniũ ei propositũ erat ad demonstrandũ, id de repentinis uentris mutationibus fuit: tũ ab hoc ad generalius, quod etiã uniuersalius dicũt, transiẽs, de omni repẽtina cõsuetudinis mutatione huc usq; disputauit: cũ enim specialia generalibus, & particularia uniuersalibus cõtineantur, uentrisq;

permutatio cum ſubita omnium mutatione ſit demonſtrara, nunc ad uentrem denuo reuerſus, differétias mutationum, quæ in eo fiunt, docet: aitq; multo grauiorem læſionem ex uictus mutatione extare, cum ex multa inedia repente plus modico ingeritur, quàm ſi ex multo cibo ad inediam fiat commutatio. aſſumpſit quoq; huic ſimile in toto corpore fieri: minus enim offendũtur homines qui ex motibus ad quietem ſubito tranſeunt, quàm qui ex quiete ad motus migrant. quo etiam in loco intempeſtiuæ mutationis correctiones adiunxit, ut in ſuperioribus fecit: quanquam hoc ad præſens inſtitutum pertinere non uideatur. quæ autem adſcripſit, ſunt hæc: qui ex motu & actione ad otium tranſeunt, eos torpere, hoc eſt toto corpore quieſcere præcipit. quod idem eſt, atq; illud, vbi fames, laborãdũ nõ eſt. quique ex multa fatigatione ad quietem tranſeunt, ijs pauciora offerenda ſunt. hoc autem etiam eo pertinet, ut uenter quieſcat: quoniam qui toto corpore non laborat, ſi cõſueta ingerat, is plenitudinem ſubalet: & idcirco totum corpus grauabitur, & dolore uexabitur. dolor autem hoc loco ſignificat læſionem: cum multarum læſionum ſpecie differentium genus ſit.

E

A.l.1.f.3.d.2. c.7.p.116.C.

54 *Ceterũ de mutatione uel ad hæc, uel ad illa plura ſum locutus, quod huiuſmodi notitia ad omne fere negotium utilis eſt, præſertim ad hoc noſtrum propoſitum: quod ſcilicet in acutis morbis a uenarum inanitione ad ſorbitiones tranſeunt. ac trãſeundum quidẽ ego præcipio, ſed nõ eſt exhibenda ſorbitio, donec morbus maturus uideatur, aut aliud ſignũ, uel circa inteſtina, ut euacuatio, aut irritatio, uel circa præcordia apparuerit, cuiuſmodi a nobis conſcribetur.*

F

Totum rurſus ſermonem tanquam in unam ſummam redegit, præcipiens, ne in ijs, qui uno eodemq; modo ſe habẽt, uictus rationem commutemus, ſed in ijs, qui ex ſanitate in morbum cadunt, mutemus quidem, ſed non, ut ceteri faciunt. deinde compendio quodam ſcopum uictus rationis in acutis morbis declarauit: ſi enim morbus concoctus ſit, tranſeundum eſſe ad dandum cremorem præcepit: ſi incoctus adhuc ſit, non eſſe tranſeundum: niſi forte aliquod ſymptoma, quod uires deijciat, appareat, ut uel immodica uentris uacuatio, aut aliqua alia irritatio accedat. cõmuni autem irritationis nomine cõplexus eſt omnia. quæ quouis modo uires ad imbecillitatem perducant: quo in numero cenſentur & morſus, quẽ acer humor ſiue in inteſtinis, ſiue in uentriculo, præſertim uero in eius ore, parit, & uigiliæ, & ira, & mœror, & lumbrici helminthes, qui ab inteſtinis ad uentrẽ uſq; aſcẽdunt, ac totius cutis, aut membri alicuius pruritus, qui nocte aggrediatur: ut uires nõ ſolũ illa irritatione, ſed ẽt propter uigilias exoluantur. Præterea inquit, in præcordijs, cuiuſmodi conſcribetur: ipſa.n.ẽt dandum, aut nõ dandum eſſe alimentũ indicabunt: poteſt.n.utrunq; intelligi: ſed alterũ potius accipiẽdum eſt, ut ex ipſa orationis ſerie percipitur: nã cum præcipiat, a ptiſſana abſtinendum ante morbi maturationem, cum.ſ.ſufficere æger poſſit, addidit, niſi ſignũ aliquod uel circa inteſtina, ut euacuatio, aut irritatio, uel circa præcordia apparuerit, cuiuſmodi a nobis ſcribetur: tanquam hęc quandoq; nos moneant, ut ante morbi maturationem cremorem demus. forte aũt præcordia dicit, quæ uehementer exaruerunt, & ſqualida admodum ſunt. ac talia quidem ẽt cadauéroſæ faciei contingunt, de qua in præſagijs locutus eſt his fere uerbis, Naris acuta, oculi concaui, collapſa tempora: hic enim ſignorum concurſus præcordia habet ita contracta, ut aliquem ex ijs, qui inexercitati ſunt, fallant, tanquam reuulſa uideantur. nec tamẽ idẽ eſt, uehementer contrahi propter ſiccitatem, & reuelli propter inflammationem: ſiquidem exuperãs corporis ſiccitas ſepto tranſuerſo & præcordijs maiorem tentionẽ parit. ſed eſt maxime animaduertendũ, & diſtinguenda a ſiccitate eſt inflammatio, quando ẽt diuerſa curatio eſt: qui.n.ita propter inflammationem affecti ſunt, tenuiſſimum uictum poſtulant: qui uero ob ſiccitatem, contrarium: ubi ſæpiuſcule paululum cremoris ptiſſanæ exhibemus.

G

55 *Vehemens uigilia ut cruditatem incoctionemque tum ciborum, tum potionis efficit: ſic in diuerſa tranſmutatio corpus reſoluit, excoctionemque & capitis grauitatem inducit.*

Exiſtimaui perſæpe hunc librũ in typis repertũ, poſt Hippocratis mortẽ editũ eſſe: neq; enim alia ratione tã inordinata potuiſſet ſermonum extare diſpoſitio: cum exempla, quæ ab Hippocrate ad uniuerſale confirmandũ inueniebãtur, in hoc libro partim in fronte, partim in tergo ſcripta ſint: nec potuerit ipſe unicuiq; tum iam ſcripto, tum addito ſuum ordinem aſſignare: etenim quod hoc loco dicitur, apertiſſime patet, non eſſe ordine collocatum: ſiquidem huius rei adſcribendæ non hic erat occaſio: ſed paulo ante, cum de ea mutatione, quæ præter conſuetudinem in contraria fit, exempla ſubiunxit: quibus hoc erat etiam adijciendum: quæ enim ad uigiliam inſueta fit mutatio, ea crudiores & cibos, & potus reddit: ad ſomnũ uero multũ, præter conſuetudinem, eumq; ſtudio quodam accerſitum, ſegnitiem corporis, & capitis grauitatẽ gignit: quam enim ipſe excoctionem, & diſſolutionem, & capitis grauitatem dixit, ſignificat roboris diſſolutionem, uno uerbo comprehenſam: quod etiam declarat nomen excoctionis, quæ ob calidam humiditatem, non ob ſiccitatem efficitur: cum uigilia apta ſit, ut per halitum digerat, ac ſiccet, & non, quæ in imo ſunt, coquat: ſomnus uero, ut humectet, ſpiritumq;, & effluxiones cohibeat. non igitur ſine ratione in corpore eorum, qui plurimum, præter conſuetudinem dormiunt, halituoſa excrementa redundant: ob eamq; cauſam tota ipſorum conſtitutio perinde, atq; in excoctis exoluta redditur.

H

A.l.1.f.2.d.2. c.12.p.57.B.

# GAL. IN LIB. HIPPOCRATIS DE RATIONE VICTVS IN MORBIS ACVTIS COMMENTARIVS TERTIVS.

## ARGVMENTVM.

Vini, aquæ mulsæ, oxymelitis, aquæ, & balneorum facultatem exponit.

†Hæc inscriptio non est in.v.c.sicut neque etiam ceteræ, ut de aqua mulsa, de balneis, & de aqua: sed in margine tantum.

## †De Vino.

*VINVM autem dulce, & uinosum, & album, & nigrum, atque aquam mulsam, & aquam, & oxymel, quantum ad acutos morbos pertinet, his distinguere notis oportet.* 1

B Hæc uinorum enumeratio nō solum inordinata, sed etiam diminuta ab eo adhibita est: siquidem una est ipsorum differentia in colore: altera ex gustatus qualitate existit: tertia in consistentia uersatur: quarta in odore posita est: quinta in facultate consistit. quæ ergo in colore est, ea in album, nigrum, fuluum, flauum, rubrumque diuiditur. cumque aliæ sint intermediæ differentiæ, sane, ut in colore, sic in facultate permistæ comperiuntur. quæ autem ex uini gustatu oritur differentia, ea iu dulce & austerum diuiditur, & in medium quod ex eis conflatum, tum nullam habet manifestam qualitatem, tum ex utraque constat: præterea uero in id, quod acre nominatur. quæ uero in consistentia spectatur differentia, in aquosum & tenue, & ualde crassum, & in horum medium, & item in ea, quæ inter hoc medium & extrema interiecta sunt, diuiditur. ex ea uero, quæ in odore est, differentia, alia quidem boni odoris sunt, alia non boni: sed ferientem quandam & insuauem qualitatem sunt nacta: alia odorem penitus non habent, sed perinde, ut aqua, sunt odoris expertia. In facultate uero differentia est, per quam aliud potens, aliud imbecillum, aliud medium, atque aliud, quod inter hoc medium & extrema interiacet. potens autem uinum est, quod uehementer, ac celeriter corpus calfacit, caputque ferit: imbecillum, quod huic est contrarium. quæ uero media sunt, cognoscuntur, si ab extremis distin-
C guantur. ac potens quidem, uinosum: imbecillum uero, aquosum appellatur: nam in quo uinum aquā superat, id cum in aliquo uehementissimum esse conspiciemus, iure uinosum uocabimus: sicuti contrarium, aquosum, quod aquæ est maxime simile in omnibus, ut in tenuitate, ut in colore, ut in odoris uacuitate, ut denique in non manifesta calfactione. hæ igitur sunt differentiæ, quæ in uinis ex propria ipsorum natura ductæ comperiuntur. addunt nonnulli differentiam, quæ ex tempore sumitur, qua uetusta quædam admodum sunt, recētia quædam, & quædam inter hæc, media. sed perspicuum est, has differentias eorum esse, quæ extriusecus accidunt: in eo enim, quod uina calidiora, & acriora fiunt tempore, atque unà cum his tum colorem, tum consistentiam, tum odorem mutant, tempus quandam facere in uinis differentiam uidetur: sin autem nulla in his fiat mutatio, profecto neque uetus, neque recēs uinum ab ullo dicetur. immo neque nuuc ita dicunt, tanquam primo ac præcipue annis uini opus sit: sed ut cum annis facultatem quoque commonstrent: neque enim uina propter tempus aut iuuant, aut lædunt, sed id ex propriarum differentiarum mutatione consequuntur. Cum igitur de uini agimus differentijs, facimus temporis mentionem nō primo & præcipue, sed per accidens. ceterum ex proprijs uinorum differentijs quædem propria ratione iuuant, aut lædunt, quædam non propria ratione, sed per accidens: ac dulcedo quidem, & austeritas, propria ratione, itemque potentia, imbecillitas, tenuitas, &
D crassities: differentiæ uero quæ ex colore, odoreque nascuntur, non primum, sed ex accidenti: propterea quod uina quædam sunt & aquosa, & alba, & fulua, & nigra: quædam uero aquosa & inodora, qualis est aqua: uel boni odoris, ut aromata, & unguenta. si igitur hæ sunt uinorum differentiæ, quæ & ex propria ipsorum ui, & ex accidenti sumptę numerantur, iam tibi de ea, quæ in hac dictione tum ordinis, tum numeri est, defectione constabit. at, si in sequentibus omnium utilium differentiarum meminisse uidebitur, ei, quod nunc minus perfecte eas exposuerit, ueniam dabimus.

2 *Dulce quidem uinum, non adeo ut uinosum, capiti grauitatem affert, & minus tentat mentem, & quouis alio facilius per intestina descendit: sed iecur, & lienem in tumorem attollit: nec idoneum est ijs, in quibus amara bilis exuperat: nam & his sitim excitat, & superiorem intestinorum partem inflat, inferiori uero intestino, quod ad flatus rationem attinet, non est inimicum. sane flatus, quem dulce uinum excitauit, non facile permeat, sed in præcordijs diu commoratur.*

Vinum dulce ex qualitate, quæ iu gustatu est, nominatur, ex qua austerum quoque & acre dicitur, ut interim aquosum omittamus, quod non omnino expers est adstrictionis: tametsi exolutam penitus habeat adstringendi qualitatem: si enim ipsum aquæ comparaueris, ex ea comparatione plane senties, gustum huiusmodi uinorum esse eorum, quæ modicum adstrictionis nacta sunt. aquosum autem uinum mortales uocant, quod tum colore, tum consistentia est aquæ persimile: nam & perspicuum, ut aqua, & splendidum, & purum, & consistentia tenue uidetur. protinus uero etiam huiusmodi uinum est facul
tate

tate aquæ simile, cum neque imbecillum caput attingat, neque neruos infirmos lædat, quando ne mani E A. l. 1. f. 3. d. 2. c. 8. p. 120. D. feste quidem calfacit. sed de hoc uino alias agetur. Dulce autem uinum sic nominatur ab ea qualitate, quæ in gustu est: sed permultum & colore & consistentia ab aqua differt: nam neque tenue exquisite, neque album unquam dulce uinum uidebis: sed magis, ac minus ab his recedit, atque eorum neutrum habet. Dulcia autem uina præcipue sunt theræum, & scybelites: utraque crassa & nigra. dulcia quoq; sunt ea, quæ in Mæonia fiunt, therinum, & caryinum, tanto prædictis & crassitie & nigrore superiora, quanto sunt inferiora dulcedine. præterea quod sapa, defrutumque uocatur, & ex musto cocto conficitur, quo uino dulcius redditur, eo & colore nigrius, & consistentia crassius apparet. In quarto autem de simplicium medicamentorum facultatibus libro, dulcem omnem saporem a caliditate, quæ non immoderata & uehemens sit, sicut acrem in uehementer calfacientibus fieri docuimus: ab illis enim separari acrimonia non potest. in usu tamen dulce uinum uidetur mediocriter calefacere: sitimque facit & propter caliditatem, & propter crassitiem. atque ita etiam mustum, quo diutius in igne uersatur, eo crassius, nigrius, dulciusque redditur. & tamen si supra modum coctum sit, contrahit amaritiem, quo modo & mel ipsum, quod licet sit omnium dulcissimum, tamen lógiore coctione amarum efficitur. sed, ut ante dixi, de qualitatibus omnibus, quæ in gustatu uersantur, in quarto de simplicium medicamentorum uiribus locuti sumus. ac nunc, ut alibi quoque in explicationibus, quas in Hippocratis libros con F scripsi, non demonstrationes, sed ipsarum solas conclusiones affero. Cum igitur uinum dulce uiscus calfaciat, sitque, ut diximus, crassa consistentia, particulares eius facultates, quas epotum indicat, ex secundis qualitatibus consequuntur: color enim suapte ratione nullam uim neque ad iuuandum, neque ad lædendum habet. ergo huiusmodi uinum pro consistentiæ crassitie tarde permeat. quapropter non modo ex partibus obstructis quicquam adimet, sed etiam obstructiones adaugebit: ob eamque causam iecori male affecto maximum afferet detrimentum: præsertim uero, ubi aut inflammatio, aut scirrhus ip A. l. 3. f. 10. t. 5 c. 1. p. 502. E sum obsideat. moderatius autem lædet, cum uiscus aut a crassis humoribus sit obstructum, aut propter imbecillitatem afficiatur: ut in ijs affectionibus, quæ proprie hepaticæ uocantur, usu uenit: post iecur, lien a uinis crassis læditur: at pulmo non item, cum crassum humorem in bronchijs habet: nam in iecore ex amplis portæ uasis ad extrema angusta uasorum rum gibbæ, tum simæ proceditur: per quæ eorum omnium, quæ in totum corpus digeruntur, transmeatio efficitur: in pulmone uero contra fit: nam per uenas multas digestum, & elaboratum in amplam bronchiorum, & primo minorum capacitatem incidit, tum ab his ad maiora excipitur: ac secum crassos humores tollit, quibus non modo calidius, sed etiã A. l. 3. f. 10. t. 5 c. 1. p. 502. E tenuius est. nosti autem pulmonem ab humoribus crassis, ac glutinosis per tusses expurgari: nam qui aquei sunt, & exquisite tenues, aerem, qui tussiendo foras mittitur, circumfluunt: est enim aer tanquam G manus quædam, quæ sursum crassos humores secum fert: sed debet ea esse humorum crassities, ut ab aere sursum ferri queat, non, ceu lutum, bronchijs illita. quam ob rem glutinosos humores tusses non expurgant: manent enim illi, & interna bronchia, uisci modo, occupant. ita fit, ut medicamenta, quæ ad crassos humores, qui pulmone continentur, educendos idonea sunt futura, moderatam humiditatẽ habere debeant: si uero glutinosi humores fuerint, non humiditate solum, sed ea etiam, quam acidi succi efficiunt, detersione opus est. quam ob rem aqua mulsa accommodatissima est ad crassos humores sputo reijciendos: oxymel uero ad glutinosos. aquam mulsam sequitur ptissana. post eam uinum dulce est, si maturis iam & peripneumonia, & pleuritide propinetur, corporibus non iam amplius inflammatione uexatis. si uero tale uinum potui datum, sitim creet, tum minus ad expuitionem aptum est. sed, ut uno uerbo complectar, uinum dulce in morbis acutis ad expuitionem & propter actiones antedictas, & ex communi uinorum omnium ratione qua uires corroborant, accommodatum est: præsertim autem ijs, qui quæuis humida, quæ tum thorace, tum pulmone continentur, expuunt. illa autem humida uaria esse tum consistentijs, tum qualitatibus, tum facultate, in præsagijs didicisti, ubi sputorum differentiæ exponuntur. ac tale quidem uinum febricitantibus datum, nullo alio bono præditũ est, minus tamen poterit lædere, quàm uinosum, quod uehementer calfacit. præterea uero nullum aliud H commodum, præter ea, quæ diximus, affert, nisi quod modice uentris permeationem iuuat. itaque Hip- † αὐτοῦ legitur in cod. Bessar. ut clarius ad unum referatur. pocrates cum a minus lædentibus, quæ multa sunt, docendi initium sumpsisset ad utilitates † ipsorum, quæ paucæ sunt, in fine sermonis pertransiuit. quam ob rem eius dictionem persequentes, quæ recenset, percurramus. ait igitur, uina dulcia minus, quàm potentia, mentem ferire: hoc est, minus deliria excitare: siquidẽ uina potentia, cũ uehemẽter calfaciãt, caput humoribus, uaporibusq;, & caliditate replent. uina igĩ dulcia, quo magis a calore uehemẽti absunt, eo minus caput grauant, ac mentẽ lædunt. addit ea facilius per intestina meare, ac uiscera in tumores attollere, hoc est uiscerũ tumores adaugere. sed de his pauloante dixi. prꝫterea negat uinũ dulce ijs, qui amarã bilim coaceruãt, esse idoneũ: medici enim bilem, simpliciter & flauam & pallidã appellare solent, nigrã uero non item, sed hoc totũ, nigram bilem, non bilem simpliciter uocant. sed hæc quidem est acida, quæ uero flaua est, amara. ideo πικροχόλους appellat eos Hippocrates, in quibus huiusmodi bilis redundat. hæc autem aquosis permixta ichoribus, & liquidissima, & pallida uidetur: cum uero sola est, crassa est, & flaua. calidæ autem & siccæ temperaturæ huiusmodi bilem creant: ad quam gignendam omnes dulces succi ualent. ex quo fit, ut omnium horum mel maxime in bilim uertatur, quod dulcissimum fit, deinde uero dulcia uina. nec solum autem, quod multus calor tales humores amaros reddit, ideo dulce uinum est febricitantibus incommodum,

A modum, præcipue si calida siccaque temperatura sint: uerũ quod & crassa huiusmodi uina sint, & quod per urinas non uelociter descendant, neque cito difflentur, inde euenit, ut neque biliosos humores secum ducant, neque etiam excernant. solis ergo his unum inest bonum, quod uentrem emolliunt: quod si non faciant, omni pacto nocent. præterea sitim creant, quare indicant, facile in bilim ipsa conuerti. ait quoque hoc uinum flatus gignere: crassi enim humores excalfacti flatum sibi similem tum uaporosum, tum crassum pariunt. quod autem tale est, inflationes facit. quapropter ex tenuibus uinis flatus non excitatur, quamuis interdum quidpiam gignatur, quod & tenuium partium, & aerium, non nebulosum, uaporosumque sit. Iam uero dulce uinum non esse inferioribus intestinis infensum ait: quanquam flatus, qui ab ipso existit, tarde meat, & diu in præcordijs commoratur. ea autem causa est, cur inferiora intestina non admodum perturbet, quod in præcordijs moratur, donec coctum, & tenuatum perfecte sit. quod si semel coctum sit, tum naturam quæ facilius permeet, tenuiorumque partium sit, habebit. qua igitur ratione a supernis partibus ad infernas expellitur, eadem ab infernis extra emittitur.

3 *Vrinam omnino minus hoc, quàm album, uinosum ciere potest.*

Quod appellarit uinosum, album, considerandum est: ante enim uinosum uinum esse, & uocari diximus, quod merito opponitur aquoso. oportet igitur, ut & ualenter calfaciat, & caput repleat, & deliria procreet, & febris calorem adaugeat: sed uinum huiusmodi album non est, neque cum nouum, neque cum uetus est: siquidem nullum etiam aliud ex ueteribus uinis album manet, etiam si principio tale maxime fuerit: immo uero semper magis fuluum redditur, ac tandem flauum. Videtur ergo Hippoc. uinosum album dixisse, austerum, quod etiam urinas non mouet, sed, si tale crassum fuerit, in præcordijs moratur: si non crassum, neque multum moratur, ut nigrum, neque pariter, atque alba simul & mediocriter austera, per urinas descendit: hæc enim uina ciendi urinas uim habent, propterea quod utriusq; proprietatis per urinas descendendi sunt expertia: tum eius quæ † aquosi uini est, quam ob frigiditatẽ acquisiuit: tum eius, quam uinum nigrum propter crassitiem habet: nam album uinum & austerum cali dum est minimum inter uina: ideoque ijs destillationibus conuenit, quæ ad uentrem fiunt: eiusmodi tamen uinum non abunde urinas ciet. ac fortasse Hippocrates nigrum huic comparans, ipsum minus ciere urinas dixit.

† C. Bessar. nihil uariat: uerũ ex nostris habet ὑδατώδους. i. aquosi uini, & melius ut cuiq; perspicuum est.

4 *Sputum autem alio efficacius educit, quod dulce est.*

C Quodnam aliud dicit? an id, de quo est instituta oratio, cui cõparans dulce, ait, Vrinam omnino minus hoc, quàm album uinosum ciere potest: an uero non hoc solum, sed absolute, quodcũque dulce nõ est? cum igitur, quatenus ad hanc dictionem pertinet, obscurus sit Hippocrates, sitque probabilius, ipsum nunc de uinoso albo intelligere, rursum alia quoque difficultas suboritur, quod non admodum pateat, quod uinosum album sit: utrum sit id, quod uehementer calfacit, an quod ualde adstringit, quod etiam acerbum Græci uocant, ut quod moderatius, austerum: quomodo igitur intelligenda hæc uerba sint, ego ueritatem exponam. omnium uinorum maxime sputum educit dulce, si nõ admodum crassum sit: ueluti etiam quoties non usque adeo ad fuluum recesserit, ut exolutæ in eo sint crassities, atque dulcedo: incommodum enim fuluum est, ut febri succurratur, quod uehementer calidum sit. post uinum autem dulce non admodum crassum, ad eorum, quæ in pulmone sunt, eductionem, accommodatum est uinum aquosum: uires scilicet roborans, & humores humectans, atque † incidens mediocriter. idẽ quoque cum minore periculo, quàm cætera alia omnia uina, febricitantibus datur.

A. l. 3. f. 10. t. 5. c. 1. p. 502. E. † C. Bess. habet τέμνον, id est incidẽs. & melius, quàm ὑγραίνον id est madefaciens. ne idem iteretur.

5 *Quibus autem potui datum, sitim facit, ijs minus, quàm aliud uinum educit. quibus uero sitim non affert, in ijs magis, quàm aliud, educit.*

D Aliud uinum dixit, quod omnino sitim nõ gignit. quid autem causæ sit, cur uinum quod sitim creat, sputa minus educat, facile cognosces, si quæ prædicta sunt, ad memoriam redegeris: sitis enim manet in ijs, qui dulce uinum bibunt, propterea quod febris ipsius calor sit magis malignus: qui cum talis sit, sputum siccat, crassiusque reddit, ac glutinosius: idque esse difficile ad educendum, ne probandum quidem est.

6 *Vini albi uinosi tum laudes, tum uituperationes in dulcis uini enarratione magna ex parte continentur: ipsum enim alio facilius ad uesicam transit: urinam ciet: perpetuo purgat multa, ad utilitatem in his morbis afferendam. quamuis enim quod ad alios usus pertinet, ab alio superetur, quia tamen per uesicam purgat, ideo liberat, si, ut oportet, exhibeatur. has igitur de uini usu & noxa coniecturas, licet perpulchræ sint, maiores tamen nostri ignorauerunt.*

De hoc uino dictum est, cum de uino dulci loqueremur: siquidem uires ipsorum comparauit, ac peruestigauit. dixi autem non exiguam esse quæstionem, utrũ album simul & austerum significauit, cum album uinosum nominauit: an id, quod uehementer inter uina alba calfacit: cum ex uinis albis nullum calfacere ualenter possit. nam quod summe calidum est, id continuo est flauum, sicut quod deinceps sequitur, fuluum: mox post hæc, rubrum: ac deinde dulce. album uero minus, quàm hæc omnia, calfacit: sed differẽtias particulares, sicut etiam alia interualla, pro pluris ac minoris ratione, habet. quod autem hoc uinum facilius, quàm dulce ad uesicam permeet, dictum est supra. atque ipsum ad alia esse

esse dulci incommodius.alia autē intelligit, uentris subductionem, & sputorum eductionem. perpul- E chras autem esse hasce coniecturas, hoc est notas, quibus uinorum facultates cognoscimus esse dixit.

*Fuluum uinum, et nigrum austerum eundem usum habere censerem in acutis morbis, nisi capitis grauitatem inducerent, & mentem attingerent, & sputi ac urinæ exitum impedirent: ac si alui excrementa & humentiora, & ramentosa sint: nam in his ab albo demigrandum præcipue est, & ab ijs, quæ sunt consimilia.* 7

Vinum dulce, continuo etiam nigrū est, non tamen nigrum omne cōtinuo est dulce: sed ex eis quædam sunt austera, qualia apud nos in Asia prope Pergamum, in Perperina & Aegis. quod autem in Cilicia est † albates, austerum simul, dulceque est, ex qualitatibus contrarijs cōstans. quocirca prauum est, quia neque distribuitur, neque descendit, sed plus, quàm par est, in superiore uentre manet, ipsumque inflat. quod uero citra dulcedinem est nigrum & austerum, id uentri utile est, quando uel plura, quam conueniat, descendunt, uel ramentosa sunt: tunc enim uinum austerum, non secus quàm album, & item cetera medicamenta adstringentia conueniunt. ad hæc ait etiam fuluum esse accommodatum. in quo non dicit omne fuluum absolute: sed fuluum austerum: nam de utrisque intelligendum est, quod in principio huius dictionis scriptum est, Fuluum autem & nigrum austera eundem usum habere censerē, duplex autem est fuluum, ut etiam nigrum. nam aliud dulce, aliud austerum est: ac tertium quoque præ F ter utrunque est, quod ex utriusque qualitatum permixtione constat: sed cum hoc unam habeat qualitatem, utroque colore duplex est. fuluum uero caput, ac mentem magis tentat: propterea quod est nigro calidius: qua eadem ratione febres auget: quibus quidem febribus sola ea uina conueniunt, quæ aquosa sunt. merito igitur austerorum uinorum usum prohibuit, siue illa colore fuluo, siue nigro sint. in capitis uero grauitate, ac mentis læsionibus, hoc est, ubi febris eam percusserit, ac præterea in thoracis, pulmonisque morbis, in quibus sputum cohibetur, uina huiusmodi incommoda esse confirmat: itemque cum urinæ supprimuntur, idque propter crassitiem & adstrictionem usu uenit.

† C. Bess. hēt Amates, alii legūt sybates.

*Latere autem id neminem debet, ut uinum dilutum superiores & inferiores partes corporis minus lædit, sic meracius intestinis magis auxiliari.* 8

Meracius uinum, ut dixit, intestinis magis conuenit. itaque non sine causa iuuat ipsa ratione adstrictionis, propter quam omnino prodest. sed huiusmodi adstrictio exoluitur, si uinum sit aqua temperatum. quam etiam ob causam minus iuuat intestina. ceterum ut hæc iuuat adstringendi ratione, cum meracius fuerit, sic thoracem, caputque magis lædit. atque hæc quidem sunt, quæ indicauit, cum dixit, superiora quidem offendit omnia. quin ea etiam corpora lædit, quæ per urinas expurgari debent: siquidem G austerum uinum omnes cohibet excretiones. Hæc de uinis locutus Hippocrates, ad aquam mulsam statim pertransit: cum cetera fere omnia de uino demonstrasset, at uno, quod non absoluit, prætermisso: quod quidem ego obiter percurram. hoc autem est, aquosum uinum esse febricitantibus maxime idoneum. hoc autem uinum est colore album, consistentia tenue, nullamque insignem earum, quæ ceteris uinis insunt, qualitatem habet, neque austeritatem, neque † acerbitatem, neque dulcedinem, neque acrimoniam, neque odorem denique: huic enim soli inter omnia uina, datum est, ut aquæ & uini mala effugiat. huiusmodi autem apud omnes gentes inueniuntur, ut in Italia imbecillum Sabinum, quod febricitantibus potui dant: in Asia Titacazenum, & Tibinum. Sed ubi huiusce uini notas intellexeris, talia facile in qualibet gente comperies: apud quas ualde tenuia, & aquosa uina producantur. atque ego quidem talia etiam reperi in Cilicia, Phænicia, Palæstina, Scyro, & Creta. immo uero, ut dixi, in regionibus omnibus uidi: & quod magis mirabile est, in Aegypto: crassa enim & odora, & ualde potentia uina in feruidis regionibus prodeunt: in Italia uero, & Bithynia & Asia si multa aquosa producantur, nihil mirum uideri debet. sed merito quæret hic quispiam quid causæ sit, cur Hippocrates in præcedenti dictione de his uinis separatim non sit locutus, cum tamen febricitantibus hæc, quàm cetera omnia, sint minus noxia: neque enim dicendum est, Hippocratem tale uinum ignorasse: siquidem paulo H post, cum de aqua mulsa agit, hæc subdit: ceterum uino albo tenui, paucifero & inodoro quodam modo est potentius, & quodam modo infirmius. hæc dixit, aquam mulsam uino albo tenui, & paucifero, hoc est parum aquæ ferenti & inodoro comparans. itaq; cum uinosi uini notas perspicue & exquisite recenseret, ut caput, mentemque tentet, existimauit, se quoque de aquoso, quod illi contrarium est, satis abunde docuisse: cum in eo contraria inesse, possimus ratione comprehendere.

† Oēs cod. habent στρυφνότητα, i. acerbitatem.

DE AQVA MVLSA.

*Aqua mulsa per totum morbum in acutis epota, his, qui amara bili abundant, & quibus magna sunt uiscera, magna ex parte minus, quàm qui non sunt huiusmodi, idonea est.* 9

Quod ait, per totum morbum, declarat, se de illis morbis loqui, in quibus dixit, non esse cremore ptissanæ utendum prius, quàm ad statum morbus peruenerit: si enim acuta febre correptus sit ægrotus, neque tamen in thorace, & pulmone morbus sit, uiresque ualeant, & morbus non sit ultra quintum diē se producturus, aqua mulsa sola potui data satis erit, ut sufficere æger possit. ac ceteris quidem omnibus in morbis, qui huiusmodi sunt, conuenientissima mulsa est. sed ijs, qui amara bili abundant, minus est

propitia:

A propitia:siquidem in eis,nisi prius uel per intestinum,uel per uesicam transierit, in bilem uertitur. ac si pertranseat,tantum abest,ut lædat,ut etiam iuuet uel maxime: nam secum excremēta biliosa deducit. atque hac quidem ratione,eius quoque temperaturam nobis indicauit:nempe in huiusmodi naturis, mulsa dilutior data confert:quando ea neque sitim affert, neque bilem creat. ut autem ijs, qui amara bili abundant, ita etiam quibus magna sunt uiscera,non esse idoneam dixit.atque hoc quidem loco nō intelligit eos,quibus magna uiscera suapte natura sunt,sed quibus ex aliquo affectu intumuerunt, siue scirrhum,siue inflammationem,siue œdema cōtraxerint:est enim mala in eis,propterea quod permeare cito uiscera non possit,& facile in bilim uertatur,præsertim uero in inflāmationibus ob caloris magnitudinem:at in alijs tumoribus præter naturam,minus noxia est.

10 *Minus tamen,quàm uinum dulce,sitim excitat:pulmonem autem mollit, sputum mediocriter educit, ac tussim mitigat: quippe quæ abstergendi facultatem quandam obtineat:sed plus,quàm opportunum sit,glutinosum sputum facit.*

Quare mulsa minus,quàm uinum dulce,sitim afferat,dicta iam a me causa est, cum docui,quatenus utraque dulcia sunt,eatenus quoq; facile in bilim uerti:quatenus uero hæc tenuior, & facilior ad permeandum est,ut omnia subeat,eatenus minus,quàm uinum dulce,sitim excitat.ex quo fit,ut si aliquan B do diutius in uentre commoretur,non minus,quàm dulce uinum,sitim inuehat.quod tamē ei raro contingit:siquidem mulsa,citius quàm uinum dulce,uentrem intestinaque omnia penetrat, itemque iecur usque ad renes ac uesicam,non raro quidem,sed perpetuo.quam ob rem minus sitim,quàm uinum dulce,inducit.Hippocrates idem quidem,sed alio pacto dixit,mulsæ facultatem ex ijs, quæ in pulmone facit,nobis ostendens:planum enim est,eam non esse hæc effecturam, nisi uias ipsius penetraret , atque abstergeret.præterea uero non dixit absolute,ab ea sputum educi, sed addidit, mediocriter : ea enim non ducit ualenter , ut oxymel,sed mitigat,quod oxymel non facit : immo uero ipsum tusses excitat tum irritans,tum asperans : quatenus scilicet uehementer deterget. mulsa uero, præsertim dilutior est facultatis detergentis,quæ minima sit,particeps.uocatur autem hæc facultas σμηκτική , a qua nunc Hippocrates nomen σμηγματῶδες declinauit : cum mulsam habere σμηγματῶδές τι , hoc est abstergendi facultatē quandā obtinere dixit . in quo docuit,modicam esse eā facultatē,cū addidit quandā : quod uerbū, ubi adiectū est,paucitatē significat.ergo exigua mulsæ uis abstergēdi,non quia abstergendi uis est, ideo est imbecilla,sed quia est exigua : nā ad glutinosum sputū medicamento uehemēter abstergente opus est : quod eū glutinosum humorē,qui pulmonis bronchijs continetur,possit abstergere.ac si talis quispiam in medio thoracis atque pulmonis sit aceruatus, iam ut probe spuatur, maiorem uim incidentis, C detergentisque facultatis postulat,qua a succingente costas mēbrana detergatur,dissecetur, ac tenuetur : cum fieri nullo modo possit,ut huiusmodi humor,per membranam,quæ uiscus ambit,aliter ad pulmonis bronchia comportetur.quam ob rem Hippocrates non recte usus est dictione:cū huic orationi, Abstergendi facultatem quandam obtinet : eam quæ sequitur , adiecit , sed plus, quàm opportunum sit,glutinosum sputum facit:melius enim locutus esset,si dixisset,Abstergēdi facultatem quandam obtinet,quæ exigua est,& quæ sæpe glutinosum fieri sputum finit:neque enim sputū propter mulsam glutinosum fit : sed id ipsum huiusmodi sputo proprium inest:ac mulsa nullum auxilium affert,sed finit excrementi naturam talem permanere.quocirca melius dixisset,si sputum glutinosum nihil iuuari,ac nō, tale fieri a mulsa adscripsisset:nam uerbum,glutinosum fieri ab Hippocrate usurpatū,magnam uim habet,ut sputum a mulsa tale fieri significetur.

11 *Ciet autem urinas efficaciter,nisi aliquod ex uisceribus obstiterit.*

Dictum est a nobis ante,mulsam ideo ciere urinas,quod uias omnes,quæ uentrem , renesque interiacent,facile permeet : atque ubi iecur male afficitur,eam non conuenire demonstratum est . præterea lieni,si inflammatione laboret,molesta est,ac multo magis uentri,atque intestinis:nam cito ob inflam D mationis calorem igneam uim acquirens,in bilem uertitur:etenim & uiscera, & uenter melle propter dulcedinem delectantur:inde fit,ut ipsum & citius,& magis repente attrahant.ac ceteris dulcibus idē, quod melli inesse,quispiam dixerit:atque ideo ut uentri, sic etiam uisceribus accommodari . oblectari aūt his uenter uidetur : siquidē ubi ea deglutiuit,perspicue his assumptis modo quodā uoluptate perfunditur,ut contra,ab asperantibus,atque amaris molestia afficitur : neque id solum euenit , cum assumuntur,uerum ubi etiam sumpta sint,ad aliquod usque tempus.ex quo fit, ut nemo, nisi pro medicamento,ut propter collectos præter naturam in uentre humores,ea assumat: qui enim in naturali statu sunt, ijs hæc iniucunda sunt omnia:ac iucunda sola,quæ dulcia sunt:in ea enim,quam gulam uocāt, maxima e deuoratis dulcibus cibis uoluptas exoritur : quod scilicet loci illius corpus quippiam cum huiusmodi succo peculiare habeat.hoc autem corpus facit uentriculi interna tunica,ut ea etiam,quæ linguam ambit:sed in lingua sensum dulcedinis habet euidentissimum : in gula autem,uoluptatis. sed euidens quoque sensus in ore uentriculi continuo fit,quod dulcibus assumptis delectatur,modo animans naturalem suum statum possideat.par igitur est uiscera,dulci succo hoc pacto gaudere,plurimum ipsius celeriter attrahere , ac cum ualent,frui et ali : cum uero febrim habent,aut inflammationem, tum dulcem succum in id,quod biliosum est,commutare.quam ob rem,quæ caricis aluntur,ea tū maxima, tum suauissima esse uidentur,quod iecur ipsum,ut liquet, uberius alimentum ex esu dulcium accipiat : at in febribus

febribus, & inflammationibus huiusmodi rerum usus non in probum alimentum, sed in bilis origi- E nem conuertitur: propterea quod ipsius febris calor exuperat, natiuus uero, qui bene temperatus erat, deficit.

12 *Alui biliosa excrementa magis educit: quæ interdum bona sunt, interdum magis, quàm oportet, & exuperant, & spumant. id uero biliosis magis accidit, & ijs quibus uiscera magna sunt.*

Redigenda ad memoriam ante dicta est oratio, in qua mulsam uino dulci comparans, dicebat, eam minus sitim excitare, quàm uinum dulce faciat: siquidem hoc etiam in loco eandem mulsam cum uino dulci conferens, eam biliosa alui excrementa magis deijcere pronunciat: nam & dulce uinum potest biliosa deijcere: uerũ mulsa biliosa interdũ, quæ bona sunt, subducit: interdum uitiosa, quæ C1 pure & sincere admodum biliosa sunt, bilem scilicet ipsam rufam, uel flauam, crassamque continentia. atque ea quidem bilis spumam accipit, persæpe quidem ea ratione, qua in ijs, quæ uehementer igni calfiunt, spuma excitatur: sępe autem, ut in ijs, quæ flatu agitantur, humoribus. primum autem est caloris exuperantis nota: secundum uero angustiam instrumentorum, & flatuosi spiritus interclusi, & uiam liberam non habentis agitationem indicat. ceterum huiusmodi biliosa in his febribus maxima ex parte subducuntur, quæ colliquant: quibus ferme rerum omnium & ad- F uersissima, & maxime noxia mulsæ potio est: ueluti contra, potio aquæ frigidæ est accommodatissima. ait autem huiusmodi excrementum a mulsa magis gigni in ijs, qui natura biliosi, hoc est, immoderate calidi sunt, atque in ijs morbis, in quibus uiscus aliquod inflammatione obsidetur. hoc autem commune inflammationis nomen, modo factum peculiare est eorum, quæ inflammantur: nam neque propter scirrhum, neque propter œdema febris accenditur. perspicuum igitur est, cum in acutis morbis, de quibus nunc Hippocrates agit, in uisceribus tumor oriatur, id esse inflammationis, non scirrhi, aut œdematis symptoma. tales autem nunc uiscera magna, hoc est in tumorem elata, habere dixit.

*Mulsa præterea, quæ dilutior est, efficaciorem euocandi sputi uim obtinent, ac pulmonem reddit leniorem. quæ uero minus diluta est, alui spumosa excrementa & supra modum affatim biliosa & calidiora, magis quàm dilutior ducit.* 13 A.l.4.f.12.2. c.8.p.779.C.

Supra docui, mel in acutis morbis in bilim uerti, ob eamque causam nos ab eo lædi: aquam uero tarde penetrare, & in præcordijs morari diutius, ideoque esse uitandum. quod uero ex utrisque mistum est, id accommodatum redditur, quando eius temperatura est huiusmodi, ut plurimæ aquæ tantum mellis mistum sit, ut uiam aquæ paret, & ad distributionem ducat: his enim ita temperatis, urinæ facilius G permeabunt, & sputum citius euocabitur. quod si multum mellis sit admistum, sitim faciet, & sputum glutinosum reddet. quam ob rem mulsa dilutior est ad sputum educendum, & ad urinis parandum exitum accommodatior: minus diluta uero, ad alui deiectiones aptior: quo enim magis irritabit, eo magis aluum, uelociusque subducet. ac per clysteres infusa, quo purior est, eo maiorem excernẽdi uim habet. causa autem erit deiectionum earum, quæ affatim hoc est ualde biliosæ sunt: & item spumosarum. potest enim talia excrementa magis trahere, quia intestina mordet, & abstergit. adde quod in flauã bilim transiens, ea etiam ratione copiam biliosorum excrementorum auget. itaque eius usum non probat. id quod declarat, cum addit, Et supra modum affatim biliosa: nam quod ait, supra modum, significat, plus, quam conuenit. spumosas quoque deiectiones in præsagijs damnauit. & affatim, hoc est syncere biliosæ, prauæ sunt. neque enim affatim, neque syncere, sed mediocriter eiusmodi esse debent. Tu igitur, horum memor, cum ex mulsa epota, uel etiam sine mulsa, quis spumosa simul, & syncere biliosa deiecerit, scito febrem esse colliquantem: itaque a mulsæ usu abstineto, & ad ptissanæ cremorem deuenito: 11 obseruans ut aliquod, licet exiguum, morbi coctionis signum in urinis uideas: in ea enim occasione si etiam aquam frigidam dabis, maxime iuuabis.

*Deiectiones autem huiusmodi alias præterea magnas noxas habent: neque enim præcordiorum ardorem extinguunt, sed excitant. efficiuntque ut æger difficulter morbum sustineat, membra huc illuc deijciat, intestina etiam, & anum ulcerant.* H 14

Est in more positum Hippocratis, ut noxas appellet σίνεα: ut in libris de fracturis, & articulis ostendimus: Iones enim σίνεω pro lædere dicunt, & noxia sæpe σινάμωρα ipse uocauit. huiusmodi igitur inquit, deiectiones alias præterea magnas noxas habent: hoc est deiectiones ualde biliosæ, ac simul etiam spumosæ. consueuit etiam in signis explicandis, sæpe causarum, & lędentium corporum uti nominibus. melius ergo fuisset dicere, huiusmodi deiectiones significãt alias præterea magnas noxas, sed dixit, habẽt. & tamen corpora affecta sunt, quæ noxas habent: causæ uero eas faciunt, signa easdem indicant. ceterum quæ noxæ ab ijs deiectionibus proueniant, audi ab ipso Hippocrate loquente, neque enim inquit, præcordiorum calorem extinguunt, sed excitant: id quod dixit, quia sæpenumero biliosæ deiectiones præcordiorum ardorem statim extinguunt. quam ob rem in biliosis malignis addidit, in quibus talia excernuntur, non extingui, sed contra, omnino adaugeri: neque præcordiorum ardorem sedari, sed uehementiorem reddi. Et æger difficulter morbum sustinet: id est, inquietus, implacidusque efficitur: cum huiusmodi deiectiones sint flammeæ affectionis, qua præcordia obsideãtur, symptomata. adde quod ipsarum acrimonia ramentosam in intestinis affectionem gignit: cuius sane affectionis in cau-

sa

A sa sunt ea, quæ syncere biliosa sunt: & eius, quæ in præcordijs est, signa. Hippocrates tamen, uti dixi, uocabulis causas indicantibus, inter signa uti quandoque consueuit.

15 *Sed horum auxilia scribentur.*

Vt singulorum morborum remedia se scripturum, antea quoque declarauit, ita hoc loco non minus pollicetur. uerum utrum, quæ post hanc tractationē, de balneis adiecta sunt Hippocrate digna censeantur, & item quæ in libris de morbis, aut de affectionibus scripta sunt, in eorum explanationibus perpendemus.

16 *Si igitur in huiusmodi morbis qui aqua mulsa, pro alia potione, posthabitis sorbitionibus vtatur, is vt multa feliciter consequetur, ita fere nunquam sua spe frustrabitur. Quibus autem danda, vel inbibenda sit, & quas ob causas ab ea temperandum sit, maxima ex parte iam dictum est.*

Nunc quoque apertissime declarauit, se consulere, ut usque ad morbi iudicationem sola aqua mulsa utamur: in morbis autem solis colliquefacientibus, uel in quibus hominum uires usque ad morbi iudicationem sufficere non possunt, ad ptisanæ cremorem deueniamus: in alijs uero melius esse, ut ex B sola mulsa ratio uictus instituatur.

17 *Damnauerunt autem nonnulli mulsam, quod bibentiū vires frangat: maturamque mortem citet: cui errori occasionem dederunt ij, qui mortem sibi fame consciuerunt: sunt enim nonnulli qui aqua mulsa perinde, ac si huiusmodi quandam vim habeat, vtuntur.*

Non idem est, dicere uires bibentium frangere, & bibentes nihil nutrire, uel parum eam alere: siquidem hæc tria inter se differunt: nam quæ uires imminuunt, ut sanguinis eruptio, multa per aluum deiectio, immoderatus sudor, & per accidens cibi abstinentia, merito uires prosternere dicuntur: quæ uero nihil omnino nutriunt, ut aqua, ea neque uires frangere, neque roborare, quispiā uere dixerit, nisi fortuito id interdum accidat: aqua enim, non ut alimentum, uires ægrotantium recreat, sed ut medicamentum, cum ad temperamenti moderationem reducit ea, quæ propter eius immoderationem imbecilla sunt facta. tertio deinceps loco censentur ea, quæ parum nutriunt: quibus qui solis utitur, etsi mori potest, non tamen tanquam ea uires imminuant, sed tanquam eas non, quod satis est, roborent: quo in genere est aqua mulsa: si enim quispiam diebus quatuor cibo priuatus interire deberet, is mulsę usu non modo ad quintum, sed ad sextum quoq; perueniret. idem de melle intelligendum est: mellis enim C ea natura est, ut mulsam ipsam faciat, quæ de numero eorum sit, quæ modicum nutriunt. humiditatem uero non modo Hippocrates, sed omnes fere præstantissimi medici non alimentum, sed alimenti uehiculum esse dixerunt. hæc eadem, quæ modo explicantur, de mulsa, deque melle Hippocrates non obscure deinceps conscripsit.

Al.1.f.2.d.2. c.16.p.70.D.

18 *Sed id perpetuum non est.*

Non est omnino uerum, eos qui abstinent, propter mulsam mori: mortui enim etiam sunt, si solam aquam biberunt: sed quia exiguum corpori dat alimentum, ideo ipsa sola ad seruandam uitam non est satis. quod etiam usu uenit, si quis † solius ptisanæ cremorem sorbere perpetuo uelit.

† v.c. habet μόνον.i. solum, ut ad cremoré referatur.

19 *Quippe per se potui data, nisi ventrem turbet, multo valentior est, quàm aqua.*

Videtur uerbo, ualentior, indicare, aquam etiam habere uim aliquam ad nutriendum. contingit autem, quod corporis uentriculi ariditas irrigatur: ut quia aquam bibunt, diutius durent, quàm qui nihil assumpserunt. tuto autem adiecit, nisi uentrem turbet, cum de mulsa loquatur: illos enim peius tractat, quibus uentrem turbat, propter inanitionem: quo etiam loco, uerbum turbat, non mediocrem, sed im-D moderatam excretionem significat. scire autem conuenit, mulsam crudam, aluum magis subducere: quæ uero probe cocta sit, magis nutrire. id quod tibi obiter cognitum sit. nunc quid deinceps scribat, cum mulsam uino comparat, uideamus.

20 *Quinetiam vino albo, tenui, imbecillo, non odoro, tum valentior est, tum imbecillior.*

Quidam hanc dictionem sine uerbo est, scribunt hoc modo, Quinetiam uino albo, tenui, imbecillo, non odoro, tum ualentior, tum imbecillior: alij pro tum, legunt interdum, sic, Quinetiam uino albo, tenui, imbecillo, nō odoro, interdū ualentior, interdum imbecillior: sed ex oībus eadem uis est, eadémq; sententia: Hippoc. enim mulsam huiusmodi uino quadā ex parte ualentiorē, & quadā ex parte imbecilliorem esse dicit. ego autē cum de uinis agerem, feci huiusce uini mētionē, quod Hippoc. quasi eius inscius, reticuisset. sed nūc clare indicauit, tum cōsistentiā ipsius hoc uerbo, tenui, cōmemorās; tum facultatis imbecillitatē, cū addidit ὀλιγοφόρον. i. imbecillū (quod pauciferū uocāt) sic enim uinū uocaī, quod ut bibatur, minimā aquæ mistionē postulat: cōtrariū huic πολυφόρον appellaī, quod ut bene tēperetur, multā aquā exigit. quod idē est, ac si dixeris, quod multū aquæ ad temperatā mistionē ferre possit. quod uero pauciferū nuncupāt, id exolutū, debileq; & ad potū inutile reddiī, si multa aqua diluas. ceterū odoris uacuitas in uino efficacissima est frigiditatis, imbecillitatisque nota: cum hac in re sit aquę persimile: nō secus,

secus,quàm magnus odor est roboris signum efficacissimum: etenim uinum aquosum paucissimam in E ligno uitis transmutationem habuit, ac paucissimam quoque terrei elementi permistionem:ut aqua sit, quæ & parum terreæ, calidæque substantiæ assumpserit,& leuissima ad horum coniunctionem confectione indiguerit.contrarium autem uinosum,& quod aquam multam fert, neque a leui confectione tale efficitur : utpote quod ab aqua plurimum differat . quam ob rem insignem & caliditatem, & odorem est consecutum.

*Etenim uini,mellisque puri,si utriusque uim consideraueris,magna est differentia: nam si duplo plus uini puri quispiam biberit,quàm linxerit mellis,multo plus uirium a melle , modo uentrem non turbarit, consequetur : nam multo plus subinde stercoris deijciet.* 21

Si Hippocrates mulsæ,& non mellis dixisset,†clarius enunciasset: hactenus enim de mulsa egit, ipsamque uino aqua temperato comparauit,& non ipsam per se,sed ut iusta fieret comparatio, ideo orationem ad mel,uinumque traduxit.Sunt autem,qui in huiusmodi comparationibus nō modo alios,uolentes,sed ipsi quoque se inuitos fallant : alij enim puriora experti nō puris solis, sed quouis modo temperatis easdem uires , quas in illis cognouerunt,attribuunt . alij non secus aquosiora experti , ex illis de omnibus quoquo modo temperatis sententiam ferunt.& tamen non est ita de rebus iudicandum.si F uero de ipsis iustam sis comparationem facturus,mulsam ad eorum uinorum, quæ bibuntur , temperaturam in aquę permistione,ita ex proportione existimabis, ut uinum non meracius , & mulsa dilutior fuerit.sed quoniam difficile est in mistione proportionem exquisite seruate,ideo ad ea, quæ uere immista,& proprie pura appellantur,sermonem trāstulit, ac uinum nullo modo dilutum ipsi melli comparauit . ait autem duplum uini epotum,minus alere,quàm mellis simplum.sed quoniam multa sunt genera uinorum,non ea hoc sermone complexus est,quæ potentia sunt, caput feriunt, deliriaque excitant: sed uinum imbecillum & aquosum accepit:cui mel comparans , ipsum plus alere asseruit. Cumque uini duplo mel dimidium uoluerit comparare,non id fecit,quod solum utrunque per se,& sine aquæ mistione æger sumat,sed si post utrunq; dimensum,pro arbitrio ingerat, nihil minus differat : potest enim si ita res ferat,unum mellis cyathum uel per se accipere,uel aquæ,quantum uolet,mistum ingerere,idque quotidie bibere:uel etiam uini cyathos duos singulis diebus,ut uolet, aqua temperatos . hoc autē experimento tum in multis hominibus,qui in ceteris rebus similiter affecti sint , tum etiam in uno magis,in eodem temporis spatio utriusque facultas exquisita cognoscetur. si enim mel non ex proprietate naturæ uentrem turbat eorum,qui melle utuntur, ij pluribus diebus sufficient . quod si ita est , cur in principio orationis dixit , Quin etiam uino albo,tenui,imbecillo,& inodoro interdum ualētior , inter- G dum imbecillior mulsa est ? non enim interdum ualentior,interdū imbecillior , sed semper imbecillior propter ea,quæ nuper dicta sunt,uidebitur.nimirum,quoniam prius , quàm de iusta comparatione distinxisset,& sine distinctione absoluto sermone docuisset,bene ac tuto dixit , inueniri† mulsam uino tū ualentiorem,tum imbecilliorem:si enim temperaturæ utriusque proportionem quis nō distinxerit , certe interdum imbecillius uinum,interdum uero mulsa existimabitur.uerum si hæc distinxeris,ut dictum est,eamque turbationem,quam in uentre mel facit,consideraris,mulsam ad nutriendum semper ualidiorem comperies,quàm uinum eadem proportione temperatum.si uero etiam stercus,quod ex mulsa ita moderatum excernitur,ut uires non exoluat,animaduertas,tibi etiam magis uidebitur,copiosior ex mulsa,quàm ex uino extare nutritio:nam quamuis duplum stercus exeat , & tamen ægrotans pluribus diebus ex mulsa sufficiat , tamen mel potentius esse ad alendum,quàm uinum sit , iudicabitur.

† Vnus uetus codex habet ἀσφαλέστερον idest tutius.

† C.ueteres & item impressi habent μέλι. i. mel.sed male.

*Mulsa tamen a ptissanæ sorbitione epota uehementer replet,& inflat, uisceraque in præcordijs lædit . ante sorbitionem autem assumpta non solum non adeo lædit,sed etiam quidpiam prodest.* 22

Loquitur de ordine,quem in usu mulsæ,ac ptissanæ seruare quispiam optime debeat . ceterū hic sermo,quem in uno exemplo mulsæ,ptissanæque didicisti , sit tibi uniuersalis : semper enim prius assumenda sunt,quæ & facilius corrumpuntur,& quæ magis subducuntur : posterius uero , contraria . ptissana H autem difficilius , quàm aqua mulsa corrumpitur,& tardius secedit.itaque si mulsa primo sumpta sit,ex ea quædam ptissanæ ad deiectionem quasi subductio fit : at si ptissana prius ingeratur,aqua mulsa , quæ subduci prohibetur,præcordia inflabit,tum uero in bilim conuersa, progressu temporis ptissanæ quoq; aliquid detrimenti afferet.

*Cocta autem mulsa aspicientibus quidem multo præstantior,quàm cruda uidetur:est enim splendida,tenuis,candida,& pellucida.sed quibus a cruda uiribus differat,equidem non intelligo : neque enim , si mel bonum fuerit, erit illa suauior: imbecillior tamen est,& minus stercoris gignit : sed neutro horum ad aquæ mulsa probationem indigemus . cocta tamen optime,utendum ea est, si mel uitiosum,impurum,nigrum , & non iucundi odoris fuerit : siquidem plurima huius turpitudinis uitia coctio tollit.* 23

In tota hac oratione coctæ,crudæq; mulsæ differentias docet: sed nullam explanationem desiderat.

DE OXYMELLE.

*Potionem ex oxymelle uocato,sæpenumero utilem in his morbis inuenies:siquidem sputum educit , ac spiritum faciliorem reddit.* 24

Consuesse

A Consuesse Hippocratem addere, uocatum, quod uocatur, uocari, & his consimilia, non ignoras: idque uel quod ea appellatio nondũ Græcis omnibus sit usitata; uel quod improprie dicatur: uel quod artificiosum quid indicet: ut in temporalibus, masticatorijsque musculis declarauimus. sed oxymellis appellationem nihil artificiosi indicare, planum omnibus est: restat igitur ut addendo uocatum, significarit se aut uocem reprehendere, aut eam nondum esse usitatam: atque hic quidem potest, utrunque fecisse: cum fortasse tum primum in communẽ usum uenerit: fortasse etiam uocem damnat, quod ea declaret, ex melle & aceto solis medicamentum confici: uel quod mellis differentiam indicet, perinde ac si quis ità diceret, mel acidum habet huiusmodi facultatem. perspicuum igitur est, cur uerbum illud uocatum, adiunctum sit. nunc uero ad id, quod utile est, aggrediamur: oxymellis enim confectio non ex sola mellis, acetique mistione fit, sed ex aqua mulsa, quæ parum aceti assumat: sed melius est, ut coquatur: siquidem aceti uis in coquendo minuitur: ut mulsa ab eo, cui miscetur, utilitatem sumat, noxam uero non habeat. utilitatem porrò in hoc ipso orationis exordio declarauit, atque etiam post hàc aperiet: noxam uero in fine totius orationis adijciet. atque in exordio quidem dixit, ab eo sputum educi, ac spiritum faciliorem reddi: deinceps uero adiunxit, quæ nos, eius uerba secuti, perdiscemus.

25 *Habet autem hæc tempora.*

B Appellat tempora, uel in quibus ex consuetudine eo utamur: uel quibus iuuare soleat: siquidem uti etiam hoc nomine Καιροῦ, in hac significatione, Hippocratem docuimus.

26 *Quod si ualde acidum sit, nihil mediocre faciet ad sputa, quæ non facile educuntur. nam si retenta educeret, & guttur ipsum lubricum, ac ueluti leue redderet, pulmonem certe leniret: siquidem ipsum molliret. quæ si contingerent, maxime prodesset: sed euenit interdum, cum usque adeo sit acidum, ut non solum non possit sputum educere, sed glutinosius ipsum efficiat, ac detrimentum afferat.*

In quibus acido oxymelle utendum est, in ijs noxam quandoque ex eo nasci docet: nam in quibus nemo hoc medicamento acido uteretur, eiusmodi noxas recensere, superuacaneum est: neq; n. simpliciter de acido oxymelle est locutus, sed adiunxit κάρτα, hoc est ualde, & uehementer. tale igitur oxymel nihil mediocre in crassis, glutinosisq; pulmonis sputis facere consueuit: siquis id solum adhibeat: sed ea uel secat, detergit, atq; educit: uel si facere id nõ possit, exsiccat: hoc. n. medicamentũ ut secandi, sic etiã siccandi uim habet. nos aũt in crassis pulmonis sputis utimur, non tanquam siccante, siquidẽ ita noceret, sed tanquam secante & detergente. cum autem hæc facere non potest, tantum abest, ut proficiat, ut etiam summopere officiat. quando uero neque incidat, neque detergat, ipse post hac docebit. nunc uero agendum mihi est de lectione huius loci, quam in plerisque codicibus scriptam reperi. itaque legitur non μέτριον, id est mediocre, sed μεῖζον, hoc est maius, ut ita dicamus, Quod si ualde acidum sit, nihil maius facit ad sputa &c. quod falsum est: siquidem ipse progrediens, magnam quandoque utilitatem, quan-

C doque uero damnum afferri ostendit. itaque semper magnum aliquid facit, & nunquam parum. de quo autem uere dicitur, semper ab eo magnum aliquid aut malum, aut bonum fieri, de eo melius quispiam dixerit, nihil ab eo effici mediocre.

27 *Sane illi potissimum sic afficiuntur, qui alioqui pernicioso morbo laborantes, neque tusses, neque ea, quæ intus continentur, screare possunt.*

A. l. 3. f. 10. t. 3. c. 1. p. 503. E. Conglutinari uehementer crassa sputa, ac nihil iuuari dato acido oxymelle, ait ijs contingere, qui alioqui pernicioso morbo laborant. hoc est, quibus morbus est supra modum incoctus. hi enim nihil expuunt.

28 *In his igitur uires hominis perpende: ac si de eo spes sit, dabis.*

Cum ab acido oxymelle nihil iuuari eos dixerit, qui alioqui pernicioso morbo detinentur, quorum pauci adiuti liberentur, ideo auxilium, quod raro contingit, noluit silentio præterire. id autem auxiliũ ab acido uehementer oxymelle proficiscitur, cum ægroti uires ualentes sint: alioqui tale oxymel nihil proderit: siquidem duorum alterutrum faciet, nam uel nihil prorsus incidet, sed quod glutinosum est, reddet glutinosius, uel dissecabit, & absterget: sed uiribus repentinam eductionem, ac euacuationem

D quam totam simul molietur, non ferentibus, suffocari hominem continget.

29 *Cum autem dare decreueris, perquam tepidum, paulatimque, & non affatim dabis.*

Si nihil ægrotus excernat, propterea quod & crassa, & glutinosa sputa sint, uires autem ualidæ sint, oxymel dari iubet ualde acidum, paulatimque, & perquam tepidum. est autẽ perquam tepidum, quod inter calidum & frigidum sit exquisite medium. ceterum cum ualidam facultatem habeat, ideo ueretur ipsum copiose, uno haustu offerre. simili quoque modo æstate frigidum dare, ut ante docuit, ideo reformidat, quod pleuritides, & peripneumoniæ, in quibus nihil expuitur, incoctæ sint. calidum autem coctioni perpetuo auxiliatur, frigidum nocet. quid igitur causæ est, cur oxymel calidum deuitet? an quia morbus malignus sit: ne uidelicet protinus ex tali potione, affectio ipsa incocta etiã maneat: hominẽq; ipsum a calido oxymelle affici maiore siti contingat? ab hoc autem symptomate glutinosum sputum reddi declarauit. itaq; arbitratur oxymel mediocriter tepidum tutius esse, utpote quod effugiat eam noxam, quæ ex calore sequi posset, & eam, quam necessario frigus afferret.

30 *Quod autem parum acidum est, os et fauces humectat, sputum euocat, sitim compescit, præcordijs, ita, uisceribusq; est propitium: etenim mellis, quas prædiximus, noxas probibet: quippe quod in melle biliosum est, ita corrigitur.*

Absoluta oratione, quæ de ualde acido oxymelle erat instituta, hac dictione ad id, quod mediocri E
ter acidum est, deuenit. atque ipsum os, faucesque humectare, sputaque euocare, & sitim arcere. quod cum habeat omnia, quæ huiusmodi morbis præsidium afferunt, certe propter uirtutem temperamenti, nullius particeps eorum est, quæ nocent: propterea quod tantum aceti est aquæ mulsæ adiunctũ, quãtum satis sit ad id biliosum, quod in ipsa est, corrigendum: quod ipse dixit κολάσαι, hoc est detrahere, atque opprimere: nam in quarto de simplicium medicamentorum facultatibus ostensum est, dulcẽ sue cum sua facultate acido maxime aduersari. itaq; cum mulsæ facultas cetera quidem omnia, quibus ad huiusmodi morbos opus est, contineat, in uno autem solo contraria sit, cum supercalfacta in bilem mutetur, hanc mutationem aceti permistio prohibens, optimum medicamentum efficit: sitim enim non inducet, ut etiam hac ratione sputa, quæ non omnino crassa, glutinosaque sint, facile educat. ex his autẽ duabus actionibus sequitur partium oris, & faucium humectatio. qua uero ratione id facit, eadem est & lieni, & iecori accommodissima, utpote quæ uiscera ipsa innoxie expurget.

*Flatus præterea discutit, & vrinam ciet.* 31

Hæc protulit de eo adhuc oxymelle loquens, quod mediocriter acidum est: id enim in pulmonis, thoracisque affectionibus plurimo usui est, & maxime insignem utilitatem ob commoderatam illam F aquæ, aceti, ac mellis permistionem habet. tale autem oxymel spiritum crassum, † glutinosumque in præcordijs secans, flatusque abrumpens, uias omnes expurgat: atque ad urinas serosa, biliosaque excrementa deducit.

† Oẽs cod. habent φυσῶδες .i. flatuosum, & ita uetus tralatio.

A. l. 4. f. 1. 2. 2. c. 4. p. 779. C.

*Sed intestini partem imam maiore humiditate replet, ramentaque efficit.* 32

Humiditatem, quæ innascitur partibus, præter quàm quod secundum naturam sunt πλάδον appellari ab Hippocrate notum est. ait igitur oxymel hanc gignere: nam quicquid crassi, glutinosique succi superius obstruitur, id abradit, & secat, & tanquam ad excretionem subducit. quin hac quoque facultate faciles a iecinore eductiones excrementorum facit, ita ut collectis superioribus cunctis humiditatibus in ipsis intestinis, ac potissimum infernis, ob multitudinem quidem gignatur ea humiditas, quæ supra naturam est; ob qualitatem uero, intestini abrasio: nam cum oxymel abstergenti quoque facultate sit, tandem intestinum abradet. Est etiam eiusdem facultatis excrementum, quod cum oxymel † biliosum descendit: quapropter, si aliquando exuperarit, etiam sine oxymelle intestinum abradet.

† Aliq. legũt, chylosum, cõtra omniũ ueterũ codicum auctoritatẽ: & ueterẽ tralationem.

*Atqui in acutis morbis inutiliter nonnunquam exhibetur: præcipue vero, quia non solum flatum cohibet, sed rursus ipsum reuerti cogit, vires frangit, & extremas partes infrigidat.* G 33

Abradi intestinum, interdum in acutis morbis non est bonum. ramentosa enim affectio est vlceratio quædam partium, quæ in superficie sunt: quæ cum talis sit, intestinum ab omnibus irrumpentibus, præsertim vero mordentibus, molestia afficitur: quod affectum, nisi protinus mordentia excernat, ea, quæ irrumpunt, ad superiorem regionem remittit. ex quo fit, ut ea quoque de causa flatus sursum recurrat: intestina enim naturalem facultatem comprimentem fortita sunt, ut in commentarijs de facultatibus naturalibus est demonstratum. sed reijci quæ irrumpunt, a partibus, quibus continentur, est † uelocitatis opus. cum igitur superne motus incipit, quæ continẽtur, ad inferna excretionem habent: sin motus inferne incipiat, sursum feruntur. quod etiam in ijs, qui in suo naturali statu sunt, aperte cõspicitur: cum scilicet interdum bilis ad inferna intestina repente subit, excretionem continemus, uel quod tale negotium urgeat, ut interpellari non possit, uel quod locus, ubi uentrem exoneremus, præsto non sit: tunc enim bilem ita sursum recurrere percipimus, ut excerni postea non possit. sunt autem quibus ex huiusmodi bilis recursu stomachus male afficiatur, alijs caput repleatur, & ob morsum doleat: alij uero utrunque patiantur. hoc igitur modo affectio intestinorum ramentosa quandoq; ex- H
cretionem deorsum celeriter molitur, cum nõ possit affectorum perferre molestiam: interdum uero & ab inferioribus partibus ad superiores, ubi, quæ irrumpunt, non protinus ad sedem prodierint, sed musculus is, qui sedem in orbem ambit, tum contractus, tum recti intestini extremum ipsum constringendo complexus, principium comprimentis motionis ex infernis partibus ad superiores fecerit. ob eam igitur causam non modo flatus, sed etiam excrementum in huiusmodi affectionibus reuertitur. uires autem læduntur propter eum morsum, qui in ipso transitu sequitur: abradentia enim, quamuis quod irrumpit, morsum habeat breuissimum, tamen uehementer uexant. scimus autem uires ab omni dolore exolui: & ob eam ipsam causam partes extremas infrigidari.

† Vetus translatio habet, huius natiuitatis

A. l. 1. f. 2. d. 2. c. 22. f. 78. E.

*Atque hæc quidem sola est, quam ego norim, oxymellis noxa, haud indigna, quæ literis mandetur.* 34

Paulo ante ostensum est, oxymel mediocriter temperatũ, omnes noxas, quæ ex mulsa, uino, & aqua proueniunt, effugisse. cum ergo lædit, id solum facit, quia abradit intestinum: id quod facit in ijs, qui † imbecilliore natura sunt: & intestinum promptum ad patiendum habent.

† Orib. v. coll. 24. legit τοῖς ἀσθενέστερον ἔχουσι τὴν φύσιν .i. qui intestinũ natura habent imbecillum, & promptũ ad patiendum.

*Huius quidem potionis paulum noctu, ac ieiuno, ante sorbitionem, recte propinatur: quanquam nihil prohibet ipsam a sorbitione quoque bibere, modo longum spatium interueniat.* 35

Cum

A Cum facultatem, quam habet, recensuerit, ad explicandam rationem temporis, in quo maxime id porrigere quis debeat, nunc peruenit. docet autem quando maxime quispiam ex ijs qui sorbitionibus aluntur, oxymelle utatur: postea uero, licet non sorbitionibus, sed potione sola quis regatur, tēpus quoque, quo illi dandum sit, exponit. in ijs igitur, qui sorbitionibus utuntur, ait illud tempus solum cauendum esse, in quo exhiberi sorbitio debet. ptissanæ autem cremor sorbitio est, qui cremor alendi corporis, roborandæque uirtutis gratia sumitur: ad quæ est accommodatus, si nutritionis tēpore solus in uentre contineatur: nam & antea didicisti, cibos multiplices, præsertim uero facultatem dissimilem habentes, turbationem in uentre gignere: quam ob rem, nisi cremor concoctus sit, oxymel potui dandum nō est: ubi uero concoctus sit, licebit & nocte, & appetente die ante sorbitionem ipsum sumere. tempus uero inter sorbitionem & oxymel medium satis erit, † si ptissanæ cremor uacuum simul, & purum ex abstersione ab oxymelle facta uentriculum ingrediatur.

† Vetus tralatio habet etiā hæc. spatium duarū horarū, in quo oxymel præcedit: eiusq; pars ad uenas penetrat, & pars descendit, ut ptissanę cremor etc.

*Qui autem in victus ratione, sola potione sine sorbitionibus vtuntur, ijs ipsum nō semper exhibere conuenit, vel ob hanc maxime causam, quod intestina abradit, & exasperat: cum enim tum nil stercoris contineant, & quidem vacuis iam venis, & fractis ab aqua mulsa viribus, id etiam magis efficiat.* 36

B Qui uictum sibi ex solo potu, sine ptissana instituūt, ijs per totum morbi decursum non cōuenit oxymel bibere: tum quia intestinum, quod nudum est, uehementius abradit: inungitur enim quodāmodo a ptissana, cum eam absorpserint: tum quia mulsæ utilitatem corpus nullo pacto assumeret. quam autem utilitatem corpori mulsa afferat, supra cum de ea loqueretur, prædixit.

37 *Quod si per totum morbi tempus ab hac potione, eaque multa, præsidium aliquod expectaueris, paulum aceti infunde, vt duntaxat sentiri possit: sic enim quas esset noxas allatura, non afferet, & debita auxilia præstabit.*

Cum mulsa sitim inferat, sputa autem in bronchijs pulmonis uel glutinosa, uel admodum crassa contineantur, tum solo oxymelle utendum est. neque memoria nobis excidat, id intelligi in ijs, qui sola potione, sine sorbitione, utuntur. si igitur, ut dixi, oxymelle opus sit, paululum aceti mulsæ infundere conuenit, ut illa aceti commodo fruatur, & quod ab eo detrimentum extat, deuitet. sed acetum mulsæ admistum coquere oportet: siquidem eo pacto redditur ad nocendum imbecillius.

38 *Ceterum acuta vis aceti, vt summatim dicam, his magis, quibus amara, quàm quibus atra bilis exuperat, prodest: quippe amara ab ipso dissoluuntur, degenerātq; in pituitam, cum ab aceto in sublime tolluntur: nigra autem fermentantur, attolluntur, ac multiplicantur: nigra enim acetum parit.*

C Naturas, in quibus amara bilis exuperat, appellat eas, quæ amarum succum coaceruant, qualis est flauæ bilis succus: quibus idoneum esse acetum ait, quod est melancholicis aduersissimum: propterea quod nigra quoque bilis acida est: cum scilicet sincera sit, & corpus præter naturam se habeat: nempe cum recte ualet, plurimum quidem prædictæ qualitatis habet, non tamen habet ipsam exquisitam. reliqua in hac dictione aperta sunt: docet enim, quomodo acetum, quod frigidum est, ijs, in quibus amara bilis abundat, in quorum temperatura calor exuperat, adiumento sit.

39 *Mulieribus autem multo magis, quàm viris, aduersatur, vtpote quod vterum dolore cruciet.*

Acetum suapte natura neruos lædere, & longus usus testatur, & ratio docet: cum enim illi exāgues sint, ac proinde frigidi, facile ab eo medicamento, quod & refrigerat, & tenuium partium est, afficiunt. læduntur præterea ab alijs omnibus refrigerantibus: sed tenuitas partium, quæ in aceti substantia est, in eorum profundum ita mergitur, atque omnes partes ita penetrat, ut ne minimam quidem illorum partem illæsam sinat. sic igitur acetum nerueas partes offendit. uterum autem anatomici fere omnes nerueum esse aiunt. tu tamen sine eorum enunciatione, quam illi dissectione conspecta protulerunt, poteris ratiocinatione id ipsum colligere. propterea quod is & plurimum laxatur, & ad minimam molē

A. l. 1. f. 2. t. 1. c. 2. p. 705. B.

D contrahitur: enimuero quantus fœtus fuerit, tantum perpetuo ipsum in circulum ambit: impleturq; omne spatium ab eo, licet paruus fœtus sit: ut etiam uenter a cibis. at uentris non magna est ad contraria permutatio: uteri autem sunt maximę. plurimum autem dilatari, non carnosorum, sed nerueorum corporum est proprium.

## De aqva.

40 *Aqua in acutis morbis potui datur: neque aliud officium est, quod ei tribuam: neque enim in † peripneumonia tussim sedat: neq; est alia potio, qua minus sputum educat: si quis aquæ potione perpetuo vtatur. & tamen inter oxymel & mulsam si paulum aquæ sorbeatur, propter qualitatis potionum mutationem sputum euocabit: siquidem intus inundationem quandam facit: alioqui sitim non arcet, sed amarescit. bilem etiam parit in ijs, qui natura biliosi sunt. præcordijs infesta est. Cum vero adhuc vacuo ventriculo ingeritur, vt longe pessima, & summe biliosa redditur, ita vires maxime prosternit. adde quod lienem & iecur, vbi inflammata sunt, adauget: fluctuat, supernatat: tarde permeat, vtpote subfrigida, & coctu difficilis: non ducit aluum, non ciet vrinam. atque ex eo quoque noxia est, quod stercoris suapte natura est expers. quod si refrigeratis aliquando pedibus eam quis biberit, ex iam propositis noxis omnibus illa multo grauius ipsum afficiet, ad quam fuerit procliuior.*

† Aliq. legūt, in pleuriticis.

Aqua neque incidendi uim habet,ut acetum,neque calida est,ut mel:quod quidem non modo calfacit,sed etiam deterget,& secat.ideo iure fit,ut aqua tarde permeet, difficulter concoquatur, & ægre descendat,quanquam alioqui optima sit,& culpa omni uacet: quæ enim uel limosa, uel male olens, uel salsa,uel alterius cuiuspiam medicamentosæ qualitatis est particeps, ea nõ simpliciter aqua est,sed cum tali quadam medicamenti permistione:ut si mel uitiosum, aut ptissanam, aut acetum, aut uinum, aut quid tale pertractes:neque enim totum genus,propter illud reprehendes,sed id solũ,quod tractes. Cum igitur in singulis,de quibus iudicat Hippocrates,sermo de optimis habeatur,ita nũc quoque singula,quæ dicuntur,ad optimam aquam relata intelligas,quæ & purissima est, & omni aliena qualitate uacat.hæc igitur quamuis optima sit,multum tamen temporis in uentriculo manet: fluctuationesque magna ex parte gignit.ex quo fit,ut cum biliosus uentriculus sit, ipsa quoque corrumpatur. cumq; ex uentriculo ad ieiunum intestinum ægre perueniat,non facile distribuitur,neque in iecur, & multo minus in renes,thoracem,ac pulmonem:quam ob rem neque ad ciendas urinas, neque ad sputum educendum nata est.immo neque per totum corpus transpirationes facit: siquidem hoc est opus substantiæ,quæ tenuium partium sit & calida,non quæ frigida,crassarumque partium existat. præterea uero sitim non sedat:propterea quod in amplis tum uentris,tum intestinorum animalis instrumentis plurimũ temporis maneat,neque prorsus imas ipsorum partes penetret,neque ariditatem humectet.ipsam uero nihil alere,dictũ ante est.inde fit, ut neq; uitalem corroborare facultatem possit. atque hæc quidem causa est,quam ob rem Hippocrates in ægrotis,ab aqua abstinens,ad mulsam, oxymel, uinumque se contulerit.ob eas igitur causas nemo unquam ea utatur:& tamen alij quidam medici utuntur, & ipse etiamnum Hippocrates: sed hic minus, ceteri magis: illi enim, quia ceteris rebus male utuntur, circumuenti,ad aquam ipsam confugiunt: cum non magna spei frustratio ei adiuncta sit, quando ne uirtus quidem: Fuit enim hæc Erasistrati sententia, Valentes ciborum,potionumque facultates tempestiue quidem assumptas,maximo adiumento: intempestiue uero, maximo damno esse.ceterum quem uitiosum esse & oxymeliris, & mulsæ, & uini usum dico,is quidem oritur & ob repentinas mutationes; ut ipse ostendit: & magna ex parte ob synceram permistionem, quæ fieri a medicis solet. Cum autem ego seni cuidam ægrotanti quotidie uinum aqua dilutum darem, quidam ex huiusmodi medicis, qui aderat,cum uidisset,me paucissimum uini aquæ instillantem, risit: dixitque ægrum non bibere uinum, sed tantummodo uidere: ignarus nimirum, aliam esse mistionis uini,quod uoluptatis gratia datur, ad aquam,mensuram: aliam uero eius,quod opis ferendæ causa præbetur: permiscemus enim oĩno paucissimum uini,ueluti incitationem quandam,quæ aquam ad distributionem trahat,ut scilicet aquæ synceritatem tollamus,non ut ex aqua uinum faciamus.ex sanis autem plerique sunt,qui uinum aqua dilutum bibant: sed tum non debet aqua in ipso gustatu uinum superare, sed uinũ esse superius:at in ægrotantibus,multo magis danda opera est,ut uini uis parua sit.ita etiam paulo ante de oxymelle dicebat, cum aquosum laudaret,itemque mulsa tutius quempiam uti ea,quæ aquosa est: nam pura,nisi uentrem subducere anticiparit, magis lędet:præsertim uero in amaræ bilis hominibus,& ijs,quibus præter naturam in tumorem elata sunt uiscera:quibus aqua detrimentum affert, quod plus iusto in præcordijs morata in bilem conuertitur.ad omnia hæc mala,hoc ei accedit etiam,quod stercoris expers est, atque ita nullo modo aluum subducit. Aquam autem in principijs accessionum potui datam lædere (quod ipse indicauit,cum dixit, Quod si refrigeratis aliquando pedibus,eam quis biberit, ex iam propositis noxis omnibus illa multo grauius ipsum afficiet)est de numero eorum,quæ manifesta sunt,& de quibus inter oẽs constat.quando igitur utiliter danda potui est?cum scilicet potu solo æger usus fuerit,nondũ accepto ptissanæ cremore:tunc enim in medio aliarum potionum aquam tempestiue quis ingesserit:præcipue autem,si æger siti urgeatur:ait enim eam facere intus inundationem, hoc est humoris cuiuspiam abundantiam.quam ob rem inter mulsam & oxymel parum aquæ præbet,quod ijs, quæ expui debent, ad humectationem conferat.itemque cum uinum grauiter nocet,tum aquam propinamus.sed ut enunciaturus hoc sit Hippocrates,audiemus.

*Cum uero in huiusmodi morbis timueris,ne caput uehementer grauetur, aut mens tentetur, tum a uino penitus abstinendum est:& aquam,aut uinum aquosum fuluum, & non odorum exhibere oportet:deinde parum aquæ superbibere: sic enim uini potentia non tam facile caput,& mentem attinget.* 41

Mens tentari,lædique dicitur,cum æger febri correptus desipiat. itaque nunc mentis læsionem appellat desipientiã:in qua monet a uino esse abstinendum.idem quoq; in grauibus capitis doloribus faciendũ censet.sed de utroq; dictũ ante est.in præsentia uero,cũ dixit in hisce symptomatis, quæ memorauit,a uino oĩno abstinendũ,deinceps monet dari oportere uinũ aquosum penitus,& non odorũ:atq; aquosum quidẽ,& nõ odorũ exhiberi,bene monet:fuluũ uero non admodũ probo: ad hæc.n.accõmodatius est aquosum,quod scilicet albũ sit.sed si hoĩbus ita affectis uinũ forte demus,tutius esse cõsuluit aquam confestim superbibendã esse:sic enim inquit,uini potentia,quæ ualẽs est, caput,mentemq; minus attinget.in quo explicãdo usus est uerbo ἅπτειν,quo uti solet:declarauitq;, se ab hoc uerbo ἅπτω hoc est læsionẽ mẽtis duxisse, quod est hoĩbus usitatius q̃ nomẽ ἅψις.i.tactus.ait aũt caput,& mentẽ a uino tentari,quod propter caliditatem celeriter ad caput feratur, et secum feruentes in corpore humores ferat.qua autem ratione caput, eadem quoque mentem lædit:siquidem in capite est ea pars animi,quæ mentis & rationis est particeps.

A

42 *Sed in quibus aqua potui danda sit, & quando ualde multa, & quando modica, & quando frigida, & quando calida, partim iam diximus, partim uero suo tempore dicemus.*

Erasistratus in libro de febribus satis malitiose Hippocratem reprehendit, eius scilicet discipulos Apollonium, Dexippumque accusans, quos ait cereos cyathos duodecim in cyatho, qui sextantem heminæ contineret, effinxisse: atque unum ex his, aut duos febricitantibus esse dimetitos. & tamen Hippocrates non solum hoc loco, sed etiam superioribus plane docuit, se copiosis omnibus potionibus usum esse. ac nunc quidem suis uerbis id perspicue declarauit, cum ait, In quibus aqua potui danda sit, & quando ualde multa. nam quod ait, κάρτα πολλῷ, significat idem, quod λίαν πολλῷ, hoc est ualde multa. quanquam satis erat dicere, multam aliquando aquam dari, sine adiectione ualde, ad Erasistrati malitiam coarguendam: qui Appollonij quidem, & Dexippi, mentionem facit, nullum tamen ipsorum ostendere librum potest: immo uero ne Hippocratem quidem intelligit, aperte dicentem, Et quando ualde multa danda sit. In superiore quoque oratione cum aquam inter mulsam & oxymel dandam monuit, dixit utilem esse, quod inundationem, hoc est humiditatis abundantiam parit. sed antea etiam de oxymelle & mulsa scripsit, ab eis os humectari, & urinas cieri: non utique ipsorum cyathum porrigens, B sed copiam insignem, qua & os humectari, & urinæ moueri, &, quæ pulmonē infestent, expui possint. præterea uero de oxymelle ita scriptum reliquit, Quod si per totum morbi tempus ab hac potione, eaque multa, præsidium aliquod expectaueris: quo in loco addidit, eaque multa. sed de Erasistrati aduersus Hippocratem peruersitate, hæc satis. Ceterum in memoria habeamus, Hippocratem, ut ante, ita nunc quoque polliceri, se in singulis morbis propriam doctrinam esse facturum: quippe qui in hoc libro artem uictus instituendi non satis nobis tradat, sed sola uniuersalia in unius morbi, pleuritidis inquam exemplo persequatur.

43 *De alijs autem potionibus, quæ fiunt ex hordeo, herbis, uua passa, uinaceis, tritico, cnico, myrtis, malo punico, uel ex alijs quoque rebus, quando ipsis uti conueniat, in ipso morbo dicemus: quo in loco de compositis quoque medicamentis agetur.*

Hac quoque dictione pollicetur, se alium proprium de singulis morbis librum esse cōfecturum: sed perspicuum est, uel non extare eos libros, qui de singulorum acutorum morborum curatione seorsum scripti sunt: uel prorsus non esse ab eo conscriptos: nam qui nunc circunferuntur, non sunt Hippocratis digni præstantia: habent tamen multa, quæ ipsius sapiant sententiam: ut etiam ea ipsa, quæ huic libro adiecta sunt, post eum sermonem, qui est de balneis. sed ut dixi, de singulis in eorum explicatione C disserere præstabit.

[illegible]

DE BALNEIS.

44 *Lauacri usus in plerisque morbis confert: idque in alijs quidem morbis est perpetuum, in alijs uero nō item. sed raro utuntur eo homines, quod ipsum nesciunt præparare. nam in paucis admodum domibus uel instrumenta, uel ministri, ut oportet, parati sunt. & nisi exquisita in lauando cura adhibeatur, non mediocris inde noxa proueniet. tecto enim fumi experte opus est, itemque aquæ abundantia, & crebra lotione, sed quæ non admodum abundans sit, nisi ita res postulet.*

Temporibus Hippocratis hæc nostra balnea nondum parari consuesse uidentur: nam quod ait, in paucis admodum domibus parata esse, & instrumenta ac ministros, ut oportet, reperiri, præterea uero opus esse tecto fumi experte, & aquæ abundantia, & cetera, quæcunque deinceps memorauit, indicat, homines cum uti lauacro uolebant, aquam in domibus adhuc in lebetibus calfecisse, & eam soliorum labris infudisse. quod aūt in extrema dictione ait, crebra opus esse lauatione, sed quæ non admodum abundās sit, nisi ita res postulet, si utiq; nō excidet e memoria, ad doctrinā eorū, quæ sequunē, asseruabi D mus: ipse enim, qui nam sint, quibus quandoque opus sit admodum abundanti lotione, declarabit: hoc est, cum æger multa, inter lauandum, aqua perfunditur. ac si ipse dicere non uidebitur, nos tamen non simpliciter, neque ut sors feret, sed ut eorum quæ ab ipso dicta erunt, consequentiam conseruemus, peruestigabimus.

45 *Neque etiam abstergere oportet. quod si aliquando abstergendum sit, calido aliquo, & multiplici plus, quàm existimetur, utendum abstergente est. aqua etiam multa, & celeriter post perfundenda est.*

Nullus æger, dum lauatur, eget abstersione, nisi sordidus sit, aut etiā pruritu uexetur. qui enim ægrotant, citra omnem laborem, læsionemque aqua proluendi sunt. detersio autem purgamētis fit tum mordentibus, tum siccantibus: ut hæc sit uirtuti & usui lauacri aduersissima. Si uero detergi ægrotus uel propter sordes, uel propter pruritum debeat, exoluenda erit uis detergentis medicamenti multa aqua admista, & oleo item infuso. quam ob rem dixit ipse, atq; multiplici plus, quàm existimetur, utendum esse abstergente: hoc est quam in bene ualentibus consuetum sit: non enim præcipit, substantiam detergentis medicamenti in ægrotis multiplicem sumi oportere, cum nolit magis abstergere, quam abstergere, sed censet copiam abstergentis medicamenti in ægris fieri multiplicem aquæ † adauctione. Eadē quoq; ratione præcipit, detergētia uitanda esse, nisi uel sordes, uel pruritus urgeant: acribusq;

† Cod. Bess. μῖξιν idest mixtione. sed eadem est sententia.

ipsis & synceris non utendum. quemadmodum autem abstergentis medicamenri acrimoniam multitu E
dine aquæ admistæ obtundit, sic etiam totius detergentis uim exoluit, statim multam aquam calidam,
& puram, ac deinde aliam superinfundens.

*Via ad solium breuis sit: ingressumque, & exitum facilem præbeat.* 45

Hoc commune est, siue in balneo hominem laueris, siue in domo aliqua pyram extruxeris, & solium
aqua impleueris: quod hodie quoque in castris sæpe fit, cum lauari quempiam oporteat, nec balnei lo-
cus suppetat. ingressumque inquit, & exitum facilem præbeat. uult ægrotum prorsus sine labore serua-
ri. ideo iubet solium habere facilem ingressum, facilemque egressum. id aūt erit, si paries, qui aquā
continet, neque sublimis, neque angustus sit. præstantissimum autem & labore omni uacans est, quod
in lauacris aquarum sponte nascentium conficitur: solia enim ita humilia ferme omnes faciunt, ut nihil
eorum propinquo pauimenro emineat.

*Qui lauatur, componat se se, & taceat, & nihil agat, sed alij perfundant & abstergant.* 47

Hæc quoque eo pertinent, ut ægrotus nō laboret, cōuenienter ijs, quæ dicta sunt. iam uero, et ægro-
tantis quies accommodata est ad corpus tum laxius, tum mollius in balneo reddendū: in motionibus F
enim corporis musculi tenduntur: qui quidem minus & molliuntur, & laxantur. 48

*Multa quoque aquæ mistura parentur.*

Quod ait, μετακέρασμα, possumus pro uno uerbo intelligere, ut significet misturam: possumus item
disiungere, ut sit μετὰ. i. post, præpositio per se accepta, & κέρασμα hoc est mistura, etiā per se: Hippocrates
enim & in hoc, & alijs item in libris uidetur hac propositione μετὰ. i. post, sine casu uti, prout Iones fa
ciunt. est autem integra oratio sic, Multæ quoque post hæc, aquæ misturæ parentur, sed siue quis pro
uno uerbo accipiat μετακέρασμα, siue distinguat, ac dicat μετὰ ταῦτα κέρασμα. i. post hæc, misturæ: una erit
communis utriusque lectionis sententia: uult enim misturam parari, ut qui in labro lotus est, perfunda
tur: ut etiam hodie medici facere solent, cum ægrum lauerint: neque enim in frigidum solium ingredi
permittunt, sed illius loco, cum tepida aqua perfundunt. sunt qui labra tota huiusmodi aqua impleāt:
etenim ut corpus laxius, rariusque a calido lauacro est redditum, sic etiam contra, uult ipsum paulatim
contrahere, atque densare. quæ res ad uires corroborandas ualet: ac facit, ut ne facile homo lædatur, si
subita quædam in ambiente aëre ad frigidum fiat permutatio: quam etiam ob rem sani, a calido balneo
sese in frigidam aquam conijciunt. at ægrotantes contactum frigidæ sine læsione non ferunt. itaque il-
lius frigiditatem calidæ admistione frangimus. quantum autem miscendum sit, inuenietur. primū qui- G
dem si corporis affectionem intueamur, deinde uero si propriam ægrotantis naturam, ætatem, anni tem
pus, regionem, & præsenrem cœli statum contemplemur. melius autem facienr, qui a balneo tepidas
non minus trium generum aquas, quæ differanr inter se, apparabunr: ut prima sit abunde tepida, secun-
da sit, quàm illa, minus tepida: tertia uero magis etiam ad frigidam decliner. tale autem quidpiam uel
le uisus est Hippocrates, cum multas parari misturas censuit: nam quod paratur, non modo absolute
multum, sed multiplex quoque esse melius est, ut paulatim a calido ad frigidum procedatur, cum subi-
tam ad contrarium mutationem æger non ferat.

*Celeresque perfusiones fiant.* 49

Celeres intelligere oportet & de ipsa actione, quæ in perfusione fit, & de eo quoque spatio, quod in
ter actiones interiectum est: ut inter primam & secundam perfusionem parum interualli sit. quas si pro-
prie quis nominarit, non celeres, sed frequentes dixerit. quanquā apud ueteres horum nominum usus
confunditur: nam interdum frequentes actiones, celeres uocant. 50

*Et spongijs pro strigili utantur.*

Medici huius temporis neque strigili, neque spongia in ægrotantibus utuntur: sed post laua- H
crum linteo eos contegunt. alij uestibus, præcipue mundis undique obuoluunt, ut plurimum sudent.
sed non semper usus postulat, ut æger a balneo plurimum sudet: siquidem persæpe non uacuandi cor-
poris gratia ægrum ad lauacrum deducimus. sed potius contra omnino, ut humectetur, & madescat,
quod immoderatius exsiccatum est. in huiusmodi igitur neque intus in balneo multi sudores expe-
ctandi sunt, sed quàm celerrime labri aquam ingredi, deinde e balneo egressos, resiccare statim ex-
pedit.

*Tum corpus non admodum siccum perungant.* 51

Hæc quoque oratio continuata serie dicta est post superiorem, qua dixit, & spongijs pro strigili utan
tur. accommodatius autē quispiam eam intelliget, de usu unctionis in balneo: ne qua dictu necessaria
res omissa uideaī: post lauacrū enim, cum spongijs abstersa aqua est, incertum est, utrum Hippocrares
unxerit: ægri quidem corpus, cum humidum non est, constat perungendū esse: nisi quispiam dicat, hoc
ipsum oleum, quod cum aqua est, ab Hippocrare postea resiccari. utile igitur est, ut de usu unctionis in
balneo consideremus: sed magis necessaria est, super unctionis rempore consideratio. utrum perfun-
dendum oleum sit, ubi is, qui lauatur, sudauit: an cum siccus adhuc est, confestim ubi se exuerit,
& prius

A & prius, quàm sudarit: an horum neutrum, sed ubi cœperit humescere. sane quicunque memor est eorum, quæ de olei facultate in libris de simpliciũ medicamentorum facultatibus dicta sunt, is plane nouit, optimum esse olei usus tempus in ijs, qui lauantur, quod tertio loco dictum est. idem scit, id ipsum antea calfactum esse adhibendum corpori eius, qui lauatur. nempe id corpus mollit, rarumque facit: cum frigidum suo contactu non solum horum neutrum efficere natura idoneum sit, sed eos etiam, qui lauantur, horrore perspergat.

52 *Caput autem spongia, quoad eius maxime fieri poterit, resiccare oportet.*

Caput in balneo resiccandum accurate esse, ut ne minimum quidem humiditatis relinquatur, perspicuum est: quicquid enim restat, refrigerare consueuit. id tamen a spongia effici adhuc nõ potest: nisi statim ab initio post usum mistionum. melius tamen est, ut aqua capitis linteo reficcetur.

53 *Neque caput ipsum solum, sed & extrema, & quamuis aliam corporis partem a frigoris iniuria tueri debent.*

Hoc mihi non uidetur tanti esse, ut ab ipso dicendum esset: est enim oĩbus perspicuum, nullam partem nudam esse diutius continendam: cum a balneo aquam eorum, qui lauantur, resiccant: partes e-B nim ita denudatas statim refrigerari, norunt omnes.

54 *Neque lauari debet is, qui nuper vel sorbitionem, vel potionem sumpsit.*

Non modo in ægrotis, sed in sanis quoque, nullus statim a cibo uel potu lauari debet: nam qui biberunt, ijs caput repletur: qui uero cibum sumpserunt, ijs non modo caput, sed & corpus totum ad se alimentum prius, quàm concoctum sit, attrahit.

55 *Ac ne a lauacro quidem ilico vel sorbere, vel bibere conuenit.*

Melius est edere, ac bibere sedata ea turbatione, quam balneum attulit: sicut ea quoque sedata, quæ ab exercitatione oritur; nam cibum protinus, potumve sumere, caput replet, ac interdum facit, ut quod sumpseris, supernatet.

56 *Magnopere autem laboranti indulgendum est, si cum recte valeret, balneum valde adamauit, aut lauari consueuit: nempe tales magis expetunt, iuuanturq; cum loti sint: & non loti, læduntur.*

Hæc in secundo horum commentariorum ferme declarata sunt omnia: ubi dictiones explicauimus, C in quibus parte plurima consuetudinis uires ipse narrauit.

57 *Confert autem magis peripneumoniæ, quàm ardentibus febribus prorsus: nam lateris, pectoris, dorsi dolorem mitigat: sputum maturat, & educit: spiritum facilem reddit: fatigationem leuit: articulos & ambientem cutẽ mollit: vrinam ciet, capitis grauitatem soluit: nares humectat. [ tanta ex lauacro sunt cõmoda: quibus omnibus indigemus. quod si in apparatu vel in re vnica, vel pluribus error commissus sit, periculum est, ne prosit, immo vero ne noceat: nam quicquid horum a ministris non sit recte paratum, magnam noxam afferet.*

Cur potius peripneumonijs, quàm febribus ardentibus balneum prosit, ipse docet, cum ait, nam lateris, pectoris, ac dorsi dolorem mitigat: sputum maturat, & educit: spiritum facilem reddit: siquidem ob hæc omnia est peripneumonicis utilissimum: sanantur enim, spuentes ea sputa, quæ pulmonibus cõtinentur. Pleuritici quoq; ob doloris mitigationem mirum in modum iuuantur. quapropter duorũ alterum, ut uel ita scribendum sit, confert autem magis peripneumoniæ, & pleuritidi, quàm ardenti febri: uel in peripneumonia subaudienda quoq; pleuritis est: cum pleuritis in latere dolorẽ habeat, peripneumonia non habeat. præterea cum peripneumonijs potius, quàm febribus ardentibus esse, utile balneũ ait, docet quoque æstuantibus quibusdam esse præsidio: sed ad hanc orationem distinctione opus est, D quam nondum possumus adhibere; propterea quod tempus, quo lauari ægrotos uelit, non definiuit. cum autem sequenti oratione ipsum explicantem, quos lauari nolit, audiuerimus tum ad balnei tempus perueniemus.

58 *Qui per morbos, citatiore sunt aluo, quàm sit opportunum, aut quibus supra modum aluus adstricta, non ducitur, ij lauandi non sunt: ac neq; ii, quibus imbecillæ sunt vires, aut qui fastidio, aut vomitione affecti sunt, aut qui biliosa ructant, aut quibus sanguis e naribus profluit, nisi minus, quàm occasio expetit, effluat. neq; occasiones ignores: nam si minus, quàm postulet occasio, effluat, lauabis, siue uniuersum corpus, siue caput solum, ita iuuari videatur. [ igitur si hæc commode parata sint, si æger citra noxam subire lauacrum possit, quotidie lauandus est.]*

Quibus plura per uentrem subducunt, ijs balneũ sistit aluum, ea ad corpus uniuersum reuellens: atq; hac ratione lædit. eos autem, qui nullo modo deiecerunt, uetustam fæcem ante euacuasse melius esse, nemo est, qui nesciat: sicut clarum etiam est, eos, quibus imbecillæ, hoc est exolutæ sunt uires, a balneo magis exolui. addit præterea eos, qui fastidio, aut uomitione affecti sunt, non esse lauandos: metus enim est, ne uiribus ita destituantur, ut syncope, quæ stomachica nominatur, eis succedat. sequũtur deinceps ij, quibus os uentriculi bile redundat: quos indicauit nota quadam, cum ait, aut qui biliosa ructant. simili quoque modo non conuenit lauari eos, quibus sanguis e naribus copiose fluit. † sed, si minus fluxerit, lauare est consentaneum. atque hi quidem sunt, qui copioso balneo indigent, ut

† Vetus tralatio habet etiã, sanguis enim eis immoderatissime fluet. tamẽ tres ueteres cod. quos habemus, nihil addunt.

ut ſanguis, qui in capite eſt, uehementius moueatur. lauabimus quoque ſi ſanguis nullo modo E effluat, cum debeat effluere. ceterum ex adiectione huius ſermonis, ſiue uniuerſum corpus, ſiue caput ſolum, ita iuuari uideatur, apertius quoque ſignificauit, quomodo ſæpius in domo calfacta ægrum ſine labro collocent: & caput ſolum, citra alias partes corporis, aqua calida perfundant.

*Lauandi autem cupidos, ſi quotidie bis laueris, non lædes.* 59

Medicus is, qui librũ de ratione uictus Hippocratis Victori Romano principi dedit, ſicut alias nonnullas decurtatas dictiones, ita & illam deſcripſit, in qua dicitur, †primis diebus nullum ſorbitionis genus ſubtrahendum: & item illam, †Qui bis in die cibum ſumere conſueuerunt, ijs bis dare oportet. ſed utriuſque dictionis dimidium ſubtraxit: huius uero nihil ademit, tempus uero nõ addidit, in quo lauandi cupidos intelligit eos, qui cum ſani ſunt, lauari gaudent, atque ideo ſæpe lauantur: hi enim ad lauandum, eo ſcopo utuntur, quem ex conſuetudine ducunt. itaque audiamus ipſum deinceps tempus, in quo uelit ægrotos lauari, præſcribentem.

†Eſt l.2.cõ.41

†Primo l.20.

*Multo autem tutius eſt, eos lauacro uti, qui integram ptiſſanam, quàm qui ſolum cremorem eius aſſumunt: & ſi bis quoque interdum uſus eſt: qui uero potu ſolo utuntur, ijs minime.* 60

Quo tempore lauandum ſit, hac oratione declarauit. quod ſi in principio feciſſet, multa, quæ interiecta media ſunt, obſcura non fuiſſent. ptiſſanam autem totam dat ijs, qui mitius ſe habent: qui uero deterius degunt, ijs ſolum cremorem: qui deinde periculoſius, acutiuſque laborant, ſolos potus. In toto autem hoc commentario de thoracis, pulmoniſque affectibus eum egiſſe, plurima uniuerſalia docentẽ, tanquam in exemplo morborum, quibus hæ partes obſideantur, præſertim uero pleuritidis, ſæpe eſt a nobis oſtenſum. eſt quoque declaratum, ab eo præcipi, coctis affectibus ptiſſanam exhiberi. eo igitur tempore etiam balneum ſine periculo ſubire poſſunt: quippe quod ad ſputorum, quæ thorace, pulmoneque continentur, expurgationem maxime conferat. qui igitur ita ſe habent, cum ea quoque indicatio, quæ ex conſuetudine eſt, acceſſerit, ijs duplicari lotionem, nihil uetat. Lauacrum uero ijs, qui ſolo potu utuntur, ait minime uſui eſſe: in quo poſuit minime, pro pauciſſimum: & non, ut quidam aiunt, pro, nullo pacto: propterea quod ſubiungens hæc, ait, F

*†Quanquam & horum nonnullis interdum uſu uenit. [Itaque conijcere oportet ex ijs, quæ ſupra ſcripſimus, quibus in ſingulis uictus generibus lauacrum auxiliari poſſit, nec ne: nam quibus aliquid eorum, quæ ad lauacri bonitatem pertinent, deeſt, quamuis nonnihil præſidij a balneo ſperaueris, lauari tamen non oportet. quibus uero nihil deeſt, uideaturq; ex notis quibuſdam lauacrum eis uſui fore, lauari conuenit.]* 61

† Hæc uerba addenda eſſe ſuperioribus, expoſitio Galeni aperte declarat.

G Non adiecit, quando hi balneo uti poſſint: quare id a nobis, totam ipſius ſententiam ſequentibus, dicetur. Hippocrates autem ijs ſolum potum in uictu præbet, qui acutis morbis detinentur: cum uires uſque ad morbi ſtatum, qui interdum cum ipſa coctione fit, ueluti in morbis thoracis, atque pulmonis, ſuffecturas ſperarit. concoctis enim ijs humoribus, qui affectum gignunt, confeſtim excreabunt. quod ſi, qualia oportet, ſolum expuere cœperint, certe in neutro genere neque in affectu, neq; in ſymptomatis morbus augebitur: ſæpius enim affectio, qua laborant, mitior eſt illa quidem, ſed ſymptomata adaugentur: ut in particulis inflammatione obſeſſis, ut ipſe ait, Cum pus conficitur, tum dolores, febreſq; maiores ſunt, quàm cum factum ſit. Sæpius autem mutuis incrementis ac decrementis exultant tũ ſymptomatum magnitudines, tum ea, quę affectionis eſt. id quod fit in ijs inflãmationibus, in quibus pus effluit, quod iam confectum eſt, prout in quibuſdam fieri uulneribus ſolet, & item in peripneumonijs, ac pleuritidibus. poſſunt ergo in his morbis illi quoque nõ inutiliter lauari, qui potu ſolo uſi ſunt: ait enim ipſorum dolorem a balneo mitigari, ſputaq; maturari. ſed id uacuato prius corpore faciẽdum eſt: cum ſcias in uniuerſum de balnei facultatibus, ſi, non ante uacuato corpore, exhibeatur, ipſum membris affectis fluxionem parere: at ſi euacuato corpore adhibeatur, iuuari ab ipſo coctionem: nam toto corpore ante euacuato admotum habet facultatem præterea euacuandi. ex quo fit, ut qui febrem ardentem habent, balneum ijs ſolis auxilietur, qui ſine tumore uel inflammationis, uel eryſipelatis laborant, bile in eis per totum corpus feruente: ſi uero etiam coctionis ſigna in eis appareant, multo magis proderit. at ſi febris ardens ex pituita ſalſa putrefacta originem ducat, ſciendum eſt, balneum eſſe eis aduerſiſſimũ: ſiquidem pituitoſus humor, non ita ut bilioſus, per cutim euacuatur: cum & craſſus & glutinoſus ſit: neque itidem extinguitur, cum longæ concoctionis indigeat. † Habeo ſane in memoria Hippocratis uerba: quæ in principio huius libri dicta ab eo ſunt, hoc modo: Quæ autem, non referente ægro, prænoſſe medicum oportet, eorum multa præterierunt, hæc autem qui Hippocratem eſſe dogmaticum putant, locos affectos, itemque ipſorum affectiones, & cauſas eſſe dixerunt: at qui eundẽ eſſe empiricum exiſtimant, hæc eſſe anni tempora, regiones, ætates, & circundantis nos aeris conſtitutiones, ſunt arbitrati. atque hæc quidem omnia, tum quæ a dogmaticis, tum quæ ab empiricis dicũtur, eſſe medicis utilia non ignoro. ſed Hippocrates multos hoc in libro ſcopos proponens in quos intueri quis poſſit, ut uictus formã inueniat, nullius eorum, quæ dicta ſunt, præterquam cõſuetudinis, mentionem fecit. uerum multa ſane præpoſuit, quæ recordationis uidentur indigere: atque ob eam cauſam ſermonem huc reieci, ut per hanc breuem explicationem, ij, qui totum librum perlegerunt, hunc ſermonem intelligentia conſequantur. Vnus igitur, atque is præcipuus ſcopus, tanquam in exemplo

H

†Cod. ſcripti habent hoc loco hæc uerba. De ijs, quæ pollicitus eſt, ſe poſtea dicturum.

« A plo pleuritidis, talis ab Hippocrate sua in dictione proponitur, Nam si morbus siccior sit, quam
« ur quispiam existimet, non ita multum dare oportet: sed ante sorbitionem aut mulsam, aut ui-
« num, utrum accommodatius erit. His expositis, deinceps addit: At si humidum fuerit os, &
« quæ a pulmone excernuntur, sint, qualia oportet, augenda est, ut summatim dicam, quantitas sorbi-
tionis: sed neque hæc, neque ea, quæ cõtinuata serie dicuntur, sunt a Gnidijs definita sententijs. ad hæc
uero, ait morbi concoctionem esse animaduertendam, qui quidem est Hippocrati fere totius formæ
« uictus instituendæ propositus scopus: & item earum commutationũ, quæ in ea singillatim fiunt. Addit
« uero & alias subinde horum distinctiones, quæ sunt huiusmodi: quibus enim cibus statim inclusus est,
« si, eo non uacuato, sorbitio detur, dolor præsens irritabitur: si dolor non est, protinus inducetur. & itẽ,
« Præterea ubi lateris dolor continuus est, calidisque fomentis non remittitur, sputumque non proce-
« dit, sed est ualde lentum & incoctum, si tum neque alui subductione, neque uenæ sectione, si horũ au-
« xiliorum alterutrum conferre uideatur, dolorem solueris, ptissanam autem ita affectis dederis, illi præ
« cipiti morte rapientur. Præterea uero etiam distinguens subiungit, si quempiam, qui non ita dudum ci-
« bum accepit, nec alui adhuc onera deiecit, febris uel cum dolore, uel etiam sine dolore corripuit, a sor
« bitione danda tantisper est temperandum, donec cibum ad infernam intestini partẽ descendisse conie
« B ceris. tum uero addit: At si cibus iampridem sumptus nondum descenderit in eo, qui nuper cibum ac-
« cepit, si uires ualent, ac uiget ætas, clyster immitti debet: imbecillo autem glandem supponere opor-
tet: nisi aluus sponte sua probe deiecerit. in qua sane oratione eum quoque scopũ adiecit, qui a uiribus sumitur, uelut in sequentibus etiam persæpe facit, cum iubet id quoque perpendi, quænam causa, & affectio sit, quæ uires prosternant, id quod etiam dixit a Medicis ignorari. Addidit præterea, ijs qui do lorem ad præcordia pertinentem habent, eam purgationem, quæ talibus medicamentis fiat, auxilio es- se: ceteris uero, in quibus dolor, uel grauitas ad brachium, aut pectus pertineat, uenæ sectionem. Hæc igitur, & cetera generis eiusdem, & item, quæ de consuetudine præcepta sunt, a Gnidijs Medicis sunt omnino prætermissa: ac multo etiam magis naturæ corporum, & temperaturæ, de quibus sæpe in hoc libro mentionem fecit, cum hos amaræ bilis homines, illos melancholicos nominaret. his igitur pro- positis ductus, & scopis insistens de ea uictus ratione, quæ tum sanis, tum ægrotis adhibenda est, agit, & quonam pacto emendare, ac corrigere quidpiam oporteat, demonstrat. Præterea in ea tractatio- ne, quæ de uino, oxymelle, & aqua est, eosdem scopos memorauit. adde, quod concoctionis morbi sæ penumero meminit: huncque non paruum scopum uniuersæ uictus rationis, earumque mutationum, quæ in ipsa fieri solent, ipse constituit. Simili quoque modo de morbi uigore quidpiam dixit: ad quem
C ipse non tanquam ad uilissimum in uictus ratione instituenda scopum, alimenta propinat. Hæc, & itẽ reliqua huius generis, quæ, non referente ægroto, prænosse medicum oportet, a Gnidijs Medicis prætermissa sunt omnia.

## GAL. IN LIB. HIPPOCRATIS DE RATIONE VICTVS IN MORBIS ACVTIS, COMMENTARIVS QVARTVS.

### ARGVMENTVM.

*Liber ex multis, uarijsque præceptis, ijsque sine ordine collocatis conflatus, quorum plurima ad acutos pertinere morbos uidentur: de quo utrum Hippocratis partim sit, partim non sit, sed ab aliquo eius discipulo confectus, ambigitur.*

MERITO suspicati sunt plerique Medici, quæ in libro de ratione uictus, post eam tractationem, quæ de balneis est, dicuntur, ad Hippocratem auctorem non esse referenda: siquidem ab illis, quæ ante scripta sunt, & ui dicendi, & accurata præceptorum ratione longo interuallo superantur. neque tamẽ nul la ratione moti sunt, qui hæc quoque esse Hippocratis putauerũt: nempe eo- rum, quæ scripta sunt, sententia ad illius institutum, mentemque dirigitur, ut ab aliquo ex eius discipulis hæc scripta esse, suspicari possimus: immo & ex eis multa dictionem una cum sententia ita uitio uacantem habent, ut rursus ea quoque Hippocratem scripsisse, existimandum sit: quippe qui pararet libri confectionem, in quo sin- gulorum acutorum morborum curationem doceret, quemadmodum in libro de ratione uictus promi serat. atqui in hoc libro, nobis proposito alias præterea dictiones inuenies ita aperte indignas Hippo- crate, ut eas ueris ipsius adscriptas esse debeas existimare: prout etiam in aphorismis quidam huiusmo di usi sunt, extremis libri partibus adiecti: qui enim libris quidpiam interserunt, quia multis in memo ria hærent primæ partes, id ultimis adscribunt. id quod etiam in libro de uulneribus capitis, & in secun

do de

do de morbis uulgaribus factum esse uidetur. Simili quoque modo in hoc, qui nobis proponitur, libro E interiecta quædam, ac multo etiam magis in extremo, comperimus. itaque cum quatuor, ut quispiam dixerit, in eo genera sint, unum quidem in dictione & sententia Hippocrate dignum: alterum uero in alterutro solum, hoc est uel dictione uel sententia: nonnulla uero in neutro horum, id ipsum nos in singulis dictionibus, quæ sese offerent explicandas, declarabimus.

*Ardor oritur, cum uenulæ æstiuo tempore exiccatæ ad se se acres, biliososque ichores euellunt.* 1

Tempus æstiuum, appellauit calidum & siccum: siue id ultimo uere, siue prima æstate, siue etiã media, uel extrema, siue primo autumno fuerit. Corporis autem nostri constitutionem ab aeris nos ambientis temperamento simul mutari, atque a sicco ad scciorem, ab humido ad humidiorem perduci, in commentarijs epidemiarum demonstratum est. illud quoque probatum est, a temperato anni tempore seruari naturalem temperaturam, cum scilicet cetera, quæ homines in uniuersa uictus ratione faciunt, simili modo se habeant. præterea ostensum est, corpus, quod a naturali, moderataque constitutione excessit, in quo excessit, & mutatum est, in eo indigere peculiari auxilio: ut arefactum, humectatione: humectatum, exiccatione: calfactum, refrigeratione: refrigeratum denique calfactione. Itaq; cum propter unam aliquam earum rerum, quarum exempla ipse subiunget, circunstantiam uenulæ F quædam in quauis parte corporis exsiccantur, eæ a partibus uicinis humiditates ad se trahunt. si igitur humiditates, quæ ad uenas arefactas comportatæ sunt, ut naturam sui consistentia humidam, sic etiã uim humectandi habuerint, particula naturalem commoderationem recipiet. at si humiditas qualitate acri, & facultate exiccante sit, corpus incendetur: ut si nostrum quispiam siti enectus liberaliter bibat uel uinum mari mistum, purum, uel aquam salsam. atque ego quidem scio, me quandoque ex æstiuo itinere sitim contraxisse, ac bibisse uini ueteris paulo syncerioris calicem unum, atque ita non sedasse sitim, sed magis auxisse. Vt igitur nos, in quibus inest ratio, quæ appetitum moderetur, interdum negligentius, interdum uero & incontinentius, &, cum nihil melius in promptu sit, ad potum aliquẽ salsum, & acrem peruenire cogimur, sic etiam attrahens uenarum facultas humiditatem uicinis e partibus attrahit, nullo modo discernens, qualis nam ipsius substantia sit: est enim expers rationis: qua possit, quid melius sit, perspicere: sed non secus, quam pueri, atque bruta, cum sitiunt, ad quemcunque humorem casus offert, accurrunt, ipsa quoque facit. itaque si in aliqua corporis particula ea fiat affectio, in ea solum affectus quispiam erit, qui erysipelas referat: sin autem totius corporis uenæ supra modum exiccatæ calidas humiditates carnosis e partibus traxerint, affectio in toto corpore fiet, quæ ardorem referet. is autem, qui proprie ardor dicitur, nõ solum caliditate, quæ per totum corpus fiat, sed si- G ti quoque præstat. Siquidem uehemens in eo sitis est, & quæ sedari non possit. In hac igitur dictione, de ardoris origine deest sermo de partibus corporis, quem nos nuper addidimus: siquidem ardor modo in una corporis parte, quæcunque ea sit, modo in toto corpore generatur. uerum cum in toto corpore fit, sitim omnino gignit: cum uero una in parte, non necessario sitim affert, nisi pars ipsa sitim pariat: omnium autem primum ac præcipue id facit os uentriculi: deinde uentriculus: tum gula, postea pulmo, denique ieiunum intestinum. Vtrum igitur tantummodo fit ardor ita, ut dixit, cũ scilicet acres & biliosas humiditates ad se uenulæ attraxerint? an uero, cum caro etiam id patitur, erit ardor, siue in una parte, siue in toto corpore pari eam contingat: ostensum enim est, in carne uim esse attrahẽdi ea, quorum indigens sit. præterea fieri etiam potest, ut alio modo similis gignatur affectio: alium autem modum dico, ut cum a partibus robustioribus ad imbecilliores excrementa mittuntur: est enim declaratum, singulis membris, ut attrahentem, sic etiam expellentem inesse facultatem. quam ob rem fieri potest, ut interdum una ex parte, interdum uero ex pluribus acres & biliosæ humiditates expulsæ, ad dictas particulas, quæ scilicet imbecilliores sint, fundantur. ceterum ichores hic significare tenues humiditates, est plane perspicuum.

*Febris quoque uehemens oritur, & corpus lassitudine oppressum laborat, & dolet.* H 2

Vehemens autem febris oritur propter naturam tenuium humiditatum, quas & acres, & biliosas esse dixit: his enim febres uehementissimæ superueniunt: quæ inquam & multam, & acerrimam caliditatem habent: ut etiam ex pituitosis humoribus sequuntur febres, quæ & minorem, & minus acrẽ calorem inuehunt. totum autem corpus lassitudine, ulceris sensum referente propter tenuium humiditatum acrimoniam laborat. Sed de omnium lassitudinum differentijs est a nobis in libris de tuenda ualetudine absolute actum.

*Accidit autem magna ex parte ob longum iter, & diutinam sitim, cum exiccatæ uenulæ acres, calidasque fluxiones ad se traxerint.* 3

Et in principio, & hoc item in loco uerbum, exiccatæ, adiecit, causas quas procatarcticas, hoc est primitiuas uocant, ueluti exemplo significans: siquidem omnes calidæ & siccæ causæ generare ardores possunt. equidem noui quosdam ob liberalem uini marina aqua misti potionem in ardorem incidisse: ueluti alios quoque ob salsamentorum, & salsarum carnium, & aliorum salsorum usum immoderatum. alius ex itinere, atque æstu rediens, primum lauit, deinde domum profectus cum † uinum temperatum,

† Hæc sententia est & in uetere tralatione sic expressa.

A temperatum, in quo tamen esset maior uini copia, bibisset, statim febri ardente correptus est. idem alius ob iracundiam, alius ob uigilias fecit.

4 *Lingua autem aspera, arida, ac valde nigra fit: venter morsu cruciatur: deiectiones liquidæ, & pallidæ: vehemens sitis cruciat: itemque vigiliæ: interdum mens quoque turbatur.*

A.l.4.f.i.c.2. c.41.E.p.788

Recensuit hac oratione, quæ ardorem subsequuntur: quæ etiam considentia uocant: sunt autem hæc, lingua arida, aspera, nigraque: uentris morsus, deiectiones pallidæ, uehemens sitis, uigiliæ, & interdum desipientia: lingua enim arescit, propterea quod tota corporis affectio sicca, calidaque est, & febris etiam ipsa est huiusmodi. Ventris morsus oritur ex acrimonia humiditatum tenuiũ in ipsum confluentium. deiectiones autem sunt pro humoris redundantia. eas autem liquidas esse dixit, ut nullo pacto concoctas esse declararet: siquidem concoctio cogit, incrassatque omnia. qui ita affecti sunt, ij propter siccitatem uigilant: est enim demonstratum, ab humiditate nimia propensiones ad arctiorẽ somnum, a multa uero siccitate uigilias procreari. huc accedit etiã ab alijs symptomatis fatigatio, quæ uigiliarum causa est. Desipientiam uero & a bili, quæ ad caput repit, & a temperaturæ caliditate, siccitateque excitari didicimus. cum autem quis bilem simpliciter dixerit, amaram intelligi, itemque
B bilem eandem & flauam & pallidam appellari, dictum antea est. ut igitur nihil eorum, quæ ad ardorem biliosum pertinent, omissum est, nisi quod non fit solum per attractionem, sed etiam per tenuium humiditatum effluxionem: ita quædam inordinate scripta sunt: ex ijs enim, quæ dicta sunt, quædam sunt symptomata morbum indicantia, quæ παθογνωμικὰ nominantur: quædam simul assidẽtia. quæ uero eos gignunt, alia antecedentia, alia præincipientia a Medicis appellantur. sed omnia, quæ dixi, symptomata potes, ut lubet, enumerare: is tamen, qui hunc librum confecit, ab antecedentibus initiũ sumpsit: uenulas enim exiccari, antecedens causa est: cum autem deinceps præincipientia dicere debuisset, ut iter longum & sitim, non ea dixit, sed quidpiam ex ijs, quæ affectum indicant, ut febrem uehementẽ adiecit. quinetiam hoc loco addenda erat sitis uehemens, quam postea simul cum alijs, quæ simul assidentia uocantur, symptomatis numerauit: quorum quædam interdum, quædam semper ardori insunt: quod ipse quoque declarauit, cum ait, Interdum mens quoque turbatur: nam interdum & semper opponuntur. atque ego quidem aio, & uentrem morderi, & biliosa deijcere, non esse de ijs, quæ ardores perpetuo comitantur: hæc enim ideo contingunt, quod uehemens morbus sit, motusque acrium, & tenuium humiditatum ad interna fiat: atque id in ijs, qui uentrem & iecur ueluti ardoris sedem habẽt: in ijs uero, qui pulmonem ueluti ardoris domicilium habent, hæc non admodum eueniunt: sed potius
C quæ de lingua, deque desipientia dicta sunt. Iam uero difficulter quoque hi spirant, ea scilicet spirandi difficultate, quæ & densa, & magna est: efflantque continenter os aperientes, & ignei spiritus effusione leuantur. ipse tamen totam spirandi difficultatem prætermisit, quam nos in præsagijs expositam esse ostendimus. Inordinate autem linguæ symptomata numerauit: debebat enim prius aridam dicere, deinde asperam: siquidem lingua aspera ob immoderatam siccitatem redditur: ut si aspera sit, omnino etiam arida censeatur. eam præterea propter immoderatam caliditatem nigrescere, ut usu uenit ijs, quibus cutis sole usta sit, iam ante didicimus.

5 *Huic & aqua, & aqua mulsæ coctæ, aquosæ, quantum voluerit, potui dabis.*

Quamuis hic liber Hippocratis non sit, antiquus tamen est, quippe qui iam Erasistrati temporibus uero Hippocratis operi esset adiectus. quam ob rem mirabile est, quomodo Erasistratus cereos calices in Apollonium, & Dexippum retorquere ausus sit: qui enim librum hunc scripsit, cum melius Hippocratis mentem, quam Erasistratus, intelligeret, ardore laborantibus, quantum uelint, bibere cõcedit. ac nos quoque in legitima huius uoluminis parte, ita etiam sentire Hippocratem demonstrauimus. sed de Erasistrati malitia hactenus. consideremus iam, quæ hac oratione continentur: iubet enim neque
D ex aqua sola, neque ex mulsa sola uictum instituendum esse ijs, qui ardore conflictantur: etenim scis, aquam, quia natura frigida sit, tarde permeare: & quia plurimo tempore in præcordijs manet, ideo in acutis morbis corrumpi: mel autem facile in bilem uerti: quocirca mulsam dari iubet, ut aqua, nulla mora in superiore uentre facta, a melle commisto ad distributionem trahatur. quæ causa facit, ut ipsam coctam præbeat: siquidem magis, quàm cruda, sitim arcet, magisque flatu uacat & urinas magis ciet, ut cruda, deiectionem: nam quæ cocta est, minus acris est: idque non solum, quia inter coquendum conficiatur, sed quia omne, quod spumeum in ipsa erat, adimatur: quod enim acre, flatuosumq; est, in mellis inest substantia. cocta autem tum morsu, tum flatu uacat: meliusque distribuitur, quàm per intestina descendat. hinc efficitur, ut magis nutriat, quàm cruda. qui autem ita laborant, citra ptisanæ succum, nutriendi sunt mulsa. atque in acutissimis quidem morbis solos potus esse exhibendos, in uera huius libri parte prædiximus. & hæc omnia, quæ ad orationis propositæ explicationem pertinent, ijs qui superiora legerunt, & eas explanationes, quæ in illa factæ sunt, in memoria habent, ad hunc sunt dicta modum, atque dicentur.

6 *Si os amarum fuerit, tum euomere, & aluum subluere conuenit,*

Bilis amaritudo os amarum reddit: nam communis, unaque tunica est, & quæ uentri interna est, & omnis

& omnis ea, quæ os conueſtit. non ergo ſine ratione huius ſermonis ſcriptor bilem per uomitum, & E
per clyſterem euacuat.

*Si uero ne ab his quidem ſoluitur, ex aſinæ cocto lacte purgabis.* 7

Quoniam omnino uult, eam bilem, quæ in uentre eſt, euacuare, timet autem purgantia medicamẽ-
ta, quod & acria, & calida prorſus ſint, ideo ad lac aſinæ confugit: ut pote quod nullam, ut neque etiã
aliud ullum, habeat acrimoniam: ſed cetera omnia humiditate ſuperet: atque ob id ſolũ uentrẽ ſubeat.
ipſum autem præcoquit, propter flatus. tu autem ſolo ſero uti poteris, ipſum per oxymel, ubi lac ante
coxeris, ſeparans: uas æneum aquæ frigidæ plenum continenter in lac dimittens. hæc enim immiſſio, ſi
recte fiat, ſerum a caſeo ſeparabit.

*Nihil uel ſalſum, uel acre exhibendum eſt: non enim deſcendet.* 8

Qualis nam ſit ſalſus ſuccus, ex ſale apparet: de acris autem ſucci ſubſtantia & facultate dictum eſt
in quarto de ſimplicium medicamentorum facultatibus: nam piper, ſinapi, pyrethrum, & quæcunque
facultatibus calida ſunt, acria quoque guſtantibus apparent. quocirca tum acria, tum ſalſa, tanquam
ardorem augentia, uitanda præcipit. hæc autem magis ſiccant, quàm acria: non tamen æque, atque il-
la, ſed minus calfaciunt.

*Sorbitionem, niſi iudicationes præterierint, non dato.* F 9

Intellige hunc ſermonem, ut robuſtas eſſe uires ſubaudias: nam hoc etiam pacto Hippocrates ma-
gna ex parte docet, ea ſcribens, quæ ſingulis in ſcopis præcipiuntur. atque ita ſemel deinceps monet,
comparanda eſſe inter ſe, quæ demonſtrata ſunt, ipſorum facultatibus conſideratis. ſorbitionem uero
ante iudicationem non eſſe dandam, ſi uires ſufficiant, in prima huius libri parte, quæ legitima eſt, decla
ratum eſt nobis.

*Cumque ſanguis e naribus fluxerit, ſudoreſque critici, & legitimi fuerint, atque in urinis alba, craſſa, & leuia ſubſede-* 10
*rint, ſoluitur affectio.*

In acutis febribus pars ſanguinis feruens ad caput fertur. cum igitur ruptis uenis natura eam partẽ
unà cum uaporibus congregatis effuderit, ceteris promptius dominatur. Simili quoque modo, cũ ſu-
doribus tenues humiditates, ſeruentes expulerit, morbum ſanat: ſi utique ſudores morbo iam conco-
cto ſuperuenerint: etenim de huiuſmodi re cum in alijs commentarijs, quibus explanationes continẽ
tur, dictum eſt perſæpe, tum uero etiam in ijs, qui de criſibus ſunt conſcripti. ut igitur in prima huius li-
bri parte, quam ueram eſſe Hippocratis, inter omnes conſtat, eum ſcopum, quem morbi cõcoctio ſup-
peditat, ad uictus rationem utilem accepit, ſic nunc quoque ad prędictionem. ipſe tamen concoctionis
nomen non adſcripſit, ſed firmiſſimam ipſius notam in urinis adiecit. optima igitur urina eſt, quæ alba, G
& leuia habet ſubſidentia: ut eſt in præſagijs demonſtratum. neque tamen id ſemper apparere poſtula-
bis, cum ſatis tibi ſit ad ſpem ſalutis, ſi ſublimamentum naturali & colore & ſubſtantia commodum in-
tuearis. cumque hæc ita ſe habeant, hęc dictio plura, quàm opus eſſet, complexa eſt: ſiquidem ex dictis
urinis plane conſtat, criticos ſudores eſſe: quam ob rem id fruſtra adiectum eſt. legitimi præterea non
proprie in ipſis dicitur: cum ad morborum formas & alij Medici præſtantiſſimi, & ipſe itidem Hippo-
crates, hoc nomine uti conſueuerint.

*Aut ſi aliquis abſceſſus apparuerit.* 11

Ardor rariſſime per abſceſſum iudicatur: atque adhuc magis, ſi citra partis corporis adiectionem id
quiſpiam enunciarit. nam parotidibus ardores quoſdam, ſed non ueros, eſſe iudicatos ſcio. id quod
poſt expoſitionem non ita multis uerſibus interpoſitis perdiſces.

*Verum ſi ſine his ſoluatur, uel iterum reuertetur, uel coxa, uel crura dolebunt: & craſſa expuet, ſi bonæ ualetudini re-* 12
*ſtitui debet.*

Facta eruptionis ſanguinis, ſudoriſque mentione, ſi ardor ſine his ſedetur, infidam eſſe ſolutionem
ait: ſiquidem paulopoſt reuertetur: erit enim inquit, in recidiua crurum dolor, aut coxæ, ſpuetq; craſſa.
atque eum quidem, qui iudicandus eſt, indigere ſanguinis eruptione, uel ſudore, uel abſceſſu, poteſt H
quis cogitare recte dictum eſſe, ſi dictis addiderit, quæ ipſe ad curationem animum intendens ſcripſit,
cum uomitum, & alui ſubductionem imperauit, potuique & aquam, & mulſam aquoſam, coctam, de-
dit. quare ſi cum his ſanguinis eruptionem, & ſudores, & abſceſſum ardorem ſedare quiſpiam dicet,
alias uero ſolui non poſſe, is ſermone fortaſſe uti conſentaneo uidebitur. dico autem conſentaneo ſer
mone uti, quaſi mediocriter uera loquentem, ac ueriorem, quàm prior ſermo ſit, non tamen prorſus re-
prehenſionis expertem: cum non uerus hic ſermo ſit: nam quod in aphoriſmis dicitur, ab ardore habi-
to rigor ſuperueniens, ſolutio: ueriſſimum eſt. hunc autem rigorem neceſſario ſequitur interdũ ſudor
ſolus, interdum uero etiam ſolus bilioſorum uomitus, atque interdum ſola deiectio: plerunque uero
ex his tribus duo, & rurſus quandoque tria contingunt: horum enim duorum alterutrum neceſſario fit
in ardore ſi perfecte ſolui debet, ut bilioſi humores perfecte uel excernantur, uel extinguantur. quo-
circa prætermiſſa uidebitur præcipua ardorum ſanatio, frigidæ inquam potus: quo potu nos ardores
perpetuo curauimus, neque ullus mortuus eſt ex ijs, quibus frigida potui data eſt a nobis tẽpore op-
portuno: cuius expoſitionem in priore huius libri parte paucis percurrimus: at in alijs tum commen-
tarijs, tum libris noſtris fuſius ſumus perſecuti. Sed putabit fortaſſe quiſpiam, me aſſerere, neminem
eorum, qui ardore uexantur, moriturum, ſi aquam frigidam tempeſtiue bibat. ego tamen id non dixi:
ſed

A sed omnibus, quibus propinarim, cum ita multi sint, ut ne numeri quidem meminerim, auxilium, salutemque successisse. id quod non idem est, ac si dicas, ardore laborantes, si frigidam biberint, omnino seruatum iri: qui enim perniciose, & non salutariter affecti sunt, neque per aliud quippiam, neque per aquam seruari possunt, ijs ne dare quidem aggressus sum. Quod autem in extrema dictione scriptum est, expuetque crassa, si sanus est futurus, in ijs ardoribus obseruandum modo est, qui affecto pulmone oriuntur.

13 *Ardoris genus aliud, aluus soluta, sitis magna, lingua scabra, arida, salsa:*

Veteres Graecos comperio nomen generis interdum in ijs usurpare, quæ homonyme dicuntur: quę quidem unam habent significationem, sed ex illius diuisione in multas differentias diducuntur: in qua sæpenumero dicere consueuimus, genericas huius rei differentias uel duas esse, uel treis, uel quatuor, uel quotquot tandem esse possunt. Sed, cum homonyma quoque duplicia sint, alia quidem nullo modo inter se communicantia, ut cum dicimus canem terrestrem, & marinum: alia uero quæ cum synonymis quadam ex parte sint communia, cum nomen ab uno ductum habuerint, quo tandem duo genera ardorum referantur, considerandum est. id autem exquisite intelligetur: si substantiæ utriusque ra-
B tio, quæ nomini conuenit, explicata sit. sed quoniam ratio a notitia iudicatur, quærendum est, utrum ardoris febris notitiam ita consonam, ut hominis, equi, & bouis habeamus. at cum oratio prolixior sit futura, quàm ut commentario conueniat, ipsam, sicut ceteras fecimus, ad breuem contrahere summã conabimur, sumpto ad hunc modum, initio. comperio Medicos, febrem ardorem appellare, cum urẽs caliditas, & sitis, quæ sedari non potest, hominem cruciat. id si ita est, causum eum, in quo corpus non uritur, sitisque leuis est, ardorem quidem simpliciter, sed exquisitum, & uerum non dicemus: cum. n. pro dimidia parte sit talis, breuioris doctrinæ gratia non erit alienum, eum ardorem nothum appellare. atque ut tertianis in febribus hac uti appellatione consueuimus, ita duo febrium ardorum genera esse intelligemus: ut tertianarum genera duo esse quispiam enunciarit, alterum exquisitum, & uerum, alterum nothum: cui uidelicet quædam ueri symptomata insint, quædam non item. hunc autem alte-
A.l.4.f.1.e.2. rum ardorem, de quo in hac parte instituta oratio est, tanquam diminutum quendam esse, & non per-
c.35.B.p.785 fecte absolutum, perspicue cognosces, si mentem ad ea symptomata, quæ scriptor in eo fieri dicit, conuerteris: in principio enim ait, Aluus soluta, sitis magna, lingua scabra, arida, salsa: in quo non adiecit id, quod priori attribuerat: ardor enim spurius alterum symptoma habet ex ijs, quæ in uero ardore fiunt, alterum non habet. deinceps autem, cum linguam scabram, aridamque esse dixit, non adiecit ni-
C gram, ut in superiore, sed loco huius symptomatis, salsam posuit. nam ut, cum lingua amara redditur, flauam bilem redundare significat: ita cum salsa, salsum, & eum quem salsuginosum succum uocant: qui succus, unum est pituitæ genus. sunt autem tria eius genera, ut tu scis, acidum, dulce, ac salsum. ut igitur prior ardor ex amara bili constans, pallidas excretiones gignit duplici de causa, & quod tenuis sit, & quod febris urens augeatur, cum prius nata in eo sit flaua bilis: sic pituitosus humor neq; facile excernitur, neque febrem auget, neque sitim ardentem habet, neque in spiritum uertitur. quam ob rem de eo dixit, aluus soluta: ut eam solam excernere declaret: quod ipsi non excernere aduersatur: deijcit enim his aluus, non tamen conuenienter formæ cuiuspiam humoris, sed ijs, quæ pro alimento data sunt corruptis: etenim his non est uictus ratio ex potu instituta, ut quamplurimis eorum, qui priore ardore conflictantur: illi enim citam habent excretionem, ex tenui scilicet, & feruenti humore constituti: hi uero seram, ob frigidam, glutinosamque, & crassam pituitæ substantiam. quocirca fieri nõ potest, ut qui ita affecti sunt, solo potu utantur. id autem didicimus in ijs morbis fieri, qui in quinta, uel septima die, cum uires robustæ sunt, coctionem sunt consecuturi: uerum si morbus ad nonum, uel decimũquartum uel uigesimum sese sit prorogaturus, in eo circa principia cremore ptisanæ utemur.

14 *Vrina defectio,*

D Id ab eo dici solet, uel cum non copia notabilis, uel nullo modo urina emittitur. in hoc autem ardore, quo de agitur, propter humoris crassitiem efficitur.

15 *Vigilia,*

Hoc utriusque ardoris cõmune est; itaque huius mentionem in superiore fecit. Sed id magis in illo euenit, propterea quod caput magis inflammetur.

16 *Extrema refrigerata.*

Hoc symptoma secundi ardoris est: non tamen hoc est simpliciter efferendum, sed aliqua adiuncta distinctione, siquidem non perpetuo est huiusmodi, sed cũ malignus fit. & tamen in biliosis, urentibusq; febribus ad extremas usque corporis partes caliditatem extendit: etsi non malignus ardor est. at in pituitosis fumosa est caliditatis substantia, cum scilicet uel in uentre, uel in iecore, uel in pulmone salsi humoris fiat corruptela: ob quã caliditas ignea redditur. uerũ si malignus morbus fiat, extrema ob uirium imbecillitatem, & inflammationis totum ad se sanguinem trahentis magnitudinem, refrigerantur: sine his enim morbus nunquam letalis efficeretur.

17 *Huiusmodi ardor, nisi ex naribus fluat sanguis, aut ceruici abscessus, aut cruribus dolor superueniat, & crassa sputa aeger excreet, id quod adstricta aluo solet accidere, aut coxarum dolor, aut genitalium liuor appareat, non iudicatur: testiculus quoque intentus ad indicationem pertinet.*

Febres

Febres ex pituita putrescente ortas per abscessus magis, quàm per excretiones solui, sæpe est demō- E
stratum: in præsenti autem ardore non modo abscessus memorauit, sed sanguinis quoque profusionē
adiunxit: ac magis etiam in ijs ardoribus, quorum sedes in pulmone consistit: in eiusmodi enim affe-
ctionibus caput incalescens, sanguine impletur: & quod in eo redundat, tum ruptis, tum adapertis ue
nis, effundit. ob eandem etiam causam ceruici abscessus & parotides superueniunt ijs, qui ita afficiun-
tur. quibus uero sedes affectionis in ieiuno, aut iecore est, abscessus fiunt potius in partibus inferiori-
bus: qua ratione fit, ut hominibus ita affectis coxæ doleant, pudendum liuescat, testiculusque tēdatur.
testiculus autem intenditur ab ea inflammatione, quæ in eo est: interdum uero, quia ab aliquo eorum,
quæ superius inflammata sunt, attrahitur. ceterum quosdam eorum, quibus affectio in pulmone est,
crassa expuere, cocto iam morbo, prædiximus. quocirca perspicuum est, doctrinam hanc confusam,
inordinatam, & indefinitam esse: quod quamuis ei adumbrationi conueniat, quæ librorum conficien
dorum causa fit, libro tamen nullo modo congruit. nā cūm tales febres multis membris affectis fiant,
certe symptomata omnia deinceps, & ordine scribere eum oportebat: & non inordinate, atque infi-
nite, sed conuenienter proprio, propositoque morbo numerum ipsorum adhibere. Et sane, quod di-
ctum est, aluus soluta, non est symptoma, quod ardori semper insit, sed interdum: quibus enim uenter
ita, ut dictum est, afficitur, his corrupto cibo deiectiones liquidæ existunt. at quibus pulmo ita affectus F
est, ac uenter nihil patitur, in his non necesse est, huiusmodi esse deiectiones: cum interdum contrario
modo ita affectis aluus dura sit, atque ægre excernant. præterea † [& quibus in iecore ardoris radix
subest] & qui ardorem iecori referunt, acceprum, ijs, quæ excernuntur, interdum liquida sunt, interdū
sicca, ueluti caprarum stercoris consimilia, combustis nimirum a uisceris inflammatione fœcibus. ita-
que cum uiscus huiusmodi solum inflammatione urgebitur, id efficiet: sed si cum inflammatione ad-
sit etiam imbecillitas, liquida deijcientur: cum scilicet uiscus trahere ad se alimentum non potest.
huiusmodi porrò deiectiones ab ijs, quæ affecto uentre fiunt, distinguuntur, quod illæ in alimenti na-
turam transierint.

† Hæc lib. Bes. habet ceteri non item nec sunt necessaria.

*Sorbitiones dato, in quibus uis attrahendi insit.* 18

Quod crebris usurpare sermonibus soleo, obscuram dictionem nihil docere, id nunc quoque usur-
pabo: nam qui ex pituitæ uitio laborant, ijs oxymellis quidem potus est utilissimus; alimentum uero,
ptissanæ cremor: quod quanquam ego noui, nec ab alio sit mihi perdiscendum, diuinare tamen non
possum, quasnam hic sorbitiones dicat, in quibus attrahendi uis insit. oxymel quidem secandi, incidē
di, & abstergendi ui præditum dici potest, attrahendi uero, nullo modo: propterea quod quid ab ipso G
attrahatur, nequit demonstrari: simili quoque modo ptissanæ cremorem non attrahere dicemus. Sed
dicet fortasse quispiam, eum uelle, uentrem attrahentibus subduci, hoc est ijs, quæ crassum trahunt
succum, cuiusmodi est pituitosus, at uero sorbitiones non dixisset: cum hoc sit medicamentorum non
sorbitionum, sicut neque potuum, munus. planum ergo est, quomodo in obscuris dictionibus nihil cer
ti habeatur. quapropter hanc dictionem, quia nihil in ea certi, definitique sit, non tuebimur. ceterum
non sat scio, quonam pacto homines, ut in alijs plerisque manifeste peccent, sic & in eo, quod gau-
deant ijs, quæ obscure dicuntur: cum tamen uno fere ore omnes perspicuitatem esse orationis uirtutē,
obscuritatem uero uitium, enuncient.

*In acutis affectibus sanguinem detrahes, si uehemens morbus uideatur, & infirmus ætate floreat, uiresque ei adsint.* 19

Hæc est Hippocrate digna oratio: ac miror, cur inter aphorismos eam non conscripserit, cum pau-
cis uerbis magna uis contineatur, quod aphorismorum est proprium. Fuit autem de ijs, qui sanguinis
detractione egent, frequens apud Medicos oratio. e quibus, quæ maxime de sanguinis missione pro-
babilia uidentur, duobus a me conscriptis libris sedulo sunt declarata: quorum alter de uenæ sectione
inscribitur, in quo docuimus, quæcunque utilia sunt, omnia: alter scriptus est, ut dixi, Medicis empiri- H
cis, atque dogmaticis. Verum Thessalij ab omni methodo alieni, ut cetera sine demonstratione simpli
citer efferunt, sic & sanguinis detractionem esse remedium relaxans putant. porrò autem relaxans
non uno modo exponunt, ut in nostris commentarijs, cum de methodica secta ageremus, docuimus.
Sed qui omnem de missione sanguinis intelligere auet historiam, is tum nostros, tum aliorum medi-
corum legere libros potest. nunc uero ipsam in paucos redactam scopos summam audito. sanguinē
enim primum detrahes, si morbus tibi magnus uideatur: in quo manifestum est, eum uti hoc remedio
habita ratione magnitudinis, propter uehementes affectus. nec quicquam refert, siue uehementem,
siue magnum morbum dixeris. Alterum mittendi sanguinis consilium initur, si æger ætate floreat. nam
neque puer, neque senex sanguinis detractionem sustinet, etiam si morbus, quo anguntur, magnus sit.
Tertium porrò scopum non omisit huius libri auctor, qui in robore uitalis facultatis consistit: neque
enim in ijs, quorum ætas florens est, cum languent, perpetuo robur apparet. quæ res facit, ut quispiam
fortasse, hos duos tantum detrahendi sanguinis scopos satis esse existimet, magnitudinem morbi, &
robur uirium: siquidem senex, non per se quod sit annis grauis, sed propter uirium imbecillitatē san-
guinis non fert detractionem. at pueri, quanquam uitali facultate ualent, tamen neque ipsi missionē
sanguinis ferunt: eorum enim substantia cum propter humiditatem, tum propter temperaturæ cali-
ditatem

A ditatem prompte in uaporem abit. non egent autem sanguinis detractione, qui innatam a temperatura euacuationem habent. quam ob rem non satis est, morbi magnitudinem, & uirium robur, sanguinis mittendi scopos statuere: sed melius feceris, si florentem quoque ætatem adieceris. Considerandum autem diligenter est, quod in principio dictionis scriptum est, In acutis affectionibus sanguinē detrahes: at quomodo diuturnorum morborum non meminit? nimirum quia nunc de acutis agit: ideo eos solos memorauit: nam & inter diuturnos multi sunt, ad quos sanguinis detractione opus est: cū ipsi quoque ad tres scopos, quos diximus, redigantur: nunc uero, cum hæc omnia recte dicta sint, quosdam tamen hoc remedio non recte usos esse, putandum est: quo in numero est Menodotus Empiricus, qui in sola concursione, quam plethoricam uocat, sanguinis obseruari missionem censuit. nos autem etiam si ille concursus non sit, uenam incidimus, cum dolor uehemens hominem repente inuadit, uel pars aliqua fracta est, uel os loco pulsum, uel alius quispiam articulus contractus: neque enim facta concursione plethorica sanguinem semper detrahimus, sed & frictionibus, & quāpluribus balneis, & abstinentia triduo, aut quatriduo ad naturalem statum reuocamus. uerum de his abunde dictum est in libro de plenitudine, & in libro de sanguinis missione, & item in eo, qui medendi methodus inscribitur. ad hoc aūt institutum hæc de sanguinis detractione, uelut in commentario, dicta sufficiant. uerumtamen, ut nihil B desideretur, eum quoque scopum adijciam, qui ab aere nos ambiente sumitur: ut cum is fuerit abunde calidus, & siccus, ut corpus ab eo cito euaporetur, tunc a sanguinis missione abstinendum sit, etiam si morbus magnus sit, ætateque homo floreat. id ergo solum auctor omisit, ceteris adscriptis. quanquam corporis quoque ipsius ægrotantis habitum non adiecit: sed in progressu orationis fecit habitus mentionem: qui potest etiam ætatis in se differentias, ut ostendam, comprehendere.

20 *Si autem angina sit, sique aliud quippiam ex pleuriticis malis, eclegmate repurgato: at, si æger ob copiosam sanguinis missionem esse imbecillior uideatur, clysterem tertio quoq; die uentri infundes: donec in tuto æger sit, & fame indigeat.*

Angina est inflammatio partium, quæ in faucibus sitæ sunt: quæ post sanguinis missionem repurgari eclegmatibus potest: hoc est, quæ in partibus inflammatione obsessis continentur, possunt per sputa uacuari: corpus enim impurum, quodque excrementis redundat, cum uacuatur, iure quispiam expurgari dixerit. omissis autem ceteris acutis morbis facit solum pleuritidis mētionem, sicut etiam in prima libri parte fecit. si æger inquit, tibi imbecillior uideatur uel propter ablati sanguinis copiam, uel ob aliam quamuis rationem, tum loco purgationis, clysterem tertio quoq; die iniicies: nam relaxato per sanguinis missionem corpore, quod ex humoribus morbum efficientibus qualitate uitiosum superfluit, C id euacuari per clysterem iubet. eius autem consilium esse, non solum alimenti excrementa subducere, uerum etiam affectum locum expurgare, perspicuum est. Quod uero in extrema oratione est, & fame indigeat, manifestum est ijs, qui eorum, quæ in primo libro declarata sunt nobis, meminerunt.

21 *Inflammata præcordia, septum transuersum non ab inclusis flatibus intentum, uel ob flatuum quoque protensiones, sicca orthopnœa, quibus pus non subierit, sed ubi flatuum interceptione huiusmodi affectus fiunt, potissimum uero & iecoris dolores, & lienis grauitas, & reliquæ inflammationes, & superiores septo transuerso dolores, & morborum collectiones, solui non possunt, si quis prius medicamentis curationem aggrediatur: nam præcipuum in his est, sanguinem detrahere, deinde clysterem adhibere, si uehemens, & magnus morbus sit: si non, & postea medicamento opus sit, tuto, & moderate post sanguinis missionem, medicamentum adhibendum est.*

Enumerat morbos, in quibus prius mittendus sanguis est, deinde uero post sanguinis missionem; est danda purgatio. primum autem omnium scribit inflammata præcordia. in quo uerbum hoc, inflammata, non est ex Hippocratis consuetudine accipiendum: siquidem hac uoce omnes morbi flammantes, & calidi significantur, cuiusmodi sunt erysipelata, herpetes, carbunculi, & quę proprie inflammationes nominantur. omnes tamen medici recentiores uni speciei flagrantium † corporum uetus cōmune nomē D imponunt: atq; hoc pacto eum solum tumorē uocāt, qui renitens cū dolore, ac multo calore est. uerum cum alij quoq; præter naturam tumores sint, ut scirrhus, & qui a recentioribus medicis œdema appellatur, id quod fuit etiam aliquando commune nomen omnium præter naturam tumorū, atq; ipsius quoque inflationis, dictum quidē alibi a nobis est de tumoribus præter naturam uno in libro: tamen in præsentia, sicut cetera, id etiam summatim explicetur. scirrhus igitur renitens tumor est, & dolore uacans. inflatio autem duobus modis efficitur: collecto nimirum quibusdam in cauitatibus, uel quæ sub sensum cadant, uel quæ ratione comprehendantur, flatuoso spiritu. quidam etiam tumores præter naturam in musculis secuerunt, tanquam pus in imo reperturi: sed nihil aliud, præter spiritum, qui totam per carnem esset minutatim disseminatus, inuenerunt. præterea uero & grumi soli interdum ab ijs, qui ita secant: uel uiscosa humiditas, uel mucosa reperta est. uerum in eiusmodi tumor uel ex grumo, uel ex mucore constabat, cum caro simili modo affici uideretur: spiritus autem in ea per minutas partes esset disseminatus. in hac ergo dictione præcordia inflammata non uidentur dici in ea significatione, qua uti Hippocrates consueuit. nam quam habebit sententiam, quod post adijcitur, non ab inclusis flatibus intentum, cum flammea caliditas in præcordijs, siue cum flatu sit, siue sine flatu, eandem indicationem habeat? neque enim ita dicere uisus est, ut coniunctim & inflammationem, & spirituum interceptionem fieri significetur: cum

† liber uetus habet νοσημάτων. i. morborum.

cum id falsum sit: propterea quod spiritus interceptio nunquam flagrantem affectionem præcordijs affert. ita fit, ut qui hæc scripsit, inflammata præcordia, is quæ in tumorem elata sint, dicere uideatur. deinde uero de septi transuersi intentione, tum de spiritus protensione mentionem fecit. septi autem transuersi intensio, omnibus manifesta est: spiritus uero protensos, ueluti interruptos dicere uisus est: de quibus in prima huius libri parte scriptum est: Spiritus errat, quippe qui sursum fertur: de quo, in explicatione illius dictionis dictum est. Siccam autem orthopnœam dixit eam spirandi difficultatem, quæ sine sputis, uel eductione per tussim usque adeo uehemens est, ut qui sic afficitur, inclinari citra suffocationem, non possit. quam nosti procreari ab angustia earum pulmonis capacitatum, quæ spiritum deferunt: quæ quidem magis patiuntur iacentibus, & minus stantibus, & uero omnibus partibus, quæ in thorace sunt, recte collocatis. unde etiam orthopnœa appellatur. [quod nisi recta ceruice spiritus trahitur.] sed cum ea quoque ob uisceris inflammationem interdum fiat, ut in peripneumonijs, interdum uero oppletis bronchijs, ait eos egere sanguinis missione, qui orthopnœa affecti sunt: eos inquam, quibus pus collectum non sit: quandoquidem eos, in quibus pus est collectum, puris euacuatione indigere planum est. qui autem a spiritus interceptione, id quod pulmone in angustiam redacto fieri solet, hoc patiuntur, ij sanguinis missione iuuantur. pari quoq; modo iecoris lienisque dolores, & ceteras omnes inflammationes sanguinis detractio iuuabit: & itē uniuersas morborum collectiones. par autem est, morborum collectiones dictas esse eas, quæ a partibus intumescentibus fiunt. equidem nunc quoque in nostra Asia audio plerosque, qui tumores omnes præter naturam hoc nomine uocent: in his enim non est adhibēda purgatio prius, quàm sanguis mittatur: quanquam hanc quoque sententiam ipse deinceps in oratione consequenti subiungit.

E F

*Qui autem inter initia inflammationes medicamento soluere conantur, ij a distenta inflammataque parte nihil adimūt: affectus enim, utpote crudus, non remittitur: ac partes sanæ, & morbo resistentes colliquescunt. quocirca morbus imbecillum iam corpus uincens, curationi non obedit.* 22

Hunc aphorismum exposuimus, cum illum declararemus, qui ita habet, Concocta medicari, & mouere. in eisdem autem symptomatis, in quibus nunc quoque, recte ad sanguinis missionem prius esse ueniendum monet, ubi uitiosi aliqui humores in partem aliquam confluant, atque in ea aceruētur, quod modo quodam, ut dixi, colligi in ea parte dicitur. ceterum quod in fine ante dictæ orationis scriptum est, quidam perobscurum reddunt, nomen φαρμακεύειν, hoc est medicamentum in accusariuo casu, pro recto male legētes, hoc modo tutela & mediocritate indigere sanguinis missionem, post medicamentū. quibus uerbis significari uolunt, a medicamento ad sanguinis missionem esse ueniendum. uerum in tota dictione prius ad sanguinis missionem, deinde uero ad medicamentum progrediendum esse præcipitur: non autem uersa uice, ut ij scribunt, assumendum esse medicamentum, postea mittendum esse sanguinem. ceteræ huius orationis partes planæ sunt ijs, qui exacte, quæ a me dicta sunt, animaduerterunt. G

*Si repente quis obmutuerit, id uenarum interceptiones fecerint: si id sano homini sine occasione, ac sine alia uehementi causa acciderit.* 23

Venarum interceptiones appellat obstructiones, quæ a plenitudine fiunt. cū igitur uenæ supra modum sint oppletæ, premi uires necesse est, ac natiuum calorem, qui ob multitudinem quidpiam suffocationi simile patitur, periclitari ne extinguatur: oriuntur enim epilepsiæ, apoplexiæ, & syncopæ cardiacæ: ipse enim omnia hæc symptomata uno communi uocis priuationis symptomate significauit. addidit autem, si sano homini id sine occasione, ac sine alia uehementi causa accideret: ubi occasionē intelligit causam euidentem: ut si quis in lucta, uel pancratio, ex cubitorum accommodatione ad periculum suffocationis sit circunductus. aliam uero causam uehementem dicit, qualis uel timore, uel maximo mœrore quodam perculsis accidit. in ægrotis autem uocis priuatio huiusmodi fieri potest, læsis solum ijs instrumentis, quæ uoci efformandæ subseruiunt, uel etiam ijs, a quibus efficitur respiratio. potest quoque accidere ob aliquam recentem exolutionem, & uirium afflictionem. quam ob rem, ut eā ab huiusmodi uocis priuationibus distingueret, ideo orationi adiecit, si sano homini accidat. H A.l.3 f.11.ca c.5.p.516.D.

*Venam dextri brachij internam secare oportet.* 24

Ea uena & uelocissime, & plurimum ex ijs partibus, quæ principes sunt, corpus euacuat, itaque in acutissimis morbis ad eam incidendam accedit.

*Et pro habitus, ætatisque ratione, sanguinem detrahere, exuperantiam, defectionemque considerando.* 25

Cum de ijs, quæ sibi proposita habent illi, qui sanguinem mittunt, supra loqueretur, habitum omisit: atque hoc loco nullam fecit uirium mentionem. sunt tamen, qui nomen habitus pro uirium nomine dictum putent, una de re utrunque dici male existimantes: etenim habitum nominamus, ad corporis constitutionem referentes, ut cum quis uel mollis, uel durus sit: robur uero uirium, functionum uehementia cognoscimus. quocirca hi duo scopi sunt, qui communem quidem habent uacuandi indicationem, sed differunt inter se, ut is etiam, qui ab ætate sumitur. sed potius ætatem ad habitum corporis, quàm uires referemus: nam in pueris, propter habitus molliciem, cum perspirabilis cutis sit, succi facile per halitum digeruntur: in senibus uero non facile, propter siccitatem, & frigiditatem. satis aūt

esse

A eſſe hos tres mittendi ſanguinis ſcopos quiſpiam dixerit:ut euacuãdi indicationem a morbi, qui curatur, magnitudine,& habitu, & uiribus accipiamus.ceterum ſupra quoque monuimus, cuius temperaturæ ſit aer nos ambiens,eſſe inſpiciendum.

26 *Plurimis autem eorum accidunt hæc ,faciei rubores, oculorum conſtantia, manuum porrectio , dentium ſtridor ,pulſus, maxillarum contractio , extremorum frigus , ſpirituum in venis interceptiones.*

Ex ijs,quæ deinceps accidunt ,ſolius faciei rubores,qui priore loco ſcribũtur , ſanguinis indicãt copiam. tum oculorum cõſtantia, hoc eſt immobilitas:& manuũ porrectiones: ſiquidẽ hæ quoq; propter neruorũ originem læduntur,aliter tñ,quàm ſit cõſtantia oculorum:propterea quod ea ueluti torporem quendã functionũ in principio neruorũ indicat:at manuũ porrectiones,dentiũq; ſtridor neq; ob quietem, neque ob principij immobilitatem,ſed propter uitiatam motionem oriuntur.quid autem pulſus ſignificent,non eſt omnino perſpicuum:ueteres enim in motionibus,quæ dolorem in membris inflammatis excitant,hoc nomine utuntur:itemq; in palpitationibus,& uehementi arteriarum motione. maxillarum autem cõtractio eſt conuulſionis ſymptoma : & item manuum proiectiones,ac fremitus dentium.extremarum uero partium perfrictio in hiſce affectionibus innatum calorem ab humorum grauari multitudine declarat.quod autem in extremo orationis additum eſt,ſpirituum in uenis interceptio-
B nes , probabile eſt , ut de pulſus uacuitate dicatur; ueteres enim arterias appellabant nomine uenarũ. ſpirituũ ergo interceptiones,quaſi inclinationes, & quietes dici poſſunt. ſunt , qui ſequentis dictionis, cuius eſt alia ſententia,hanc dictionẽ eſſe principiũ uelint,cui eam,quæ deinceps ſcripta eſt,cõiungũt.

27 *Cum dolores acceſſerint , bilis atræ & acrium fluxuum influxiones fiunt : internæ autem partes morſæ dolent : venæque morſæ,atque admodum areſactæ intenduntur, & inflammatæ alliciunt ad ſe ea, quæ affluunt. quam ob rem corrupto ſanguine,cum ſpiritus in ipſo naturales meatus nequeant pertranſire , infrigidationes ob ſtationẽ eueniunt: itemque vertigines,vocis priuationes, capitis grauitas, conuulſiones : idque præcipue ſi iam vel ad cor, vel ad iecur,vel ad venas peruenerint. hinc igitur comitiales morbi , & paraplexiæ proueniunt , ſi in continentes locos fluxiones inciderint , & ſpiritibus exire nequeuntibus , exareſcant.*

Oratio,quæ nũc eſt ꝓpoſita,eiuſdẽ eſt generis cũ ſuperioribus:ac q̃dã hãc illis adiũgũt: ob eãq; cãm hoc uerbũ προσγένωνται.i.acceſſerint,duobus ſcriptũ modis repetiĩ.qui præſentẽ ſermonẽ prędictis cõiungunt,primã huius uerbi ſyllabã cũ ρ ſcribũt:qui nõ copulãt hũc illis,ſine ρ ſcribũt.quod aũt diciĩ,habet hunc ſenſum:dolorũ motio ſolet humiditatũ influxionẽ ad eã partẽ,quæ dolore uexaĩ, excitare. cũ igiĩ corpus ſit uitioſorũ ſuccorũ plenũ,tum atræ bilis,ceterorũq; acriũ humorũ influxiones exoriũtur : pro- [A.l.3 f.1.t.5. c.18.p.375.C]
C pter quas maiore dolore æger cõflictatur,& interna mordẽtur,ac uenæ,quæ in affecto loco ſunt,a prædictis humoribus morſæ,grauãtur:id quod reddiĩ cauſa † cõtraria alterius rei:nã cum particula,quę afficitur,ab huiuſmodi fluxibus repleta eſt,ſanguis quidẽ ipſe in primis corrũpitur, uaſa uero opplentur, quæ res oẽs ſpirituũ uias in eo cohibet.quod ipſe declarauit,cũ dixit,cũ ſpiritus in ipſo naturales meatus nequeãt pertrãſire:quod ipſe ante ſpirituũ interceptiones uominauit.cũ aũt ſanguis cõſtiterit,& in eo itidem ſpiritus,infrigidationes fiunt,itẽq; uertigines,uocis priuationes,capitis grauitates,ac cõuulſiones:quibus ſuccedũt morbi comitiales,& attoniti:cũ fluxiones in locos,qui uenas oppletas cõtinẽt, inciderint. locos aũt dixit corporis partes,quas ipſe memorauit,cor,iecur,& uenã,quæ prædicta uiſcera cõiungit:uenã inquã,quam poſtea medici cauã uocarũt,qđ uenarũ oium,quæ in corpus aĩantis pertinent,latiſſima ſit.merito igiĩ ſanguis in huiuſmodi locis ꝓpter uenarũ repletionẽ ſpiritũ penetrare non ſinit:ſed ueluti in mortuo corpore cõcreſcit:qđ & auctor ipſe ſignificat,cum ait, Et ſpiritibus exire nequeuntibus,exareſcãt.magis tñ proprie dixiſſet,cõcreſcãt:ſiquidẽ & quæ ſiccãtur,& quæ refrigerãtur, cõcreſcunt.nũc aũt non cõcreſcit ſanguis propter exiccationẽ,nec,qui in ipſum cõfluunt, uitioſi ſucci: ipſis enim exeuntibus,ſanguis incorruptus,& naturaliter fuſus reddiĩ.at cum manent, & natiuũ calorẽ reſpuunt,& extinguũt,is tanquã in cadauere concreſcit.cum igitur ita affectis ſanguis detrahitur, tum [† hoc uerbum nõ habet lib. Beſſar.]
D is frigidus,craſſus,& uix e uenis effluẽs apparet:idq; propter huiuſmodi refrigerationẽ cõtingit. interdum uero in toto corpore cõuulſiones oriuntur:interdũq; ſalutariter,& accõmodate : ſiquidẽ eæ totũ corpus cõcutientes,uniuerſas partes adeo calfaciũt,ut multitudo partim per cutim digeraĩ, partim ad aliquã ex non principibus partibus expellaĩ:ubi cũ impacta ſit ita,ut diſſolui inde nõ poſſit, facit paraplexiã.eſt aũt declaratũ, Hippoc. ita eas reſolutiones noĩare, quæ ex morbo comitiali, & attonito ad aliquã ex nõ principibus partẽ irruũt.interdũ quoq; cũ attonitus morbus ſine cõuulſione fiat,affectio in reſolutionẽ particulæ in q̃buſdã finiĩ,eaq; paraplexia uocaĩ. cetera in hac oratione,ſunt perſpicua.

28 *Quapropter ſtatim ab initio, adhibito prius fomento, ſanguinem detrahere hiſce oportet,dum adhuc omnia infeſtantia, tum flatus,tum fluxiones ſuſpenduntur : ſic enim facilius remedijs vincuntur.*

Qui ita affecti ſunt,ijs prius fomẽta adhibẽda ſunt: ꝓpterea qđ concreuit in eis ſanguis,ac difficulter effluit.ſed, q̃m in fotu frictio etiã quædã fit,præſtat id efficere,qđ ſcripſimus:ſecare inquã internã cubiti uenã.non .n.ita ſemꝑ cõcreuiſſe ſanguis cõperiеĩ,ut effluere nõ queat. itaq; eo tpe fricãdæ multis ab hominibus cunctæ corporis partes : & ſi mediocriter ſanguis fluat,turſus confricãdæ,ſuperque ſanguis auferendus.ſi uero non fluat,fricandæ & fouendæ erunt, donec fluat. ubi uero in paraplexiam affectio deſierit,expedit fricare breui tempore,atque fouere : ac rurſus fricare, & fouere : donec celerrime hæc ſedata ſint, dum ſpiritus adhuc fixi non ſunt,& euacuationi contumaces.

*Deinde reficere, atque habita indicationis ratione, nisi sursum ferantur, medicamento purgare: si aluus inferior* E 29
*non deiecerit, clysterem iniicere, coctum asinæ lac dabis, nec minus duodecim heminis bibat: ac plus sedecim, si uires tolerare possint.*

Iubet refici roborarique hominem post euacuationem, quæ uenæ sectione fit, ut si nihil releuatus uideatur, ad eam, quæ per superiores partes, hoc est per uomitum fit, purgationem perducatur, Sed neque nominatim purgans medicamentum indicauit, neque ipsius delectum fecit. est autem plane perspicuum, habita morbi magnitudinis, uiriumque roboris ratione, nos aut albũ ueratrũ, aut aliquid ex alijs uomitum cientibus esse daturos. quæ porrò de aluo inferiore dicuntur, clara sunt. nec quisquã lactis copiam admiretur: cum hoc fuerit in more positum omnium antiquorum. lac autẽ asinæ propter humiditatem exhiberi, supra est declaratum: itemque propterea quod epotum, non coaguletur, sicut cetera, quæ crassa sunt. ei autem modicum mellis & salis admiscendum est.

*Angina fit, cum hieme, aut uere multa, eademque glutinosa fluxio a capite ad iugulares uenas descenderit: quæ quidem propter amplitudinem plurimum ad se † spiritum traxerint. itaque cum fluxio frigida, glutinosaque sit, spiritus meatus obstruit, & sanguinem coercens, quæ uicina sunt, congelat: ipsum uero sanguinem immobilem, stabilemque reddit: quippe quem suapte natura refrigerandi, obstruendique facultatem obtinet. proinde ægri suffocantur, liuente lingua, rotunda, & incurua propter subditas ei uenas: præcisa enim una, quam columellam uocant, uena utrinque crassa apparet. cum igitur hæ uenæ oppletæ sint, lingua, quæ ob siccitatem rara, fistulosaque est, imituntur. hæc deinde ui coacta, ex uenis humorem suscipit: quam ob rem latitudo in rotunditatem, coloris uenustas in liuorem, mollities in duritiem permutatur: & quæ antea facile flectebatur, curuari nequit. itaque celeriter iugulat, nisi protinus iuues. sanguinem igitur ex brachijs detrahes, deinde uenas, quæ sub lingua sunt, secabis: medicamento, quod trahendi uim habeat, purgabis, calida gargarismata exhibebis, caput rades, eique & ceruici ceratum impones, lanis inuolues, molli spongia ex aqua calida expressa fouebis, aquam & mulsam non frigidas potui dabis: cremorem autem exhibebis, cum indicato iam morbo æger in tuto fuerit.*

30 A.l.3.f.9.c.8. p.467.C

F †Alij, legunt ῥεῦμα i. fluxionem.

Anginam siue synanchum, siue cynanchum, uel alterum horum synanchen, alterum cynanchẽ dicere uolueris, siue utrunque synanchen appellaris, scito duas esse synanchæ rationes: ad curationẽ uero nihil nobis nominibus opus est. ipse autem multo melius eam docere consueuit, quàm ij, qui in nominibus medicinam statuunt. ego uero eius doctrinam breui tibi oratione subscribam, sumpto ita initio. Fluxionum, quæ ex capite descendunt, quædam substantia tenues sunt, quædam ex crassis, glutinosisque humoribus constant. quæ tenues sunt, eæ penetratis latis uenis, in angustioribus detinentur. G eiusmodi autem sunt, quæ guttur ambiunt. in crassis contra fit: retentæ enim prius in amplioribus uenis, uniuersas uenas, quæ angustæ admodum sunt, non ingrediuntur. Cum igitur in uenis faucium tales humores sint impacti, pars in tumorem attollitur, sicut guttur ex alijs: utpote gutturis uenæ multo sint, quàm faucium, strictiores. totum autem corpus uacare excrementis debet, & non esse plethoricum, idque duplici de causa: & propter eam reuulsionem, quæ ab euacuatione est, & quod euacuato corpore, cum id quod influit, ab affecta parte expellimus, id facilius suscipit, ac si aliquo calido per halitum digerere uolueris, nihil a corpore ipso ad partem affectam transmittetur. oportet igitur totum corpus euacuare uena secta, purgatione, & clysteri: affectas autem partes medicamentis adstringentibus, quæ profluentes humores extrudant, atque ex firmatis, eos, qui non admodum infixi, glutinosique, & crassi sunt: tum uero calidis, & acribus, quæ contentos in membris affectis humores digerant. Venæ autem, quæ sub lingua sunt, eam inflammationem, quæ in faucibus est, sine medicamẽtis euacuant. Sed, quoniam ex humoribus alij crassi, glutinosique sunt, ideo hi medicamenta acriora postulant, quæ secare, & in tenuia diuidere, & tum glutinosa, tum crassa possint confringere. præterea uero ad exteriorem extremitatem reuellere humores oportet, circumpositis collo, quæ attrahendi uim habeant, medicamentis: melius enim est extimas, quàm intimas colli partes affici: quod H spiritus, cum inspirationes fiunt, ad fauces, gutturque irruat: & cum expirationes fiunt, per ea foras deferatur. sæpius uero fluxiones, quæ prædictas ad partes eunt, eæ ad quasdam alias partes exprimente natura traijciuntur: atque interdum principio ita deferuntur, ut rursus aliæ tum gutturis, tum faucium fluxionum differentiæ oriantur. constat autem inter omnes, facilius curari ea, quæ cutim, quàm quæ imas partes attingunt: commune tamen in utrisque & colli & capitis, a quo fluxiones descendunt, tibi sit auxilium. Hæc autem oratio anginarum species, & causas, & affectos locos, & curationes docuit. neque fuit solicitus hic auctor, synanchen ne, an cynanchen, uel synanchon, an cynanchon eam appellaret. Scriptor igitur huius libri, neglectis nominibus, omnes eos affectus, qui in faucibus, & gutture sunt, respirationemque arctant, synanchos hoc est anginas appellans, duas esse earum species asserit: quarum altera a glutinosa, frigidaque fluxione fiat, quam pituitosam possis nominare: altera uero a calida, acrique: quam si ex amara bili, aut absolute biliosam uocaris, non errabis. priorem autem fluxionem in ampliores uenas decumbere scribit: biliosam etiam in tenuiores peruenire declarat. cetera clara sunt. oportet autem, ut ad ea, quæ dicta sunt, animum aduertas: & si primo quoque aspectu non intellexeris, bis, & ter lege, atque ita intelliges. interim uero ad alteram anginæ speciem pertransibo.

31 A *Cum per æstatem, aut autumnum calida fluxio a capite destillauerit, eaque nitri qualitatem imitetur, fueritque, ut ab anni tempore, acris & calida; hæc cum huiusmodi fuerit, mordet, ulcerat, spiritu implet, orthopnœam, & ariditatem uehementem inducit: partes autem, quæ intuenti apparent, graciles uidentur.*

Quomodo, & quam ob causam hæc fiunt? a calidis nimirum & acribus: nam priorem fluxionẽ, quæ pituitosa est, hyeme, aut uere fieri dixit: hanc uero secundam, autumno, uel æstate. atque in alijs anni temporibus ex proportione, ut ante dictum est. huic autem anginæ generi orthopnœam ait superuenire, quæ est angustiæ nota insignis, partem aliquam ex ijs, quæ ad respirationem pertinent, fatigantis ut supra est demonstratum. quod si hos amplissime os aperire iusseris, linguamque repressseris, ut quæ in faucibus sunt, possis aspicere, nullum præter naturam tumorem, ut in prædictis, cõperies: quod scriptor significauit his uerbis, Partes autem, quæ intuenti apparent, graciles uidentur: neque enim uidetur id, quod in faucium meatu inflammatum est: quod autem ex apertis uidetur, id omne uacans inflammatione est, partesque ipsæ non tument. nam quod ait graciles, interdum opponitur ei, quod præter naturam intumescit: quam uocis significationem ignorantes quidam, dictionem ridicule exponũt. alij autem commutant, ut qui scribunt hoc modo: Partes autem, quæ intuenti apparent, decolores uidentur. ceterum ita affectis interdum accidit, ut fluxionis partem recipiant etiam ij musculi, qui fauci-
B bus uicini, & a tergo siti sunt, ubi est gula, quæ, sæpius ipsa quoque simul afficitur. post hæc autem id quoque est in hac dictione conscriptum.

32 *Tendines ceruicis posteriores adeo intenduntur, ut distentionis neruorum modo rigidi uideantur.*

Quod deinceps dictum est, magis quoque affici guttur declarat: est enim demonstratum, uocis originem in ea parte animantis absolui: quapropter ait,

33 *Vox abrupta est, & spiritus paruus.*

Vox enim omnino abrupta est, hoc est, disperijt, affecto, ut dictum est, gutture. respiratio autem parua redditur, propter meatus angustiam. in commentarijs autem de difficultate respirationis scriptum est, eam longiorem tempore fieri, & interuallis frequentiorem: quod libri huius auctor in hunc modum enunciauit.

34 *Spiritusque reuulsio frequens, & uiolenta accedit.*

Dixit spirirum & eam expirationem, quæ inspirationi succedit: & eam inspirationem, quæ succedit expirationi: ex utroque enim spiritus frequens efficitur: nam ita affectis quies, quæ inspirationi succedit, breue tempus habet: itemque ea, quæ ante inspirationem expirationi succedit. horum autẽ demonstrationes in libris de spirandi difficultate expositæ sunt nobis.

35 *Sic autem affectis arteria ulceratur, pulmo ardet, neque attrahere externum aerem possunt. itaque nisi sua sponte in*
C *exteriores colli partes ipse affectus efferatur, grauissimum, ineuitabileque periculum minatur: idque propter anni tempus, & quod a calidis, acribusque humoribus efficiatur.*

Arteriam quoque ulcerari ijs, qui ita affecti sunt, etiam propter humoris acrimoniam, dictum est. pulmonem uero ardere ait, †destitutum, cuius dogmatis uera est oratio: nam demõstratum est in libro de usu respirationis, animal in respirationis priuatione non perire ob substantiæ penuriam, sed quod natiuus calor tum refrigeratione, tum uentilatione sit destitutus. quam ob rem, qui immoderatior est, non immeriro inflammationem accendit. hanc igitur anginæ speciem & grauiorem, & ineuitabiliorẽ priore dicit esse, tum propter ea, quæ diximus, tum quod autumnale, æstiuumque tempus sit, & quod ex acrioribus humoribus oriatur. qua ratione efficitur, ut ea dictio, quæ coniunctionem &, habet, meliorẽ sit, quàm quæ coniunctione uacat: significat enim ijs, quæ prædicta sunt, & propter anni tempus, in quo fit, & propter humorem, a quo originem ducit, secundam anginæ speciem maioris periculi esse. non est igitur simpliciter scribendum, eam esse grauiorem, & ineuitabiliorem propter anni tempus. Si uero etiam sine coniunctione seruare quis hanc lectionem uelit, oportebit eum ita coniunctionem ipsam subaudire, ac si in dictione esset collocata: nam & alia etiã multa apud ueteres, ita per defectionem scripta, comperiuntur.

†Aliqui legũt συνημμένον. i. strictũ. Sed ueteres libri nihil uariant.

36 *Si febris aliquem inuadit, uetere descendente stercore, aut nuper accepto cibo, is siue lateris dolor adsit, siue non, quieti*
D *permittendus est, donec ad imum uentrem cibus primum descenderit.*

Ex huiusmodi quoque dictionibus planum fit, quæ libro de uictus ratione acutorum adiuncta sunt, Hippocratis non esse: non enim, qui de lateris dolore in legitima huius libri parte perfecte egerat, eũ rursus hoc loco pauca adijcere de eodem oportebat.

37 *Oxymel autem in potu sumat. cum uero grauitas ad lumbos usque descenderit, tum uel clysterem exhibere, uel medicamento purgare conuenit: mox a purgatione, in primis sorbitionem, deinde aquam mulsam, tum cibaria, & pisces elixos dare: & uinum dilutum, idque exiguum, atque noctu duntaxat: interdiu uero aquam mulsam dilutam. si flatus fœtidi fuerint, glando confert, aut clyster: nisi oxymel epotum obstiterit, donec ad imum uentrem descenderit: tum iniecto clystere aluum ducere par erit.*

Hæc indistincte dicta sunt, quanquam, quæ hic scribuntur, in legitima huius libri parte sint distincte enunciata, & item quæ sequuntur, usque ad eum locum, in quo piscium Hippocrates meminit: propterea quod ipse adhuc de ægrotantibus, & non de conualescentibus agebat. ceteræ orationis partes apertæ sunt.

*At si liquidam aluum habenti ardor acciderit, videaturque medicamentum posse conferre, id intra tres dies exhibendum non est, sed quarto.* E 38

Intempestiue hoc loco fieri iterum ardoris mentionem, præsertim cum in principio differentiæ, cu rationesq; sint expositæ, nemo est, qui nesciat: etenim dictio ipsa ad sententiã illius aphorismi est, Con »
cocta medicari, & mouere, non cruda, neque in principio, nisi turgeant: plurima uero nõ turgent. sunt »
qui aliter scribant, cum in principio medicari ardores uelint, ad hunc modum, Id intra tres dies exhibẽ »
dum est. sed non confert omnino post triduum, sed ut illius aphorismi sententia est, In acutis morbis raro, & in principijs medicamento purgante uti. res igitur ex aphorismorum sententia definienda est, ac considerandum, cum in principijs purgatione utendum sit & cum morbi sit expectãda cõcoctio. qui autem uel in principio simpliciter dixerit, uel non definierit, is in utroque falletur.

*Cum autem purgaueris, sorbitionibus vtitor, obseruatis ita febrium accessionibus, vt neque cum adsunt, neque cum venturæ sunt, eas ingeras: sed vel cum finiunt, vel conquieuerint, & cum maxime a principio distare videntur. ceterum pedibus frigore affectis, neque sorbitionem, neque aliud quicquam dato: sed maximum te præsidium attulisse putato, si donec percalfacti fuerint, expectaueris, deinde sic vtile aliquid dederis: siquidem refrigerati pedes magna ex parte iam affuturam febris accessionem significant. quo tempore siquid porrigas, maxime prorsus peccabis, vt qui non parum morbum auxeris. at cum febris quieuerit, tum e contrario pedes reliquo corpore fiunt calidiores: aucta enim febris pedes ipsos refrigerat: atque ex thorace incensa, flammam in caput mittit. igitur vniuerso calore confertim superiores partes petente, & in caput exhalante, non sine causa pedes refrigerantur: quippe qui suapte natura vt carnis expertes sunt, ita neruis abundant: & multum a calidissimis locis absunt. itaque collecto in pectore calore, ipsi refrigerantur. rursus vero cum febris soluitur, & in minutas partes redigitur, calor ad pedes proportione descendit: quo tempore caput & pectus refrigerantur, ac tum cibus dandus: nam occupante pedes frigore, ventriculum calidum, & fastidio affectum, ac præcordia incensa esse necesse est: corpus propter internam turbationem iactatur: mens fixa non est, æger dolet, distrahitur, vomere affectat, cumque vitiosa quadam vomuerit, dolore affligitur. ergo cum in pedes calor descenderit vrinaque emissa sit, nisi sudet, omnia cessant: ac tum sorbitionem dare oportet: aliâs vero perniciosa est.* 39 F

De particulari tempore cibi ministrandi dictum est paucis in uera libri huius parte: nec minus nunc quoque prolixius, & apertius exponitur: quasi hæc oratio sit illius, quæ illic scripta est, explanatio, Hippocratis mente seruata, quam cum in alijs, tum in eo, quod ex pectore, hoc est ex corde febrem accendi, atque in caput flammam mittere ait, exposuit.

*Quibus per febres aluus perpetuo soluta est, ijs vtilius est, pedes calfacere, cerata adhibere, & fascijs inuoluere: nec vnquam committere, vt ipsi sint reliquo corpore frigidiores. vbi vero calent, non opus est ijs, quæ calorem afferant, sed ne refrigescant, cauendum est: deinde vel aqua frigida, vel aqua mulsa, eaque perexigua, potui danda est.* G 40

Quod ait perpetuo, idem est, atque omni tempore. at cum multi affectus sint, in quibus per totum morbi decursum, aluum esse liquidam contingat, fierique nequeat, ut illi curationem unam habeant, ut sæpe ostensum est, tantum abest, ut ab hac dictione quicquam utiliter exponatur, ut etiam damnum sit allaturus is, qui hunc ipsum curationis modum in multis affectibus iuuare crediderit: nam, ut omittam cetera, cum aluus liquida esse queat propter uentris inflammationem, & propter febrem colliquantem, profecto frigidæ potus est inflammationi maxime contrarius: colliquantibus uero febribus, aptissimus: datus tamen eo tempore, quod tu nosti.

*Febricitantes, quibus aluus liquida est, & mens turbata, plerique floccos carpunt, nares fodiunt, interrogati parum respondent, sua sponte nihil aptum dicunt: hæc, vt opinor, in ijs melancholica esse arbitror. quibus in hunc modum se habentibus, si ob aluum solutam homo consumi videtur, sorbitiones, mea quidem sententia, frigidiores, & crassiores: potiones vero reprimentes, & magis vinosæ, aut etiam adstringentes exhibendæ sunt.* 41

Alia quidem sunt phreniticorum symptomata, sed uentris liquidi symptoma fit quidem interdum in phrenitide, ei tamen proprie non inest. quapropter aluum liquidam adhibita distinctione curare H conuenit, & phrenitin alia propria curatione persequi. in ea autẽ curatione, quam auctor scripsit, nullo modo ad phrenitidem animum direxit: sed puto, cum potius curare affectionem quandam, quæ ex parte quidem aliqua uentris oriatur, sed caput ita ad consensum morbi trahat, ut homo ex uentris affectione desipiat. talia autem non recte dictum est, esse melancholica: potius enim a flaua bili proficiscuntur, cum cohibita aluus est.

*Quibus inter febrium initia vertigines, & capitis pulsationes accidunt, vrinaque tenues fuerint, ijs vsque ad iudicationes febris accessionem expectare oportet: quod si etiam delirent, nihil mirandum est.* 42

Cum circumagi caput uidetur, ea affectio, δῖνος id est uertigo uocatur: cum autem aspectus quoque sit tenebricosus, tum σκοτόδινος, hoc est tenebricosa uertigo nominatur. ea fit ob inordinatam flatuosi spiritus motionem: qui uel in capite locum habet, in quo generetur, uel ab infernis partibus ad superiores fertur: omnes enim huiusmodi spirituum ortus turbationem indicant: propter quos etiam iudicationes cum symptomatis tumultuosis fiunt. sciendum autem est, huiusmodi affectiones medium quodã modo obtinere earũ, quæ periculi expertes sunt, quæq; perniciosæ: natiuus enim calor dat operã, ut corporis humores & dissoluat, & effundat: sed tenuare ipsos exquisite, & per foramina, quæ oculorũ effugiunt obtutũ, excernere non potest. idem calor cũ perfecte languet, ne principio

A.l.3 f.1.2.5. c.1.p.381.A. & C.

A cipio quidem soluere incipit, atque ob id spiritus flatuosus, cum natiuus calor nõ ad summũ languet, ortum habet. ergo languere, uacat omni periculo: siquidem natura est morbo superior: at maxime languere, letale est: siquidem natura non parum a morbo superatur. cumque non uincitur, prædicta symptomata fiunt: & posteaquam ægrotarit, iudicationes partim ad salutem, partim ad mortem absoluuntur. pulsationes autem, quæ in capite fiunt, hoc est sensibiles arteriarum motiones, sunt multæ caliditatis symptomata: quibus de causis sæpenumero deliria consequuntur. cum igitur hoc modo in uniuersum se habeant, quæ dicta sunt, ubi quis languere cœperit, cum ab urinarum tenuitate morbi cruditas indicetur, caput autem flatuosi spiritus plenum esse uertigines cum pulsibus significent, scire conuenit naturam non quiescere: sed interdum ita contentos in corpore prauos humores aggredi, ut eos a bonis separet, & quouis modo excernat: uel ad eam partem, quæ minus præcipua sit, reijciat. is igitur sermo, qui prædictus est, ad prænotionem antedictorum maxime conducit: quandoque enim ab initio morbi febres quidem moderatæ fiunt, sed huiusmodi symptomata caput uel propter exustionẽ, uel exhalationem humorum in uentriculi corpore contentorum, infestant. capitis autem solius quouis modo aliter affecti caliditatem balneum iuuabit, ac ptisanæ cremor pro sorbitione erit satis: uerum cum spiritus calidus & flatuosus ob humorum prauitatem ad caput fertur, lauare hos non confert.

B hæc igitur singula tuto facienda sunt. una autem sola est affectionum distinctio, quæ ex urinarum cruditate, & coctione sumitur: quarum recte hic auctor meminit, his uerbis, Vrinæque tenues fuerint: quod sæpius, esse cruditatis signum, dictum est. quocirca nullus est Medicus, qui in huiusmodi morbis urinas negligentius contempletur.

43 *Quorum incipiente morbo urina crassa est, aut nebulosa, eos purgare conuenit, si cetera consentiant. qui uero tenues urinas ab initio mingunt, ijs medicamentum ne dato: sed si ita uideatur ijs clysterem exhibe: tales autem ita curare conuenit.*

Siue hæc coniungat ijs, quæ in superiore oratione dicta sunt, siue secus, quod commune quis sumere ab eis utile potest, uitandam scilicet prorsus corporis purgationem, cum in humoribus cruditas inest, id declarauit his uerbis: qui uero urinas tenues: tanquam crassæ notas habeant coctionis. iam hoc ipsum consistentiam indicat, & uerbum nebulosa, significat urinas, in quibus ueluti nebulæ quædam suspenduntur. ac si uoluisset nos nigras intelligere, id etiam adiecisset: consueuerunt enim multa nomina communia sine distinctione usurpare, cum uolunt præstantiorem rei significationem declarare. sic etiam cum iudicationes ad salutem fuerint, simpliciter dicunt, iudicatus est: cum uero iudicatus mortuus est, non absolute id efferunt, sed ita, iudicatus obijt. præterea, cum quis eiectam

C bilim, simpliciter dicit, tum pallidam, & non atram intelligimus. Sic etiam modo, urinas nebulosas accipere eas oportet, in quibus albæ nebulæ sint: quæ concoctionis sunt notæ. quoniam igitur cocta medicatur, ideo libri huius auctor ita nunc scripsit: Tales autem ita curare cõuenit. nihil autem de sanguinis missione locutus, omnia particularia ordine recenset: non quod interdum ita affectis sanguinis missione opus non sit, sed quod nunc sola alia docere uelit: nam de sanguinis missione, quomodo ita curandum sit, supra dictum abunde est.

44 *Corpus quieti permittere, mox ungere, & æqualiter contegere oportet: mulsamque dilutam bibendam, & ptissanæ cremorem uesperi sorbendum dabis. aluum ab initio clysteri duces: sed medicamenta purgantia nõ admouebis: si enim aluum citaueris, non maturabitur urina, sed febris diu sine sudore permanebit, & post longum quoque spatium iudicabitur.*

Hunc quoque sermonem percurrit, in quo scopum habet, eam quietem, quæ cum moderata calfactione fit. dat autem ab initio ptisanæ cremorem, quod mulsa non possit usque ad statum, iudicationemque sufficere: quippe cum morbus crudus sit, & concoctiones longe absint. præterea dilutam mulsam ideo præbet, quia aquam solam per se nihil boni habere ostensum est. Vesperi autem mauult

D exhiberi ptisanam, quàm mulsam. cum autem supra in uera libri huius parte didicerimus, ptisanã, esse posterius mulsa dandã, melius ẽt fuisset, nũc ita dicere, mulsam quidẽ prius, posterius uero ptisanę cremorẽ exhibeat, cũ uesperi dixerit pro posterius, doctrinã magis particularẽ, & nõ magis uniuersalẽ fecit. Cur aũt purgare eos nolit, in quibus summa cruditas est, causam recensuit potius epilogisticam, quàm analogisticam: quam afferre, est eius, qui nouit id, quod fit, sola experientia sine indicatione, quam ratio suppeditet. at dogmatici uiri erat, docere, quid causæ sit, cur si purgemus homines ita affectos, urina non concoquatur, febrisque sine sudore, & iudicatione perseueret. quanquam autem perfectius hæc omnia sumus alibi contemplati, nunc tamen quod ad hoc institutum prodesse possit, summatim percurramus. animum igitur adhibe. Cum facultates, ut nosti, quatuor sint, atque inter eas alteratrix non minimam uim habeat, per quam natura corporibus ab ea gubernatis alimentum assimilat, cõcoctio uocat nutrituræ substantiæ, in qualitate permutatio. debet igitur natura, cũ in uentrẽ demissum alimentũ est, a ceteris motionibus cessare, ut in actionẽ solá cõcoctionis incũbat. Sed aliquo externo auxilio indiget, si imbecillior quandoque reddita sit, ut in ea humorum concoctione, quæ in uenis fit, usu euenit: cum enim hæc singula alio, atque alio tẽpore fiant, quod calfactũ, frigefactũq;, aut exiccatũ, & humectatum sit, quiete ante secundam caliditatem indiget. itaque is, qui hæc scripsit, hominem curari uoluit in quiete detentum, unctum, & uestimentis æqualiter obuolutum:

putauit enim eam humiditatem, quam unctiones suppeditant, esse aduersus febrim remedium: præter E quàm quod neq; ualenter calfacit, neq; refrigerat, sed lenit: quibus maxime eget ea, quæ cócoquitur: ac si hæc concoctioni humorũ conferãt, purgationes contrariæ erunt: siquidẽ corpus uehemẽter cómouentes frangunt: quippe cum huiusmodi facultas in omnibus medicamentis purgantibus insit. Hæc igitur causa est, cur purgationes concoctionibus aduersentur. nunc uero ad eam seriem, quæ huic sermoni continua est, accedamus.

*Cum iudicatio prope fuerit, si perturbetur, sorbitionem ne dederis: sed cum remiserit, & in melius profectum sit, omnium autem febrium indicationes obseruanda sunt, ac sorbitiones hoc tempore auferenda.* 45

Hoc etiam in loco mentem Hippocratis seruat is, qui hunc librũ scripsit: siquidem in principio mulsam, & ptissanæ cremorem exhibet: cum uero iudicatio prope est, cremorem adimit.

*Solent autem huiusmodi febres longa esse, & abscessus habere: si aurium & ceruicis inferna partes frigescant: si ha frigida non sint, alias mutationes habebunt: sanguis enim e naribus fluet, hisque uentres turbabuntur.* 46

Quibus urina propter humorum cruditatem tenuis est, his merito febres longæ sunt, cum ante concoctionẽ solui nõ possint. eas autem per abscessus iudicari, dictũ est persæpe. rarius aũt & per excretiones earum solutiones efficiuntur. utrũ aũt in superioribus, an inferioribus corporis partibus abscessus sint F erupturi, quæ hic dicuntur, cum sententia, quæ in præsagijs scripta est, conueniunt.

*Quibus febres molestæ sunt, & præcordia tenduntur, & in cubili in eodem se continere situ non possunt, atque extrema omnia frigescunt: ij maxima diligentia, obseruationeque indigent: eosq; ita degere oportet, ut nihil aliud, quàm oxymel dilutum sumant, sorbitionem uero ne dato prius, quàm morbus cesset, & urinæ maturentur.* 47

Molestas febres nominat, in quibus ægroti grauiter, molesteque se habent. hæc autem molestia in tolerando oritur quãdoque ex eo, quod stabilis, ardensque febris est, sæpe aũt etiam ex initio sequitur stomachi. hoc est, ex ore uentriculi. a febribus igitur incepit, quas molestas esse ait, & præcordia ab eis tendi: deinceps uero ad febricitantes transitum fecit: nam quod ait, in cubili eodem in situ continere se non possunt, de febricitantibus dictum est: sicut etiam quod addit, extrema refrigerari. non continere igitur se in eodem positu, cum in lecto sunt, nota est eorum, qui molestia afficiuntur, quique grauiter ferunt: extrema uero refrigerari, magnæ in uisceribus inflãmationis, quæ ex crassis humoribus, ut ante, cum de secundo ardoris genere loqueremur, est nobis dictum, ortum duxerit. Si uero uehemens sit illa perfrictio, tibi inde existet coniectura, uires esse iam mirum in modum imbecilles. merito igitur ait huiusmodi ægrotos, maxima diligentia, atque custodia indigere. ac íure quoque cum a crassis, glu- G tinosisque humoribus infestentur, oxymel eis præbet. addidit dilutum, quasi distinguens ab eo, quod ijs, quibus huiusmodi humores in pulmone continentur, dari solet: siquidem in illis multo acidius esse oportet, propterea quod ob longum iter antequam ad affectam partẽ comportetur, eius uis necessario dissoluitur: at his in præcordia tale statim incidit, quale fit epotum. quod uero iubet, nõ dari his sorbitionem ante, quàm morbus cócoctus sit, indistincte protulit, si seruemus id, quod nos docuit Hippocrates: addendum autem est, si æger sufficiat: quod tanquam manifestum, fortasse prætermisit.

*Debent autem in cubiculo obscuro iacere, & stratis quàm mollissimis, diuque in codẽ positu tolerare: & quam minime sese iactare: id quod tales maxime iuuat.* 48

Non monet hoc loco, ut obscura in domo sit decubitus, tanquam ad maturandum ualeat, sed tanquã difficilem tolerantiam emendet, quam molestia gignit: cuius etiam causa strati mollis facta est mẽtio. conari aũt, ne se quispiam iactet, sed ut conquiescat, utroque modo est laboranti utile, & quod totius morbi concoctionem adiuuet, & quod uires ipsas conseruet.

*Præcordia autem lini semine illines: cauebisque, ne illinendo, frigescant: sit autem summe tepidum, ex aqua & oleo coctum.* H 49

Lini semen mollit, ac nõ manifeste calfacit: quæ maxime oĩs exigit inflammatio. ac sane tactu ipsum tale ostendit, quale etiam facultate est, cum ipsum perquã tepidum admoueri iubet. aquæ autẽ oleique permistio tepidam caliditatem gignit cum eo, ut mediocrem habeat molliendi, ac mitigandi facultatem: cuius esse potissimum debent ea, ut docuimus, quæ concoquunt, quæque per halitum digerunt.

*Quid autem futurum sit, ex urinis conijcere oportet: ut enim crassæ, pallidæque meliores sunt, ita tenues & nigræ, deteriores.* 50

Non docet ex urinis, quicquid futurũ sit: sed uel salutẽ, uel mortẽ. ac salutẽ quidẽ indicãt crassiores, & pallidiores. dixit autem sine dubio crassiores, quas tenuibus, non aũt naturalibus comparat: ut etiã paulo ante intelligi uoluit: neque enim tenues, aut crassas dixeris eas, quæ secundum naturam sunt, si recte loquaris. tenues autem & nigræ, pessimæ sunt. tenues solæ morbi cruditatem indicant; quod.n. exquisite tenue est, id aqueum est, ac proinde album. Sed quæ prænotiones ex urinis extent, in commentarijs, quos in præsagia edidimus, declaratum est.

*Si uero mutationes habeant, diuturnum fore morbum indicant: cuius inæqualitatem modo ad peius, modo ad melius conuerti necesse est.* 51

Si in

A Si in ægrotantibus id etiam obseruaris, ex urinæ mutatione uere comperies, hominem in longius tempus cadere,& inter medias mutationes incurrere : significantur enim plures affectiones, quæ non eandem curationem postulant:neque æqualem habent solutionis præfinitionem.

52 *Inconstantes febres sinere oportet, donec constent. ubi autem constiterint, uictus rationem, & aptam curationem eis oppones, naturæ contemplatione adhibita.*

Febres inconstantes uocauit eas, in quibus nihil constans, quod firmum significat, cõspicitur. sunt autem firma, quæ in periodis,& urinis,& exquisitis febrium formis apparent. ac circuitus ne principio quidem primis diebus apparent.urinæ uero aliæ atque aliæ superueniunt:& sæpenumero ter,& quater interdiu, & noctu lotium emitti contingit:eæque urinæ dissimiles inter se uidentur. formam igitur huiusce febris esse inconstantem ait, quod idem est, ac si diceret, non unam formã exquisite seruare. Ego uero exquisitas febrium formas tibi exposui & in libris de febrium differentijs,& item in secundo de crisibus.in huiusmodi igitur febribus non in principio uictu uti iubet: sed sinere, usquedum, qualis ea febris sit, cognoscamus:ac tum denique uictus rationem instituere.

53 *Quia autem uariæ sunt facies ægrotantium:*

Facies dixit pro eo, quod est, differentias, uel modos, uel species : ægrotantium uero pro eo, quod
B est, morborum, qui ægrotantibus accidunt:est enim sæpe ostensum, hanc esse ueterum omnium consuetudinem, ut ab ægritudinibus ad ægroros,& uicissim contra, ab ægrotis ad ægritudines appellationes traducant:quasi febrium & febricitantium differentias dicere, itemque pleuriticorum & anginosorum uel pleuritidis & anginæ, nihil intersit. facies ergo ægrotantium dixit, propterea quod cum eos oculis intuemur, differentias inuenimus.

54 *Ideo animaduertere medicus debet, ne quampiam occasionem ignoret.*

Iam didicimus occasiones ab eo appellari manifestas causas : in quam significationem nunc quoque accepit. ideo subiungit.

55 *Siue ad ratiocinationem illæ pertineant, siue ad numerum uel parem, uel imparem referantur.*

Quasi causarũ quasdã manifestas sine artificiosa cõsideratione oẽs cognoscãt, quasdã uero soli, q ratione artificiosa ꝓgrediunt̃. eas etiã attẽdendas esse monet, quæ ad numerũ parẽ uel imparẽ ꝑtinent.

56 *Maxime uero numerus impar obseruandus est : siquidem hi dies solent ægrotantes in hanc & illam partem declinantes reddere.*

Dies impares habere magnã uim, non absolute, sed in acutis morbis intelligendũ est: quod insignes tum ad salutem, tum ad mortem mutationes efficiant. id quod ipse indicauit, cum dixit, ægrotantes in
C hanc & illam partem declinantes reddi. In acutis autem sunt hi, tertius, quintus, septimus, nonus, undecimus, decimusquartus, & decimusseptimus : in longis, sexagesimus, & octogesimus, medij inter hos sunt uigesimus, trigesimusquartus,& quadragesimus: siquidem hi quoq; impares sunt.

57 *Obseruandus igitur primus dies est, quo laborans parum ualere cœpit : considerandumque initium, ex quo & quando acciderit: id enim scitu præcipuum existimatur. itaque ægratum interrogando, hæc omnia perpende : in primis, quomodo caput affectum sit, an dolore, grauitateque conflictetur: deinde an præcordia & latus dolore uacent : an præcordia laborent, uel suspendantur, uel intorqueantur ; uel satietate grauentur : an latus doleat, simulque cum dolore tussicula adsit: aut tormina, uel dolor uentris infestet. si præcordijs horum quidpiam acciderit, aluus soluenda clysteribus est, & aqua mulsa, eaq; calida, coctaq; potui datur. præterea scire oportet, an exurgentem animus deficiat : & an facile spiret. adhæc quoque deiectio inspicienda est, an nigro admodum colore infecta sit, an syncera, qualis scilicet sanis deiici consueuit, an febris tertia quoque die magis irritetur: siquidem in his morbis huiusmodi tertianæ afflictiones accurate consideranda sunt. alia quoque inspicienda sunt; nam si quartus dies in aliquo prædictorum, tertio similis fuerit, sciendum est, ægrotum in periculo uersari. quod autem ad signa pertinet, nigra deiectio, mortem: quæ uero per omnes. dies, qualis in sanitate deiiciebatur, apparet, ea salutem indicat.*

Admonet primum diem esse in primis obseruandum:in quo morbi causam cognosci iubet. quod ue
D ro ait, unde,& quando, qualis sit morbus, indicat. præcipit autem interrogari ægrotum debere, quomodo caput sit affectum, deinde præcordia, tum latus : ac præcordia quidem an dolore infestentur, an suspendantur, uel intorqueantur, hoc est inæqualitatem quandam habeant:quod in præsagijs significauit his uerbis:Si inæqualiter affecta sunt dextra,& sinistra parte:an satietate grauẽtur:quam ego ciborũ repletionem esse arbitror. censet quoque alia, quæ deinceps in dictione habẽtur, perquiri:iubet postea præcordijs ita affectis, aluum clysteribus solui, mulsamque calidam, & coctam potui dari. quæ cum in distincte esset locutus, hæc deinceps addidit:præterea scire oportet, an exurgentem animus deficiat,& an facile spiret:quod animi defectioni opponitur. uidendam quoque deiectionem mandat. utrum nigra sit, an syncera & inculpata, qualis ĩ sanis esse uidetur:uelut si febris tertio quoq; die irritetur,&, his ita habẽtibus, si quartus dies quid simile tertio in accessione attulerit, periculosum esse ait: graue enim signum est, quartum diem, qui septimi index est, rem nouam afferre. huius autem rei nouæ editio patet oĩbus:nam si primo, tertioq; die fiat accessio, secundo uero non facta sit, par est, quinto accessionem fore,& nõ quarto:quocirca si quarto fiet, mali cuiuspiã alterius ortũ indicat. si uero etiã nigra æger deiecerit, mortẽ futurã significat. tu aũt multis ex ijs, quæ dicta sunt, omissis, habe hoc in memoria: si primo & tertio die febris ad eandẽ proportionẽ accesserit, ac nouiter quoq; quarto die fiat accessio, atq; etiã, æger nigra deiecerit, lætale signũ est: si diebus oĩbus deiecerit sanis similia, tũ salutẽ ægro futurã spera.

*Cum autem aluus glandi non obedierit, sed spiritus facile fertur, si ægrum, siue erectus in sede sit, siue in lecto iaceat, ani* E 58
*mus deficiat, hæcque siue mari, siue fœminæ inter initia acciderint, futurum delirium expectato.*

Confusa est huius dictionis intelligentia: nam ubi glans supposita nihil profecerit, uideturq; æger
quietus esse, si utique cum exurgit, cum animus deficit, delirium esse expectandum, mihi dictum esse
perperam uidetur: quippe cum huic rei neque experientia, neque ratio adstipuletur. quanquam tale
quid interdum fit: sed prænotiones non sunt eorum, quæ raro, sed eorum quæ semper, aut certe ma-
gna ex parte fiunt.

*Manus etiam considerandæ sunt: nam si tremulæ sint, huic sanguis e naribus profluet.* 59

Hæc ēt oratio neq; quod continenter fit, neq; quod plerūq; euenit, sed qđ raro cōtingit, nos docet.

*Nares quoque inspiciendæ sunt: nam si per utranque multus spiritus æqualiter trahatur, conuulsio fere superuenire con* 60
*sueuit. [id cum acciderit, propinquam mortem esse testatur: quam prædixisse, præclarum fuerit.]*

Cum manus tremunt, ita enim dicere expedit, si multus spiritus per utranq; narē feratur, ait cōuul-
sionē superuenire: ita enim ipse appellare consueuit eam affectionem, quæ conuulsionis speciem gerit,
quæ in musculis pinnas naris mouentibus oriri consueuit.

*Si hyemali febri laboranti lingua scabra fiat, animusque deficiat, quanquam febris esse remissio uidetur, tamen imperari* 61
*debet inedia, & conseruandus is est in aqua, & mulsa potione, & ptissanæ cremore: etenim febribus, quæ habent hæc signa,* F
*non est fidendum: utpote a quibus mortis periculum pendeat. [his igitur cognitis, ac diligenter consideratis, ita futura præ*
*dicere perpulchrum erit.]*

Febrem hyemalem quidam simpliciter eam intelligunt, quæ hyeme fit: quidā uero eā, quæ hyemis
naturæ conueniat: huiusmodi autē ex pituita est, ut æstiua, ex bile. Si igitur inquit, in huiusmodi febre,
lingua scabra sit, atq; animi defectio adsit, eā periculosam esse dicendū est: quocirca nō erit cessationi-
bus febrium fidendū, si cū prauis signis, atq; symptomatis, fiāt, quales modo cū linguæ asperitate, & ani
mi defectione fieri dicuntur. itaque nos monet, ne in ægrotis alēdis negligētes simus, sed ut aquam, &
mulsam, & ptisanæ cremorem ad sorbendū demus. sed hæc pugnare uidetur cū eo, qđ dixit, imperari
inediā debere: nā inedia omniū rerū abstinentiā significat: aut si minus, saltē eā uictus rationē significat,
quæ potibus solis cōtinetur: & tn̄ hic auctor & mulsam, & ptisanæ cremorē dari cōcessit. Videtur ergo
dicere, inediā eis esse imperandā, propterea quod qui remissiones huiusmodi quietissimas habent, tam
longo tēpore in eis morantur, ut nonnulli decepti, alimentū copiosius, idq; potissimū propter animę de
fectionem, exhibuerint. ex quo fit, ut habita huius uictus ratione, is uictus, qui ex mulsa & ptisanæ cre-
more multis diebus constat, recte sit inediæ nomine declaratus.

*Cum autem in febribus quinta die terrificum quid apparuerit, & aluus repente liquida excreuerit, & animi defectio* G 62
*accesserit, uel uocis priuatio, uel conuulsio, uel singultus, ab his angor euenire consueuit, ac sudor in facie circa partem na-*
*ribus subiectam, & frontem, & ceruicem ab occipitio. qui sic affecti sunt, paulo post inflati morientur.*

Quæ Medici per obseruationē empirice cōscripserūt, quædā eorū sunt huiusmodi, ut ex ijs, quæ se-
mel, aut iterū uisa sunt, uniuersalis modi enūciationē habeant, perinde ac sæpenumero in eisdē, eodēq;
modo spectari possint: cuiusmodi ēt est id, quod nunc dicitur: cum. n. ægrum quendā uidisset, qui quinta
die, liquida quædā deiecerat, quiq; animi defectione correptus erat, & uoce destitutus; alium uero cō-
uulsum, tū uero uel ambos, uel alterū eorū angoris plenū, & in partibus faciei, ceruicisq; sudātes, dein-
de obijsse, hæc scripsit, quod hunc empiricorum signorū concursum existimaret. Sed hæc possunt etiā
stomachicā syncopē præcedere: & fieri possunt propter multitudinē, oppressis, uiribus: uel ijs ipsis alio
modo laborantibus: nā unūquodq; eorū, quæ dicta sunt, per se malū est, nedū si omnia cōuenerint: si. n.
ex repentinis deiectionibus anima deficiat, periculosum est: ut ēt uoce priuari, & angoris plenū esse. ne
que bonū est, solū partes faciei, capitisq; sudare. itaq; ut hæc multa sunt mala, sic & ea, quæ in præsagijs
scripta sunt. quæ si quispiā inter se coniungeret, aliquid noui docere uideretur. quod si ēt dictionē ob-
scurā, ueluti ænigma, sermoni miscuerit, iā etiam ignaris ex ea uidebitur sapientior: nam quæ ignari nō
intelligunt, ea admirantur: at homini, qui superuenientia symptomata ab eorum concursu, quæ morbū H
indicant, sciat distinguere, is quidē sermo uarius, sed tamē inutilis deprehendetur: concursus. n. sympto
matum morbum indicantium speciem morbi demonstrat: superueniētia uero symptomata ipsius mā
suetudinem, aut malitiam significant. eumque, qui horum singulorum symptomatum uires didicit, de-
cet ea, quæ apparent, æstimare, atque inter se conferre. sique ea tum fortiora, tum plura mala, quàm bo
na uidebuntur, scire conuenit, hominem in periculo uersari: sin bona & fortiora & plura malis erunt,
de ægroto bene sperandum. quod ipse quoque Hippocrates esse faciendum monet: in præsagijs enim
singulorum symptomatum, & signorum uires singillatim docuit, & sub libri finem ita ait, Qui autem
recte discernere uoluerit & morituros, & conualituros, & quis morbus longo, & quis breuiore spa- „
tio finietur, is signorum omnium inter se collatorum uires, ut supra demōstrauimus, accurate indica- „
re pdiscat: iubet. n. uires signorū æstimari, atq; ex ipsis, quid futurū sit, prænosci. ubi ergo bona cū malis „
sint permista, æquis quodā modo uiribus, ibi exercitato uiro opus est, qui in operibus ea sit sæpenume-
ro contemplatus. ubi uero omnia uel mala, ut nūc, uel bona sint, certe quid futurum sit, uel cuiuis pa-
tet: cum enim malum signum sit, animum deficere, cum aluus deijcit: pari etiam modo uocis priuatio
in malis censetur: si præterea æger conuellatur, aut singultu conflictetur, aut angore sit refertus,
apertius periculum indicabitur. Si præter hæc aliud malum quodpiam signum superuenerit, ut

circa

A circa faciem, ceruicemque sudores, & item, quæ nunc a libri huius scriptore memorantur, nullum bonum signum sit malis permistum, certe planum est, cum ex hac malorũ signorum aceruatione esse moriturum. In extrema autem dictione, tanquam ænigma, additum est, inflati: ceu quidpiam eorum, quæ necessario fore omnes fatentur. quod tanquam ænigma est, quid significet, siue flatuum copiam, quibus inflari totus uenter queat, siue magnam & frequentem respirationem. sed hanc quoque ijs affectionibus, quibus comitatur, non esse bonam didicimus, sicut neque eam, quæ uentris est. quapropter non alia signa peruestiganda sunt, cum hæc necessario antecedant: ex ijs enim, & non ex quibusdam, quæ casu eueniunt, firma quædam futurorum oritur prænotio.

63 *Quibus per febres orta in cruribus tubercula tractu temporis non maturantur, perdurante etiam febre, si faucibus gracilibus, suffocatio accesserit, & non maturuerint, sed extincta sint tubercula, ijs solet sanguis e naribus fluere. qui si multus fluxerit, morbi solutionem significat: si non multus, morbi prolixitatem. & quo minus fluxerit, eo peior, diuturniorque erit ægritudo. ubi uero cetera facillima fuerint, pedum expectandi dolores sunt. pede ita affecto, si assidue doleat, inflammetur que, neque leuetur dolor, paulo post ad ceruicem, iugulum, humerum, pectus & articulum (nam & in hoc tubercula exorientur) dolores perueniẽt. quibus extinctis, si manus contrahantur, uel tremula fiant, neruorum distentio, & desipientia superuenit: in superciliys φλυξάκια, ruboresque nascuntur: palpebraque altera ad alteram germinat, dura inflammatio*
B *infestat, oculus uehementer tumet: desipientia ualde intenditur: eaque noctu magis, quàm interdiu notatur. ac signorum quidem plura impari numero, quàm pari deprehenduntur: utro tamẽ numero eueniant, perniciosa censentur.*

Qui librum hunc composuit, is uidetur omnia, quæ nunc dicuntur, deinceps inter se contemplatus, uniuersalem quendam ex rerum singularum obseruatione sermonem temere fecisse. ac melius quidem fuisset, si, ut in epidemijs scribere consueuit Hippocrates, ipse quoque fecisset: ut præfatus in principio ægrotantis nomen, dies postea, in quibus singula facta essent, narrauisset: quemadmodum in ijs symptomatis, quæ modo dicuntur, facere poterat: nam si in alicuius cruribus exorta sint tubercula, eaque non maturuerunt, si statuamus quoque eundem febrim habere, & in suffocationem cadere, atque ita tubercula sedari, profecto quispiam existimabit transmutationem humorum, qui crus obsidebant, ad superiores partes factam esse: quæ quidem in eorum transitu suffocationem homini attulit. si ergo is, ut Hippocrates dixit, euasurus est, ei sanguis profluere per nares poterit: qui si multus fuerit, morbum soluet, si non, ægritudo erit diuturna. Si uero etiam reliqua bene succedant, rursus pedes poterunt dolore conflictari. id autem statuatur esse factum, ut etiam hominem esse inflammatum, quod multam caliditatem circa pedem indicare consueuit, uel multam febrem, & igneã. si uero † symptomata post hæc nõ
C sint soluta, tunc humorum maior copia iterum ad superiores reuersa partes, dolores in ceruice, iugulo, humero, & pectore concitabit. Vt autem ei præter rationem hæc omnia contigerunt, (id enim erat, ipsa extincta esse) ita etiam manus tremulas factas esse statuamus: deinde neruorum distentionem, quod humorum copia ad neruosas partes decubuerit, principiumque neruorum occuparit, unde existit desipientia, esse subsecutam. Itaque is auctor, cum quẽdam ex ijs, qui ita affecti sunt, pustulas in superciliјs (id enim significat, quod ait, φλυξάκια) habere conspexisset, omnibus ita affectis hoc symptoma affuturum temere pronunciauit. eadem est ratio eorum, quæ deinceps scripta sunt: nam quod uni, aut duobus ita affectis euenit, ipse ad omnes trahens ait, ipsos & rubores habere, & ex palpebris alteram ad alteram germinare, duramque exoriri inflammationem, & oculos tumere uehementer, quorum alia quidem aperta sunt, sed palpebram alteram ad alteram germinare, obscurum est: utrum ne significare uoluerit, quẽdam ex earum parte coalitum exurgentem, an carnosam quandam germinationem ab altera quidem enascentem, & ad alteram sese protendentẽ. sed si huiusce rei inuentio aliquo modo quidpiam utilitatis afferret, eam ego diligentius perscrutarer.

†Aliqui legũt νοσήματα .i. morbi.

64 *Hos si inter initia purgare uolueris, id ante quintum diem facito, ubi uenter murmurarit: secus uero, a medicamentis abstineto. at si murmurarit, sintque biliosa excremẽta, data scamonea, modice purgato. quod ad reliquam curationem pertinet, quàm minimæ potiones, sorbitionesq; offerendæ sunt: quo melius ualeat infirmus, nisi decimumquartum diem excesserit.*

Principio acut... tibi mouendo... moua consona... purganti... Ventris ob... Si qui... fnt...

D Curationem prædicti concursus scribit, quam, ne nominare quidem, ut dixi, mihi placet, cum neque quicquam commune habeat, præter ea, quæ sæpenumero ante diximus: ait enim cõsiderandam prius aluum esse, quam murmurationibus cognitam, purgari iubet: sique biliosa deorsum repant, scamoneã, qua biliosa purgantur, dari. quod autem ad reliquam curationem pertinet, præcipit quàm minimas sorbitiones exhiberi, quousque decimumquartum diem pertransierint. quibus uerbis, morbum ante quartumdecimum diem non posse concoqui, declaratur.

65 *Cum febricitans aliquis decimo quarto die obmutuerit, is non solet celeriter solui, aut a morbo liberari: sed morbus fore diuturnior indicatur: cum autem eodem die apparuerit, longius procedit.*

Hæc dictio superuacanea est ijs, qui mala symptomata maiorem uim habere didicerunt, cum in criticis diebus apparent: is enim, qui librum hunc scripsit, nunc in una re, quæ decimiquarti diei peculiaris est, hoc uniuersali est usus: nam, ut in ceteris criticis diebus, sic in decimoquarto, si quod malũ symptoma apparuerit, id maiorem habebit efficaciam. id autem, quod futurum est, neque simpliciter, neq; ut sors tulerit, sed cum distinctione enunciandum est: nam si ex signis bonis, quæ maiorem uim habẽt,

quædam

quædam ægrotanti adsint,poterit is longiore tempore seruari:at si nullum tale fuerit,morietur,cum ui- E res ad morbi usque concoctionem sufficere non possint. qui igitur hunc librum scripsit, morbum fore omnino prolixiorem,male enunciauit: siquidem potest quoque æger cito mori, cui uox decimoquarto die intercepta sit,si hoc symptoma cum alijs sęuis notis sit coniunctum.

*Si febricitanti lingua quarto die turbata quædam loquitur, & aluus excernit biliosa & liquida, is delirare consueuit: sed quod euenientibus succedit,obseruandum est.* 66

Hoc apparet etiam alio die quodam: uerum si quarto apparuerit,in primis significat septimum fore periculosiorem:hoc est,quæ illo die sunt futura.

*In acutis morbis quæ æstate, & autumno fit repentina sanguinis destillatio, robur, & multam uenarum inflammationem significat,& quod postero die urinæ tenues apparebunt.quod si æger ætate floreat, sitque corpus ob exercitationes bene carne conuestitum,aut melancholicum,aut manus ob potationem tremulæ,non erit absurdum, aut delirium, aut neruorum distentionem prædicere.* 67

Hęc quoque oratio multorum symptomatum,quæ non in omni ægrotante conueniunt, complicationem continet: ex quo fit,ut quæ ita scribuntur,inutilia sint: cũ doctrina ab uniuersalibus utilis red- F datur:ut Hippocrates facere consueuit.dictum autem est,ex uniuersalibus ea præcipuam uim, utilitatemque continere,quæ perpetua sunt: secundam uero, quæ magna ex parte sunt huiusmodi. quod si quid dubium,rarumue fuerit,id esse ad doctrinam inutile iudicatur.sed uideamus iam singillatim, quæ ipse recensuit,& in primis quod primo dictum est: In acutis morbis, quæ æstate & autumno fit repentina sanguinis destillatio,robur,& multam in uenis inflammationem indicat, &c.melius autem erat dicere,a robore indicari,uenas indigere curatione: scimus enim ab eo dici, sanguinis e naribus destillationem semper aliquod malum esse:propterea quod cupiat quidem natura id, quod superuacaneum est,excernere,ob suam tamen imbecillitatem,aut sanguinis crassitiẽ,aut partium densitatem, aut quædam ex his,aut propter omnium concursum non possit. Cum autem hoc signum semper malum sit, ac magis etiam,quod primis & ęstatis,& autumni temporibus uis ipsius intendatur(illis enim diebus flaua bilis redundat,aerque nos ambiens calidus est,quæ utraque causa facit, ut sanguinem facile fluentem esse oporteat)quædam causæ magnitudo indicatur,ob quam fluere prohibetur, quam robur esse ait: fortasse densitatem ita nominans. qui autem ita affecti sunt, eos uenarum curatione indigere,non ostẽdit,prius,quàm exposuerit,quã curationẽ dicat.id quod tamen non fecit: solam uero primam prædictionem exposuit,hoc est postero die urinas tenues apparituras:cum non eo solum die crudæ uidean G tur,sed alijs quoque præcedentibus.præterea addit,conuulsionem, & desipientiam futuram, si æger ætate floreat.fecit etiam mentionem exercitati hominis, carneque conuestiti, & temperaturæ: nam quod ait melancholicum,temperaturæ nomen est.iam uero manus quoque tremulas ex potatione adiunxit.hæc igitur symptomata complicari inter se possunt: & tamen desipientia atque conuulsio non necessario,neque plerunque ex ijs consequentur.

*Hoc autem salubrius est,si paribus diebus superueniat,in indicatione uero perniciosum est: nisi multus sanguis abundeniam redundantiæ fecerit uel per nares, uel sedem, uel abscessus,uel commutationes, uel dolores præcordiorum,uel ad testiculos,uel ad crura.his autem coctis,sputa redduntur,atque urinæ crassæ,leues,& albæ excernuntur.* 68

Verbi superueniat,quod ipse ait ἐπιγένηται,duplex scriptura est.in altera est τ in tertia syllaba, in altera est γ. uerum siue per priorem dixerit ægros diebus paribus ἐπιτείνεσθαι.i.intendi,siue per posteriorem prædicta symptomata paribus ἐπιγίνεσθαι.i.superuenire diebus asseruerit,non tamen cõtinuo est melius, quanquam id ipse affirmauit:propterea quod non spectãdum est,pares ne fuerint,sed etiam an sint critici:nam quartum,qui par est,ipsemet paulo ante ex ordine magnam habere uim dixit. ceterum quod deinceps ait,uerum est:nam si sanguis multus, quoquo modo id eueniat,excretus sit, spem salutis af- H fert.ait præterea eos & per abscessum, & per commutationem seruari: atque abscessum quidem sua plane appellatione indicans:commutationem uero declarat, cum ait, ad dolores præcordiorum, uel ad testes,uel ad crura.Differunt autem, quod abscessus & iudicationem inducit,& ægrum ab omnibus liberat molestijs: commutatio uero habet aliarum accessionum, & offensionum principium: ut corporis particula, ad quam infestantium humorum sit facta transmissio, aliud tempus ad mali coctionẽ exigat.quam ob rem addidit,His autem coctis,sputa redduntur,atque urinæ crassæ,leues, albæque excernuntur:ex coctis nimirum sputis, & urinis,coctæ commutationis signa declarans.

*Febri singultuosa laserpitij liquorem,oxymel,daucum tritum propina.item galbanum ex melle,& cuminum in eclegmate.mox ab ijs ptissanæ cremorem sorbendum dato.suadere tamen is non potest,nisi sudores critici, & somni æquales superuenerint,& urinæ crassæ,acresque effluxerint, aut in abscessum morbus firmetur.* 69

Singultus & λύγγας & λύγγους appellare consueuerunt:sunt autem stomachi motiones quædam conuulsionis speciem facientes:quas uel ex nimia inanitione, uel nimia expletione oriri aiunt. si uero ab inanitione excitentur,curationem non recipiunt: si ab expletione, ijs medicamentis curãtur, quæ infarcta secant,& abstergunt:inter quæ sunt ea,quæ hoc loco memorantur. ceterum hic morsus uidetur

A quoque fieri propter acrimoniam, a qua stomachus mordetur, ut cum quis plus piperis, aut quid tale deuorarit. atque etiam ex febricitantibus quidam fuerunt, qui in singultu rodentem, acerrimumq; humorem uomentes ab eo tandem sint symptomate liberati. sed huiusmodi febris nõ est singultuosa nominanda: ut enim ita appelletur, opus est singultum perdurare diutius, uel etiam per totum morbum simul cum febre exacerbari. hanc porrò febrem & sudoribus criticis, & somnis æqualibus, & excretis urinis crassis, & acribus sanari ait: atque huiusmodi quidem uel excretis, uel in abscessum con firmatis.

A.l.1.f.2.d.2. c.23.p.76.E.

70 *Coccalus, & myrrha in eclegmate, exhibeantur: bibantque oxymellis perquam exiguum.*

Hoc autem est etiam inordinate scriptum: esset enim commodiore loco positum, si paulo ante in ea oratione qua persecutus est curationem eorum, quibus thorax, & pulmo per sputa debent expurgari, id scripsisset, & nõ singultuosæ febri adiecisset: præterquam quod etiam quod ait, obscurum est: nam quem ipse κόκκαλον .i. fructum pini uocat, non ita ab antiquis Græcis, sed κῶνος potius nominatur, ut a recentioribus medicis ferme omnibus στρόβιλος. solet autem ex eo eclegma conficere, ubi maxime pinguis fuerit, hoc est, cum multam & suam resinam circunfusam habeat. hunc autem fructum recentem B coquunt cum marrubio. tum decocto parum mellis miscent, coquuntque iterum, donec fiat tam crassum, quàm mel: hocque medicamento ita confecto ad sputa ex thorace, pulmoneque euocãda utimur. quo autem modo huic medicamento alia sæpe adduntur, ita etiam huius libri auctorem admiscere myrrham uerisimile est: id quod ipse cum compendio, declarauit his uerbis, Coccalus & myrrha in eclegmate exhibeantur. potest uero ipsos etiamnum pini fructus, qui eduntur, cum myrrha exhiberet: ut fortasse huic medicamento miscendum esse mel non perperam subaudiamus. sunt qui hanc dictionẽ a superiore diuellant. & separatim scribant, alij finem superioris, huius principium efficiunt hoc modo, Si autem in abscessum confirmetur, pinea nux & myrrha in eclegmate dentur: ut hoc medicamentum esse morbis in abscessum confirmatis accommodatum intelligamus. id autem a ratione alienum est, præsertim quia infert, bibãtque oxymellis perquam exiguum: nam in singultuosa febre ratio nobis dictat, ut acetum reformidemus: in his uero, quæ in abscessus confirmantur, non item. ideo non desuetunt, qui hanc dictionem quadam ex parte cum superiore coniungant: & quadam ex parte disiungãt, & addita coniunctione autem, ita scribant: Si autem in abscessum confirmetur morbus: quasi de singultuosa febri antedicta id sit enunciatum: ut scilicet uelit auctor, si cõtigerit, singultuosam febrim in abscessum firmari, pineam nucem cum myrrha exhiberi, & copiosam oxymellis potionem uitari. Vltimã C autem syllaba illius uerbi παγῇ .i. firmetur, siue per literam ζ, siue per ξ scribatur, nullam notabilem in oratione mutationem gignet.

71 *Si supra modum siti crucientur, aquam ex hordeo bibant.*

Perspicuum est, hunc potum ab ipso propinari, ut sitis restinguatur: sed melius fecisset, si prius docuisset, quomodo parare hordeum oporteat: utrum simpliciter macerare, an ex eo Zythum, ut huius temporis homines, conficere, aut alio quouis modo præparare.

72 *In peripneumonia et pleuritide, considerandum est, an acuta febris sit: an lateris dolores unum, an ambo latera infestent: an cum spiritus sursum fertur, æger doleat: an tussis adsit, an sputum educatur, sitque rufum, aut liuidum, aut tenue, & spumosum, & floridum: aut si alias quasdam differentias, præter iam declaratas, habuerit: eas sic oportet gubernare.*

Omnia quæ in pleuritide, ac peripneumonia tum magna, tum notabilia sunt, in propria huius libri parte sunt definita: quæ autem medicis omnibus perspicua sunt, ea ibi sunt omissa: huiusmodi autem sunt, quæ nunc ab hoc auctore scribuntur. ac primũ quidẽ scribit eam, quam ueteres empirici, concursionem uocabant: sed ueteres talia symptomata simul assidentia appellauerunt. febris igitur acuta, & D dolor lateris uel alterius, uel utriusque, præcipue autem in edenda expiratione, (id enim est, quod ait, an cum spiritus sursum fertur æger doleat) & tusses, & sputa rufa, aut liuida, & tenuia, & spumea, & florida, & quouis alio modo præter solitum uariantia, (id enim indicat, quod ait, aut si alias quasdam differentias, præter iam declaratas, habuerit) hæc inquam omnia si pleuriticis, peripneumonicisq; accidentia uideantur, ita eos gubernare oportet.

73 *Si dolor ad superiores partes extenditur, ut iugulum, mamillam, brachium, internam brachij uenam secare oportet, qua parte dolor affligit.*

Hoc etiam in loco sententiam tractat, quam in ueta libri parte est executus: quoniam uero id, quod unà cum ijs, quæ dixerat, intelligebatur, omissum erat, id ipse nunc addit: uenam scilicet secandam esse recto tramite a latere dolente: quod declarauit his uerbis, Venam brachij internam secare oportet, qua parte dolor affligit: cumque nimirum breue fecerit, neglexit elocutionem: cum enim uenam cũ biti dicere debuisset, uenam brachij dixit.

74 *Et sanguinem auferes pro corporis habitu, anni tempore, ætate, & colore: & ne uerearis, si dolor fuerit acutus, ad animi usque defectionem detrahere.*

A.l.1.f.4.c.10 p.149.D.

Hic quoque plus, quàm mediocriter, omnes detrahẽdi sanguinis scopos recensere conatus, quosdã

præterijt

præterijt: siquidem uirium non meminit, neque sanguinis mutationis, neque regionis, aut constitutionis. & cum præcipit plus sanguinis auferre, atque audere, usque ad animi defectionem mittere, errauit in dictione, cum addidit causam, quam ob rem audere id conueniat: quod scilicet dolor acutus sit, plus sanguinis detrahamus. & tamen sinimus sanguinem fluere, non quia acutus sit dolor, sed ob alia: ut si uires robustæ sint, si ætas floreat, si sanguis abundet, si ægrotantis natura densior, duriorque sit, & difficulter per halitum digeratur, & multo sit referta sanguine: si anni quoque tempus, & bene temperata sit constitutio, itemque regio: ex his enim nobis suppetit, ut ad animi usque defectionem sanguinem mittere non uereamur. E

*Clysterem postea exhibebis.* 75

Post sanguinis missionem, iubet clysterem inijcere: sed melius erat, si addidisset, nisi aluus probe sua sponte deiecerit.

*Si sub thorace dolor sit uehementerque cruciet, pleuritico uentrem subpurgabis, nihilque, dum purgabitur, dabis: a purgatione uero, oxymel propina. porrò die quarto purgabis: [sed primis tribus diebus clysteres exhibebis. quibus si non leuetur, tum demum purgabis. obseruabis deinde ægrum, donec ad febris solutionem, & septimum diem peruenerit: qui si in tuto esse uideatur, in primis exiguum, tenuemque cremorem, eumque admisto melle dabis. si uero facile reducitur, & bene spirat, & latera dolore uacant, paulatim crassiorem, ac copiosiorem, nempe eadem die bis exhibebis.]* 76 F

Appellat pleuriticum de quo Hippocrates in parte libri, quæ eius uera est, uerba fecit: in qua ita affectos pleuriticos purgat: id quod duobus modis facit. dixit autem indistincte quarto die purgandum esse: propterea quod inter initia nullum tale remedium ægrotanti imperandum est, sumpto a numero dierum scopo: sed faciendum est, quod Hippocrates censuit: nam uel statim in principio, antequam aliquam in partem insigantur humores, medicandum est: uel postea, cum sint ad maturitatem perducti. quam ob rem interdum etiam prima, & secunda, & quarta, & interdum quinta die, ac non solum quarto, ut is modo ait, medicamenta dedimus.

*Quod si non facile liberetur, tum minore potione, exigua sorbitione, & cremore tenui utatur: idque semel duntaxat: atque ea hora, qua meliuscule ei est: quam ex urinis deprehendes. [in huiusmodi enim morbis sorbitio ante urinarum sputorumque concoctionem danda non est. quod si purgatus multa deiecerit, tum dare oportet, sed minus, & tenuius: is enim, obstante uacuatione, neque dormire, neque concoquere, neque indicationes sustinere æque poterit. uerum ubi sit facta crudorum colliquatio, & quæ resistunt, abiecta, nihil obstabit.]* 77

Cum & Hippocrates, & hic auctor de particulari uictus ratione superius agerent, calorem, qui in thorace, ac pedibus est, attendendum esse uoluerunt: quando urinarum consideratio ad uniuersalem, non ad particularem uictus formam accommodata esse uideatur. quocirca non recte dicit hoc loco, cremorem tenuem semel esse dandum eo tempore, quo meliuscule ei est: idque ex urinis deprehendendum: quamuis enim urinę in particularibus accessionibus paucissimum habeant momentũ ad melius, non tamen tam longum illud tempus est, ut nos urinas seponamus, expectemusque, utrum nebulas uel sublimes, uel subsidentes habeāt: siquidem hæc longo tempore fieri consueuerunt. in acutis autē morbis, ægros interdum in principio declinationis alere oportet. G

*Sputa autem matura sunt, cum puri similia uidentur: urina uero, cum id quod residet, sicut eruum, subrubrum est. [ceterum nihil prohibet ad alios quoque laterum dolores tepida fomenta, & cerata adhibere; cruraque & lumbos calido ungere, & pinguedine illinere: præcordijs uero ad mamillas usque cataplasma ex lini semine imponere. cum peripneumonia peruenit ad statum, quando non expurgatur, in nullo auxilio spes est: ac mala est, si difficulter æger spiret, sintque urinæ tenues, & acres, & sudores circa ceruicem, caputque oriantur: huiusmodi enim sudores mali sunt ob uincentis morbi æstum, impetum, ac uiolentiam: nisi urina multa, & crassa prodierint, & concocta sputa exierint. utrum autem horum sua sponte euenerit, morbum soluit.]* 78 H

Lib. Bessar. hæc oīa non habet. ceteri habent.

Hic neque sui memor est, qui ad hunc modum de urinis concoctis supra scripsit, neque Hippocratis, qui aliter sensit: nempe urinam optimam esse, cuius subsidentia sint alba, leuia, & æqualia. cetera uero, quæ in contextu orationis de peripneumonicis, pleuriticisque narrantur, perspicua sunt, neque meæ explicationis indigent, & ubi hic auctor ab Hippocratis sententia desciscit, & ubi maxime uel prorsus, uel aliqua ex parte eam sequitur.

*Peripneumoniæ eclegma. galbanum & nucleum pineum ex melle attico dabis. abrotonum cum oxymelle. piper quoque & ueratrum nigrum, ubi feruescerit, pleuritico etiam circa initia dolenti, bibendum offeres. proderit etiam panace ex oxymelle cocta, deinde percolata, & potui data. benefaciet etiam hepaticis, & septi transuersi doloribus: atque ubi aluus citanda est, aut urina, ex uino, & melle. uerum quæ uentri purgando daturus es, ea ex multa mulsa diluta propinabis.* 79

Et primum, & secundum medicamentum sputa educit: quod autem ex nigro ueratro conficitur, aluum citat. quod denique ex panace constat, ad quæ sit accommodatum, ipse exposuit.

*Dysenteria, quæ cessauit, abscessum, uel tuberculum aliquod pariet, nisi desierit uel in febres, uel in sudores, apparuerintque* 80

A *tintque urina crassa, & alba, & leues: uel in tertianas, uel in uarices, uel in testiculum, uel crura dolores descendant, uel in coxam dolor firmetur.*

Hæc etiam oratio sine distinctione pronunciata est: cum neque ostendat, quam dysenteriam intelligat: neque omnis, quæ cessauit, hæc afferre soleat.

81 *In febre biliosa, si ante septimum diem morbus regius cum rigore superuenerit, morbum soluit: si uero sine rigore, & extra occasionem acciderit, perniciem denunciat.*

Enimuero neque ante septimum diem cum rigore superueniens morbus regius febrim soluit, neq; post septimum. sed talis est adhibenda distinctio, Febricitantibus regius morbus superuenit, atque interdum, ut symptoma affectionis iecoris, interdum uero, cum natura bilem per cutim excernere conatur, nec potest: ut in abscessibus omnibus fieri consueuit. sed de huiusmodi morbis regijs in aphorismis diximus.

82 *Lumborum tetani, & ob atram bilem factæ spirituum interceptiones, sanguinis detractione soluuntur.*

Cum inquit, ob sanguinem melancholicum in uenis redundantem interceptiones spirituum fiunt, sanguine detracto soluuntur. si interceptionem spirituũ, qui in arteriis sunt, dicit, (nam & arterias, antiqui uenas appellabant) quænam hæc alia fuerit, quàm pulsus priuatio? si uero eorum spirituum, qui in pulmone sunt, interceptionem intelligit, rursum eam, quam respirationis priuationem uocant, obscure insinuabit. ceterum sanguinis copia & crassitudo non modo arterias, ut permeare ipse non queat, sed eas quoque, quæ uenæ proprie uocantur, implere flatu potest.

B

83 *Cum autem per tendines uehementer in anteriorem partem retrahuntur, ceruixque & facies sudauerit, ob laborem morsi, atque arescentibus ijs tendinibus, qui ad caudam uergunt: qui crassissimi cum sint, spinam continent, ubi maxima uincula exorta in pedes usque pertinent: qui sic afficitur, si neque febris, neque somnus superuenerit, sequãtur autem urina concoctionem significans, ac sudores critici, is uinum creticum uinosum bibat, edat polentam coctam, cerato ungatur, illinaturq;, crura in pelui, prius aqua calida perfusa, ad pedes usque inuoluat: itemq; brachia usque ad digitos. † spinam etiã a ceruice ad coxam molli pelle* salina & cera illinens ita uelabis, ut etiam anteriora contineantur. relictis deinde fomentis, in utriculos aquam ualidam infundes, ac linteo tectos admouebis, & in strato agrum locabis. aluus non admodum soluenda est, nisi glande: si uidelicet longo iam tempore fuerit adstricta: [ac si tibi melius successerit: sin secus, *modi radicem tritam ex uino odorato, & daucum, mane ieiuno, ante fomenta, potui dato. post hæc statim polentam coctam, tepidam, liberaliter comedat: bibatque uinum temperatum, cum uoluerit: idque si in melius profecerit: sin minus, ad præsagium confugiendum est.*

† ueteres libri tres habent. ὀσφὺν. i. lumbos. fortasse deest uerbum ῥάχιν. i. spinã, ut spinam & lumbos legendum sit. in uetere tralatione lumbos solum legimus. *pinguedine. Hæc etiam a tribus ueteribus libris absunt. *Al. moleos.

C

Hæc oratio est ipsa quoque indistincte conscripta: præterquam quod nomina quædam cõtinet minus proprie usurpata. nam morderi ob laborem tendines, improprie dictum est: cum hoc uerbum mordere, in humoribus acribus, non in doloribus dicatur: itemque illud quod in orationis initio scriptũ est, uehementer in anteriorem partem retrahũtur. deinde ait, arescentibus ijs tẽdinibus, qui ad οὐραῖον idest, ad caudam uergunt, qui, cum crassiores sint, spinam continent: uocans eos, qui ad caudam protenduntur, hoc nomine. οὐραῖον autem, extremam ossis partem nominant. ac si utranque partem tendi, uoluit significare, certe tum in anteriora, tum in posteriora intendi tetanus potest, quo etiã modo paulo ante dixit, Lumborum tetani. non tuto autem facilitatem morbi ex urinarum concoctione prænoscir: nam licet febris cruditates urinis aperte indicentur, tamen morborum, qui musculos obsident, nõ secura est per urinas significatio. sed hoc quidem exiguum est, at illud, pinum dare, non addita distinctione, utrum ex frigore æger langueat, an ex alia causa, non exiguum peccatum est: immo uero etiam ualde impudens. est etiam sine ratione dictum, uentrem, nisi glande, solui oportere: siquidem in huiusmodi morbis interdum commode soluitur. cetera, quæ oratione continentur, clara sunt.

84 D *Morbi omnes soluuntur aut per os, aut per aluum, aut per uesicam, aut aliquam aliam huiusmodi partem. sudor autem omnibus communis est.*

Hæc oratio neque uniuersalis est, neque omnibus communiter conuenit: quando quidem morbi non per hæc solum, sed etiam per uterum, & per sanguinis e naribus eruptionem soluuntur.

85 *Quibus a capite destillatio fertur, his elleborum dare oportet.*

Non necesse est, elleborum dare omnibus ijs, quibus a capite fluxio existit: siquidem interdum soli capiti prouidere solemus.

86 *Quicunque propter abscessum, uel φλεβορραγίαν, uel intemperantiam, uel aliam quampiam uehementem causam suppurantur, ijs elleborum ne dederis: neque enim proderit: & si quid æger patiatur, id ad elleborum referetur. si uero corpus resoluitur, aut caput dolet, aut obstruuntur aures, aut nares, aut sputum non redditur, aut genuum grauitas afficit, aut corpus, præter consuetudinem, intumescit: quicquid huiusmodi acciderit, dabis: modo hæc neque ob potationem, neque uenerem, neq; mærorem, neque curas, neque uigilias acciderint: si enim quidpiam horum in causa fuerit, ad ipsum curationem dirigere oportet.*

Venarum ruptionem φλεβορραγίαν dicit. nemo autem est, qui ignoret, neque ijs qui ob hanc causam suppurati

suppurati sunt, neque ijs qui propter abscessum, neque ob aliam causam ita afficiuntur, dari elleborũ E oportere. illi autem, quibus intemperantia suppurationem fecit, perperam in hoc numero recensentur: cum intemperantia ipsa per se intemperantes lædat, sicut etiam repletio, cruditas, ebrietas, multa uenus, uigiliæ, & quædam consimilia. ceterum prædicens, quibus elleborum dare oporteat, ait, si corpus resoluitur, id est, fractum admodum redditur, nimirum sine manifesta causa: uel dolor diuturnus, & qui ægre soluatur, caput affligit: (id enim subaudiendum est in dolore capitis) & item in ijs, quæ deinceps dicuntur, nempe obstructis auribus, naribusque, & sputo non procedente: tum addit genuũ grauitatem, ac dolorem, & corporis, præter consuetudinem, tumorem: in omnibus inquam ijs, quæ si ne perspicua causa facta sunt, uult elleborum dari, hanc tamen uniuersalem rationem ad particularem traducens ait, modo ne hæc ob res uenereas, curas, & uigilias acciderint: nam si ex aliquo horum facta sint, consulit, ut aduersus efficientem causam pugnemus. ex his autem omnibus, quæ dixit, quænam uere, ac diligẽter dicta sint, quæ non, tum in libris Hippocraticis, tum uero etiam in commentarijs nostris didicistis.

87 *Dolores, qui ab itinere proueniunt, in lateribus, dorso, lumbis, coxisque, ac si aliquis inter spirandum dolet, aliqua habita occasione (nam sæpenumero lumborum, coxarumque dolores ex crapula, & cibis inflantibus prouenire solent: quibus* F *autem hæc adsint, urina ægre it) horum omnium causa est iter, ac præterea destillationum, & raucedinis.*

Hæc sine ordine exposuit: nam cum prædixisset dolores ex itinere laterum, dorsi, lumborum, & coxarum, opinionem facit, quasi esset dicturus, quomodo hæc curarentur. deinde his interpositis, nam sæpenumero dolores ex crapula & cibis inflantibus prouenire solent: addidit, quibus autem hæc adsint, urina ægre it. tum adiecit, horum omnium causa est iter, ac præterea destillationum, & raucedinis: atque ita sine capite, & quispiam dixerit, sermonem fecit.

88 *Quæ ob uictus rationem eueniunt, horum multa unusquisque, ut a consuetudine in uictu desciuit, ita maxime declarabit: nam qui prandere non consueuerunt, si pransi sint, uenter eorum intumescit, somnolenti redduntur, sese proijciunt, & pleni fiunt: si insuper cœnauerint, uenter eorum turbabitur. [His utile fuerit a balneo dormire: expergefactis uero circuitione lenta, sed crebra, inambulare, deinde uentris onere deiecto, cœnare, ac parum uini, sed meracioris bibere. Si aluus soluta non sit, corpus calido perungant. si sitis eos affligat, uinum dilutum, album, aut dulce bibant: ac sic conquiescant. si non dormiant, longiore tempore conquiescant. reliqua autem uictus ratio haud aliter, quam ubi ex crapula aliquis læsus est, instituatur, potiones dilutiores tarde meant, circunducuntur, & in præcordijs supernatant, nec urinam mouent. quibus qui plenus est, nullum celeriter opus absoluet ex ijs, quæ compositum corpus ui & celeritate potest conficere. itaque a cibo, donec concoctus sit, quiescere oportet. meraciores uero austerioresque potiones corpori palpitationem, & capiti pulsationem inducũt:* G *proinde sic affectus super dormire debet: et calidum aliquod ex ijs, quæ iucundissima ei uideantur, sorbeat: ieiunium enim aduersus capitis dolorem, crapulamque malum est. qui semel tantum in die cibum assumunt, ij imbecilli sunt, & calidum mingunt, utpote præter consuetudinem exinaniti. os ipsis salsum redditur, & amarum, & in quouis opere contremiscunt, tempora tenduntur, cœnam concoquere non perinde possunt, ac si pransi essent. quocirca minus, quàm consueuerunt, bibere debent: & liquidiorem mazam panis loco assumere, atque ex oleribus rumicem, aut maluam, aut betam, & item ptissanam. dum autem cibum sumunt, uinum modicum bibant, idque dilutius. a cœna parum ambulent, donec urina defluat, & mingant. piscibus præterea elixis utantur.]*

Totum hunc sermonem in legitima libri huius parte abunde esse explanatum scimus. quam ob rem hæc, quæ eodem modo dicta sunt, poteris conuenienter illis & dignoscere, & iudicare. neque necesse est, ut in his morer diutius.

89 *Ex cibis autem hi maxime notantur, ut insignes.*

Vim eduliorum non aliqua ratione, sed experientia conuenit iudicari: neque hic interest, cibos ne, an edulia dicas. ceterum, qui librũ hunc scripsit, uerbi ἐπισημαίνειν hoc est notari ut insignes, tale quid- H piam indicauit. insignis inquam nota corporibus in unaquaque alteratione ex ualentibus edulijs accedit. ea autem deinceps connumerat.

90 *Allium flatum efficit, pectus calfacit, caput grauat. fastidium gignit, dolorem, qui ante urgere consueuit, irritat, urinam ciet, estque hoc præditum bono. eum autem, qui potationi, & ebrietati indulgere proposuerit, comedere allium, optimum est.*

Si singula edulia sint experientia iudicanda, non recte dicetur, allium flatum efficere, nec maioris caloris sensum, quàm cepam, uescentibus afferre: idque cum in nulla alia corporis parte, tum uero ne in pectore quidem. Simili quoque modo cibi fastidium non pariet, præsertim uero, ubi quis ipsum parum ante feruefactum assumpserit. pleraque autem edulia, si omni humorum congerie plenum corpus sit, calfaciunt: cum uero sit ante uacuatum, abunde siccant. errauit igitur huius auctor libri, qui rẽ indistincte enunciauit. melius enim erat, ira, uti nos diximus, distinguere. nunc autem simpliciter de allio sententiam enunciauit: sed præstitisset dicere, ipsum & calfacere, & exiccare, & flatum non efficere: neque enim mos est, ut de indistinctis sententia feratur. est autem subaudiẽdum, cum in tempore datum sit: quod præparato corpore significat. præparatur autem, si neque repletum omni humorum copia

A pia sit, neque uiriosis succis abundet. non recte igitur dixit, ab eo caput grauari. immo si corpore ante euacuaro, allium dederis, & capitis, & cuiusque alterius partis grauitatem sanabis. Subit autem admiratio, quonam pacto hæc præfatus, quæ hactenus attigit, deinceps adiecerit, Eum autem, qui potationi, ebrietatique indulgere proposuerit, comedere allium, optimum est: siquidem hæc declarare uidentur, neque crapulam, neque ebrietatem ab eo effici, sed ita ab illis tueri, ut & capitis pellere grauitatem & discutere flatus possit. atque hæc quidem uere dixit. & illud etiam, allium ex ijs esse, quę urinã ciẽãt: cetera, quæ addidit, præterquam quod falso dixit, sunt etiam inter se pugnantia.

91 *Caseus flatum, adstrictionemque inducit. cibos accendit, crudum incoctumq; est. ijs uero, qui se potu expleuerunt, deterrimus est.*

Caseus recens & mollis maiorem, quàm durus, aridusque flatum gignit: minusque, quàm durus & aridus, adstringit, hoc est aluum cohibet: nam siccus minorem flatum concitat, sed magis aluum sistit; præterea maiorem quoque sitim inducit: quod ipse declarat, cum ait, cibos accendit. In medio autem orationis dixit, crudum, incoctumque est, id quod minus diligenter elocutus est. significat autem, omne quod crudum, incoctumque in corporis humoribus consistit, ex huiusmodi edulijs fieri consuesse,
B cuiusmodi est caseus, cum crudum, incoctumque edulium sit: perinde ac si dixisset, caseus flatum, uentrisque adstrictionem parit, æstuosus est, crudum & incoctum est edulium, & huius generis succos gignit. addit præterea pessimum esse, si is, qui potu se expleuit, eo uescatur: quod uel ipsis uulgaribus est perspicuum. sed ne alias quidem bonum edulium censetur caseus, quippe qui crassum succum, & concoctu difficilem generet. si uero inter bibendum quispiam repletus eo uescatur, pessimũ omnium edulium efficitur: grauat enim os uentriculi, & primus ipse corruptus, cetera deinde secum corrumpit.

92 *Legumina & cruda, & cocta, & fricta, omnia flatum gignunt: minimum uero, macerata, uel uiridia. ipsis autem, nisi cum alijs cibis, utendum non est. sed singula habent sua uitia.*

Omnia legumina uentrem implent; crudaque sunt coctu difficillima: fricta uero minorem quidẽ flatum excitant, non minus tamen concoctioni resistunt: moderatiora uero sunt, quæ plurimum sunt elixa. quod autem sequitur, in quibusdam exemplaribus est scriptum hoc modo, Et macerata, & uiridia: ut ipsa quoque habeant prædicta uitia: in plurimis uero, non ita scriptũ inuenitur, sed alio sumpto principio, sic, minimum uero, macerata, uel uiridia. ac uiridia quidem dicuntur, quæ neque sicca sunt, neque adhuc exquisite perfecta: macerata uero, quæ in aqua sint madefacta. præcipit autem,
C ne leguminibus, sine alijs cibis, utamur. ac pro cibis eos nimirum panes intelligit, qui ex tritico conficiuntur: uel absolute omnia cibaria, quę quouis modo apparantur: uel fortasse alia omnia, ex quibus panes faciunt, ut Zeam, tipham, & hordeum: rustici uero ex milio quoque panes conficiunt.

93 *Cicer & crudum, & frictum flatum parit, atque laborem.*

A.l. 2. t. 2. p. 107. B. Scribunt nonnulli cicer flatum concitare, quod pudendum intendat. Quod autem in extrema oratione dixit, laborem, ad eum dolorem referendum est, quem parit inflatio.

94 *Lens adstringit, tumultumque facit, si non detracto cortice ea uescamur.*

Dictum est, θόρυβον, i. tumultum, significare turbationem quandam, ac ueluti pugnam, quæ in uentre ex edulijs discrepante facultate præditis excitatur: ut nunc quoque significat, si lens cum cortice assumatur, quippe cum cortex multo sit, quàm ipsius caro, concoctu difficilior.

95 *Lupinus minime horum mala habet.*

Vox minime, hoc in loco significat contrarium eius, quod significat, maxime. ait autem lupinum
D minime habere mala prædictorum.

96 *Laserpitij tum caulis, tum liquor ut quibusdam maxime, ita inexpertis aluum minime ducit. nominatur autem arida cholera.*

Laserpitij radicem homines communi nomine cum tota herba uocare consueuerunt. hanc autem ipsam, & item herbæ liquorem ait inexpertis, id est, non assuetis, aridam choleram parere. quænam uero ea sit, ipse paulo post docebit, cum dicet, Arida cholera uentrem inflat, & strepitum excitat. ex quo planum est, ex laserpitij ingestione, utpote quod acre, æstuosumque sit, spiritum flatuosum in uentre colligi. Quid autem significet, quod ait, quibusdam, ex ipsa oratione non patet. itaque is, qui hæc singula explanare uelit, quod sibi maxime probabile uideatur, id dicet: siquidem in eiusmodi rebus id dicere, quod rationi conueniat, difficile est.

97 *Id uero potissimum accidit, ubi cum multo caseo, aut bubularum carnium edulio misceatur.*

Ait choleram, quam aridam uocat, ijs potissimum accidere, qui laserpitium simul cum multo caseo, aut bubula carne assumpserunt: flatus enim, qui a laserpitio excitatur, cum emplasticis ac tarde permeantibus edulijs commistus in uentre manet, nec descendit.

*Quippe bubulæ carnes morbos melancholicos excitant: superari enim earum natura non potest: nec cuiusuis uentrien-* E 98
*bi est, eas concoquere.*

Erat ei de laserpitij facultate instituta oratio: sed ei bubularum carnium usum admiscuit, factoque ad melancholicos morbos transitu, eos a bubulis carnibus ait excitari. deinde quasi † duplicem causam afferat, hoc ait, superari enim earum natura non potest. in quo usus est coniunctione, enim, ut faciunt, qui dictorum causam reddunt: causam tamen non dixit, cur a bubulis carnibus melancholicæ affectiones excitentur: quamuis aliam, quæ latius patet, exposuerit: quod scilicet, ipsarum natura difficulter conficiatur, & ualida sit: natura enim ea insuperabilis est, quam nemo utique superauerit.

†Alias causas includens ait.

*Quanquam optime deget, si perelixis, & quàm uetustissimis quis utatur.* 99

Hoc etiam habet magis uniuersalem admonitionem, † non in melãcholicis, nam bubulis carnibus & perelixis, & uetustis uti præstat, sicut alijs quoque omnibus, quæ ægre concoquuntur. Sed improprie usus est uerbo, optime, propterea quod neque melancholico morbo laborãtes, neque alius quiuis homo uel sanus, uel ægrotus qui bubulas carnes perelixas, & uetustas comedat, optime deget: cũ inter omnia, quibus uescimur, hæ non bonum alimentum præbeant. qui uero tales assument, ij quidẽ minus, quàm ceteri, læduntur. ergo si uerbum optime, in minime, commutaris: orationem inculpatam effeceris. F

†Fortasse legendũ est ἢ .i. quam.

*Caprinæ carnes, quæ in bubulis mala sunt, habent omnia: nam & cruditatem habent, & flatum magis excitant, & ma-* 100
*gis etiam ructum, bilemque pariunt. uerum ut odoratissimæ, & solidæ, & suauissimæ, saluberrimæ sunt & perelixe, & frigi-*
*dæ: ita pessimæ sunt, quæ iniucundæ, odore graues, ac duræ sunt. idem de recentibus dicendum est.*

Causam hoc loco attulit, cur caprillæ carnes sint bubulis deteriores: cum enim perinde ac bubulæ, sint coctu difficiles, magis etiam flatum excitant, sæpiusque ructus, in quibus mala insit qualitas, pariunt. itaque cum bubulis sint & acriores, & calidiores, si incoctæ maneant, bilem gignent: ex quo conficitur, ut frigidas potius, quàm calidas edere eas oporteat.

*Aestate optimæ sunt, autumno pessimæ.* 101

Optimas ait esse caprinas carnes non aliarum carnium, sed caprinarum: & tamen quantum ad anni tempus pertinet, deberent esse pessimæ propter earũ temperamentũ: contingit tamen, ut æstiuo tẽpore melius alimentũ capræ nanciscantur: qua ratione praua sunt ea animalia, quæ herbã pascũt, ubi uiridis herba eis non suppetit. capris autẽ maxime accõmodatum alimentũ pr̨ebẽt germina arborũ, & caules: quos a fine ueris æstas habet copiose. Alimentũ aũt ad carnis præstantiã plurimũ posse, ex uulpibus potes cognoscere: quæ autumno propter uuas carnẽ probatissimam habent. sic etiã passer, & ficedula carnẽ habent laudatissimam. itaque cũ capræ per autumnum sint idoneo alimento destitutæ, efficitur, ut deterrimam, & maxime gracilẽ carnem obtineant: hieme uero meliorem sanguinis habitum consequuntur, cum naturalis ipsarum intemperies a temporis temperatura corrigatur. G

*Porcelli carnes prauæ sunt, cum uel crudiusculæ, uel ambustæ sint: nam & bilem pariunt, & turbationem. suillæ autem* 102
*sunt omnium carnium optimæ: ualentissimæ uero, si neque admodum pingues, neque etiam graciles sint, neque ueteris ni-*
*mium ætatem sint assecutæ. edendæ uero sunt detracta pelle, & subfrigidæ.*

Porcellum præcipue nominabant ueteres eum, qui ualde paruus esset: ut apud poetã legitur: Vescere nunc hospes: porcellos linque ministris: Namque procis editur sus lætus, plenior annis. Sed nescio, quomodo proci ederent sues σιάλους, (sic enim ueteres appellabant eos, qui iam perfectam ætatem excessissent) nisi proci sensũs stupiditate cunctos superabant, ut neque ea, quæ facile concoquuntur, neq; suauissima edulia dignoscerent: quales ẽt se se esse probabant, cum uentres caprarum pingui & sanguine plenos esitarent, quibus nullum edulium reperies concoctu difficilius. atq; ut optima tum ad suauitatem, tum ad concoctionem est caro eorum, qui mediam sunt ætatem consecuti: siquidẽ hæc sanguinem quoque probum gignit: ita deterrima est porci uetustissimi, atque eius porcelli, qui cũ primum in lucem editus est, comeditur: nã eiusmodi eorum ferme omnium terrestrium animantium, quibus homines uescuntur, maxime humidam carnem habent. quam ob rem cum caro eorũ, qui nuper nati sunt, plus nimio sit humida, proinde plurimam pituitam gignit: &, si subcrudior fuerit, multo ẽt magis id faciet. eadem quoque ratione pinguissimam suum carnem deteriorem esse censet ea, quam medij, & bene carnosi habent: suspectam ipsius humiditatem habens, propter quam etiam pinguedo omnis carne, quæ consimilis generis sit, & ad concoctionem & ad nutritionem est deterior. quæ autem ex assatione ambustæ sunt, eæ sunt ad succi bonitatem, & ad concoctionem incommodæ, bilemque, propter eã acrimoniam, qua præditæ sunt, pariunt: hoc enim est commune eduliorum biliosorum uitium, cum & humida, & acria sint. nam eiusmodi simili modo corrumpuntur, a c sua acrimonia uasorum illorum, quæ in uentrem pertinent, ora remordent: & earum fluxionum, quæ ex toto corpore in eum comportantur, causæ efficiuntur. porcellos autem sine pelle, hoc est sine cute edendos esse, perspicuum est: cũ enim cutis animalis sit frigidior, non apta est, ut æque, ac caro animalis concoquatur. clare quoque præcipit hos frigidiusculos esse edendos, omnes calidas carnes ueritus, ac fortasse calidas frigidiusculis maiorem æstum, flatũq; gignere existimans. atque ego quidem in caprinis carnibus, & quæcunque natura calidæ sunt, hanc orationem admitto: in ijs, quarum & caliditas & frigiditas moderata est, cuiusmodi suillæ sunt, non simpliciter sine distinctione ita dici concedo: nam ei, qui distinxerit, calidæ erunt quàm frigidæ magis idoneæ. H

*Arida*

103 A *Arida cholera uentrem inflat, strepitum excitat, dolores tum laterum, tum lumborum infestat, aluus nihil deijcit, sed cohibetur.*

Choleram simpliciter ab hominibus ita uocatam ab arida cholera per humiditatem distinguit: communi autem nomine in utraque usus est, animum aduertens ad modum eius gignendæ, qui communis est: ut enim humida cholera ex acribus humoribus nascitur, qui ex corruptela eorũ, quæ comedimus, profecti sunt, sic arida e spiritu flatuoso acri oritur. ex quo fit, ut corpora neruosa, quæ prope uentrem sunt, mordeantur, intendanturque, ac dolorem excitent. cum uero hi spiritus possint interdum retineri, interdum uero exire, aridam choleram ob retentos spiritus gigni, dicere non possum: fuerit enim probabilius hoc nomen tribuere ijs, quæ exeunt.

104 *Qui ita affectus sit, seruato, ne uomat, uenterque ei subducatur: clysterem ergo ex calido, ac perquam pingui inijcies: perunctumque in calidam aquam demittes: & quamplurimum in pelui reclinabis, ac paulatim aqua calida perfundes: si enim sic calfacto aluus subducitur, morbus solutus est.*

Inijcere clysterem quàm citissime, uomitumque prohibere, communia præcepta sunt eorum omnium, quæ uentre præter naturam continentur, quæ nos infra excerni studemus. huc etiam pertinet, calidi clysmatis iniectio: siquidem calidum prouocat, ut frigidum reprimit. clysma autem pingue est proprium aridæ medicamentum: quippe quod suapte uirtute est illi contrarium, cum & siccitatem humectet, & morsus leniat. eodem etiam pertinet, si in pelui fouendo tum aqua, tum oleo & calfacias, & mitiges.

B

105 *Huic etiam confert dormire.*

Non satis constat, uelit ne eum, dum in pelui fouetur, an sine illa, dormire. ceterum somnum per se cruditatibus omnibus maximo remedio esse, rem ipsam intuenti plane patet.

106 *Ac bibere uinum tenue, uetus, atque meracius.*

Vinum potui dat, ut concoctioni sit adiumento: sed tenue, ne moretur in uentre: uetus uero, ac meracius, ut magis calfaciat: quippe cum uinum omne habitum calfaciat, ac magis etiam, quod uetus est.

107 *Oleum quoque dabis, ut & quiescat, & aluus subducatur, & soluatur.*

Oleum lenit quæ acria sunt, siccitatem emendat, uentrem moderate subducit, quibus omnibus ei opus est, qui curatur.

C

108 *A cibis autem, atque † alijs arceatur.*

†Lib. Bess. hēt ποτῶν. i. potionibus.

Si corpori nihil desit, neque necessitas exigat, ut quidpiam apponas, & cruda quædam concoctionis egentia contineantur, ijs requiete opus est, & non cibarijs prius, quàm contenta mediocriter concocta sint.

109 *Verum si dolor non se remittat, lac asina, donec purgetur, potui dabis.*

Si ea, quæ dicta sunt, feceris, ac dolor non soluatur, tum existimandum est, acrimoniam causę molestiam efficientis, maiorem esse: itaque corpus oportere purgari. iubet autẽ, ut lacte asinæ utamur, quod inter omnia medicamenta purgantia est mitius, & minus efficax. idem quoque est lacte omni humidius, aluumque magis subducit.

110 *Soluta aluo si bilis excernatur, & tormina, uomitus, & suffocationes uexent, optimum est quiescere, mulsamque bibere, ac uomere.*

D Vtrum adhuc de arida cholera agat, an hæc per se intelligenda sint, non satis constat: sed quoquo modo se res habeat, bilis, quæ acris, & difficilis ad eluendum sit, uidetur uentre contineri. hunc ipse moderate subducere, quæque eo continentur, concoquere conatur. moderate autem subducetur aqua mulsa: quiete uero fiet concoctio. in huiusmodi autem affectionibus, qui sæpius ualenter auxiliatur, is malitiam humorum ualido medicamento affatim expurgat, habita ratione uirium ægrotantis, habitusque, & anni temporis, tum ętatis, ac constitutionis. quod autem in extrema oratione dictum est, mulsamque bibere, ac uomere, quasi hic auctor uentrem superiorem uoluerit expurgari, melius cum negatione, nõ, dicetur: mulsa enim, cum detergendi facultatem habeat, ea quæ corrupta sunt, ad naturalem uiam traducit, idque sine oris uentriculi læsione, atque periculo: quæ ex uomitu proficisci possunt.

111 *Hydropum duæ sunt naturæ, una ὑποσαρκίδιος, i. subcarnosa quæ, cum hoĩem aggreditur, uitari non potest. altera ex flatibus constat: quæ multa, eaque bona fortuna indiget: maxime autem ærumnis, fomentis, temperantiaque curatur. sicca autem & arida edat: ita enim maxime minget, & fortis efficietur. Si spiritus difficulter reddatur, fueritque anni tempus æstiuum, & ætas floruerit, fuerintque ualidæ uires, sanguinem ex brachio detrahes: mox calidos panes uino nigro & oleo intinctos edendos dabis. is autem quãminimum bibat, & quamplurimum se exerceat. carnem uero suillam, carnosam, ex aceto coctam edat, ut arduas tolerare inambulationes possit.*

A. l. 3. f. 14. c. 3 c. 15. p. 594. E

Quidam non ὑποσαρκίδιον id est subcarnosum, sed ἐπισαρκίδιον id est ad carnosum scribunt. atque ego E quidem neq; ἀνὰ σάρκα, neq; κατὰ σάρκα alicubi scriptum reperi, quamuis recentiores ita appellent. cum autem ipse duas esse hydropum naturas dixerit, ac de posteriore solum flatus, nec ullũ aliud symptoma exposuerit, de priore autem nihil penitus attulerit, fit, ut & aliqua in re confusus, & in hydropum differentijs falli uideatur. quidam medici quatuor hydropum differentias faciunt, in quo ab eo, quod iustũ est, desciscunt: contra quos non est modo opportunum disputare. qui aũt hæc scripsit, is perspicue mancus est: siquidem unus hydropum copiam humoris, qui tenui consistentia sit, in tota inferiore thoracis regione aceruat, quam interdum pungentes, humorem ipsum euacuamus: alter uero hunc ipsum locũ non aqua, sed flatu plenum habet, & fere superiora omnia in eo intumescũt: hunc tympaniã uocãt. alius autem totum habitum pituitæ plenũ habet: quem hyposarcidium nõnulli nominant, quã ob rem diminute dixit, cum duas esse hydropum naturas statuit. sed neq; etiam recte usus est his uerbis, ἐγχειρέον γίγνεσθαι. i. cum hominem aggreditur: uerius enim dixisset, si ita scripsisset, interficit autem protinus aqua inter cutem, cum facta sit. sed ita scripta est hæc oratio, male nimirum scripta ab eo, qui primus eam literis mandauit. eius autem hydropis, quem ait ex flatu cõstare, curationẽ affert: quæ sane id habet, quod est omnium hydropum cõmune. principio autẽ imperat ærũnam, fomenta, & temperantiã: tum ut calidis & siccis ægri uescantur: quod est eius solius, quem anasarca appellant, quem ipse, ut insanabilẽ, omisit: hic enim solus, cum incipit, interdum sanguinis missionem requirit, cũ scilicet ex suppressis hæmorrhoidibus, aut menstruis purgationibus, aut alia re quadam, quæ repletionis causam afferat, inceperit. F tympaniam uero & ascitem nemo per sanguinis missionem curare ausus est. itaq; in eo, qui detractione sanguinis eget, adhibeatur ea, quæ subsequitur, curatio, quæ inquam calfacit, & siccat. quæ cum scripserit huius libri auctor, ad id, quod expedit, animũ uidetur quidem direxisse: non tamen recte dixit: si difficulter spiritus reddatur, egere sanguinis detractione, nisi propter plethorã in hydropa incurrat: cũ scilicet innatus calor periclitetur, ne extinguatur. ut etiam igni cõtingit: ut enim is ferme extinguitur si multa, eaq; humida ligna in ipsum conieceris, nisi quis multitudinem sustulerit: ita in sanguine ob copiam frigidiore, ubi calor natiuus in periculo est, ne extinguatur, sanguinis missio est remedium præsentissimum, quo tempore tale periculum immineat. Male etiam adiectum est, fueritque anni tempus æstiuum: nam ut plus, aut minus sanguinis detrahatur, alia quædam pro scopis animaduerti diximus non secus, quàm anni tempus: huius uero præsidij scopum, ex natura affectionis trahi. Dioscorides autem non æstiuum anni tempus, sed uernum scripsit, ueritus nimirum, uirium exolutionem æstate affuturam: hieme uero refrigerationem, quæ affectioni succederet. Iam uero uulgariter & inepte admodum panes calidos ex uino nigro & oleo ei dat, cui sanguis missus sit: in quo est ei quidem recte pro- G positum, uires corroborare, ut possint ærumnis exercitationum sufficere: sed materiam proposito dignam non inuenit: nam uinum nigrum sanguinem plurimum gignit, ac tantum quidem, ut & superfluat, & melancholicus fiat. itaque melius est, huic fuluum uinum dare, quod tenui consistentia sit, ut urinas moueat, non tamen ætate nouum, ut in plerisque contingit: nullum enim uinum nouum est fuluum, sed uel album, uel rubrum, uel nigrum: uetustate autem, uina fulua, flauaque reddũtur. quod uero ait, eos quàm minimum bibere, & quamplurimum laborare debere, rectissime dictum est: siquidem tale uitæ genus calfacit, & siccat. suillæ autem carnes, si quis eis uescatur eo modo, quo dictum est, florenti ætati, & ualidis hominibus non male dari poterunt: ceterorum uero nullus est, qui eas probe concoquere possit: utpote qui iam prope periclitetur, ne calor innatus extinguatur. ergo ijs, qui ita affecti sunt, præstat dare, quæ ab eis probe concoquantur.

112 *Qui uentrem inferiorem calidum habent, acriaque & inæqualia excrementa deijciunt, ij propter colliquationem ita afficiuntur. si uires ualeant, [ albo ] elleboro reuellenda sunt: sin minus, frumentacei tritici cremor, crassus, frigidusq; & lomentum lenticularum, & panes subcineritij exhibendi sunt, itemque pisces, ac febricitantibus elixi: non febricitantibus, assi: atque his uinum nigrum, illis uero aquam aut a mespilis, aut myrtis, aut malis, aut sorbis, aut palmulis, aut uitium œnanthe dabis.* H

{ Lib. Bess. nõ habet: & ita innuit Ga.

Magis proprie dixisset, hos deijcere excrementa ob inustionem, quàm ob colliquationẽ. fit autem in eo colliquatio, quod uel pinguedo, uel mollis caro propter febrem malignam liquitur: inustio uero in uentre oritur, propter acrem eorum, quæ assumpta sint, caliditatem, a qua etiam febris excitatur. huic ergo ueratrum album exhibet, quod per uerbum, reuellenda, significauit, hoc est per uentrem superiorem. at si aliqua causa impediat, quo minus æger ueratrum assumat, superaritque acrimonia, iubet edulia, & pocula tum adstringentia, tum refrigerantia propinari. edulijs autem addit etiam ea, quæ exiccare queant, quales sunt subcineritij panes, & pisces assi. quæ cum ita, & non sine ratione dicta sint, quem inferiorem uentrem dicat, considerandum est: etenim ueteres, cum thoracem interdum uentrem superiorem appellent, omne alimenti receptaculum, quod a septo transuerso est, uentrem inferiorem nominant: interdum autem uentrem superiorem uocantes, in quem cibi demittuntur, quæ post ipsum sunt omnia, uentrem inferiorem nuncupant: interdum uero sola intestina, quæ crassiora sunt: non desunt, qui colon intestinum duntaxat, uentrem inferiorem uocent. fortasse igitur peruestigauissemus, quam, aut quas ex prædictis particulis pro uentre inferiore probabilius intelligere debemus, si quid notabile percepturi fuissemus: sed quoniam huius rei

inuentio

inuentio nihil præterea nos docet, quàm quæ ipsi & scimus, & discernimus, hoc est nonnulla quidem recte, ac nonnulla secus dicta esse, ac magis curiositatem cognitionis, quàm commoditatem afferunt. præstat hæc quamprimum omittere, præsertim cum hic liber Hippocratis uerus non sit.

113 *Si uero non febricitantem tormina affligent, primum quidem paululum lactis asinini calidi dandum est, tum paulatim augenda copia est: item lini semen, & triticea polenta, mista hordeacea, & sparsa faba ægyptia dempto amaro. edat uero oua assa, semiconcreta, similam, milium, alicam ex lacte coctam. hæc cocta, & refrigerata sumantur. itemque tum escas, tum potiones his similes edat.*

Quamplurimi interpretes accommodatius hæc cum superioribus coniungunt, cum hic quoque de ijs, qui uentrem inferiorem calidum habent, uerba fieri arbitrētur. alij, atque hi quidem pauci, separāt, & seorsum exponunt: hisque propositum est, partim humorum malitiam expurgare, partim contemperare, partim siccare, partim uero refrigerare. lac ergo asininum potest & expurgare, & contemperare. lini uero semen resiccare, & refrigerare: at polētæ, quæ ex tritico conficiuntur, contemperant: quibus recte miscentur hordeaceæ: utpote quæ siccent, & refrigerēt. ægyptiæ fabæ mediocriter refrigerare possunt. oua autem, & simila, & alica sunt succi crassi, & boni, & humorum acrimoniam comprimunt: siccat autem in edulijs milium eo modo, quo refrigerat. hæc uero omnia frigida exhibet propter acrimoniam, & caliditatem eorum humorum a quibus affectio procreatur.

B

114 *Maxime autem ad uictus rationem pertinet, obseruare tum in acutis, tum diuturnis ægritudinibus intentiones, inclinationesque febrium, ut tempora quibus cibi offerendi sunt, quibus non, tuto deprehendas: item quando plurimum ab intentione abesse uidebuntur.*

Eius artis, quæ in uictus ratione uersatur, ait maximum esse, peculiare cibi dandi tempus cognoscere, aitque unum scopum esse, ut scilicet tempus, quo dari cibus debet, quam plurimum absit a febris uehementia, quam intensionem ipse uocat, hoc nomine principium accessionis intelligens. id quod non modo in diuturnis, sed etiam in acutis uidetur uerum esse. sed cur adiecit, tum diuturnis morbis? nimirum, quod potius in eis, ac forte etiam in eis solis sit euidens scopus: in acutis enim morbis calor in pedibus deprehensus fuit sufficiens dandi cibi signum: at in longis non sic alere oportet: sed optima declinationis pars expectanda est: quæ non potest in acutis ideo expectari, quod timor cito futuræ accessionis impendeat. Sunt qui hanc dictionem ita scribant: maxime autē ad uictus rationem pertinet, ut in acutis, sic & in diuturnis morbis obseruare, & cauere, quando dare cibum oporteat. alij finem orationis hoc modo scribunt: præterea uero, cum plurimum a febris uehementia aberunt, scire oportet: ut præter cetera, quæ in ægroto uoluit a nobis considerari, hoc etiam admoneat. hoc autem ipsum si quis perpendat, neque inuentioni peculiari, quæ ad cibum tempestiue dandum conducit, coniungat, profecto id de alimento præceptum & importunum, & nulla re dignum uidebitur.

C

115 *Cognoscere uero eos etiam oportet, quibus caput dolet uel propter exercitationes, uel cursum, uel iter, uel uenatum, uel quemuis alium laborem importunum, uel res uenereas: item decoloratos, raucos, lienosos, exangues, spirituosos, sicca tussi laborantes, sitientes, flatuosos, uenarum interceptiones, intenta præcordia, dorsum, latera, & item torpentes, obscure uidentes, aurium sonitu uexatos, urinam non continentes, regio morbo affectos, cruda per aluum deijcientes, sanguinem e naribus, uel sede uehementer profundentes, & inflatos, & quos uehemens infestat fatigatio. horum neminem, si dictas affectiones non uicerint, medicaberis: nam & periculo ægrum expones, & nihil iuuabis: & liberationes, ac indicationes, quæ sponte fiunt, impedies.*

Quæcūque hoc libro continentur, & inordinate scripta esse, & tanquam paratam materiam esse ad librum conficiendum, constare inter omnes arbitror: in eo enim, ut dixi, multa bene sunt dicta, quibus etiam adducti quidam ijs quæ minus recte dicta sunt, fidem adhibuerunt: inter quos, illi potius id fecerunt, qui sibi conscij erant, se illius esse expertes scientiæ, qua possent scripta dijudicare. quæ autem hac oratione continentur, enumerationem habent eorum, qui non apti sunt, ut medicamento purgentur: nam purgari, & medicamentum sumere idem sunt, sicut etiam purgare, & medicamentum dare. uideamus igitur quibus primum purgationem interdicat. commemorat autem eos, quibus caput dolet uel propter exercitationes, uel propter alium quemuis laborem importunum: ut summatim intelligas, eos, qui ex laboribus importunis capitis dolorem contraxerunt, non esse purgandos. sunt autem importuni labores omnino, quos affectio corporis, quæ modo præsens est, ferre non potest. nunc uero te rei unius admonebo, quæ ad multa est utilis, & quam in memoriam haberi semper, uelim. cum igitur nostrum corpus interdum paratum est ad morbosam affectionem, quæ inibi sit, ut prope compleatur, si aliquid externum adueniat, ipsam affectionem indicauit: utpote cū febrim accendat, uel capitis dolorem, uel defluxionem, uel tussim, uel aliquod aliud huius generis exciret. deinde ex eo homines continenter ad morbosæ affectionis præparationem cum periculo debiliores redduntur: cum neque cursus neque uehemens omnino motio, ut etiam neq; intemperantia, uel refrigeratio, uel alia quæuis consimilis causa morbum creet: siquidem nihil horum potest suapte natura uehementem languorem generare: si enim febris ab aliquo horum excitetur, ea erit ex genere diaria-

D

A. l. 3. f. 1. t. 2. c. 2. p. 348. F.

rum: aut, si aliud aliquod symptoma gignatur, id persæpe breui tempore perdurabit. ac sæpius qui- E
dem, ut dixi, propter corporis affectionem unumquodq; horum non causa, sed occasio morbi efficitur:
causas enim huiusmodi quispiam maxime proprie occasiones, non simpliciter causas manifestas ap-
pellauerit, ut hi sæpe uocare consueuerunt, cum ab aliqua ex manifestis causis noxa euidens in corpo
re orta sit: si enim nulla alia morbosa corporis affectio adfuerit, neque etiam morbus notabilis subse-
quetur: et eius noxæ, qua corpus afficitur, id ipsum quo fecit, in causa est. scito igitur, hoc loco de ijs
agi causis, quæ non sua ratione detrimento corpus afficiunt: atque earum unum quidem & princeps
caput continet labores uarios, & quos singillatim obimus, ut cursus, luctas, pancratia, res uenereas;
frictionem, æstuationem, perfrictionem, uigilias, iram, mærorem, timorem. ipse uero fecit rerum
uenerearum mentionem, cetera uero subticuit, & tamen eandem habent facultatem: quæ enim, ut di-
ctum est, spiritum perturbant, ea purgationem non postulant, propterea quod huiusmodi morbus non
sit ab humorum malitia contractus. ceterum auctor ab his indicijs digressus, declarauit, quos prius
recensuit. ac proprie quidem decoloratos uocant eos, qui sanguine carent: eos uero, qui ob aliam affe
ctionem corpus secundam naturam constitutum non habent, mali coloris homines appellant. decolo
rati igitur calfieri debent tum exercitationibus, tum potu uini, facultate calidi, tum denique cibis ean
dem facultatem obtinentibus. raucos his subiungit: quorum sane humiditatem, & frigiditatem, quæ F
ex defluxione, quæ in guttur comportatur, orta est, sanare conuenit: exiccato scilicet capite, & cete
ris particulis, quæ affectæ sunt: id quod usu auxiliorum, quæ locis admouentur, efficies. præterea uero
ait, lienosos quoque non oportere purgari: quod ego non recte dictum arbitror: præsertim cum lieno-
sis, si quibus alijs purganda sint, quæ nigra sunt. post lienosos meminit eorum, qui exangues sunt, id est,
in quibus diminutus est sanguis: quamuis nondum manifeste sint decolorati. tum addit spirituosos,
sicca tussi laborantes, & sitientes, in quo ita obscure locutus est, ut non satis pateat, utrum hi singuli
sint separatim intelligendi, an tres unà omnes comprehendēdi. immo uero ne si singillatim quidē in-
telligendi sint, perspicua oratio est, ut antea iam est dictum: nam spirituosos sæpius eos solum uo-
cant, qui, cum inspirant, aeris indigent: interdum uero etiam inflatos ita nominant: quorum uter-
que multas causas habet: quas omnes si recensuero, oratio erit, quàm par sit, prolixior. adde quod
quidam ex his sanguinis missionem exigere uidentur, alij purgationem, alij uero aliud, atque aliud
remedium postulant. Sic etiam sicca tussi laborantes, & sitientes non ex una affectione tales reddun
tur. neque etiam in præsentia scire possumus, utrum de febricitantibus sitientibus, an de non febrici-
tantibus, an de utrisque loquatur. ac tu quidem, si unius eorum, quæ in aphorismis dicta sunt, me- "
mineris, id quod uniuersale est, auferes. est autem in aphorismis ita scriptum, Si non febricitanti G "
appetitus deiectio fuerit, oris uentriculi morsus, tenebricosa uertigo, & oris amaror, id hominem "
purgatione per superiora indigere significat. si autem os amarum sit, sitiunt. pari quoque modo,
qui flatuosi ab ipso dicantur, non sat scio: an inquam, intelligendi flatuosi sint, cum ita sunt uena-
rum interceptione redditi: præsertim cum nonnulli etiam sint, qui id per se legant: qua sane ratione
ego quoque possem omnia, quæ in hac dictione sunt, commutare, omniaque, quæ utile sit intelli-
gere, sine multitudine librorum edocere: ut etiam de ijs fieri posset, quæ deinceps dicuntur: cum
ait, intenta præcordia, dorsum, latera, & item torpentes, obscure uidentes, aurium tinnitu uexa-
tos, urinam non continentes: nam in singulis hisce ægritudinibus & causæ, & affectiones multæ
sunt, & uarias curationes postulant: quarum etiam quædam erunt, quæ eo medicamento, quod bi-
li educendæ est, purgari debebunt. itaque & de his omnibus, & item de ceteris, quæ deinceps di-
cuntur, non indistinctas enunciationes, sed distinctas, clarasque, & longo usu comprobatas doctri-
nas in nostris tractationibus habes: quas qui intellexerit, is quæcunque ab hoc auctore recitantur, po-
terit dijudicare: atque etiam, si partis eius meminerint, quam nos & legitimam, & accommodata
doctrina refertam esse fassi sumus: siquidem in ea parte omnia cum demōstratione, perspicuitate, con
gruentibusque distinctionibus scripta sunt. quæ uero ita sunt disseminata, ut proposita oratio est, ea H
iuuare nihil possunt: siquis enim hæc singula simpliciter, indistincteque nunc acceperit, is multa in
arte peccata committet. sin uero singula, ut oportet, distinxerit, primum quidem cognoscet, hinc se
nihil adiuuari, ut hæc ipsa inueniat: deinde ad eam contemplationem, quæ fit de his, quæ sunt mo
do proposita, multis opus esse libris intelliget: enimuero plerisque hominibus suaderi non potest,
ut ea sola scripta, quæ clara sunt, aggrediantur: quæ uero non sunt eiusmodi, ea relinquant ijs, qui ea
conscripserunt: si enim nullam illi curam adhibuerunt, ut nos ea quæ ipsi scripserunt, intelligere-
mus: par etiam est, ut neque nos in studio, tum perquirendi, tum diuinandi, quæ ab ipsis dicun
tur, diligenter uersemur.

116

*Si sanguinis detractio cuipiam confert, aluus constringenda est: postea sanguis mittendus, & fames imperanda, & uinum circumcidendum. deinde congruenti uictus ratione, & fotibus humidis reliquam curationem absolue.*

Si aluus fluat, mittēdus sanguis nō est: quæ si cōstiterit, & detracto sanguine fluxerit, uires dissoluet, fa
mem uero imperare, & uinū adimere ijs, quibus missus sanguis est, recte dictū est, ut etiam congruenti
uictus

A uictus ratione uti:sed fotibus humidis curare,si de omnibus ijs,quibus detractus sanguis sit; intelligatur,falsum est:si de quibusdam, id dicere oportuit.

117 *Si uero adstricta aluus sit, mollem clysterem inijce,*

Hoc non erat scriptione dignum,cum uel omnibus sit perspicuum.

118 *Quod si medicamento opus sit,elleboro per superiores partes tuto expurga: sed per inferiores, horum neminem.*

Loquitur,perinde ac iam prædixerit ægritudinem,in qua hæc fieri iubeat:& tamen non prædixit.an igitur oratio quædam intercidit,in qua indicaretur affectio. an obliuiosus fuit,qui hæc scripsit.ac talis, qualis nunc a † multis animi incertus,suspensusque nominatur.

*Optimum autem est,urinam ciere, sudores excitare, inambulare, leniter perfricare, ne uidelicet habitum reddas densiorem: sique pronus in lecto iaceat, cum alij perfricent.* 119

Hæc etiam ita scripsit, ac si iam ægritudinem prædixisset.

*Si in thorace supra septum transuersum affectio eum uexet, æger ut magna ex parte sedere, ita minime decumbere debet, quoad eius uires permiserint, & sedentem multo calido diu perfricent. si uero dolores uentrem inferiorem sub septo* B *transuerso exerceant,iacere ei confert: nulloque pacto corpus moueri,etiam frictione seclusa.* 120

Ex hac oratione suspicari poterit quispiam, & hæc, & superiora de doloribus esse conscripta. hæc igitur in principio dictionis omissa sunt, cum primus huius libri scriptor peccarit, ac postea mendum permanserit. quam ob rem non potest in his,quæ dicuntur,ueritas inuestigari, etsi plus,quàm temere, in huiusmodi dictis tempus conterere uideamur.

121 *Quæ a uentre inferiore per urinas, sudoresque soluuntur, si per se modice labuntur, quæ parua sint, discutiuntur, uehementia uero, male. eiusmodi enim aut pereunt,aut sine alijs malis non sanantur:sed eiusmodi affectus confirmantur.*

Ex hac quoque oratione facere coniecturam possumus,omnia,quæ supra ab eo scripta sunt,de dolorum dicta esse curatione.

122 *Potio ad aquam inter cutem. Cantharidas tres cape:abiectis capite,pedibus, & alis corpora in aqua cyathis tribus terantur, cumque potantem dolor affecerit, calido perfundatur: ungatur autem prius, ac ieiunus bibat, & panes calidos ex pinguedine comedat.*

Audax medicus quidam hãc orationẽ cũ legisset,prædictas partes a cãtharidibus ademit,& hydropi dedit:qui,cum a primo die abscessus in sura ei exortus esset,ac post tres alios dies esset sectus,& plu C rimum aquę prodijsset,curatus esse uisus est:quod plurima tumoris,qui præter naturam in eo erat,pars statim sedata esset:& tamen non ita multos post dies migrauit è uita. obiurgauit autem quispiam eum medicum,quod corpora cantharidum perperam exhibuisset:dicebat enim corpora abiicienda esse,caput uero, pedes, alasque dari oportere:hancque esse huius dictionis sententiam.quare temerarius ille medicus,non cunctatus, alteri ad hunc ipsum modum propinauit: in cuius femore cum mox ortus esset abscessus, atque etiam sectus, & humor simili modo effluxisset, contigit, ut is quoque post multos dies moreretur:& tamen medicamento ex cantharidibus confecto, quo urinæ prouocantur, quidam, sine bibentium incommodo, usi comperiuntur.

123 *Sanguinem supprimentia. Fici liquorem lana exceptum intus ad uenam adhibe: aut obuoluto coagulu nares obstrues aut chalcitidem tuo digito ante tractam preme, ac cartilagines utrinque foris comprime: aut uentrem lacte asinæ cocto solue.itemque caput rade, atque † adstringentia, si anni tempus calidum sit, adhibe. Sesamoides autem sesquidrachmæ pondere tritum, ex aceto mulsu potui datum,per superiores partes expurgat. admiscetur quoque elleboris, ut tertiam potionis partem efficiat,ac sic minus suffocat. Ad pilos palpebrarum oculum irritantes.acui foramen habenti filum subijce,& celsiorem & acutam tensæ palpebræ partem usque ad inferiorem traijciens,quod superius est, inferiori adliga:tũ fila extendens consue, & liga, donec deciderit. ac, si satis fuerit, bene habet: sin aliquid deest,eadem facito. Hæmorrhoidas quo-* D *que eodem modo persequeris: acui crassissimum, & quàm maximum lana succida filum alligabis (tutior enim est huiusmodi curatio)deinde comprimes, & putrefaciente medicamento uteris, nec ante, quàm decidat, perfundes: atque unam semper relinques, postea elleboro purgabis. exinde uero exerceatur, & ab exercitatione sudet, & mane multum perfricetur: a cursu, ebrietate, & acribus, præter origanum, abstineat: septem diebus, uel ter mense uomat: sic enim corpus optime habebit: uinum fuluum, austerum, dilutum, paucum bibat. Purulentis dissectos scillæ orbiculos in aqua excoque, cum uehementer ferbuerit, eam effunde, aliam.que infunde, & coque, donec percoctum, ac molle tangenti appareat: deinde terito, ac cuminum frictum admisceto: sesamaque alba, & recentes amygdalas terens ex melle eclegma facito, ac dato. post hæc uinum dulce bibant: papauerisque albi triti acetabulum aqua perfusum, & cum frumentacea farina, melleque coctum ac tepidum sorbeant: sicque diem transigant, tum ad ea quæ contingunt, animum aduertens, cœnam dato. Ad tormina intestinorum. Fabarum purarum, quadrantem cape, duodecim rubiæ surculos admisce: diligenter excoque, ac delingendum exhibe. Ad oculos. Cinerem lotum, accurateque maceratum, adipem non liquidam, leuem tere, unàque acerba & amara succo humecta, in sole sic desicca, ut unguenti modo humidum sit: cum exiccatum fuerit,leui,trita, & sicco oculos iunge, atque eorum angulos consperge. Ad humentes. Ebeni drachmam,æris usti in cote triti obolos nouem, croci obolos treis cape.hæc ubi triueris,uini dulcis heminam atticam infunde:deinde soli expone, atque obtege: cumque excoctum erit, utere. Ad dolores. Chalcitidis drachmam, uuæ expressæ partes duas,myrrham, crocumque tere, mulsum admisce, ad So-*

†Impressi libri habent ἀναμνήσει. i. ueteribus. sed repugnat aduerbium, nunc.

A.l.3.f.14.c. 3.c.15.p.544. E.

†Gal. uidetur legere refrigerantia,græci tamen libri habẽt στύφοντα idest adstringentia. Ceterum quæ sequuntur ad finem usque huius contextus in libro Bessarionis & alijs duobus non sunt.

A.l.1.f.17.c. 1.c.4.p.653. B.

*lem coquito, eoque dolentes perungito. sit autem in uase aneo. Quonam modo suffocatio ex uulua cognoscatur. Digitis duobus preme: si sentiat, ex uulua suffocatio est: sin minus, conuulsio. Ad hydropicos potio. Meconij, hoc est, liquoris papaueris in pilas adformati acetabulum atticum. Potio. Squamæ melas tres latitudine cum farina triticea agglutina: læuigato, terito, catapotij instar conuoluito, datoque: aquam enim per infernas partes purgat, & uentrem stercore mundat. Aliud. In caricas singulas liquoris tithymalli guttas septem instilla, † ut prædicto detur. deinde in nouo uase compone, & recõde, & ante cibum dato. Meconium quoque tere, aquam infunde, & percola, farinam subige, itrium coque, mel coctum infunde, & edendum hydropicis exhibe: potui uerò dato uinum dulce, aquosum: aut aquam mulsam dilutam. meconium uero ab excrementis collectum reconde, & cura.* E

†Alii legunt, etiam si pueris detur. Greci tamen libri sic habent, ut nos legimus.

Est ex his perspicuum, hunc librũ esse commentariũ, qui ex commistis præceptis constat: cum in eo sine ullo ordine ab alijs ad alia transitus fiat: ut nunc quoque auxilia scripta sunt ad sanguinis e naribus profluuiũ: quorũ alia ipsi parti, quæ sanguinẽ fundit, imponũtur: alia reuellunt, ut alui solutio: alia caput cõdensant, & adstringũt, ut refrigerãtia. quæ uero deinceps sequunẽ, oĩa, medicamẽtorũ descriptiones & quędam commista auxilia continent. in primis autem de eo, quod sesamum uocant, uerba facit: mox curationem pilorum palpebrarum, quæ manu adhibetur, adiungit: quam euulsionem nominant. simili quoque modo hęmorrhoidum: alteriusque earum curationis meminit: postea purulentorum medicamenta, sorbitionesque conscripsit: ad hæc uero, eorum medicamentorum confectiones adiecit, quæ ad oculos pertinent. egit item, quo modo ex uulua strangulatas dignoscamus: tum de medicamento ad aquam educendam accommodato, ac subinde, quod fæces euocet, egit: demum uero ijs, † quibus sedes affecta est, & hydropicis medicamentum ex meconio & itrijs tradit. atque eorum quidem, quæ deinceps dicuntur, plurima perspicua sunt, quædam autem obscura sunt interiecta, de quibus deinceps uerba faciam. F

†Horum non fecit Hippo. mentionem.

Liber uetustus hæc præterea, sine principio tamen, continebat.

Quod propter diminutum calorem fieri solet: tanquam uno, aut altero ructu huiusmodi euacuẽtur. at calor, qui agit in cibos, cum tepidus sit, eos quidem dissoluit, sed tamen exquisite non conficit. uerũ caliginosos eosdem reddit, unde flatuosi spiritus oriuntur: qui per os excreti, ructus efficiunt. cæterum hic cum inclusus neque sursum, neque deorsum ferri possit, sed circumuoluatur morbum creat, quam inflationem uocant: idque symptoma est uentris, qui excrementitium caliginosumque excernere spiritum non potest: atque ita uarij soni, qui nomina non habent, excitantur: qui tamen homini prudenti indicabunt, quale, quantumque excrementum sit, & quo potissimum in loco circumuoluatur. nam si acutus, tenuisque spiritus sit, is per uacuum, angustumque, & purum intestinum fertur: estque aerius. at factus flatuosior, facit ipse quidem simili modo strepitus, cum ipse tenuis in gracilibus conuoluitur intestinis, sed tamen non exquisite illi acuti sunt. atque huiusmodi strepitus in ijs potissimum locis, qui circa † uesicam sunt, consistunt. descendentes uero minorem sonum edunt, propterea quod spiritui uia facta sit amplior, alij uero bombi speciem imitantur, hanc ob causam: hi omnes in crassis intestinis morãtur, cum noua excrementa accesserunt. quod si qua in eis humiditas contineatur, ei accedit forma quædam, quæ in illis est bombo persimilis, appellaturque murmur. quod humidi excremẽti excretionem denuntiat: nam soni forma hæc utraque pręnunciat, quia natura circum agitata, per excretionem & humor & stercus eijcitur. qui uero sunt uelut stridores, aut gemitus, (utrunq; enim nomen habent) ij propter instrumentorum angustiam, & spiritum flatuosum cum modica humiditate coniuncta excitantur. id quod est ab Hippocrate in præsagiis recte literis mandatum hoc modo, Dolores præcordiorum ac tubercula, si recentia sint, nec adsit inflammatio, murmur in ipsis exortum soluit, præsertim uero si cum stercore, urinaque egrediatur. atque hoc quidem modo medicus de alui secessibus considerare, & illorum forma perspecta internas particulas male affectas, quæ oculorum effugiunt obtutum, dignoscere plane debet. G H

Forte legendum ẽ κοιλίαν idest aluum.

L. 2. 25.

# GAL. IN HIPPOCRATEM DE OFFICINA MEDICI COMMENTARIVS PRIMVS.

*Vido Vidio Florentino interprete.*

## ARGVMENTVM LIBRI.

*Cuiusque artis constituta dignotione, docet & ex quibus constet, & quibus rebus manus eius medicinæ perficiatur, quæ manus opera exercetur: estque hic liber de ijs, quæ in officina medici tractantur: & ad Hippocratem, aut Thessalum, eius filium, auctorem refertur; ut est Galeni sententia: qui etiam censet, eum potius ad memoriam, quàm ad editionem confectum uideri.*

Opus hoc ad medicum pertinens inscripsit, De officina medici, satis autem fue-
B rat, De ijs, quę in officina medici, sicut nonnulli Dioclis, Philotimi & Mantię,
opera inscribunt. nam, cum singuli horum de eadem re libros confecerint, le-
gitur quidem in plerisque inscriptio sine præpositione, atque pronomine, sic,
Officina medici: in paucis autem præpositis illis, De ijs, quæ in officina medi-
ci. sed eorum uolumina præceptis plena sunt: Hippocrates uero, ubi in suo li-
bro ea recensuit, quæ medicinam manu curantem perficiunt, fasciandi ratio-
nem exequitur, cui uoluit medicum primo assuefieri, quæ res in ligno quod
in hominis speciem exculptum sit, uel certe in puerili corpore fieri potest. Hæc liber ipse priusquam
singularum partium explicationē aggrederer, præfari me coegit: iam uenio ad ea, quæ me impellit non
liber, sed quicunque maiorum scripturam prompte immutat, ad quamcunque sententiam uoluerit,
ipsam traducens. Quidam igitur conati sunt uetustissima uolumina inuenire, trecentos abhinc annos
scripta, quæ partim habent in membranis, partim in tiliæ libris, sicut Pergami apud nos uidere licet.
constitui ego omnia æstimare, quæ tradita a primis expositoribus fuerunt, ut de plurimis ac maxime fi-
de dignis germanam scripturam comperirem, quod mihi longe melius cessit, atque putaueram. nā om
nibus fere tum exemplis, tum expositorum cōmentarijs, animaduerti inter se conuenire, ita, ut admi-
C ratus fuerim audaciam eorū, qui uel nuper exponunt, uel suo iure omnia Hippocratis uolumina edūt,
quemadmodū Dioscorides, & Artemidorus, qui Capito cognominatus est, qui cōplura in uetustissimis
scripturis innouarunt. Sed longius labi mihi uideor, explicando, si scripturæ cuiuslibet fecero mentio-
nem. melius igitur duxi antiquas solū adscribere, paucis quibusdam, quæ immutatæ paulū fuerūt, adie-
ctis, de quibus præsertim conueniat inter eos, qui ante libros enodauerint. qui, cum quatuor sint, duo,
Zeuxis & Heraclides omnia Hippocratis opera explicarunt: at nō omnia, sed obscura tantū, Bacchius
& Asclepiades. Ac de his quidem hactenus. quo tamen clarius exordium sit, a principio repetētes bre-
uissime agemus, quasi nihil præfari. Liber Hippocratis, qui, De officina medici, inscribitur, primo totius
artis commune procemium habet, ut mox indicabo, atque ea de causa nonnulli ante omnes libros iure
legendum esse existimarunt, quippe, qui talem docendi uiam polliceantur, qualem in suis libris, quos
primas institutiones appellant, recentiores aliqui tradiderunt: proxime a communi procemio subij-
cit, quæ medicinalem artem nunc primum addiscentibus utilissima sint, ex ijs, quę in officina medici fie
ri possunt. Quam rem ita esse liquido constabit, si ad uerborum ipsorum enodationem animum adiun
xeris.

1
D *An similia, an dissimilia, principio a maximis, a facillimis, a quibuscunque, quomodocunque cognitis.*

Siue quis bene ualere, siue bonam ualetudinem, siue aliud quid tale, medicinalis artis finem consti-
tuat, hunc ipsum propter se student, qui in hac arte uersantur. Neque ulli dubium est, quin contempla-
tio quædam sit, cui operam dare oporteat eum, qui restituere uelit naturalem nostrum siue habitum,
siue administrationem, seu structuram, seu quod est aliud uerbum, quo placeat nominare: at nō propter
se cetera omnia, quæ ad artem spectant, addiscimus, docemus, aut denique audimus, sed quod ad finem
singula eorum conducant. Quemadmodum in proposito sermone eam partem, quæ ad indicia perti-
net (recentiores græci σημειωτικὰ dicunt) tractari necesse est, quibus recte mederi propositum est, ante-
quam eam, quæ curat, aggrediantur, ut, quum simile quid nacti fuerint, morborum discrimina ad un-
guem in ægrotantibus teneant. Nihil autem in sequentibus intererit, habitum nostrorum corporum
naturali administrationi contrarium, morbi uel affectus uocabulo nuncupare, sicut græci omnes con-
sueuerunt, interdum νόσημα interdum πάθος genus hoc uniuersum appellantes. Nunc igitur docet, par-
tis, quæ ad indicia spectat, maxime generale propositum, quemadmodum fit in parte, quæ medetur. nā
sicut in hac curationis cuiusque commune consilium est contrarijs per contraria subuenire: ita in illa
posse cognoscere, quatenus ea, quæ in affecto corpore conspiciuntur, bene admodum ualentis sunt si-
milia. Quod Hippocrates ipse in præsagiis indicauit, cum inquit, Maxime ad rem pertinet intueri, an

sibi quis ipse aliqua ex parte similis sit. Idem in libro quoque de articulis proposuit, quum uitiatam cor E
poris partem ad eam, quę integra est, conferri iussit, ubi similiter uoluit non simpliciter comparari, sed
affecti hominis dextram partem cum sinistra conferri, nihil alienis articulis, hoc est aliorum hominum
inspectis. Quod etiam nunc faciendum duxit, cum ait: An similia, an dissimilia, principio a maximis,
a facillimis: ac si ita dixisset, laborantium corpora ab initio protinus inspici debent, quatenus similia
sint sanis, quatenus dissimilia. quã rem, quũ agemus, ex ijs, quæ maximi momenti sunt, & in quibus ex-
pedita admodum cognitio est, morborum notas intelligemus. quandoquidem nos ignorare nõ opor-
tet, non esse alia maxima, alia facillima: sed ijsdem signis contingere potentia maximis esse, & cogni-
tu facillimis. huiusmodi sunt, quæ in præsagijs statim a principio tradũtur his uerbis, Nares acutæ, ocu
li concaui, collapsa tempora, & quæ sequuntur. Namque hæc maximi esse momenti in prænotione,
eorum, qui mediocriter in medicinali arte fuerint exercitati, nemo est, qui nesciat: esse uero cognitu
facillima, omnes sane uel artis etiam expertes intelligunt, quum nullam corporis partem prius facie
protinus uideat, qui ad ægrotum accedit. Ergo ipse ægrotus, si cum seipso conferatur (ut præcepit)
certiorem quoque notam exhibet. atque hac ratione ab ijs, quæ facillima & maxima sunt, initio sum-
pto, iam poterit, quod ad artem attinet, æstimari. Forte autem interdum fiet, ut decipiatur quis homine,
qui natura habet nares acutas, oculos cõcauos, collapsa tẽpora. sed, si laborantis corpus plerisq; homi F
nibus simile cõperiemus, nullo pernicioso morbo, aut affectu detineri hoĩem facile intelligemus. ubi,
quod ab Hippocrate scribitur, notabimus, si reliquæ totius corporis notæ salutem denunciẽt, cõsisi eã
esse naturalẽ hoĩs faciem, ut rem magis perspectam habeamus, de ijs, qui ante ipsum nouerunt, per-
cunctabimur, qui ubi idẽ asserẽt, nostrã prænotionẽ confirmabunt. nõ perinde tamen sciemus, ac si ipsi
hoĩem nouissemus, atque adeo, si usi familiariter essemus. eo enim ꝙ bene ualẽtem sæpenumero uide-
rimus, in signis, quæ in ipso apparent, nunc, ubi aduersa ualetudo est, discriminis modum certius depre
hendimus. Vt enim audiuerimus, coniecerimusque hoĩem acutis naribus esse, cõcauis oculis, familia-
ris duntaxat modum intelligit, quæ res medico in primis necessaria est. non enim id solum nouisse ope
ræprecium nobis est, ꝙ corpus a naturali habitu recessit, sed quatenus nares acutiores sint, oculi magis
concaui, tempora collapsa, & alia singula, quæ deinceps exequitur, e quibus, quod simili maxime con-
trarium est, non simpliciter graue dixit, sed grauissimum. est aũt maxime contrarium quod a naturali ha
bitu distat longissime. ergo, quemadmodum, quod maxime contrarium est, non simpliciter graue, sed
grauissimum posuit, sic graue magis minusve dixit, quatenus plus minusve contrarium se ostendit. No-
tæ igitur, quæ in facie sunt, nullo negocio percipiuntur, & plurimum ponderis habent, tum quas a prin
cipio protinus recensuit, tum quas de oculis subiecit. Complura aũt ex ijs, quæ in præsagijs tractauit, G
si mentem adhibeas, intelliges partim non maxima esse, partim non facillima, partim quibus utrunq;
abest, uis scilicet & facilitas. quæ in eorum librorũ expositione latius persequuti sumus, persequemur
& nunc exempli causa nonnulla. Nam, quòd æger supinus cubet brachijs cruribusq; similiter iacenti-
bus, ut resolutis, non modo ob grauem affectum euenire potest, sed ob mollitiem quoque hominis, de
litiasque ultra modum. quare nisi mores ægri cognitos habeamus, facile decipiemur. At fieri minime
potest, ut quos curamus, omnium nobis mores innotescant. quamobrem percontari hos oportet, præ-
terquam in paucis. comperimus quidem aliquando non magni momenti rem denũciari, ut in ijs, quæ
ad cubãdum pertinent: interdum maximi, ut in uiro modesto, ubi trucẽ uultum habeat, aut uocẽ. Spiri-
tus itidẽ cũ crepitu dolorẽ, aut mentis alienationẽ significat, si in eo sit, quem id facere audiẽte aliquo
puderet: sed si nullam præsentium rationẽ haberet, nihil is protsus ostenderet. Quocirca hic etiam no-
uisse hoĩs mores conuenit, nõ secus atq; consuetudinem in uentrem cubãtium, eorumq; naturam, qui
per somnum dentibus strident, uel quorum palpebræ non cõmittuntur. namque hæc, ubi cubantis mo
res, uel naturam medicus nouerit, aut ab altero quęsierit, qui eos cognoscat, indicium faciunt, idque
modo bonum, modo malum. In urina uero nigra, nigro itẽ sputo, tũ in atra bile morbi initio maxima
uis inest, & expedita cognitio sicut e contrario in acutis morbis summam securitatem pollicetur faci- H
le spirare, subsidere in urina album leue & æquale. Hæc de ijs, quæ ad cognitionem pertinent, posuisse
uoluimus, ut sint exempla eorum, quæ maximã uim habent, & cognitu facillima sunt, tum quorũcunq;
quocunque nobis innotescant, seu experimento, seu ratione. quanquã non tantã uim habẽt, nec ęque
facile percipiuntur, nisi ægri usus, natura, mores, uel sciantur, uel quærantur. Deinceps mihi sermo erit
de ijs, quæ attinent ad chirurgiam, ut autem res magis in aperto sit, quoddam exemplum apponemus;
quod habeẽ in libro de articulis inter initia protinus, ubi de prolapso humero agiẽ. in quo, idẽ quod
maximũ est, nullo negocio cõprehenditur. nã, si quid rotundum ac durũ sub ala se ostendat, id ibi esse
nulla ratione põt, nisi humeri caput suo loco motũ in alam exciderit. Sed sinus in ea parte, quæ humeri
iuncturæ superiecta est, cõe indiciũ est, & humeri prolapsi, & lati scapularũ ossis, quatenus summũ a iu-
gulo recedens, attollitur, atq; idcirco debemus affectam partem integræ comparare, quæ ubi nõ suæ
naturæ deprehendatur, existimare licebit humerum excidisse. In hoc igitur signo, non æque magna uis
inest, & expedita cognitio, atque in tumore sub ala. imbecillius adhuc est, quod ex motu colligitur, hu
merus enim sursum non porrigitur, & ubi huius partis musculi atteruntur, tenduntur, inflamman-
tur: & ubi aliquæ ipsorum fibræ altius abrumpuntur. Ego autem huiusmodi casum aliquando na-
ctus sum. latum scapularum os summum ante a iugulo recessit: deinde alterius brachij humerus loco
suo

A suo motus est, quod accidit in palestra. intuitus autem Medicus sedem iuncturæ humeri superiectam ab utraque parte æqualem, inconsiderate dixit, eum ipsum locum plagam accepisse, & iure hominem dolere, iuncturam uero illæsam esse. quocirca præcepit, ut in balneum iret quàm celerrime, & multo usus oleo in solio moraretur, atque ubi exiret lana tincta in oleo, cui paulum ceræ adiectum esset, ictā partem obtegens, se contineret in lectulo, quiesceretque. His factis homo, quum totam noctem dolore urgeretur, mane eundem Medicum, & quosdam alios accersiuit ex ijs, quos non ratio, sed sola sustinent experimenta. Qui pridie ob temeritatem deceptus, articulum bene se habere protulerat, ubi ad ægrotantem accessit, uidens duos alios Medicos se ignobiliores, ut qui paruipenderetur, iniquo animo tulit, id tamen dissimulans promptius adhuc ob indignationem dixit articulum nullo modo læsum esse, quum utramque partem iuncturæ humeri superiectam similem inueniret, cumque inflammatio iam ictum humerum occuparet. Perfundens igitur hominem multa aqua calida subinde oleum copiose immiscens, iussit, ut lana rursus circumdatus eadem ratione conquiesceret. At, quum per hæc nihil proficeretur, ego tertio die adhibeor, conspiciensque partem iuncturæ superiectam magis cauā esse ab eo humero, qui dolore uacabat, quàm ab eo, qui dolebat, nimirum inflammatione aucta, humerum, qui integer uidebatur, diligenter inspexi, uisumque est mihi ab ea parte summum lati ossis sca-

B pularum in superiorem partem recessisse. Hoc igitur adductus, & eo quòd per idoneam curationē homo nihil leuaretur, sub inflammati humeri alam digitum demittens, ibi humeri caput inueni. quo tamen res certior esset, animaduerti alterius humeri alam, in qua, ubi nullum huiusmodi tumorē reperi, pronunciaui humerum quidem luxatum esse, Medicos uero id latuisse: eo quòd ignorarent latū os scapularum in altero brachio summum a iugulo recessisse, compararentque percussum locum ad illud perinde, ac si in statu esset naturali. Nobis inquam discere licet ex homine percontantibus, num ab altero brachio, qua cum iugulo latum os scapularum iungitur, aliquando plagā acceperit. ille principio non habet, quod dicat: dein, quum sibi in mentem ueniret, se quondam ex uehiculo decidentem percussum fuisse fatetur, sed paruo negocio liberatum lana oleo tincta tribus aut quatuor diebus super ictam partem imposita. Sed quorsum hæc? ut ostendam quantum dignitate inter se distent indicia per quæ innotescunt morbi manus curationem requirentes. Non posse enim affectum brachium sursum porrigi, multis quoque alijs est commune, quum & chordæ musculorum, qui ea parte sunt, & sæpenumero ipsi quoque musculi, ubi indurati, aut inflammati sunt, tum contusi, aut alte abrupti; uel ubi aliquæ ipsorum fibræ perrumpuntur, sursum ferre brachium nō sustineant, neque solum sub hoc, sed sub omni etiam motu indolescant. Sinus uero ea parte, quæ iuncturæ humeri superiecta est, & ip-

C se communiter recedentis quoque ossis facit opinionem. At rotundus, durusque in ala præter naturam tumor abunde humerum loco suo motum restatur. quare is minime decipietur, qui ei tantum cōfidet. quid quòd & ipsum cognitu facillimum est, solumque oportet tumorem contingere digitis in alam coniectis, qua humeri caput euidenter se ostendet. Sed musculorum affectus, sub quibus neque sursum porrigere humerum possunt, neque citra dolorem mouere, exercitatam rationem, summamq; animaduersionem exigunt. Has igitur notas illis annumeramus, quæ plurimum ualent, & facillime comprehenduntur, siue quis rationalem, siue in experimentis positam medicinam profiteatur. Empiricus enim inspiciens quas [illegible] appellat, quæ nihil aliud sunt, quàm concursus eorum, quæ morbis superueniunt, ubi sæpius eadem notauerit, æque omnium simul in tempore meminit: dein, quū ex hac obseruatione multorum concursuum usum habet, tunc ex ijs, quæ morbis superueniunt, quæ nam in multis concursibus uiderit, & quæ in uno duntaxat, dignoscit atque hoc pacto communia intelligit, & propria, quam rem sequitur rursus notitia signorum, quatenus inter se uiribus distēt. nam, quod in multis, uel omnibus concursibus fuerit animaduersum, longe ijs cedit, quæ notantur in uno tantum: quod autem in paucis minus uincitur, ac præcipue, quod in duobus. Medicus autem, qui spectat experimenta communia, perinde ac propria intuetur, & in memoria habet. cum hæc, quæcunque sint, & quocun-

D que modo cognoscantur, unà cum proprijs uenientia obseruauerit. Qui ratione nititur, multo magis celeriusque singulorum morborum indicia comperit, & ubi communia sint, & ubi propria, nec Empirici modo diu moratur, sed ne diem quidem aut horam. concipiens enim humeri caput in alam excidisse, id simul intelligit, primo quidem quòd tumor ea parte non naturalis apparebit: deinde quòd sinus erit super humeri commissura, cum humeri caput, ut quod in alam uenerit, inde absit, ubi esse consueuerat: tum quòd ceruix lati scapularum ossis humero superimposita sursum porrigi brachium non ita sinet, & quòd musculi admodum dolebunt, quum uehementer extendantur, ubi attollere humerum conentur, quodque non absimile tormentum sentient, cum ad latus tentant affectum membrum adducere. Atque ita quæcunque, & quomodocunque cognita, nec, quæ magnam uim habēt solum, sed cetera etiam intelliget. quoniam hac una uia cuncta inueniuntur, quum altera in obscuro sint, quæ nō sunt facillima, sed indicatione comprehenduntur. Humeri quidem caput in ala magnam uim habet, & nullo negocio cognoscitur: at musculorum affectus maiori egent cogitatione, sed & a tumore, qui in ala conspicitur utroque uiribus scilicet & facilitate superati, eadem contemplatione artificioso Medico innotescunt. Merito igitur Hippocrates ante alia artis opera, id est, ante prænotionē & curationem, eam partem, quæ ad morborum indicia pertinet (iuniores [illegible] nuncupant) intelligi ex similium ac dissimilium notationē uoluit: merito etiam ex ualentissimis, & cognitu facillimis, item tertio

ex quibuscunque,cum his quomodocunque cognitis, dignitate uero & cognoscendi facilitate inferio E
ribus. Hactenus itaque præfatus a quibus uitia indicentur,nempe ab ijs,quæ recte habentibus similia
sunt,aut dissimilia,deinceps cuiusmodi illa sint,ea nominatim nunc persequitur cum ait:

*Quæ & uidere,contingere,atque audire licet.* 2

Quum uoluerit eam medicinæ partem,quæ de morborum notis est,primum omnium per ea exer-
ceri, quæ in affecto corpore ad exemplum sanorum similia sunt, aut dissimilia : item quædam maxima
esse & facillima,quædam cum ipsis necessario percipi,nunc iam(quod supra commemoraui) quænam
illa sint,exequitur inquiens,Quæ & uidere,contingere,atque audire licet : Videre quidem licet , quæ
conspectui subijciuntur,contingere, quæ tactu, audire, quæ auribus comprehendi possunt. Ergo,quæ
inter præsagiorum initia de facie proponuntur, nares acutæ,oculi concaui,collapsa tempora,sentiun-
tur uisu: tactu, frigidæ aures: tactu simul & uisu,cutis faciei dura, arida atque extenta : quæ eodem li-
bro sequuntur,auditui subiecta sunt,nempe sternutamentum,tussis,crepitus,strepitusque hominis præ
ter naturam loquentis, uel quòd mens nō constet,uel quòd uox sit stridula,rauca,aut huiusmodi quo-
piam uitio affecta. In morbis autem, quæ manum postulant,oculis exposita sunt , quæ nigrescunt , ru-
bent,tum quæ quamuis ratione suum colorem uariant,aut retinent. adde exempli causa in humero , q̃ F
sinus in parte eius articulo superiecta,& extremitas lati scapularum ossis elata , uisu percipitur , caput
in ala contingitur, auribus accipitur strepitus in corpore ægrotantis,quēadmodum, ubi thorace per-
forato e plaga fertur spiritus cum sono.

*Quæ item oculis, tactu,auribus, odoratu,gustatu,mente sentiuntur,* 3

Subiecit hic omnibus sensibus mentem , quam dixit γνώμην ( græci communiter νοῦν, & φρένα uocãt &
λόγον , hoc est rationem)sed quoniam & in uoce quædam ratio est, philosophi illam dixerunt ἐνδιάθετον,
hoc est, interiorem,ut ab hac ipsam seiungerent. Comprehenditur interiori quid cuique consequens
sit,quidque contrarium,ad hæc diuisio,compositio,resolutio,demonstratio,& si quid est generis eius-
dem. Requiritur autem non immerito,cur olfaciendi & gustandi sensus ante seorsum mentionem non
fecerit, quum dixit,quæ & uidere contingere,atque audire licet, postea uero omnes quinque propo-
nens,mentem quoque adiunxerit. Multi sane dixerunt nonnulla absurda.& quæ scribi non merentur:
alij uero probabilia,ac memoratu digna. hinc autem ordiuntur, Hippocratem dicunt præcepisse,ut ex
eorum,quæ sub sensus cadunt, similitudine ac dissimilitudine,morborum notas intelligeremus. Pro-
prie autem sub sensus cadere uolunt ea, quæ, ut comprehendantur , non aliam potentiam requirunt, G
sed una sensuum comprehensio sufficit: sub sensus cadere similiter, sed non proprie, quæ pluribus sen-
sibus simul, & tum memoria, tum ratione, quam uocant componentem,& colligentem , accipiuntur.
Colorem uero ex eorum numero esse existimant, quæ proprie sub sensus cadunt , itidem succum, ua-
porem,uocem,præterea duritiem, mollitudinem, calorem, frigus,& uno nomine qualitatem omnem
quæ tactu comprehenditur: at mali,mali punici,piri, aut cuiusuis alterius rei totam naturãm sensu mi
nime percipi,sed(ut Plato dixit)opinione cum sensu rationis experte, omniaque esse opinabilia arbi-
trantur,& propterea quosdam sæpius in ipsorum cognitione decipi,cum uel colorem tantum,uel figu-
ram,uel utrunque naturali non absimilem intuentur. mala enim , mala punica, pira, uuam , nucem iu-
glandem,& plura alia ex ijs,quæ edendo sunt,ubi ex cera componuntur,priusquam uel ad nares admo
ueantur, uel gustentur, tanganturque, a ueris abhorrentia non uideri,cum uero falli non posse, qui ip-
sorum usum singulis sensibus æstimet,omnibus autem rē discutere sine memoria & enumeratione non
licere,& hanc non ad sensum, aut memoriam pertinere,sed ad mentem. nominãt autem enumeratio-
nem,non solum συναθροισμόν,sed etiam συγκεφαλαίωσιν. Hippocratem ergo,quum inquit, Quæ & uidere,
contingere,aut audire licet, uolunt eorum, quæ sensibus subijciuntur,meminisse.ut exemplū aliquod
in medium afferret,atque ubi ab ijs, quæ sensibus simpliciter,& proprie subiecta sunt, ad totam natu- H
ram transijt,iure tunc sensus omnes, & mentem quoque commemorasse, ita,ut uniuersa oratio sit hu-
iusmodi. Aggredi Medicus debet ad uitiorum notas,orsus a similium ac dissimilium inspectione,inter-
dum solam qualitatem, interdum tota conferens corpora. quę quidem expositio ratione non caret.
Est & altera hunc in modum, Hippocratem, quum inquit, Quæ & uidere,contingere, atque audire li-
cet,de Medico loquutum esse: quod uero addit,quæ item oculis,tactu, auribus,odoratu,gustatu,men
te sentiuntur, ad ægrotantem ipsum referri,ita, ut Medicus non modo indicia colligat ex ijs,quæ ipse-
met,sed ex ijs, quæ æger uidet, tangit,olfacit, gustat, tum ex eius mente, quatenus labat, aut cōsistit.
quòd autem Medico ad cognitionem expediat, nouisse mente, ne homo labatur,an sui compos sit, in
aperto est. Placet alijs, quod scribitur, quæ item oculis, tactu,auribus , odoratu, gustatu: ad ægrotan-
tem,quod adiungitur,mente, ad Medicum pertinere. siquidem ex ijs, quæ cubans uidet, audit,contin
git, gustat, Medici mens aliquid ratiocinatur. conijcit enim de laborantis gustatu aliquid ad ipsum
pertinens, non secus ac de morbo. nam, si gustanti amara omnia uideantur, quemadmodum ijs,quos
morbus regius male habet, redundat in lingua bilis: si salsa, pituita salsa: si acida, acida similiter pitui-
ta plurima in ea est. sicque hominem dicunt qualitatem sui sudoris interdum in os destillantis perci-
pere. Hoc pacto enodantibus aduersari uidetur, quòd olfactum Medici præterierit , quamuis eo sæ-
pius

A pius utatur, cum indicia ex deiectione, urina, sputo, ulceribus, spiritu ægrotantis collecta olfactu a Me-
dico æstimentur. Porrò autem a ratione non abhorret, fuisse hunc a librario prætermissum, sicut alia
multa in plurimis Hippocratis, aliorumque uoluminibus, partim omissa inueniuntur, partim euidẽter
deprauata. Nec abfuerunt, qui locum hunc ita explanarent, non idem scilicet significari his uerbis,
Quæ uidere, contingere, & audire licet, atque illis, oculis, auditu, tactu sentiuntur. potest enim uidere
quis contingere, aut audire nullo modo re comprehensa: sentire uero sine comprehensione nõ potest.
Refertur huiusmodi explicatio uerbi, sentire, ad Semium stoicum, cui propterea subscripsit Iphicianus
Quinti discipulus, qui stoicam philosophiam sequutus est. Quod censent, huiusmodi est. priora uer-
ba solummodo in rerum genere, ex quibus notæ sumuntur, accipi debent: sequentia de eo, quod per se
exquisitum, certumque est: quasi ita scripserit. Colligendæ notæ sunt ab ijs, quæ in corpore ægrotantis
suæ naturæ similia & dissimilia se ostendunt. Sunt autem hæc ea, quæ subiecta sunt sensibus, atque ex
ijs ipsis, non quæ non bene uidentur, aut audiuntur, uel quouis denique sensu non bene sentiuntur,
sed, quæ singulorum sensuum comprehensione & mente percipiuntur. absurdum uero Hippocratem
dicunt uocabulo, sentiuntur, de mente uerba facientem. Ita, ut in prioribus uerbis sensum unum
uel alterum prætermiserit, uniuersum enim eorum genus sub exemplo demonstrauit: in sequenti-
B bus omnium meminerit, & mentem adiecerit, magis exquisitam, firmioremque enunciationem
reddens. nam commune est omnibus comprehensi obiecti speciem imprimere. Sed, cum quod pol-
liciti sumus, præstiterimus, referentes, quæ nonnulli probabilia attulerunt, ne uideretur Hippocrates
eadem sæpius repetere, proximum est, ut ad ea, quæ sequuntur, ueniamus: tu uero superiores senten-
tias scrutatus optimam eligas. Vsurpat autem γνώμην uocabulum more priscorum, quod idem signifi-
cat, atque mens, siue intelligentia. quam rem, & si possem multorum testimonio cõfirmare: pauculos
tamen adducam, qui mentem γνώμην dixerunt. Critias igitur in primo aphorismo hæc scribit, Nec quæ
reliquo corpore sentit, nec, quæ mente intelligit. & iterum, Intelligunt homines mente an sanus ali-
quis sit. Et in primo libro, qui de colloquijs inscribitur, Si ipse excitatus ita fuisses, ut mente ualeres,
non sic ab ipso tibi iniuria fieret, & in eodem sæpenumero, & in secundo colloquiorum γνώμης sæpius
mentionem fecit, sensibus ipsam in diuisione opponens. Ad hæc Antipho in primo de ueritate, Qui
hæc intelligit, nec oculis longitudinem comprehendit, nec qui longitudinem intelligit, sine mente eã
intelligit. præterea, Omnes enim homines, tam in secunda, quàm in aduersa ualetudine, atque in alijs
omnibus mente utuntur. Et Plato, sicut prius sæpe, ita in quinto de rep. Huiusmodi igitur cogitatio-
nem, ut cognoscentis mentem, ita opinantis opinionem recte dicere possumus. Et Lysias in Polyu-
C chum, Ille enim, in omnibus rebus, quas sua usus mente, pro nostro populo gessit, multorum bonorum
in nostra ciuitate causa fuisse uidebitur, & multa hostibus attulisse incommoda. Aeschines item So-
craticus in Miltiade, & Hyperides in Dioclem, & alij oratores, Medici, atque poetæ. quorum omnium
meminisse superuacuum est, eodem modo id uocabulum usurparunt.

4 » *Quæ item omnibus, quibus cognoscimus, intelligi possunt.*

Iure etiam hic quæritur, quas præter sensum, & mentem natura nobis potentias dederit ad percipiẽ
dum obiecta exteriora. Adiungit enim, quæ item omnibus, quibus cognoscimus, intelligi possunt, per
inde quasi non enumerauerit omnes. Explicabo igitur, quam ob rem hæc adscribi ab ipso existimem,
illud præfatus, quod & sequentibus necessarium est, & memoriæ proditum fuit a multis ueterum, qui-
bus placet ex opinionibus, quas uidetur sectarum auctores inuenisse, nullam esse nouam, sed, quæ prio
ri sæculo tradita fuerunt, unà cum aliorum mente interijsse. Si quis in opinione ad res ipsas animũ ad-
uertat, neq; Pyrrhonis sectam, neq; Academicam, Stoicam, Peripateticam, nec quãuis aliam, post Hip-
pocratem sumpsisse initium iudicabit, quum ipsi Pyrrhonei ad uetustissimos auctores suam referant se-
ctam. Quocirca uerisimile est, uel adeo ooo uerisimile, sed necessarium Hippocratis sęculo de naturali-
bus iudicandi potentijs disceptatum esse, & quosdam nullam talem posuisse, quẽadmodum postea
D Pyrrhonei, quosdam sensum duntaxat, alios nihil huic tribuẽtes id uerum putasse, quod uulgatum est:
Mens uidet, mens audit, cetera surda sunt & cæca: alios utramque dedisse iudicandi potẽtiam: sensum
in ijs, quæ sensibus subijciuntur, mentẽ in ijs, quæ cõprehenduntur intelligentia, quosdã alias animi no
stri potentias concessisse. Itaq; Hippocrates, ut eorũ uitaret importunitatẽ, generatim duarũ potentia-
rum meminit, sensus & mentis, quas solas in nobis (ut scitis) ubiq; docui cognoscendi, ac iudicãdi uim
habere: propter cauillatores autẽ orationi adiecit, Quæ item omnibus, quibus cognoscimus, intelligi
possunt. Iam uero aliqui censent aliam esse naturã intelligentiæ, aliã mentis, aliam illius rationis, quam
ἐνδιάθετον uocant, atque harum plures adhuc potentias introducunt. Nos autem in libris, qui de com-
muni ratione sunt, tres hominibus in uniuersum inesse potentias demõstrauimus, quibus ad artes con
stituendas, librosque conficiendos utuntur, sensum, mentem, memoriam: atque in memoria quidẽ hæ-
rere, seruarique quicquid sensu ac mente conciperetur, quum singularum rerum naturam nõ inueniat,
sed eorum, quæ inuenta sunt, receptaculum quoddam sit, ad ea uero, quæ inquiruntur inuenienda, iudi-
candaque naturam nobis mentẽ dedisse ac sensum. Sed, ubi de his uerba fiãt, demus, si qui ita sentiant,
aliam uim esse intelligẽtiæ, rõnis aliã, rursusq;, si uelint, aliam mẽtis, aliã cõsilij, quũ aduersus eos id no-
bis sufficiat, quod omnes homines euidenter cognoscunt malum, mespilum, uuam, & alios fructus, siue
una animi potentia, siue altera, siue tertia, siue pluribus cõprehendantur. Oẽs aũt homines æq; sibi per-
suasum

suasum habent & motionem,& causam,& signum esse: tum hæc,quæ prædicta sunt,tum mentem, me- E
moriam & uoluntatem esse.quæ Asclepiades,quasi nulla sint, præter alia multa, conatus est funditus
euellere. His igitur propositis satis planam esse causam existimo,quur ijs, quæ postremo perfecte do-
cuerat, adiunxerit, Quæ item omnibus,quibus cognoscimus, intelligi possunt. Inire Medicus debet
artis opera,initio ab affectuum cognitione accepto, comparans ea,quæ in ægrotante apparent,ad ea,
quæ in sanis conspiciuntur,intuitus, quæ similia,quæ item dissimilia,& hæc atque alia omnia sensu ac
mente comprehendere: tum,si qua sit præter has potentia,quæ communiter possit secundum naturam
de omnibus iudicare,hac etiam perinde,atque illis de inuentis iudicare. sicut etiam cognoscere om-
nes homines possunt,quemadmodum nos in medicinæ operibus,principio habētes pro materia, quæ
sensu comprehensibilia sunt,his uerbis,Quæ contingere atque audire licet: potentiam uero hæc iudi
cantem duplicem,sensum scilicet & mentem,quam ostendit,cum inquit, Quæ item auribus,odoratu,
gustatu sentiuntur. utrique autem euidenter memoria subseruit. siquis aliam quamuis potentiam in-
troduxerit,nihil pugnabimus, modo subiectæ materiæ utilis uideatur. His enim uerbis, Quæ itē om-
nibus, quibus cognoscimus,intelligi possunt,& mentem complectitur,& permittit,ut si quis aliam iu-
dicandi potentiam esse arbitretur, illam quoque nobis declaret. Hactenus igitur,quæ in hoc libro tra-
dita sunt ab Hippocrate communiter ad uniuersam medicinæ artem pertinent, atque idcirco ea esse F
procemium totius artis proposui.Proxime autem transit ad medicinæ partem, quæ manu medetur,& 
ex ijs,quæ huius partis sunt,ad ea,quæ in officina Medici discere possunt,aut tractare,qui in arte primū
exercentur. Nemo autem existimet expositionem me longiorem præter meum morem fecisse. siqui-
dem,quæ totius artis communia sunt, pluribus uerbis explicari debent, quàm quæ proprie ad singu-
la pertinent, ut quum maxime, ubi quis in aliquo opere ipsa pertractet, nunquam alias commemoran
da,id quod ego constitui in horum librorum Hippocratis expositione, ubi de mente ac sensu omnia
persequutus,eorum,quæ proxime retuli,nullam amplius faciam mentionem. Quin hæc dixi paucio-
ribus fortasse,quàm res petebat, quia quum proponere possem agitatam de numero potentiarum ani
mi, controuersiam,ac de ea pronunciare,magis operæprecium duxi eum, qui harum absolutam noti-
tiam requirit, ad librum de communi ratione reijcere. Aliud etiam uertitur in dubium,ubi præcipit,ut
ab inspectione illius,quod simile est,& dissimile inchoemus. propterea, quòd non ita distincte omni-
bus notum sit, quo simile & idem inter se distent. quod ipsum de industria omisi alibi explicatum. Atti
nent ad eandem contemplationem,& alia multa, quæ similiter præterij, & hoc utrum,qui medicinam
in usu positam profitentur,eorundem uel similium obseruatione utantur. ex ijs enim quidam similia cē
sent animaduertenda: alij cautiores ea,quæ suæ sectæ uniuersæ consentanea sunt tenentes, omnia ea- G
dem obseruari uolunt,seu ad morbos significandos,seu ad præsagia, seu ad curationem pertineant, &
Dionem phreneticum eundem esse, atque Theonem phreneticum,quatenus ambo febricitātium in-
sania opprimuntur: alij neque simile uno modo usurpari dicunt atque intelligi,sed duobus, uno qui-
dem simile significat,quod nulla conditione differt,ut Castor & Pollux: altero non huiusmodi, sed id,
in quo maius & minus conspicitur. Quin neque apud uetustissimos Medicos, ac philosophos, quorū
scripta adhuc extant,uidere licet simile ita usurpatum:ut qui confuse ipso citra omnem distinctionem
utantur,& modo eandem formam habentia nulla ratione distantia similia dicant,ut dextrum oculum
& sinistrum,cum uterque in eodem homine consideratur: modo,ubi unus glaucus,cæsius alter est, aut
niger,uel quatenus oculi sunt in diuersis quoque hominibus,similes uocent.Magis tamen consuetum
est apud ipsos glaucum glauco,& cæsium cæsio non secus ac nasum aduncum adunco,simum simo, re-
ctum recto similem appellare.

*Quæ autem ad chirurgiam,in officina Medici.* 5

Huiusmodi breuitate constat, eos de industria uti,qui uolunt obscure quid enunciare.nam, ubi in-
terdum uno nomine,aut uerbo adiecto,interdum altero aut summum tertio,lucida reddi oratio pote- H
rat,cur neget quis eius auctorem operam dedisse obscuritati? Equidem uerborum formam adiungā,
qua quis claram fecisset orationem,ea est.Medicinalis ars uniuersa in affectuum cognitione ad ea cō-
mune consilium dirigit,quæ sanis similia sunt,aut dissimilia,quæ mente ac sensu aperte comprehendū
tur,inueniens atque dijudicans,e quibus,quæ chirurgi tantummodo sunt,exequar, atque ex his ipsis,
quæ in officina Medici ostendi addiscentibus,aut præstari ægrotātibus possunt. Sic igitur diceret, qui
clare loqui uellet. Officinam Medici κατ' ἰητρεῖον appellat,cuius nonnulli postremam syllabam per.ι.scri-
bunt,quo modo si scribatur,significabit, in arte medicinali,non in loco,quem ἰατρεῖον appellamus qua-
si ita dixerit.Quæ in medicinali arte eius partis sunt,quæ manu curat, talia sunt. In sequentibus autem
patet eum,qui librum composuit,seu Hippocratem ipsum seu Thessalum eius filiū non explicasse om-
nia chirurgi munera,sed neque omnia,quæ in Medici officina aguntur, sed ex his ipsis, quæcunq; ad-
discere debent,qui primas institutiones aggrediuntur. Quin & inde originem traxit inscriptio libri,
quam postea sequuti sunt Diocles, Philotimus,& Mantias. Satius autem fuit sic inscribi, περὶ τῶν κατ'
ἰητρεῖον, hoc est,de ijs,quæ in officina Medici fiunt.Miror autem Asclepiadem,qui κατ' ἰητρεῖον scripturam
seruans, putauerit significare artem medicinalem, quam κατ' ἰητρείην significat, at non κατ' ἰητρεῖον,sic, ut
ἰατρεῖον pro officina accipiatur,ἰατρῷ ad morbos curandos pertineat. Sed huiusmodi contemplationes
attinent

A attinent ad nomina, quibus parum insistere debent, qui in rerum ueritatem incumbunt. Ea uero, quæ proposita sunt, proximis uerbis docere incipit.

6 *Aegrotans, agens, ministri, machinamenta, lumen, ubi, quomodo, quot, quibus, quomodo, quando, corpus, instrumenta, tempus, modus, locus.*

Omnia hic percurrit a quibus, per quæ, quibus cum, & circa quæ chirurgia exerceatur: deinde narrat quale esse prædictorum unumquodque debeat, & quomodo, aut quo tempore adhiberi. Ex his pleraque in aperto sunt, sicut ægrotans, agens, ministri, machinamenta, lumen: sed & in sequentibus ab ipso quoque auctore exponuntur, quum referat, quomodo æger se Medico exhibeat, qua ratione medicus agere circa ipsum debeat, & assistentes subseruire. Non secus etiam quæcunque de machinamẽtis, & lumine nouisse nobis necessarium est, in sequentibus persequitur. Post hæc uberius de fasciandi ratione pertractat, non quo multa uerba faciat, in toto enim libro studet breuitati: sed quo nihil, quod utile sit, uoluerit præterire. Ergo quæcunque propositis uerbis continentur, præterquam, ægrotans, agens, ministri, machinamenta, lumen examinanda sunt, atque ante omnia, Vbi, quod primo propositum est ὅκου dixit, cuius dictionis posteriorem syllabam Iones per κ, nos per π scribimus. hac significat B locum, in quo quis situs est. quocirca non absurde dicet aliquis ad omnia, quæ dicta sunt, eam referri. Siquidem ægrotanti idoneo loco opus est, uocantur autem ægrotantia, quibus manus curatio adhibetur, ijs non minus idoneum locum requirunt, medicus & instrumenta. ex luminibus uero, quod artificiosum est, licet ubi uolumus collocare. Quod deinceps adiũgitur, quomodo: ὅκως dixit, nos per π scribimus ὅπως. notat autem non modo apud nos, sed apud Iones quoque rerum, quæ traduntur, ueluti qualitatem. eos enim qui artem addiscunt, non solum scire locum conuenit, ubi æger iacens, aut sedẽs manu curandus est, sed quomodo figurandus, quomodo item, qui agit, & qui agenti subseruiunt. Machinamenta item non solum debent loco idoneo collocari, sed in ordinem quoque disponi. singula enim & medico & eius ministro, sic erunt maxime ad manum. Videtur autem hic omisisse instrumenta, ut quæ intelligi ex machinamentis possint: sed quamobrem inordinate eorum meminerit, mox considerabimus. nunc autem explanare conuenit, quæ proxime subijciuntur: quot, quibus, quomodo. Singula hæc ad ea referuntur, quæ superius dicta sunt, quæ ad chirurgiam præparata scire debent addiscẽtes, quot sint, & quibus ex ipsis quomodo utendum. sic, ut particula, quomodo, quum paulo superius particulæ, ubi, subijciebatur, situm: nunc utendi rationem significet. Ibi ergo ponitur, quomodo, iuxta aduerbium loci, ubi: hic autem iuxta relatiuum ad exponendum, quibus instrumentis machinamen- C tisque agendum sit. Quod adijcit, quando, occasionem aperte demonstrat, per quam uti singulis conueniat. Quæ subijciuntur his uerbis, corpus, instrumenta, tempus, modus, locus: non immerito requiritur, quid sibi uelint. nam, quum, ægrotans, dixit ægrotantis corporis, similiter uerbo, quando, temporis, uerbo, quomodo, modi, uerbo, ubi, loci uim notauit. cur igitur hæc repetit, & turbato ordine instrumenta inserit, cum proxime a machinamentis ordine poni magis potuissent? quanquàm, & si nullus eorum meminisset, intelligi ex machinamentis poterant. Sed his occurrere possumus affirmãtes, instrumenta nunc intelligi, scalpellum, terebram, hamum, scalprum, laminam membranæ custodem. & quæ similia sunt, quæ possumus etiam ex machinamentis comprehendere, quum sint eiusdem generis. Huiusmodi instrumenta, quia proprie parata sunt curationis gratia, idcirco ἄρμενα nuncupauit. quod uocabulum in opere de ratione uictus in morbis acutis, qua de balneo usurpauit, quũ inquit, quippe in paucis domibus, uel instrumenta (quæ ἄρμενα dixit,) uel ministri inueniuntur. scaphia igitur, rotas, peluim, labra, & quæcunque accommodantur ægrotantibus, sub eo nomine comprehendisse credibile est. Restat adhuc absurdum in reliquis, quorum una fit mentio cum instrumentis. Fortasse autem corpus nũc dixit affectam partem: tempus uero id, quod ipsi adiungitur. nam, ubi manus curatio admouetur, scire conuenit, quamdiu inceperit affectus, qui curandus est. Ipse enim cauit, ne tertio, aut quarto die mem- D bra extenderentur, aut articuli reponerentur. Potest item, tempus, nunc dixisse, dum manu curatio fit. quandoquidem conari in quibusdam debemus manu quàm celerrime uti, quum periculum maximum ex frigore iam sequatur, sicut in ijs, qui suuntur, celerrime enim intolerabili dolore prehenduntur, qui manu curantur: in alijs autem, ut suffusionibus, longiori tempore agenda res est, quum demissa acus diu contineri ea parte debeat, qua non fluere, sed uehementer insidere suffusionem uolumus. At modus uitiorum originem nunc significare potest, quum ipse censeat cognoscendum esse medico, quomodo os fractum est, aut suo loco motum, sicut ipse etiam in libro de uulneribus capitis indicauit, quibus modis illata plaga fuerit, ubi ait, Vulneratur autem caluariæ os tot modis: & rursus, suntque uniuscuiusq; modi species fracturæ plures. addit præterea, collidi etiam os potest, quamuis in suo statu seruetur, & colliso rima non accedat, atque hic est secundus modus. tum alium adijciens, inquit, tertius hic modus est: & rursus, quartus hic modus. Illud insuper a ratione uidetur alienum, quòd locum iterum adscribat, quum supra dixerit, ubi, quo aduerbio locus significatur. Quare nonnulli eam dictionem aliter exposuerunt, simulque scripturam immutarunt, sic, ut pro locus iterum, ubi, legatur. hæc tamen scriptura libri expositores non latet, quam non ignorant plurimi eorum, quos experimenta sustinent. Sed, ut res magis perspicua sit, eam repetam. habet autem sic, Aegrotans, agens, ministri, machinamenta, lumen, ubi, quomodo, quot, quibus, quomodo, quando, corpus, instrumenta, tempus, modus,

dus, locus. uolunt igitur, quando inquit primum, ubi, id simpliciter intelligendum, quum liceat id uerbum referre ad ægrotantis corpus & instrumenta, uocarique hic instrumēta credunt ea, quæ supra machinamenta dixerat: at quum secundo repetit, ubi, definisse laborantis corpus, & instrumenta idoneo loco collocanda. Sed, si prior scriptura, & superior expositio maneat, locus in fine totius orationis affectam corporis partem significabit. Consuerunt enim medici tam locos dicere, quàm corporis partes, & a quibusdam confecta sunt integra uolumina de locis affectis. Hactenus percursa sunt sola capita rerum, quæ tractari debent: docere uero proximis uerbis ingreditur. quapropter ad ea adiungendū animum existimo. nam, si quid eorum non recte intelligatur, in arte exercenda detrimento erit: ex ijs, quæ adhuc proposita sunt, si quid non bene acceptum fuerit, non admodum officiet. B

*Agens, siue sedeat, siue stet, commode, tum sui habita ratione, tum illius, qui curatur, ac luminis.* 7

Antea exposui illa ab Hippocrate recēseri, a quibus, per quæ, quibuscum, circa quæ chirurgia exerceatur: A quibus ergo, intelligere debemus medicum & ministros: per quæ, instrumenta: quibuscum, lumen & locum: circa quæ, corpus totum laborantis, & uitiatam partem, quæ & propositis uerbis & sequentibus singula exequitur, qualia esse oporteat, non tamen eo ordine, quo enumerauerat. quādoquidem orsus fuerat ab ægrotante, quod ab antiquis omnibus fieri solet, atque, ubi uelis, sexcenta legas exempla apud omnes. quod autem pertinet ad hunc locum, satis erit, quod a Poeta secundo Iliados in enumeratione profertur, F

Dic mihi Musa, uirum, quis maximus est, uel equorum,
Atridas pariter, qui sunt in bella sequuti?

Primo enim proposuit uiros, deinde equos, non tamen primo de uiris respondit, sed inquit,

Prima Pheretiadæ debetur gloria equarum,
Quas auium in morem celeres Eumelus agebat
Aequales ætate, pares tergoque piloque.
Monte in Pierio, quas enutrirat Apollo.
Insignes ambæ, & Martis terrore carentes.
Maximus at longe fuit Aiax ille uirorum.
Indignatus adhuc, dum nulla subibat Achilles
Prælia, nam pugnans omnes uirtute præibat. Alibi rursus, cum dixisset,
Tristis erat gemitus toruo & iactantia uultu.

Subiecit prius satisfaciens illi, quod secundo loco propositum fuerat. G

Cædentum, & dura miseri, qui morte peribant.

In septimo autem Iliados uolens quasi de industria indicare, non esse habendam huiusmodi ordinis rationem, quum perpetua quinque tradidisset, primum de secundo tractauit, tum de quinto, posthæc de quarto, deinde de tertio. qui locus ab his uersibus incipit,

Beotij hic, Iones, prolixa ueste decori
Et Locrij & Phthij, & qui resplendebat Epeus.

Hæc de ordine orationis nunc semel dixisse sufficiat, ne quis alibi de huiusmodi re cupiat audire. Quæ igitur ad agentem attinent, id est ad chirurgum, clara sunt omnibus, qui ad ea uolent animum aduertere. Ostendit enim agentem, siue sedeat, siue stet, dum manum adhibet, commode figurandū esse, tum quod ad seipsum pertinet, tum quod ad ægrotantem & lumen. Quod consilium quum perpetuum statuerit in singulis, quæ dicta sunt, commodam deinceps collocandi rationem demonstrat orsus a lumine, quod postremum positum fuerat.

*Luminis quidem duæ species, una communis, altera artificiosa. communis non est in nostra potestate: quæ arte comparatur, sita est in nobis.* 8

H

Speciem dixit εἶδος, quod uocabulum nunc semel intelligens ubique in memoria habeto. Maiores enim græce soliti sunt appellare, & differentias, & species, & modos, eas partes, quæ generi subijciuntur. Dixit igitur nunc Hippocrates luminis esse duas species, quasi differentias duas, & modos dixerit. Est autem commune lumen, quo omnes homines utuntur, sub dio potissimum, deinde in amplissimis ædibus, quibus patentiores fores sunt, ac luminis plenæ, quales nunc habitāt in multis ciuitatibus qui medicinalem artem exercent, quas a medico ducto uocabulo medicinas appellant: artificiosum lumen maxime fit, ubi lucernas, faces, lampadas, aut tale quid accendimus, deinde, quum totas fenestras, aut earum partem patefacimus, seu alias claudimus, alias aperimus. quod æque in foribus accipiendum est.

*Quarum utriusque duplex usus lumine aduerso, aut auerso.* 9

Duplicem proponit usum utriusque speciei luminis, & communis, & eius, quod arte comparatur, aduersi scilicet, aut auersi. aduersum nominans ubi scilicet id, quod a chirurgo curatur, aut inspicitur, ad lumen spectat: auersum uero ubi a lumine paulum declinat, quod in suffusione fit, & uno nomine in omnibus uitijs oculorum, quorum affectus neque bene cognosci, nec curari queunt, ubi homo ex ad-

uerso

A uerſo luminis collocetur. atque idcirco fugiendum eſt aduerſum lumen: auerſum autem ita ſit oportet, ut is, cuius oculi a chirurgo tractantur, uel a lumine auertatur, uel ad ipſum ſpectet obliquus. Loquor autem nunc de ipſis oculis, non de palpebris, ſiquidem hæ tractari poſſunt, & ſi homo aduerſo lumine collocetur, ſicuti quando aquoſa ueſica extrahitur, uel pili laqueo excipiũtur, aut ſutura palpebris inijcitur. aut denique ubi Medicus diductis palpebris non eget. Igitur, ſi lippiens aliquis uehementer exulceretur, uel id morbi experiatur, ſub quo figura in oculo fit acino ſimilis, auerti ex toto a lumine debet per omne tempus, niſi quando Medicus oculis remedia adhibet, cum eorum pars, quæ læſa eſt, ſine lumine ſubijci curantis conſpectui non poſſit. id quod etiam accidet, ſi in oculo excidere unguem uolit, ſuffuſionem deducere, uel manu tale quid præſtare. ſed obliquus ad lumen ſpectare debet, cui manus inijcitur, ita, ut nec lumen pupillam feriat, nec Medicus prohibeatur arte, hoc eſt aſpectu earũ partium, quibus medetur. aperte autem dicetur, qui auerſus a lumine eſt, non ad lucem, non ſub lucem, ſed potius a luce, aut obliquus ad lucem collocatus: Hippocrates tamen uſurpare ſub lucem maluit, quàm a luce.

10 *Auerſi quidem luminis exiguus uſus, & euidens moderatio.*

Hoc ſupra demonſtratum eſt, nulla enim pars exceptis oculis in eiuſmodi lumine manus curatio-
B nem deſiderat. ſed quoniam (ſicut diximus) nullo pacto admoueri manus poteſt, ubi æger ex toto auerſus eſt a lumine, præcipit, ut inter aduerſum lumen, & auerſum figuretur. at non propterea, æque in omnibus morbis a lumine auertendus eſt, ſed quatenus res ipſa cogit. nam, ſi exulceratio eſt, aut pus ſubeſt, aut in oculo figura ſimilis acino fit, aut ingens inflammatio, ſeu acris materiæ curſus oculum exercet, lumen uel modicum infeſtiſſimum eſt, ſic ut momento materiæ curſum excitet, & dolorem moueat: leuiorem offenſam ſub lumine ſentiunt, quibus curatur ſuffuſio, unguis, uel tuberculum in angulo, quod parum palpebras diduci patitur. Iam uero qua moderatione auertendus homo ſit a lumine, facile comperies, ſi in hæc duo incumbas, ut & chirurgus id, quod agit, in oculo aperte uideat, & ægrotans non magnopere affligatur. quod ſi utrumque contrarie figurari hominem hortetur, ei, quod magis urget, inſiſtito: ſi neutrum ſuperare iudicaueris, hominem prorſus medium collocato inter lumen aduerſum, atque auerſum. Nos ſane tibi uiam indicauimus: hac uſus inuenies, qua moderatione æger a lumine ſit auertendus. Hippocrates uero ita loquitur exiſtimans omnibus euidẽtem futuram, ſi qui inuenire ipſam ſtudeant. non enim rudes docuit, quemadmodum non nos nunc, ſed admodum in diſciplinis aſſuefactos, ſic, ut ex eorum, quæ ſupra oſtenſa ſunt, conſequutione, talia per ſe nullo negocio aſſequantur.

C

11 *Quod vero ad aduerſum attinet, ex luminibus, quæ dantur, conferuntque, conuerti ad illuſtriſſimum oportet, cui manus adhibetur.*

Vt plane conſpicari chirurgus poſſit, quicquid in corpore ægrotantis molitur, in omni corporis parte, oculis exceptis, eligere locum debet maxime lucidum. Eſt autem maxime lucidus ſub dio in Sole, ubi nihil officit eius luci. ſed talis locus interdum nullus eſt in ædibus ægrotantis: ſæpius eſt quidem, collocare tamen ibi hominem non expedit, hieme propter frigus, æſtate propter ardorem. utriuſque enim ſua noxa eſt. adde, quod cauere perflatum oportet, cuius cauſa ſæpe non modo idoneo aeri hominem non committimus, ſed cauemus, ne prope portas & feneſtras ducatur, ſi uehementior perflatus accedat. Vitamus autem, ut quum maxime perflatum, ubi ueremur, ne quid neruoſum patiatur, ſicuti rurſus ſolem in ijs, quæ putreſcunt, ut pote quibus periculum ſubeſt, ne ſanguis erumpat. Recte igitur adiecit, ex luminibus, quæ dantur, conferuntque. non enim ſimpliciter ex luminibus, quæ dantur, eligendum eſt maxime lucidum: ſed intueri etiam oportet, an illuſtriſſimum ſit, ex ijs, quæ conferunt.

12 *Niſi ubi quidpiam, aut latere oportet, aut conſpici non decet.*

Sententiam ſuam his uerbis auctor minus euidenter expreſſit, ita, ut partes, quæ tractantur, non uideantur in aduerſo lumine collocandæ, quandocũque aut latere quidpiam oportet, aut conſpici non
D decet. at longe aliter ſenſit, idcirco ſubijcit.

13 *In quo caſu id, quod manu curatur, ad lumen conuertendum: chirurgus autem ad id, quod curatur, cum eo ne lumini officiat.*

Debuit enim ipſe totam ſententiam aperire hoc modo. quod uero ad aduerſum attinet ex luminibus, quæ dantur, conferuntque, conuerti ad illuſtriſſimum oportet, cui manus admouetur, non tamẽ purum ac ſine ullis tenebris lumen ſeruare: ſed, ubi latere quidpiam oportet, uel conſpici non decet, ſeipſum ita collocare, ut partes, quæ curantur, ſibi conſpicuæ ſint, cum ceteros omnes lateant. Vniuerſa igitur orationis ſententia ſic habet. Roget fortaſſe quis cauſam, quam ob rem Medicus uelit aſſiſtentes cælare. an quia docere magiſterium chirurgiæ aliquos ex præſentibus nolet, tanquam indignos, qui id percipiant. quin & ab ægrotantium neceſſarijs eſt etiam cauendum, quod non ferant id incidi, quod neceſſariũ eſt corporibus, quæ eiuſmodi manus operã requirũt. indignãtur. n. & chirurgo quaſi carnifici ſuccẽſent. Quid q̃d res ſæpenumero cogit, uel putrẽ teſtẽ abſcindi ex toto, uel neruũ trãſuerſum ſecari, ne homo neruorũ diſtẽtione prehenderet. quidã uero idiotæ, nec uidere ſuppurationem ſuſtinẽt: alij ne ſuppurantẽ q̃dẽ locũ plane aperiri a Medico ꝑmittunt, in quo caſu Medici ꝓpoſitũ eſt, ut

est,ut his minime aduertentibus abunde affectum locum secet,& pus uniuersum effundat. id quod & E ob laborantis timorem nobis interdum accidit,nonnulli siquidem ita manus curationē pertimescūt, ut exanimentur metu ipso tormenti, priusquam incidantur. in quo casu medicus dicere probabiliter debet,quantum spectat ad manum adhibendam, postero die se consideraturum,nunc se nolle manum inijcere,sed perfundere aqua, uel spongijs fouere,ut locum cataplasmati,aut medicamento idoneum reddat,atque interim timidum hominem nec opinantem secare. Hæc quidem medicus assistentes cælat,ut ipsos aspectu prohibeat: alia uero ob laborantis pudorem,ubi graui animo fert uideri a multis, quo uitio in ano uel obscœnis partibus affligatur. has enim partes inuitissimus quisque alteri ostēdit: fœminæ uero clunes,pectus,uentrem,atque adeo magis pubem. Porrò autem quidam Hippocratem reprehendens,hæc ait ab ipso ridicule apposita.nam,qui has partes cælari uolunt,quæ manu curantur, his in procliui est omnes eijcere foras,& medico duntaxat,aut uni cuipiam,uel alteri ex ijs, qui adsunt maxima familiaritate coniuncti,rem committere. Verum qui hæc profert, ignorare uidetur complures,quos æque pudet prohibere præsentes aspectu,& missos facere,atque suos affectus conspici. Fit etiam sæpe,ut,& si iussi fuerint discedere, curiosi quidam aut nōnulli ex familiaribus atque amicis solliciti studio cognoscendi quæ ad ægrum spectant,remaneant impudenter. per huiusmodi ergo occasionem, ineat medicus gratiam apud ægros,quæ nihil obest,polliceaturque ipsis seorsum nullo audien F te,se manum ita adhibiturum,ut multos lateat.potest enim(ut dixi)dum uel aquam perfundit,uel spongijs fouet,quasi nondum sit manum admoturus,momento effectum perficere,ijs,qui uidere cupiunt, aliam rem agentibus. Verum huiusmodi quæstiones præter medicinæ præcepta sunt,quæ nos eorum, quæ dicta sunt,consequutione impulsi,& contradicentium importunitate cōmemorauimus. Sed proximum est,ut ad sequentia transeamus.

*Hac enim uia,qui agit,uidet,quod tractatur conspectui non subijcitur.* 14

Hic quoque,perfecta oratio huiusmodi est: Hac enim ratione,qui agit, partem cernit,quæ manu curatur,eaque ipsa cerni ab alijs non potest:neque enim,pars,quæ curatur,a medicis utrunque consequitur,nempe ut oculis exposita sit,& lateat.

*Verum sui habita ratione,dum sedet,pedes habeat e regione genuum deorsum ad rectam lineam,quodque ad internallū spectat,non magnopere inter se coniunctos: genua uero, paulo supra inguinum regionem, diducta sic,ut cubiti insidere illis possint,& utrinque dari ad latera.* 15

Postquam modum expressit,quo chirurgus respectu luminis debeat figurari,ad habitum uenit,quo G sui ipsius habita ratione commode collocetur. supra enim inquiens, Agens,siue sedeat,siue stet, commode,tum sui habita ratione,tum illius,qui curatur ac luminis:deinde primo exequutus,quod postremum positum fuerat,& necessario simul mentione facta moderationis,qua collocari debeat, ratione eius,qui manu curatur,iam docet,quo pacto seipsum intuitus debeat commode figurari. commode autem respectu habito ad seipsum collocari nihil potest,quod simplex sit,& quasi articulis distinctum: sed,si partes consideres,uarie potest alias alio modo figurari,sicque interdum etiam commode collocari.Ergo,si quis seu considat,seu stet,crura plurimum inter se diducat, erit eorum habitus a moderatione alienus,perinde,ac si ex toto hæc committat,efficiatque,ut se contingant,uel alterum alteri superimponat,atque adeo,si in longitudinem crus totum extendat,uel si pedem non statuat e regione genu,sed uersus partem posteriorem,multum a recta linea declinantem. Merito igitur Hippocrates docens qua moderatione, sedens chirurgus sui habita ratione, utatur in singulis partibus collocandis, præcipit,ut pedes e regione genuum cōtineat. Sed,cum,e regione,accipi bifariam possit,modo in his, qui membrum in longitudinem extendunt,modo in ijs, qui ipsum recta deorsum continent,sicut, ubi stamus,iure deorsum ad rectam lineam,addidit. ut semper autem consueuit,situm e regione ἴξιν appellat. Iubet igitur pedes modice inter se diduci, genuaque paulo inguinum altitudinem excedere,eo cō H silio ubique, ut decore figuretur,ut paratus ad opera sit,ut sic stabilis sedeat,ne labet.quare genua & femora tota usque ad inguina,eatenus inter se diduci iussit,ut decore, ut tuto sine curationis impedimēto,cubitis & aliqua brachiorum parte modo femoribus insidat, modo utrinque porrectis utatur. quam rem his uerbis expressit, ἵζειν significauit femoribus insidere: uerbo παραβάλλειν dari utrinque ad latera.

*Vestis succincta,distincta,æque,similiter,in cubitis,atque humeris.* 16

Succinctam dixit pro collecta,ut neque fluat,neque medicum strangulet:uerbum,distincta, ad uestem refertur,cuius nullam partem uoluit duplicari. Quod postremis uerbis adiungitur, æque, similiter,in cubitis,atque humeris ambiguum est:aut enim,æque,& similiter,utriusque brachij, & cubitum & humerum ueste uelandum existimat,ita,ut brachia inter se conferantur, quod græcorum plerique συγκρίνεσθαι dicunt:aut cubitos cum humeris comparat, uolens cubitos æque & similiter, ut humeros in utroque brachio circundari. Constat autem noluisse uestem supra cubitos terminari,cum eos nudari turpe sit,non solum medico,qui artem adeo honestam exercet,sed & forenses causas publice agentibus, quos pudere manifestum est athletarum more supra cubitos uestem reijcere, sed & huiusmodi genus

A genus amictus expelli alioquin debet, ut pote sub quo non modo ad cubitum, sed ad totum brachium
frigus aspiret: non tamen ostendit, quatenus ultra cubitum uelari brachium debeat. an id omisit, qui a
manifestum erat, & inueniri a nobis omnibus facile poterat? quum in qualibet opera, non magno ne-
gocio conijciatur, quatenus ultra cubitum tegendum ueste brachium sit, si in decus, & propositæ ma-
nus curationis usum hic quoque incumbamus. Verum, quod paulo supra, ubi latere quid oportet, con
traria consilia esse proposui, nempe obscuro aere opus esse, ne quod curatur, oculis patere possit, claro
lumine, ut id chirurgico conspicuum sit: illud autem sequendum esse, quod superat, ac si utrunque idē
posse uideatur, medium prorsus accipiendum: idem hic faciendum est, & ubicunque consilia contra-
rias res hortātur: medium siquidem inter utrunque semper est eligendum, si alterutrum superabit, ad
illud uergendum. Quod igitur ad manus curationem pertinet, ipsa per se nudari totum brachium exi-
git: contra, decus uelari totum. quamobrem deligi semper utriusque medium conuenit, atque in id,
quod urget, inclinari.

17 *At rōne habita partis, quæ tractatur, quod pertinet ad lōge uel prope, ad supra uel infra, ad hinc uel hinc, ad mediū. quod
quidem ad prope uel longe termini sunt cubiti, qui in priorem partem ultra genu, in posteriorem ultra latera ferri minime
B debent: quod ad supra & infra, non superius quàm ut manus ad mammas perueniant, non inferius quàm ut pectore super
genua incumbente, manus cum humeris ad rectum angulum figurentur, quæ quidem in medio sunt, ita se habent: sed, quod
ad hinc uel hinc, porrigatur corpus, & huius illa pars, quæ agit, quatenus inclinari conuenit, modo sede non excedat.*

Cum medico imperauerit, ut tum sui habita ratione, tum illius, qui curatur, ac luminis, commode
uel sederet, uel staret, & primo commodam pro uno quoque horum trium sessionem aggressus fuerit;
orsus a lumine, deinde ad sessionem medico idoneam transiens, hanc ipsam exposuerit, uenit ad tertiū,
quod restat, sedendi moderationem ostendens, quantum spectat ad eum, qui manu curatur. neque.n.
sedere chirurgum maxime prope hominem conuenit, ne loci angustia manus ab agendo prohibeātur,
neque ita recedere, ut uix ad illum perueniant. hic igitur terminos quosdam constituit, quos chirurgus
in priorem aut posteriorem partem excedere non debet. illud autem obliuisci non oportet, quod pri-
mo sedentis mentionem facit. Chirurgum igitur iubet adeo recedere ab ægrotante, ut cubiti nec in
priorem partem quàm genua, nec in posteriorem quàm latera porrigatur. hos itaque fines statuit in-
terualli, quod ad priorem & posteriorem partem refertur, id quod in longitudinem appellatur, in re-
liquis uero duobus, uno in latitudinem, altero in altitudinem, siue profunditatem (utroque enim uoca
bulo dicitur,) altitudinis eum finem chirurgo posuit, ne superius quàm sit mammarū situs, manus por-
C rigat, nec inferius quàm ut pectore super genua incumbente ad rectum angulum cum humeris figuren
tur, quem habitum ἐγγώνιον appellat, hic autem medius est, inter ultimum cubiti flexum, ultra quem fle-
cti, & ultimam porrectionem, ultra quam extendi brachium non potest: latitudinem, quæ ad utrunq;
latus pertinet dextrum scilicet & sinistrum, eo finit, ut eatenus inclinari utile sit, dum sedes non mouea
tur, hoc est illæ partes corporis, quibus sedemus, sedilique innitimur. Scripsit quidem terminos perpe
tuos non eodem tempore, quia non licuit, quando egit de longitudinis interuallo, latitudinem aut al-
titudinem docere, sicut nec ubi de altera, reliquas duas. uult autem (ut arbitror) medicum ipsum animo
hæc, quæ commemorauit, omnia quocunque tempore persequi. quum, quicquid agatur, omnia simul
usui sint. Sed, quum medius quidam sit sessionis habitus, ubi medicus nihil intuetur, nihil agit, in eo fi-
gurari decorum magis atque honestum est, quasi pingi debeat eius imago, aut fingi. At, quum ad chi-
rurgiam uenit, mouere manus debet interdum in priorem & superiorem partem simul, tum in sinistrā
priorem ac superiorem: rursus ab eo habitu in posteriorem partem, uel utramque manum, uel alterā
tantum adducere, sic & in inferiorē interdum & rursus in superiorem, aut in dextram uel sinistram. in-
teruallis enim inter se coniunctis, uarie status mutantur. commune est omnium sessionem tueri, quam
nonnulli relinquunt ex interuallorum termino excedentes. nam, si pars, quæ tractatur, adeo sublimis
D sit, ut medicus manus ferat super mammas, cogetur interdum sublimior a sede leuari, ut quasi consur-
gens, neque sedeat, neque stet, sed situs sit in medio utriusque, neque hæreat. at si plurimum in dextrā
uel sinistram partem inclinet, ob id sedili mouebitur, ita, ut periculum sit, ne de eo cadat. quid attinet
dicere, si in priorem uel posteriorem partem conuertatur idem ipsi in utraque euenturum esse? Tantū,
ubi in inferiorem partem inclinet, præterquam quòd indecore sedebit, lumini etiam officiet.

18 *Stantem uero oportet pariter ambobus pedibus bene insistere, sed agere altero insistentem, at non eius partis, cuius ma
nus agit: tum genu inguinis altitudinem æquare, perinde atque ubi sedet in ceteris seruare eosdem fines.*

Quum sessionem absoluerit, ad standi rationem uenit, eadem prorsus iubens obseruare stantem,
quæ sedenti supra imperauit, excepto quòd id, cui pedes insistunt, non debet æqualem utrunque pe-
dem sustinere. alterum enim uult sublimiorem haberi, qui tamen non sit e regione manus agentis, in
quo statu perseuerandum esse, quoad manus opera utitur, modo pars, quæ curatur, neque erectior sit,
neque multum in longitudinem aut latitudinem recedat, nulli dubium est, qui eorum, quæ dicta sunt
meminerit. Pars enim, quæ adeo sublimis sit, ut medicus cogatur super suarum mammarum regionē
manus admouere, illum plus iusto sursum trahendo, loco dimouebit: eundem loco excedere simili-
ter coget, si longe rursus adeo distet, ut in priorem partem ferri necesse sit. Quoniam uero alterum pe-

demuoluit rei cuipiam inhærere, hic quoque altitudinis modum declarauit, præcipiens genu eodem modo ad inguinis altitudinem figurari. quo in sedentibus dixit. ibi enim ait genua habenda esse paulo supra inguinum regionem, quandoquidem huiusmodi sessio stabilis maxime est, & ad agendum honestissima, atque expeditissima. Sed nunc alterum genu tãtum uult haberi sublimius ad inguen spectando: ibi multitudinis numero genua posuit, quum utrumq; crus æque altum continetetur. E

*Aegrotans autem ceteris corporis partibus chirurgico subseruiat, stans, sedens, aut cubans, sic, ut in eo habitu facillime perseueret, obseruans fluxum, statum, inclinationem ad latera, inclinationem deorsum, ita, ut conuenientem habitum, speciemque affectæ partis tueatur, in porrectione, in tractatione, in habitu, quo contineri postea debet.*

Non immerito expositores huius libri uarie hunc locum explanarunt. nam & quatuor uocabulorum obscuritas ὑπο ῥύσιος (inquam) quo ipse fluxum indicauit, ὑποστάσιος, quo statum, ἐκτρέψιος, quo inclinationem ad latera, & καταντίας, quo inclinationem deorsum: & quòd paucis significare multa uoluerit, in causa fuerunt, ut de propositis dissiderent. quippe qui auctoris sententiam, ut pote obscuram opinione, & coniectura magis, quàm scientia persequuti in uarias dissensiones incurrerunt. Equidẽ, quod in huius generis omnibus facere consueui, nunc quoq; conabor. omissis.n. quæ minime sunt pbabilia, referã, quæ mihi nõ sine rõne excogitata esse uidebuntur, simulq;, quid ipse in hac re sentiam, explicabo. initiũ uero faciam ab obscurorũ nominũ enodatione. siquidem simplex cõposito prius est: & sæpe simpliciũ compositio facit obscuritatẽ, quãuis ipsa plana sint, id quod uidere licet in propositis uerbis. Namq; ὑπόρρυσιν quidam in humoribus acceperunt, atque hi bipertiti sunt. nonnulli referũt ad eos, qui extrinsecus infunduntur: alij ad eos, qui ex corpore fluunt. Sed & horum quidam loqui Hippocratẽ aiunt de ijs, qui educuntur, dum manus curatio adhibetur: quidam postquam adhibita est. Eadem dissensio est de uocabulo ὑποστάσιος. nam, cum status humorũ fluxui aduersetur, iure de hoc quoq; controuersia est. Alter expositorũ grex nõ de humoribus, sed de solidis corporis partibus uocabulũ ὑποστάσιος & ὑπορρύσιος dictũ existimat, uolẽs ὑπόστασιν significare erectiorẽ sitũ, uel partis, quæ tractaĩ, uel corporis uniuersi: ὑπόρρυσιν uero inclinationẽ deorsum, perinde quasi κατάρρυσιν dixisset. usurpauit enim in hãc sententiã uocabulũ καταρρεῖ in præsagijs, ubi inquit, Id uero grauius est, si seipsum æger cõtinere non ualẽs in lecto, subinde ad pedes delabitur: ubi delabitur dixit καταρρεῖν. cum hac expositione faciunt uocabula ἐκτρέψιος & καταντίας, quæ superioribus proxime subiecit. namque inclinationem ad latera ἔκτρεψιν appellauit, siue totius corporis sit, siue partis quæ curatur. καταντίαν uero dicunt accipi proprie in mẽbris, non secus atque ὑπόρρυσιν in toto corpore. ubi enim corpus uniuersum in eadem sede contineatur, crure aut brachio immobili, & deorsum delabaĩ, eiusmodi sitũ aiunt κατάρρυσιν appellari. quæ ipsa per se uera dicũt, quãuis sibi nõ satis in uniuersa oratione constẽt. Aliter.n. oẽs iterũ inter se discrepant, quòd cũ habitũ, qui quatuor uerbis, nempe statu, fluxu, inclinatione ad latera, inclinatione ad inferiora significatur, alij seruandum esse, alij cauendum ægris uelle Hippocratem arbitrantur. Nihil autem interest, quod attinet ad totius orationis sententiam, triplicem scripturam esse uocabuli ἐκτρέψιος. quum nonnulli secundam eius syllabam per τ.ρ.ε. scribant, nõnulli γ. quoq; primo adijciant γεκτρεψιν scribentes, alij & ἔκτριψιν per τ.ρ.ι. nos enim supra unã duntaxat adscripsimus. Proposita igitur uocabula manifesta sunt, a uerbo enim ἐκτρέπεσθαι ducitur ἔκτρεψις, a uerbo ἐκτρίβεσθαι ἔκτριψις. quũ scriptura nihil aliud uelit, quàm ut hæc ab ægrotantibus obseruentur. uidentur tamen omnes, qui hunc locum explanarunt, auctoris sententiam perspexisse ex parte: totam tamen ad unguem comprehendere minime potuisse. si quis .n. animaduertat, quod postremo additur, in porrectione, in tractatione, in habitu, quo contineri postea debet, omnes uerum dixisse uidebuntur. quum tribus temporibus aliter alia sint ægrotantibus profutura, scilicet in porrigendo, in manu adhibenda, in continendo post curationem. non tamen poterunt omnia coniungere, quod liquido constabit, si hæc tria tempora discernantur. Primum est, quum ægri seipsos medicis tradunt, ut, uitium bene cognoscatur, quod ἐν παρέξει, id est, in porrectione dixit: alterum deinde, quum medicus circa uitiatam partem aliquid agit, quod uocauit χειρισμὸν. id est, tractationem: tertium, quod dixit ἐν τῷ ἔπειτα ἕξει, id est, in habitu, quo contineri postea debet. tunc enim ad id consiliũ dirigitur, ut homo affectam partem eodem modo contineat figuratam. Deduxit ergo uocabulum habitus, eo quòd se habeat in eodem. In omnibus autem tribus temporibus, quoddam cõmune est omnium, quoddam proprium singulorum. commune est seruare uitiatam partem immobilem, quod requiri dictum est, nisi medicus aliquo modo mouere ipsam tentauerit: inde ad perfectam curationem singulorum proprius est usus, in porrectione, ut medicus exquisite quid curaturus sit, intelligat, in manu admouenda, ut, ubi ossa fracta sunt in diuersa extendat, recte componat, atque deuinciat: ubi prolapsa, in diuersa extendat, reponat, uitiatam partem idoneo uinculo complectatur: ubi scalpellum adhibet, ut pus uel saniem effundat, uel quod putre alicubi est, excidat, aut candenti ferramento adurat. His igitur utilis est humorum fluxus, ac status, ille, si excitetur, excerni siquidem oportet humores a natura alienos: hic, si euitetur, cum subsistere intus noxium humorem non expediat. sed interdũ subsistere cõmodum est, sicut ubi in magna suppuratione subito excerni pus, aut humorem aquosum uolumus. Multo autem magis in membris, quæ tractantur, dum manus adhibetur (ut diximus) obseruari statũ, ac fluxum conuenit, similiter & in solidis partibus animalis obseruari, quæ dicta sunt, a laborãtibus debent, ut eadem ratione fiant per tria tempora, nimirum porrectionis, tractationis, & eius habitus, F G H

quo

A quo contineri poſtea conuenit. Pars enim, ſi dum inciditur,nimis porrigatur, chirurgum coget alieno loco ſecare,ac nec modum aliquando,nec,quæ ſeruanda ſunt,tueri, propterea quod æger anteueniat ſcalpellum atque anteuertat: ſi retrahatur,efficiet,ut curatio minus abſoluatur , & a medico interdum dimidia,interdũ quoque minor relinquatur.quod accidet ægrotantibus, interdum etiam deligatis,ut, ubi ad uentrem manu curantur,aut ſe attollunt ad ſpinam, aut conuertuntur in latus , quod ſignificauit,quum dixit,in latera inclinationem: aliquando autem nihil tale moliuntur, ſed muſculos uehemẽter intendunt,atque hanc ipſam mutationem mihi uidetur indicaſſe,quum ait,conuenientem, ubi inquit, Ita,ut conuenientem figuram, ſpeciemque affectæ partis tueatur. Cuilibet autem in aperto eſt, quod malum afferat æger,ubi oculus perforatur,ſi habitum ſpeciemque non ſeruet, aut tranſmutetur uel intendatur, ita,ut facies ſanguine ſuffundatur: æque etiam exquiſitam manus curationem corrũpit,ſi medico caluariæ os excidente,paulum caput attollat, aut demittat,uel in latus inclinet,id quod etiam euenit,ſi ſe uehementer extendat, moto enim habitu mouetur quoque ſitus partis,quæ curatur. Efficiunt autem intentiones in alijs quidem partibus,ut ſanguis erumpat, in muſculis non ſolum hac ratione nocent,ſed & partem interdum ſublimiorem præſtant, interdum humiliorem.ubi enim ſubiectum os eſt,muſculus attollitur: ubi inane ſpacium,contrahitur ac deprimitur,ſicut euenit in ſede,quæ
B inter coſtas eſt,& in ea,quæ iuxta uentrem.

30 *Vngues,neque longiores,neq; breuiores ſint,digitorum ſummitatibus.In exercendo utendum digitis quidem ſummis,plerunque indice cum pollice: tota autem manu prona,ambabus uero aduerſis.*

Quum de ægrotante egerit,quatenus illi cum ceteris communitas eſt, iterum his uerbis ad chirurgum reuertitur,indicans quanti eſſe ungues debeant, & quales digiti,tum qua ratione illis uti oporteat.Vngues igitur ad ſummorum digitorum opera,quæ proprie digitorũ ſunt, neque ipſos exuperare,neque exuperari optimum eſſe uberius in primo de uſu partium explicauimus , ubi totam manus naturam oſtendimus. quod ad hunc locum attinet, ſatis erit uerba duntaxat exponere. duplex autem ſcriptura,quum ſit,utramque explanabo.Altera huiuſmodi eſt,Vngues neq; longiores,neq; breuiores ſint digitorum ſummitatibus.exigua ſiquidẽ corpuſcula,quæ ſummis digitis capiuntur, & ad quæ ſummorum digitorum opera egemus, hac ratione facilius legentur: deinde ab altero capite exorditur, In exercendo utendum digitis quidem ſummis, plerunque indice cum pollice , ſic , ut prioribus uerbis magnitudinem unguium digitorum cõplectatur, ſed his digitorũ uſum: Altera uero ſic habet, Vngues neque longiores,neque breuiores ſint . Dehinc alterũ principium eſt,digitorũ ſummitatibus in exer-
C cendo utendum,uocabulo ſummitatibus ſexti caſus poſito,ut uniuerſa ſentẽtia ſit huiuſmodi, Vngues neque excedant oportet digitorum lõgitudinem, neque exuperẽtur ab hac,ſed prorſus ipſam æquẽt, ſiquidem eorum ſummitatibus utimur. Videbitur hoc falſum, niſi, ut congruum eſt , accipiatur . nonnulla quidem opera totis manibus præſtamus, brachium, femur, crus, aut aliud quid huiuſmodi utraque manu prehendentes in diuerſa ducimus, intendimuſque,in quibus operibus digiti agunt tanquã particulæ manuum,perinde atque prominentiores palmæ partes,& aliæ particulæ : at ubi in oculum demittimus acum,uel ſuperiorem,inferioremue palpebram, aut oculi unguem incidimus, tunc digitis utimur,ut digitis, non ut particulis manus, ſimiliter, ubi ſcalpello,uel quopiam alio tali quid agimus. in omnibus igitur digitorum actionibus ſummis ipſis utimur, ac propterea dixi recte ſcriptum eſſe digitorum ſummitatibus utendum. Deinde ab altero capite incipit , digitis quidem ſummis plerunque indice cum pollice,una oratione declarans pleraſque muſculorum actiones fieri ; ubi index pollici (quem ἀντίχειρα uocant) e regione occurrit,ſic uidelicet, ut quod comprehendendum eſt, ſummis ipſis utriſque capiatur. tunc enim duntaxat propoſitis digitis utimur: quin,& ſi tribus digitis aliquid comprehendatur,ut,ubi ſpecillo illinimus, aut acum demittimus in oculum,maximam partem operæ duo illi præſtant,aliquid etiam confert & medius. Sed tota manu prona utitur chirurgicus,eius ſinu id pre-
D hendens,quod curatur. digiti quidem affecti abunde altera manu extenduntur, componunturque : at non abunde brachium,femur & crus,ſed exigunt huiuſmodi partes ambas manus ex aduerſo concurrentes,ut membrum uniuerſum in orbem complectantur. Inſuper manu prona opus eſt, ubi cucurbitulam defigimus,& ubi paruum,quo adurimus,ferramentum comprimimus, & ſpõgiam imponimus: ſed & in multis medicinæ operibus,quæ fortaſſe euidentiora ſunt,quàm ut neceſſaria ſint, quæ propoſuimus. cuilibet enim per ſe uenire in mentem poteſt omnium actionum,& digitorum,& manuũ, quas partim utraque manu,partim altera tantum,digitis partim molimur.

31 *Optima autem digitorum ſtructura eſt , ubi ipſis magnum ſpacium interiectum eſt , & e regione pollex cum indice concurrit.*

Non enim fieri aliter poſſet,ut in agendo e regione pollex cum indice concurreret, niſi ſpaciũ eſſet inter eos latius, quod & in alijs digitis commodiſſimum eſt,ut,ubi uaſtius quidpiam oporteat undiq; in orbem comprehendere,plurimum inter ſe diſtantes id præſtare ualeant.

32 *Morbus, quo & læduntur, quibus a primo natali die, uel in educatione aſſueuit pollex ſub alijs contineri, patet.*

Cum eadem ſit utriuſque ſcripturæ ſententia,duæ enim reperiuntur,ad eam,quæ dilucidior eſt,primo aggrediar.Arbitrantur nonnulli,qui rationẽ ignorant,referendũ hoc eſſe ad cõſuetudinẽ eorũ, qui

ſolent pollicem ſub alijs digitis tenere,quo fit,ut laboris expers paruus ſit, & interuallum inter ipſum E
& indicem minime augeatur, quæ res in morbum manus, quod perinde eſt,ac ſi noxam dixerit,terminatur. Placet alijs referri rem ad morbum,oriri uero hunc,uel pollice ſua ſede excedente,uel loco, qui inter pollicem & indicē eſt,exulcerato & in curatione dura cicatrice inducta, ita ut muſculus, qui inter eos eſt,induratus,uel quopiam uitio tabeſcens alimento, incrementoque prohibeatur interdum etiam carne inter digitos, quòd ualde putruerit, abſumpta, ac dura poſtmodum cicatrice inducta, interuallum anguſtum inter pollicem & indicem redditur,& ipſi inter ſe,quaſi uinciuntur, ac præcipue, ubi locus(ut dixi)duram acceperit cicatricem. quin & huiuſmodi uitia in pueris negligi plerunque uerisimile fit: eos uero,qui firma ætate ſunt,iuſſos a medicis mollire pollicem,mouereque, interuallum, quod inter ipſos eſt,alimento idoneum reddere. adde,quod ijs totum corpus increuit,& ſi quid læda-tur, ali duntaxat deſinit: at infantibus,ubi primo increſcunt,cum morbo ipſo opprimuntur, præter id uitium, quòd digitos non moueant,affectæ partes non augentur,& propterea,quod inter digitos eſt, interuallum contrahitur. Quibuſdam hoc inquiunt euenire, alijs uero ob cicatricem durā, & aliquod eius loci,quod in medio eſt, uitium durum. quare quaſi aliquo uinculo continetur,hoc eſt,prohibetur pollex ab alijs diduci. ſic enim accipiunt aliqui uerbum,contineri, & ſi his illud maxime aduerſetur, quod iuxta hanc expoſitionem non debuit Hippocrates,ſub alijs,dicere ὑπὸ τῶν ἄλλων,quod cauſam, ſed F
ἀπὸ τῶν ἄλλων quod loci interuallum ſignificat,cum mala,quæ inter ipſos incidunt, interuallum contrahant,atque alligent. De his igitur,ut tibi uidebitur, iudicabis,eligens,quod maxime probabile ſit.uerba enim ita obſcura diuinationem magis exigunt,quàm ſapientiam: nos autem ad antiquam ſcripturam reuertemur,quam Aſclepiades fortaſſe uitiatam ſuſpicatus integram hoc modo habere coniecit: Morbus,quo & læduntur,quibus a primo natali die, uel in educatione aſſueuit,& quæ ſequuntur: fortaſſe autem hæc fuit germana Hippocratis ſcriptura. Putauit Heraclides Tarentinus intelligendos eſſe affectus,ut perfecta oratio tota ſic ſcribatur morbus a quo,& lædens affectus,quibus a primo natali die, uel in educatione,& quæ ſequuntur.

*Agens uti utraque manu ad omne opus debet,& ambabus ſimul,ſiquidem ambæ ſimiles ſunt, id ſpectans, ut recte, ut decore,ut celeriter,ut iocunde,ut eleganter,ut prompte.* 23

Præſtari quoduis iubet utriuſque manus auxilio: id enim ad celeriter ac decore agendū maxime accommodatur. poſſet quidem medicus tentare dextra,ubi dexter hominis oculus curatur, acum dimittere,uel excidere unguem,uel aliud quid tale,& idcirco adducit id ſpectans ut recte, ut decore, ut celeriter,ut iocunde,ut eleganter,ut prompte,quoniam hæc conſequemur, ſi, qua ratione propoſuit, G
exerceamur. quale autem unumquodque eſſe debeat, mox indicat. Quod uero ad hunc locum attinet,illud meminiſſe conuenit,quòd omnium,quæ hic habentur,caput eſt, quomodo, id unum ex illis eſt,quæ prima diuiſione comprehenduntur.Illud etiam obliuiſci non oportet,quòd manus ſimiles appellauit,quanquam ſpecie non diſtant.

*Machinamenta autem,quando,& quomodo exponentur, ubi oportet,ne operam impediant,neue longius diſtent, quàm ut prehendi poſſint, ſed collocentur iuxta eam corporis partem,qua tractatur.quòd ſi ab altero præbeantur,is paulo ante paratus ſit,exequatur autem,ubi imperaueris.* 24

Non ſolum ſpatham habentem in ſummo capitulum rotundum, cauumque, & ſcamnum, cui ab utraque parte axes ſunt,& alia,quæ machinationum ſtructura continentur, ſed & quæ communi nomine ὄργανα,id eſt,inſtrumenta uocantur,uenire ſub ὀργάνων, id eſt,machinamentorum appellationē plane hic oſtendit,quum inquit,quàm ut prehendi poſſint,deinde,quod ſi ab altero præbeantur: namque hæc,dum manum adhibemus,& nos ipſi prehendimus,& ab alijs accipimus.

*Iam uero aſſiſtentes id,quod curatur, eo modo præbere debent, quo traditum fuerit,reliquum uero corpus cōtinere ſic, ut immobile præſtent,item habere ſilentium,& ei,qui præeſt,auſcultare.* H 25

Clariora hæc uerba ſunt, quàm ut explanationem deſiderent.

GAL.

# GAL. IN HIPPOCRATEM DE OFFICINA MEDICI COMMENTARIVS SECVNDVS.

*Vido Vidio Florentino interprete.*

## ARGVMENTVM LIBRI.

Communia de recta deligandi ratione præcepta, ab affectarum partium, affectuumque natura sumpta traduntur.

1 *VINCVLI ratio duplex, altera illius, quod inijcitur, altera illius, quod iniectum est. quod inijcitur, ut celeriter, iocunde, prompte, eleganter. celeriter quidem, ut opus expediatur: iocunde ut facile præstetur: prompte, ut ubique sit in promptu: eleganter, ut oculos delectet. qua uero exercitatione hac assequamur, dictum est.*

Quædam communia sunt utriusque rationis uinculi: quædam propria alterius. prompte, & celeriter proprie ad uinculum pertinent, quod inijcitur: recte, & decore, ad id, quod iam iniectum est (ipse autem id, quod inijcitur, uocat ἐγχειριζόμενον, quod iniectum est, ἐγκεχειρισμένον) iocunde, & eleganter utriusque sunt communia, iocunde quidem, tam uoce, quàm significatione: at eleganter, quod ad uocem spectat, commune est utriusque, quod ad significationem non ita. nam elegantia uinculi, quum adhibetur, in manuum motu cōsistit: quum iam adhibitum est, in ambitu linteorum. Possumus autem dicere fascias eleganter circundari, loquentes de uinculo, quod inijcitur, At iocunditas num magis etiam attenditur, cum adhi-
C betur, quàm quum iam adhibitum est, siquidem hoc solo fasciarum pressu dolorem affert, at quod adhibetur, & eo nomine, quod membrum incommode continetur, interdum enim ea de causa comprimitur, licet fascia recte circumdetur? Neque alienum est etiam censere communem utriusque esse cōpressum eorum, quibus tanguntur, quæ uel comprimunt, uel non comprimūt, eius quidem, quod inijcitur, quatenus pars, quæ curatur, premitur, uel non premitur sub continentibus: at eius, quod iniectum est, quatenus suspenditur, ut quum brachium mitella excipitur, uel quatenus continetur, ut quū ea cruri subijciuntur, quibus fulciatur. Non mediocriter autem confert ad uincendi iucunditatem, agendi celeritas: celeritati uero maxime promptitudo conducit. quin & hæ sunt perfectiones uinculi, quod inijcitur, potissimum propriæ, ut & sine pressu contineat, & prōptum sit, atque paratum. namque error in collocando ad partem quoque alligatam spectat, sed nunc agit de membro uinciendo, ubi commode figuratur. Statui uero suæ sunt perfectiones & uitia, non secus ac fascijs, quarum, omisso statu, in præsentia mentionem facit. Ergo, ubi paratum uinculum adhibeatur, opus mature perficitur. ipse enim, quid sibi uellet promptitudo, expressit, cum inquit, prompte, ut ubique sit paratum: quod euenit, ubi, qui deligat, prouidit, ut nihil ambigere, nihil scrutari debeat in agendo, hoc ne, an illo modo circumagere fasciam conueniat. promptitudo igitur, quæ idem est, atque præparatio,
D operam facillime absoluit. Iocunditatem ipse docuit sitam esse in facile agendo: sed celeritatem constat cum præparatione & agendi uelocitate coniungi. Iocunditas igitur illis annumeratur, quæ magnopere ei conducunt, qui manu curatur: atque ob eam celeritas, quam promptitudine, dum agimus, facile consequimur: elegantiam uero aspectu gratam (sicut ipse deinceps adscripsit) præter ea, quæ necessaria erant, in chirurgico posuit, ut quæ ipsius gloriam augeat apud uulgus, cui obnoxius est ambitiosus, perinde quasi amore captus. hac quanquam non capitur, qui humanus est, non tamen laudem aspernatur, eo incumbens, ut magis apud ægros ualeat auctoritate. quandoquidem sibi magis obsequentur, quæ res illis utilissima est. Huius ergo auctoritatis apud uulgus gratia non modo medicus illam non aspernatur, sed ne philosophus quidem. magis enim homines iuuat, ubi apud eos in honore & admiratione est, ut qui magis ipsius facta imitentur, & iussis eius obediant, non secus ac numinis cuiusdam. Qua uero exercitatione hæc assequamur, dictum est, qua exercitatione celeriter, iocunde, facile, prompte agamus, (inquit) dictum est. id potissimum docuit, ubi ait, Agens uti utraque manu ad omne opus debet, & ambabus simul, siquidem ambæ similes sunt: tum ubi ostendit in exercendis digitis pleraque agenda esse pollice atque indice, tota uero manu prona, & ambabus aduersis.

*Quod iniectum est, ut recte, ut decore. Decore quidem, ut simpliciter, ut distincte, aut similibus & æqualibus, æqualiter & similiter: aut inæqualibus & dissimilibus, inæqualiter, & dissimiliter. Species autem simplex, orbicularis, ascia, sima, oculus, rhombus, dimidiatus. aptetur uero species speciei, ac morbo illius, qui deuincitur.* E 2

Quum duplicem proposuerit uinculi rationem, uocans quod injicitur ἐγχειριζόμενον quod iniectũ iam est, ἐγχειρισμένον proxime præfatus qua uia, quod inijcitur optime inijciatur, nunc id exequitur, quod iniectũ est, ubi decore ait iniectum esse, si simplex sit, si distinctum. simplex est, ubi linteum non implicitũ est, non duplicatũ, non rugosum, sed æque ab omni parte extenditur: distinctum, ubi iterum aut tertio circa idẽ conuenienter datur. ex duobus autem in quibus consistit iniecti uinculi decor, alterum, nempe simpliciter, tanquam clarum, mihi uidetur sine expositione prætermittens in enodationem uerbi, distincte, sequentia omnia adiecisse, ad quæ animum adiungas oportet, non oblitus me dixisse dudum, distincte, idem significare, quod conuenienter. Siquidem propositum est, ut alter fasciæ circuitus primo interdum æqualis ad unguem sit, ac nullo modo impar, interdum inæqualis. fit autem æqualis, ubi extremæ fasciæ partes in latitudinẽ eodẽ loco ita finiantur, ut neque exuperent, neque exuperẽtur, sed in utroque circuitu desinant non aliter, ac si iniecta sit ima fascia duplicata: eademque ratio sit tertij circuitus, & quarti, si hoc quoque opus sit. F







Ergo & in eo, qui rhombus, & in eo, qui semirhombus dicitur, exquisita hæc obseruatio adhibẽda est: sed uinculi fracturis accõmodati, quum ad brachium, humerum, aut femur datur, item distincta ratio est, in quo priorem fasciam iubet sursum ferri, secundam uero prius deorsum, deinde sursum ductam, qua prior desinit finiri quod fieri non potest, nisi, quod spectat ad latitudinem lintei, oræ rarum altera alteram excedat. hæc igitur æqualis erit, si tota æque in ea inclinatione perseueret, qua a circuitu in orbem recedens orsa est. Vocatur autem orbicularis, quæ affectam partem ex toto in orbem sine inclinatione complectitur, in quo oræ fasciæ secũdo & tertio circumactæ alijs insident, sic, ut neque excedant, neque exuperentur:

*Rotunda syncera æqualis.*



At in eo, qui declinat, necesse est fasciam, uel ferri ad uitiatæ partis regionem superiorem, uel ad inferiorem dimitti, quòd, si ubique similem inclinationem habeat, distinctum uinculum præstabit. Quare, si ea, quæ dicta sunt, diligenter consideraueris, plane intelliges circuitus in orbem unam duntaxat esse rationem, ubi nihil plus est aut minus: at non unam eius, qui declinat, quum alter altero declinare plus possit aut minus. Hic tamen translatione usus illum, qui paulum inclinat, asciam, qui multum, nuncupauit simum. asciam fabri dicunt instrumentum quoddam extrema parte, qua ligna incidunt, modice incuruum, & labrosum in speciem labri: G

*Ascia syncera inæqualis.*



Simum græci appellant locum, ubi planities cum colle coniungitur, qua enim committuntur. simum efficiunt, quum neutrum per se simum sit. cum planities ipsa recta sit, & æqualis: H collis, accliuis, & altus. at ubi inter se coeunt simam figuram repræsentant, eadem figura fit, qua decliuis uia, cum accliui committitur, eodem modo in naso sima pars illa dicitur, quæ utrinque sublimioribus partibus terminatur, iamque ab hac parte totus nasus nuncupatur simus. Constat enim plura uocabula in totis usurpari corporibus, a nonnullis ducta, quæ partibus accidunt, quo modo simus homo dicitur. siquidẽ nõ eodem modo uocatur simus, quo plenus, ac tenuis, aut albus, aut niger, sed sicut glaucus, cæsius, uel gibbus. nasus igitur, uel uia proprie simi nominantur: uinculum uero simum ab Hippocrate appellatur eadem ratione, qua ἄμβη spathæ capitulum rotundum & leniter cauum, & σκέπαρνον, id est ascia, genus quoddam circuitus ipsorum linteorum. namque, ubi præcipit, ut panni in asciæ figuram imponantur, diducit ab orbiculari circuitu eum, qui fabrorum asciæ modo declinat. non enim censet pannos ita oblique circumponendos, ut ab orbiculari circuitu nimium absint, sed paulum declinent, sic, ut fideliter comminuta ossa contineant.

Patet

A *Sima ſyncera inæqualis.*




Patet autem in utroque horum circuituum maiorem & minorem eſſe inclinationem, cũ neuter ſimplex ſit & unius formæ, cuiuſmodi eſt orbicularis, quem cum ſimplici coniunxit: ſed aſciam uero, & ſimum ſeorſum per ſe, quaſi diſtinctos ſubiecit. Diſtincte autem ſignificat, ut ſit, quaſi diſcretum, & minime implicitum. fit autem (ut dixi) cum quilibet faſciæ circuitus eoſdem habet latitudinis fines, uel inclinatiouem ordinatam. uoco ordinatam inclinationem, quum, quæ ex latitudine uinculi conſpiciuntur, æque inter ſe diſtant, quod utique fiet, ubi, qui deligat, quam ab initio inſtituit, æqualem ubique inclinationem ſeruet.

*Syncera inæqualis.*

B




Artemidorus autem & Dioſcorides, ſic, ut alibi antiquam ſcripturam nouant, tranſponuntque, ita hic caſum mutant, nempe dictionem ſimplex orbicularis, ſimplex in orbem ſcribentes. bene autem rem intelligunt, ſed audacter ſcripturam immutant, plurima tamen, quæ non ſatis intellexerunt, auſi ſunt immutare, atq; ea de cauſa eorum nunc mentionem facio, quamuis ſexcenties hactenus, ubi ſcripturam immutarunt, ſilentio præterierim. cum hoc recte intellexiſſe & clarius mutatione reddidiſſe mihi uideantur, quãquàm in paruis, non eo modo accipientes, quo auctor uoluit, decipiuntur. ſed de his ſatis eſt ſemel dixiſſe. Præfatus autem Hippocrates decore quidem, ut ſimpliciter, ut diſtincte, deinde ſubijciens aut ſimilibus, & æqualibus, æqualiter, & ſimiliter: aut inæqualibus & diſſimilibus, inæqualiter & diſſimiliter, quaſi communiter docuit, quo conſilio diſtincte uinculum adhibeatur. æqualia enim, & ſimilia corporis membra faſciã uniuerſam æqualiter, & ſimiliter per omnes partes circumactam requirunt: inæqualia & diſſimilia, inæqualiter & diſſimiliter. Hæc autem uerba in uetuſtis exemplaribus, & in libris expoſitorum præciſe leguntur, nõ adiectis inæqualiter & diſſimiliter, ſed, cum ſolum ſcriptum ſit, aut inæqualibus & diſſimilibus, intelligi etiam uolunt inæqualiter & diſſimiliter, idque ab Hippocrate prætermiſſum fuiſſe, quòd manifeſtum ui-
C deretur, eo quòd propoſitis conſequens eſſet. Verum hæc ratio ſcribendi non breuitatem, ſed errorẽ manifeſtum præ ſe fert. Satius ergo fuerit, ſi ita ſcriptum inueniamus, exiſtimare hæc ueluti complura primorum exemplarium eſſe corrupta, idque propterea fieri, quòd librarius ea prætererit, atque error hucuſque manſerit. Ergo ſuper humerum ſimiliter & æqualiter circuire faſcia poteſt, minus autem ſuper femur & brachium, ſed paulo magis ſuper crus: at in capite humeri, & in coxa contrarijs partibus indigemus, quemadmodum & ubi caput a latere uinciendum eſt. frons quidem & naſus ſimilem & æqualem amat orbicularem faſciæ circuitum, non ſecus ac uertex, qui etſi in orbem circumdatam faſciam non poſtulet, æqualiter tamen & ſimiliter procedentem requirit. de his autem diligentius in ſequentibus tractabitur, nunc ad uerba, quæ reſtant pergamus.

*Oculus.*

D



Hippocrates poſitis tribus ſimplicium uinculorum formis, nempe orbiculari, aſcia, ſima, deinceps trium compoſitorum meminit, oculi, rhombi & dimidiati, dimidiatum ſemirhombum etiam appellant, quibus adiungit, aptetur uero ſpecies ſpeciei ac morbo illius, qui deuincitur. commonens, ut accõmodetur, & uitiatæ partis formæ, & uitio, quo detinetur. ſpecies enim uinculi, quam oculum appellamus, ad oculum adhibetur, ubi uel periculum eſt, ne procidat: uel contineri quippiam uolumus ipſi ſuperimpoſitum. rhombus uero, ubi uel capitis ſuturas diductas adducere in unũ oportet, uel hiãs ulcus interdum contrahere, & ualde reſolutam cutem adducere atq; agglutinare. non abſimilem effectum præſtat, ſemirhombi uſus.





Verum enimuero hæc ſcripta ſunt ab Hippocrate tanquam exempla, ad quorum ſimilitudinem inueniendum nobis eſt, uel ab his, qui compererunt diſcendum, quod uinculum ad quamuis corporis partem atq; ualetudinem accõmodetur. expedit autẽ doctorẽ non imperare ſimpliciter, ſed uiã exponere, qua ipſe uinculum inuenerit. eo.n. fit ut diſcipulus, ſi quãdo obliuiſcaẽ, in memoriã redeat, & quæ ab altero nõ didicit, poſſit cogitare. quocirca nõ ab re fortaſſe fuerit, ſi librũ conficiamus, ubi de faſcijs & corporis parti & uitio accommodatis pertractemus.

*Recte iniecti uinculi duæ ſpecies, firmitas in preſſu, & linteorum multitudine conſiſtit.* E 3

Dictum eſt in ſuperioribus conſueſſe Hippocratem, ſpecies appellare differentias. præbuit autem maximam quæſtionem diſſenſionis cauſam inter huius libri expoſitores, quum duas ſpecies nominatim non poſuerit, quod ante in alijs fecit, una quidem in uinculi modo ſita eſt, quam ipſe firmitatem dicit, eã explanauit, quum inquit, Firmitas in preſſu, uel linteorum multitudine cõſiſtit. eſt enim moderatio quędam in uinculi firmitate, quã ſi partes cõprimens excedat, dolorem ægrotãtibus affert: ſed laxius continet, ſi ad eam non perueniat. Alteram uero ſpeciem recte iniecti uinculi non poſuit, ſed ijs quæ de robore loquutus eſt, ſubijcit.

*Vinculorum aliud per ſe remedio eſt, aliud ijs, quæ remedio ſunt, ſubſeruit.* 4

Hæc profecto non ſunt altera ſpecies recte iniecti uinculi, ut pote, quæ communem uſum cuiuslibet uinculi, comprehendant. quin & poſt hæc de omni uinculi moderatione agit, qua ratione ſeruetur, deinceps de nodo, tum quod ſubiectum eſt docens ſic incipit, licet quidem bene ſcientem ad partes decliues, & quæ in extremitate tenuantur, labi faſciã omnem, ut in capite ſurſum, in crure, deorſum, & quæ ſequuntur. Ab ijs tranſit ad qualitatem uinculi, cuius item, quum partes ſint, noſſe, unde incipere faſcia in ſingulis uitijs ac partibus debeat, & qua nouiſſime finiri, tum qua uia, dum circuit, circumagi, & obuolui ſingulis partibus, hæc quoque indicauit. nam, ubi inquit. Quæ mouentur, ut articuli, qua curuantur: obuoluendæ faſciæ rationem exequitur, poſt hæc adſcribit, quomodo extremæ faſciæ fideliter in ijs contineantur, inde pergit ad faſciarum uſus exponendos, ſic, ut recte iniecti uinculi altera ſpecies, quæ firmitati opponitur, totius uinculi qualitate contineatur. Fortaſſe autẽ quòd difficile ſit communi uno uocabulo complecti ſingulares differentias, eius ſpeciei, quæ e regione firmitatis eſt, eam non tentauit uno uerbo notare. Rem autem ita habere uerba ipſa teſtantur, quibus oſtendit, quæ uarietas inſit in ſingulis capitibus a me commemoratis. ſed, ut rem clariorem magis ac breuiorem faciamus, uocetur totum ipſum genus qualitas uinculi: Firmitas in preſſu & linteorum multitudine conſiſtit: quẽadmodũ potentiæ nomen interdũ imbecillitati contrariũ dicunt, interdum ad id ſignificandum, quod roboris & imbecillitatis commune eſt, uſurpant, ſic & magnitudinis uocabulo utuntur, & alijs quàm plurimis, partes & totum communi nomine appellantes, ita nunc quoque uſurpat firmitatis uocabulum. debent enim affectæ partes faſcijs, neque ualenter adſtringi, neque ita leuiter, ut homo iniectum uinculum non ſentiat, quin & linteorum multitudo pro numero accipienda eſt, at non ita intelligenda multitudo, quaſi e regione ſit paucitatis, ſiquidem moderatio rectum uinculum præſtat. rectum appellat, quod confert, iuuatque. At dum comparantur inter ſe duo uincula, ut ea, quæ ex comparatione ſpectantur, quod adſtrictius eſt, ualidius, reliquum infirmius dicemus. neque abſurdũ eſt, ſi uinculum habita ratione ſubiecti uitij moderatum ſit, ſed comparatum, cum altero, ualidum dicatur, aut imbecillum. Quando autem ſoluere, aut arctare uinculum expediat, uel faſciarum numerum augere, aut minuere, ipſe in opere de fracturis demonſtrauit.

F G

*De quibus lex quidem eſt.* 5

Lex in ciuitate ratio eſt, quæ iubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetque contraria. his legibus ſimilia dicit, quæ nunc proponuntur, cum coniecturale nihil contineant, aut ambiguum, ut quædam alia ad medicinam pertinentia. Idem quoque dixit in opere de fracturis, liberam orationem moderatus. nõ enim ſcripſit ſimpliciter, de quibus lex quidem eſt, ſicut nunc, ſed oratio hæc ueluti lex iuſta fertur de curatione fracturæ.

*In ijs autem maxime ad uinculum pertinet, ut arctetur quidem, ſic, ut quæ iniecta ſunt, neque recedant, neque comprimant, ſed fulciantur, non tamen cogantur, idque minus quidem in extremis partibus, minimum in medijs.* H 6

In his inquit, quæ traduntur de ea ſpecie, quæ ad firmitatem attinet, potiſſima uinculi præcepta ſunt, ut quæ uitiatæ parti inijciuntur, hoc eſt lintea, neque a corpore diducantur, neque ipſum premant, ſed fulciantur, hoc eſt firmiter inſidant, at non cogant. dicitur aũt uinculum cogere, quod ita arcte affectis partibus circumdatur, ut dolorem afferat. Hæc autem præcepta de modo premendi, qua uitium eſt, minime omnium conuenit præterire. quod & in extremitatibus quoque prorſus eſt attendendum, ſed minus quàm in medio. ſiquidem optimum eſt artem culpa uacare: ſiquid tamen peccet, id in illis partibus ac uitijs euenire, ubi detrimenti minus affertur, minime uero errare, ubi noxa ingens eſt.

*Nodus & filum non ferantur deorſum, ſed ſurſum, in porrectione, in præparatione, in uinciendo, in habitu, quo poſtea continetur.* 7

Cur hæc ſine ordine adijciat ijs, quæ de uinciendi ratione pertractat, paulo poſt perſequemur: nũc id primum ſtudendum, ut quod propoſitum eſt, intelligamus. Diſſentiunt expoſitores inter ſe, cum deorſum & ſurſum, alij ſimpliciter ad longitudinis ſpacium referant, alij ad affectum, ſed neutri dictionem,

*Nodus in ſuturis cutis.*



ɛtionem, ferantur, nec quod ad nodum, nec quod ad filum ſpectat, explanant. Conſtat autem omnibus id appellari nodum quod fit in faſcijs, cum ambo capita implicata inter ſe uinciuntur, uel alterum ſcinditur, uel tertio, quum extrinſecus ad continendũ adijcitur id, quod græce κατάλημμα uocatur: filum uero id uocari, quod in acum conijcitur, uel ut inciſæ corporis partes inter ſe cõiungant, uel ut extrema pars faſciæ inferioribus aſſuatur, quin & nunc loquit̃ de filo ad hunc uſum parato. iubet quidem ſurſum hoc ferri, quod ipſe dixit τὴν ῥαφὴν γενέσθαι. quid autem appellet ῥαφὴν ab ipſo diſcere oportet, qui eo uerbo ſæpius utitur ad faſcias, quum a principio ad finem feruntur. Itaque in fracturis iuſſit, ut utriuſque faſciæ caput ſuper fracturam iniiceretur, ſed prior faſcia ſurſum ferretur, altera uero ante deorſum, poſtea ſurſum, ῥαφὴν uocans quaſi iter quod faſciæ tunc faciunt, cum a principio ad extremum laborantis corporis obuoluun-
B tur. ſimile eſt id, quod ῥαφὴ ſignificat in filo, nam, cum liceat acum a ſuperiori parte deorſum, & contra ab inferiori ſurſum tranſmittere, & præterea in neutram partem inclinatam, ſed ſine inclinatione, aut a dextra in ſiniſtram, aut a ſiniſtra in dextram demittere, præcipit omnino, ut ſurſum feratur.

*Nodus in faſciis.*



Quòd ſi extrema pars faſciæ dũtaxat inferioribus aſſuenda ſit; in eo quidem uinculo, ubi contrarijs partibus non indigemus, ut in brachio, humero, femore, crure, in quibus etiam neceſſe eſt uel a ſiniſtra parte in dextram acum immittere, uel contra. utrobique nobis enitendum eſt, ut ſurſum tendentes extremam faſciam hac ratione cum inferioribus partibus coniungamus: ubi contraria parte opus eſt, ut in capite humeri, & in coxa, danda opera eſt, ut faſcia, dum ſurſum fertur, finiatur, ibique acu ab inferiori parte ſurſum traiecta hoc modo aſſuatur, neque debet ſuperior uinculi pars deorſum attrahi, ſed inferior ſurſum, utrun-
C que enim fieri poteſt, dum faſcia ſuitur. Ergo tranſmiſſa acu filum ducente, inferior pars fili ſurſum adducenda, non tamen ſuperior deorſum, conſilio ad id directo, ut inferiores uinculi partes a ſuperioribus trahantur, quod facere ab ipſo iubemur, & quo tempore homo affectam partem uidendam medicis porrigit, & quo manus curatio paratur, ac tertio, quo uinculum inijcitur, quod & ipſum ad manus curationem pertinet, & quarto, quo poſtea membrum continetur. uocauit primum ἐν παρέξει, ideſt in porrectione, alterum ἐν σχέσει, id eſt in præparatione. tertium ἐν ἐπιδέσει, ideſt in uinciendo, quartum, ἐν τῇ μετὰ ἕξει id eſt in habitu, quo contineri poſtea debet. quanquam alij ἐν πιέξει, id eſt in compreſſione ſcribant, ſed priorem ſcripturam magis probo. nam in ſuperioribus dixit id temporis ἐν ἕξει, id eſt in habitu. Neque dubium eſt, quin, ſicut eandem figuram partium, quæ uinciuntur, ijs omnibus temporibus ſeruari iubet, ſic & filum & nodum, quum feruntur, ſemper ſurſum attrahi uelit, in primis quidem extremitate faſciæ ſurſum firmiter attracta, & cõtenta, atque ob ipſam faſcia tota. Illud uero animaduerſione dignum ab expoſitoribus Hippocratis intactum relinquitur, quòd nodum & filum ad ſuperiora affectæ partis ferri uoluit, dum ægrotantes ſeipſos medicis tradunt, non ſecus atque in alijs temporibus. pro ſuo enim arbitratu, quidam ad medicum pedibus eunt, quidam geſtantur, modo affecta parte ſuſpenſa, aut deuincta, modo utroque facto. Nodus igitur & filum in eorum poteſtate eſt, non
D medicorum a quibus inſpiciendi ſunt, aut curandi. cenſet fortaſſe tunc quoque interdum laborantes medicis uti, nam in itinere & ruri nonnunquam tenuioris fortunæ homines, plagas accipiunt, uulneranturque, uel oſſa ipſis ſuo loco mouentur, in quo caſu ad curationem plurium medicorum conuentu opus eſt, tum diligenti inſpectione, machinamentis quibuſdam, aut inſtrumentis, aut linteis, aut etiam laqueis, quæ ruri, uel in itinere nulla ſunt. quare ſi eo tempore medicus adſit, læſam partem ſuſpendet, & deligabit linteis illis, quorum copia erit. conſtatque, ſiue nodo, ſiue ſutura opus erit, me dico hæc apte efficienda eſſe. Quo facto in ciuitate rurſus æger conſuetos medicos adhibebit, primum ut diligenter uitium cognoſcant: deinde, ut prolapſum articulum reſtituant, uel fractum os componant, aut plagam ſuant, aut colliſis recte opem ferant: poſt hæc medici idoneum uinculum admouent:
8 poſtremo, quod deuinxerunt, prouident, ut eodem modo figuratum contineatur.

A.l.4.f.5.t.2. c.7.p.901.C. *Principia, & nodus inijcienda ſunt, non qua ulcus, ſed hinc, uel hinc.*

Quid nunc uocet nodum inijcere, oſtenſum eſt, in prioribus enim uerbis e regione, fili ponebatur, nunc alterius tantum meminit, quòd poſſit & filum deſinere in nodum. nam in quauis ſutura in hunc finitur, cum acu non ſola, ſed ſequente filo traijciantur, quæ ſuuntur, & nodo inter ſe adſtringantur. Sæpe quidem euenit, ut inter ſe proxima ſint fili capita, & nodus, ſicut, ubi cutem ſuimus: interdum diſtant, quòd ſæpe in uinculis accidit, ubi fili partes longe adducuntur, ut communem nodum accipiãt.

Veriſimile

*Nodus in fascijs.*



Verisimile ergo est nunc ipsum edicere, ne fili principia, qua ulcus est, inijciantur. quo præcepto illud quoque intelligitur, quòd neque nodus super ulcus collocetur, urgeretur enim non solum nodo, sed fasciam contineret. Eodem modo si citra filum fasciæ extremitates inter se complicatę nodum accipiãt, uel aliquid extrinsecus ulceri superdetur, nõ debet nodus super ulcus imponi: impositus enim ipsum comprimeret, præsertim si fascia ante obuoluta tenuis esset, & absque lana circũdata. Nunc sane mihi uidetur Hippocrates de filis agere, siue habenulis, quæ inter se complicatæ in nodum finiuntur: sed censent alij uelle ipsum principia fasciarum super ulcus non imponi, ex quibus nonnulli uariarunt scripturam, uere quidem sed propositæ orationi parum conuenienter, cum non de fascijs, sed de filo tractare nunc propositum sit, quã quidem scripturam ueram & artificiosam esse non inficior. sic autem habet, fasciarum principia inijcienda sunt, non qua ulcus, sed hinc uel hinc: hoc est, ab utraque parte eius, uel dextra uel sinistra. sic F autem fiet, ut id uerum sit, quod ab ipso traditur in opere de fracturis, & huic loco minime repugnet. Imperat enim ibi, ut fasciarum capita affectæ parti superimponantur, siue fractura, siue ulcere laborẽt, non tamen supra, aut infra. in eo enim libro de dimensione in longitudinem loquitur: nunc, quum non ad hanc sed ad latitudinem respiciat, principia inijci dixit, non qua ulcus, sed hinc uel hinc, hoc est, ab utraque parte eius. cui non aduersatur, quòd neque supra neque infra inijci debent, quod tamẽ latet expositores huius libri. Merito igitur dubitant, quum Hippocrates inquit, principia, & nodus inijcienda sunt, non qua ulcus, sed hinc uel hinc. Placuit etiam quibusdam principia fasciarum intelligi τὰ πέρατα, quamuis τὸ πέρατος nomen latius pateat, τὸ ἀρχῆς, id est, quàm principij, quod & Plato nos docuit, asserens τὰ πέρατα, principium esse & finem. Ergo, si liceat latiori uocabulo pro eo, quod angustius est, rem appellare, licebit nobis tam principium, quàm finem nominare πέρας, non tamen finem nuncupare principium. Iam uero principia, ad nullum aliud referri possunt, quàm ad fascias, fila, & habenulas. cumque nullo modo fieri possit, ut hic de fascijs loquatur, necesse est principium in filis accipi, & habenulis, & si placet etiam in panniculis. quandoquidem hi quoque comprehendere uinculum possunt, non secus, atque habenulæ, quarum extrema inter se complicata uinculi uicem exhibent. G

*Nodus non ea parte sit, cui innitimur, non ea, qua agimus, non qua inanis esset, ne inanis collocetur.* 9

Quum proxime in præcedentibus iusserit, ut qui futuram adhibet, principia super ulcus non ponat, sed alia parte, qua nodus etiam collocandus est, nunc docet, quibus locis ponere nodũ oporteat. Docemuę autem res interdum per ea, quæ ipsis non accidunt, sic enim appellantur, quæ, cũ accidere possint, non tamen accidunt. Vis autem orationis huiusmodi est. Nodum non conuenit ponere qua parte ulcus est, sed qua ferri possit uersus superiorem regionem, cum eo, ut caueatur pars, cui innitimur, qua aigimus, & tertio, quæ inanis est. Vocat autem qua agimus eam partem, qua utimur, cum extendimus, curuamus, uel ad latera porrigimus. pars uero cui innitimur, in ambulando quidem est planta pedis, in cubando totum dorsum, atque eius pars potissimum, quæ in eo extat, præterea capitis partes posteriores, in sedendo, ima pars natium. si quis autem deligatis brachijs aliquid agere debeat, cõsidera quidnam illud sit, & circa quæ externa, in ea actione poteris partem, cui innititur, inuenire. agunt quidem articuli, quam ob rem ubique uitandi sunt, atq; illi præcipue, quibus agere uinctis ægrotantibus conuenit. Constat autem recte ipsum edicere, ne nodus, qui continere totum uinculum debet, super eam partem ponatur, quæ in motu figuram mutat. necesse enim erit nodum, ubi super arti- H culos collocetur, modo iusto laxiorem fieri modo coarctari. Quod in fine orationis dixit κενόν, id est, inanis omnes accipiunt pro superuacuo, petinde ac si dixisset, nullum ad usum. Græci enim κωφοὺς, dicũt eos, qui a primo natali die surdi sunt & uoce citra uerborum conformationem obstrepunt. quemadmodum igitur hi ad uitæ actiones prorsus inutiles sunt, sic ac aiũt ab Hippocrate appellari κενόν, quod nihil ad uinculum conducit. Potuit id uerbi ab ipso scribi pet. κ. κενόν, corrumpi uero ab initio protinus atque ita seruari. sed, quod ad sententiam pertinet, idem hæc scriptura significat, siquidem κενεὸν est, quod a nobis dicitur κενόν, & μάταιον, hoc est inutile. sed quia multos uidemus, uel ob inscitiam, uel quòd uelint diligentes uideri, nodos adhibere fascijs inutiles, idcirco Hippocrates nunc præcipit, ne ponantur εἰς τὸ κενόν, hoc est inanes, quod uidelicet inutiles significat, & superuacuos. Putauit quidam ex ijs, qui hunc librum explanarunt, Hippocratem intellexisse inane, locum inanem, ut puta alã poplitem, inguen, ex aduerso capitis humeri, genu, coxæ, ea diducens. inhærere enim dixit oportere nodum corpori, at non perinde collocari, quasi suspensus sit, quod eueniret in ala atque inguine. Si quis autem & hoc probabile iudicabit, ipsum poterit accipere. Nam in obscuris, uel eo quod mediocriter probabile est, conuenit acquiescere.

Nodus

10 A *Nodus & filum, molle, & non magnum.*

Hic rurſus, ſicut principio duo uocabula proponit, cum & res inter ſe diductæ ſint, quibus illa in-
dita eſſe uidentur. filum uocatur, quod una cum acu traijcitur, cuius materia linum eſt, ſiue lana, ſi-
ue quid aliud eius generis: nodus, qui ex habenulis, uel ſciſſis faſciæ extremitatibus implicitis effi-
citur. Patet autem utrunque molle conuenire, ſi futurum eſt, ut non comprimat. quod uero non
magnum eſſe expediat, indicio eſt celeritas, quam ipſe in agendo laudat, eam prohibet longitudo,
uel fili, uel ſeparatim etiam habenularum ſciſſæ extremitatis, aut eorum, quæ continendi uinculi cau-
ſa ſuperinijciuntur. Pendebunt igitur hæc a nodo fruſtra, præterquam quòd tædium afferent, quum
nonnunquam uulnera contingant, dum complicantur, exquiſitius autem ſcripſit, non magnum: quum
potuiſſet ſcribere, paruum, uerum ſicut magnum uitari oportet propter ea, quæ retuli, incommoda,
ſic & paruum, quum in agendo prehendentes digitos effugiat, atque ob id remorans tempus pro-
ducat, tum in uinculo propter breuitatem ſæpius ab eo, cum quo deuinctum eſt, elabatur, atque id-
circo nos cogat in eodem iterum uerſari. Adde quod cum opinionem aliquando faciat rei deligatæ,
nodus exiguus poſtea ſoluitur, ubi contineri debet. Merito igitur cauendum eſt, tam quod omnino
B paruum eſt, quàm quod magnum: & hic perinde atque in alijs, quod modicum eſt, eligendum. id
alterius extremi negatione nonnunquam appellant, quemadmodum nunc Hippocrates non magnũ,
qui ſi non parum dixiſſet: idem utique ſignificaſſet.

11 *Licet quidem bene ſcientem ad partes declines, & quæ in extremitate tenuantur, labi faſciam omnem, ut in capite ſur-
ſum, in crure deorſum.*

Si pro ſcientem, ſcriberetur ſcire, perfecta foret oratio, at nunc pendere uidetur, & cum alia cõiun
gi, eoque fit, ut nonnulli copulent, quæ ſequuntur, ſic ut tota ſit huiuſmodi. Licet quidem bene ſcien
tem ad partes decliues, & quæ in extremitate tenuantur labi faſciam omnem, ut in capite ſurſum in
crure deorſum: deligare dextram partem ad ſiniſtram, ſiniſtram ad dextram, præterquam in capite.
ſed nullo modo continuari uidetur, quum non propterea deligare eo modo cõueniat, quia nodus con
ſueuit ad partes labi decliues, & quæ in extremitate tenuantur: alia enim de cauſa iuſſit (ut in ſequenti-
bus oſtendemus) dextram partem ad ſiniſtram, ſiniſtram ad dextram deuinciri. quoniam cum his, licet
quidem bene ſcientem ad partes decliues, & quæ in extremitate tenuantur, labi faſciam omnem:
C connectuntur ea, quæ ſic tradit, quæ autem adijciuntur ad continendum quidem, quæ circa hæc
ſunt: ad ſuſpendendum uero faſciam omnem, qua corpus quieſcit, & magis cauum eſt, ſuperimpo-
nenda; & quæ ſequuntur quæ paulo poſt exponemus hoc ipſum clarius demonſtrantes: nunc quæ in-
teriecta ſine odore ſunt, per ſe conſideremus.


13 *Deligare dextram partem ad ſiniſtram, ſiniſtram ad dextram, præterquam in capite. hoc enim e regione.*

Præceptum hoc potiſſimum ad fracturas ſpectat. perpetuo enim in contrariam partem inclinandũ
eſt. ubi ulcus ab altera fuerit, ut ſi dextra pars læſa ſit, in ſiniſtram, ſi hæc, in contrariam, ſicut ubi totũ
os tranſuerſum fractum eſt, uinculum in neutram partem inclinandum, quum panni in orbem ſuper-
imponentur. Huiuſmodi igitur eſt, quod proponitur. Quum deligamus, ſi dextra pars affecta eſt. in ſi-
niſtram inclinare debemus, & contra ſi ſiniſtra, in dextram. quod fit, ubi caput faſciæ ſuper affectam
partem ponimus, non exquiſite quidem ſuper fracturam, aut ulcus, ſed utrobique hinc uel hinc: re-
liqua uero faſcia, quod affectum eſt, in contrariam partem attrahimus, & ſimul etiam adſtringimus.
At quum hanc ad contrariam partem adduximus, ibi non amplius æque adſtringimus, & multo mi-
D nus etiam inclinamus, donec in orbem circumacta, ad ſuum principium reuertatur. ibi enim id manu
prius tenebamus, cui rurſus faſciæ partem, quæ ipſum contingat, ſuperpoſitam ualenter continemus
ſic, ut iterum incipiat circuire ſuper partem prius inuolutam ſimiliter adſtricta, & in contrariam partẽ
inclinata, tum eodem modo circundata, ubi rurſus ad principium redierit, æque faſciam altera manu
continemus, altera coarctamus, atque in contraria uitiatæ ſedis attrahimus. Non ſolum autem hoc mo
do membra deuincimus, ſed & latera. nam ſi affecta ſit pars dextra, orſi ab ipſa faſciam eo modo, quo
dictum eſt, ducimus ad ſiniſtram: ſi uitium ſit in ſiniſtra, ab hac, faſcia incipientes, quaſi iter facimus uer
ſus dextram. ſed caput non licet ita in orbem comprehendere, quòd non patiantur id ceruices, qua
cum ipſo committuntur. Quamobrem ſiue dextram, ſiue ſiniſtram partem occupet uitium, quod uincu
lum poſtulat, faſciam e regione, hoc eſt, rectam ducimus per ſummum quidem caput porrectam, inde
ad extremam maxillam demiſſam. poſt hæc iterum ad affectum locum ſimiliter datam, ſiue iterum, ſi-
ue tertio ipſam circuire abunde putamus, & dum finiatur, circũactam. finiatur autem in uertice prorſ-
ſus, is enim locus maxime idoneus eſt, qui fideliter contineat.

13 *Sed in contrarijs faſcia in utramque partem attrahatur, quod ſi ab uno capite incipiat, ſimiliter qua firmiter continea-
tur, ut in medio capite, & ſiquid aliud eſt huiuſmodi.*


Duplex

*Deligatio per contrarias partes.* *Deligatio per processionem.* E



Duplex esse potest huius loci sententia, ut uel ad omnes corporis partes, uel ad caput tantum referatur. quia, quum dixerit, præterquam in capite dextram partem ad sinistram, hoc autem e regione deligandum esse, ceteras eius partes, quæ inter se contrariæ sunt, quarum quidem hæc posterior est, & in occipitio, illa uero prior, & in fronte deuinciri iubet, fascia in utranque partem ducta. ducitur autem in utramque partem, ubi media affectæ sedi iniecta, utrunque caput æqualiter ad contrariam attrahitur. Ergo fasciarum, quæ sic uolutæ sunt, extremitates ualentius continẽtur, si in fronte, quàm si in occipitio collocentur. Verum, si de omnibus corporis partibus loqui Hippocratem statuamus, contrarias dicemus partes, quarum utriusque structura est similis, nempe dextram & sinistram, priorem & posteriorẽ, quæ ubi pariter uitiatæ sint, sicut in transuersa fractura euenit, fascia in utrãque partem attrahenda est, quemadmodum faciendum diximus in pannis, qui in figuram asciæ superdantur. Quòd si (inquit) ab uno capite incipiat, perinde ac si in utramque partem duceretur, circumagenda est, sicque, qua firmiter contineatur, adducenda, ut ibi finiatur. pro exemplo autem loci, ubi firmiter contineatur, attulit medium caput, contentus nunc eo solo, quum paulo post, perfecte uniuersam orationem sit explanaturus, docens qua parte desinere fasciam conueniat, ut iuncturam totam fideliter tueatur. Particula autem, similiter, in utroque accipi potest, & in toto fasciæ circuitu, & in fine. F

*Quæ mouentur, ut articuli, quæ curuantur, minimis, & maxime collectis, ueluti poples: quæ extenduntur, simplicibus & latis, ueluti patella circumdari debent.* 14



Minima lintea danda esse docet circa poplitem, ceteraq; eius generis, & maxime collecta, hoc est, contracta in angustum: partem uero popliti contrariam scilicet patellam, contraria uia. est autem contraria uia. ubi lata sunt, & quantũ minime potest contracta. quod omnibus articulis cõuenit, quæ curuantur, quẽadmodum popliti: quæ extenduntur, quemadmodum patellæ, quam nonnulli uocant ἐπιγουνίδα, sicut alij ἐπιγονατίδα. super hanc igitur dixit latam fasciam extendendam esse, sic, ut ipsam uniuersam complectatur. nam, quæ non sic obuoluatur, sursum uel deorsum facile feretur. ad utranque enim partem labetur, propterea quod patella gibba est. At poplitem contracta fascia, inuoluendum censet. nam neque admittere, neque seruare eam potest, quæ in latitudinem explicatur. G

*Quæ autem adijciuntur ad continendum quidem, quæ circa hæc sunt: ad suspendendum uero fasciam omnem, quæ corpus quiescit, & quæ magis cauum est, superimponenda, ut supra uel infra genu.* 15

Laudare eiusmodi breuitatem decet, quæ uno uocabulo aperte id notare potest, quod oratio. Quemadmodum & nunc, ubi ad continendum dixit, quo uerbo significatur oratio, quam proferre sic possemus, uinculorum, quæ ad articulos adhibentur, extremitas firmiter tenenda est extra articulum aliquo insuper uinculo addito: ad suspendendum uero, quo monemur, ut magnopere prouideamus, ne fascia ad partes decliuiores delabatur, neve sursum tendat ad gibbas, quas ipse supra dixit ἀπίξει, idest, in extremitate tenuaras, quum inquit, licet quidem bene scientem ad partes decliues, & quæ in extremitate tenuantur labi. plane autem constat ex uerbis ipsius, recte id a nobis dictum esse, quòd quæ nunc proponuntur, continuata illis sunt, quibus ait, licet quidem bene scientem ad partes decliues, & quæ in extremitate tenuantur labi. quin & breuissime sedes commemorauit idoneas, quibus fascia finiatur, duobus uocabulis eas comprehendens, quum inquit, quiescit, & cauũ est. Quiescunt quæcunque extra articulum sunt, in utroque ossium, quæ inter se committuntur, ut, quod ad genu pertinet, quæ in femore sunt, aut crure, hæc siquidem magis caua sunt. Caua autem. λαπαρώτερα dixit, partes significans, quarum contrarius habitus est, atque extantium, hoc est, quæ depressæ sunt ac desidunt. omne enim, quod cauum est, desidit. Proprie autem uox λαπαρὸν, inane significat, sicut λαπάξαι, exinanire. nam illud ἴλιον ἐξαλαπάξαι δ᾽ εὐναιόμενον πτολίεθρον, exinanire urbem Troiæ frequentem significat. λαπαρὰ item dicunt illas corporis partes, quæ inter costas nothas positæ sunt, & ossa, quæ ad ilia pertinent. Iam uero omne quod desidit, λαπαρὸν appellant, translato uocabulo ab eo, quod communiter accidit. siquidem omne, quod uacuum est, necessario desidit. H

*Consentit autem cum capite humeri, fascia ad alteram alam demissa, cum inguine, ad alterum ilium: cum crure, super partem huius posteriorem, quæ carnosa prominet. Quibus autem sursum labitur, ab inferiori parte suspendenda est: quibus deorsum a superiori.* 16 A.l.4.f.5.t.2. c.5.p.899.C.

Vbi

A *Comprehensio circum ile aduersum.* *Comprehensio circum alam.*





Vbi uinculum non eorum commoditate, quæ laboranti particulæ superimponuntur, sed propter se adhibetur, eo consilio primum potissimúq; inijcitur, ut affectam partem, & quo modo composita est, seruet, & ab inflammatione tueatur, quod plene ostensum est in opere de fracturis. sed quia præstare hæc uinculum nequit, nisi contineatur, ne ad superiora uel inferiora corporis procedat, idcirco necesse est fascias dare ad partes integras: & ubi uerisimile est uinculum totum sursum ferendum esse, a contraria parte suspensum deorsum attrahere. In quibusdam igitur partibus a contrarijs suspendimus utilius, sicut in capite humeri, & in inguine. exquisitius uero ait in capite humeri, non ad alterum humeri caput, sed ad alam: in inguine ad alterum ilium ducendam esse fasciam. cum neque humeri caput, neque nates fideliter seruare iuncturam queant, sicut ala, atque ilia. Vocatur autem (ut mox retuli) κενεὸν, quod inter thoracem est, & os, quod ad ilia pertinet, ita dictum propterea, quod inane sit, hoc est, desidat. Iam uero constat consentire, quod ὁμολογεῖν dixit, positum fuisse pro congruere & conuenire. nam, qui bene factis consentiunt, non modo nihil contra faciunt, aut dicunt, sed perficiendi socij sunt, sic ex locis, quæ proposita sunt, alia, quum ad hæc quoque fascia pertineat, alia adiuuant. similiter & in crure, cuius partem, quæ carnosa prominet, facile iuncturа effugit, ad superiorem partem fascia utiliter datur, ubi uidelicet carnosam ipsius prominentiam uinculo comprehendi necesse est. Locus similiter, qui iuxta talos est, fortiter uinculum cõtinet, quum in-

*Supra suram*

B



C ter duas eminentias positus sit, nempe suræ, tibiæque extremitates, quas nonnulli perperam uocant talos, idem quoque præstat superior locus per eam cruris partem, quæ posterior carnosa prominet.

17 *Vbi nihil tale est, quemadmodum in capite, qua maxime æquale est, contineri fascia debet, & duci quàm minime obliqua, ut postremo obuoluta, qua ualentissime hæreat, uagos circuitus contineat.*

*Vinculum in fronte.*



Qua ratione partes uinciri debeant, iuxta quas nulla talis sedes est, qualem in crure dixit, quibusve non est contraria pars altera, quemadmodum humeri capiti, & inguini, ostendit nominatim capitis mentionem faciens, iubetque qua maxime æqualitas est, totam iuncturam contineri, nempe extremitatē in neutrā partem inclinātem, rectam finiri, uel in fronte, uel in medio capite, ubi ea pars est, quæ sinciput uocatē. nā, ubi ad mentem fascia ducitur, commode finitur in medio capite attacta sic, ut nullo modo inclinet: ubi uero in orbem

D circundatur, in fronte similiter citra omnem inclinationem. nam, quæ sic circuit, ad posteriorem partem feretur, qua occipitium est, quod inter collum est, & gibbam a tergo caluariæ partem. Dixit autem postremo fasciā quàm minime oblique circumagendam esse, idcirco quia priores ambitus, ut diuersis locis affectam sedem inuoluant, sæpius necesse est obliquos duci: sed postremus minime obliquus priores continet, qui morbi causa oblique sunt adhibiti. hos itaque constat hoc modo contentos immobiles permanere. Quemadmodum igitur in capite, & supra uel infra genu postremus circuitus seruari penitus sine inclinatione debet, sic in uinculis, quæ dantur ad inguen, uel humeri caput, ubi ad contrarias partes porrigere fasciam cogimur, extremi circuitus citra omnem inclinationem in orbem esse debent, in ilibus quidem ab utraque parte, ubi deligare inguen uolumus: ab utraque ala, ubi caput humeri. quod similiter seruandum est in cubiti commissura.

18 *Verum, ubi nec contineri, nec suspendi commode potest, contineri filis debet, uel subiectis, uel adsutam adhibitis.*

Quod proponitur, huiusmodi est. in quibus uitijs, aut partibus difficulter extrema lintea continētur: aut

aut suspenduntur, in his oportet filis, uel in orbem datis, uel futura adhibita ad extremum uinculum, E
efficere ut contineatur. Vtrum uero fieri possit, ut aliqua pars, qua difficulter extremum linteum contineatur, & suspendatur, filum facile ferat, nihil cum expositoribus dicere possum: nescio autem an aliquæ sint partes, quæ huiusmodi iuncturam non sustineant, sed quosdam noui, qui, ubi paulum uitiata pars mota esset, intolerabili dolore premerentur, sicut is multo ante, cui, quum ex alto caderet, regio iuxta spinam icta est, ita, ut ne si paulum quidem moueretur, ferre magnitudinem doloris posset. necesse ergo fuit tunicam illi primum detrahere, non exuendo, sed futuras omnes scindendo, deinde tradere hominem plurimis, qui totum corpus continerent, & suspenderent sic, ut in neutram partem inclinaret, tum extendere super lato scamno panniculum, lanæ hapso superiniecto. quod imperauimus, ut, quum primum homo ab ijs, qui illum continebant, a cubili attolleretur, celeriter super id imponeretur, subijcereturque in latitudinem spinæ hominis sublati. nos uero alterum lanæ hapsum, calido oleo madentem, ubi dempta tunica fuit, spinæ absque mora subijcientes, super subiectum panniculum, cui alter hapsus lanæ superimpositus erat, hominem collocauimus. post hæc madentis hapsi extremitatũ ab utraque parte unam ad priorem corporis partem adduximus, deinde super ipsas attraximus extrema sicci hapsi, tum lintei, quæ futura coniunximus. Quòd si non futura, sed filis contineri quis iuncturã uoluerit, primum illa sub panniculo extendat, oportet. hoc siquidem fieri non debet uinculo iam iniecto, quod similiter in coxa conuenit, tum in femore, in humero, & interdum in ceruicibus a posteriori parte. F

*Fasciæ mundæ, leues, molles, tenues.* 19

Materiam nunc docet fasciarum, eas adhiberi iubens, mundas, leues, molles, tenues. mundas quidem, ne ob sordes sensum mordentium excitent, neve humorum, qui superinfunduntur, uim penetrare usque cutem prohibeant: leues, ne uitiatus locus oneretur: tenues, ut leuiores sint, & molliores, facileque per eas transeat, quod infunditur: molles, ne premant. Constat autem hæc omnia ad id ualere, ne inflammatio affectas partes inuadat.

*Circumagendæ autem, vel ambabus manibus, vel vtraque inuicem.* 20

Quod supra dixerat communiter de omnibus operibus chirurgiæ, præstari ea uolens utraque manu, uel ambabus simul, id nunc de sola circũagendi ratione scripsit. huiusmodi enim manuum exercitatio celeritati, quæ in dolore potissimum requiritur, magis est accommodata. Ergo ambabus manibus simul circumagitur fascia, quæ in utrãque partem attrahitur: ceteræ, altera tantum. sed & in his utraque inuicem fasciam prehendit, nam, ubi in utranque partem attrahitur, ambæ eodem tempore similiter agunt: in reliquis inuicem, altera maximam iuncturæ partem efficit circumdans, cui ministerio utiliter altera subseruit. G

*Idoneis vero vtendum, partium latitudine, crassitudineque inspecta.* 21

Imperat, ut idoneam fasciam inueniamus, partium, quas deuincimus, latitudinem, crassitudinemque intuiti. Sed, quum recte fascia adhibeatur per ea, quæ dicta sunt, in quibus docuit, unde incipere debeat, qua ratione affectæ sedi circũdari, qualiq; partes cum ipsa comprehendere, tum qua finiri, & quomodo adhibere ibi nodum & filum expediat, scire conuenit nihil indicari ex his. siquidem nihil ex ijs, quæ proposita sunt ex partium, quæ uinciuntur, latitudine, aut crassitudine colligitur, sed ex ipso morbo, & ex figura partis, quam morbus occupat. nunc igitur par est ipsum tradere, quisnam sit profectus fasciarum, ubi partium, quæ uinciuntur, latitudinem & crassitudinem attendimus. hinc enim ipsorum linteorum longitudo ac latitudo intelligitur. Paruulo puero exempli causa consentaneum est fascias inijciendas esse, quæ, quod ad longitudinem spectat, breues sint, quod ad latitudinem, angustæ, ut magnæ staturæ iuueni longas, & latas, proque eorum proportione ceteris corporibus, quæ inter magna sunt, & parua. si quod enim corpus uinciatur, quod penitus mediam inter utrãque latitudinem & crassitudinem habeat, fascias adhibemus, quod ad longitudinem & latitudinem attinet, medias inter eas, quibus ad magnum corpus, & quibus ad exiguum usi sumus: sed si ad alterum extremum magis accedat, augentes uel minuentes pro eo illarum modum uariabimus. H

*Circuitum, capita, dura, æqualia, distincta sint.* 22

Vtraque fascia circuitum habet, & quæ laborantis corpori nondum circumdata est, & quæ locum affectum comprehendit. Capita uero fasciarum, quæcũque illa sint, utrique communia sunt, seu capita nunc intelligantur principia fasciarum, seu fines, siue utraque, & præter hæc etiam extremitates in latitudinem, hæc omnia attinent ad utrumque fasciæ circuitum, ubi scilicet per se glomerata est, & ubi laborantis corpori obuoluta. quare hoc explicare nullo pacto difficile est quamuis de eo huius libri expositores inter se dissideant, uera enim oratio est, seu referatur ad glomeratam, seu ad eam, quæ corpori superdata est. Quin & omnes extremitates intelligimus, non, ut quidam æstimarunt, eas, quæ in longitudinem, uel, ut alij, eas, quæ in latitudinem: illi ad solas fascias, quæ extra corpus sunt referentes: hi arctatum fasciæ circuitum indicari ab Hippocrate censentes. constat autem fasciam per se, priusquam corpori inijciatur, arctandam esse. sic enim facilius prehendetur, quum & tenuior sit, & circuitus habeat

A habeat tenuiores, eo quòd in globum intenta coarctetur, quum adstringi aliter nequeat. sola uero capita adstringenda esse aperte falsum est, quum non hæc tantum, sed tota fascia debeat coarctari. Ergo uelut in re ambigua id, quod sentio, iam explicabo. Capita intelligenda sunt omnes tam in longitudinem, quàm latitudinem fasciæ extremitates: existimandumque est minus proprie dicta fuisse, dura, atque ea de causa orationem esse obscuram. præfatus enim supra, fasciæ mundæ, leues, molles, qui nunc rursus eas duras inquit? Equidem arbitror usum fuisse duræ, uocabulo rei, quæ significatur, accommodato. nam sæpius in extremitatibus linteorum, quæ quaternæ sunt, binæ in longitudinem, totidem in latitudinem, uel solum stamen conspicitur, cui subtegmen usque finem non cōnectitur, uel solum subtegmen sine stamine. est etiam interdū, ubi alterum eorum laxius extrema parte residit, uel alia parte residit, alia extat. In his igitur linteis circuituum capita molliora sunt, quàm in quibus stamen & subtegmen perpetua usque ad finem procedunt. His, quæ hoc modo molles sunt, duræ aduersantur (ut dixit) conuenienter glomeratæ. satius autem fuisset dicere non molles, ut supra dixit de nodo, non magnum. quæcūque enim media sunt inter immodica (ut retuli) proferri negatione alterius exuperantiæ solent. capita igitur dura iure sic accipi potuerunt, tum quòd nihil aliud, uel mediocriter probabile afferri possit, tū quòd Hippocrates de huiusmodi errore circa lintea nullo alio loco ptracter. Aequa-
B lia significant ea, quæ tota sine ulla uarietate similia sunt, id quod fit, ubi nulla pars lintei durior est aut latior, nulla item mollior, aut angustior, tum ubi nihil deest, nihil corrosum est, sicuti uidemus in telis, quarum textura inæqualis est. Distincta uero fieri accipimus, quum æque omnes partes extentæ sunt, neque una extenta & simplex est, altera duplex, atque implicata.

*Casura sane deteriora sunt, quum cito cadunt: hæc autem sic, ut neque premant, neque decidant.*

Hæc loquendi ratio perturbata omnino est, quomodocunque accipiatur uerbum ἀποπεσόντων, quo cadunt, expressit, siue iuxta Atticorum consuetudinem dictum existimemus, qui genitiuum participij pluralem pro tertia persona pluralis imperatiui ponunt, cuiusmodi illud est ἴτων δ' ἐς Νάξον παρεόντων: siue genitiui casus, cuius rectus sit, ἀποπεσόντες oratio perturbata est. nam, si prius significatum admittamus, talis erit, Casura deteriora cito cadant, uel si mauis cadat, cum dictio, casura, neutri generis sit. hoc autem in numero multitudinis acceptum græce uerbo iungitur tam singulari, quàm plurali: iuxta alterum significatum, eiusmodi reddetur oratio, casura deteriora sunt, ipsis cito cadentibus: sed satius fuit sic scripsisse, Casura sane deteriora sunt, quum cito cadunt. Colligitur autem euidenter ex hac oratione, & alijs quibusdam, librum hunc rudem adhuc editum fuisse, propterea quòd partim auctor
C ipse unam uel alteram literam prætermittendo, addendo, aut uariando errauit, quemadmodum plures scribunt: partim peccauit primus librarius, qui quædam ab auctore obscuris literis scripta minus perspiciens, non bene coniecit. adde, quòd litera perierit, uel confusa fuerit abrupta charta, uel alio casu interueniente. fortasse etiam alij errauerunt, literas præpostere componentes, & nonnulli ueterem scripturam immutantes. ex quibus omnibus fit, ut magnus errorum numerus, in multis exemplaribus accumuletur. Hæc profecto uel semel habita, memoria tenēda sunt: in singulis enim erroribus eadem repetere longum est. Dantes autem integra uerba sic habere, Casura sane deteriora sunt, quū cito cadunt, inquiremus, de quibus hæc dicantur, num de quibusdam corporis partibus casuris: an de fascijs: an de ijs, quæ affectæ parti ad sanitatem comparandam imponuntur, qualia sunt cataplasmata, medicamina, linamenta, laquei: nanque extra hæc tria genera nihil uidetur ab ægrotantium corporibus posse cadere. quin & ab ijs, qui librum hunc explanauerunt, sigillatim unumquodque dictum est, non tamen omnia tria, quanquam, si cui singula probabilia uisa fuerint, poterunt & omnia uideri. Equidem non alienum existimo accipere orationem hanc in linamentis, quæ, uel per se sæpius imponuntur ut ad sanguinis eruptionem, uel, ut medicamenta excipiant, uel, ut eadem superdata contineant. expedit enim prorsus ea decidere, at non cito, sicut neque laqueos: sed, ubi suppuratione facta perfecte ca-
D ro producta fuerit, & circa uenas sanguinem fundentes increuerit. At neque crustas etiam candenti ferramento, uel adurentibus medicamentis inductas conuenit cito cadere. Sed complura medicamēta, quæ partim liquida putrescentibus partibus infunduntur, partim insperguntur arida, partim ad lienosos dantur, & ad aquam inter cutem summopere prosunt, quum non celeriter decidunt: medicamēta item, quæ, quòd bene inhærescant, ἔγκολλα dicuntur, ad alias partes, atque affectus imposita ualde proficiunt, si diutius contineantur: ad fracturas etiam, & ad humeri caput frequenter excidens, tū ad pedum, coxarum, renum, omnium articulorum tormentum, capitisque dolorem acutum experti sumus admodum conferre, nisi cito decidant. e quibus quæcunque dicuntur ἔγκολλα, cum ita gluttinētur, ut uix resolui possint, & corpori inhærescant, uinculum non requirunt: alia uero decidunt, nisi fascijs contineantur, de quibus nunc loquitur. inquit igitur, hæc autem sic, ut neque premant, neq; decidant: quasi ita scripserit, quæcunque medicamenta non expedit cito cadere, ita uincienda sunt, ut affecta parte sub uinculo non coacta ualenter teneantur, quòd idem significat ac, non decidant. In his igitur, quæ extrinsecus superdantur, satis uerba hæc excussa sunt: consideremus rursus, num de partibus corporis, illud uere dicatur: Casura sane deteriora sunt, quum cito cadunt. nonnulli siquidē orationem hanc falsam existimant, quos fallunt partes putrescentes, quæ celeriter excidātur necesse est. quod ipsum per se uerum est, nihil tamen illi repugnat, multum enim interest inter ea, quæ casura

sunt,

ſunt, & quæ excidi debent. ſæpe enim oſſis teſta, uel ſquamula tempore decidit, quas præſtat a natu- E
ra compulſas tempore paulatim abſcedere, quàm ſub irritantibus præſidijs, aut ſub inſtrumentis reſol-
uentibus cadere. quæcunque enim ſubita ui extrahuntur, ſinus fiſtulis ſimiles relinquunt: ubicunque
caſura ſubcreſcente calloſo quopiam, uel carnoſo remittuntur, locus quamprimum plenus cōſpicitur,
& celeriter ad cicatricem perducitur, ſi medicina modice ſiccans, atque adſtringens adhibeatur. Atqui
nonnulla etiam neruoſa, & a membranis non abhorrentia, ſæpius excidunt, paulatim tuto longo tem-
pore ſuppurantia, quæ ſi cogantur uehementibus medicamentis, id eſt acrioribus, uel ſi inſtrumento
quopiam, ſeu digitis noſtris euellantur, reliquas partes afficiunt, inflammationem, febrem, delirium,
neruorum diſtentionem concitantia. Iam uero ad reliquum, nempe ad tertium genus eorum, quæ
cadere diximus, pergamus, hæ autem ſunt (ut nonnulli concipiunt) faſciæ, quas aiunt, ubi laxæ ſunt,
futurumque omnino eſt, ut cadant, utilius longiori tempore cadere, ſed hoc falſum eſt, ſiquidem, quæ
male affectis partibus circumdatæ ſunt, ſatius eſt cadere quàm celerrime, ne dum tempore: atq; adeo
expectare non debes, dum illæ cadant, ſed cito ipſe iuncturam ſoluens rurſus moderatius deligare. qua
re nonnulli ex ijs, qui ſic exponunt, fatentur expeditius eſſe, laxas faſcias cito cadere. Sed, quod ab
Hippocrate effertur, præciſe dicitur, niſi quiddã aliud intelligatur, ut uniuerſa oratio ſit huiuſmodi, ca-
ſura, quum diutius manent, deteriora ſunt ijs, quæ celeriter cadunt: ſed, ſi hoc detur, cadere, minime F
probabiliter refertur ad alias faſcias. Ecquis tamdiu expectat in ijs, quæ ſponte ſunt caſura, cum poſ-
ſit celeriter ſoluere, & recte deligare? alij uero in contrariam partem inclinantes, ueram quidem dixe-
runt orationem, ſed explanando uerba contorſerunt. nam, qui non contorta eſt hæc expoſitio? Caſu-
ra deteriora ſunt, quàm non caſura, præſtat tamen ea cito decidere, ut una ſentẽtia cõtineatur priori
parte orationis hactenus, caſura deteriora ſunt, & rurſus ab alio principio orſi legamus, cito cadant.
At contorta eſt (ut diximus) hæc expoſitio iuxta figuram loquutionis [illegible] appellatam. Adde
quòd ſi illud, caſura ſane deteriora, in uniuerſum accipiatur, falſum eſt, compluribus enim cadere bo
no eſt. melius eſt igitur (ut narrauimus) orationem ad ea referre, quæ ſuperimponuntur, & ad partes
caſuras: faſcias uero, & poſtremam expoſitionem reijcere.

*Ad quæ autem faſciæ ſpectant, vel quæ ſuper alias dantur, vel quæ primæ inijciuntur, vel vtraque.* 24

Supplendum eſt, hæc ſunt: dein protinus legendum, faſciæ, quæ primæ inijciuntur, efficiunt, ut quæ
abſceſſerunt, propellantur: & quæ ſequuntur. Spectant dixit ἔχειν eo ſignificans, quaſi deſiderant,
& ſibi uendicant, & ſpectant, quæ rurſus omnia idem ſibi uolunt, nempe, quæ uinculi uires ſint, quæve
opera. Voco autem nunc opera, non operas, ſed effecta, quomodo domus opus eſt ædificatoris, fabri G
lectus, textoris ueſtimentum. In uinculis itaque, præſertim quæ ad fracturas adhibentur, binæ faſciæ
obuoluuntur, antequam panni inijciantur, ſecundum hos reliquæ. Priores duas Hippocrates proprio
nomine dixit ὑποδεσμίδας: iuncturam uero, quæ ex his fit, nuncupauit ἐπίδεσιν. Audiamus deinceps
ipſum dicentem, quæ præſtare poſſint tam illæ faſciæ, quæ primo inijciuntur, quàm faſciæ communiter.
debuit autem primum explicare cuius gratia uincula a Medicis inijciantur, quomodo primum parti-
tus eſt, aſſerens alia ſanare, alia ſanandi ſocia eſſe: tum qua uia iniectum unumquodque eorum ſanet. ad
curationis enim conſilium reſpicientes idoneam iuncturam inueniemus. indicabit autem conſilium ua
letudo, quæ curabitur. Hippocrates tamen non ita ſcripſit, ſed hactenus præfatus, qualem adhibere iun
cturam debeamus, tranſit ad opera, & uires ipſius.

*Faſciæ, quæ primæ inijciuntur, efficiunt, vt quæ abſceſſerunt, propellantur: hiantia coniungãtur: contracta ſeparentur:* 25
*peruerſa dirigantur: aut contraria.*

Abſceſſile nunc dicit quæcũq; corpore integro cum alijs partibus iungebãtur, hæc, cum aduerſa ua-
letudo eſt, unitatem & contactum non amplius retinent. Vnitas quidem abeſt omnibus fracturis, ulce
ribus, fiſſis, contuſis: contactus uero abſceſſibus, ſinibus, inflationibus, tumoribus. Hiantia dicit,
quæ plurimum inter ſe recedunt, quod fit duobus modis, uel ubi ipſa tota, uel ubi oræ duntaxat H
inter ſe diſtant. Ergo conſilium curationis eſt, quæ abſceſſerunt propellere: hiantia coniungere
peruerſa dirigere, quod communiter ad omnia ſuperiora pertinet. Græci hoc ἀναπληρῶσαι, & ἀναπλῶσαι di-
cunt ſignificantes, quæcũq; aliquo modo excedant, in ſtatum reſtituere moderatum. cõſilia igitur in uin
culis adhibendis, hæc ſunt: quãquam eorum uis non modo hæc præſtat, ſed interdum etiam contraria,
cum recte inijciuntur, hæc: quum male, contraria. Merito igitur in extrema oratione adijcit, aut cõtra
ria: conſtituit enim oſtendere, quid faſciæ, quæ primo inijciuntur, efficiant, & non tantum de recte adhi
bitis tractare. In principio ſane huius orationis. Ad quæ autem faſciæ ſpectant, uel quæ ſuper alias
dantur, uel quæ primæ inijciuntur. loquitur de omni uinculo, non de optimo tantum: ſi quis tamen
de optimo tantum uelit ipſum agere, quod in extrema oratione additur, hanc ſententiam habebit.
Sicut in habitu præter naturam alia diducta, hiantia alia, nonnulla peruerſa conſpiciuntur, ſic uidere
licet alia uitia his contraria. corpore enim bene ualente, quum moderata cuncta ſint, omne uitium
inde oritur, quòd moderatio corrumpitur. Ergo, ſicut quæcunque naturali habitu ſunt, ubi cum
quibuſdam continuantur, uel quædam contingunt, amiſſa unitate, & contactu ægrotare, & habere
præter naturam dicimus, ita etiam, quæ neque continuabantur, neque ſe contingebant, unitas, &
contactus morbo implicabit. quare, quum hæc contraria ſint, ubi curentur, contraria conſilia exi-
gent.

A gent. Illa uero uidebuntur rationi repugnate, quæ contraria sunt peruersis, directaque nuncupantur. oportebit enim, & hæc (quantum ex proposita oratione colligitur) peruertere, qui effectus nō amplius est uinculi idonei, sed alieni. uerum, si quis meminerit eorum, quæ ab Hippocrate de femore, & de humero traduntur, comperiet his rectum habitum præter naturam esse, quum secundum naturam exteriorem & priorem partem gibba sint. Sed quendam hoc latuit, qui femur humerumve transuersum factum, primo quidem rectum composuit, tum callo glutinandum in eo habitu deligauit: sed, quum naturalem ossium habitum animaduerteret, eumque seruandum esse intelligeret, sentiens fractum os nondum callo solidatum, aqua calida perfudit oleo copiose adiecto, dein uehementer extendens, primo quidem perfregit, ut initio fractum fuit, tum naturali figura seruata composuit, post hæc ita figuratum naturæ commisit callo glutinandum. Quare uerum est non solum imprudentes medicos ob alienum uinculum contrariam utilitatem superioribus afferre, sed optimos etiam de industria. quoniā, quæ præter naturam duplicata sunt, ad contrarias partes conuertunt: in ijs, quæ coalescunt, coniunctionem soluunt. uidemus enim quibusdam exulceratos digitos cohærere, ita labra, & palpebras. Spectate igitur hæc oportet in huiusmodi uitiorum curatione, quorum singulorum propriam iuncturam subijcit, primo proximis uerbis agens, qua uia parari fasciæ debeant.

B

26 *Iam uero fasciæ parentur leues, tenues, molles, mundæ, latæ, sine suturis, sine eminentijs, ita ualentes, ne extentæ rumpantur, & paulo amplius, non siccæ, sed eo humore madentes, qui singulis sit idoneus.*

Scripsit iam ante de fascijs, sed mutila quædam, ex quo colligitur librum hunc, neque ab Hippocrate fuisse adeo polite limatum, ut edi posset, neque a filijs. nemo enim post obitum Hippocratis eadem, uel breuissima etiam oratione attigisset, sed uel hæc, uel quæ ante proposita sunt, resecuisset. dixit enim superius, fasciæ mundæ, leues, molles, tenues, nunc adiungit opus etiam esse, ut latæ sint, sine suturis, sine eminentijs, tum ualentes, non solum sic, ut non rumpantur, quum uehementius extenduntur, sed eo etiam amplius, hoc est ualidæ sint, & firmæ, quo fidelius teneant. Præcipit autem, ut sine suturis sint inæqualiter prominentibus, & sine eminentijs, quæ sunt in ijs, quæ texuntur, interdum de industria, interdū inuito textore, oblongis quibusdā extantibus, modo ex ipso subtegmine, modo etiā ex purpura. sed & fœminæ in ijs, quas uocant prætextas, data opera omnino hoc faciunt, quæ omnia caueri iubet. At quod inquit fasciæ parentur latæ, ijs annumerari potest, quæ minus accurate proferuntur. nam, si angustis comparentur, poterit quis redarguere, cōferens eas cum ijs, quæ iusto latiores sunt: sed si ad mo-
C deratas, quod a moderato in utramuis partē recedit, siue amplius sit, siue minus, id omne uitiosum est. Quorsum adhibeantur, tenues, leues, molles, mundæ, superius dictum est. quod addit: non siccæ, sed eo humore madidæ, qui singulis sit idoneus: ad fascias quoque refertur. quo autem motus argumento id præcipiat, euidentissimum est. in nullo enim uinculo siccas admouendas censet, sed ex eo humore madefactas, qui εὐϊτροφος hoc est idoneus sit singulis uitijs, quæ curantur. Siquidem cerato liquido simplici, & quod picem habeat, & uino nigro austero madefieri has docuit in opere de fracturis, & de articulis. Quòd si inijciantur siccæ, præterquam quòd ea ope carent, quam afferunt madefactæ, comprimendo ipsas partes, quibus superdantur, earum calorem augent, atque ea de causa proximorum locorum humores euocant ad sedem affectam, quod cum tumores excitet, cuiuis constat maximo esse detrimento.

27 *Quæ abscesserunt quidem, eatenus, ut quæ sublimia sunt, sedem contingant: at non premant, incipiendum uero a parte sana, & qua ulcus est finiendum, ut quod subest, effundatur, neque aliud ultra coeat.*

Siue fracti ossis partes præter naturam inter se recesserint, siue quæ coniuncta sunt, inter se dehiscant, siue magnum uulnus sit, coniungenda sunt, dum se tangant, non tamen urgeant. quandoquidē
D partes, quæ sic deligarentur, inflammatio & dolor inuaderet. De his autem nunc potissimum loquitur, quæ uentriculi nuncupantur, idque exempli causa, hoc enim ipse explanauit in sequentibus. Illud uero, eatenus, ut quæ sublimia sunt, sedem contingant, at non premant, communiter refertur ad alia omnia, quorum naturalis contactus, uel coniunctio soluta est: sed, quæ proxime subijcit, cum inquit, incipiendum uero a parte sana, & qua ulcus est, finiendum, patet de tumoribus dictum esse. ab ijs enim saniem effundi oportet, & glutinationis tempore nullum succum cōcurrere ad partem. quod sane continget, ubi imum sinum adstringamus, dum comprimatur: tum paulatim uinculum laxemus, usque ad os sinus, quod seruari apertum debet, & deuexum. sinus itaque, ubi puros reddiderimus glutinare uolentes, ea ratione deligabimus. At ubi latum os scapularum summum a iugulo recesserit, sublimior ipsius pars ualēter cōprimi, & cogi debet, nullum enim afferet incōmodū eiusmodi pressus, quemadmodum, ubi iugulo comminuto altera pars eius sublimior fit, minus tamen comprimemus hanc q̄ latū scapularū os summum, alias insuper fracturas minimū, ueriti ipsam inflāmationē. Nos itaque de omnibus, quæ abscesserunt locuti sumus, Hippocrates autem exempli causa de solis sinibus, in quibus deligandis, moderationem aperte docuit, cum ait, quæ sublimia sunt, hoc est, quæ abscesserūt sedem contingant, at non premant, sedem uidelicet id nuncupans, quod abscedenti corpori subiectū

est.perpetuo autem debet inhærescere,insidereque quod admouetur.siquidem priusquã partes se contingant,nullo modo possunt inter se glutinari,glutinãtur enim,cum se contingunt, & non urgent. In aperto sane est neminem simpliciter imperaturum,ut sinus,qui glutinatione indigent, ita uinciantur, cum primo uindicandi sint ab inflãmatione,dein purgandi,aut siccandi: præterea si quid carnis tabuerit,reficiendum:at nec fissa,nec contusa,quæ ad ulcera simul & sinus spectant, per propositum uinculum conuenit purgare,quum primo incidunt, sed simul atque inflammatione uacant, & sicca sunt. In utrisque autem dixit continui solutione carnosas partes affligtari, cum eo quòd aliquid sanguinis inter eas subsistit,quod commune est abscessus & sinus.pars enim, quæ sic afficitur,quousque aperta non est,abscedere dicitur,idque uitium nominatur abscessus. Verum,si qua aperiatur,ut humor,qui receptus est,exitum habeat,uitium iam non amplius abscessus,sed sinus uocatur. Omnia igitur hæc mala perpetuo iuncturam postulant,ceterum non perpetuo similem.quoniam superueniente inflammatione iunctura ne per se quidem experitur,sicut neque ubi suppuratio fit: quum sinus iam est factus, & caro increuit, moderata admodum opus est, ita, ut quæ abscedunt, sedem non contingant, per eos enim demittenda sunt purgantia,& aperientia medicamenta: ubi glutinandi tempus est, quod Hippocrates nunc agit, necessaria est uinciendi ratio, quam tradidit.Sed neminem decipi uelim existimantem uelle Hippocratem sinus omnes ita deligari.ostensum enim est non omnes, sed quibus nullum aliud accessit malum, nempe, quum nec inflammatio est, nec putrescit caro, nec sordes aut succus subsistit.quoniam ipsi unius generis soli per se suam curationem admittunt. Hæc autem abunde fuerunt a nobis diffinita in libris de ratione curandi.

*At qui obligentur recta recte,obliqua oblique,eo modo figurata, & quo minime lædantur, & quo fascia non premant & non laxentur,quem habitum non mutabunt,quum suspendendi,aut collocandi causa mouenda erunt: sed similiter hæc omnia se habebunt musculi,uenæ,nerui,ossa,bene contenta, & bene suspensa.* 28

Recta & obliqua nunc dicit non partes corporis,sed abscedentia,de quibus agit exemplo duntaxat sinus adducto,qui ad longitudinem eius,in quo fit,relatus,prorsum uel rectus est,uel obliquus. Rectũ igitur nunc intellige decliuem,obliquum uero eum,qui talis non est.Vocauit autem rectum sinum,cuius os in inferioribus partibus situm est,imum in superioribus: obliquum uero, ubi spectat ad latera. Verũtamen fiunt etiam sinus,quorum situs his contrarius est,quippe quorum imum ab inferiori parte sit,os a superiori,quos,ut detur exitus sanici,imos aperire rursus oportet. quòd si os ab inferiori parte penitus non fuerit,sed a latere,necesse est commodum partis habitum & uinciendi modum, ut inde sanies excernatur inuenire.tanta enim in talibus est habitus uis,ut sæpenumero nos,eo uariato,os, quod a superiori parte uidebatur,in inferiori collocauerimus.Femur itaque, in quo sinus uersabatur, os habens prope inguẽ,imum prope genu,sanauimus,quum ita figuraremus, ut inguen genu superius esset, quod facile cessit,ac sine dolore popliti subiecto puluino molli: eadem quoque uia sinus in posteriori parte cruris,quæ carnosa prominet,quorum os popliti finitimum erat,ad sanitatem perduximus, extremum pedem sublimiorem poplite collocantes: brachium præterea sinu detentum mitella suspendentes,sæpe curauimus,manuum cubito altiorem cõstituentes:cubiti articulo similiter offenso,sic, ut sinus iuxta ipsum insidens a superiori parte humerum,ab inferiori brachium occuper,maxime accommodatur,qui nunc dictus est habitus,in quo articulus utroque osse humilior collocatur, cubiti scilicet & humeri,in quo casu duabus utimur fascijs,quarum utraque a uitio orsa ad os,quod in articulo est, finitur. Ergo,ubi sinus rectus omnino sit,iuncturam adhibebis,quæ in neutram partem inclinet, perinde, ac si fractum membrum deuincias,quod rectum debeat contineri:sed,si ad latus conuertatur,uinculũ æque eodem spectet,& is habitus seruetur, quo sanies exitum habeat.deligare autem debemus affectã partem in eo statu,quo continenda est,scientes ea,quæ mutantur magnopere lædi,ita, ut necesse sit, nonnulla ex his,quæ attollebantur, subsidere, quædam, quæ deprimebantur, assurgere, quo necessario fiet,ut quæ attolluntur, urgeantur a fascijs,quæ subsidunt,cum fasciæ relaxentur,non cõtineantur. Dixit autem Hippocrates in fascijs quæ premunt [illegible], in ijs, quæ laxantur [illegible], imperauitque, ut propriam sinui iuncturam inijciamus,eum habitum deligentes, sub quo neque fasciæ premant, neq; laxentur.nam,ubi laxentur,coguntur affectæ partes mutari.Quòd si uinciendi tempore simpliciter obliquum sinum duntaxat spectemus,obliquam iuncturam admouebimus in eo habitu, in quo durare uitiatæ partes non possunt,ubi contineantur,aut suspendantur.ubi autem alligatæ partes moueanť,nonnullæ adstringentur,nonnullæ laxabuntur.quæ in figurando muteně,ipse nominatim exposuit,cum inquit,musculi,uenæ,nerui,ossa, his enim continetur corporis moles. Intelligendæ autem uenæ sunt iuxta maiorum consuetudinem,non solum,quæ nunc uenæ nuncupantur,sed etiamnum arteriæ. Mens igitur totius orationis hæc est,cuius singula uerba nõ admodũ obscura sunt, fortasse tamen non ab re fuerit ea paucis declarare.ἀναλήψιος, hoc est suspendẽdi uocabulũ accipit in brachio, quod, ubi deligatum est,collocatur in mitella,quæ a cubito ad manum excipiens ipsum sustineat: θέσιος, hoc est continendi in crure.Patet autem id,quod suspenditur comprehendi sub genere eorum, quæ continentur.In fine orationis bene contenta dixit & bene suspensa, illudque ad crura,hoc ad brachia refertur.

Tum

A

29 *Tum eo modo figurata ſuſpendantur,& iaceant, quo minime lędant,& ſecundum naturam ſint.*

Non aliud eſt,quod minime lædit,quàm quod ſecundum naturam eſt: ſed uni & eidem contingit ſecundum naturã eſſe,& minime lædere.quid hoc ſit,in opere de fracturis ſatis ab ipſo expoſitum eſt. quod & hic etiam ſuo loco exponetur.

30 *Quæ uero non abſceſſerunt,contraria ratione.*

Quidam adiecta negandi particula,non,ſcripſerunt: Quæ uero non abſceſſerunt, aſſeruntque, ubi
abſceſſerit aliquid,utendum eſſe uinciendi ratione ſuperius poſita,ubi non abſceſſerit,contraria.Ratio
ſuperius poſita,incipiebat a parte ſana,& ſuper ulcus deſinebat, coarctandi uim remittens. contraria
igitur incipiet ab ulcere ac fractura,& ſuperius procedet laxius adſtringens.Sed qui uerba hæc decla-
rant citra negationem ſcripta,commonere ipſum aiunt,ut,ubi operam damus, ut quæ præter naturam
contracta ſunt,aut commiſſa,abſcedant,ſuperiorem uinciendi rationem immutemus. Perſpicuum aũt
eſt,ubi ea,quæ admodum inter ſe iuncta ſunt,quocunque modo non conuenienter inter ſe concurre-
rint,deducere uolumus,contraria uinciendi ratione opus eſſe.quin & in multis magnis uulneribus, in
B quibus,ima parte non ſaneſcente,cutis agglutinatur,uel ex duplicatis oris altera ſuper alteram exce-
dit,item ad ſimilitudinẽ orarum cutis,in illis fracturis,ubi fracti oſſis extremitates altæ ſunt diductæ,
quæ concurrerunt,abſcedere debere,id quoque in aperto eſt.quod ipſum illis quidem oſſibus accidit,
quæ intrinſecus multum caua ſunt.Hæc quidem per ſe utilia eſſe certo ſcimus,quæ quis nunc reprehen
dere poſſet,ut male adducta,eo quòd propoſitis uerbis nullo modo accommodentur, ita enim habẽt,
quæ uero abſceſſerunt contraria ratione,at non idem ſignificatur his uerbis,quæ uero abſceſſerunt, at-
que illis,quæ uero ut abſcedant,operam damus,debuerunt hi ſicut priores negationẽ præponere uer-
bo,abſceſſerunt,ſicque orationem ſuæ ſententiæ conſonam reddidiſſent,ſcripturamq; ita mutatam po
tuiſſent ſuo iure exponere,nã,ſi ita habeat,ut nunc habet,eorum explanatio aliena eſt. Ne putes igitur
hic de ijs tractari,quæ operam damus,ut abſcedant,hæc ſiquidem in ſequentibus oſtendet: ſed de ijs,
quæ abſcedunt, & nondum perfecte abſceſſerunt,uel quãuis perfecte abſceſſerint, nondum tamẽ uer-
ſa ſunt in ſinum.amant.n.hæc primo curationem,quæ dolorem leniat,concoquat, & pus moueat: ſed
poſtquam ad ſuppurationem uenerunt,aperienda ſunt,ut exitũ habeant,tum ſi quæ remaneant inflam-
mationis reliquiæ,qua parte continetur pus,quod effunditur,ſoluendæ ſunt ex toto: deinde(ut poſui)
ſiccare cõuenit,& carnem producere:quibus factis,ubi unus ipſe relinquitur ſinus, nulli uitio iunctus,
C ac neque inflammatio eſt,nec ſordes,nec ſuperat humor,aut deeſt caro, ad glutinationem ueniẽdum.
Ergo nihil mirum eſt,ſi iubet contraria fieri in his,quæ abſcedunt: nouit enim quilibet, qui medicina-
lem artem profeſſus in operibus eius non oſcitanter uerſatus ſit,abſceſſibus,qui maturari poſſunt, ini-
micum eſſe,ſi quid eius humoris in pus uerſum effundatur,magis enim ad rem pertinet,expeditiuſque
eſt intus ſubſiſtentem reliquum iuuare.in quo caſu affecta pars,quod ad morbum attinet,uinculum nõ
requirit.cum hoc adhibeatur,non quo per ſe curet,ſed quo iuuet curantia. Diſtat ergo abſcedentiũ cu
ratio a totis ſinibus,in abſceſſibus enim expedit priuſquam ad maturitatem peruenerint,nihil effundi:
cõtra in ſinibus,excretis omnibus nihil intus relinqui.Præterea abſceſſibus nullo ore prorſus eſt opus
ſinus os requirunt,idque apertum.Item quæ abſcedunt,ſub calido cataplaſmate,& madefaciendi uim
habente coqui debent:ſinus per uehementer ſiccantia puros reddere, ſiccoſq; oportet. Ad hæc ſinus
propoſito uinculo curantur:abſceſſus non alio nomine uinculum poſtulãt,quàm ſanantium præſidio-
rum commoditate.Sed Aſclepiades illud:quæ uero abſceſſerunt contraria ratione,referens ad uincu-
lum,eius mentem uniuerſam eſſe autumat:Quòd ſi partem ſic figuratã deligaueris, ut faſciæ neq; pre-
mant,neque laxentur,hoc totum ſecundum naturam eſt:in ijs uero faſcijs,quæ abſceſſerunt contraria
efficito,hoc eſt contrario modo figurans deuincito.Scribit autem ad uerbum ſic, Sic quo modo parte
D figurata uinculum abſcedat,contrario figuratam alligato, ut ſi,ubi extento cubito humerum deuinxe-
ris,faſcia non maneat,ſed recedat,contra,atque ubi extentus erat figurato,hoc eſt cubitum inflectens
ipſum denuo uincito.quoniam uero ſecundum naturalem habitum crura extenta ſunt, ſi quem ijs cur
uatis deuinxiſti, extendere ipſa iuſſeris, cum muſculi locum mutent, diducetur faſcia ab illis locis, a
quibus muſculi receſſerunt,quòd contrario modo figurentur,atque ubi curuata erant. ſiquidem crura
extenta uincienda ſunt, eoque modo figurata continenda.Hactenus Aſclepiades, proximum iam eſt,
ut ad alia uerba tranſeamus.

31 *Vbi uero hiantia coniungenda ſint,in ceteris eodem modo,tantum ab ulterioribus aliquid adducendum erit, & paulatim comprimendum.primo quidem minimum,deinde magis, maxima compreſſio contactu terminetur.*

Reducamus in memoriam, id, quod ſummatim Hippocrates a faſcijs, quæ primæ inijciuntur, fieri dixit his uerbis, quorum principium eſt, Faſciæ, quæ primę inijciuntur, efficiunt, ut abſcedentia propellantur,tum ea, quæ hactenus ab ipſo prodita ſunt. ſupplebimus enim hac uia id,quod propoſitæ orationi uidetur deeſſe, ſic, ut eo adiecto talis fiat, Vbi uero hiantia coniungere oportet, in ceteris eadem agemus, tantum ab ulterioribus aliquid adducemus: & quæ ſequuntur. Hiantia uero nunc ab ipſo dici exiſtimãdum eſt,quæ,præterquam ꝙ ultra debitũ inter ſe recedũt,utrãq; etiam oram

habent in exteriorem partem conuersam,quod in uulneribus fieri constat, uehementi interdũ inflam E matione accedente,ubi cum carne alte admodum uulnerata transuersus musculus incidatur , deinde nou glutinetur,iungaturque,sed magna inflammatio sequatur,sub qua extenta cutis utrinque proximam oram attrahat,ab utraque parte uulnus hiabit.Eiusmodi figuram repræsentant labra inflammata palpebræ,& cutis,quæ glandem tegit:in capite etiam cum aperta cutis est,ut locus terebræ sit, adiecta inflammatione hiantium speciẽ uidemus,idq; sæpius accidit,potissimũ,ubi cute coacta spacium, quod in medio est,linamentis implemus.id quod interdum facimus,ubi,aut musculorũ uulnus transuersum alte insederit,aut sanguis eruperit,lintea carpta(quæ uocãt linamẽta)inserentes, atq; ubi timemus,ne cutis sanescat,utrinq; contracti musculi partibus nõ glutinatis.Postulãt sane cũcta hęc uitia & alia pręsidia,quæ inflãmationem submoueant,uerũ ipse nunc nõ quãlibet cuiusq; morbi curationẽ exequitur, sed eã,quæ proprie uocaĩ chirurgia.Hiantiũ igitur uinculum idem est, quod abscedentium, quod ad reliqua spectat,orsum.n.a parte sana paulatim ad cutem uenit aperte ulceratam,sed eo distat,ꝙ in his ab ulterioribus incipit,quàm in abscedẽtibus,quodq; compressionẽ intendit usq; ad hiatũ. In finibus igiẽ uinculum ab imo incipiebat:at in hiantibus non recte inde orditur,ubi quasi radix est,sed longius a parte sana.præterea cutẽ paulatim adducit ad ulcus,quam cõpressionem non remittit, sed paulatim intentum primo ambitu cutem premit,deinde magis. Vocabulũ,primo nõnulli accipiunt in uno uinculo,nõ F nulli in pluribus.ꝙ si ad unũ referatur,notabit uinculi principiũ:sin ad plures, primũ uinculum uniuersum ostendet. utrunq; autem uere dicitur aliter in alijs affectibus, nõ genere , sed magnitudine inter se discrepantibus , siquidẽ oras leuius in exteriorẽ partem conuersas uno tantum uinculo reducere ad naturalem habitum conabimur:ubi amplius hient,ui nõ cogemus,cũ primo deligabimus , tunc.n.magis ad rem pertinet insistere inflammationi,quàm componere hiantia. Adijcitur aũt postremis uerbis maxima compressio contactu terminetur , quoniam hiantia magis adduci possunt,quàm ut se contingãt,sed ubi sic adducta sunt,alterum altero urgetur,& dolet,eoq; ipsorum inflammatio augetur.ducenda ergo sunt,quæ hiant,ut se contingant,sed non ultra id . Hæc autem scriptura dupliciter legitur , in quibusdam exemplaribus,maxima cõpressio cõtactu terminetur:quã agnouit Asclepiades : in alijs autem maior compressio contactu terminetur.quæ,maxima,habet,sicut potior est,ita etiam uetustior.

*In diducendis ijs,quæ contracta sunt,si inflammatio est,contraria ratione uti oportet:si ea non est,præparatione eadem* 32 *sed uinculo contrario.*

Contraria ratio est contractionis , atq; hiatus,siquidẽ sub hoc labra plurimum inter se in cõtrarias sedes recedũt,sic,ut alterum in dextrã partem,reliquũ in sinistrã cõuertatur:cõtra ita inter se cõcurrũt G quæ cõtracta sunt,ut uel unũ alteri insidat,uel inter se duplicẽtur quodãmodo,uel instar eorum,quæ inuoluta sunt,implicentur,id,quod interdum ob inflammationem accidit,non aliter,quàm contrariũ malum,sub quo hiantis corporis partes plurimũ inter se diductæ in contrarias sedes recedunt.neq; mirum est,si ab eodem morbo inflammationẽ uidelicet,hi contrarij casus oriuntur, cum non ijsdem particulis uehementer inflammatis utrunq; accidat,ut hient & contrahantur.in oculis enim,ubi exteriorẽ palpebratum cutem ingens inflãmatio male habeat,& intentione quadam proximum locum afficiat, palpebra ob inflammationem intenta,in exteriorem partem conuersa aperte deprehenditur : ubi non cutis, sed interior tunica,quæ usq; ad nigrum oculi pertinet,ualde inflãmetur,palpebra tunc in interiorẽ partem trahitur.quę res,cum ambabus accidit palpebris,morbum facit,quem χύμωσιν dicunt,sub quo aperire æger oculum nõ potest.quod uitij genus labris interdũ incidit,tum cuti,quę glãdem tegit , & ano, quorum causa eadem est,exteriores.n.eorum partes inflammationis uti in interiora uertuntur. eadẽ uitia & in fœminarũ naturalibus uersantur.simile quoddã accidit & uulneribus,& ijs,quæ utcunq; ulcerantur,interioribus enim partibus inflãmatis peruertuntur ulcerũ labra in interiorẽ partẽ:sed cõcidunt etiã intro,in quo casu extenuari & emacrescere ac putrescere eadem labra necesse est.nã, qui aliter fieri posset,ut prõpte introrsum conuerterentur? Deficit etiam pars interior, uel quòd nõ subministretur H alimentũ,quæ res ad tabẽ perducit,uel ꝙ subiectæ carnis scalpelli opera plus iusto excisum fuerit , uel ꝙ putrescens absumatur.Ergo huiusmodi affectibus succurrit idoneum uinculũ , quod ubi inflammatio accedat , non solum per se non iuuat,sed onere etiam lædit. Adhibetur autem commoditate medicamentorum inflammationem curantium. quo spectans dixit Hippocrates debere nos , quæ contracta sunt diducentes , ubi inflammatio quidem est contraria ratione iuuare , hoc est a uinculo cauentes . quoniam , nisi magna necessitas urgeat , ut quædam teneantur inflammatis partibus superiniecta , nullo modo deuincimus , cumque hæc confidimus posse sine uinculo manere , fascias ad continendum non inijcimus. Accipimus autem lintea quàm tenuissima,& leuissima,ac circuitibus, quãtum fieri potest,rarissimis , uel uno tantum etiam contenti sumus , quæ res plures medicos latuit inflammatis partibus,qua tumor esset , super cataplasmata imponentes duros & graues panniculos,multam lanam , plures fascias , quæ per se omnia sunt inflammationibus aliena,cum onere potissimum offendantur. Iam uero in ijs,quæ citra inflammationem contracta sunt, iubet , ut fasciarum præparatio eadem sit , quæ prius : uinculum uero contrarium , atque in hiantibus . si quidem in illis fascia longe orsa , a parte sana , euoluta ad ipsum hiatum procedebat , paulatimque compressio eius intendebatur : at in contractis ab affecto loco incipientes fasciam euoluimus super cutẽ,quæ iuxta est. Adiũgi uero hic debet

A bet, quod ab Hippocrate prætermittitur, ut qui non conſtituerit ipſorum, quos memorat, affectuum uniuerſam curationem docere, ſed eam duntaxat, quæ manu adhibetur. nos uero, ut ſermo abſoluatur quod reſtat adſcribemus. Vbi quid eorum, quæ contracta ſunt (ut dictum eſt) diduxerimus ſubiectum, locum, in quem labra inciderunt, implere linamentis debemus, uel idoneo medicamento, donec contractæ partes proxime cuti æquentur, tum propoſitam uinciendi rationem admouere.

33 *Dirigere item ubi peruerſa oporteat, cetera fieri eadem debent. In ijs autem, quæ receſſerunt, adducendis, uincire opus eſt per faſcias, quæ primo inijciuntur, tum glutinare, atque ſuſpendere, in contrarijs uero contra.*

Corpus peruertitur, ubi aliquid ſua ſede, modo in exteriora corporis, modo intro in ſpacium quodpiam laxius mouetur, quemadmodum in naſo, qui, ſi quid uel oſſis, uel chartilaginis in exteriorem partem recedat, ab exteriori parte deprauatur: ſin in foramen interius, ab interiori, ad cuius exemplum reliquę partes peruertuntur. Conſtat autem & in ijs commune cuiuſque curationis conſilium præſidia oſtenſurum. eſt autem commune ubique conſilium contrarijs contraria curare, quocirca nũc etiam, quæ receſſerunt, & per alia auxilia (de quibus tractare nunc propoſitum non eſt) & per faſcias B coniungenda ſunt. docuit autem ipſe deligandi modos huc pertinentes, iuncturam (ut ipſe antea ſcripſit) ad ea quæ abſceſſerunt, quæ hiant, & quæ contracta ſunt: glutinationem, ut in opere de articulis ad naſum & maxillam: ſuſpendendi rationem, quemadmodum, ubi in libro de fracturis inquit: Quod ſi utroque oſſe comminuto, uel eo, quod ſubiectum eſt tantum, deligatum brachium mitella ſuſpendatur, eaque plurima circa fracturam detur, partes uero hinc atque hinc ſuſpenſæ ſint, homini neceſſe eſt os ad ſuperiora peruerti: ſin oſſibus ſic fractis, mitella manum duntaxat, & cubitum excipiat, reliquũ uero brachium ſuſpenſum ſit, deprauatum ſpectabit deorſum. debet ergo brachium ſuſpendi per mitellam latam mollemque multum brachij cum prima palmæ parte æqualiter ſuſtinentem. Hęc igitur uerba alienam ſuſpendendi rationem, deprauantemque indicantia, deprauatorum quoque curationem demonſtrant. Demus brachium cuipiam in inferiora peruerti, ſuſpendendum erit mitella anguſta ab inferiori parte exceptum: at ſi ſurſum intendens deprauetur, ea utendum erit ſuſpendendi ratione, quæ in inferiora peruertit, per quam & regione iuxta primam palmæ partem, & cubito mitella comprehenſis, quod inter hæc eſt, nulla re fulcitur. Conſimili modo, ubi prima palmæ pars in ſuperiora conuertatur, iuncturam adhibebimus, quæ deorſum incliner, hac complexi, quæ in uicinia cubiti ſunt, alteram extremitatem a prima palmæ parte ſine fulctura relinquimus. itidem cubitum in ſuperiorem partem C intendentem ſic ſuſpendemus, ut ipſum ſine fulctura relinquamus. quæ ſuſpendendi ratio efficiebat, ut, cum nondum peruerſus eſſet in inferiorem partem inclinaretur. Sed (ut ſummatim dicam) quæcunque deprauare poſſunt, quæ deprauata non ſunt, eadem dirigunt, quæ in contrariam partem ſunt peruerſa. Ad horum autem ſimilitudinem deprauantur, diriguntur que, quæ in femore, & quæ in crure, cum totum crus iacet. quod enim in brachio efficit ſuſpendendi ratio, id iacendi in crure. ſed ſupplere oportet, iacere, ubi Hippocrates inquit, ſuſpendere. Illud autem in fine ſermonis, in contrarijs uero contra, poteſt ad prædictos deligandi modos referri: intelligemus enim ipſum uelle uitia, quæ ijs contraria ſunt, contrario modo uincta curari, hoc eſt ijs, quæ peruertunt ea, quæ præter naturam recta ſunt, quorum in ſuperioribus mentionem feci.

# GAL. IN HIPPOCRATEM DE OFFICINA MEDICI COMMENTARIVS TERTIVS.

## *Vido Vidio Florentino interprete.*

## ARGVMENTVM LIBRI.

Trahuntur ad rationem fracturas deligandi ea, quæ de deligationibus in uniuersum dicta sunt: multis tamen partibus plura in libris de fracturis, deque articulis copiosius, perfectiusque tractantur.

*IN fracturis, quod ad pannorum attinet longitudinem, latitudinem, crassitudinem, numerum, longitudo quidem, uinculi longitudinem æquet: latitudo trium sit, uel quatuor digitorum: quod uero attinet ad crassitudinem, triplices dentur aut quadruplices: tot autem numero, ut neque plures sint, neque pauciores, quàm ut ambiant.* F 1 A.l.4.f.5.t.2. c.4.p.900.D.

Scripsit in opere de officina medici, primo de naturalibus indicandi potentijs, quibus uniuersi homines & ad tractationem omnium artium & ad totius uitæ rationem utuntur, necessariæ siquidem fuerunt, non solum ad propositã medicinæ partem, quæ manu medetur, sed ad omnes in medicina morborum notas (σημειώσεις græce uocãtur) quæ sane iudicandi potentijs discernuntur: proxime in proposito opere docuit, quibus constet medicinæ pars, quæ manu curat: tertio, qualem adhiberi uinciendi rationem debeamus, tum ab affectæ partis natura, tum ab ipso affectu indicium sumentes. In propositis autem uerbis de fracturis agit, quæ spectant ad commune uitium continui solutionem. sic enim ego solitus sum hoc morbi genus appellare: sed Hippocrates corpora, quæ huiusmodi malo torquentur, abscedentia dicit, quare & malum non iniuria abscessus nuncupabitur, fietque abscessus morbi quædam species, quam græci ἀπόστασιν proprie uocant & ἀπόστημα. Hæc diximus, ut in memoriam redigeremus, quæ in superiori ex G positione narrauimus: sed iam pergamus ad reliqua. De fracturis uerba faciens, pannos ante omnia proponit, iubens, ut horũ longitudo sit æqualis uinculo, quod constat ex fascijs, quæ primo inijciuntur, cum eo nomine illi adhibeantur, ut has fulciant, atque immobiles teneant latitudo trium, aut quatuor digitorum, hominis uidelicet, qui deligatur: tum quod ad crassitudinem pertinet, triplices sint, aut quadruplices. quoniam, ubi fasciæ, quæ primo inijciuntur, fulctura egent firmiori, quadruplices, ubi non tanta opus sit, triplices obijci abunde putat. Illud autem euidentissimum est, quòd, quo magis comminuta ossa sunt, eo debent firmius contineri. Numero autem tot, inquit, esse oportet, ut affectum membrum complectantur. at iugulum fractum, & costa comprehendi in orbem nequeunt, sed magnitudo fracturæ in quibusdam pannorum numerum indicabit. iugulo ternos pannos quadruplices plerunque imponimus. duos quidem primos ad similitudinem literæ X ut medium utriusque, qua inter se committuntur, fracturæ obijciatur. tertium extendimus super reliquos duos in longitudinẽ H iuguli, ut ea, quæ subiecta sunt, adstringat, & fracturam ipsam adurgeat.

*Pãni instar asciæ imponẽdi.*



*At quum hi complendi causa inijciuntur, longi sint, ut ambiant: latitudinis & crassitudinis conectura fiat de eo, quod deest, id autem compleatur non confertim.* 2 A.ibidem.

Miror Hippocratem non docuisse prius usum pannorum, deinde uiam, qua quis eum possit comparare. Vsus quidem duplex est, ut contineantur fasciæ, quæ primo inijciuntur, & ut impleantur partes, quæ in extremitate tenuantur, quas ipse nominare solet ἀπόξυν & ὑπόξυρα, cuiusmodi brachium est iuxta primam palmæ partem, & crus iuxta pedem, quibus iubet pannos in orbem circumdari, ut postquã iniectæ illæ fasciæ fuerint, quæ alijs superdantur, iunctura sit ęque crassa. Ergo, quum panni duplici de causa superdentur, & ad continendum, & (quod ἀνάπλωσιν dixit) ad complendum, commonet, ut ita longi adhibeantur, ut corpus quod alligatum est complecti in orbem possint: lati uero, & crassi pro eo quod complendum est. nam, si longiores sint, quàm ut partis ambitum æquent, necesse erit extremitatum alteram alteri insidentem reddere membrum tumidum magis ea parte, quàm utrinque, sic ut iunctura inæqualis fiat, atque idcirco laxior: sin breuiores fuerint, quàm, ut extremi se tangant, quum inter ipsos aliquid inanis spacij relinquatur, iunctura itidem contraria ratione inæqualis erit.

siquidem

A siquidem locus in ijs necessario reddetur mancus, & cauus, perinde atque ubi longiores erant, gibbus & eminens. Edicit, ne huiusmodi panni semel subito inijciantur, sed paulatim, tenuiores quidem a superiori parte, crassiores ab inferiori. quòd si unum subito inieceris, locus talem habitum acquiret, qualem primo habuit membrum.

3 *Ex fasciis, quæ primo iniciuntur duæ sunt, prior ab affectu orsa in superiori parte desinit: altera ab affectu deorsum procedit, inde sursum finitur.*

Supra quoque ostendi fascias, quæ ante pannos affectæ parti primo inijciuntur, ὑποδεσμίδας ab Hippocrate nominari. Scripsit autem in libro de fracturis quorsum utraque imponatur. prior namque ex ipsis non modo prohibet, quod cōcurrit, sed & eius quod in affecto loco receptum est, sursum aliquid expellit: altera non nihil sanguinis in uitiata parte superantis ad extremum membrum transmittit. Commune est utrique compositum os, ne dimoueatur, continere.

4 *Adstringenda autem maxime sunt, qua morbus est, extremis partibus minime, alibi pro ratione.*

Horum item ratio in commentarijs de fracturis exposita est. In uniuersum autem sub omni uinculo, ubi subiecta caro magis adstringitur, humor in ea contentus ad proxima loca propellitur: ubi uero B lenius, admittitur quod procedit ab ijs, quæ uehementius comprimuntur.

5 *Comprendatque uinculum integræ partis quàm plurimum.*

Qua ratione hoc quoque consilium dederit, manifestum est, quia cum uinculum integræ partis multum complectitur, firmius continetur, & humor ab affecta parte ad ea, quæ iuxta sunt magis expellitur, reprimiturque ualentius, quod a superiori parte descendit.

6 *At quod ad fasciarum numerum, longitudinem, latitudinem spectat: numero quidem tot accipiantur, ut a uitio minime superentur, ut ferulas comprimere non sinant, ut onere non lædant, ut inclinationis causa non sint, nec effœminent.*

Alij fere omnes sub eodem nomine fascias habent, quæ primæ inijciuntur, & quæ his superdantur: sed Hippocrates priores appellat ὑποδεσμίδας quæ pannis superdantur ἐπιδέσμους. has igitur quot quàm longas, quàm latas adhibere conueniat, nunc persequitur. imperat itaque, ut tot sint, quot compositū os fideliter contineant. illud enim, ut a uitio minime superentur, id sibi uult quòd, ubi non superent, in contrarium incident, nempe ut cedant, & a uitio, hoc est uitiata parte superentur. quòd si tunc uincunt, quum compositam partem immobilem conseruant, si quid hæc moueatur, iure dicet quis eas superari. C Quod autem inquit, ut ferulas comprimere non sinant, nihil amplius notat, quàm quòd ferulæ, ubi fasciæ iusto pauciores sint, membrum prement, hoc est, cogent atq; urgebunt, quæ noxa uiolatam quoque sedem afficiet: quin si tot adhibueris, ut laborantem oneres, sic quoque peccaueris, quummodum excedas. quæ duo cauentes fasciarum numerum conijciemus, ea obseruatione adhibita, ut neque premant, neque onerent. Sed ne fasciarum numerus (inquit) causa sit inclinationis, quam dixit ῥοπήν, uerbo inde ducto, quòd iunctura tota in alteram partem dextram uel sinistram ῥέπειν, id est, inclinetur, id quod accidit ob exuperantem numerum fasciarum. Vsurpat autem uerbum effœminare, quidam in partibus uitiatis accipiunt, ut quas redditurus sit infirmas & molles superimpositorum linteorum numerus: alij in ipso uinculo, quod imbecillum fiet, quum ferulæ, sub iniectorum linteorum numero laxius contineantur.

A.l. 4.fs.c.2. c.5.p.1900.D. 7 *Quod uero ad longitudinem & latitudinem pertinet, impleant trium quatuor, quinque, aut sex, longitudinem quidem cubitorum: latitudinem uero digitorum.*

Tot igitur digitorum, & cubitorum illius scilicet, qui alligatur, superdari uinculum iubet. neque unum statuit longitudinis & latitudinis terminum, eo quòd nullum sit uinculum, quod adhiberi omnibus æque longum debeat, sed numerum, longitudinem, & latitudinem fasciarum pro magnitudine fracturæ definit, atque hoc est postremum uinculum, quod in opere de fracturis inijci uoluit, quo tempore inflammatione a sede affecta sublata, ueniendum est ad ferulas. (D)

8 *Ambitus itaque panniculorum totidem sint, nec urgeant.*

Imperat, ut panniculi toties fascias cingant, quoties earum unaquæque circuierit. Illud autem, nec urgeant, ad modum refertur adstringendi. eatenus enim coarctari panniculi super fascias debent, ut firmiter maneant, sed non urgeant. At quid magis præstat, quàm coniunctè hanc partem contexere cum priori, ut tota oratio sit huiusmodi, Ambitus itaque panniculorum totidem sint, ut ne urgeāt: quandoquidem premunt, ubi sæpius circumdentur. Expedit fortasse pro τοσαῦτα, id est totidem, legere τοιαῦτα, id est talia. tertia litera scilicet uersa in ι. nam ambitus panniculorum qualitate potius, quàm numero uinculum exhibent moderatum.

9 *Mollia autem adhibeantur, & minime crassa.*

Hæc omnia uidelicet præcipit mollia adhiberi, & non crassa, cauens, quemadmodum supra de linteis diximus, ita etiam nunc ne subiecta corpora comprimantur.

*Omniaque hæc pro longitudine, latitudine, crassitudineque sedis affectæ.* E 10

Idem quoque iam supra dictum est ubi alia res agebatur, non huic dissimilis. Meminisse autē ubiq; conuenit ad uitiatæ partis longitudinem, latitudinem, & crassitudinem referri, quidque de longitudine linteorum, rum latitudine, crassitudine, numerove propositum fuerit.

*Ceterum ferulæ, leues, æquales sint, ab extremo resimæ, ab utraque parte uinculo paulo breuiores crassissimæ, qua fractura extat.* 11 A.l.4.f.5.t.2. c.7.p.901.B.

Spectant tam ferulæ, quàm panni ad stabilitatem uinculi, ac firmitatem. panni quidem, ut fascias tueantur, quæ primo inijciuntur: ferulæ uero, ut omnia, quæ subiecta sunt, muniant, sic ut in uniuersum quatuor sint, quæ singula suum usum præstant. In primis enim fasciæ, quæ primo inijciuntur, compositum os continent, & affectum inflammari non sinunt: deinde panni, qui superdantur, delabi ipsas non patiuntur: tum ferulæ firmant, quas circumponi Hippocrates iubet leues, & planas. est autem contrarium leui asperum, inæquale æquali, idque quod asperum est, omnino inæquale est: at non sequitur, si quid inæquale sit, id prorsus asperum esse, quemadmodum nec uia idcirco aspera est, quia inæqualis. potest enim cum ascensu & descensu cōtineatur non aspero inæqualis & esse & appellari. quin & ferulas nihil prohibet leues esse, non tamen æquales, nam, ubi in latera, uel sursum, aut deorsum spectent, æquales utique non erunt, poterunt tamen esse leues. Fracturis itaque saluberrimum est ferulas F nec asperas esse, nec peruersas, utraque enim de causa comprimunt, præterquam quòd, quæ peruersæ sunt, uinculum quoque peruertunt, quo deprauato pars etiam, quæ comminuta est, deprauatur. Monet autem, ut ab extremo resimæ imponantur. resimas intelligere possumus leniter ab inferiori parte derasas, cum, quæ ad finem usque æquali crassitudine sunt, uinculum ibi æque atque in ceteris partibus contineant, quod minime opus est facto. placuit enim ipsi medium arctius adstringi, inde uersus extrema laxari, extremisque partibus omnium esse laxissimum: tum ferulas uinculo ipso breuiores superaccommodari, ne ultra ipsum ulla in parte cutem tangant, quæ sæpius intumescit, eo quòd humorem admittat sub fascijs depulsum. Crassiores item ferulas imponi uoluit, qua fractura est, quandoquidem ad hunc locum potissimum pertinent.

*Atque ubi partes gibbæ fiunt, et natura minimum carnis habēt, uereri oportet, quæ eminent, ut iuxta digitos, aut talos, uel imponendo, uel breuitate.* 12 A. ibidem.

Cauere iubet, ne iuxta ossium eminentias ferulę superaccommodentur, id quod duplici ratione fit, uel ubi nullo modo ab illa parte ipsius uinculi dantur, uel ubi adhibentur breuiores, quàm ut ad eminentiam pertineant, priusque desinunt, quàm illam attingunt, quod expeditius est. In quibus autem uitamus ferulas, ne quid lædant, ab illis plane abstinentes, dixit imponendo: at breuitate, cum longi- G tudini aliquid demimus, quasi ita dixerit. Cauere debemus, ne ferulæ tangant, quod eminet, uel non imponentes, uel breuiores dantes.

*Panniculi uero fulcire debent, at non comprimere primo.* 13

Paulo supra proxime a fascijs panniculorum mentionem fecit, non tamen expressit panniculos illis superinijciendos esse, sed illud nobis consequutio ordinis indicauit: nunc autem ait fulcire debent, id est firmare ac stabilire, cum eo, ut ne premant. idque ubi primo uinculo inijcimus, ita, ut si homo sequentibus diebus rogetur, respondeat se nihil sentire, quod comprimat, cum liceat nobis per panniculos ferulas coarctare. Scripserunt quidam, primo, non in fine propositorum uerborum, sed in principio sequentium, ita ut habeant, Primo inuoluere oportet ceratum, molle, leue, purum: satius autem fuit cerato molli, leui, puro, in sexto casu accipere, ita, ut oratio reddatur. Primo circa fractam partem cum ipso circumdare fasciam oportet.

*Ceratum, molle, leue, purum.* 14 A.l.4.f.5.t.2. c.6.p.900.E.

Non enim fascijs ipsis aridis iniectis solam uitiatæ partis cutem cerato inungendam censet, sed subinde singulos etiam fasciarum ambitus. nam, si cute tantum illita siccas fascias dederis, eo præsidio affectas partes priuabis, quod per ceratum erant consequuturæ, cum lintea ceratum ipsum, quod cutem H madefaciat, absorbeant, & eam ob id siccam reddant. Patet autem quam ob causam ceratum esse molle uelit, cum eo in uicem perfusionis utatur, quæ perficere quidem hoc ipsum potest, sed tutius id ceratum præstat, præsertim ubi tunc assidere usque medicus non potest, nec ministrum nouit hominem laboriosum, quive sedulo det operam ægrotanti. Iubet insuper, ut ceratum illinatur non solum molle, sed & purum, hoc est, cui nihil sit immixtum propolis, sordium, aut terreni uel arenosi, præter ceram. id autem prorinus etiam leue erit, nisi propter eas, quæ uocantur [illegible], latius pateat, leue, quàm purum. Leue autem [illegible] ab Hippocrate dicitur. quod uerbum non solum inuenitur sic scriptum, sed [illegible] etiam, adiecta litera λ. ante. ι. tuncque non leue, sed liquidum significat. Sic autem magis scribendum putant, quicunque significatione uerbi, purum, censent leue quoque contineri. liquidum uero dicunt e regione aridi esse, quod in puro non intelligitur.

*Quod ad aquæ calorem pertinet, & copiam, calor uehementior non sit, quàm ut infusa ferri possit a manu: copiam, ubi relaxandum extenuandumque est, esse conuenit maximam, ubi caro producenda est, aut molliendum, modicam.* 15

Exigit fracturæ curatio, ut de aqua nonnihil etiā dicamus. Vbicunque igitur fasciæ resoluuntur, consueuerunt medici omnes fracturas aqua calida perfundere, utpote eius opem euidenter experti. Verū in duobus peccare solent, qui ea utuntur, in modo & qualitate. in hac quidē, ꝙ calidiorē infundāt, uel

frigidiorem

A frigidiorem, quàm opus sit, in modo, quòd longiori, uel breuiori tempore faciant huiusmodi medicinam. Temperamenti igitur in qualitate iudicem constituit manum ipsius curantis, qui manum suam aqua perfundens, quam infusurus fracturæ est, potest pro fractura temperationem iustam conijcere. late autem patet, quam dico temperatio: & ad communem hominum speciem, non ad offensum duntaxat refertur. ea enim interdum, & ipsi iusta uidebitur. Ergo, ubi primum fascias solueris, hac perfusa poteris de homine quærere, nimisne calida, an gelida sibi uideatur: atque ita calidiorem uel frigidiorem perfundens pro ægrotante apposite temperabis. Temperatum ergo aquæ calorem iudicari primo nostra manu uoluit, quem quidem proprie admodum perfectissimeque & omnium optime iudicat sensus ægrotantis. Iam uero quamdiu in perfusione aquæ calidæ perseuerandum sit, ex eisdem colligitur animaduersionibus, quibus frictio, & quoduis præsidium calefaciens. hæc siquidem admota, non modo euocare possunt ad affectam partem, quod iuxta continetur, sed etiam digerere. quocirca aquæ calidæ, & ob corporis modum, & ob diuturniorem & breuiorem usum contrarij esse effectus uidentur. quoniam toto corpore inani digerit magis quàm euocat: contra repleto, magis euocat, quàm digerit. tum paruo tempore admota implet amplius quàm detrahat: sed si longior mora in perfusione sit, digerendo plus potest, quàm implendo. Iure igitur dixit, ubi relaxandum tenuandumque est, ma B ximam copiam requiri: modicam, ubi molliendum, & caro producenda. Extenuantur protinus, quæ exinaniuntur: non tamen ita protinus relaxantur, quæ extenta sunt, sed alijs medijs interiectis. quæcũque enim multitudine distenduntur, cuiusmodi sunt omnia, quæ inflammatione tenentur, ubi exinanita sunt, relaxantur: quæ uero frigore spissante, ubi calefacta sunt: quæ siccitate distenduntur, ubi madefacta, relaxantur. Recte ergo ait aquam calidam laxare, ubi plurima corpori infunditur, cum hæc præstare ualeat. Mirari uero te nolim, si diximus aquam calidam posse, & superantem humorem detrahere, & solidum corpus madefacere, alibi enim utrunque esse uerum demonstrauimus. Hæc igitur aquæ calidæ uis est, quæ, ubi pauca sit, quid præstare possit, proferre simpliciter non licet. si quis enim iterũ uel tertio infudisse, aut per spongiam fouisse contentus sit, operam penitus luserit: sed, si modice perfusione utatur, Hippocrate auctore carnem producet, mollietque quibus eiusmodi præsidio opus fuerit. Quorsum uero adiecerim, quibus opus fuerit, cognosce. moderata aquæ calidæ perfusio graciliori corpore, ac repleto superanti humore calefactam partem implebit: sed, si corpus macrum sit, & minime repletum, carnem simul producet, & molliet. creatur enim caro in illis partibus, in quibus ali, & crescere debet, quum temperatam naturam inter frigus & calorem habent, & sanguis sincerus iusto modo ad illas confluit. utrumque efficit calidæ aquæ moderata perfusio. quandoquidem sanguinem concitat ad sedem perfusam: & ibi prius existentem carnem temperat, si frigida prius erat, calefaciendo, si C calida, refrigerando, quum calorem euocat ad exteriora, & utili humore madefacit, atque idcirco etiã refrigerat. quemadmodum balnea aquæ dulcis, hæc siquidem eos calefaciunt, qui ex itinere immodico frigore emoriuntur: exustos uero non lædunt. uidentur enim temperatæ aquæ solio delectari, & uindicari post balneum a siti. Id etiamnum ualet perfusio aquæ calidæ, quæ si moderate adhibeatur, carne implet, & ob id particulam reddit molliorem. caro enim nuper coacta mollis est, ut pote, cum sanguis haud ita pridem concreuerit, quoniam casei modo, qui recens cogitur, generatur.

16 *In eo quod perfunditur, hac moderatione utendum, ut, dum intumescit, finiatur, priusquam residat. primo enim attollitur, postea extenuatur.*


Modus eius perfusionis, quæ carnem producere, & mollire debet, est, ut desistamus, antequam perfusus locus incipiat residere. primo enim attollitur, hoc est in tumorem assurgit naturali maiorem, tum quia funditur sanguis, qui in ipso continetur, tum quia a superioribus partibus eo descendit: post hæc extenuatur: qui a multum sanguinis discutitur, tam eius, qui a superiori parte concurrit, quàm eius, qui ibi subsistebat.

17 D *Contineantur autem molliter, æqualiter, & altius excitata quæcunque extant in corpore, cuiusmodi calx est, & coxa, ita, ut neque curuentur, neque peruertantur.*

Orationem hanc alij legunt, quasi totam coniunctè contextã: alij in duas partes seiungunt, & utrãq; seorsum explanant. Prior itaque pars ita circũscripta est, ut suum habere absolutum sensum per se possit. Ergo, siue contineri partes communiter intelligamus, ut sub continendi uerbo comprehendantur etiam quæ suspenduntur, ueluti brachium: siue ad solum crus referamus, optimum erit molliter contineri, & æquabiliter, & sublimiores. molliter quidem, ne laborans eo loci prematur, & ob prementium sensum inflammatione periclitetur, neue coactus statum mutare, fractum membrum peruertat, quod seruari immobile debuit, & ex toto conquiescere: quæ uero inæqualiter continentur, dolent simul, & deprauantur, cum alia parte sine fulcro sint, alia urgeantur. non iniuria itaque censet æqualem habitũ esse deligendum: ad hæc, ubi altius excitentur, defenduntur a materię cursu, cui, quum opportuna sint, quæ in inferiorem partem inclinantur, inflammatione prehenduntur. Constat igitur prioris partis orationis sensum unum esse posse, recteque ita explanatam esse. Alterius uero partis, siquidem per se legatur, mens hæc erit. Quæcunque in corporę extant, ut in calce & coxa, recte contineantur, ut neque curuentur, neque peruertantur. Sed quia non adiectum est, recte contineantur, idcirco nonnulli eam mancam

mancam existimant,coguntur que cum priori parte ipsam coniungere. Rursus, si coniunctæ ambæ le- E gantur,oratio non amplius manet communis,sed solum ad continendum extãtia pertinet. Qui in omnibus hæc accipiunt,communem orationem fieri dicunt,eo quòd cum extantibus partibus,& reliqua intelligantur. quin,& Hippocratem ostendunt,non in hoc libro tantum,sed & in alijs multis,ex unius, uel alterius rei exemplo res uniuersas complecti. quum id,quod proponitur, euidentia antecellat ea, quæ sunt eiusdem generis,sic,ut ex ipso intelligantur, quemadmodum nũc ex calce, & coxa. Etenim, cum omnes eiusmodi partes,quando affectæ sunt,molliter,& æqualiter iacere, & sublimiores haberi debeant,in extantibus qualis coxa est & calx, id maxime seruandum esse perspicuum est. Sæpius autẽ diximus huiusmodi loquutiones præbere ansam alijs ad alia traducendi,sic,ut quod cuique uisum fuerit, probabile credatur. quare de opinione, quæ uera uideatur, non conuenit sententiã proferre. Hoc igitur meminisse nos oportet,illud etiam non ignorantes in discrepantibus expositionibus, ubi in sententia non peccetur,non diu esse insistendum,satius enim esse,transire ad id, quod ad artem maxime pertinet,atque in eo immorari, quod nunc facere præstat. Ergo,quum conueniat partes omnes molliter collocandas esse,tum æqualiter,& sublimes,potissimum quæ extant,qualis coxa est,& calx,ad ea, quæ restant,ueniamus, ubi inquit,ita, ut neque curuentur,neque peruertantur. Rursus hoc loci ijs,quę ad artem pertinent,annumerari debet extantis partis collocandæ peritia. hæc,si iusto altius excitetur, F membrum curuabitur: si humilior erit, peruertetur, ac præsertim,cum is error accidit, ubi primo collocatur. Quæ uero præter medicinalem artẽ in oratione sunt, longam requirunt explanationem. In commentarijs autem de fracturis, sicut perfecte tractatum est de alijs omnibus, quæ ibi præcipiuntur, ita etiam de calce continendo,ubi ait, Danda potissimum opera est,ut imus calx optime contineatur. Sed consuerunt nonnulli addere omnia ubique, aliasque alibi positas orationes, quibus idem præceptum continetur,adscribere,quod neque biduo perpetuo fieri posset. quocirca scripta ita exponentiũ nemo legit breuiori spacio quàm annuo. Iam ergo quum in libros de articulis,& de fracturis commẽtaria scripserimus,hic tantum monuisse necesse est. Si quis igitur eos libros legerit percurrens celerrime,quod nunc proponitur, ad ulteriora pergat,doctus a nobis,qui periculum fecimus,perfectos fieri artifices lata,plenaque docendi ratione,non breui & compendiaria,quam alioqui utilem esse non inficior,cum paucis contemplationem uniuersam complectatur.

*Canalis uero crus non dimidium,sed totum excipiat. Spectetur autem morbus, & cetera, quæ oriuntur incommoda manifesta.* 18



*Canalis cruri subiectus.*

Agit hic, ut quum ijs, qui commentaria de articu- G lis, & de fracturis legerint, id manifestum appellans, quod quiuis unus e populo intelligit, nonnulla siquidẽ ita conspicua sunt,ut uniuersis appareant, qualia sunt, quæ proxime præcedentibus uerbis narrauit. omnes enim intelligunt fractum membrum molliter & æqualiter esse collocandum,incommoda tamen, quę canalis affert,non uident,nisi qui ab ipso perceperint in opere de fracturis,his uerbis,quorum principium est: De canali, qui fracto cruri subijcitur,incertus sum quid dem consilij: causam uero,cur iure incertus sit,subijcit. Ac rursus alibi in eodẽ opere,ubi incipit: Si quis ipsi femori canalem subijciat: tum compluribus adiectis in extrema oratione adscribit: Canalis igitur, uel totum excipere crus debet,uel nullo modo adhiberi. Voluit autẽ propositis uerbis canalis usum necessarium non esse, si adhibeatur tamen, subijciendum esse toti cruri inguinibus tenus,non ad genu duntaxat pertinẽtem. ex illis ergo manifestum est, quod proponitur hoc loco, neque ipsum per seipsum patet. Quoniam quantum spectat ad uerba, non, dixit, ,quæ uox accipi potest, quasi disiungat,sed eam ab ipso usurpari ad negandum scimus. cẽ- H set enim canalem uniuerso cruri subijciendum innocenter. Eodẽ modo etiam usurpauit ipsam Homerus in eo carmine,

Tutari incolumen populum,non perdere conor. ubi,non,dixit, , quin & Thucidides etiã ita mutuatur. Vult autem spectandum esse morbum,cuius gratia canalis admouetur, & alia omnia, quæ lædere possunt. Morbus quidem est fractura grauis. ossium cruris, ad cuius curationem opus est crure penitus immobili. canalis enim probatur a quibusdam,ut qui utilissime tunc subijciatur, quum æger e lectulo surgit. id autem accidit,ubi uel desidere cupit, uel cubilis duriciem non ferens, ad alterum transfertur iam tunc stratum, quod in opere de fracturis exposuit: ubi illud etiam ostendit,quòd canalis,si non sit longior,quàm ut ultra genu pertineat,non prohibet, crus,quum mouetur, infestusque est, & sæpius comprimit. Imperat autem,ut morbum intuiti,cuius gratia canali utimur,& ea, quæ canalis affert incommoda,ipsum modo accipiamus, modo repudiemus. namque, ubi molestia, quam canalis exhibet,exuperet,uitandus erit: contra,si uincat utilitas, præstabit crus,non usque ad genu tantũ, sed totum canali excepisse.

*Præter hæc porrectio, ab inferiori parte intentio, in diuersas partes ductio, compositio, aliaque secundum naturam sint.* 19

A.l.4.f.5.t.2. c.3.p.8 9. C

In prioribus

A In prioribus dictum est porrectionem uocari, quum languens seipsum præbet medico curandum: quo tempore medicus primum cognoscit affectum ipsum infestantem: deinde ad curationem ipsam accingitur. At quum necesse omnino sit affectam partem aliquo modo contineri, iure uidetur secundum naturam esse continenda. nam, si præter naturam iaceret, non mediocriter læderetur. Postquam porrecta est, uel intendi solum debet ab inferiori parte, ubi adeo tenera est, ut abunde sit, si a superiori parte teneatur: uel in diuersa diduci, ubi ualidior est. constat itaque, & hoc tempore satius esse ægrotum seruare habitum, qui secundum naturam sit. Quo facto proximum est, ut componatur, ac tunc etiam conuenit eundem habitum rueri. dehinc sequitur, ut contineatur, uel suspendatur: quæ duo non commemorauit nominatim, sed significauit, dum dixit, aliaque.

20 *De natura, quod ad actiones pertinet, animaduertendum est, quid requirat opus, quod sit, quod ad hæc, attendenda quies, medium, consuetudo. In quiete quidem, atque ocio considerare rectum habitum oportet, puta brachij: in medio, porrectionem, atque contractionem, quemadmodum, ubi cubitus cum humero prope ad rectum angulum figuratur: consuetudo idcirco spectanda est, quia non alius habitus facilius fertur, cuiusmodi est in cruribus, ubi extenta habentur: quæ enim hoc modo collocantur, immobilia diu facillime perseuerant.*

B Præfatus in superioribus uerbis, secundum naturam, non immerito hic exprimit, quænam sit hæc natura, quæve sint eius notæ. scribit autem, De natura, quod ad actiones pertinet, animaduertendũ est, quid requirat opus quod sit, quasi ita dixerit, naturalis habitus in actionibus quidem actionis proposita sunt, scilicet ad porrigendum, extendendum, componendum, collocandum, quum homo ad nullum opus læsa parte uti debeat. Alias animaduersiones in peruestigatione habitus naturalis deinceps adiungit his uerbis; Attendenda quies, medium, consuetudo: quietem intelligit, quum homo feriatus ex toto in ocio est. unde colligi rectum habitum testatur, sicut in brachio docuit, subijci cubitum uolens, eique radium insidere. E o medio ait apparere habitum inter extremam porrectionem, & contractionem, quod scribit prope accedere ad rectum angulum cubiti cum humero, quem ipse ἐγγώνιον dixit, quo uolunt habitum appellari, qui est ad rectum angulum, sic, ut cubiti os cum humero rectum angulum ostendat. Verum additur, prope, uetustis omnibus exemplis, quam scripturam agnoscunt, qui hunc librum explanarunt. bis autem peccatur in hac scriptura, si ἐγγώνιον accipiatur pro habitu, qui acutum angulum habet. Quum quòd acutus angulus dicatur, qui recto minor est, nam, ubi recta linea super rectam ducta angulos efficit ab utraque parte inter se æquales, uterque æqualium angulorum rectus est.

C. *Ang. obtusus / acutus anguli | recti*

Sed qui recto minor est appellatur acutus, sicut qui maior, obtusus, habet rectus angulus eam magnitudinem, cui nihil addi, nihil demi potest, sed acuti, & obtusi anguli numero sunt infiniti, in recto angulo, nulla penitus declinatio est, quandoquidẽ recta linea super rectã ducta tunc utrinque rectum angulum facit, quum in neutram partem inclinat, at ubi linea, quæ rectum angulum facit, uergat in alteram partem rectæ lineæ subiectæ, inclinationes maiores, minoresq; fiunt innumerabiles. non licet ergo, ubi quis rectum angulum exprimi simpliciter uelit, dicere, prope acutum, siquidẽ prius intelligitur rectus, postea acutus, quoniam ( ut retuli ) unus est rectus, acuti uero innumerabiles. merito igitur dicet quis acutum quempiam angulum prope rectum accedere, sed, quum plurimi sint acuti anguli, intelligemus illum esse, prope rectum, qui parum abest, neque concursum rectarum linearum, a quibus producitur, ita acutum habet: ex quàm plurimis itidem angulis obtusis eos intelligemus prope rectum accedere, quibus rectarum linearum, a quibus fiunt, coniunctio modice obtusa est, aliquẽ uero angulum prope ad acutum accedere incõprehensibile est, cum acutus angulus non sit unus, non potest ergo ἐγγώνιον dici quod ad acutum angulum figuratur: Tum quòd nemo ex græcis appellat aut ἐγγώνιον per duplex γγ, aut ἀγώνιον per ἀ syllabam acuti anguli figuram, sed, quæ rectum angulum ha-

D bet, ea αἰγώνιον per αι diphthongum, & ἐγγώνιον per duplex γγ nuncupatur. An ἐγγώνιον necesse est accipere id, quod ad rectum angulum figuratur, quod accidit, ubi cubitus cum humero facit angulum rectum: exquirere autem, cur Hippocrates prope, adiungit? Dicemus igitur & nunc, quod sæpius dicere consueuimus, obscuræ orationis explanationẽ non certo sciri, sed, si quid probabile sit, cum eo ut quod propositum est uerum sit, & auctoris sententiæ non repugnet, accipiendum esse. huc itaque incumbentes uerbum, prope, conabimut enodare. Statuamus ἐγγώνιον figuram, quum una sit, neq; minui posse, neque augeri: nobis aũt nõ licere brachiũ ita collocare, ut ossa ad angulũ rectũ sine ulla inclinatione inter se cõmittantur, sed satis esse, si nõ ita multũ ab huiusmodi figura recedãt. præsertim cũ neq; Hippoc. placeat is totius brachij habitus, demõstrabo enim naturalẽ habitũ prope rectũ angulũ esse, sed paulũ recedere ad obtusum, hoc est spectare ad porrectionẽ: demonstrationẽ uero ab ijs accipiã, quæ ipse scripsit: nã de quiete ait, & de cõsuetudine indagare nos posse naturalẽ habitũ. ex ambobus cõiunctis cõficitur cõsiliũ unũ cõpositũ, perinde quasi quis ita dixerit: Collocãdi rõnes, q̃bus iacere singulæ partes solent, quũ ociosæ sunt, in curationibus quoq; eligi debẽt, nã in partibus cõmode figurãdis, id patet primo studendum esse, ut minime doleãt. Verũ, si huiusmodi q̃escentiũ habitus a laborãtibus nõ seruet, sed alio modo iaceãt sine dolore, haud diu mãsuros esse manifestũ est. Igit̃, si respexeris ad hoĩes † ociosos, plerunq; cõperies brachia nõ penitus media inter porrecta ex toto, & ex toto curuata, sed ad porrectionẽ magis

† apud græcos est ἀλγοῦντας, hoc est, dolentes.

magis accedētia,id quod etiā accidit in altera habituū oppositione. Cūcti enim hoïes,ubi defessi sunt, E
brachia aperientes,habitū eligunt mediū inter pronum prorsus,& supinū,ut qui oium maxime dolore careat,coguntur tñ paulum inclinare in pronum. Volens igitur Hippoc. hæc exprimere,cū non esset, q rem pluribus explicaret, adiecit uerbum, prope. Quod autem ea ratione,quam dixi,inter ceteras maxime collocari cubantem iuuet, præcipue intelligunt, qui sunt in eiusmodi artis operibus uersati, hac enim oratione audita ueram esse rem comprehendunt. Itaque, ubi mens auctoris propter obscuritatem dubia est,expositorem tueri auctoris sententiam, & propositæ rei ueritatem oportet, sic enim, qui discunt,utilitatem consequentur. hoc igitur consilium seruare in omni expositione conor.quod quidā expositores,neque si operam darent,assequi possent,ut qui medicinalium operum sint expertes, & cauillatorum uestigijs insistant,fiantque ex eorum numero, qui λόγῳ ἰατροὶ uocantur, id est uerbotenus medici,quorum causa uulgo suspecti sunt qui recte utuntur ratione. Hæc, & si raro explicentur,teneri memoria debent. accedamus nunc ad ea,quæ proximis uerbis subijciuntur, quemadmodum habitus inter pronum & supinum omnium minime dolori est,cui assueti sunt fere omnes plurimum tēpus ætatis, ita etiam se res habet in cruribus extendendis, extenta enim crura iacere diu queunt immobilia. Mutandum uero necessario non esse membrum in alterum habitum minus iocundum ostendimus in libro de musculis,ubi mutationis quoque causam adiecimus,quare id non amplius ostendendum, est F sed in memoriam reuocandum, quemadmodum & illud etiam, quòd cito ad eundem habitum reuertemur.sed necessarium non est causam referre, longiorem enim sermonem desiderat, satius itaque est sententia Hippocratis ad unguem seruata aliud quid pro causa tradere,quod iuuenibus magis expediat,quodque a nobis disputatum est in libro de motu musculorum.Igitur in commissura humeri cum cubito, habitus naturalis medius est inter utrunque extremum, nempe eius, ultra quod porrigere, & eius, ultra quod curuare brachiū non licet.Apparet aūt,ubi ossa carne nudentur, duobus processibus terminatum cubiti cauum, quo recipitur humeri ambitus cardinem repræsentās,quem duo tubercula medium complectuntur:tum in ultima porrectione posterior cubiti processus coiectus in sinum humeri posteriorem,non secus quàm in extremo flexu prior in priorē.quibuscunque uero sinus posterior natura magis sinuatur,præter extremam porrectionem cubitum adducunt ad exteriorem partē, sicut cōtra,qui eū recessum iusto minus cauum habēt,perfecte brachium non extendunt.Vt non sunt aūt cōsimiles in omnibus structuræ articulorū,neque certi in omnibus extendēdi fines,sic neq; mediū erit in omnibus idem. quare ubi medium habitum inter extremā porrectionem, & ultimum flexum naturalem esse affirmamus,medium non ad unguem accipimus,sed sic, ut late pateat, quod medium Hippocrates appellat κοινόν.Verum,sicut nullo modo fieri pōt,ut medius ex toto habitus seruetur,ubi,nec adijcere latum unguē,nec demere queas,sic nō expedit brachium lōge ab hoc medio figurari. Id enim interest inter artificiosam coniecturam,& eam,quæ artis est expers,quòd artificiosa exquisitam moderationem prope attingit,quæ artis est expers,plurimum nonnunquā aberrat.posset itaque Hippocrates iuxta hanc sñiam monuisse, ut seruetur habitus prope ἐγγώνιον hoc uocabulo rectum angulum appellans,ut qui nos coniectura ductos, non longe recessuros esse ab exquisita moderatione existimet. Sed iamiam persequar,quod pollicitus sum me relaturum iunioribus,quod ad hunc locum maxime conferat. Habet consuetudo præcipuam in medicina uim, ita, ut a clarissimis medicis natura aduentitia nuncupetur. quam constat inter ea,quæ necessario admodum spectantur, Hippocratem ubique numerasse in indicandi facultate,tribuentem ei secundas,illa uidelicet primas occupante, quæ a natura sumitur. collocandi enim ratio, quæ ab hac indicatur,eatenus inferior est, quatenus exquisite in omnibus eadem esse non potest, sed pro cuiusque consuetudine uariatur. Conspexi ego quosdam totum diem considentes,qui artes exercent sedentarias, alios stantes, aut ambulantes,censuique non immerito ijs magis extenta figuranda crura esse, qui bonam temporis partem habere sic collocata consueuerunt: ex contrario minus extenta, quibus curuata diem uniuersum detinentur.experimento autē rem comprobans, comperi qualem speraui. Brachiorum uero eadem est ratio,iacere enim ad rectum angulum debent, sed propius ne accedere ad ipsum oporteat, an longius abesse, ex consuetudine intelligitur. Verum homines,quum quæ a ratione excogitata sunt, experimento dijudicant, tunc rei excogitatæ certum indicium habent, ubi experimentum a ratione non dissentit. itaque præceptum hoc ab omnibus amicis comprobatum firmiter iam constitutum est ad hæc maxime pertinere. Arbitramur ergo Hippocratem uoluisse habitum,qui ad rectum angulum ad unguem est,pro consuetudine uariari: mutationem uero exiguam esse,hoc est,prope rectum angulum accedere. H

*In mutatione uero,postquam adhibita intentio est,hæc similiter se habeant,quòd ad habitum pertinet,& situm,musculi,uenæ,nerui,ossa bene admodum contineantur,& bene figurentur.* 21

Hæc superius etiam dicta sunt,si quis autem ex toto ipsa detraxerit, præceptis nihil dempserit. Accidit enim in huiusmodi libris,quibus multa summatim continentur,ut auctor easdem res aliter atque aliter adscribat,ea de causa,ut consideret, quibus uerbis eas potissimum explicet: librarius uero postea,ubi repperit scripta nonnulla in margine,nonnulla in ipso spacio,in quo contineri scriptura solet, uniuersa in ipsum spacium congerat, quo ordine maxime censet conuenire. Id igitur, quod propositis uerbis ostenditur,eius generis est. Complura diximus attendi tempora in eo,qui curatur,primum,ubi ad medicum

A ad medicum accedit aliquo prorsus modo figuratam habens affectam partem: alterum deinde, quum se præbet medico, qui intuitus partem, & uitium eius cognoscat, & qua præparatione ad curationem opus sit: sequitur deinceps tempus præparationis, & postmodum intentionis, tum ossa componendi, ubi fracta fuerint, & restituendi, ubi prolapsa, dein alligandi, postremum omnium est tempus suspendendi in brachio, continendi in crure, & in locis iuxta spinam, & caput. ἕξιν igitur, id est habitum hic uocauit παρὰ τὸ ἔχειν, quod habeat eam rationem, qua partes continentur figuratæ eo tempore, quod ab iniecto uinculo proximum est: huic e regione opposuit situm eorum, quæ continentur, nempe trium, crurum, capitis, & totius spinæ, sic, ut habitum accipere in alijs debeamus, ut puta in iugulo, brachio, latere, capite humeri, lato scapularum osse, malis, maxilla, & si quid aliud simile est. censet enim opus esse, ubi prædictæ partes affectæ mutantur, nonnullas recte iacere, puta quæcunque contineri possunt, nonnullas recte figuratas haberi, nempe, quæ contineri non possunt. Dixit autem, quæ continentur εὔθετα, alia uero εὔσχετα, cætera in alijs ex dictis temporibus diuersa sunt. Commune est omniũ unum & idem naturalis scilicet partium status, ad quem spectare iubet illum, qui postremo tempore uinculum diu seruandum constituit. nam, si membrum alio modo figuretur, dum alligabitur, postremo tempore etiam mutabitur musculorum, uenarum, & neruorum positio, ac neque εὔθετα erunt, neque
B εὔσχετα, hoc est neque recte continebuntur, neque recte suspendentur.

22 *Intendere autem illa ualentissime oportet, quæ maxima sunt & crassissima, & ubi utrunque os comminutũ est, minus ubi id, quod subiectum est, minime, ubi id, quod superius.*

Intendere (inquit) ualentissime oportet, quæ maximis & crassissimis ossibus continentur, & corpora, quæ ipsa cingunt, hoc est musculos. hi enim sunt, qui potissimum intentione indigent, ut quibus maxime uis insit ad sua initia recurrendi. ex harũ partium numero est femur, deinde humerus & crus, post hæc brachium, postremo, quæ iuxta manum sunt & pedem. excipe hic quæ in spina sita sunt. Sed quod ait, ubi utrumque os fractum est, magis extendere oportet, intellige cubitum & radium: quòd uero subijcit, minime, id est leuissime, ac maxime moderate, ubi id, quod, superius, accipe in brachio radium, quæ omnia (ut retuli) discussa sunt in opere de fracturis.

23 *Quòd si iusto ualentior intentio adhibeatur, noxia erit, præterquam in pueris: partes autem paulo altius excitentur.*

Si ossa in pueris, uel ubi franguntur, uel ubi suis sedibus excidunt, minus quàm expedit, extendan-
C tur, tantum rem procedere non sinent. nam nec componẽtur, quæ fracta sunt, nec quæ prolapsa sunt, restituentur: sed si ualentius extendantur, proprium affertur detrimentum. quo quidem tempore uis adhibetur, dolor excitatur, postea inflammatio superuenit, febris, neruorum distentio, & interdum ẽt resolutio. quod testatur se uidisse Erasistratus in humeri capite nimium extento. minus tamẽ alijs, pueri læduntur, si uehementius extendantur, propter humorem corporum & molliciem. nam, ut lora plurimum citra noxam distenduntur, quum mollia sunt & madida, abrumpuntur uero, cum arida sunt & dura: ita musculi, atque nerui, quum madent, & molles sunt, ducentem facile subsequuntur, neq; multum dolent, neque rumpuntur, sicci uero, & duri, quum nisi magna ui cogantur, extendi nequeant, grauiori dolore urgentur, non solum si iusto magis, sed etiam si modice intendantur. in eo enim casu neruorum ac musculorum fibræ conuelluntur, rumpunturque, quorum nihil manet pueros, neque enim postea inflammatione, atque idcirco febre, delirio, neruorum distentione, ac resolutione prehenduntur. Ipse igitur de pueris uerba fecit, quæ transferenda nobis sunt ad eunuchos, fœminas, tum ad eos, qui natura, siue consuetudine madent, & molli carne sunt, cum istiusmodi corporum temperamenta ducenti facile pareant, neque sentire offensam ullam grauiorem soleant, si ultra debitum extendantur: at quibus uel natura, uel consuetudine corpus induruit, uix cedunt extendentibus, atque ea de cau
D sa minus ipse censuit a medicis esse extendendos, ualde siquidem læduntur, ubi immodica uis adhibeatur. Quòd uero ait, partes autem paulo altius excitentur, itẽ duplici de causa proponitur, & ut fidelius contineantur, dilabuntur enim, quæ contraria sunt: & ne doleant.

24 *Articuli exemplum sit, qui cognominis, qui par, qui similis, qui sanus est.*

Cognominem Hippocrates dixit ὁμώνυμον, satius autem fuit dixisse συνώνυμον, alia enim sunt ὁμώνυμα, quàm quæ hic tractantur. homini quidẽ homo, & equus equo, tũ canis terrestris terrestri, marinus marino, συνώνυμος est. quæcũq; aũt nõia in multis singularibus speciẽ unã significãt συνωνύμως in ipsis dicuntur: contra ea, quibus differẽtes species appellanf, uocare solemus ὁμωνύμως dicta, & quæ sub ipsis sunt, atq; exprimũtur: ὁμώνυμα habẽtur. qui dicetur igitur brachiũ brachio cõparatũ ὁμώνυμον, quãdo speciẽ eandẽ habet? Sed nõ expedit in uerborũ cõtrouersia immorari, quæ sequũtur magnũ in medicina momẽtum habent, quibus iubemur, cum prolapsum articulum in suam sedẽ restituimus, uti exẽplo cognominis, paris, similis, sani. cognominis quidẽ, ubi humerus cũ humero cõfertur, cũ brachio brachiũ, femur cũ femore, crus cũ crure: paris in eodẽ homine, & non in alio, quam rem in opere de articulis declarauit his uerbis, spectareq; in articulis, non quidem alterius hominis: pari autem adiecit similẽ, pót.n. cum quo confertur, par esse, ut sane similis non sit, cum sæpe alter humerus uitio quopiam tabuerit, aut abscessu

ægrotauerit

ægrotauerit, uel crus ualgum sit, aut uarum: atque idcirco sanum rursus adscripsit, ne quid nos E perperam accipiamus, non grauatus uerbum, quantum est in ui, idem penitus iterare, nam, quod par est, utique sanum est, si simile sit, nisi ubi utrũq; membrum eodem modo sit affectum. tunc autem in alijs hominibus spectandum erit, in quo casu conuenit simili sanum adijcere, sed, si in eodem homine consideretur, abunde erit dixisse sanum, quod simili comprehenditur. fortasse autem Hippocrates utrũque scripsit, ut in alijs scriptum inuenitur, animo accipiendi non utrũque, sed alterum tantum, librarius uero utrunque adscripsit.

*Frictio ad resoluendum ualet, & adstringendum, præter hæc ad implendum, ac minuendum. nam, si dura sit, adstringitur corpus: si mollis, resoluitur: si multa, minuitur: si modica, impletur.* 25

Adstringere intelligit durare: resoluere, laxare, & mollire: minuere, extenuare. sub dura enim frictione carnem pertractatam uerisimile est, reddendam esse frictioni similem, dum adstringitur premiturque: sic & sub molli carnem similem afficiendam, eo quòd contraria præstet, atque dura: multa insuper, cum demere plurimum possit, extenuari corpus probabile est: sed non similiter plerunque refici ea quæ multæ contraria est, pauca uidelicet, uerum modica, quod superius dixit de usu aquæ calidæ. paucissima enim fricatio, non secus, ac exigua aquæ perfusio nihil efficit, quod sensu percipiatur. Perfricare igitur oportet, ubi implendum est, quoad indicia conspiciantur, quæ tradita de perfundendi mode F ratione fuerunt, quum ait, dum intumescit, priusquam residat, finiatur, primo enim attollitur: postea extenuatur. demonstrauimus autem in secundo de tuenda sanitate ex ijs, quæ frictio præstat, nihil ab Hippocrate prætermissum. Illud uero, quod multos latet, ignorare non oportet, quamuis ἀνὰ sursum significet, τρῖψις frictionem, ἀνάτριψιν uocari a græcis non modo eam frictionem, quæ ab inferiori parte sursum procedit, sed quamlibet quouis modo intendat: raroque legi apud ipsos uocabulum τρίψεως, consuerunt enim appellare ἀνάτριψιν, quam nunc dicimus τρῖψιν.

*Sed, quod ad uinciendum attinet, primum uinctus premi se maxime dicat, qua uitium est, extremis uero partibus minime: fulciri item fascias, & non urgere se, idque non ui, sed numero, eo ipso die, quo deligatus est, ac nocte paulo magis, posteriori minus, tertio autem laxari. reperiatur postridie in extremitatibus tumor mollis, tertio die cum resoluitur, quod uinculo exceptum fuit, extenuatum. idque seruandum est quótiescunque alligatur, cumque iterum uincitur, intelligendum est conuenienter ne iniectum uinculum fuerit. in posterum enim expedit plura atque arctiora lintea dare, ab hinc tertio die plura adhuc atque arctiora, deinde septimo die a primo resoluto uinculo ossa gracilia in conspectum ueniant, & facile tractentur. At, ubi ferulis alligatis locus gracilis sine prurigine, atque exulceratione fuerit, supersedendum est usque ad uigesimum diem ab ictu: si quid suspectum sit, soluere interim ferulas conuenit, & tertio quoque die coarctare. eo* G *dem autem modo figurata habenda partes sunt, dum suspenduntur, dum continentur, atque dum alligantur.* 26

Fulcimenta constat a græcis appellari, non solum ἐρείσματα, sed ἐνέρματα, uel ex eo, quod Poëta ait in eo carmine, ὑπὸ δ' ἔρεον ἕρματα νηῶν. ad cuius similitudinem fulcire dictum est ab Hippocrate ὑπερείδειν, quod quasi insidere significat, & inhærescere. Id autem fieri iubet linteorum numero magis, quàm pressu. caueri enim per se noluit linteorum pressum. sed hæc & alia multa, quæ & præpositis, & sequentibus uerbis continentur, abunde explanata sunt in opere de fracturis, & de articulis. quare, si quid obscurum est, non est, quod exponamus, transferamusque huc quæcunque ibi perfecte prodita sunt, atque ideo quasi rem apertam prætermittendum existimo. ille enim qui non modo magis apposite, quàm ego, sed, qui omnium optime potuit dicendo sensa mentis aperire turpe duxit.

Quod clare expressum est, iteratis dicere uerbis.

His igitur relictis, ut pote, quæ plana sunt ijs, qui commentaria de fracturis, & de articulis legerint, ad ea, quæ restant, progrediar.

*Capita figurandi ex consuetudine, & natura uniuscuiusque membri colliguntur. species uero, ex cursu, statu, cubandi ratione, ex actione, & ocio.* 27

Aperte quoque ex his uerbis intelligitur librum hunc, qui summatim rem complectitur, post obitũ H auctoris editum fuisse. nam, qui huiusmodi libros exscribũt, si qua sint, quæ duobus modis, uel in margine etiam apposita sint ab auctore, ut postea consideret utro exprimere mentem suam præstet, soliti sunt omnia describere in ipso opere. quis enim adduci posset, ut crederet, eum uoluisse hic eadem iterare nulla ratione cogente, præsertim cùm summopere studeat breuitati? Sed cum maiores nostri hęc duxerint explanandã, nos quoque illos sequemur. patet igitur capita collocandi dicta esse, quasi proposita, ad quæ intendentes idoneum cuiusque partis habitum inueniemus. quin & consuetudinem unum esse ex ijs propositis supra memoriæ prodidit, cum inquit: Præter hæc porrectio, intentio, in diuersas partes extensio, compositio, aliaque secundum naturam sint. De natura, quod ad actiones pertinet, animaduertendum est, quid requirat opus, quod fit, quod ad hæc, attendenda quies, medium consuetudo. in quiete quidem atque ocio considerandus rectus habitus, puta brachij: in medio porrectio, & contractio, quemadmodum, ubi cubitus cum humero prope ad rectum angulum figuratur: cõsuetudo idcirco spectanda est, quia non alius habitus facilius fertur, cuiusmodi est in cruribus, ubi extenta figurantur, nam, quæ collocantur hoc modo, diu facillime possunt immobilia perseuerare. hæc cum paulo antea scripserit, qui deterius iterum hic repetet? proposita igitur consuetudine & natura uniuscuiusque membri, deinceps species, hoc est differentias ipsorum colligendas esse ex actionibus arbitratur.

A arbitratur. Nonnulli uerbo, ſpecies, adiecerunt, membrorum ita, ut oratio ſic habeat, ſpecies mēbrorum. de cruribus autem gratia exempli dixit, ex curſu, inceſſu, ſtatu: cui addidit cubandi ratione, quod idem eſt, ac uerbum ſuperius ſcriptum, uidelicet, quies, his rurſus ſubiecit, ex actione & ocio, actionē accipiens pro inceſſu, curſu, ſtatu, ſingularibus actionibus: ociū uero pro quiete. Quare nihil amplius his uerbis exequitur, quàm actionem & quietem, neque propterea, quod in principio huius orationis naturam membrorum nominauerit, exiſtimari uelim alterum nunc collocandi modum indicaſſe, cum nullum aliud naturæ tradiderit indicium præter actiones, quod totum ſic habet, quemadmodum in uerbis paulo ſupra ſcriptis docuit. quocunque autem tempore curationis eorum affectuum, qui manus auxilium deſiderant, unus ſeruandus eſt partis habitus, qui ſecundum naturam eſt, quem inueniri ait ex quiete atque ocio, id eſt, ubi quis conquieſcit, tum ex medio, quod ſcilicet eſt inter extrema, atque ex conſuetudine, ſub qua actio & quies manifeſte comprehenditur. Hæc itaque duo maxime communia indicia, medium ſcilicet inter extrema, & conſuetudo uniuſcuiuſque partis naturalem habitum nobis exponent. ego autem in libro de motu muſculorum hæc perſequutus, & partium compaginem indicans, quam ex ratione corporum incidendorum inueni, naturalem partium habitum iuxta Hippocratem in libro de fracturis docui. Videri autē poſſunt diuerſa de propoſitis rebus dici, cum alias alia
B uerba & nomina uſurpentur, ueluti cum quis dixerit collocanda eſſe membra, quemadmodum minime lædunt, non alium habitum inueniet, quàm eum, in quo detineri ſolent quieſcentes, qui medius quoque eſt inter extrema, ſed & indicatione ſumpta a partium compagine hic idem inuenitur.

28 . . *Quoniam labor firmat, ignauia reſoluit.*

Hoc etiam peranguſte traditum fuit ab auctore, quod fortaſſe cōſtituerat dilatare in eo libro, quē erat editurus. Legitur autem in quibuſdam exemplis, Quid labor firmat, ignauia reſoluit? proponente ſibi ipſo auctore rem exquirere utiliſſimam non modo ad medicinæ partem, quæ manu, ſed & ad eā, quæ uictus ratione medetur. omne igitur corpus, ubi in ocio degit, effœminatur, & imbecillum redditur: firmatur autem & uires colligit, ubi quid faciat, hoc eſt, aliquem uſum præſtet. cuius orationis duo fidem faciunt, experientia omnium, qui animaduertunt euidenter apparentia, & indicatio, quæ a naturali compagine ſumitur, quam in libro de tuenda ſanitate explicauimus. Quod uero ad chirurgiā attinet, non debent diu affectæ partes haberi immobiles, ſicut nonnulli ſecuritatis gratia faciunt: ſed inflammatione ſublata modice dimoueri, quod primo tantum faciendum eſt, quum affectæ ſedi calida aqua infunditur, deinceps in balneis, poſtea etiam ſine his.

29 C *Adſtringendum eſt numero potius, quàm preſſu.*

Item hoc ipſum ab auctore ſummatim per ſe ſcriptum a librario ſane huc translatū fuit. ſupra enim clare perfecteq; explicatū eſt, nunc præciſe adſcribitur. ſupplere aūt oportet, linteorum, ut uniuerſa oratio ſic habeat, Adſtringendum eſt numero potius linteorum, quàm preſſu.

30 *Vbicunque ſanguinis ſuffuſio eſt, ſeu contuſum, ſiue abruptio, ſiue tumor, ſi inflammatio non eſt, ſanguinis plurimum a uitio ſurſum expellatur, paulum uero deorſum. ſed nec brachium, nec crus dependeat. faſcia autem ab affecto loco incipiat, ibique ualidiſsime inſidat, extremis uero partibus minime, medijs modice: extrema item ſurſum adducta uinciatur: numeroque potius quàm compreſſu faſcia adſtringant. huc autem maxime accommodantur tenues, leues, molles, mundæ, latæ, ualentes, ut quæ ſine ferulis adhibeantur. Perfuſione inſuper copioſa utendum.*

Hippocrates iuxta Ionum linguam (ut ſolitus eſt) contuſum appellauit φλάσμα per. φ. id, quod a nobis per. θ. θλάσμα dicitur. accidit autem hoc uitij, ubi graue aliquid decidit in corpus, quod quaſi carnē abrumpendo, atterendi uim habet. Verum ubi contuſa caro ad regionem, quæ ſub cute eſt, ſanguinem trāſmittit, hæc ſanguinis ſuffuſio dicitur ἐκχύμωμα, ſub qua cutis inuiolata ſeruatur. ſcindi autem tenues
D uenas cum carne, ubi id exoritur, manifeſtū eſt. Incidit autem abruptio (quod σπάσμα dixit) quum muſculorum fibræ plurimum extenduntur, ita, ut nonnullæ abrumpantur, cuiuſmodi mala recētiores medici ῥήγματα proprie appellant. Huic ſubiecit Hippocrates tumorem, quem dixit οἴδημα, quo uocabulo ſolet omnes præter naturā tumores notare: iuniores diſpertiuntur hos in inflāmationes, quas φλεγμονὰς uocant, & in duros tumores, atque in molles, & pituitoſos, quos proprie uocant οἰδήματα. ſed φλεγμονὰς ſolet ipſe appellare φλεγμόνας, unde nomen inditum eſt calidis tumoribus. accedit ad priores tumores is, qui eryſipelas dicitur, quod perpetuo quidem inflammatum eſt, non tamē perpetuo tumet. Hi ergo morbi omnes nominatim poſiti ab Hippocrate, quod ad rationem uictus ac medicamenta pertinet, aliam curationem exigunt: quod uero ad manum, uinciri conuenienter debent, præſertim, ubi oriuntur ex præcedentibus uinculis, de quibus nunc pertractat. Illud uero, a uitio ſurſum expellatur, dixit ἐξαφιᾶται, quòd quaſi exprimatur ſignificat. nonnulli aperte ſcribunt ἐξαίρεται, hoc eſt expellatur, ut nulla apud græcos explanatione ſit opus. Ceterum deligari hæc in libro de fracturis uoluit, faſcia orſa a loco tumido: nunc uero a uitio partis, quod τρώματος nomine expoſuit, ſed uinculum, quod ad fracturas pertinet, hic catenus uariat, quatenus faſcias plurimum ferri docet ad ſuperiora, parum uero ad inferiora. Illud item, Sed nec brachium, nec crus dependeat, commune quoque eſt eius uinculi, quod ad fracturas accommodatur, ſed id adſcripſit, ut pote, quod magnum in propoſitis momentum habe

ret,

ret, ne (ut consueuimus) negligentius agentes summopere lædamus. quum, quæ ingentem noxam E
aut opem afferunt, prout quis recte, uel non recte utitur, Hippocrates cōmemorare frequentius nō grauetur: contra, quæ parum prodesse nouit, aut obesse, contentus sit semel tractare. Ergo in fracturis, cum primum alligantur, antequam uel inflammatio, uel aliud ex dictis nunc uitijs accesserit, cautio est similiter, atque in his, ne quid ad affectam sedem concurrat: at non æque in illis danda opera est, ut quæ affectam partē occupant, digerantur. quocirca perfusionem hic adiungit, nō quo illic quoque non adhibeatur, sed quo hic magis. perfundenda enim copiosius hæc sunt aqua calida, ut quod in tumidis partibus collectum est, discutiatur. Quam obrem ipse, cum loquutus est de calce, qui a sal tu ex superiori loco sanguine suffunditur, præter cetera auxilia ad id hoc quoque posuit, aqua calida copiose perfundendum, uinctumque locum sine compressione fideliter continendum. Igitur hæc quoque ad fracturas docuit, licet plus habeant ponderis in malis, quæ nunc commemorantur, nempe ea de causa, ut citra omnem pressum digerantur, ac propterea sine ferulis quoque deuincit, ita, ut iūctura hæc duplici modo differat ab ea, quam fracturæ postulant, tum quòd fascias requirat minus arctatas, & potissimum leues, tenues, molles, mundas. his enim maxime indigent, quæcūque adstringi leuius oportet: tum quòd digestione opus sit uehementiore. Adiungit præterea unumquodque, ex proposi tis uitijs inflammatione uacare debere, si, qua docuit ratione, curandum sit. siquidem inflammatio- F
nes ne modicum quidem pressum ferunt. contra eas igitur nitimur per cataplasmata, per assiduam calidæ aquæ perfusionem, perq; liquida medicamenta, quæ succurrere scilicet inflāmationibus possint.

*Vbi articuli suis sedibus excidunt, aut his intactis, quæ ipsos continent, resoluuntur, aut ossa, quæ citra commissurā se contingunt, diducuntur: uel quæ iuncta erant, abrupto eo, quo continebantur, inter se dehiscunt: seu iuxta articulos comminuuntur: aut peruertuntur, cuiusmodi sunt, quæ uara sunt, in alteram partem inclinantia, ab ea parte, a qua motæ sunt, lenius uinciri debent, arctius ab ea, in quam, ut quum deligata sunt, in contrariam spectent. ac priusquam deligentur, idque paulo plus æquo, quod & fascijs agendum est, & pannis, tum suspendendi, collocandi, intendendique ratione, præterea conuertendo, dirigendo, plurimumque perfundendo.* 31

Mala hæc uniuersa late persequutus est in opere de articulis, & de fracturis, quæ nūc sicut alia multa in compendium contulit, quod breuitatis causa per se obscurum est, at ijs, qui ea uolumina legerint planum. nos, quum ipsa antea explanauerimus, ut memoria redintegretur, pauca in mediū afferemus: si quis autem ab officina medici initium acceperit, huic præceptore opus est, qui res enodet, & quæcūque ab Hippocrate in opere de fracturis, & de articulis scripta sunt, in commentarium translata huc proferat. Dixit igitur Hippocrates propositis uerbis ἐκπτώματα, in articulis, qui suis sedibus excidūt G
στρέμματα, ubi in tacto articulo, quæ iuxta ipsum neruosa sunt, resoluuntur, quod præsertim accidit, quū ambulando uestigium fallit: διαστήματα, cum ossa, quæ citra commissuram naturaliter se contingunt, præ affectu quopiam diducuntur, in opere etiam de articulis & de fracturis nominatim mentionem facit de ossibus, quæ inter se diducuntur, ut de cubito & radio in commissura brachij cum humero, & in manu de ijs, quibus illa continentur, & in crure similiter de ijs, quæ iuxta genu sunt pedemque in uicinia calcis: ἀποσπάσματα dixit, quum abruptis ijs, quæ ossa inter se connectunt, ipsa, quæ prius iungebantur, plurimum inter se dehiscunt, quemadmodum ipse de extremitate lati scapularum ossis ostēdit: sed ἀποκαυλίσματα dicit, quæ iuxta articulos comminuuntur, uocantur a iunioribus ἀπάγματα, de quibus in fine libri de fracturis meminit, inter cubiti noxas, ubi ἀπαγμα scripsit, eo ducuntur, qui post ipsum hoc uocabulo nuncuparunt quamcunque transuersam totius ossis fracturam in uicinia articuli, in qua uidelicet fracti ossis partes inter se plurimum recedunt, ossa, quæ sic franguntur, recentiores dicunt frangi καυληδόν, quum caulis modo abrumpantur: διαστρέμματα uocauit, quæ peruertuntur, ab ijs autem quæ στρέμματα dixit, differunt διαστρέμματα, quatenus hæc aliquo modo perueniunt ad articulum leuiter ipsum depra uantia, suaque sede commouentia, id quod euenit præcipue uni ossi tibiæ in pueris, in quo casu uincimus, utrinq; ad dirigendum obijcientes lignum ex tilia, uel ex tali aliqua materia firmum molleque, tenuem inde regulam parantes. Recte autem addidit, ubi commemorat ea, quæ per H
uertuntur, in alteram partem inclinantia, etiam, si legamus ut nonnullis placet, cuiusmodi sunt, quæ ualga sunt, hæc in alteram partem inclinantia: utrique scripturæ optime conuenit adijcere, in alterā partem inclinantia: siquidem totus articulus sæpe in interiorem partem uel exteriorem conuertitur, idque cruri accidit frequenter prope genu & prope talos. Vocantur autem, quæ in exteriorem partē uergunt βλαισά, id est ualga, quæ in interiorem ῥαιβά, & κυλλά, id est uara. His omnibus uinculum prodest, quod duo spectat, ut ab ea sede, in quam prolapsa pars est fasciæ adducantur, urgeantque: locus uero, unde ea recessit, laxior sit, ut admittat, quod sub uinculo ad ipsum compellitur, hoc est, ut fasciæ ibi laxæ sint, non arctatæ. Supplere autem oportet, uenerunt, ubi inquit, ab ea, in quam, sic, ut totus sermo sit: ab ea parte, a qua mota sunt lenius uinciri debent, hoc est fasciæ laxiores esse arctius ab ea, in quam uenerunt, ut spectent in contrariam partem, atque uenerunt. terminum autem conuertendi in contrariam partem non præscripsit naturalem statum, tunc enim morbo uinculum cederet, quum deprauationi diu pars assuecerit: sed paulo ultra naturalem statum partem adducendam censet, atque hoc est, quod ait, idque paulo plus æquo: nam, quod naturale est, æquum est. Ceterum præcipit, ut ad contraria conuertamus per omnia, quæ ad uinciendum admouentur. quæ

ipse

A ipse nominatim cum fascijs recensuit, quum inquit: & pannis, tum suspendendi, collocandi, intendendiq; ratione, præterea cõuertendo dirigendo: quum possit uinculum per hæc omnia plus iusto ad contraria inclinari. Scribit, item plurimum perfundendo: addens, plurimum, quod in proxime præcedentibus uerbis omisit, intelligi tamen potuit ex ijs, quæ proposita erant. ibi itaque digerẽdi, hic uero molliendi causa, copiose aquam infundit.

32 *In his, quæ extenuata sunt plurimum integræ partis cõprehendatur, ut ex transfusione, quæ exhausta sunt, magis quàm suapte natura emacrescerent, diuerso uinculo ad incrementum spectent, & carne impleantur.*

A.l.4.f.5.t.2. c.27.p.903.C

Percurrerunt locum hunc expositores huius libri, non secus atque alia multa, circuitioneq; usi pauca quædam attulerunt: qui uero enõdare aperte ipsum contendunt, ueritatem non attingunt, ita, ut mirum sit, qui potuerint extenuatis, hoc est gracilibus partibus, & quæ ali desierunt naturalem habitũ restituere. Equidem cẽseo quæcũque, uel ad uerborũ significationes attinent, uel ad quæstiones captiosas, ut perperam accipiantur, nihil ad artis opera discentibus obesse: quæ uero contraria idoneæ curationi traduntur, necessario ijs officere, qui medendi artem exercent. Ante omnia igitur docebo qua B uia curauerim, quæ summa macie confecta essent, ut qui addiscunt, iam eius ope fruantur: deinceps accommodare ueritati proposita uerba enitar. ubi enim latebra est obscuritatis, conabor rei ueritatem tueri, eique, si ulla ratione fieri poterit, uerba Hippocratis consentanea demõstrare, quod si interim nõ dabitur, iuuenis certe rem ipsam, ut sese habet, comprehendat. Ergo macies partium plerũque, uel ex diuturna quiete, uel ex eo uinculo, quod ad fracturas pertinet, proficiscitur, quũ ob illam robur quiescentium partiũ emoriatur: ob hoc regio, quæ uincta est, sanguine sursum partim, partim deorsum expresso, alimento priuetur. Quocirca contrario modo, atque contractum fuerit, mederi uitio debemus, nempe affectæ parti uim restituentes, efficientesque, ut eo sanguis affatim concitetur. uires quidem reficit moderata frictio, perfusio, motus. debet autem esse idonea moderatio in utroque genere, in qualitate scilicet & modo: sanguinis uero plurimum euocabunt, proposita nunc ratio alligandi, aquæ calidæ perfusio modica, motus, & frictio, quæ & uires etiam confirmant. omnia autem modo & qualitate moderata esse cõuenit, cum non satis sit frictionem, motum, calidæ aquę perfusionem, nec multa esse, nec omnino pauca: sed oporteat frictionem quoque mediam esse, tam inter duram & mollem, quàm inter multam & paucam, similiter aquam ita temperari, ut media sit inter eam, quæ nondum calefacit (χλιαρὸν) id est tepidam uocant) & quæ iam dolori est, calore mordens (ζέον, id est feruentem dicunt) in C modo item mediam inter multam & paucam. uerum de modo supra tractauit, cum dixit, dum intumescit, priusquã residat, finiatur. hoc aũt tẽpore, si pars cum seipsa conferatur, rubens maxime apparet. quæcunque ergo gracilitate, macieq; tentantur, plane magis exanguia conspiciuntur, quàm quæ bene ualent, uixque & quum pertractantur, & quum aqua calida perfunduntur, rubescunt. hoc autem nobis propositum sit, quod ad modum pertinet, ut membrum rubore offundatur, quo tẽpore tumidius quoque exhibetur, sed, nisi cesset qui fricat, uel perfundit, tumor desinit, & rubor finitur. Maciẽ uero uel medicinam non admittere, uel sanabilẽ esse indicio erũt tumor ruborque, prõpte uel magno negocio excitati. quibus hi quidem ægre contingũt succurrere soleo perfricando corpus aliquo ex calefaciẽtibus medicamẽtis, atq; ex ijs præcipue, quæ modicum accipiũt thapsiæ non uetustæ: sed & huiusmodi gracilitates inũgo aliqua mixtura, quæ picem habeat, qualia sunt medicamẽta, quæ πιττωτὰ, uel δρωπακιστὰ græce a quibusdam dicuntur. quæ, si πίττωσιν & δρωπακισμὸν nominari audies, æque intelliges, licebitq; tibi appellare, ut uelis. instituimus autem in his commentarijs iuniores atticismũ nõ docere, sed persequi medicinalis artis effectus utilissimos, atq; eos præcipue, qui ex confectionibus picem habentibus ad proposita pertinent. Igitur, si primus usus partẽ reddat tumidã & rubrã, iam cessandũ est: sin minus, iterũ & tertio inũgendũ, in alijs quotidie, in alijs tertio aut quarto quoque die, prout affectæ parti maxime opus D esse iudicabis. Illud uero, quod pars, quæ fricatur, aut pice illinitur, incalescit, inter ea, quæ spectantur interdum non enumero, quoniam sub rubore comprehenditur, cum eodẽ tẽpore caleat, rubeatq;. Ego hac ratione gracilitati præter naturam sæpe occurri, raroque usus sum uinculi opera, & si quando usus sum, eo modo alligaui, quo docet Hippocrates inspectis uerbis ipsius, diuerso uinculo, quod enim inquit, diuerso, illi uinculo opponitur, quod pertinet ad fracturas, quodque affectam sedem uehemẽtius urget. diuersum itaque uinculum primo protinus fasciarum ambitu discrepat ab eo, quod posuit ad fracturas, non enim ordimur a parte cui medemur, quemadmodũ facere in ulceribus, fracturis, sanguinis effusione, ceterisque omnibus paulo ante propositis consueuimus: præter hæc affectũ locũ non adstringimus, sed remittimus, maxime aũt comprimimus partem integram, unde incipimus. inde enim præcipit, ut fascia usque ad affectum locum laxetur, atq; ubi eo uentũ est, laxissima inuoluatur. hic siquidem hieme obuoluendus est, ne calefiat, laxus uidelicet nec minimum quid adstrictus: sed æstate debet integra sedes uinciri, ut qui in ea subest sanguis, ad locum, qui refectione indiget, depellatur, partem uero quæ curatur, sub uinculo calefacere & digerere alienum est. Vbi autem crus totum, aut totum brachium ualde emacruit, alterum par membrum deligare cõuenit, initio ab imis partibus accepto, dein fascia ducta in crure inguine tenus, in brachio ad alam usque, & humeri caput. quãdoquidem eodẽ modo uenæ, quæ cruribus alimentum subministrant, ab inferiori parte iuxta os sacrum deriuantur a uena

caua.atque illæ quæ brachijs,a superiori iuxta iugulum.sanguis itaque,qui ad unum fertur ex paribus E
membris,ubi iter clausum est,ad alterum deducit. Adstringi autem sanum membrum hactenus debet,
ut ob compressionem minime indolescat: sed,quod uitiatum est,uel nudum relinquendum, uel pauca
lana usque ad inguen obtegendum,ubi cælum frigidum sit,sed ubi non sit tale, expedit nudum esse, &
subinde linteis perfricari, tum calidis medicamentis foueri,si locus ægre incalescat. namq;,ubi prom
pte,oleum cui parum ceræ adiectum sit,per se idoneum est,siquidem diutius manet, & minus resoluit.
Eadem omnino ratio est in brachijs,in quibus uinciendum id est,quod bene ualet, perinde quasi crus
præstanterque calefaciendum,quod ægrum est,& frictione & motu:hominem uero,ubi prorsus stupi-
dus nõ fuerit,rogare præstat,num in ea parte,quæ curatur,aliquid eius caloris,qui excitatus fuerit,sen
tiat superesse:an aperte desijsse sibi penitus uideatur. quòd si cessasse respondeat, iam tempus est iterũ
adhibere,quæ calefaciant,& partem confirment, quorum quatuor genera sunt, frictio per lintea,cali-
dæ aquæ perfusio, frictio per calida medicamenta uel per oleum, simplicis dropacis inunctio. ubi ui-
tiata pars refrixisse plurimum uideatur, dropax uarius sit,habeatque bitumẽ,modicum sulphuris ignẽ
non experti,& pyretrum.Curanda uero sic esse corpora extenuata,experimento comprobaui plurima
reficiens.utrum autem uerba Hippocratis recte exposuerim non est,quòd contendam, quum me non
lateat,obscuræ orationis explanationem eo euadere posse,ut probabilis sit,non tamen ut firmiter scia F
tur. Declaro autem uerba Hippocratis non sicut plerique sic scripta,ut ex transfusione exhausta magis
quàm ipsa emacrescerent, sic enim absurda sententia esset, sed (ut alij legũt) adiecto pronomine his
uerbis,ut ex transfusione, quæ exhausta: uocat enim exhausta,quæ extenuata sunt, propterea, quòd
in ocio degerint,fuerintque alimento destituta.hæc ait ex transfusione sanguinis(quasi ex cursu dixe-
rit) sanari, nimirum sanguine ad affectum locum copiosius concitato,quàm si naturaliter haberet. Si
quidem hac ratione implebitur,quod extenuatum erit, si diuersum adhibeatur uinculum ab illo,quod
in prioribus indicauit,cuius discrimẽ nos paulo ante demonstrauimus, ex quo necessario facultatis dis
similitudo proficiscitur:illud quidẽ ab affecta sede sanguinẽ expellit, hoc amplius ad eam concitat, q̃
si recte ualeret.nam,cum bene ualebat,abunde erat,qui in ipsa continebatur,& ideo non opus erat am
plius transmitti,quàm qui,partim in alimentũ subministrandũ consumitur,partim digeritur: nũc uero,
quum uitiatus locus inanis sit,atque exanguis,multo plus concurrere sanguinis oportet,non modo ut
alatur sicut in secunda ualetudine,sed reficiatur etiã,præterquã quod nunc plurimum necessario digeri
tur,quum subinde calefiat.calefaciunt.n.quæcũq; ad ipsum præsidia adhibenĩ,siue frictio siue motus &
medicamenta,siue pix illita, & confectiones picẽ habentes,ac tandem calidæ aquæ perfusio. nã & hac
Hippocrates usus est, fortasse ob eius seculi inopiã balneorũ: nos autẽ hoc seculo aqua, quã in balnei G
labris habemus,contẽti sumus,ad affectas partes modice calefaciendas,tollendũq; eam lassitudinem,
quæ extendentiũ sensum repræsentat. Iã uero partes exerceri necesse est in actionibus usitatis,id quod
quotidie faciendũ est,non subito semel,uerum subinde,qũo etiã frictio adhibenda est,donec excitetur
calor,tũcq; ab ea desistendum.Verbis igitur sic uerã curationẽ accõmodo,cuius uim experiẽtia demõ-
straui,sexcentos,qui sub uinculo diuturnoq; ocio extenuati erant,recreando.Sed iam eorũ,qui librum
hunc enodarunt,mentẽ aperire tẽpus est.ex ijs pleriq;(ut retuli)usi circuitione duntaxat integrã uerbo
rum obscuritatẽ reliquerunt:pauci conati sunt iuxta uerba ipsa ad uinculũ relata hoc modo uniuersam
sententiã enodare.Hippoc. præcipere aiunt,ut eorũ,quæ extenuata sunt, curatio a uinculo inchoetur.
quo exhausta,hoc est extenuata magis,quàm ante extenuata fuerant,in cõtrarium habitum mutentur.
multos enim morbos putant hac rõne sanari,afferuntq; exẽpla & eorum,qui nausea pressi sumpto me-
dicamento uomitum ciente ad sanitatem peruenerunt,& qui assidue cita & acri aluo exerciti purgante
potione consanuerunt,& quorum tussis finita est ob præsidia uehementiorẽ tussim excitantia. Nec de-
sunt ex illis,qui commemorent, quæ Hippoc.in illis sententijs, quæ aphorismi uocãtur, ad uerbum sic
scripsit:Est etiã,quum in neruorum rigore citra ulcus iuuene habitiori,media æstate gelidæ aquæ mul-
ta perfusio calorem reuocat:ergo,sicut contra morbos(inquiunt)non solum pugnamus per auxilia ip-
sis cõtraria,sed etiam per similia,ita nunc ab Hippoc.iubemur gracilitati occurrere ab eo uinculo orsi, H
quod magis extenuare potest.id quod trãsfusione fieri aiunt,cum partes paulatim plurimumq; sub uin
culo cõtabescentes, iterum recurrentibus humoribus recreantur, & idoneæ fiunt, quæ carne implean
tur.Sed quum uideãt,qui sic exponunt a se nullo modo explanari illud posse,diuerso uinculo,scribunt.
diuerso habitu: sic,ut ternæ reperiantur scripturæ inter se differentes,quarum una habet, diuerso habi-
tu,nãq; in nonnullis exemplaribus sic scriptum reperitur.Qui scribunt igitur,diuerso habitu,locũ hunc
in uinculo nõ accipiunt,sed in parte ægra,quã alterius habitus existentẽ,ac prius esset, spectare ad refe
ctionem dicunt,eumq; habitum cõparari uinculo plurimum extenuante,quasi exhaustæ partes nõ am-
plius uinculo extenuentur,sed nunc fortasse futurum sit,ut inde reficiãtur.Itaq; quum uinculum,quod
ad fracturas pertinet,communis(ut paulo ante dixi)& aliorum affectuum, quibus annumerabãtur san
guinis suffusiones,contusa,abruptiones,extenuandi facultatem habeat,quis conficiet, ut de eodem re
fici extenuatæ partes incipiant. quam ob rem nonnulli ita legunt,ut ex transfusione,quæ suapte natu-
ra exhausta sunt: concipientes id absurdum, quod oratione sequitur, effugisse, eo quod partes suapte
natura sint extenuatæ, atque id, quod nunc præcipitur,non pertineat communiter ad omnia, quæ ex-
tenuantur, sed ad ea tantum, quæ sua sponte. sic autem commune hoc præceptum, & generale pauca
complectetur,

A complectetur, paucissima.n.sunt,& rarissima,quæ hac de causa tabescunt,reliqua omnia ob diuturnum uinculum,simulq; ob uitiatæ partis quietem in hunc morbum incidunt,eaque potissimum fas est com memorari ab Hippocrate,quum sub ijs fiant,quæ superius posita sunt. docuit enim hactenus de fractu ris,& de quibusdam alijs affectibus,qui simile uinculum exigunt, quibus quum maciem partium superuenire intelligat,indicare merito uoluit,qua ratione ad sanitatē perducatur. Sed iamiam exequar, cuius maxime accusari possent,qui putant Hippocratē monere,ut extenuans uinciendi ratio adhibeatur.consilium quidem est reficere,quæ exhausta sunt,quod contingere non potest,nisi & uires reficiantur,& materia alimenti abunde subministretur. uinculum uero,quod tradi ab Hippocrate uolūt, & sanguinis concursum prohibet,& robur infirmat: sed quod nos dari ab eodē credimus,diuersum est ab illo,quod extenuat,inchoandū enim est a parte sana,non ab ægra,& per multos circuitus adstringendū comprimendumq;,dum ne compressione excitetur dolor,qui posset inflammationē mouere,fascia itē usque ad affectam sedem trahenda est paulatim ui compressionis remissa. Illud præterea,quod integrū crus una cū ægro deligari conueniat,ipsorum expositioni minime congruit, ubi inquiunt Hippocratē uelle uinciendum esse,ut quæ extenuata sunt magis,exhauriantur,quo non modo nihil confert uinculū alterius cruris,sed etiam obest,sanguis enim,qui ante ad illud ferebatur,nūc omnis ad affectum de-

B pellitur. Quòd autem superioris expositionis auctores male huc exēpla transferant, in aperto est, quū nullam similitudinem habeant cum ijs,quæ ab Hippocrate traduntur. quoniā qui recte rationi innitetur,si subito eijci uelit omne id,quod causam exhibet,nempe,quod uentriculi tergoribus ita inhæreścit,ut uix inde extrahi queat:similiter & acria,quæ paulatim destillant,& ita uentrem irritant, ut desidendi necessitas sit,subito non iniuria educet: quemadmodum euenit in tussi mediocri, quæ ijs exoluitur,quæ ipsam concitant acriorem.sed nulla his cōmunitas est cum eo,quod putant affectum locum,ut recreari incipiat,exhauriendum esse,quum ex uinculis,neque tabescentes partes firmari possint, neq; alimenti materia deduci. Illud uero,quod afferunt de neruorum rigore maxime alienum est,ignaros.n. se ostendunt artis,quam tradidit Hippocrates,quum docet medendi rationem esse,ut contrarijs tollātur contraria. At nonnulli minus uerborum uim percipientes ad contradicendi studium conuersi sunt, quod fere faciunt,qui inconsiderate aduersantur,atque ea labefactare contendunt, quæ nunquam dixerunt. tantum enim abest,ut per artificiosa illa,quæ traduntur ab Hippocrate,id tollatur,quod contrariorum contraria sint auxilia, ut etiam confirmetur. Quin & in adducta sententia dixit,frigidæ enim aquæ perfusio calorem reuocat,hæc autem calore finiuntur.hunc uero calorem, qui medetur frigidis uitijs interdum frictione mouemus,interdū calidis medicamētis,modo exercitatione,aut calida aqua

C infusa,atque ubi uehementiore calore opus est,bitumine(ut sæpius retuli)uel pice illita: interdum etiā & aquæ frigidæ perfusione. sed cetera omnia, ut pote quæ calefaciendi uim habeant, ijs partibus ac morbis,quibus calore opus est, ubique utilia sunt: frigida aqua,ut quæ frigida est,quantum in se est,raro utiliter adhibetur,atque ei tantū corpori,quod potentem habet innatum calorem. In habitiore quidem corpore(inquit ipse)est,ubi utilis sit aqua frigida,neq; in hoc,quolibet tēpore, sed æstiuo. frigidæ enim aquæ potionem duo afferre,uel noxam ex frigore, uel plurimum caloris ex altioribus partibus redeuntis,quis non nouit,aut non docuit ex ijs,qui de ea conscripserunt? Corpore itaque abunde calido fit,ut a frigore non superetur calor,qui in ipso est,sed cute densata, atque ijs,quæ expirare debent, relictis,augeatur: at si calor imbecillior fuerit,quàm ut subeunti frigori obsistat,ui ipsius ad altiora corporis aspirante,homo frigidis morbis excipitur.fortasse hæc superuacanea nunc attuli, quum alibi ( ut dixi )ea fuerim exequutus. Quæ primo igitur medentur,primo necesse est contraria sint. prima autem dicuntur,quæ nullius medij auxilio his opponuntur:quæ medio indigent,non primo efficiunt, sed alia adiuuando efficiendi socia sunt. Agunt autem nugas,qui alui purgationem,medicinam tussim mouentem,frigidam perfusionem proferunt.nam hæc,quamuis recte interdum fiant,plurimum tamen ab eo, quod nunc proponitur,abhorrent,in quo demonstrandum est,qui fiat,ut uinciendi ratio,quæ extenuā-

D di uim habet,uel quod exhaustum est,confirmet,uel plurimum eo sanguinis concitet.frustra autē,dum hæc ostendere nequeunt,exempla adscribunt,præterquam quòd exemplo stabilem, certamque scientiam non efficiunt.ostendimus enim in libro de exemplis,non esse exempli usum,ut qui rem nō cognoscunt,eius scientiam acquirant.quod quidem nonnulli asserunt,qui rhetorum more, ut scientia comparetur,exempla adhibentes tota aberrant uia,non secus atque ubi Platonem dicunt plerunque per inductionem demonstrare. ostensum enim est, illum uti inductionibus,gratia explanationis: quicūque uero tenetur studio exquisitius intelligendi inductionis uim,& exempli, ad eum locum adeat, ubi de utroque tractatur,quæ nos alibi exequuti sumus. Sed nunc ad propositum reuertamur eos hortati, qui in hisce libris uersantur,ut quum hactenus diligenter legerint,ad sequentium expositionem accedant, quæ præcedentiū fidem faciunt. ad ea iam igitur progrediamur uniuersa,quæ ut in aperto magis sint, non adscribemus tota simul sed membratim,eoque modo etiam explanabimus.

33 *Ceterum præstat partem, quæ super aliam posita est,sicut femur super id, quod a genu ad pedem est, simulque alterū crus cum integra parte deligare,ut similius sit,pariter quiescat,& æque alimento prohibeatur,atque alatur.*

Paulo ante propositum est,rationē deligandi extenuatas partes diuersam esse debere ab ea,quæ ad fracturas pertinet:hæc siquidē adhibetur,ut sanguinis cursum prohibeat,quod in affecta sede collectū

est,sursum deorsumq; exprimat,mẽbra quieta seruet,& immobilia,cũ hac uia uitiatæ partes interdum E
ab inflammatione penitus defendãtur: at nunc nõ eo incũbitur,ut fluxus sanguinis repellatur, ut quod
in ipsis subsistit educatur,ut immobiles contineantur,sed ad omnia his contraria consiliũ dirigitur. Fa-
scia itaq;(ut supra scripsi)ordiatur a parte sana,premendoq; hanc,sanguinem,qui in ipsa continetur, ad
extenuatam transfundat,non tamen ex toto integram partẽ exhauriat. Crure igitur aut brachio ægro
tante abunde est uinculum incipere ab inguine,aut ab ala: sed, si malum hoc femur infestat, aut hume-
rũ,necesse est contrariũ membrum deuincire, uinculo ab ima parte orso, & usque ad inguen uel alam
porrecto.Si quãdo aũt brachiũ,aut crus uehementer ægrotet,expeditius est utrunq; deligare, & quod
superpositum est affectæ parti,& quod integrũ,ut prohibeatur alimentũ,neque illi subministretur.atq;
hac de causa dixit Hippocrates,sicut femur super id,quod a genu ad pedem est , simulq; alterum crus
cum integra parte deligare,ut pariter(inquit)quiescat,id est,ociosum sit alterum crus,atq; illud , quod
affectum est,& æque ipsius alimentũ intercipiatur.Illud uero,ut æque alatur,idcirco posuit,quia mem-
brum,quod uincitur,noluit ita alimẽto prohiberi,ut nulla pars penitus ad ipsum feratur.Quòd si uehe
menter quis adstringat,ex toto ferri alimentum prohibebit,periculumque protinus erit,ne pars emo-
riatur,id si nõ fiet,alimẽtum quidẽ certe tam in femore,quàm in crure auferetur.propositum quidẽ est
non extenuare femur,sed crus reficere.uerũ quia uinculi ratio alimentum detrahit, huiusmodi noxam F
aliquandiu admittimus:deinde postea,ubi crus modice carnẽ contraxerit,utriq; communiter consuli-
mus.Quare illi audiendi non sunt,qui uolunt Hippocratem iubere,ut cum extenuata parte,ea, quæ su
perposita est,atque alterum crus extenuetur,ut gracilium partium macies occultetur, ne in aperto sit,
neue ex plenioris membri comparatione deprehendatur.cum nec medicus quiuis unus e populo, ne-
dum Hippocrates hanc curandi rationem probaret.

*Linteorum numero,non pressu.* 34

In superioribus iam sæpe imperauit,ut hoc idem fieret,ubi deligatum membrum sanari penitus si-
ne dolore uoluit.

*Laxandum est primo,quod maxime indiget,ac frictione utendum,quæ impleat,& perfusione citra ferulas.* 35

Verbum,primo,uel ad tempus retulit,uel ad uim,si ad tempus,uel in uno uinculo,uel in his,quæ se-
quuntur,inter se collatis. Sed quia uere hæc omnia dicuntur,idcirco quod proponitur clarum est, nisi
fortasse ita scripsit,uolens cuncta hæc a nobis intelligi.Protinus igitur in primo uinculo, qm̃ conuenit
plurimum integræ partis cõprehendere,linteaque primo ambitu arctari,tum subinde magis laxari,ma G
xime autẽ ea parte,quæ refectione maxime indiget probabile utique esset uerbum,primo, ad uim tela
tum de parte dici,quæ curatur: ad tẽpus uero,de primo uinculo.Quòd si accipiamus in omnibus uincu
lis inter se cõparatis,mens erit huiusmodi.si in primis uinculis cum integra partẽ quoq; uitiatã deuin-
xeris,interdũ nudandam æger præbebit,quod ipsum primo agendũ est in ijs,quæ refectione indigent,
atque ea de causa minus bene nutriuntur.at quum sanguis ad uitiatũ locum & frictione concitetur, &
alijs,quæ paulo supra narraui,ipse magis citiusq; carne implebitur.Verum Hippocrates & frictionis &
perfusionis aquæ calidæ meminit,non tamẽ medicamenti,qm̃ hic sola docet manus præsidia. neq; exi-
stimandũ est prætermissum ab eo fuisse,mẽbra eatenus dimouenda esse,ne ad lassitudinẽ dẽtur , quum
ea ostenderit,quæ sunt eiusdẽ generis,& motus quilibet permacræ partis ad id genus spectet, ad quod
frictio,quum uero quiescere iusserit alterum crus,non secus atq; integram partem , & nunc frictionis
mentionẽ fecerit,motu quoque utendum esse plane censuit,nihil.n.prohibet,quo minus absq; hume-
ro brachium,& crus absque femore moueatur.quum non opus sit aduersus maciem immobili crure ac
brachio.constat.n.curari hæc,dum mouentur transmisso alimento per partes superiores , quæ eo non
fruuntur,siquidẽ illæ potissimum fricentur, pice illinantur,& calidis medicamentis curentur . Plurimũ
uero sanguinis ad mẽbra concurrere extremis partibus calefactis magnum tibi sit indicium concita- H
tus ibi calor & rubor. Horum autem plenam curationem habes,quum his,quæ Hippocrates tradidit,
adiecerimus calefacientium medicamentorum admotionem,cuiusmodi est inunctio picis.Hippocra-
tes nihil penitus in hoc libro de medicamentis meminit,quanquam plures affectus memorat medica-
mentorum auxilium postulantes, ex quorum numero sunt sanguinis suffusiones,id uitium sub quo re-
soluuntur,quæ articulos cõtinent,præter hæc abruptiones,cum eam persequi medicinæ partem insti-
tuerit,quæ manu medetur,atque hanc(ut dixi)non uniuersam,sed partem,quæ maxime necessaria sit,
& utilissima his,qui ad medicinalem artem aggrediuntur.

*Fulcimenta uero,ac firmamenta,uelut pectori,costis,capiti,ceterisq; eius generis,alia pulsus causa adhibentur, ne quid* 36
*eo concutiatur,alia propter commissuras,quæ dehiscũt, ad ossa caluariæ,ut fulciant,sed ad tussim,& sternutamentũ,aliũue*
*motum, cuiusmodi in pectore & capite excitatur,ut firment,quorum omnium eadem in uinciendo moderatio est, nam quæ*
*uitium est,maxime adstringi debent. Subijcienda igitur lana mollis,quæ morbo aptetur , alligandumque est , non arctius,*
*quàm ne pulsus concutiat,extremitatesque commissuræ dehiscentis se contingant,neque circa tussim, & sternutamenta, sed*
*firment,ita,ut neque cogi,neque concuti sinant.*

Quid sibi uelit uerbum fulcire,quod Hippocrates dixit ἐρμάζειν inde aperte colligitur, ubi iussit ful-
ciendum

A ciendum uinculis esse, non tamen comprimendum, tã quum panniculus super fascias inijcitur, quàm
quum fasciæ ipsæ circumdantur. Ducta autem uox est a nomine ἕρματα. sic enim fulcimenta græce uo-
cantur, quorum meminit Hometus in eo carmine ὑπὸ δ' ἤρεον ἕρματα νηῶν. quasi nihil differat,
ἐρείσματα, id est fulcimenta ne dicantur, an περίσματα, id est firmamenta. Constat autem Hippocratẽ sæ-
pius dixisse, fulcire, non tam in fascijs, quàm in pannis panniculisque, quod firmare significat, quin &
expositores ubique pro eodem acceperunt. Nunc uero duorum nominum fulcimenta, & firmamen-
ta proxime alterum alteri subijciens, indicasse uidetur non significari idem ab utroque. An fulcimen-
ta intellexit, quæ in uinciendo subijciuntur, circumdanturque, ut affectam partem immobilem te-
neant, ac primo quidem fascias, quæ primum inijciuntur, quæ præter alios quosdam usus, etiamnum
fulciunt, dein pannos, qui & ipsi non modo fracturam, sed & fascias fulciunt, posthæc fascias, quæ fe-
rulis superinijciuntur, & panniculos. siquidem hæc omnia, cum ea de causa dentur, ut cõtineant quæ
ante inuoluta sunt, non ea tantum, sed fracturas quoque fulcire possunt. Verum firmamenta, mihi
uidetur appellare quæcunque sine uinculo ægræ parti uniuersæ superdantur, aut a sinistra uel dextra
parte, aut a superiori uel inferiori. uoco autem superiotem uel inferiorem ad crassitudinem respiciens
totius corporis, in eo enim spacio, quod in ipsius crassitudinem est, quæ subijciuntur, ab inferiori pat-
B te sunt, quæ superimponuntur, qualiacunque sint, a superiori. Firmatur autem extremitas recta aliqua
re, quæ ab inferiori parte erigatur, caput puluinis & ceruicalibus, tum lana & panniculis mollibus: ca-
nalis comminuto cruri item subiectus utrinque ipsum firmat. Sed pilam ex lana demissam sub alam, in
quam humeri caput exciderit, licet & fulcimentum & firmamentum appellare, eo enim quòd & ipsa
alligetur, pars quodammodo fit totius uinculi, quæcunque autem ad fulciendum thoracem & caput
superdantur, firmamenta magis dicũtur, quàm fulcimenta. Hæc a medicis excogitata sunt propter mo
tus partium necessarios, quorum aliqui naturales sunt, ut respiratio pectoris, pulsus membranarũ: non-
nulli præter naturam, cuiusmodi tussis, sternutamentum, singultus, & quicũque pulsus inflammatis par
tibus accidunt, aut sub uehementi capitis dolore in temporum arterijs, & sæpe palpitatio præcordio-
rum: est etiam interdum, cum aliæ partes firmamentum requirunt. Debent itaque adhiberi firmamen
ta fascijs nonnunquam per se iniectis, ut ad temporum arterias, ubi caput intolerabili dolore torque-
tur, aut ad præcordia palpitantia, aut ad uulnera, in quibus ueremur, ne sanguis erumpat. nonnunquam
uero fascia lanam comprehendimus: interdum tamen nulla adiecta fascia simpliciter firmamus. thora-
cem quidem & ceruices lana, caput puluinis mollibus, aut leuibus sacculis, in quos milium calefactũ
coniectum fuerit, ubi simul & firmandum & fouendum est: maxillam uero prolapsam, mollia firmamẽ
C ta admouẽtes interdũ firmamus. Ergo, cũ cõis sit fulcimẽti, ac firmamẽti usus, iure putant, qui librum
hũc exposuerũt, ab utroq; idẽ significari, quibus sæpe uerbis nos quoq; utemur nullo discrimine inter-
posito. est aũt cõe consiliũ, id, quod paulo ante dicebã, ut partes motu minime cõcutiãtur, sed, cũ (quod
proxime declaraui) propriũ quoddã discrimen inter hæc sit, ubi curiosius agere uolumus, firmamenta
dicemus, quæ sine uinculo, fulcimenta quæ cum hoc adhibentur: sicque statuemus ea uocari firmamen
ta, quæ partibus illis dantur, quarũ motus necessarius est, a quo cessatio nõ est in nobis, fulcimenta, quę
immobilibus. Motus siquidẽ cruris & brachij in nobis est: thoracis uero & membranarum non est in
nostra potestate, neq; item palpitatio alicuius partis, neque tussis, neq; sternutamentũ, neq; singultus,
quibus, quominus moueant, obsistere aliquandiu non licet. urget. n. postea necessitas, ubi, qua cõcitan-
tur, causa uehemẽs fuerit, uidẽturq; ualentissimi uiri dũtaxat posse resistere, prohibereq;, ne moueãtur.
Sed aliter Hippocrates in proposito loco scripsit, quod ad pulsus pertinet, ne cõcutiat, tũ quod ad cõ-
missuras capitis, ne dehiscant, fulcimentorũ uerbo usus: firmamentorũ uero ad tussim & sternutamentũ
aliumue motũ, cuiusmodi in pectore, & capite excitatur. Dehiscunt igitur in capite suturæ, quæ ῥαφαὶ di
cuntur, cum ubi ossa capitis se tangũt, proprie dicãtur ἁρμονίαι, sed translato uocabulo ῥαφαί. caluariæ
enim ossa ad unguem inter se ἁρμόττει, id est cõmittuntur, atq; idcirco ipsorũ contactus καθ' ἁρμονίαν cõmit-
D ti merito dicẽtur, & a similitudine eorũ, quæ suũtur, ῥαφαί. id est suturæ. hæ aũt facile interdum hiant, &
interdum dolorem mouent, quum ea inflammantur, quæ connectunt membranam caluariam tegentẽ
cum ea, quæ dura sub caluaria cerebrum cingit: sæpius item uenæ tenues, quæ per suturas transeunt,
inflammatione tentãtur, quo fit, ut motus duræ membranæ super inflammatam partem concidentis,
dolorem afferat, ad exemplum motus arteriarum, qui aliquando ob inflammationem dolori est. Hæc
quidẽ uitia curiosam firmamenti moderationem postulant, sic, ut nec ita laxum inhæreat affectæ parti,
quæ mouetur, ut ipsum quoque facile concutiatur, & ea de causa molestum sit: nec rursus plus iusto insi
dens premat, & dolorẽ exasperet. Ipsa autẽ alligandi moderatio superius ab ipso posita est, & ad alios
quosdã morbos, quibus idẽ uinculum quod fracturis conuenit, atq; idcirco nũc scripsit, quorũ omniũ
eadẽ in uinciẽdo moderatio est, quorũ, intelligens, quæ nũc proposita sunt. cumque eãdem dixerit mo
derationem esse, deinceps moderationem ipsa refert, cum inquit, nam, qua uitiũ est, maxime adstringi
debẽt: id est, ubi uitiũ est, siquidẽ uerbum ᾗ, ab ipso dicitur, quod nũc pro aduerbio loci accipitur, ac pro
pterea debet adspiratione, & circumflexo accentu proferri. Itaque id, quod ad huiusmodi uitiũ ful-
ciendũ, uel firmandum adhiberi utiliter testatur, adstringi uoluit, nimirum fasciarũ ambitu, non magis,
quàm ut prohibeat partes, quo minus sub pulsu concutiantur, quod est præ angustia impedire motum
arteriarũ; hæc enim est causa doloris. Alium insuper finẽ præscripsit, qui proprie pertinet ad suturas,

quæ diducuntur, quum inquit, extremitatesque commissuræ dehiscentis se contingant, extremitates E
uocans, ultra quas non possunt commissuræ se contingere. Intelligitur autem ex hoc uehemens & immoderata compressio. nam, ut diduci ossium commissuram non expedit, ita, nec plurimum comprimi, quandoquidem hoc quoque naturæ alienum est. Hi ergo fines sunt ualentioris pressus: lenioris, deinde adscribit, neque circa tussim & sternutamenta: quasi ita dixerit, neque in tussi & sternutamento, ita, ut affectæ partes nulla re contentæ concutiantur, agitenturque. tunc siquidem acriores motus concutiendo laxiores partes, & minime fulctas uehementius, quàm uitiatis opus sit, earum dolores exacerbarent. Quæ uero moderatio adhibenda sit in fulciendo, ipse postremo adiungit, ubi ait, ita, ut neque cogi, neque concuti sinant: id est, ne, quæ uitiata sunt, comprimantur ualenter, neue motu concutiantur, hoc, est neque nimis arcte, neque nimis laxe colligentur.

# *GALENI IN HIPPOCRATEM DE*

## FRACTVRIS, COMMENTARIVS PRIMVS.

*Vido Vidio Florentino interprete.*

### PRIMI LIBRI ARGVMENTVM.

*Tractatur communis ratio simplices in cubito fracturas corrigendi: & brachio proposito, exponitur, quo modo extensiones, conformationes, deligationes, & situs fractarum partium fieri debeant.*


SCIRE licet, antequã singula exponamus, posse expositionẽ omnẽ, quæcunq; in opere obscura sunt, aperire. aliquid aũt ex ijs, quæ scripta sunt, uel ut uerũ demõstrare, uel ut falsum refellere, tutariq; si quid a cauillatore quopiã reprehensum fuerit, præter expositoris officiũ est: cõsueuit tamẽ fieri ab oĩbus fere, qui libros exponũt. quã rẽ ab expositore modice attingi me hercle nihil prohibet: sed certare de auctoris sentẽtijs absolute, expositoris fines excedit. Hoc igitur, nõ illud respiciẽs, ubiq; ijs, quæ uere expositiones sunt, pauca ad confirmanda, quę proponũtur, adijciã. Verũ, quũ duplex sit huius expositionis differentia: quandoquidem & idipsum, quod obscurum est, duplex est, de hoc quoque aliquid præfari melius arbitror. quod paucis explicabo, quasi quoddam compendium faciens eorũ, quæ in libro de expositione seorsum larius enarraui. ibi enim ostendi aliud reuera obscurũ esse, aliud ob id præcipue, quod multa sunt auditorum genera, ut sermone eruditi sunt & exercitati, uel omnino rudes: tũ ut natura perspicaces sunt, & acuti, uel hebetes, & tardi. Ac, ne longius exempla petamus, in hoc proposito libro de fracturis, ubi Hippocrates inquit Dicendum ergo est e medicorũ erroribus, quos docere uolo, quosq; dedocere uerba per se obscura sunt, quum minime existimemus, quosdam esse errores, quos docere conueniat. Huiusmodi ẽt illud est Praeterea articulus ita extentus recuruaĩ in hoc habitu intento enim brachio curuari inquit cubiti iuncturã, uidetur autem, & hoc absurdum, id curuari dicere, quod rectũ est. Item, quod inquit Nam si ita collocetur imum caput humeri, quod cardinis modo in cubiti sinum conijcitur, efficit, ut brachij, atque humeri ossa dirigatur, quasi totum unum sit. sed, si quis uiderit, quale utrunque os sit, de quo agitur, nullam habet obscuritatem. iure autem uerba existimabit obscura, qui H
naturam cubiti iuncturæ ignoret. Ego, quoniam plerique eorum, qui librum hunc legunt, in incidẽdis corporibus minime sunt uersati, melius duxi omnia huius generis explicare: quæ uero talia non sunt præterire, adhuc de his illud præfatus ijs, qui librum hunc lecturi sunt, ut si qua ex uerbis a me expositis obscura ipsis aliquo modo uideantur, ante omnia spectent, num quid mendi sit in suo libro, cum exemplaribus fide dignis illum conferentes, examinantesque: tum si recte habere uisus fuerit, eadem uerba attente iterum, & tertio legant. ego uero, quum præsens præsenti alicui librum aperio, ad unguẽ conijcere possum expositionis modum, ubique addiscentis ingenium inspiciẽs: at cum omnibus scribo, nec ad eum, qui optime, nec ad eum, qui pessime instructus sit, specto: nam illud plerisque obscurũ est, hoc molestum, si in apertis diutius immoremur. Optimum igitur censeo, quid mediocre ingenium postulet, conijcere, atque, ubi non succedit, magis ad id spectare, quod præstantius est: neque enim hos commentarios legendos puto, quibus ingenium est inferius mediocri, quibus cũ bene agitur, si postquam eadem sæpius de ductoribus audierunt, alijs atque alijs uerbis exposita, percipiunt.

*Medicum oportet, quæ suo loco mota sunt, & fracta, recto admodum statu intendere.* 1

Nonnullæ orationes, & si nihil doceant, quod magni momenti sit, tamen expositionis particulæ censentur,

A sentur, quales sunt, quæ scripturæ uarietatẽ notãt. cuiusmodi quidpiã nunc uidemus in proposita oratione, quæ ab alijs scribitur, medicũ oportet, ab alijs absq; primis uerbis, medicũ oportet, Atticis. n. hoc prorsus est usitarũ, quorũ linguã Hippocrates aliquantũ usurpat, ita ut eius sermo a nonnullis priscus atticus existimetur. Nos aũt in alio paruo libello, quid de sermone Hippocratis indicemus, seorsum demonstrauimus. Nunc explanationis initio satis est admonere omnia hæc a me prætermittenda, quum propositæ materiæ necessariæ partes non sint, & expositionem reddant nimis longam. quæ suo loco mota sunt, & fracta, recto admodum statu intendere. appellat autem, cum ossa citra fracturam suo loco mouentur, non solum ἐκπτώσεις, & ἐκπτώματα, sed etiam ἐξαρθρήσεις, & ἐξαρθρήματα. Quod ad fracturas pertinet, id animaduertendũ est, Hippocratẽ, ut sæpius κατάγματα, raro ἄγμα nuncupet, eo uocabulo, quod rarius usurpauit, hoc opus inscripsisse: quo fit, ut nonnulli uelint non seiunxisse hoc Hippocratem ab opere, quod inscribitur de articulis, sed utrunque in unum cõtulisse: diuisum uero fuisse postea in duo præ magnitudine, atque, ubi in unum ambo conuenerant, inscriptum fuisse De officina medici. Quam rẽ male conãtur testimonio firmare, asserẽtes scriptũ fuisse librũ unũ de officina medici, ab homine antiquo primo Hippocrate, qui patrẽ habuit Gnosidicũ: libellũ uero, quẽ nunc ita inscriptũ habemus, cõpositũ non fuisse a magno illo Hippocrate, qui maximus inter græcos habitus est & medicus, & scri-
B ptor. Sed quia in his duobus operibus tractatur de ijs, quæ in officina medici fiũt, idcirco aiũt inscripta fuisse de officina medici, atque ea de causa hic ẽt exquisitũ ordinẽ in docẽdo nõ seruari. ipsum. n. in hoc opere de fracturis, mentionẽ fecisse de articulis quibusdã luxatis, atq; operi, quod sequitẽ de articulis, nõ pauca de fracturis inseruisse. Verum quibus placet opera hæc, non ab aliquo seiuncta, sed a principio duo cõposita fuisse, ab ijs, circa quæ magis uersantur, inuenisse inscriptionẽ affirmant. ita. n. opinantur ipsi inscripta fuisse, atque inde initio sermonis accepto longius labuntur, ostendentes pleraque ex operibus Hippocratis hac ratione inscribi. Equidẽ in unum ne contulerit Hippocrates ambo hæc opera, an non, dicere non habeo: procedẽte autẽ sermone ostensurum me polliceor fracturas, & ea luxata, quæ tractantur in hoc opere, doctrinæ cognationẽ inter se habere, atq; itẽ luxata, & eas fracturas, quæ in opere de articulis. At quamobrẽ in propositis nunc uerbis quæ suo loco mota sunt, & fracta orationis ordinẽ permutet: scripsisse. n. debuit quæ fracta sunt, & suo loco mota, eo quod ante de fracturis tractet: possum unã duntaxat causam reddere, hoc pacto. sæpissime uidere licet Hippocratẽ, & ex maioribus eos, qui eloquẽtissimi sunt, hunc enunciandi modũ usurpasse. Fortasse igitur nõ ordinẽ dicendorũ, sed ordinis concentũ attenderunt, uel adeo exquisitũ ordinẽ in huiusmodi orationibus neglexerũt. recto admodũ statu intendere. Membra, quæ luxata sunt, aut fracta, dũ intenduntur, præcipit recto admo-
C dũ habitu figurari. sed qua de causa intẽdi debeant, hic omittit: de modo, quo collocari membrum cõueniat, dum intentio adhibetur, latius pertractat. cũ posset in opere rem ipsam docens, nihil de his, qui secus sentirẽt, meminisse. Atqui non in hac oratione tantũ, sed in ceteris omnibus ignorare non oportet, orationũ alia summatim rem proferri, atq; hæc omniũ breuissima est: alia huic maxime contrariã, & plene explicari, in qua nihil omnino prætermittitur, quod utiliter dici potuisse uideatur: reliquas uero omnes his interiectas esse, & alias ad breuissimam, alias ad longissimã propius accedere, sicut alias rursum paulum a media distare. utriusque autem generis legere singulas debes pro arbitrio, atque ocio: eos aũt nullo modo accusare, qui, uel quòd propter breuitatẽ obscurius scripserũt, uel, quòd orationis perspicuitati studeant, longius labantur. illis. n. dare legem non conuenit, præsertim, quũ nihil sit profutura, sed accipere ab unoquoque, quod sibi utile sit, cũ eo, ut intelligas docendi propositum non esse idẽ in omnibus libris. uerbi gratia, in his duobus de fracturis, & de articulis, fuse, & late scribit: summatim uero in eo, qui, quum de impellendis ossibus tractet, μοχλικὸς inscribitur, ubi, quod ad res pertinet, idem agit. Est aũt fuse explicandi ratio ad perspicuitatem maxime accommodata: compendiaria uero ad memoriam. huius rei, quam semel indicaui, ubique memento. Sed iam pergamus ad ea, quæ traduntur, tu uero diligenter animũ aduertito. Ipse ergo in sequentibus causam inquiret, cur, siue fractum os
D componendum, siue luxatum in suam sedem collocandũ sit, ante opus sit extẽdere. Mihi aũt rei explicandæ locus hic uidetur, ut qui operam dem, ut plane exponam: ad quod plurimum conferre orationis ordinem, quum nullam controuersiam recipiat, nihil est, quod demonstremus: sicut nec ab ijs, qui quidpiam exponunt perspicuitatis gratia, non solum ordinem, sed modum singularum omnium orationum attendendum esse. nulla enim alia de causa expositionẽ scribimus. In opere igitur de motu musculorum ostendimus maxime proprium esse musculorũ, si ad reliquas corporis partes referantur, si ad seipsos, maxime commune ad exemplum lori, chordæ, aut funis, in seipsos contrahi. nam, sicut hæc distenduntur, ubi eorum extrema prehendentes in diuersa diducimus, & ubi finimus, ponimusque, contrahuntur, ita musculi ossibus utraq; extremitate innexi cõiunctionẽ habẽt ijs, quæ manu prehenduntur, respondentẽ, ab ipsis aũt in contrarias partes attracti medij inter extremas partes, hoc est, suo corpore uniuerso intenduntur. qua de causa, ubi eorũ fibræ oẽs transuersæ præciduntur, partes plurimum inter se recedũt, una quidẽ sursum ad totũ musculi initiũ, altera uero deorsum ad extremum, qua parte post articulũ cũ altero mẽbri osse cõiungitur. Idcirco, ubi integro musculo articulus suo loco moueat, finis musculi iunctus illi parti, in quam os excidit, ut pote, qui totus ad suum initium contrahatur, secum attrahit partem membri, cum qua coniungitur, hoc est, caput ossis, quod in recessum inseritur, quo contracto unà contrahitur totum os.

*Praecisarum musculi partium retractio.*




*Ossis caput a musculo contracto altius sublatum.*

In quo casu accidit, ut caput eius ossis, quod in com E
missura subiectum est pristina sede sublimius collocetur. quare nullo modo restitui in suum locum potest, priusquàm toto osse intento eatenus deorsum cōpellatur, quatenus sursum praeter naturam uenit. Hac itaq; de causa ossa, quae prociderunt, prius intendenda sunt: quod autem comminuta quoque ossa intendi debeant, uel ex eo potissimum colligitur, quòd sicut in luxatis restituēdum est, quod erupit, ita in ijs, quae fracta sunt, quod affectum est, componi debet, sic, ut comminuti membri extrema se tangant. est enim fractura perpetui ossis abruptio, perinde, atq; ulcus carnis. utrūq; autem tunc ex toto restituitur, cum ad pristinam unitatem id actū est. quod fieri non pōt, nisi fracti ossis partes e regione collocentur, quae curatio graece conformatio dicitur. Itaque, si leuis fractura fuerit, utraq; laesi F
ossis pars suo loco manet: sin os penitus perfringatur, necesse est partes inter se cedere, hac, ut puta in priorem, illa in posteriorem regionem ueniente, atque alia in dexteram, alia in sinistram. Quamobrem ambabus manibus, utrinq; membrū prehendētes, quod in anteriorē partē erupit, retro cogimus: quod in posteriorem, compellimus in anteriorem: quod in sinistrā excidit, in dexterā trudimus: quod in hāc prolapsum est in contrariam repellimus, ita, ut omnes comminuti ossis partes per manus componētis in contrarias partes urgeantur. Dum haec itaq; fiunt, periculū est, ne aliquae fracti ossis eminētiae cōfringantur. non enim redditur ex toto leue utrunque ossis extremum, perinde quasi sectum sit serra gladiū referente: nam quae dentata est, & ipsa exasperat.

*Fracti ossis asperitas.*






*Serra cultrum referens.* *Serra dentata.*

Quare fracti ossis partes in diuersa, partim sursum uersus, partim deorsum deducētes, ad componendam fracturam uenimus, cauentes, ne, dū coniungūtur partes ossis, quarum altera super alteram excessit, aliquae ipsorum eminentiae perfringantur. quod penitus assequemur, ubi ossa ἐγκρύπτεται, id est, condantur, unum scilicet sub altero. eo enim uocabulo utitur Hippocra- G
tes, ubi fracti ossis partes in suum locum reponuntur. Ergo, ut, quae recesserunt, iungantur, necesse est alterā partem sursum, alteram deorsum attrahere. quod iam omnes medici faciunt, rem interdum solis ministrorū manibus committentes, interdum laqueos inijciētes, ubi maiori ui opus sit, in diuersa contendere. Ostendimus autem tam in fractorum, quàm in luxatorū ossiū curatione, principio intendendum esse: adhibendā uero intentionē hanc membro non temere figurato, deinceps dicemus, atque illud in primis, quum in fracturae curatione quatuor agere debeamus, intendere, componere, alligare, & continere, eundem habitum omnium esse communem oportere. componimus quidem, dum intendimus: ubi composuimus protinus alligare conuenit, seruato eodem membri habitu, quo compositum est: quem rursus seruare decet, ubi continet: nā, si moueatur, uinculū quadā parte laxiores habebit circuitus, quadā arctiores. laxiores, quū ossa moueri patiantur, quod compositū est, corrūpent: arctiores, quū dolori sint, inflāmationē excitabunt. Quatuor igitur, quae agenda diximus, communem habitū requirere demonstratū H
est. consideremus posthac, quid intuiti, hunc habitum inueniamus. Porrò, quū membrum intenditur, ille optimus est, sub quo nō magna ui separata ossa in diuersa diducuntur: quū continetur, ille, qui dolore omni uacat. utrunq; praestat, qui ita figurat, ut musculorū fibrae directae intendantur. directae aūt intēdūtur, quū in una membri parte uniuersus musculus collocat: nā, si musculus, qui suū initiū habet a parte interiori, ita collocetur, ut medius ab interiori parte membri, extremus ab exteriori, uel sic, ut medius a superiori, extremus ab exteriore situs sit, hoc pacto circa membrum circumuolutus, amplius extenditur.

*Musculi directio.*




*Musculorum distortio, cum supina manus est.*

Itaque, si hoc modo figuratum musculum extēdas, dum fracti ossis partes abunde diducantur, uehementer dolebit, magno cum periculo, ne conuellatur. constat enim intentionis ui conuulsos interdum musculos fuisse. Quare eundem esse habitum constat, qui minime dolorem creat, & qui musculos nullo modo peruersos continet: quod aperte Hippocrates expressit,

A pressit, uolens brachium cubito tantum inniti nó ex toto curuatum, aut extentum, sed in medio inter hæc collocatum. Quem habitum ipse docuit optimum esse, primo, quòd cubiti os longius est radij sede, ipsumque firmiter sustinet: deinde, quia musculi, qui oriuntur ab interiori tuberculo humeri, extrema habent ab interiori parte totius brachij: qui ab exteriori incipiunt, ab exteriori finiuntur. Cuius autem musculi initium, & finis ab interiori parte sunt totius brachij, huius & reliquæ omnes partes, & propterea totus ipse musculus. Similiter cuius extrema ab exteriori parte sunt, & ipse totus ab exteriori parte est totius membri. Quin & experimentũ indicat hũc habitũ dolorẽ minimum afferre. Ex duobus uero, quibus hic interijcitur, supinus musculos plurimum peruertit, & uehementem dolorem mouet, pronus minus peruertit, minusque dolori est. Habes de brachio figurãdo summatim omnia, quæ latius deinceps Hippocrates docebit, ea oratione usus, quæ perfecte planeque rem exponit, ita, ut paucis omnino opus sit ad ea exponenda, ijs præsertim, qui imbuti sunt puerilibus disciplinis, uel de doctore librum audierunt, quibus sane commentaria scribuntur.

2 *Ea si quidem est natura iustissima.*

Quasi dixerit maxime conueniens. nam, ubi, quod conuenit unicuique, seruatur, res iuste habet, at
B que administratur. Quid autem corpori conueniat, præter id, quod secundum naturam est, haud facile intelligitur. ergo cum singulis partibus conueniens inest figura, color, & magnitudo, optime habent.

3 *Sed, si in hanc, uel illam partem declinatur, in pronum habitum peccetur. leuius enim peccatum est, quàm si in supinum.*

Duos habitus posuit, supinum & pronum, qui & ad uniuersum corpus referuntur, & ad unam ipsius partem, nempe brachium. Totum igitur corpus pronum dicimus iacere, ubi deorsum uẽter spectat, dorsum uero in superiorem partem: contra supinum, ubi sursum uenter, in inferiorẽ partem dorsum. Quos habitus commemorans loquuturum se de brachio indicauit, quum nequeat corpus totum frangi, aut luxari. Sed causam, cur præstet in pronum declinare, quàm in supinum, ubi quis deceptus rectum non assequatur, ipse in sequentibus aperiet.

4 *Qui nihil capiunt consilij, plerunque nihil errant. Ipse enim, qui deligatur, sic iusta natura coactus brachium deporrigit.*

Medici, inquit, qui ante naturalem brachij habitum, nihil attendunt, plerunque melius curant, quàm qui male ratiocinantur. Idiota enim, qui alligandus est, medico brachium porrigit figuratum, quemadmodum minime dolore afficiatur, instructus a natura, quam nunc iustam dixit. Quippe, quæ genera-
C tionis initio, & postea in tota uita degenda, conueniẽtem singulis partibus habitum inuenit. [Ipse enim, qui deligatur brachium deporrigit] uocabulum deporrigit, ἀπορέγῃ dixit, quod nonnulli accipiunt pro ὀρέγῃ id est, porrigit medico, nonnulli pro, non permittit, ut medicus indoctior membrum in contrarium conuertat. omnes enim homines natura singulas partes figurant, quemadmodum minime dolore afficiantur: quem habitum indicat Hippocrates esse maxime rectum. Porrigunt igitur ægri seipsos ita figuratos, atque ægre ferunt, ubi aliter a medicis collocentur, renituntur que, atque ob dolorem ducenti non parent. hoc autem uolunt Hippocratem significasse uerbo ἀπορέγῃ. Sed utrouis modo acceperit, res eadem manet. nam idiotæ quum ita brachium collocent, quemadmodum minime dolore afficiantur, præstantiores sunt medicis, qui, cum sibi sapientes uideantur, male hoc figurant. Sunt & qui ad utrunque id referant [sic a iusta natura coactus brachium deporrigit.] Sed cum proposita res seruetur, quomodocunque uerbum id accipiatur, superuacaneum est in ijs amplius insistere, inutilia enim sunt, & inuentu prorsus facilia, quæ ambiguis uerbis traduntur. Quare illi omittenda sunt, qui tempori parcit, quum in ijs, quæ utilia sunt, id consumere magis conueniat.

5 *Sophistæ autem medici utique sunt, qui peccant: porrò brachium fractum non magno negocio pertractatur, idque (ut ita*
D *dicam) cuiuis medico facile est.*

Sophistas intelligit eos, qui sapienter aliquid sibi inuenisse uidentur: errantes tamen, atque idcirco non obseruantes, quod recte omnes idiotæ cognouerunt.

6 *Quem locum cogor latius explicare, quoniam medicos uidi, qui, cum deligarent, sapientes habiti sunt a brachio figurando, unde par fuit uideri ignaros. Multa enim alia, quæ sunt huius artis, ita indicantur. Nam quod nouum est, quamuis nondum constet, utrum sit utile, anteponunt ei, quod consuetum est, quod iam sciunt utile esse; atque id, quod alienum est, ei, quod receptum.*

Ipsemet tibi ostendit in sequentibus, quæ omnia obscura sunt, cur sermonem de figurando brachio dilatauit, quãquam locus per se, nec difficilis est, nec ita multa uerba desiderat, ex quo protinus causam inuenies, quamobrem in ijs, quæ tradidit, ordinem omnino exquisitũ non seruarit. quisq; enim prius de eo, quod magis urget, uerba facit. Ergo quia medici eius seculi pro comperto habebãt ad omnem, tam comminuti, quàm prolapsi ossis curationem intentione opus esse, sed ignorabant, quinam habitus secundum naturam esset, idcirco de hoc in primis egit. Ac multo adhuc magis, quia medici quidem optimo deterrimum habitum anteponentes, prauis rationibus eam rem sibi ipsis, atque alijs persuadebant. Quòd si ignari omnino fuissent, oportebat uerum ipsos docere. at, cum non solum ignari essent,

ri eſſent, ſed etiam cognitionem ſibi uendicarent, neceſſe fuit Hippocratem id primo conuellere, dein- E
de animum iam purum uera ſcientia inſtituere.

*Dicendum igitur eſt e medicorum erroribus, quos docere uolo, quoſque dedocere de brachij natura.* 7

Dedocere uult ea, quæ medici non putant uitio danda, quum tamen uitia ſint: docere quæ putant uitia, quum non ſint.

*Etenim, quod hac ratione traditur, ad alia quoque oſſa corporis pertinet.* 8

Non iniuria dicit orationem hanc ad alia quoque oſſa ſananda pertinere. ea enim ad quæ ſpectantes, inuenire naturalem uniuſcuiuſque habitum conueniat, omnium communia ſunt. duo autem ſunt (ut ſupra indicauimus) nempe ut dolorem euitemus, & rectum ſtatum tueamur, illud experiměto comperitur: hoc partium quoque ſitu, quem corporibus incidendis comparamus.

*Ergo brachium, de quo ſermo, quidam uinciendum dedit pronum: hic autem coegit collocari modo ſagittariorum, quum* 9
*humeri caput conijciunt: atque ita deuinxit exiſtimans hunc eſſe naturalem eius habitum. quam rem eo argumento compro-*
*bauit, quod oſſa omnia, quæ in cubito ſunt, inter ſe dirigantur, tum ſuperiecta partes æquentur, quòd etiam tam exteriores*
*quàm interiores inter ſe directa collocentur. ita enim inquit & carnem, & neruos naturaliter ſitos eſſe. ſaggittarios prate-* F
*rea teſtes adduxit. his autem dicendis, præſtandiſque ſapiens habebatur. Aliarum uero artium immemor erat, quæcunque*
*ui, aut artificio quidpiam moliuntur, neſciens alium alibi eſſe habitum naturalem. Quin & in eodem opere, alius erit dextræ,*
*exempli cauſa, alius ſiniſtræ habitus naturalis. Aliter enim brachium naturaliter figurant iaculantes, aliter funditores, ali-*
*ter rurſus, qui lapides conijciunt, aliter pugiles, aliter, qui in octo ſunt. Quotquot enim artes reperiri poſſunt ſingulæ, natu-*
*raliter brachia requirunt, non eodem modo figurata, ſed ad inſtrumentum, quo in ſingulis utendum, & ad opus, quod effi-*
*ciendum eſt, accommodata.*

De his quoque ſemel aliquando meminiſſe oportet, quam rem nos minime præteribimus. Quidam
ex his medicis, qui ſapientes habentur, propoſita uerba [Ergo brachium de quo ſermo] tanquam men-
doſa iure ſuo corrigens addidit uerbum, [erat] ſuam nobis oſtentans diſciplinam, qua fuerat a gram-
maticis, rhetoribuſque eruditus, ita, ut ignoraret modum præciſe loquendi omnibus antiquis uſitatū.
Erit autem plena oratio, ſi perficiatur hoc modo. [Ergo brachium, de quo ſermo erat, quidam uincien-
dum dedit pronum] Idiotæ plærunque medicis brachium porrigunt conuenienter figuratum, ſed ho-
rum quidam nimium curioſi ab eo propoſito recedětes, quod ſpectari naturaliter debet (id autem fuit
doloris carentia) pronum habitum eligunt, ut pote, quem commodiorem exiſtumět. nullus tamen idio-
ta medico brachium porrigit reſupinatum. multum enim abeſt hic habitus ab indolentia. nonnulli au- G
tem medici, & ob inſcitiam, & ut ſapientes uideantur, ipſum interdum admittunt, atque ea de cauſa ſa-
gittariorum exemplo brachium uniuerſum collocant, quidam penitus reſupinatum, quidam non mul-
tum ab huiuſmodi habitu recedens. Peccant igitur, non modo in hanc partem, ſed quòd extentum fi-
gurent. quos Hippocrates prodidit ea ratione moueri, quòd ubi totum brachium ſagittariorum exem
plo figuretur, oſſa diriguntur, & totius brachij ſuperiectæ cutis partes ęquantur. ſed hæc ualde proba-
bilia ſunt, & ſe uiciſſim conſequuntur: illud reuera non ſic habet, carnem & neruos eo habitu, perinde,
atque oſſa in recto ſitu omnibus partibus ſeruari: quod ſi ita res haberet, non modo probabiliter, ſed
firmiſſime demonſtrarent huiuſmodi habitū naturalem eſſe. Verum hæc tolerabilia ſunt. transferre au
tem huc ſagittariorum exemplum, exiſtimari debet prorſus fatuum, ſatiuſque fuit eos ab Hippocrate
nullo modo commemorari, quàm acerrime refelli. nam, quæ prorſus ſtulta ſunt, deridenda magis
ſunt, quàm a ſcriptoribus confutanda: non tamen prohibeo, quo minus, dum uiuentes agunt,
redarguantur: ac præſertim, ubi, qui hæc nugatur, audientibus perſuadet, ut ſibi ipſi hominis cu-
rationem committant. Fit etiam interdum, ut nos quoque in ſcribendo ſtultis opinionibus contra-
dicamus, ubi multos uidemus illis credere, quaſi ueræ ſint: quod nunc accidit Hippocrati, qui nihil
eſſe commune ſagittarijs, & uincientibus oſtendit. Quæ uero afferuntur de oſſibus, neruis, & carne re- H
cto ſtatu collocandis, quamuis nullum per hæc fuiſſet Hippocrates reprehenſurus, per ſe neceſſaria
fuerant ad optimum habitum inueniendum, cuius caput eſt, ſi argumentum ex ſigno colligamus, do-
loris carentia. id enim neque ipſos idiotas latet: uerum, ſi rei cauſam, naturamque ſpectemus, rectus
partium ſtatus, qui idiotis non item patet, ſed illis duntaxat, qui incidendis corporibus operam dede-
runt. Quæ ab Hippocrate ſubijciuntur, maxima ex parte plana ſunt, nec quidquā habent, quod in quæ-
ſtionem nocetur. quare uniuerſa hæc mihi prætereunda, qui tamen librum legunt, non cito hæc præte-
reunda, ſed longiori tempore ſunt conſideranda. Quod inquit [Hic autem coegit ipſum collocari mo-
do ſagittariorum, cùm humeri caput conijciunt] obſcurum eſt, & incertum. quocirca nōnulli uerbum
conijciunt] propterea ſcriptum ab Hippocrate exiſtimant, quòd extento brachio humeri caput in
ſinum ceruicis, quæ in lato ſcapularum oſſe eſt, conijciatur, in quem antea non conijciebatur, cum
brachium demiſſum erat. tunc enim iuxta erat duntaxat, & contingebat: quam rem his uerbis ex-
preſſit. [Verſatur humerus in lato ſcapularum oſſe tranſuerſus, ubi brachium iuxta latus extendi-
tur.] Cenſent alij id dixiſſe Hippocratem tranſlatione uſum a nauium impetu, ubi datur opera, ut
naues hoſtium mergantur, quandocunque ſigno dato prora aptatur ad nauem alteram perfringen
dam, potiſſimum a latere, totamque diſſoluědam, ac ſubmergendam, tunc quaſi paratum eſſe ad impe-
tum

A tum faciendum aiunt. Item apud comicos porrecta membra dicuntur ad ἱμβολάς, id est, ad impetum faciendum parata: quod Aristophanes ostendit, quum inquit, Fertur quasi ipse ad imprimendũ cernuus. Quæ subdit omnia, si animaduertantur, manifesta sunt, usque dum inquit.

10 *In sagittarijs par est hunc alterius brachij habitum optimum esse. nam si ita collocetur, imum humeri caput, quod cardinis modo in sinum cubiti conijcitur, efficit, ut brachij, atque humeri ossa dirigantur, quasi totum unum sit.*

Scribit nunc aduersus eos, qui uniuersum brachium intentum deuinciunt, sicuti sagittarij sinistrum continent. Ait enim ad id agendum iure opus fuisse brachio extento, quum neruus dextra tenditur uersus partem posteriorem: totus uero arcus in eadem regione continetur a sinistra, ne in alteram partẽ inclinetur. Nam si neruus dextra ualide in posteriorem partem intentus totum arcum secum adducat ductio sagittæ in posteriorem partem impedietur, ut quæ debeat a ualido neruo contentoque emitti. Ergo, quantum ex ultima contentione remittitur, tantum demitur de emissione sagittæ, quod, quum in confesso sit, Hippocrates causam adiungit huiusmodi. [Nam si ita collocetur imũ humeri caput, quod cardinis modo in sinum cubiti conijcitur, efficit, ut humeri atque brachij ossa dirigãtur, & brachium totum sine inclinatione seruetur.] uocat autem imum caput humeri, quod cardinis modo cum cubito committitur, quandoquidem cardines cum quosdam sinus habeant, & quosdã processus, sinibus reci-
B piunt eorum, cum quibus committuntur, processus: processibus in ipsorum sinus inseruntur. Similiter imum caput humeri in gibbum ambitum desinẽs duo a lateribus tubercula exigit, unde similitudo trochleæ fit. hæret autem huiusmodi ambitu trochleam referente in finibus cubiti. Extremus hic ambitus, & a priori, & a posteriori parte cauum haber, in utroque se insinuant cubiti processus rostro similes. Siquidem cubiti caput superius. (. literam refert. qua, cum humero committitur, accipitq; humeri ambitum, qui trocleam refert, fere totum, ubi brachium sic collocatur, ut cubitus, atque humerus rectum angulum ostendant.

*Totus brachij extensio.*



C

*Ossis brachij seu cardo.*

At rursus, ubi humero quiescente, cubitus circa gibbum eius ambitum moueatur, si in priora feratur, cubiti commissuram flectit: si in posteriora, tendit. in maximo quidem flexu prior cubiti processus in humeri cauum, quod a priori parte est, conijcitur: in extensione posterior processus in posterius cauum, quod, quum maius sit, maiorem processum accipit. quare plurimum, extendere, & curuare totum brachium possumus: quod nullo modo contingeret, si nullum cauum in humero fuisset. Quum huiusmodi ergo sit cubiti iunctura, ubi totum brachium ad rectum angulum figuretur, ita, ut humerus & cubitus rectum angulum ostendant (quem habitum Hippocrates solitus est appellare ἐγγώνιον) ambitus trochleam referens medius hæret cauo cubiti, quod. (. literam repræsentat. At ubi totum brachium extenditur, cubitus in posteriorem partem fertur, & processus, qui ab ea parte est, motui præest: cessat autem, quiescitque, quum primum ad humeri cauum, quod ea parte est, peruenit. Quo fit, ut commissura extendatur, & imum humeri caput, cardinis modo, sinu cubiti innitatur. uocat autẽ Hippoc. βαθμίδα, non modo humeri sinum, sed ceteros omnes, in quibus recipiuntur ossium processus.

11 *Præterea articulus ita extentus recuruatur, ergo uerisimile est sic eum locum minime flecti, maximeque intendi, neque a neruo, quem dextra tendit superari, neque illi cedere: ad hæc neruum ipsum plurimum adduci. Quo fit, ut sagitta a ualida, subitaque ui emittantur. quæ autem sic emittuntur, maiori impetu celerius feruntur, longiusque. sed uincientis & sagittarij nihil commune.*

D Ex modis, quibus brachium figuratur, extensio flexui contraria est, supinus habitus prono. hi ergo extremi sunt, & quasi quatuor habituum excessus: duo alij medij sunt: unus quidem inter extremum flexum & extensionem, quem Hippocrates (ut dixi) angularem appellat: alter inter pronum & supinũ, sub quo ait cubitũ radio subijci. Igitur, sicut hunc iustũ & rectũ dicit, sic et iã illũ qui angularis dicit, sub quo humerus cũ cubito ad rectũ angulũ collocat. qd si hic habitus rectus est, sequit, ut, ubi brachiũ extẽdit, nõ debeat rectus appellari. si rectus nõ sit, certe erit in exteriorẽ partẽ recuruatus: quẽadmodũ, si in posteriorẽ ptẽ ita recurueẽ os cubiti, ut cũ humero angulũ ostẽdat, qd iã nõnullis accidisse ꝓspectũ est, qbus necesse est posterius humeri cauũ altũ esse, in qd se inserit posterior cubiti ꝓcessus. Qd si huiusmodi cauũ nobis oĩbus altissimũ esset, flectere in posteriorẽ partẽ brachiũ possemus ut dixi de his, qbus aliquãtulũ id licet, utpote q posterius cauũ nõ sedm naturã penitus habeãt, sed nimis sinuatũ.

12 *Qui brachiũ deligat, ubi sic figuratũ cõtineatur, multa alia affert mala grauiora, quàm uulnus. nam, si curuari brachiũ imperet, non ossa, non nerui, non caro eundem habitum seruabunt, sed uinculis cedentibus in aliam atq; aliam partem mouebuntur. Ecquid opus est sagittariorum habitu? qua in re nullus fortassis error fuisset, si sophista permisisset, ut homo ipse uulneratum brachium porrigeret.*

Qui intentum brachium deuincit omnino (inquit) uel ita contineri iubet, uel curuari finit: utrumuis fecerit, ægrotantẽ lædit. nam, si in eodem habitu contineatur, dolor assidue urget: sin aliter figureẽ, deptauatur

deprauatur brachium sub uinculo, quod eo spectat, ut membrum, sicuti compositum est ab iniectis fa E
scijs contentum, fine ullo pressu tueatur. at, si aliter figuretur, contrarium accidet: nempe, ut fractura
uinculo non contineatur, sed moueatur, transferaturque una cum neruis habitum mutantibus, muscu-
lisque, quos carnem uocauit, eorum nobis naturam ostendens. Sunt enim musculi caro sentiendi uim
habens a simplici carne, ex qua maxime constant, caro nominati, per quos fibræ distribuuntur a neruis
ac ligamentis diductæ. creatur enim totus musculus a natura eiusmodi fibris cótentus, quibus caro sim
plex undiq; concrescit, atque hæc est propria musculi natura, per quem uenæ & arteriæ discurrunt, ut
non secus ac ceteræ partes, alatur, & uiuat: proprium uero musculorum corpus fibræ sunt, quæ simpli
ci carne cinguntur, plurimum quidem medijs musculis, tum subinde minus, præsertimque in initio ac
fine ipsorum. quocirca extremi musculi neruosi magis sunt, medij uero carnosi.

*Quidam alius medicus resupinatum brachium extendi iussit, atque ita figuratum deuinxit, sibi persuasum habens hunc* 13
*statum naturalem esse, quod ex cute conijciebat, & ex eo, quod ossa sic tueri naturalem habitum existimaret. quia id ossis,*
*quod in prima palmæ parte extat a parte minimi digiti, e regione collocetur eius ossis, unde cubitum metimur. Hæc adduce*
*bat ad comprobandum huiusmodi habitum esse naturalem, rationique consentanea loqui uidebatur. Sed brachium uehemen*
*ter cruciari, si supinum extendatur, experiri quilibet in suo potest. nam si extendatur, hunc habitum dolori esse comperiet.*
*quin, si imbecillis homo manus prehendat ualentis ita collocatas, ut cubitus resupinatus curuetur, utiq;, quo uolet, ipsum* F
*ducet. Manus item eo modo collocata, si gladium teneat, uti eo minime poterit: usq; adeo istiusmodi habitus uiolentus est. Ad*
*hæc, ubi brachium in eo habitu uinciatur, grauiori dolore torquebitur homo, dum ingredietur, grauis, dum cubabit. quod*
*si brachium flectatur, necesse est musculos contrahi, & ossa in eodem habitu minime contineri. ignorabat autem illud, præ-*
*ter alia, quæ in huiusmodi habitu incommoda accidunt, quod os in prima palmæ parte extans a parte minimi digiti, cubiti*
*pars est: illud uero, quod in cubiti unctura est, unde cubitum metimur, est humeri caput.*

*Directio cubiti.*







*Directio interioris tuberculi brachij ad finem cubiti.*

Si quis brachium resupinauerit, uidebitur humeri caput
ab interiori parte, quod græce κόνδυλον, id est, tuberculum no
minatur, esse caput superius cubiti, cum quodammodo e re-
gione se ostendat capitis inferioris, quod in prima palmæ
parte extat a parte minimi digiti. Non tamen omnes cubitũ
metiuntur ab humeri tuberculo: sed sunt, qui metiri inci-
piant, idque recte a cubiti eminentia, quam græci ὀλέκρανον di
cunt & ἀγκῶνα. At Hippocrates, ubi ait [unde cubitum meti-
mur] significare uidetur, uel omnes, uel plerosque inde me-
tiri. Quomodo autem sese res habeat, hic quærere superua G
caneum est. Illud meminisse oportet, quod inferius cubiti ca
put situm in prima palmæ parte e regione superiori capiti re
spondet, ubi secundum naturam brachium figuretur, ut sci-
licet curua pars interior sit, gibba exterior, in quo habitu fit,
ut minimus digitus ab inferiori parte subijciatur, pollex a su
periori insidat.

*Hic uero putauit hoc idem os esse atque illud, & alij complures.* 14

Non ita dixit [hoc idem os esse, atque illud] sicuti aliquem eundem cum seipso dicimus, ut Aiacem
Telamonium eundem cum Aeacide, sed quod utrunque ossis extremum intelligat eiusdem esse, nem-
pe cubiti.

*Est autem idem cum illo eminentia cubiti, cui potissimum innitimur.* 15

Vocabulum [idem] accipiendum nunc quoq; est eodem modo, quo proximis uerbis explanaui-
mus, cum eiusdem ossis partes esse existimarent, quod in prima parte palmæ situm est, & quod ab inte
riori regione commissuræ cubiti extat.

*Ergo, ubi brachium resupinetur, partim hoc os peruersum conspicitur, partim nerui, qui ab interiori sede, & digitorum* H 16
*& primæ palmæ partis procedunt, supino brachio peruertuntur. tendunt enim huiusmodi nerui ad humeri os, unde cubitum*
*metimur. errores, atque ignorationes naturæ brachij tot ac tales sunt. Siquis autem (ut præcepimus) fractum brachium ex*
*tendat, dirigetur os, quod a parte minimi digiti ad cubiti eminentiam tendit: dirigentur item nerui, qui a prima palmæ par*
*te ad extremum humerum pertinent: suspensumq; brachium in eodem habitu continebitur, in quo fuerit colligatum, neq;*
*dolori erit, aut molestiæ, siue ingrediatur homo, siue cubet.*

*Distortio neruorum, musculorũ, & ossis cubiti in manu resupinata.*




Quum accidit, ut ossis cuiuspiam, uel nerui, uel mu-
sculi initium sit ab interiori parte membri, finis uel ab
exteriori, uel ab inferiori, constat partem hanc peruer
sam esse. Recte igitur dixit omnia hæc peruerti, ubi to-
tum brachium resupinetur. Ac ne longius exempla pe-
tamus. nerui, qui ab interiori parte feruntur ad manũ,
cum cubito iunguntur circa totum humeri caput. Fiet
itaque resupinato brachio, ut neruorum, qui cubito il-
ligantur, initia ab interiori parte collocentur, fines a su
periori.

A periori.idem accidet musculis,& ipsius cubiti ossi. horum enim omnium initia ab interiori parte sunt iuxta tuberculum humeri. Poterant autem per se musculi,cum peruerterentur, abunde dolorem excitare,atque ea de causa inflammationem. Si quis autem brachium figurauerit,ut Hippocrates iussit, musculi,qui ab interiori parte cubiti oriuntur,toti ab interiori parte siti erunt,qui ab exteriori, in hac similiter continebuntur,quemadmodum,qui a superiori,positum a superiori tuebuntur in uniuerso membro. Ab inferiori autem cubiti parte nullus situs est omnino musculus. sed,si cubiti musculorum omnium situm cognoscere tibi curæ est,ex primo libro de incidendorum corporum ratione addiscere poteris,tum ex opere de musculis incidendis,ubi musculorum omnium natura ad compendium confertur magis,quàm in libro de incidendorum corporum ratione.

17 *Collocari sic hominem oportet,ut id ossis,quod excedit,ad lumen quantum maxime potest, illustre conuertatur, ne chirurgicum lateat,dum intendit,quando satis fuerit directum. Porrò, qui usum habeat, quum admota manu os excedens continget,rem optime comprehendet.*

Siue iacere,siue sedere significare uoluerit[uerbo collocari]quod καθίστασθαι dixit,cum altero, alterũ quoque intelligendum est. Nam si ægri uires,& fracturæ magnitudinem intueamur, ipsum modo iaB centem, modo sedentem uinciemus. Verum utrouis modo collocetur, ut uitiata pars conspectui magis pateat,ex luminibus quæ dantur spectare debet ad maxime illustre.

## De brachio.

18 *Ossium brachij,cum non utrunque fractum est,facilior curatio est,ubi quod superius est, comminuitur, quamuis plenius sit,tum quia integrũ,quod subiectum est,fundamenti uicem præstat,tum quia facilius reconditur, præterquam in uicinia manus.superius enim os carne plurimum contegitur.id uero, quod subiectum est, minime carnosum est,ægre conditur,ac maiori ui extenditur.*

Indicauit brachium ex binis ossibus constare, ubi ait cum non utrunque.non enim consueuit dictio utrunque usurpari ad unum uel tria,uel plura significanda. Ex his ergo binis ossibus, quod subiectum est, cubitus proprie uocatur,idque sane longius est:quod superinsidet, radius. Plana autem est, non modo oratio hæc,sed reliquæ fere omnes huius libri. Illa duntaxat explanationis mihi uisa sunt indigere,quæ a me enodantur. Quare si quid præter hæc obscurum tibi uideatur,spectaro,nũ quid in exemplari fuerit mendosum,ubi enim correxeris,si quid lectum semel non comprehenderis, iterum ac tertio relegens,quod propositum est,optime percipies.

19 C *Vbi non hoc,sed illud fuerit comminutum,simpliciori ui opus ad intendendum: ubi utrunque uehementiore extensione opus est. Puerum iam uidi plus iusto intentum,sed plerique, minus quàm res postulat,extenduntur.*

Vim simpliciorem,& quę non magno negocio adhibetur, φαυλοτέρῃ dixit φαῦλον enim apud ueteres græcos,non solum significat uitiatum, sed simplex.

20 *Intentione adhibita,conuenit admotis prominentioribus palmarum partibus dirigere.*

Prominentiores partes palmarum appellant θέναρ deducto uocabulo a percutiẽdo, quod θείνειν græci dicunt,ut nonnulli uolunt,qui uerborum etymologijs student. Quicquid enim percutimus, prominentioribus his partibus percutimus. Alij non omnes prominentiores palmæ partes sic appellatas existimant,sed eas tantum,quæ pollici subijciuntur.

21 *Deinde cerato inungere non ita liberaliter,ne fasciæ superinnatent,atque hoc modo deuincire.*

Vinculi usus duplex est,nam & comminuti ossis partes,quæ recte inter se compositæ fuerint, fideliter continet,& lintea liquore aliquo respersa,uel illita medicamento, quod ad repellendam inflammaD tionem præsentissimum esse putauerimus,decidere non patitur. Adhibent itaq; nonnulla medicamenta,quæ linteis illinuntur,his quæ excepta imponunt,uinculum superdantes. Alij humorem aliquem ingerunt ad rem idoneum,quale est uinum,uel per se,uel cum oleo,& sæpe liquidum aliquod medicamentum,cuiusmodi est ceratum hoc.cuius duplex ratio est: interdum,siquidem ceratum ex rosa, uel oleo liquatur: interdum,arida pix adijcitur,hincque picatum ceratum nominatur. Sed liquida medicamenta,spissa quoque sunt & crassa,cuiusmodi est liquidum ceratum. Fiunt autem ,& ex emplastris inflammationem arcentibus,liquatis in oleo,de quibus loquuti sumus, in opere de simplicium medicamentorum facultate,sed latius in eo,quod scripsimus de ratione curandi,& in eo,quod de compositione medicamentorum. Hippocrates igitur liquido cerato utitur, quod multo magis inflammationẽ coercet,quàm quod durum est,seu quouis alio nomine libeat appellare. Modum uero utendi huiusmodi cerato indicauit inquiens non ita liberaliter,ne fasciæ superinnatent sed cõtrarium terminum, utpote,qui nobis notus sit,prætcrijt,is autem est,ne ceratum ita parum inũgatur, ut inicta lintea siccescãt, priusquam tertio quoque die resoluantur. At qua de causa cerato nunc inungendum dixerit. considerandum est,quum,ubi os cute excedit,uinum nigrum austerum superinfundi iusserit. Mihi sane uidetur uinum excogitasse ad hæc tanquam præsidium efficacius:omisisse uero in alijs fracturis,ubi nullum

ex comminutis ossibus nudatum est. eo quod uini usus summam diligentiam postulet, nam, nisi subin- E
de infundatur, aridæ fasciæ maximo sunt detrimento. Plerique autem ex ijs, qui laborantibus seruiunt, recusant subinde infundere, noctu præsertim. Sed quia extremus morbus extrema curatione perfecte restituitur, idcirco quibus excedit os, ut uinum superinfunderetur, edixit. Sed plura de facultate uini di cemus, ubi eo utitur. nunc illud indicasse satis sit; quod, cum aliæ fracturæ sola cerati inunctione cura ri sine uino possint, non necesse est, hoc adhibito, grauiter interdum ob ministrorũ negligentiam pecca re. At quum summum periculum circunstat, tunc & ipsi ultro fatigandos se præbent, & nobis imperan tibus parent. Adde, quod nos etiam ob periculum ingens frequentius his adsumus, atque interdum uniuersam noctem immoramur, ubi ueremur, ut ministri recte exequuturi sint, quæ præcepimus.

*Cura habita, ne manus inferior iunctura cubiti collocetur, sed paulo superior, ne sanguis ad imum fluat, sed retineatur.* 22

Cubitum ita figurandum esse, ut radio subijciatur, atque ad rectum angulum cum humero collocetur, in superioribus proditum est. Sed, quum hoc fieri possit, manu & supra & infra cubiti regionem posita, merito hoc quoque definiuit, imperans, ut manus paulo sublimior, quàm iunctura cubiti habeatur. Constat enim, ubi membra dependeant, ad ima concurrere materiam, ac propterea, quemad- F
modum, qui totum diem inambulant, quibusque crura calidiora sunt, maximi momenti censent noctu hæc uniuerso corpore sublimiora continere, ita iubet Hippocrates, ut caueamus ne manus dependeat, sed sublimior collocetur. quod si cubiti iunctura multo sublimiorem figurari iussisset, huiusmodi habitus in ijs etiam, qui paululum in eo perseuerant, dolorem afferret uniuerso brachio, potissimumq; musculis a priori parte humeri sitis. cum autem habitum dolori esse docebit ipsa experientia. doloris uero causam ostendet natura musculorum, cubiti iuncturam mouentium. sunt enim & a priori, & ab interiori parte humeri, atque ubi cubitum flectimus, ad suum initium contrahuntur, & sursum uersus intendũtur, cumq; ipsis contrahitur, ac sursum tenditur totum brachium, cui suis imis partibus iungũtur. ne sanguis ad imum fluat, sed retineatur. Verba hæc referenda sunt ad illud ne manus inferior iunctura cubiti collocetur: interposuit autem: sed paulo superior sic, ut tota oratio sit huiusmodi. Cura habita, ne manus inferior iunctura cubiti collocetur, ne sanguis ad imum fluat, sed paulo superior retineatur.

*Post hæc fascia alligare, capite, qua fractura est, iniecto.* 23

Potest inijci caput, uel non inijci, qua fractura est, dupliciter. cum id modo in longitudine membri, modo in latitudine accipiatur. Termini autem inijciendi fasciæ caput in longitudinem membri sunt, G
ubi primus fasciæ circuitus in orbem attractus fracturam uniuersam complectitur. Quod si, uel superius inijciatur, q̃ ut fracturam contingat, uel inferius, q̃ ut ad ipsam perueniat, caput hoc uere quis poterit asserere minime iniectũ esse, qua fractura est. sic mihi intelligito iniectũ uel nõ iniectũ caput, qua fractura est. sed in latitudinẽ, cum fasciæ caput primo superdatum, uel qua fractura est, uel extra procedet. Hic igitur Hippocrates membri longitudinem intuitus, caput, qua fractura est, inijciendum esse proposuit. hoc est, neque fractura inferius, neque sublimius. quod indicauit per ea, quæ subdit, quum inquit, Vbi super fracturam iterum & tertio circumierit, sursum feratur. At in libro de officina medici, cum ait, Principia inijcienda sunt, non qua ulcus, sed hinc uel hinc ad membri latitudinem spectauit, ut ibi rursus demõstrat uerbis, hinc uel hinc: his enim uocibus latitudo significatur. Plæraque autem exemplaria sic leguntur, Principia inijcienda sunt, non qua ulcus, sed qua nodus.

*Sic ut insidat, non tamen uehementer adstringat.* 24

Docet hoc loco uinculi moderationẽ. id siquidẽ insidere debet eatenus, dum fracti ossis extrema immobilia tueatur: non tamen ita arctari, ut dolorem afferat laboranti. Quilibet enim dolor, cum perseuerat, præsertim si ex compressione est, inflammationem concitat. Hæc igitur spectari debent in fascijs co H
arctandis, quæ initio ad unguem conijcere non licet: licet autem, ubi sæpius deuinxerimus. nam diligenter animaduertentes modum adstringendi, cum uinculum iniecimus, interrogantesque hominem, qualem circundatam fasciam sentiat, iterum æque ac primo inijcientes, laxare uel adstringere oportet: siquidem premi se dixerit, proculdubio laxare: sin uinculum ita laxum affirmet, ut iniectum minime sentiat, adstringere. Licet autem, priusquam cum alligemus, quem fractura male habet, exerceri sanũ puerum sæpius uinciendo, sed cum eo, ut percontemur, quæ paulo ante interroganda proposuimus. sic enim promptiores erimus ad fracturas deligandas. Illud etiam perspicere oportet, quod quæcunque corpora robustiora sunt ac duriora, uinculum sustinẽt arctius adstrictum: quæ uero infirmiora sunt & molliora, lenius adstringi debent.

*Vbi super fracturam iterum, aut tertio circumierit, sursum feratur, ut fluens sanguis retineatur, atque ibi subsistat.* 25

Ipse causam exposuit. cur primo uelit fasciam sursum ferri: uult enim sanguinem prohiberi, quo minus a superioribus membri partibus descendat. hac autem uinciendi ratione, non solum coercetur ille, qui fluit, sed, qui circa fracturam coijt, exprimitur: qui fluit, uno duntaxat itinere fertur a superiori

A ri parte deorsum: qui exprimitur utroque, & a superiori parte deorsum, & ab inferiori sursum. Depelli enim aliquid potest, & ad superiorem membri partem, & ad inferiorem. monet sane, ut utrique operam demus, quum duas adhiberi fascias iubet, quarum utraque ordiatur ab affecta sede, habita longitudinis ratione, deinde prior sursum procedat, secunda deorsum. quoniam præstat sanguinem a uitiata sede exprimi ad summum membrum, atque ad totum corpus. imum enim minus est, quàm ut sine iniuria recipere succorum copiam possit. quandoquidem, postquam sub priori fascia sanguis transmissus est ad summum brachium, si altera arctius adstringatur, inflammatio iuxta primam palmæ partem & digitos orietur. Hac igitur de causa ante ad superiora depellendum est, potissimumque, si fieri potest omne id, quod dolori foret: sed, si paulum quid relictum fuerit, exprimendum ad inferiora, altera fascia iniecta. Totam hanc sententiam perfectius intelliges in sermone de ratione uinciendi.

26 *Prior fascia, longa ne sit.*

Iure hoc adscripsit, prior enim fascia, quum a fractura incipiat, & ad superiora feratur, atque ibi desinat, breuior sit, necesse est, quàm secunda. Hanc enim uoluit a fractura orsam primo deorsum ferri, deinde sursum, ad eum locum, ubi prior finiebatur.

27 B *Secunda primum super fracturam iniciatur.*

Non immerito, inde enim excerni plurimum sanguinis constituit.

28 *Ac semel super ipsam circumeat.*

Secundæ fasciæ caput semel circuire iussit, non bis uel ter, sicut prioris. uult enim ob propositam causam sursum magis, quàm deorsum transferri id, quod ad fracturam collectum est.

29 *Tum deorsum demittatur, lenius adstringatur, atque ex maiori interuallo circundetur.*

Minus adstringi membrum iussit a secunda fascia ob causas propositas: quin & eius circuitus nõ ita spissos adhiberi, quum id opis, quod spissi afferunt circuitus, a priori fascia satis afferatur.

30 *Vt possit relata ad eam partem, qua prior desinit, peruenire.*

Hippocrates, antequam pannos superimponat, binas fascias adhibet. alij uero ternis utuntur: una quæ a fractura incipiens sursum tendat, quemadmodum Hippocrates præcepit: altera, quæ a fractura, C deorsum: ac tertia, quæ ab inferiori parte sursum per priorem utranque in cochleam serpat. Verum hi secundam fasciam duabus prioribus breuiorem inijciunt, illas uero inter se æquales. propterea, quod prima fascia super fracturam ipsam iterum ac tertio circumeat, membrumque ipsum spissiori ambitu complectatur: secunda semel super fracturam uoluta ex maiori interuallo circũdetur: tertia super utrãque obuoluatur, & quia minus spisse circumagitur, primæ longitudinem non excedat. Sed constat (etiã me tacente,) tres positas fascias duabus quas Hippocrates prodidit, contineri. quum secunda duplicem usum præstet, quem illi partiti sunt, unam inijcientes, quæ a fractura procederet ad partem inferiorem, alteram, quæ binc sursum, qua prima finiebatur.

31 *Attrahere uero fascias in hoc casu, uel a dextra debemus, uel a sinistra, prout ab hac, uel illa parte ad fracturæ habitum, atque inclinationem in hanc, uel illam regionem confert.*

Ossa, quæ sub fracturis peruertuntur, modo in dextram membri partem, modo in sinistram declinantur. Quocirca priores duæ fasciæ attrahi a contraria debent, ab ea scilicet orsæ, in quam membrũ conuertitur, atque in contrariam inclinatæ. sic enim fractum os æque in utramque partem inclinabit, atque hoc est, quod nunc ab Hippocrate proponitur, quum præcipit, ut fracturæ habitum intuiti fa- D sciam circumagamus, hoc est, ut ad contrariam partem, atque fractura inclinat, fasciam adducamus.

32 *Post hac panni superdentur modico cerato uncti, siquidem leniores sunt, & stabiliores.*

Panni duas fascias priores fulciunt, quas proprie subligamina uocat. inijciuntur autem contraria ratione ac fasciæ: illæ enim serpunt circa membrum transuersæ: panni uero in longitudinem dantur, uniuersum uinculum ex binis prioribus fascijs excipientes. iussit autem cerato modice inungi. fluerét enim, ubi cerati copia labarent, non secus ac, si parum inungerentur, quòd subiectis fascijs minime coirent. exhibet enim ceratum uicem glutinantis. constat autem in alijs, quæ glutine colligantur modũ esse optimum. Panni igitur comprimunt, ubi sicci imponantur, cui opponitur, quod inquit leniores sicut & quod dicit [ stabiliores ] illis contrarium est, qui ob cerati copiam non hærent. Iure itaque ait, siquidem leniores sunt, & stabiliores. namque, ubi panni nullo pacto cerato inungantur, non amplius lenes sunt, ubi plus iusto uncti sint, non amplius stabiles, labuntur enim copia cerati.

33 *Hi fascijs alligandi sunt inter se aduersis, alijs a dextra parte, alijs a sinistra, plurimum ab inferiori parte sursum ductis, aliquatenus a superiori deorsum.*

Fasciæ, quæ primo dabantur, non circuibant inter se aduersæ, sed utraq; membrum, quod peruersum erat

erat a contrario habitu ad naturalem restituebat:sed,quæ pannis superinijciuntur, cum eo pertineant, E ut membrum uniuersum alligent, tueanturque uinculum uniuersum, quale exceperint,aduersæ inter se procedunt, atque una quidem a dextra parte,altera a sinistra circumagitur:similiter altera a superiori,altera ab inferiori:sic enim,quum inter se aduersæ sint,uinculum, quale acceperint, potissimum seruabunt. Quare quatenus a dextra parte,uel sinistra procedunt, iunctura ex toto fit æqualis:quatenus uero a superiori,uel inferiori feruntur,altera non longe alteram excedit.sæpius tamen circuit, quæ ab inferiori parte sursum tendit.hoc siquidem tutius est,ob causam,quæ paulo supra posita est, ubi iussit sanguinem a fractura depelli ad summum membrum.

*Quæ extremitate tenuantur,pannis æquanda sunt in orbem datis,qui,ubi ea dirigimus, non subito, sed paulatim plurimi obuoluendi sunt.* 34

Tenuantur membrorum extrema.quæ dixit ἀπίξηρα. Has igitur partes circundatis pannis transuersis compleri uoluit, & pluribus fasciæ circuitibus cingi, quum eo, ut quod tenuius est, non subito (sic enim uinculum inæquale redderes,)sed paulatim impleatur.

*Laxæque circa primam palmæ partem uarijs locis uinciendi.* F 35

Solent iuxta uitiatam sedem loca omnia inflammatione affici, ac præcipue membrorum extremitates.quoniam paruæ sunt,& minime carnosæ,& idcirco materiam a locis, qui iuxta fracturam sunt, descendentem non recipiunt citra noxam.Eas igitur leuare constituit cerati inunctione. quod profecto satius fuit per se membris imponi sine ullo tegmento,neque alijs fascijs uti.sed quia caput & finem habentes sine aliquo fulcro,cito caderent,idcirco usus est fascijs totius fracturę,quas iure laxas inijcit,ut nullam afferant molestiam,sed id unum duntaxat efficiant,ut inflammationem arceant. non enim admouentur ad id,quod fractum est continendum.

*Quod ad linteorum multitudinem pertinet,duas partes primo abunde est superdare* 36

Ad uniuersum uinculum,quod primum omnium damus,censet paucioribus linteis opus esse,quàm procedente tempore futurum sit.docuit enim paulo infra,quo tempore plurimis uti fascijs cõueniat. Sed, quum linteorum multitudo fasciarum & pannorum numero, longitudineque augeatur. quæret quis num idoneo tempore maiora,an plura lintea inijci uelit:quin & quanta singula esse debeant. Porrò longitudinem & latitudinem fasciarum definiuit in libro de officina medici,quum inquit. Quod uero ad longitudinem & latitudinem pertiuet,impleant trium,quatuor, quinque, aut sex, longitudinem G quidem cubitorum,latitudinem uero digitorum. At neque numerum nunc silentio præterijt, ex fascijs enim,quæ primæ inijciuntur,duas dari iussit per uniuersum uinculum. pannos item duplices triplicesve superinijciendos esse,ibi quoque explicauit,quos esse uoluit tot numero, ut complecti queãt uniuersum membrum.Sed fasciæ,quæ super pannos dantur,plerunque duæ sint, quarũ una ab inferiori parte sursum tendat,altera a superiori deorsum.has etiam licet,& ternas,& quaternas imponere.nos autem binis ubique utimur.igitur,qui in hæc incumbet duas linteorum partes initio, sed quo tempore uitiatus locus inflammatione uacat,tres dandas esse conijciet. In libro itaque(ut diximus)de officina medici,fasciarum longitudinem definiuit,iubens,ut superinijciantur longæ ternos, uel quaternos cubitos,nimirum hominis,qui deuincitur.nam ridiculum esset puerum exempli causa bimum uel trimum fascijs ita longis alligare,ut robusti hominis quaternos cubitos æquent: uel ad robustum ita breues adhibere,ut quaternos pueri cubitos impleant.Sed in hoc opere fasciarum longitudinem non statuit,sicut neque latitudinem,ea nobis conijcienda relinquens. Constat autem fracturæ magnitudine inspecta inueniri a nobis longitudinem fasciarum,quum(ut ipse imperauit) debeat uinculum semper plurimum integræ partis comprehendere.Hæc non conuenit eadem ubique, sed pro magnitudine fracturæ,ut diximus.Quod si iterum,aut tertio super fracturam circumagenda prima fascia est, postea cre- H bris circuitibus uoluta non prius finienda, quàm integræ sedis plurimum complexa fuerit, plane debet ita longa sumi,ut propositis ab Hippocrate circuitibus sufficiat.Eadem ratione, & aliarum fasciarum longitudo tanta sit,ut possit partes,quæ ab ipso scriptæ sunt,amplecti. Porrò fasciarum latitudinẽ comperies,si ad ea,quæ ipse docuit,respexeris.inquit enim,Fulciantur,non tamen cogantur.significat autem fulciri quasi hærere.quod fiet,ubi fasciæ non ita latæ parentur,hæ siquidem rugant,quum circũaguntur.nam alioquin latior fascia,ut quæ plurimum amplectatur,fracti ossis partes firmius continet. atq; hac de causa latissima fascia ex usu maxime est.uerũ,quia,quæ talis est, rugas cõtrahens, quũ super affectas partes est obuoluta,laxior fit,& quæ subiecta sunt,minus fideliter continet.idcirco expedit,nó ita latam imponere, sed eatenus eius latitudinem augere, quatenus nulla pars laxatur. Quamobrem experiens hæc omnia melius præstabit. eiusmodi enim obseruationes coniecturales sunt, neque scriptura comprehendi,aut lectione possunt.Ob quam uero causam plures fascias dari postea uelit, tunc intelliges, cum ad eum locum peruenerimus.

*Hinc autem cognosces recte hominem curatum esse,ac terminum deligandi,ubi,num prematur, rogaueris, atque is responderit se premi quidem,sed leuiter,idque præsertim qua fractura est. Hæc itaque, sic habere, necesse est fateatur,qui recte est alligatus.* 37

Quoniam

A Quoniam ea, quæ nos ſpectamus in faſcijs obuoluendis intelligit non comprehendi ſcientia, ſed cõiectura, ex certis indicijs iudicandũ cenſet, quæ recte iniectæ fuerint, quæ male. Quod ſi homo abunde ſub faſcijs urgeatur, celerrime ſoluentes aptius deligabimus. ſin faſciarum circuitus iuſto laxiores fuerint, non patiemur diutius ſic habere. Nam, quæ arctius adſtringuntur, dolent, inflammantur, & interdum etiam extrema parte emoriuntur: quæ laxius, prorſus eiuſmodi periculo uacant, ſed non prohibent membrum, quo minus, qua fractura eſt, deprauetur. Vrget igitur arctior iunctura ſic, ut neceſſe ſit eodem die ſoluere, & rurſus deligare, quæ laxior eſt, non item: poteſt enim unum diem, & interdum alterum ſuſtineri. Hac igitur de cauſa diligenter rogare eum, qui alligatus eſt, conuenit, qualem ſentiat faſciarum circuitum. ut ex ijs, quæ reſpondet aliquid de faſcijs emendandis intelligamus. Debet enim (inquit) reſpondere, qui alligatus eſt, ſentire ſe uinculum arctius iuxta fracturam, quàm alijs partibus ipſius membri. ea enim ſedes inter eas, quæ adſtringuntur, acerrime ſentit. quòd & ægra ſit, & faſcia a nobis magis compreſſa, utpote, qui operam dederimus, ut ſanguis uniuerſus a fractura longe ad utramque membri extremitatem exprimeretur ſiquidem hac uia futurum ſit, ut quod uitiatum eſt, ab inflammatione defendatur.

38 B *Moderationis autem indicia ſunt, ſi eodem die ac nocte, quo deligatus fuerit, ipſe ſibi uideatur non leuius, ſed ualentius adſtringi. poſtridie uero tumor in manu oriatur mollis ac paruus, indicant hæc uinculum fuiſſe abs te moderate adſtrictum.*

Quum adſtringendi modus in uinciendo omnium maxime momentum habeat, quumque hic uariari conſueuerit, tam quod quædam partes mollitie ac duritie inter ſe diſtent, quàm quòd alia corpora hebetioris ſenſus natura ſunt, alia acrioris, merito contendit ex pluribus notis ſecuritatem ægrotantium inueſtigare, atque hac de cauſa non contentus ſola poſuiſſe indicia, quæ ex interrogatione ſumuntur, inſpiciendas etiam nobis ipſas partes exiſtimat, potiſſimum extremas. Inquit enim, ubi moderate adſtrinxerimus, futurum poſtridie in manu paruum tumorem mollem, hoc eſt, cedentem, ſi ſuperdatis digitis prematur. Quare ſi tumor hic, uel nullus appareat, uel durus, plane ſcire licet uinculum ubi nullus appareat non ſatis fuiſſe adſtrictum, ubi durus, nimis arctatum. Conſtat enim extremum membrum ſuccis ſub uinculo ad ipſum tranſmiſſis, quum multi ſint, impleri, digitiſque preſſum non cedere. idque tibi indicio erit uinculi ualentius adſtricti, non ſecus atque, ubi manus nullo modo tumeat, conijcere poteris nihil fuiſſe ſub uinculo expreſſum. nanque adſtringendi modo modus eorum, quæ exprimuntur, perpetuo reſpondet, & huic modus tumoris. Quare non immerito renititur tu-
C mor in extremitate membri, atque ingens eſt, ubi comminuta pars eius fortiter fuerit adſtricta: cedit atque exiguus eſt, ubi leuiter: non ſecus autem, ubi non adſtringitur, nullus tumor excitatur. ergo euidentiſſimum eſt, ubi poſtridie in manu tumor magnus ſit, & renitatur, membrum ſolui protinus debere, perfundique multa aqua calida, cui oleum copioſe fuerit adiectum, rurſuſque alligari modice adſtrictum: ubi poſtero die nullus tumor appareat, tertio reſolui, & arctius alligari. quod ſi tumor modicus fuerit, Hippocrates tertio die reſoluit: nos uſque quartum, interdum quintum diem trahentes, hieme potiſſimum, nihil uidimus deterius accidiſſe.

39 *Labente iam die minus adſtrictas faſcias ſentiat, ſed tertio die pene reſolutas. ſcire autem licet, ſi quid horum, quæ propoſuimus, abſit, uinculum non ſatis arctatum: ſi quid ſuperet, fuiſſe iuſto plus adſtrictum. Hæc itaque indicia intuitus, deinceps, uel laxius alligabis, uel arcte magis.*

Relaxantur faſciæ, non me hercle (ut nonnulli putant) quod intentæ tempore longiores appareant: ſed quod membrum extenuatum contrahatur, ubi recte fuerit alligatum, quod euidenter in omni fractura perpetuum conſpicitur, quemadmodum & ipſe Hippocrates oſtendet.

40 D *Tertio die, poſtquam extenderis, atque direxeris, ſoluere membrum oportet. quod ſi primis diebus moderate deuinxeris, paulo magis faſcias adſtringes. deligare autem incipies a fractura, quemadmodum prius: nam, ſi hanc partem prius deuinxeris, materiam inde ad utramque membri extremitatem depelles: ſin aliam prius adſtrinxeris, inde ad fracturam deduces, quod intellexiſſe pertinet ad multos locos. Sic ergo ordiri ſemper uinculum debet, atque hunc locum primum adſtringere, alios uero pro portione, quo enim longius a fractura procedit, eo leuius arctari: nunquam uero ex toto laxari, ſed adhærere. poſt hæc adijcienda faſciæ ſunt, quotieſcunque deuincimus. rogatus autem homo reſpondeat adſtringi ſe paulo magis quàm ante: præſertim, qua fractura eſt, atque alibi pro ratione. Tumeat item membrum, urgeatur, leuetur pro ratione prioris uinctura. Abhinc tertio die ſentiat faſcias relaxari. tum ſoluere conuenit ac rurſus deligare paulo arctius omnibus faſcijs iniectis, quibus utendum erit, poſt hæc laboranti omnia eueniant, quæ in ſuperioribus alligandi circuitibus expoſita ſunt.*

Si primo die homine propter fracturam dolente, quantum adſtringendum eſt, non adſtrinxerimus, ubi, omnibus recte factis, tertio die dolor remittatur, arctius alligamus, neque tunc quoque quantum res poſtulat. hoc ſiquidem, quum omnia recte procedũt, quinto die cõuenit. quare tunc plurimis faſcijs utemur, & quantum res exigit, adſtrictis, non obliti hoc ab ipſo præcipi, ubi omnia cõuenienti ordine ſequantur. nam, ſi propterea quòd aliquid interim peccatum ſit, brachium nondum quinto die

ex toto inflammatione uacet, neque nos fascijs omnibus utemur. Exhibet quidem fasciarum multitudo (ut ipse ait) uinculi firmitatem. potissimum uero ea utemur, quo tempore desedit locus, qui circa fracturam est, & ipsum os, quod perfractum est, laxius effectum est, & facilius tractatur, ut componi possit. At si quando hoc quinto die non cedat, differemus in alium circuitum, qui ad diem septimum perueniet. iubet enim donec ferulæ ad fracturam dentur, tertio quoque die folui ac rursus deligari, ea de causa, ut aqua calida infundatur ad educendos succos in comminuta parte existentes, qui tenues sunt, & seri naturam habent, digestionemque requirunt, & simul etiam ad leniendum dolorem, & pruriginẽ finiendam. Itaque, ubi nec dolor, nec prurigo hominem exerceat, atque indicia illa omnia se ostendant, ex quibus recte fracturam habere cognoscimus: etiam si quarto quoque die solues, nihil lædes, hieme potissimum, atque adeo magis homines agrestes, qui lauari fere non consuerunt, sed eos, qui cotidie lauari solent: & qui præsertim bis id faciunt, conuenit non longo interposito spatio resoluere, ac præcipue, ubi carne fuerint molliori. E

*Inde, ubi ad tertium diem uentum erit, qui septimus est a primo, quum iniectum uinculum fuit, si recte alligatus fuerit, tumor in manu apparebit, isque non admodum magnus: locus item, cui uinculum inijcitur, quotiescunque deligabitur, tenuior, & gracilior conspicietur, septimo autem die, tenuissimus, atque ossa perrupta tractabuntur facilius, magisque ducentur, ut dirigantur. quòd si hæc ita habeant, dirigere oportet, alligareque, ac ferulis excipere, pauloque amplius, quàm ante adstringere, nisi, si tumor, qui in manu est, maiorem dolorem afferat. ubi uero fascias inieceris, imponendæ ferulæ sunt, superq; fasciæ alligandæ admodũ laxæ, sic, ut circũdatæ ferulæ cõtineantur. nec quidquã brachiũ adstringant. Quo facto prematur offensus eodẽ modo, & releuetur, atq; in prioribus uinciẽdi circuitibus. At, ubi ad tertium diem perueniens laxum uinculũ sentiat, necesse est ferulæ magis arctẽtur, potißimum qua fractura est, atq; alibi pro ratione. siquidem ipsum uinculum laxum potius erat, quàm adstrictum. Pleniores autem adhibendæ ferulæ sint ab ea parte, qua fractura extat, non multo tamen: uidendumque est, ne e regione pollicis collocentur, sed hinc uel hinc: neque item e regione minimi digiti, qua os in prima palma parte excedit, sed hinc uel hinc. Verum, si fractura omnino ferulas requirit, his locis breuissimæ superaccommodandæ, sic, ut ad ossa, quæ in prima palma parte extant, minime pertineant: periculum enim esset, ne ulcus fieret, & nerui nudarentur: debemus autem ferulas arctare tertio quoque die paululum omnino, id spectantes, quòd eo nomine imponuntur, ut uinculum tueantur, non ut adstringant. Quòd si optime perspexeris, ossa sub prioribus uinculis abunde fuisse directa, neque locum prurigo aliqua infestat, neque ulla exulcerationis suspicio est, ultra uigesimum diem finito alligatas ferulas manere. nam plerisque summum triginta diebus brachij ossa conferuent.* 41 F

Si tertius dies fractum os nobis daret, quale fere septimus exhibet, necessario ad ferulas ueniremus: G sed quia (ut ipse dixit) septimo die tenuissimum apparet, quo uocabulo significauit gracilius fieri, quàm quum erat in pristino statu salubri, idcirco eodem die ferulas circumponit, tunc scilicet membrum diligentius componens, ut pote, quum ossa laxiora sint. eo autem ferulæ pertinent, quo & pannos ante diximus, nempe, ut fractum os contineant. at, quum ossa ob siccitatem naturalem nequeant carnis modo coalescere, callo circa fracturæ oras increscente, quasi quodam uinculo circũdantur. hic autem creatur de eo quod superat, ex ipso fracti ossis alimento. quod si laborans, uel non idoneo uictu utatur, uel plenus sit, id, quod superat, copiosius est, effusumq; fascias totas ueluti crasso sanguine madefacit. Quicquid igitur ex eo, dum effunditur circa fracturæ oras concrescit, tempore ab osse, cui hæret, mutatur, & simile ipsi redditur, callusque nominatur. Ergo, si fracti ossis oræ agitentur, dimoueanturque, prohibebitur, quo minus adstrictum maneat, atque ob eam rem creari callus nõ potetit. quod enim gluten lignis efficit, quæ glutinantur, id callus præstat ossibus fractis. Iure igitur summa quiete opus est ad fracturas, quæ callo debent solidari: nam, si agitetur coactus callus, dissoluitur, perinde ac gluten, quo ligna cohærent, & coactum lac. summam uero hanc quietem præbent fasciæ adstrictæ, & quæ superdatæ continent: porrò continent fasciarum multitudo, ac ferulæ. Quæ deinceps sequũtur, omnia plana sunt, his, qui animum adiungunt. præcipit enim, ut sicubi uinculum laxetur, ferulæ tertio quoque die arctentur, non tamen resoluatur tota iunctura, nisi homo ingenti prurigine bexetur, uel exulcerationis alicuius suspicio sit. prurit autem fractura initio magis, deinde minus, quoniam uitiata pars exhaurirur. excitatur enim prurigo a uaporibus qui ab eo, quod supereft, profusi leuiter mordent. At, ubi acrius mordeant, prurigini iam dolor iungitur: igitur, quando pars inanis est, nihil omnino tale superat, uel certe, quàm minimum. H

*Nihil autem perpetuum est: multum enim natura a natura, & ætas ab ætate distat.* 42

Non dixit simpliciter differre ætatem ab ætate, sed adiecta coniunctione indicat alias etiamnum causas esse, cur non omnes brachij fracturæ triginta diebus consanescant, sed quædam paucioribus. sunt enim in causa, anni tempus, regio, natura ægrotantis, anni temperatio, ratio uictus, & uinciendi modus. nam citius conferuescunt, hoc est, callo firmantur, & ob materiæ, ex qua callus oritur, quantitatem, ac qualitatem moderatam, & ob robur uirium ipsam cogentium. diutius autem trahitur ex materiæ inopia. quod enim breuiori tempore ob materiæ copiam uires efficiunt, id longiori præstat ob inopiam, & interdum etiam ob copiam immodicam. callus enim concrescens abluitur humore, qui ab interiori parte fluit, ubi multus fit, & continuetur. Porrò materia crassa commode spissescit, & in

A & in callum uertitur,humor autem,ubi aquosus fuerit,& habitu tenuis,spissando callo maxime est alienus. Vires quoque quum ualent, maturæ suo munere fungi,sero,quum imbecillæ sunt,nihil attinet dicere.quibus de causis callus diuerso tempore fractis ossibus circundatur.hæc autem ipsa, quæ nunc dicuntur ob causas prius positas mutantur.quoniam materia,& plus,& minus abundat,& crassior est, ac tenuior ob temperamentum,tam uniuscuiusque naturale, quam aduentitium ipsius fracturæ eo tempore, quo curatur, atque item ob uictus rationem, qua homo utitur,& ob modum,quo deligatur,præter hæc,ætatem,tempus anni,regionem,ex quibus omnibus ualidiores uires sunt,aut infirmiores.

43 *Vbi solueris,aqua calida perfundito,& rursus alligato fascijs lenius, quàm ante adstrictis, paucioribus item,quàm ante iniectis:inde tertio quoque die soluens rursus laxioribus fascijs,& paucioribus deuincito.*

A primo die,usque dum ad ferulas ueniat,& fasciarum numerum auget, & arctius adstringit:eas autem imponens septimo die,membrum non soluit usque ad uigesimum, statuere quasi firmam basim uolens calli producendi,quo circundato fracturam penitus, immobilem nõ amplius tuetur.nutrire enim callum oportet,ubi altius radices egit.nutritur autem,quum materia in ipsum deriuatur: quam sicuti ab initio auertimus ab affecta sede ad alias corporis partes,ita nunc euocare debemus aqua calida perfusa.quin & initio fascijs multis atque adstrictis,quo minus ad uitiatum locum conflueret, ex toto ipsam prohibuimus.nunc paulatim numero demimus,pressumque laxamus, quum non expediat prohibere,ne confluat.

B

44 *Quòd si alligatis ferulis suspicio sit,ne ossa recte concurrerint,uel aliud quidpiam hominem infestet, ubi dimidium temporis præterierit,uel paulo ante soluere oportet,& rursus deuincire.*

Quæ supra posita sunt,intelligi debent,quum omnia recte procedant:nanque, ubi sit sensus aliquis doloris,uel exulcerationis suspicio,aut uereamur,ne fractura male composita sit,aut casu aliquo interueniente membrum motum sit,soluere uinculum ante uigesimum diem cogimur.id autem ipsum definiuit,ne quis existimet perpetuũ esse, quod supra imperauit, fracturam quamlibet usque ad uigesimũ diem seruandam esse penitus immobilem.semper enim pugnare medicus debet aduersus id, quod magis urget,neque obligare se præceptis tanquam legi,quam contemnere nefas sit, quum omnia præter rationem eueniunt.

45 *Quibus initio cutis non abrumpitur,neque os cute excedit, idonea est ratio uictus prope quauis, minus tamen cibi sumant usque ad decimum diem,præsertim,quum quiescant.*

C

φαῦλον uocabulum solent ueteres græci fere omnes usurpare, quum significare uolunt simplex aut quoduis: huic opponitur exquisitum,quod Iones ἀκριβὲς appellant. Sicut igitur exquisitam uictus rationem ἀκριβέα uocat,ita huic contrariam φαύλην:atque hac ratione nunc eã,quæ prope quæuis sit,ἐπιφαύλην dicit,quæ media est inter quamuis simpliciter,& exquisitam.Exquisitam uictus rationem imperat,quibus initio,prẹter ossis fracturam,carnis quoque uulnus accessit,ac præcipue, quum ex fracto osse aliquid cute excedit:simplicem, id est,quamuis illis,qui omnino periculo uacãt: prope uero quamuis mediamque,quibus os fractum est primis diebus,quorum terminum constituit decimum, non quòd non interdum maturius,interdum serius mutare uictum liceat:sed, quòd plerunque ita accidat.utitur autẽ media uictus ratione,propterea,quod neque ita magnum periculum est,sicut cum ossa nudãtur,neque ita res tuta,sicut cũ intacto osse caro simpliciter uulneratur.merito igitur ijs,qui medij sunt inter eos, qui periculo uacant,& eos,qui periclitantur, mediam uictus rationem indicit:præsertim, quum usque ad decimum diem,quibus brachium fractum est,ex toto quiescant,quod Iones ἀτρεμέειν dicunt. Itaque par est exquisitiori uictu sustinendos esse quiescentes,quàm qui mouentur. at, quum a decimo die plerique suspenso brachio inambulent:merito præcipit,ut in eum usque diem medio uictus genere utantur,præsertim quum quiescant.Quod præsertim, uertimus, Hippocrates habet ἤδη, quod plerunque tempus notat,sed adijcitur etiam ad aliquid comprobandum,ut, si dicamus, & ob alia, & ἤδη, hoc est præsertim propter hæc credendum huic faciendum hoc est,quomodo uidetur nunc ab Hippocrate usurpatum,sic,ut oratio talis sit,mediocri uictu utendum usque ad decimum diem, & alia de causa & præsertim,quum homo interim ex toto conquiescat.

D

46 *Adhibeantque ex obsonijs mollibus,quæcunque modice aluum deijciunt.*

Ptisanam uidelicet,betam,aut maluam,atriplicem,siue blitum,uel cucurbitam, & pisces teneros.

47 *Sed a uino,& carne sibi temperent.*

Docuit ipse exquisiti uictus rationem,& eius,qui quiuis est, & eius, qui prope quiuis, quam nunc prẹcipit usque in decimum diem seruari.nam, cum æger carnem edit,& uinum potat, uictus simplex est,& quiuis:sed cum solo prisanæ cremore,& mulsa uiuit, uictus tenuis est, atque exquisitus : inter utrunque est ille,quem proxime indicauit,quum inquit adhibeantque ex obsonijs mollibus quæcunque aluum modice deijciunt.

48 *Tum paulatim se reficiant.oratio hæc lex iusta fertur de curatione fracturæ.*

Reficiantur, dixit, quo uocabulo nihil aliud significat, quàm, ut cui comminutum os est, postea

recreetur. ſcribit autem paulatim, cui contrarium eſt repente: damnat enim, quod ſubito plurimum E
implet, aut demit, uel quid aliud præſtat.

*Quare danda opera eſt, ut iuſta curatione adhibita res bene procedat: ubi autem non ſic procedit, ſcire licet aliquid* 49
*curationi defuiſſe, aut ſuperaſſe.*

Iuſtam uocauit eam, quæ laboranti omne id præbet, quod ei conuenit, & nihil prætermittit. curatio-
nem uero, quam χειρίζειν dixit, uel pro chirurgia, uel pro uniuerſa ſimpliciter rerum omnium admotione
accipit. græci enim μεταχειρίζεσθαι dicunt, non ſolum, quæ manibus prehendunt, ſed quæcũq; tractãt.

*Illud præterea animaduertere in hoc ſimplici modo conuenit, quod medici non admodũ attendunt: quanquam, ſi nõ re-* 50
*ctè fiat, corrumpere curam omnem, omnemq; uinciendi rationem poteſt.*

Simplicem modum fracti oſſis, & prolapſi uocat, ubi non accedit ulcus, non nudatur os, neq; quod
perfringitur, in multas partes comminuitur, quod fracturæ genus recentiores a farina ἀλφιτηδὸν appel-
lant. ita, ut nullus ex propoſitis modis ſimplex ſit, ſed ille duntaxat, ubi fracturæ nullus alius caſus adij-
citur. ſic autem a ſe uſurpari uocabulum ſimplex, aperte oſtendit paulo infra in hoc ipſo libro, ubi pro-
prie eam rem agit. quod ſi oſſa ſimplici fracturæ modo perfringantur, peccatur, uideturque id peccatũ F
leue, ſi quis tamen diligenter ſimul omnia æſtimet, maximum momentum habet. id enim, ſi commit-
tatur, priorem curam uniuerſam corrumpit. quid autem hoc ſit, in ſequentibus oſtendet. Scribitur item
aliter eadem oratio ſic, quanquam, ſi non rectè fiat, corrumpi omnis cura, omniſque uinciendi ratio
poteſt: ubi curam ipſam, quum aliquid peccatur, damnare uidetur, ut, quæ corrumpere poſſit, quæ-
cunque ad laborantem particulam rectè adhibita ſunt.

*Quòd ſi utroque oſſe comminuto, uel eo, quod ſubiectum eſt tantum, deligatum brachium mitella ſuſpendatur, eaque* 51
*plurima circa fracturam detur: partes uero hinc atque hinc ſuſpenſæ ſint, neceſſe eſt os ad ſuperiora peruerti.*

Diligenter uoluit animaduertendum eſſe, qua ratione totum brachium ſuſpendatur, quum homo
iam ingreditur, & non amplius cubat, hoc eſt, a decimo die. ante ſiquidem plerunq; cubabat brachio
(quemadmodum ſupra oſtenſum eſt) ita figurato, ut manus paulo ſublimior haberetur: ſed, quum iam
inambulat (ut fieri conſueuit, brachio ex ceruicibus ſuſpenſo) mitellam adhiberi præcipit ſic latam, ut
brachium uniuerſum ſuſtineat, totumque æqualiter amplectatur, neque ullam partem eius relinquat,
quam non fulciat, quo fieret, ut brachij os a parte, cum qua iungitur, deorſum inclinaret, ac deprauare-
tur. nam priuſquam uitiaretur, totum perpetuum erat: corrupta autem eius unitate, ubi perruptum
eſt, poteſt altera eius pars a ſubiecta mitella ſubſtineri, altera uero pars, ut quæ non amplius cum illa G
continuet, deorſum inclinata peruerti. Poteſt item ex eadem parte, ubi non rectè mitella ſubijciatur,
altera extremitas ab hac elata ſurſum ferri, altera deorſum inclinata peruerti. Quatuor igitur modis
mitella brachio male ſubijcietur. primo, ubi fracturam ſolummodo ſuſtinet, partes autem hinc atque
hinc ſuſpenſæ manent: ſecundo, ubi extremæ brachij partes & ſupra a cubito, & infra a manu diligen-
ter mitella fulciuntur, medium non ſuſpenditur: tertio, & quarto, ubi interdum prior brachij pars, in-
terdum poſterior mitella excipitur. Ex his quatuor modis binos dũtaxat ſcripſit, qui maxime membrũ
peruertunt, reliquos binos præterijt, ut, qui ex enarratis intelligi poſſint. eorum, quos ſcripſit, alterũ
propoſitis uerbis oſtendit, ubi cenſet in ijs, quibus utrunq; brachij os fractum ſit, uel tantum id, quod
ſubiectum eſt, (cubitus proprie nuncupatur) intelligẽdum eſſe primũ ex propoſitis modis. ſed cõmune,
id eſt, duobus modis, de quibus uerba faciet. proprium uero eſt utriuſq;: prioris quidem, quẽ nunc indi-
cat, ſubiecta brachio mitella anguſtiori, quàm, ut totũ membrum cõplectatur, fracturam ſolũmodo ful-
cire: alterius rurſus, utrãq; membri extremitatem ſuſtinere, fractura tantũ non fulta. Deprauari autem
inquit priori modo brachiũ in ſuperiorem partẽ conuerſum, ſed in inferiorem altero modo, quem ſub-
det proximis uerbis. priorem, qui ſurſum uerſus peruertit, nunc propoſuit. Nam quum brachium, quæ
fractum eſt a mitella ſuſtineatur, partibus, quæ utrinq; ſunt, deorſum inclinatis, quum non ſit, cui firmi- H
ter innitantur, accidet, ut quod a mitella excipitur, altius excitatũ callo glutinetur. Eum uero habitum,
quo membrum callo ſolidetur, in poſterum perpetuo ſeruabit. quare ſæpius neceſſariũ eſt, quæ ſic per-
uerſa ſunt a nobis de integro abrumpi, extento membro rurſus fracturam, qualis initio fuerat, redden-
tibus, quam ſupra diximus nullo modo coaleſcere, ſed alligari a callo, qui circundatur. hunc igitur ex-
tendendo diſſoluimus, rurſusq; operam damus, ut callus increſcat fractura conuenienter figurata. uide-
re autem licet in alijs animalibus comminuta oſſa non omnino coaleſcere, ut in ſue, apro, boue, capra,
oue, gallo, gallina. ſi quando inuenies (inuenies autem ſæpe quemadmodum & nos) fracturæ oras
callo inter ſe glutinatas, ubi hoc tibi curæ ſit, callum deradens conſpicies fracturæ oras ſe contin-
gere, non tamen coaluiſſe, ſolidataſq; eſſe eo modo, quo in uulneribus glutinata caro coaleſcit. At-
cur, ubi utrũque brachij os comminutum ſit, &, quod proprie cubitus uocatur, & quod radius, acci-
dat, ut membrum adeo peruertatur, ſi in ſuſpendendo aliquid peccetur: ſed minus, ſi alterum tantum
cubitus ſcilicet: ac ſi radius per ſe, nihil omnino deprauetur, non magno negocio comperies, ſi eorũ,
quæ ipſe retulit, memineris. quia, quod ſubiectum eſt (inquit) fundamenti uicem præſtat ei, quod
abruptum eſt, atque ipſum deprauari non patitur: ſed radius, ubi intactus ſit, cubitum quodammo-
do ſecum dirigit, ſi rectè uinculum adhibeatur. tueri autem ipſum a deprauatione ex toto non ualet.

ubi

A ubi aliquis error sit in suspendendo, quandoquidem cubitus subiectus nihil habet, quo fulciatur, præter uinculum ipsum.

52 *Sin ossibus sic fractis mitella manum duntaxat, & articulum cubiti excipiat, reliquum uero brachium suspensum sit, deprauatum inclinabitur deorsum.*

Ex quatuor modis, quos paulo supra declaraui, secundum hic tradit, qui primo contrarius est: siquidem in priori mitella solam fracturā sustinebat: in hoc, quum cetera sustineantur, sola fractura sine fulcro est. Quemadmodū igitur in priori suspendendi ratione, ubi fractura, quū sola a mitella sustineretur, sublimior fuit, reliquæ uero partes utrinque humiliores, iure dixit deprauari brachium totum in superiorem partem conuersum: ita nunc, quum ea tantum membri pars, qua fractura est, non sustineatur, deprimetur, & deorsum uersus inclinabitur, quo fiet, ut brachium in eam partem curuetur, atque ea de causa, ubi callus circūdatus fuerit, puersum deorsum spectet. Exposuimus igitͤ uniuersam ꝓpositæ orationis sententiam. legitur autem scripta duobus modis, si uocem spectemus, maxime inter se cōtrarijs: re tamen, si animaduertantur, inter se minime discrepantibus. Itaque brachium suspensum nonnulli intelligunt, quod a mitella non excipitur, sed solum in aere suspenditur: alij contra, omne id, quod a mitella sustineatur, utpote, quum in inferiora minime inclinet, neque fiat ob id humilius, quod suspen-
B so contrarium est. Merito igitur scripturæ, uerbis inter se pugnant, sententia conueniunt. nanque hæc uox μετέωρον hoc est, suspensum, quum apud expositores contraria significet, a quibusdam eorum citra negationem scribitur, reliquum uero brachium suspensum: ab alijs negatione adiecta: reliquum uero brachium non suspensum: uerba, ut illis uidetur, accommodantibus ad utramque significationem uocabuli, μετεώρου hoc est suspensi.

53 *Debet ergo brachium suspendi per mitellam latam, mollemque, multum brachij cum prima palmæ parte æqualiter sustinentem.*

Duas hic indicat suspendendi rationes, quas prætererat, eas inquam duas, quarum commune est extremam brachij partem sustinere: proprium autem utriusque, uel eam, quæ a cubiti commissura, uel eam, quæ a manu tantum. Exequutus enim eam suspendendi rationem, ubi mitella solummodo fracturam excipiebat, atque alteram, ubi utramque extremitatem, deinde subijciens uerba proxime posita, in quibus præcipit, ut plurimum ex brachio, cum prima palmæ parte, mitella æqualiter sustineatur, reliquas duas suspendendi rationes euidenter reprehendit: quum non habeant id, quod maxime requiri uoluit. siquidem neutra primam palmæ partem, & plurimum ex brachio æqualiter fulcit, non tamen proprie eas hic expressit: præcipue (ut dixi) quod intelligi ex superioribus possint: tum quod leuem
C omnino noxam afferant, ubi nihil in deligando peccetur. duæ enim superiores suspendendi rationes, ea de causa plurimum erant alienæ, quod fractura contineretur contrario modo, atq; eius partes utrinque, quum interdum sola a mitella attolleretur nulla eius particula fulta, interdum sola deorsum conuerteretur.

# *GALENI IN HIPPOCRATEM DE* FRACTVRIS, COMMENTARIVS SECVNDVS.

### *Vido Vidio Florentino interprete.*

### ARGVMENTVM LIBRI.

D

Curatio reliquarum simplicium fracturarum, luxationum, ac dimotionum, quæ in humero, summa manu, pede, tibia, calce, & femore contingunt hoc libro traditur.

### De humero.

1 A*T ubi humerus perfringatur.*

Testantur nonnulli ex ijs, qui librum hūc exponunt, Hippocratem, ut supra πῆχυν uocauit modo eam partem totam, quæ inter manum & cubiti articulum est, modo cubitum, qui e duobus ossibus lōgior est, ita nunc humerum appellare βραχίονα, nēpe id os, quod a cubiti articulo pertinet ad humeri caput. Alij non ipsa ossa, sed partes, quæ inter articulos sunt, uolunt ijs uocabulis nuncupari, quod consueuerimus ita loqui, ille in capite plagam accepit, uel in malis, aut naso, & ubi plaga cutem tantum uiolauit, & ubi altius aliquid læsit, puta musculi membranam, neruum, arteriam, aut uenam. quin, quum humerum exulce-

ratum dicimus, ostendimus humero id mali incidisse, quod ulcus uocatur. at, quum definitione ul- E
ceris caro contineatur, quamuis nominatim non explicetur, ulceris tamen uocabulo notatur. carnis enim diuisionem appellamus ulcus, sic, ut, cum dicimus Dioni exempli causa humerum esse exulceratum, carnem humeri significemus. eadem ratione, quum fractum humerum dicimus, significari uolunt os huius partis eo uitio teneri, quod fractura nuncupatur. sed controuersia hæc de nominibus, ac significationibus nullo modo ad fracturæ curationem pertinet. neque enim quidquam officit, aut prodest. quæ uero in sequentibus docet, qua ratione curare fractum humerum conueniat, ostendunt. cuncta autem (ut mihi uidetur) plana sunt, non secus, atque alia, quæ supra de brachio tradidit. ea enim paucis admodum uerbis exceptis, clara erant. longius autem lapsi sumus, quum causam adiecerimus, cur singula præcipit: quæ res, & si expositionis fines excedat, fieri tamen (ut retuli) ab omnibus expositoribus consueuit. at, quum hæ rationes alibi paucis ab ipso ostendantur, neque nos hic eas tanquam auctores adiecimus, sed ordinem mutauimus. totus autem nunc propositus sermo, si per se examinetur, consideretur que, perquam facilis est. adde quod ratio singulorum, quæ tractantur, fuit in sermone de brachio explicata, ad communia enim præcepta, quæ ibi tradita sunt, hæc quoque referuntur. primum de uniuerso brachio figurando: tum de extendendo, de componendo: postremo de continendo ac suspendendo, quæ continendi species est. His itaque habitis, si pauca quædam occurrent, quæ non plana sint, F
ea in sequentibus aperiemus.

*Si brachium extendatur, eoque sic figurato intentio adhibeatur, humeri lacertus intentus alligabitur, atque, ubi, qui* 2
*deligatus est, cubitum curuet, humeri lacertus habitum mutabit.* A.l.4.t.5.t.3.

Propositæ orationi illud adijcere oportet, quod antea dictum est, scilicet, ubi humeri lacertus ab in- c.4.p.909.B
iecto uinculo aliter figuretur, futurum esse, ut alias eius partes uehementer uinculum comprimat, alijs laxius sit, atque delabatur: compressæ item partes inflammatione tententur, sed relaxatis uinculis membrum peruertatur. Quare brachij habitus nullo modo uariandus est, sed perpetuo (ut supra demonstratum est) a principio ad finem seruandus. At contra, si ille habitus seruetur, in quo extentum membrum deuinctum est: uinculum quidem nullo loco arctius erit, aut laxius, sed ipse habitus, quum uitiatus sit (ut supra declarauimus) dolorem, atque idcirco inflammationem afferet.

*Iustissima itaque intentio ad humerum sic adhibetur, lignum, quod cubitum æquet, uel paulo breuius sit, qualia sunt ligo-* 3
*num manubriola, habena ab utraque parte alligatum suspenditur: homo autem sublimiori alicui sedi insidet, brachiumque* A.l.4.t.5.t.3.
*super manubriolum imponit, sic, ut id in alam indatur ea moderatione, ut ille uix considere possit, nihilque propius sit,* c.9 p.909.C.
*quàm ut suspendatur. tum aliquid aliud paretur, cui brachium inhæreat scorteo puluino superdato uno, uel pluribus, ita, ut*
*ad eam altitudinem perueniat, ut cubitus ad rectum angulum collocetur. commodissime autem lorum molle, latumque, seu* G
*lata habena circundatur, atque inde magni ponderis aliquid suspenditur, quod extendere conuenienter possit: aut in uicem*
*huius, robustus aliquis in inferiorem partem cogit cubito cum humero ad rectum angulum figurato.*



A Lignum quod cubitum æquet.
B Habena per quam suspenditur.
C Sedile sublimius.
D Brachium super manubriolum impositum.
E Aliquid aliud cui brachium inhæreat.
F Scorteus puluinus.
G Cubitus ad rectum angulum.
H Lorum molle, seu lata habena.
I Magni ponderis aliquid.

Ostensum est in libris de philosophia, naturæ iustitiam in eo consistere, ut quod unicuique conuenit, distribuat, H
non lege aliqua, sed suopte nutu, quod iam supra quoque dictum est. dictum est insuper, eum esse iustum habitum, qui aptum situm uniuscuiusque particulæ membri tuetur. demonstratum est etiam huiusmodi habitum minime omnium dolorem afferre. hic autem in brachio est, ubi cubitus cum humero ad rectum angulum collocetur. toto itaque brachio sic figurato præcipit hominem sedere, iuxta ipsum uero a priori parte poni lignum transuersum, quale ac quantum est ligonis manubriolum. ligones uero appellat σκαφία, quibus terram fodimus (græci σκαλίδας dicunt) his annumerantur etiam bipalia, (Attici μακέλας uocãt.) uult autem huiusmodi lignum, quod iuxta collocatur, immobile reddi, sic, ut dum manus admouetur, nec sursum feratur, nec deorsum. quod continget, si ab utroque extremo habenis uinciatur: quæ ad aliquid sublime religentur, ut

lignum

A lignum inde suspendatur. Præcipit igitur, ut æger brachium ante super ipsum imponat, hoc est, ut lignum transuersum alæ subijciatur: tum is, cuius humerus fractus est, sedeat ita sublimis, ut parum absit, quin suspendatur. sedere autem ægrum iubet, ut uires, dum manus adhibetur, sufficiant, neque propterea quod stet, conuellantur. neque in humiliori sedili hominem collocat, sed quàm maxime potest alto, quum sedet: & ob ipsum medicum, ut rectus agere possit, neque plurimum cogatur deorsum inclinari: & ob ægrotantem ipsum, cui magis expediat ita sedere. solent enim, quibus brachium extenditur, præ dolore ducentem sequi, atque attolli, nec in eadem sede penitus, qua collocati sunt a principio, permanere. quo fit, ut intentio remittatur. Hoc igitur cauens imperat, ut homo sedeat, quantum maxime potest sublimis, & prope suspendatur, ac si paulum attollatur, stet. quod, ubi eueniat, neque ipsum ægrotantem, neque alios latebit, atque, ubi non lateat, paruo negocio rursus, uel ab alijs, uel per seipsum in priorem sedem restituetur. quin, ubi homo ita sedens stabit, paululum mutabitur: plurimum uero, ubi humilior fuerit collocatus. Quare ex sessionis mutatione minimum læduntur, qui sublimiori insident sedili, plurimum, qui humiliori. Constat itaque transuersum lignum ab Hippocrate ea de causa sub alam demitti, ne brachio ab inferiori parte intento, æger sequatur, atque intentionem soluat. quod nos sine ligno soliti sumus

B sæpius facere per laqueos alæ circundatos, quorum extrema uersus posteriorem partem extendenda sunt. non secus etiam alijs laqueis circumligatis fractum os in diuersa diducimus, ubi intentio, quæ per manus adhibetur, imbecillior sit, quàm oporteat. Verum, si hanc credamus per se posse effectum præstare ut in puerili corpore, non opus est amplius laqueis, & multo minus machinamentis habentibus axes, ad quos extremos laqueos alligantes ualentius in diuersa contendamus. quo extendendi modo ad luxata potissimum utimur. In ea autem extendendi ratione, quam nunc probat, præcipit, ut brachium rei cuipiam hæreat, quam ipse uocat [illegible] hoc est, huiusmodi quidpiam, cui firmiter insidat, scorteis puluinis subiectis: deinde ab imo humero iuxta cubiti articulum graue aliquod corpus suspendatur, quæ pondera [illegible] nuncupauit: hæc sunt, quibus uti consueuimus, ex ferro, ære, aut plumbo confectis. præterea lorum molle, latum, uel habena ualida imo humero circundetur, unde pondera suspendantur.

4 *Debet autem medicus curare, stans altero pede super quapiam re sublimiori collocato, componere autem os prominentioribus palmarum partibus. facile autem componitur. ea enim extendendi ratio optima est, si quis conuenienter ipsam adhibeat: post fascias inijcere a fractura orsus: reliqua uero omnia, ut antea iussus est exequi, eademq; de homine requi-*

C *rere: tum ex ijsdem indicijs intelligere moderata, necne sint: ac tertio quoque die soluere, & rursus deligare, arctiusque adstringere.*

Eligit hunc chirurgici habitum tanquam firmiorem, idem in opere de officina medici præcepit, cum inquit [ stantem uero oportet pariter ambobus pedibus bene insidere, sed agere altero insistentem, at non eius partis, cuius manus agit.]

5 *Dein septimo aut nono die ferulas alligare. quòd si uereatur, ne recte ossa concurrerint, interea soluere, dirigensque rursus deuincire.*

A.l.4.f.5:t.3. c.9.p.909.B.

Quod in superioribus, qua de brachio, supplendum esse existimaui, idem nunc existimo, scilicet, quum omnia commode respondeant, eo tempore ferulas imponendas esse. Verum ubi de brachio egit, septimo die simpliciter iussit ferulas circundari: in sermone uero de humero, coniunctionem, quam disiungentem appellant, usurpauit. ait enim, septimo, aut nono die ferulas alligare eo quòd in humero ob musculorum, quibus continetur magnitudinem, quæ circa fracturam sunt, diuturniori tempore ex toto gracilia fiant, laxaque. ubi uero talia essent, ostendimus oportune tunc ad ferulas ueniri.

6 D *Humeri os fere quadraginta diebus conferuet, quos ubi excesserit, soluere oportet, & pauciores fascias dare, leniusque arctatas, ac diutius uti uictu magis exquisito, quàm ante: intueri autem manus tumorem, & utres.*

Anic. ibidē.

Conferuere, quòd [illegible] dixit, intelligit, ubi fracti ossis partes callo firmantur, ut in superioribus etiam, qua de brachio. Quo autem grandius est humeri os, eo longiori tempore per callum glutinatur. Reliqua omnia, ex ijs, quæ dicta sunt de brachio, plana sunt. nulla igitur opus est explanatione.

7 *Illud etiam ignorare non oportet, quòd humerus natura ab exteriori parte gibbus est, & peruerti facile solet, ubi male curetur. quin & alia ossa omnia, quæ naturaliter aliqua parte gibba sunt, ubi comminuta curantur, facile ab ea peruertuntur. Ergo, ubi tale quidpiam timetur, lata fascia humerum excipiens in orbem circa pectus agatur: &, quum quiescere humerum oporteat, pannus multiplex implicitus inter cubitum, & latus subijciatur, uel quidpiā huius generis aliud. hac enim ua os gibbum dirigetur. est autem cauendum, ne nimis in interiorem partem conuertatur.*

Quæ in sermone de humero usque ad finem scribuntur, omnia clara sunt. namque ipse causam exponit, cur in exteriorem partem conuertatur, & quo pacto in contrariam coactum dirigi debeat. iussit autem, ut multiplex pannus inter latus & cubitum demitteretur, ne humerus attingat latus, sed in medio spacium sit, quo compulsus habena ad pectus adducente minime deprauetur, quum natura in exteriorem partem spectans ad interiorem conuersus dirigitur.

## De pede & manu. E

*Pes hominis ex multis minutisque ossibus constat, quemadmodum & manus.* 8

Similitudinem quandam habent inter se totius cruris & brachij partes. qualis enim est humerus in
brachio, tale est in crure femur: quale item in brachio est id, quod est inter cubitum & manum, tale in
crure id, quod inter genu est & pedem: reliqua uero pars, scilicet manus, pedi respõdet. Ceterum ma-
nus apud græcos proprium nomen non inuenit distinctum a toto brachio, sicut pes, qui nomen ha-
bet distinctum a toto crure, quare Hippocrates merito pedem simpliciter πόδα uocauit ἄκρον uocabulo
non adiecto: manum uero non uno uerbo expressit, sed χεῖρα dixit, quod brachium significat ἄκραν ad-
ijciens, quo extremum notatur. Sed satis dixi de usu nominum, uenio ad res. Ijs, quæ superius tracta-
uit, proximus erat sermo de manu. ipse uero non tantum agit de hac, sed etiam de pede, sermonemque
de ipso dilatat, quòd maiorem diligentiam requirat. Dicit ergo utramque partem ex multis minutisq;
ossibus constare. nos autem adiungimus & duris, quandoquidem medulla carent, caua minimũ sunt,
& a lapillis paruis non abhorrent. Simile igitur est totum brachium toti cruri, atque itidem unius ex-
tremum extremo alterius. qualis enim in manu primæ palmæ pars est, tale est in pede id, quod inter ta
los est & plantam. tum qualis in manu palma, talis planta in pede est. similitudo autem, quæ inter digi-
tos est, uel me tacente, clara est. præter hæc in pede sunt ossa iuxta calcem, atque idcirco de pede plu- F
ra uerba facit, quàm de manu. quæ quidem pes habet, communia quoque ipsius manus primum enar-
rat, deinde illa subdit, quæ proprie ad pedem pertinent. Primam igitur palmæ partem complent octo
ossa, palmam quatuor. at singuli digiti ternis ossibus continentur, ut in uniuersum ossa manus septem
sint & uiginti. sed in pede quatuordecim sunt ossa digitorum. nam magnus digitus ex binis cõstat, plan
ta ex quinis. quocirca in utraque parte sunt decem & nouem. Totidem in manu palmam & digitos ex-
plent, quum planta uno osse palmam excedat, ac digiti manus, pedis digitos æque uno osse exuperent:
quocirca, si utraque pars ad utramque conferatur, idem erit ossium numerus. Restant in manu ossa
octo, quæ primam palmæ partem constituunt: in pede autem ea pars, quæ inter talos & plantam sita
est, cum calce ac talo, quæ omnia ossibus octo continentur. Calcis autem os, omnium, quæ in utriusq;
extremitate sunt, maximum, sustinet talum & crus, ac prope corpus fert uniuersum, ubi stamus: a prio
ri autem parte committitur cum osse, quod a cubi similitudine κυβοειδὲς appellatur: perinde atque ta-
li caput, cum eo osse, quod, quia scapham repræsentat, σκαφοειδὲς dicitur, cum utroque horum iungun-
tur alia ossa quæ partem potissimum inter talos & plantam explent. Si quis autem uelit talum extremo
cruri reddere, idem erit ossium numerus in utriusq; membri extremitate, ita, ut docendi modo, non na
tura ipsa rerum inter se discrepent, qui uigintiseptem, & qui uiginti sex ossa pedis esse affirmant. erunt G
enim uigintiseptem, ubi talus non annumeretur cruris ossibus, sed sine hoc uigintisex. Recte igitur scri-
bit, pes hominis ex multis minutisque ossibus constat, quemadmodum & manus. agit. n. cum ijs, qui pri
ma elementa didicerunt, & incidendis corporibus operam dederunt, in memoriam reuocãs, quæ per-
ceperunt ad hunc locum facientia. quum non solum scite conueniat propositarum partium utrãque ex
multis duris minutisque ossibus constare, sed meminisse etiam habitus & magnitudinis singulorum, &
qua ratione cum proximis connectantur. quod positionem uocant, ut, ubi aliquod ex ossibus, quæ in
his partibus sita sunt, suo loco mouetur, prompte restituamus.

*Ossa hæc fere non rumpuntur, nisi acuta, uel graui quapiam re carnosæ partes uulnerentur. De uulneratis autem dice-* 9
*mus, ubi ulcerum curationem persequemur.*

Carnosas partes χρῶτα nuncupauit, quo uocabulo uocant Iones, quidquid in nostro corpore carno
sum est. cuius generis præcipue sunt, cutis, & musculi, tum membranæ ac uiscera. ossa uero cartiligĩne
& ligamenta χρωτὸς uocabulo non significant. ad hoc etiam exemplum uidetur usurpari ab Homero,
quum corpus χρῶτα uocat his uersibus.

Semper erit firmum generi ipsi corpus, & acre.

Et iterum. H

Ne flens ipsa sibi corpus laceraret honestum.

Propositarũ igitur partiũ ossa ait, fere nõ perfringi sine ulcere. illud. n. nisi carnosæ partes uulnerenť,
idem sibi uult, quod sine ulcere. nihil aũt interest, quod ad hunc locũ attinet, ulcus ne an uulnus nomi-
netur. atqui carnosa pars extremis membris minima est, plurima autem in humero & femore. Ea igitur
tota facile lædiť, ubi externum aliquid super manum uel pedẽ incidat, quod frangere aliquid possit ex
ipsorum ossibus. Abrũpitur aũt os quatuor de causis maxime generalibus. super ipsum enim uehemen
ti impetu incidit aut aliquid cõterendi uim habens, quod plane necesse est natura durum esse, & mole
non exiguũ: aut aliquid, quod non tantum cutẽ, & quæ inter cutem sunt & ossa, sed hæc quoque seca-
re possit. quem morbũ Hippo. in libro de uulneribus capitis ἕδρην, quasi desessionem appellat: nonnul
li etiã ob saltũ ex altiori loco fregerunt tibiæ, uel femoris os, q̃ sicciora his essent, & nõ ita densa: uide-
mus item in palæstra cõminui os κατὰ περίπλοκον, hoc est, ubi tibia una cum sura perfringitur, & præter
fracturam, uulnus quoq; magnum accedit, atq; ossa nudantur. quod fracturę genus accidit, cũ luctantis
membrũ cruri ipsi transuersum subijcitur, atq; utrunq; eius extremũ, tam quod a genu, q̃ quod a pede
est, deorsum uersus cogiť. Euenit hmõi tale lignis, quæ nos de industria rumpimus. imposita. n. super
utrũq; femur obliqua, & manibus ab utroq; extremo in inferiorẽ partẽ coacta effringi media uidemus.

Quemadmodum

A 

Quemadmodum igitur, neque magnum lignum, neque ualidū, sed paruum & infirmum hac ratione frāgitur, ita, cum os infirmum natura fuerit, medium sub propositis palæstræ generibus perrumpitur. At ossa, quibus extrema membra cōtinentur, sub huiusmodi palæstræ generibus, siue ex superiori loco saltātes deorsum ferātur, & in terram incidant, siue pes uehemēter conuellatur, non facile rumpuntur. his enim ictibus frangūtur ligamenta ossium magis, quàm ipsa ossa. cuius causa est, eorum nō tam exiguitas, quàm durities. sed neque externa, quum magna ui super incidūt, possunt hæc ossa facile perfringere, nisi duriora illis sint, & grādia. at quod tale est, neque carnem inuiolatam relinquit, quemadmodum nec ictus ab acuta re. nam & hic priusquam attingat ossa, quæ ipsis superiniecta sunt discutit. Quare merito dixit ossa hæc fere non abrumpi sine ulcere.
B sed quoniam in sequentibus seorsum de fracturis aget, quibus carnis quoque uulnus accedit, hæc ad eum huius libri locum reseruauit.

10 *Siquis erumpat ex digitorum articulis, uel aliud quidpiam ex ijs ossibus, quibus continetur pars pedis, quæ inter talos & plantam est, compellere singula in suam sedem oportet, quemadmodum in manu.*

Quod ait, quemadmodum in manu, accipiendum est, non quasi aliquid præfatus sit de ossibus, quæ in manu sita sunt, sed quasi ita scripserit, singula ossa pedis in suam sedem compellenda sunt, id, quod etiam fieri debet in manu. Compellere autem Hippocrates dixit ἀναγκάζειν, uel, ut alia exempla habent καταναγκάζειν, quod idem sibi uult, ac si dicat, os suo loco motum restituere. mouetur autem, ubi ligamenta, per quæ cum proximis annectitur, abrumpuntur. non tamen abrumpuntur omnia ligamenta, quæ prolapsum os in orbem comprehendunt. raro enim id ex toto accidit. in quo casu os, quod ita læditur, suam sedem relinquens ad cutem prorumpit, præsertim quibus ea laxior est, ita, ut ossi, quod prolabitur, parum renitatur. ea uero de causa fere non solet os, quod mouetur, in inferiorem partem pedis excidere, quia cutis, quæ pedi subiecta est, crassa est & dura: quod uestigium uocatur. adde, quòd, quæ pedem feriunt, plerunque a superiori parte super ipsum cadunt. Ergo hac una uia os, quod suo loco mo-
C uetur, in inferiorem partem excidet, scilicet, quum ex superiori loco quis saltauerit super rem aliquā, quæ eminentias habeat admodum asperas acutasve. Quæcūque igitur undique prorsus resoluta sunt, ubi sua sede mota in superiorem, uel inferiorem pedis regionem ueniunt, ægre reconduntur: siquando autem (quod raro accidit) recondantur, semper magno negocio in sua sede seruantur. namque, ubi os rursus uehementer moueatur, nihil erit, quod ipsum contineat, utpote solutum ligamentis, quibus alligabatur: quæ si non fuerint ex toto abrupta, sed aliqua ex parte integra, sicut euenit, quibus procidere solet, distendentes totum pedem urgebimus.

11 *Tum cerato mederi pannis fascijsque, non secus atque ubi frangitur, excepto quòd omittendæ ferulæ sunt, eodemque modo adstringere, ac tertio quoque die alligare. is autem, qui deuincitur, similiter atque in fracturis adstringi se respondeat, uel laxari.*

Qualem curationem ad fracturas tradidit, talem nunc ad ossa, quæ extremis membris mouentur, præcipit adhiberi. Primo, siquidem extendere conuenit, ad hoc, ut ossa, quæ prolapsa sunt, in suam sedem compellantur: tum, ubi reposita fuerint, deuincire, consilio ad idem directo. propositum enim est membrum ab inflammatione, tueri, & sub linteis adstringere, continereque os, quod restitutum est. In
D superioribus autem ostensum est hæc nullo modo recte fieri posse, nisi sanguis, qui in affecta sede subsistit, ad summum atque imum membrum depellatur, prohibeaturque, quo minus alter concurrat. Hæc itaque, si in memoria habeantur, spectantes uniuersam uinciendi rationem fracturis idoneam inueniemus, quam hic utendam dixit, nisi quòd ferulæ non debent circundari. quandoquidem loci natura eas non patitur. nam partes quibus ferulæ inijciendæ sunt, æque planæ esse debent, cuiusmodi non est ea pars pedis, quæ inter talos & plantam sita est.

12 *Omnia hæc uiginti diebus perfecte ad sanitatem perducuntur, nisi, quæ cum cruris ossibus iunguntur, uel ex eius regione sita sunt. interim uero iacere conuenit, non tamen id sustinent, qui morbum paruifaciunt, sed ingrediuntur priusquam conualescant, eoque fit, ut plerique non bene sanentur, sed subinde languoris sensu aliquo tententur, atque id quidem non iniuria. ferunt enim pedes onus corporis totius. Vbi ergo nondum conualuerunt, si inambulant, articuli, qui moti sunt, male confirmantur, atque hac de causa subinde ossa dolent, quæ cruri iunguntur. Porrò quæ cruris ossibus iunguntur, ceteris maiora sunt & cum mouentur, longiori tempore confirmantur, sed medendi ratio eadem est.*

Cruris ossa intelligit tam suram, quàm tibiam. uolens autem significare e regione, κατ' ἴξιν dixit, quā loquutionem sæpius uarijsque in locis usurpauit. sed & paulo inferius eadem ter ex ordine utitur, de crure pertractans, quum ait, femoris enim caput superius corpus fert. id autem ab interiori cruris parte situm

te situm est,at non ab exteriori,sed e regione tibiæ,tum quia pars altera corporis e regione huc propius accedit,quàm ad exterius os.adde,quod os interius plenius est,quàm exterius, non secus atque in brachio,ubi os,quod e regione minimum digitum spectat,tenuius est,& longius. A

*Pluribus autem fascijs,pannisque utendum est.* 13

Vt ossa,quæ reposita sunt,suo loco maneant,solent tum fasciæ,tum panni circumdari,præsertimque cum loci inæqualitas alligari ferulas non finit.

*Fere autem hinc atque hinc uincire conuenit,adstringereque,sicut cetera omnia ea parte potissimum,qua os prolapsum est,primumque ibi fascias circumagere.* 14

In prioribus imperauit,ubi fractum os in aliquam partem conuertatur,si ad dextram inclinet, ut ad sinistram adducatur: si ad hanc spectat,urgeatur ad dextram. At ubi alligare pedem oportet, in neutram partem debet uinculum inclinari,quum ossa,quæ sua sede excidunt, non ad latera,sed ad superiorem,uel inferiorem partem conuertantur.

*Quotiescunque uinculum soluitur,multa aqua calida fouendum. in omnibus autem,quæ iuxta articulos sunt affectibus liberaliter calida aqua perfundenda est.quod ad laxandum uel adstringendum pertinet, ijsdem temporibus eadem indicia se ostendant,quæ in superioribus:resoluere item,& rursus deligare similiter expedit. Hi autem quadraginta diebus ex toto conualescunt: præsertim, si iacere sustinent, sin minus, in eadem mala incidunt, quæ superius posita sunt, atque etiamnum grauiora.* B 15

Quum leniendus dolor est,& corpora,quæ adstricta sunt,laxanda,tūc præcipit,ut multa calida aqua perfundatur.id potissimum accidit in affectibus articulorum,quum hæ partes ossibus magis, & neruis contineantur. Adstringuntur igitur sub inflammatione,& magis dolorem sentiūt,quod magis neruosæ sint.Appellauit autem affectus, σίνεα, quoniam affici σίνεσθαι dicit.

## De calce.

*Quicunque ex superiori loco saltantes,calci uehementer insistunt, his ossa diducuntur,uenæ sanguinem effundunt,carne circa os attrita,tumor magnus oritur,& dolor.hoc enim os exiguum non est,extatque e regione sub tibia.* 16

A.l.4.c.6.t.1. c.18.p.911.B

ἐκχυμοῦσθαι dixit uenas,significare uolens effundere succum, quem continent,nempe sanguinem, quod fit,quum colliditur earum tunica.corpora enim,quæ colliduntur,naturalem unitatem amittunt, quum pluribus exiguisque partibus diuellantur,quibus sanguis suffunditur. Hunc igitur effusum sanguinem recipiunt loca,quæ uenam cingunt,quibus non seruatur,qualis recipitur: tempore siquidem nigrescit,perinde atque ubi extra corpus effusus diu manet: concrescit insuper, quam rem græci θρόμβωσιν appellant.hinc factum est,ut sanguis propterea,quòd concrescat θρόμβος iam,& dicatur,& sit. prius autem nigrescit,deinde redditur admodum putris. Atqui non possunt grauissima hæc accidere sanguini, qui a uenis in corpore funditur. namque, ubi natura uincit,hunc non secus mutat,atque alium, qui in inflammatione suppurante continetur,uertitque in pus. Ad hoc autem & partium natura sanguinē superet,duo obseruanda sunt,alterum,ne inflammatio corpori superueniat,id qua ratione fiat, supra habuimus: alterum,ut sanguis,qui effusus est,detrahatur. In hæc itaque incumbens Hippocrates omnia,quæ subijciuntur,præcepta sigillatim tradit. Diducuntur(inquit)ossa his,qui ita saltant,abruptis nimirum ligamentis, quibus ipsa nectebantur,sicut paulo supra de ea parte, quæ inter talos & plantam est,dicebamus. iungitur autem cum calce a superiori parte talus, a priori id os,quod a cubi similitudine græce κυβοειδὴς uocatur, sicuti cum talo a priori parte id ossis cōmittitur,quod a scaphæ similitudine σκαφοειδὴς græce nominatur. cum utroque autem horum,scilicet cum eo,quod cubum & cum eo, quod scapham refert, quatuor ossa, quæ inter talos & plantam sunt, committuntur. omnia autem hæc ossa tam manus,quàm pedis in commentario de ossibus exposita sunt. C

*Coniungitur item uenis & neruis grandioribus,posteriorque chorda huic ossi innectitur. Hos igitur curare oportet cerato pannis fascijsque: ad hæc calidam aquam large infundere,fasciarumque numerum augere,tum alijs uti optimis præsidijs,ac maxime lenibus.* D 17

Coniungitur,inquit,os calcis neruis quos nominat ἐπικαίρους,id est, grandiores,tum uenis non paruis. Innectitur item huic ossi posterior chorda,quæ diducitur a musculis, qui siti sunt in parte cruris, quæ carnosa a posteriori parte prominet. De his autem abunde diximus,tam in eo libro,qui de corporum,quàm in eo,qui de musculorum incidendorum ratione est. ea autem tenere ad unguē debet, qui assequi uult,quæ nunc ab Hippocrate traduntur.

*Quòd si cutis,quæ calcem tegit, naturaliter tenera est,relinquenda est,quomodo se habet: sin dura & crassa, qualis in quibusdam conspicitur,æqualiter succidenda est,atque extenuanda,non tamen uulneranda.* 18

Propositis uitijs circa calcem,atque adiunctas partes periculum est,ne ingens dolor atque inflammatio non modica superueniat. huiusmodi enim partes ossibus continentur,non quibuslibet, sed ualde minutis,ita,ut uel leuis inflammatio magnum dolorem possit comprimendo excitare.chordæ uero, quo calci a posteriori parte innectitur,cum grandior sit,ubi inflammatur,periculum erit,ne neruorum distentio superueniat.quin & cum hac parte iunguntur multi nerui,qui ossa contingunt, quod in libro de incidendis

A de incidendis neruis ostendimus. Reliqua igitur uniuersa curatio diligentem animaduersionem requirit; & quod ad uictum tenuem pertinet, & quod ad modum calidæ aquæ perfundendæ. sed & cutis, quæ pedi subiecta est (ἴχνος græce dicitur) incidenda est magna cum moderatione. ubi dura est, altitudo plagæ debet duritiei altitudinem æquare. occalescit enim quibusdam, ita, ut ne paululum quidem sanguinis fundat, nisi scalpellus alte admodum demittatur. Illa igitur secanda est, quæ sanguinem nõ fundit: quæ uero statim cruentatur, relinquenda est. nam, si secetur, dolet. At neque in illa, quæ dura est, quouis modo, sed æqualiter incidere conuenit, id, quod ex ipsa cute durum est. spectare autem tria debet, qui æqualiter incidit. primo, longitudinem sectionis, deinde altitudinem, tertio, interuallum. sectiones autem æque longæ, atque altæ sint, oportet, & æque inter se distantes, ut uniuersa cutis, quæ pedi subiecta est sine tormento inflammationis tempore similiter distendatur. Constat autem omnem inflammationem distendere, quodque distenditur dolere, atque idcirco inflammationem augeri, & neruorum distentionem excitari. Quemadmodum igitur liberalis aquæ calidæ perfusio, cui oleum copiose sit adiectum, saluberrima est, ita etiam secandam cutem duxit scalpello eatenus alte demisso, ut hæc minime cruentetur. utiliter autem excogitauit huiusmodi sectionem. quando quidem in alijs partibus, ubi uehementer inflammantur, cogimur cutem scalpello exasperare: partim

B educentes aliquid eius sanguinis, qui in inflammatione superat: partim expirationem efficientes: partim laxantes, quæ sub inflammatione distendebantur. At in pede inflammatione nondum orta festinabimus ad cutem incidendam, eo quòd durissima sit. ubi uero talis est, nequit sub inflammatione amplius extendi. quam ob rem dolebit hæc, & uehementissime premet intentione quadam proximas partes, præcipueque latam chordam, quæ illi iuncta est, cuiusque initium est ex fine unius ex musculis sitis, in posteriori parte cruris, quæ carnosa prominet. Igitur, ubi hæc dolore, atque inflammatione tentetur, periculum est, ne totus musculus eadem sentiat. id si accidat, neruorum distentionem sequi uerisimile est. Ob hæc itaque omnia cutem, quæ sub pede est, secare, ut dictum est, conuenit, deinceps, ut retulit, extenuare, hoc est, tenuem reddere. id autem fiet, si molliatur ipsius durities, & multitudo exhauriatur. Ad hæc ambo ualet oleum, & aqua calida, si copiose infundatur: a perfusione uero priusquam uinculum detur, olei, quod nullam adstringendi uim habeat, inunctio.

19 *Hæc bene alligare non cuiusuis est. nam si quis uinciat eo modo, quo cetera circa talos uinciuntur, fascia modo ad pedem data, modo ad ipsam chordam, circumacta fascia compressio, calcem, qua ictus fuit, expellet.*

Dictionem, bene, ἀγαθῶς dixit, sæpe enim ab alijs ueteribus ita usurpatur. præcipit autem, ut uitia,

C quæ circa calcem sunt, uinciantur ea ratione, qua fracturæ, eos reprehendens, qui eo modo deligãt quo deligare sæpius consueuimus, ut medicamenta, seu cataplasmata, seu quædam ex perfusione madentia, ea parte teneantur. uinciendi modus, quem damnat, sic se habet.

A. initium fasciæ
B. decussatio ad figuram X, literæ.
C, circumuolutio iuxta malleolum




Fascia ab altera parte talorum orsa, obliqua fertur a priori parte extremi cruris, qua talus extat, quem ἀστράγαλον uocant, inde transuersa sub pede demittitur, eoque circundato usque ad contrariam partem obliqua rursus inferne sursum procedit ad priorem partem tali, sicque inijcitur, quemadmodum ante. At ubi ita circumeat, necesse est in priori parte pedis sibi occurrat, & X. literam repræsentet, inde in orbem circa talos data eo redeat, unde incepit, sic autem iterum circumagitur, ita, ut eodem reuertatur, tertioque similiter uoluta rursus ad suum initium redit, atque inde rursus circa talos porrigitur.

Verum alij, ubi transuersam sub pede fasciam dederunt, non protinus obliquam sursum attrahunt ad talos, sed ante per superiorem partem pedis in orbem ipsam adducunt, quemadmodum alij in orbem circa talos, sic, ut obliqui circuitus ab ijs, qui in orbem sunt, comprehendantur. Hæ quidem uinciendi rationes usitatæ sunt, sed ad proposita uitia minime accommodantur, quòd ante fascias nihil ibi imponatur, quod illis continendum sit neque calx uitio uacet, sicut in eo casu, qui illas requirit, sed ipse primo læsus sit. quare proposita uinciendi ratio, quum ad calcem sanguinem exprimat, ipsum expellit. at contrarium fieri debet. sanguis enim a calce ad partes, quæ iuxta sunt, per uinculum expellendus est: quam rem ea duntaxat uinciendi ratio præstat, quæ ad fracturas pertinet quam supra demonstrauit, eadem igitur nunc utitur.

A. initium fasciæ.
B. circumuolutio in orbem circa plantã.
D C. decussatio.
D. circumuolutio iuxta malleolum.




20 *Atque hoc pacto periculum est, ne os calcis corrumpatur.*

Corrumpatur dixit σφακελίσαι: nam, quum pars ex toto corrumpitur, ueteres dicere id uitium solent σφάκελον, quod, ubi carnosis partibus accidit, alijs nominibus appellant. Vocat item Hippocrates carnem, quæ putrescit, σαπρὰν, μυδῶσαν, σηπεδόνα, atque alijs etiam num uocabulis. At ubi os ex toto corrumpitur, σφάκελον usurpat, quod uitium ossibus accidit, ubi a superiecta carne perniciosa sanies profluit, quæ hæc ipsa irrigando corrumpit.

Quod

*Quod ubi corrumpitur, morbus æuum durat.* E 21

Apertius dixisset totam ætatem hominis. habet autem ipsius oratio hanc mentem. si quando calx corrumpatur, casus curationem non recipit, quodque ex eo sequitur malum, totam ætatem hominis durat.

*Nam alioquin, ubi calx hoc modo non corrumpitur, sed quòd nigrescat, quia dum homo iacet, negligenter habitus sit, uel quia crus iamdiu graue uulnus acceperit, quod calx etiam sensit, uel uitiati femoris, aut alterius affectus causa diu iacuerit, diuturna tamen res est, & molesta. tum subinde recrudescit, nisi summa diligentia, & longa quiete attendatur. Quare quæcunque hoc modo corrumpuntur, præter aliam noxam, corpori summum quoque periculum afferunt.* 22

Calcis os (inquit) non modo ex propositis affectibus uitiari solet, sed ex eo, quòd calx diu iacuerit (quam rem ὑπτιασμὸν dixit) nigrescit sæpe, quando negligenter fuerit collocatus. id autem euenit, ubi super quapiam re dura continetur, neque subinde attollitur: sed ijs, quæ subiecta sunt, continenter calefit, premiturque. Quocirca attollendus est, mutandusque orbiculus ex lana molli, quē nonnulli ex græcis τρόχον dicunt. eius autem cauum respondere debet magnitudini calcis, quo orbiculo ita calx fulcitur, ut imum eius attollatur, ne comprimatur: ne incalescat, ne expirare prohibeatur.

*Sequuntur enim febres acutæ admodum, continentesque, cum tremore, singultu, mentis alienatione, quæ paucis diebus hominem præcipitant.* F 23 A.l.4.f.&.l.23.c.18.

Hæc fieri inquit, ubi calx corrumpitur, non ea de causa, quia os alienatur. ipsum enim, si per se circūscribatur, nullam superiorum partium afficit, sed quia ad partes, quæ ipsum cingunt, ipsique alligantur, eius uitium pertinet, idcirco superiores quoque corporis partes lædūtur. Chorda igitur, quæ calci innectitur, ubi inflammatione teneatur, musculos quidem posterioris partis cruris, quæ carnosa prominet, propter consortium afficiet, quum ab ipsis oriatur. quibus musculis affectis, nerui, qui per eos distribuuntur, prompte læduntur, quemadmodum & arteriæ, per quas cor noxam sentit, sicut per neruos cerebrum. Sed quoniam cor innati caloris fons est, cerebrum uero per se rationis domicilium habet, & per musculos partes mouet motu, quem uoluntarium dicunt, consequens est, ut propter cor febris oriatur, mentis alienatio, propter cerebrum, tremor, neruorumque distentio, propter musculos, singultus, propter stomachum, qui plurimum neruosus est.

*His accedunt, uenarum sanguinem fundentium liuor, nausea, gangræna. causa compressio est. possunt hæc alioquin incidere, etiam si nihil corrumpatur. Hactenus de ijs, quæ superueniunt, ubi ictus uehemens admodum fuerit. pleraque tamen leuiter colliduntur, neque ita magnum studium & diligentiam exigunt, sed curari nihilominus recte debent. quod si casus uideatur asperior, [fulcire oportet,] aliaque efficere, quæ proposui.* 24 G Auic. ibid.

Sanguinem fundentes intellexit uenas grandiores, quandoquidem his diuisis sanguis effunditur, quod exiguis uenis non accidit. parum enim ab his sanguinis profluit, celeriterque citra noxam in oris plagæ concrescit. Nauseæ nomen duxit a nauseantibus, atque ea de causa uomentibus, quam appellauit ναυτιώσιν, cum Iones ναυσίην, id est, nauseam sic appellent. ac fere, quod ante dixit ἀσχαλισμὸν, uocat nunc ναυσιώσιν, ubi uenæ sanguinem expuunt, & quasi uomunt: tum sua imbecillitate, quam inflammatio attulit: tum multo uitiosoque sanguine oppressæ, quem constat sub huiusmodi affectibus uitiari. Gangrænam uocauit, quum uenæ ex ingenti inflammatione emoriuntur. quorum omnium causam esse affirmat alienam uinciendi rationem, quæ duplex caput habet: unum, quòd calcem non comprehendit, sed nudum relinquit: alterum, quòd partes, quas complectitur, arctius adstringit. Diligentiam expressit uocabulo μελέτης. sic enim ab Ionibus appellari solet, & ab ipso sæpius nominatur.

*Fasciamque maxima ex parte ad calcem dare, & modo circa extremum pedem, modo circa medium, modo etiam circa crus obuoluere: tum, quæ his proxima sunt, hinc atque hinc omnia cōprehendere, quemadmodum supra ostensum est, neque arcte admodum alligare.* 25 H

Vinciendi rationem probat contrariam illi, quam supra damnauit, quæque apud multos in usu est, sub qua sanguis ex alijs partibus pedis ad calcem transmittitur. debemus enim superantes succos, a calce ad alias partes depellere, hunc uincientes, quomodo supra ad fracturas docuit, fasciamque maxima ex parte ipsi obuoluentes, non tamen nimis arctantes.

*Sed linteorum numerum augere.* 26

In superioribus etiam indicauimus Hippocratem uelle, ut uinculi firmitatem, uel fasciarum numero moliamur, uel arctius adstringendo.

*Maxime item ad rem pertinet ueratrum eodem die epotum, uel certe posteriori. præterea tertio die resoluere, & rursus deligare.* 27

Veratrum potui præstat, non eo nomine tantum, ut quæ supersunt, purget, sed & in aliam partē auertat. constat autem dari ab Hippocrate album, quod uomitum excitat, & a toto corpore materiā in uentriculum auocat, priusquam ad intestinorum sinus deducatur. quod autem album intelligi debeat, plane licet

A ne licet ex sequentibus colligere. Inquit enim: sed si homo uacat febre, per superiora conuenit purgare sicut dictum est: Quod igitur ea, quæ superant, utiliter educantur, quodque ad contrariam partem, atque affecta est, materiam depellere magnum momentum habeat, euidentissime apparet: at num albo ueratro moliri id expediat, nondum est manifestum. strangulare enim interdum solet, ubi redundat in corpore glutinosus succus, aut crassus. quocirca hic prius dissipari debet uictu extenuandi uim habẽte, de quo totum librum composuimus. Fallacissimum ergo est ueratrum dare, antequam corpus uictu præparetur, quum sæpius non facile sit, ut quales corpori supersint succi, dignoscantur. Hippocratis sæculo ueratrum album fortasse tuto sumebatur ob rationem uictus eorum hominum, qui curabantur, qui uitæ genus non ociosum sequebantur, aut intemperans, sed laboriosum, paucisque alimentis erãt contenti, sic, ut crassos succos nulla ratione contraherent. neque enim nos latet fieri hos, cum ocio, tũ abundantia. Quòd si uim æstimaueris corporum eius sæculi, quam ex eiusmodi uictu comparabãt, magis adhuc dari ueratrum permiseris. quum, quæ uomitus affert incommoda, ferre homines illi facile potuerint.

28 *Ex eo autem intelligitur, futurum necne sit, ut hi affectus recrudescant. namque, ubi sanguis a uenis transfusus, nigrities, & quæ his proxima sunt, subrubicunda sunt, & subdura, periculum est ne recrudescant.*

A.l.4.f.6.c.1. c.18.p.911.B

B Malos affectus, qui recrudescunt, uocat παλίγκοτα, & παλιγκοτεῖν dicit, quasi mala rursus fieri. Docet autem quibus indicijs cognoscantur propositi affectus, quando futurum est, ut rursus mali fiant. Quæ indicia ad superuenientem inflammationem spectant, quam in primis cauit, ne oriretur. Quælibet igitur inflammatio rubicundiorem dutioremque cutem efficit, quorum neutrum opus est affectis partibus. mollis enim esse debet, ac subuiridis sanguis a uenis transfusus. hunc enim uoluit citra inflammationem suppurare. quare, si membrum molle sit, & non rubeat, inflammationem abesse demonstrabit. suppurantis sanguinis indicium erit carentia utriusque coloris, ruboris scilicet & nigritiei. nam, ubi ruber est, inflammari: ubi ex toto niger est, neque superari, neque concoqui se a natura denunciat, sed cõcretum esse. Hoc enim ipsi accidit, ubi diutius extra uenas maneat, etiam, si in corpore contineatur, siquidem in eo casu nunquam in pus uertitur. Contra, si natura in corpore superet, uertitur in pus, si ea uincatur, putrescit, non secus, ac ubi extra corpus est, atque adeo magis, quum in calido loco retineatur.

29 *Sed, si homo uacat febre, uomitu purgetur, sicut dictum est: idem conuenit, si febris sit, sed non continua: ubi ea non intermittat abstinendum a purgatione, a cibo & sorbitione, aqua potui danda, uitandum uinum, sed non ὀξύγλυκυ.*

C Purgare φαρμακεύειν dixit. consueuit enim Hippocrates usurpare id uocabulum, non ubi quæuis medicamenta adhibet, sed solum, ubi purgantia. præcepit autem, ut ueratrum eodem die detur, uel posteriori, priusquam inflammatio in affectis partibus oriatur, atque homo febriciter. sed, si febris præuenerit: siquidem leuis est, ueratro nihilominus utitur, nos uero neque integro homine dare ueratrum audemus: si uehemens, id præsidium omittit, sed maximam abstinentiam imperat, non cibo, non sorbitione utens, solam potionem adhibet, neque hanc uini, quod licet nusquam posuisset, fugiendum esse manifestum erat. permittit autem, ut æger ea potione utatur, quæ dicitur ὀξύγλυκυ, uel etiam mulsa. hæc enim potui præstat in tenuissimo uictu, & tertium ad hæc oxymel, quod ex mulsa, & aceto constat. sed ὀξύγλυκυ fauos habet dulcissimos maceratos, atque incoctos, sicut etiam nunc in Hellade componitur, cuius ratio est. Faui expresso melle in ollam conijciuntur, in qua pura aqua sit: tum inferuent, donec omnem prorsus humorem in aqua posuisse uideantur. is autem humor reponitur, seruaturque, & æstiuo tempore bibitur ad sitim tollendam, frigida aqua dilutus. Hac ergo potione nunc utitur Hippocrates, si ea non est, sumere mulsam licet. sed oxymel, ubi neruosæ partes uitiatæ sint, alienum est. aceto enim tentantur, quam rem & usus docuit, & ipse demonstrauit. quibus uero idoneum sit oxymel, ostendit in libro de ratione uictus in morbis acutis, quem male nonnulli inscribunt, In Cnidias sententias, nonnulli, De ptissana, neque etiam hi recte.

D

30 *Sed si nullum periculum est, ne recrudescant, sanguis suffusus, nigrities, proximæ partes subuirides sint, & citra duritiem.*

Vis horum uerborum exposita est in eo sermone, ubi inquit, namque, ubi sanguis a uenis transfusus nigrities, & quæ his proxima sunt, subrubicunda sunt & subdura, periculum est, ne recrudescant: illis enim, scilicet subrubicundis & subduris, nunc opponit subuirides, & sine duritie. fiũt enim subuirides, ubi paulatim in pus uertuntur: duritie carent, propterea quòd inflammatio non est admodum uehemens. id enim causa fuit, quamobrem effusus sanguis uerteretur in pus.

31 *Quod idoneum testimonium est, ubicunque sanguis transfunditur metuendum non esse, ne malum recrudescat.*

Idoneum dixit ἀγαθὸν, quasi certum stabile, uerum, perpetuum. testimonium posuit pro signo, siquidem testis est, nobisque opinionem facit eorum, quæ ab Hippocrate propositis uerbis tradũtur. Inquit igitur positum indicium certum esse, ubi sanguis suffunditur, non solum in calce, sed in ceteris partibus etiam, idque iure, quum non ex partium indicatione, sed ex ipso sanguine transfuso intelligatur.

Malus autem transfusi sanguinis affectus, non par affert periculum. differt enim pro natura partiũ, E
quibus suffunditur. Prouenit tamen periculum non ex ijs partibus, sed ex sanguine suffuso, qui in pus
non uertitur. quominus in pus uertatur, prohibet ingens inflammatio, uel sub aliena uinciendi ratione
orta, uel ob succos, qui, aut copia sui male habent, aut corrupti sunt. quibus Hippocrates succurrit pur
gatione per medicamenta, nos per uenæ sectionem, miramurque ipsum hac sola contentum nõ fuisse,
quum hoc præsidium nouerit, atque ad huiusmodi casus adhibuerit. siquidem in libro de articulis in-
ter alia, quibus opus esse censet ad costas collisas, uenam incidi in cubito iubet.

*Sin dura sunt, & liuent, nigritie pe riclitantur.* 32

Sanguis etiam, qui super terram funditur, interdum diutius conseruatur, modo magis flauus fit, mo-
do in nigriorem, modo in euidenter atrum conuertitur. uerisimile autem est ab aere, in quo contine-
tur, sereno, nebuloso, humido, sicco, calido, aut frigido uarie colorari. Præcipua uero causa uarietatis
colorum consistit in ipso sanguine, qui uarius est, sicut in singulis hominibus conspicitur, uel ad atram
bilem magis, uel ad flauam seu pallidam, uel ad pituitam accedens, uel etiam aquosus. Id quod illi etiã
accidit in animalium corporibus. namque a uenis transfusus in uarios colores conuertitur, & ubi non
superetur, & ubi a partibus, quæ ipsum continent, in pus uertatur. Merito autem hoc tempore liuidus F
apparet. color enim liuidus illis interiectus est, qui nigri penitus sunt, & qui floridum colorem habent,
qualis præsertim est rubicundus, & flauus. sed & hic color, liuidus inquam, a colore florido recedens,
ad nigrum accedit, qui apparere etiam solet, ubi, quæ nigra sunt, dum suppurant, inalbescũt. Sæpe enim
uidere licet, quæ nigra sunt, quum incipiunt uerti in pus, liuida se ostendere: tũ paulatim nigritie amis-
sa ad ignis colorem accedentia, albidiora euadere. est enim pus cinerei coloris. Indicat ergo Hippo-
crates nunc discrimen in eo sanguine, qui transfusus liuidum se ostendit. nam, si cum duritie sic appa-
reat, partes inflammatione tenentur: si sine duritie, inflammatione uacant. quæ inflammatione carent,
naturam robustam demonstrant, & sanguinem concoquendum esse, & in pus uertendum: at inflamma
tio naturæ infirmitatem indicat, quæ ob inflammatarum partium imbecillitatem, & multitudinem ma-
li succi subsistentis, transfusum sanguinem, nec cõcoquere potest, nec in pus uertere. Sequitur itaque,
ut nigrescat & corrumpatur.

*Pedem uero expedit ita collocare, ut reliquo corpore plerumque paulo sublimior habeatur, sanescit autem sexaginta diebus, si quiescat.* 33

Si pes humilior sit, sanguis, qui ex crure ad ipsum confluet, inflammationem excitabit: si sublimior, G
nihil confluet. atque idcirco sublimior omnino continendus est, non tamen multo. dolet enim, si diu-
tius hac ratione contineatur. quæ uero dolent, in inflammationem incidunt. Sublimiter ergo figurã-
dus est, quatenus non doleat. hoc aũt comperies. si tendi pedem senties, ubi paulo altior contineatur.

## De crure.

*Crus binis ossibus continetur, quorum alterum altero ab una parte multo, ab altera paulo tenuius est.* 34

Verba hæc, quibus crus appellat κνήμην, eorum confirmare sententiam uidentur, qui uolũt brachiũ,
humerum, tibiam, & femur, uocari ab Hippocrate, non totum id, quod compositum ex ossibus & par-
tibus superiectis est, sed sola ossa. At reuera ex his ipsis uerbis colligitur, non hoc modo, sed illo etiam
accipi posse. quare nomina hæc, quibus utitur, duobus modis accipere licet, sicut accipiunt, qui ea re-
ferunt, modo ad ipsa ossa tantum, modo ad ossa simul & partes, quibus ossa superconteguntur, sic, ut
κνήμη appelletur id, quod inter pedem est, & genu. Duorum autem ossium, quæ in ea parte sita sunt, al-
terum scilicet tibiam græce appellari κνήμην, reliquum scilicet suram, περόνην: ad hæc tibiam pleniorem
esse, suram uero tenuiorem, ac medium, quod minime carnosum, & per uniuersam hanc partem a sum
mo ad imum in longitudinem fertur, & in his, qui graciles sunt, conspicitur (græce ἀντικνήμιον hoc est H
anterior tibiæ pars uocatur) tibiæ partem esse, non suræ, atque alia, quæcunque ad ossa pertinentia sci-
re licet, omnia exposuimus in libro quem de ossibus confecimus, ad eos, qui primas institutio-
nes addiscunt.

*Hæc ad pedem inter se iunguntur, communemque appendicem habent.* 35

Communem non debemus ita accipere, quasi continuam, atque omnino unam, sed quasi utriusque
appendices inter se iungantur, & unius tantum opinionem faciant. ita enim inter se conueniunt hæ
appendices, ut una esse uideatur. extremæ uero earum partes rotundæ, qua carne nudantur, non recte
a quibusdam talus nominatur. perpetua enim chorda talum continet ab interiori parte, qui ab hac te-
ctus nec uisu comprehenditur, nec tactu.

*Sed recta in crure dehiscunt.* 36

Dehiscunt proposita duo ossa recta in crure, hoc est, in longitudine cruris non se contingunt, neque
inter se connectuntur.

*Ad femur autem iunguntur, & appendicem habent: appendix uero discrimen.* 37

In commissura genu, caput tibiæ longe crassius est, quàm suræ, atque idcirco appendix tota esse ti-
biæ uidebitur, ipsamque ab exteriori parte sura fulcit. Discrimen, quod διάφυσιν uocat, id intelligit,
quod

A quod in medio extat neruosum chartilaginosumque, quod processus femoris, qui in tibia coniiciuntur, distinguit sed iu ossibus eorum corporum, quæ iamdiu mortua sunt, corrumpitur, sic, ut aliquis decipiatur, falsumque existimet, quod ab Hippocrate scribitur, iniuria quidem, quoniam in recenti cadauere id semper apparet.

38 *Longius autem paulo est alterum os, quod a parte minimi digiti est. natura ossium cruris sic se habet.*

Quod inquit longius, ego sic scribendum censeo, longius autem paulo est alterum os a parte minimi digiti. Quòd si non hoc modo, sed illo Hippocrates scripsisset, confirmaret prorsus tibiæ appendicem in genu communem esse utriusque ossis, non propriam tibiæ. nam simpliciter longius esset, non ab ima parte duntaxat.

39 *Luxantur hæc modo a parte pedis: ac tunc, modo una cum appendice ossa ambo, modo appendix tantum mouetur, modo alterum os.*

Putant medicorum aliqui uerbum ἐξαρθρεῖν usurpari ad ea ossa significanda, quę toto loco mota sunt, sed ὀλισθάνειν (quo uerbo, luxantur, expressit) ad ea, quæ paululum, non tamen ex toto naturali sede B excesserunt. Verum hi non uidentur legisse librum de articulis, ubi initio protinus ait articulum, qui cum lato scapularum osse committitur, uidi uno modo excidere nempe in alam, in quo loco uerbum excidere ὀλισθάνειν dixit. at qui totum humeri caput eo sinu mouetur, in quo recipitur, quum non possit paulum excedere, sicut ipse Hippocrates docuit, ubi causam adiecit, quam habebimus, quum ad eum locum ueniemus.

40 *Hæc quidem minus molesta sunt, quàm quæ in prima palmæ parte, homines modo quiescant. curatio autem in utroque casu similis requiritur. namque hæc conjicienda in suum locum sunt, intenta perinde atque illa, sed ualentiorem etiam intentionem requirunt, quatenus corpus hac etiam parte ualidius est plerumque satis duo homines sunt, qui in diuersa contendant. qui, ubi nequeant abunde extendere, facile est ualidiorem intentionem adhibere.*

Non modo minus molesta sunt, quàm quæ in prima palmæ parte, sed multo magis, quàm quæ in pede. Sed quoniam de pede & manu communiter tractauit, ideo abunde existimat alterius partis duntaxat meminisse, quæ, quod ad molestiam pertinet, media est inter crus & pedem. quanto enim maiorem molestiam affert, quàm crus, tanto minorem, quàm pes, & præcipue quàm calx, de quo paulo supra egit.

C

41 *Nam uel rotæ modiolum defigere oportet, uel aliud quid simile: tum molli aliqua re pedem obuoluere, bubulisque loris latis circumligare; & eorum capita, uel ad pistillum, uel ad aliud lignum deuincire, eiusque imam partem, in modiolo demittere, summam recuruare: alios vero & ab humeri capite, & a poplite in contrariam partem extendere.*

A Rotæ modiolus. D Ab humeri capite extendentes.
B Lorum latum. E A poplite extendentes.
C Pistillum.




Lignum defigi iubet, quod recipere possit imã partem uectis, per quem membrum debet ab inferiori parte extendi. tibi uero ignotum esse nó credo, rotæ modiolum πλήμνην ab Ionibus appellari. cũ apud poëtam hoc quoque uocabulum legatur. Commonet auté Hippocrates, ut ubique ex ijs, quæ ad curationem conducunt, illis utamur, quæ in promptu sunt: & nunc etiam meminit modioli rotæ, qui præsto nobis esse potest ubiuis gentium: similiter pistillo pro uecte, nunc ad extendendum utitur. Sed qua uia adhiberi hæc debeant, ipse suis uerbis, si animaduertantur, aperte declarauit.

42 *Sed a superiori quoque parte adhiberi uim licet.*

Vim, hoc est, ualentem in utramque partem intentionem ἀνάγκην appellauit, ut uehementem eius potentiam indicaret.


43 *Potes etiam, ubi uelis, alte lignum defigere rotundum ac leue, sic, ut pars eius extet, quæ inter crura media inter anũ & naturale demittatur, ut prohibeat sequi corpus, quod a pedibus extenditur.*

Rectum

Rectum statuit lignum hoc firmiter inhærens, ne corpus (ut dictum est) a pedibus extentum se- B
quatur, quòd collocatum sit hoc lignum inter anum & primam naturalis partem, quem locum περίναιον appellat.

*Deinde, ne corpus inclinetur in id crus, quod intenditur, collocare aliquem a latere oportet, qui clunem repellat, ne corpus ducatur.* 44

A Lignum rotundum ac leue.
B Extensio a pedibus.
C Repellens clunem a latere.



In plerisque exemplaribus, quæ nunc proponsitur uerba, proxime positis subijciuntur, quanquam sine his uniuersa sententia maneat. uult enim medium lignum statui inter utrũque crus, at- F
que ita ab inferiori parte affectum crus extendi, aliquo sursum clunem repellente, ne corpus ea parte trahat, & in alteram partẽ inclinatum permittat crus ducentem sequi. namq; ubi hoc accidat, intentionem remitti necesse est.

*Idem quoque fiet, si ad utramque alam lignum figatur, brachia uero seruentur extenta, & alius genu prehendens in contrariam partem adducat.* 45

A Lignum ad utramque alam.
B Alius a genu prehendens.



Modum alium docet, G
quo prohibere possis, ne totum corpus extentã membri partem sequatur. figit enim lignum ad utramque alam, quod corpori obiectum, hominem sequi non patiatur, quum partes inferius extenduntur. Sed nunc nihilominus oportet crus, quod ab inferiori parte extenditur, proprie a genu prehensum in superiorem partem attrahi, atque ita in diuersa diduci.

H

*Nihil etiam prohibet, si placeat, lora alia ad genu, uel ad femur alligare, aliumque rota modiolum post caput hominis figere, loraque ad aliquod lignum dare, quod in modiolum demittatur.* 46

Vbi uelis crus a superiori parte extendi, ut in diuersa diducatur, moliri eam rem poteris iniectis loris, quorum capita sursum adducta ad uectem religentur: imæ autem uectis parti, quæ hærere pauimento debet, necesse est cauum aliquod subijciatur, cuiusmodi est rotæ modiolus, qui obex uecti sit, ut possit in contrariam partem attrahere.

*Et ad contraria, atque ad pedes attrahat.*

Ad contraria dixit τἀναντία. Sed si scriptum inueniremus (πρὸς τἀναντία) quidnam obscurum in uer- 47
bis aut sententia esset? Verum quia legimus τἀναντία, sine præpositione πρὸς, quæ significat ad, duorum alterum existimandum est, aut principio ab eo, qui librum descripsit, omissam fuisse particulam εἰς, uel πρὸς, aut ab ipso Hippocrate de industria, uel, quòd idem significet, uel quòd uocem [τἀναντία] usurpet pro aduerbio, quasi dixerit contrarie.

Pro

48 A *Pro modiolo etiam poteris lecto mediocrem trabeculam subijcere,eiusq; utrunque caput stabilire, lignisque recuruatis lora extendere.*

A Trabecula.
B Ligna recuruata.
C Lora.

B



Ante,binis modiolis,binisq; uectibus in contrarias partes extēdebat,uno infra pedem extēto, altero supra caput.Sed quoniā (ut retuli)in eo exerceri nos uoluit, ut præsidia in promptu habeamus,aliū modū docens, in similiū inuētione te exercet.nā,si modioli non sint,tignum,quod lecti,super quo ægrotans iacet,longitudinē æquet,subijciendū est.Cetera omnia,eadē atq; ante efficiēda sunt·lora enim corpori inijcienda eo modo, quo superius docuit,uinciendaq; ad ligna,quibus,quasi uectibus ad extendendum utimur.Sed pro modiolis nunc adhibentur extrema longioris tigni,quæ capita dicuntur,ut modice utrinq; lectum excedentia,& a capite,& a pedibus,extendētibus lignis,mora sint.trabeculam uero,quod lignum in longitudinem lecto subijcitur,δοκίδα dixit,quasi paruam trabem significans.

49 *Commode item extendes per axiculos ab utraque parte collocatos.sunt et alia extendendi rationes,quàm plurimæ.*

C



Axes solitus est appellare asellos , quēadmodū ubi scribit,Axis uersatio, nunc uero axiculos nominauit ὀνίσκους,usus nomine diminutiuo,sicut in superioribus uerbis,trabeculā dixit,paruam trabē significans. Exerceri autē debes, non solū in ijs,quæ prōpta sunt,excogitandis atq; admouēdis , sed ēt in machinamētis,quæ parant a medicis ad has intendēdi rōnes. Axes itaq; collocādi sunt,nō recti in lōgitudinē corporis , sed transuersi ab ijs,quæ hinc,atque hinc sunt,partibus corporis,quod curatur. id autem non aliud significat, quàm alterum ab inferiori parte a pedibus,alterū a superiori a capite collocandum esse. Post hæc iniecta lora extrema ad axes danda,qui uersati crus,quod curatur,in diuersas partes diducant.

50 *Optimum aūt est,si quis medicinam in magna urbe exerceat,paratum habere lignum,per quod nim omnē adhibeamus, ad fracta & luxata omnia restituenda,tum extendentes,tum impellentes. abunde autem erit lignum tale,quales sunt quadrata columna querna,quod ad longitudinem,latitudinem,& crassitudinem pertinet.*

Organi cuiusdam,seu machinamenti, quod haberi uoluit,mentionem facit: in libro autem de articulis,qui huic subijcitur,docet eius fabricationem.nos ibi si quid obscurum fuerit , exponemus. nunc proximum est ad ea transire,quæ subdit.

51 *Ubi satis extenderis.*

Crus uidelicet,de crure enim agens circa talum prolapso inseruit extendendi rationem:sicque rursus ad sermonem reuertitur,quem initio proposuit.

52 *Articulus facile reconditur,diducitur enim ab antiqua sede,sic,ut e regione supra ipsam spectans non hæreat.prominentioribus itaque palmarum partibus dirigendus est,partim,quod extat adurgentibus, partim infra talum repellentibus. Eo restituto crus,si fieri potest,extentum alligandum est: sin lora prohibeant,ea soluenda,& dum uinculum inijcitur, in contrarias partes extendendum.*

Hippocrates articulum dixit,quo mouentur,qui uolunt sic apud ipsum uocari extrema ossa, quæ in cauis recipiuntur, sic,ut totum id appelletur articulatio, ubi committuntur extrema ossium, quæ in

flexu atque porrectione mouentur. Ex utroque autem osse id, quod inseritur, articulus catum, quod recipit acetabulum, uel pupilla ab Hippocrate dicatur. sed hæc nominum disceptatio reijcienda est. Deinceps uero ostendet luxati restituendi rationem uniuersam, sicut nos in primo horum commentariorum diximus, ubi intendendi usum explicauimus, demonstrantes non posse luxata commode restitui, nisi ita diducantur, ut alterum alteri non inhæreat. protinus autem terminum habes, ad quem usque extendere conueniat. namque ubi iam uidebuntur eatenus extenta esse, ut altero alteri non inhærente, diducantur, extendere desines. E

53 *Dandum insuper eodem modo uinculum est, atque capitibus ea parte, qua extat, impositis: ibique primo & plurimum circundandum, & pannis plurimis uilectis potissimum adstringendum.*

Capita summatim commemorauit illius uinculi ad fracturas pertinentis, quod ante declarauimus. Meminisse autem oportet, ea, quæ in manu, pede, calce, talisque, suo loco excidunt, eo modo uincienda esse, quo fracturæ, atque idcirco in hoc libro omnia comprehẽdi. Causam uero, quamobrem ita uinciendum sit, siue fractum os sit, siue prolapsum, in superioribus habuimus.

54 *Tum hinc atque hinc plurimum obuoluendum.*

Hoc etiam docuit in libro de officina medici, quum inquit, comprehendatque uinculũ integræ partis quàm plurimum. Causa in prioribus posita est. satius enim est succos, non solum exprimi a uitiata parte ad ea loca, quæ iuxta sunt, sed repelli ad ea, quæ plurimum recedunt, & longe cohiberi. F

55 *Hunc autem articulum, ubi primo deuincimus, comprimere magis debemus, quàm qui in manu.*

Modum comprimendi, & fasciarum numerum constituit pro magnitudine articulorum, intuitus ẽt, quàm neruis contineantur, & quàm acris sensus sint. hos siquidem minus comprimi iubet.

56 *Iniecto uinculo pars deligata, reliquo corpore sublimior habeatur. sic tamen continenda est, ut pes minime suspendatur.*

Pedem continendum esse reliquo crure paulo sublimiorem, supra quoque dictum est. Dictũ est insuper ipsum eatenus excitandum, quatenus extenti musculi non laborant. Nunc præceptum adiungit, quod ad tuto continendum pertinet, ut pes, ne minimum quidem suspendatur. id autem fit, ubi lana molli undique cingitur. quin & pars eius extrema, qua cutis est, ipsi subiecta, molli aliquo, ut puluino fulcienda est, tum ligno aliquo erecto, ad quod per mollem habenam uinciatur.

57 *Extenuari autem corpus debet, prout ossa grauiter suo loco excidunt. nonnulla enim leuiter, nonnulla plurimum mouentur.*

In aperto sane est, quæ paululum excesserunt paruam curam exigere, quæ plurimum prolapsa sunt, & maiorem abstinentiam, & cetera, quæ corpus extenuant. G

58 *Magis omnino ac diutius extenuare corpus oportet, ubi crus, quàm ubi brachium læditur, quũ illud maius sit, & crassius, quàm hoc. necesse item est corpus quiescere, atque iacere: sed soluere articulum, tertio quoque die, & rursus alligare, nihil proibet, nihil item cogit. reliqua omnia eadem fieri debent, quæ in prioribus posita sunt. Quòd si homo quiescat, & iaceat, abunde sunt quadraginta dies, modo ossa in suam sedem restituta fuerint. sin quiescere nolit, ægrius crure utetur, cogeturque diutissime uinculum adhibere.*

Ipse causam reddidit eius, quod præcepit: inquit enim, quum illud maius sit, & crassius, quàm hoc. quibus tertium adijcit, quòd homo cubans consanescat, non ingrediens, sicut ubi brachium offenditur. Hæc igitur in uniuersum pertinere ad omnes articulos arbitramur.

59 *Verum, ubi ossa ex toto in suam sedem non reuertuntur, sed aliquid abest, tempore extenuatur coxa, femur & crus: ac, si in interiorem partem excedant, exterior pars tenuatur: si in exteriorem, interior.*

Si qua ex integris partibus diu quiescat, uel leuiter moueatur, tenuior fit, quàm prius esset. motus. n. corpora calefacit, eorumque uim firmat, quo fit, ut partes melius nutriantur. sed, ubi luxatum aliquid non fuerit perfecte restitutum, deterius perficiuntur motus, præcipueque a contraria parte illi, in quã uenit, quandoquidem locus ea uacuus relinquitur, quum os in contrariam moueatur. Homo igitur facilius illi parti inhæret, in quam articulus excidit. superiores enim partes sedem requirunt, quam inanis locus non exhibet, sed plenus, quum nihil possit inani loco hærere, atque ea de causa crus ab ea parte, in quam articulus erumpit sustinere corpus solet, & tantum musculis, qui ea continentur suo munere fungi. hi siquidem bene nutriuntur: inexercitatis uero non satis alimenti subministratur, hi autẽ in contraria parte continentur. H

60 *Pleraque tamen in interiorem partem promouentur. sed, si integra cute utrunque cruris os comminuatur, ualidius intendendum est. si una pars fracturæ ualde super alteram excedat, aliquo utendũ est ex propositis intendendi modis: abunde quoque est, & per homines extendere. fere autem satis sunt duo homines robusti, qui in diuersa contendant: unus ab una parte, alter ab altera. Extendere autem recta secundum naturam oportet, & e regione cruris ac femoris: tam si huius quàm si illius fracti ossa extendantur.*

Quæ excidunt ab inferiori parte, qua cum talo committuntur, in interiorem partem magis prorumpunt. cuius rei causa est suræ processus, qui ab exteriori parte talum magis complectitur, quàm tibiæ processus ab interiori.

61 *Atque ita extenta ambo deligare, utrumuis deuinxeris. at non eadem cruri ac brachio accommodantur. namque ubi brachij uel humeri ossa comminuta deligantur, brachium suspenditur, atque, ubi extentum alligatur, caro alio modo*

figuratur

A *figuratur, dum cubitus flectitur. nequit enim cubitus extentus diu haberi. non enim solitus est sæpe in hoc habitu detineri, sed curuatus. quin, quum homines ingredi possint brachio comminuto, necesse habent cubitum curuare. crus uero, quia ambulando & stando in inferiorem partem, nunc ex toto, nunc prope ex toto intendi secundum naturam, & ferre etiam reliquum corpus consueuit, idcirco sine molestia extenditur, quum opus est. quid quod & in lecto sæpius hoc modo continetur figuratum? Sed, ubi frangitur, necessitas hominis animum subigit. nequit enim excitari, quare de curuando crure, aut de surgendo nullum uerbum facit, sed ita figuratus quiescit, & cubat.*

Siue femur, siue crus alligetur, præcipit, ut utraq; cõmissura extendatur. s. quæ in coxa est, & quæ in genu. Cur ita figurari debeat, ipse deinceps adijcit euidenti demõstratione usus, cuius mentẽ facile cõprehendes. Horũ itaq; uerborũ capita sunt. Consueuit crus, & eorũ, qui stant, & eorũ qui ambulãt, extendi. a natura. n. corporis ferẽdi gratia factũ, ab eadẽ ad hũc habitũ præparatũ est, atque ea de causa in cubando plerunque extentum seruatur, sed brachia & in ingressu, & alioquin fere modice curuata continentur. quandoquidem nemo extentis brachijs ambulat. ac propterea brachio etiam deuincto mitella cubitum excipiente ambulare æger potest: at crure perfracto, priusquam callo prorsus firmetur, ingredi minime licet.

62 B *Ob has igitur euidentissimas causas non conuenit idem habitus brachio, atque cruri extendendo ac uinciendo. Quòd si abunde fuerit per duos homines adhibita uis, frustra laborandum non est. iactantiæ enim est uti machinamentis, ubi res non exigit. At si duo homines non satis extendant, confugiendum ad eum ex propositis intendendi modis, qui expeditissimus sit. Intentione satis adhibita ossa facile restituuntur, & in suam sedem compelluntur, prominentioribus palmarum partibus directa atque diducta. Postquam restituta fuerint, extenta fascijs alliganda sunt, quæ siue a dextra, siue a sinistra parte magis attrahi debeant, illis primo inuoluenda sunt. Ordiantur autem ab ea parte, qua fractura est, primoque ibi circumeant, deinceps ad partem cruris superiorem porrigantur, quemadmodum ostensum est in alijs fracturis. fasciæ uero latiores & longiores, ac multo plures ad crus adhibeantur, quàm ad brachium. ubi deligatum fuerit, super aliqua re plana mollique collocandum est, ne in hoc, uel illud latus deprauetur, neve in anteriorem, neve in posteriorem partẽ peruertatur.*

Euidentissimas causas appellauit προφάσεις. quamuis causæ, quas proposuit, ueræ sint, neque id uocabuli ad falsas causas significandas (ut usurpari solet) mutuatur: paulo infra etiam eodẽ modo ipsum accipit; quum inquit, Ob has igitur euidentissimas causas, si os, quod ab exteriori parte est, confringatur, mature homo ingreditur. Id quod de sura dixit ueram causam reddẽs, cur ea fracta crus celeriter moueatur: atque, ubi tibia perfringitur, longo spacio opus sit ad hoc, ut homo uti crure possit.

63 C *Maxime autem pro ualetudine est ceruical subijcere ex lino aut lana, quod medium in longitudinem molle sit, uel quidpiam tale.*

Crus fulciri iussit eo modo, quem posuit, ceruical magis quàm canalem adhibens, proxime autem subdit, cuius rei illos accuset, qui canali utuntur.

64 *De canali, qui fracto cruri subijcitur, incertus sum quid dem consilij, subijci necne debeat. prodest quidem, sed non quantum existimant, qui illum admonent. non enim quiescere cogit, ut arbitrantur. nam neque si reliquum corpus in hanc, uel illam partem conuertatur, prohibet canalis, quo minus sequatur crus, nisi ipse homo caueat. Neque item prohibet, quo minus sine corpore crus in hanc, uel illam partem moueatur. Sed & subiectum lignum immite est, nisi molle aliquid in ipsum indatur: est tamen commodissimum, quando uel sterni lectum, uel desidere hominem oportet. Licet igitur, & cum canali, & sine eo curationem bene uel male admonere. Vulgo sibi persuasum habent medicum culpa magis uacare, si canalem subijciat, quanquam res minus artificiosa est. crus enim rectum prorsus iaceat, oportet, & super plana ac molli aliqua re, quum necesse sit contineri uinculum, ne peruertatur, dum membrum iacet, quocunque se uertat, & moueatur. Respondeat item, qui deligatus est ad eadem, quæ supra posita sunt. Nam uinculum tale esse conuenit, & tumorem in extremis partibus assurgere, & eodem modo laxari, ac tertio quoque die resolui, & rursus deligari: ad hæc id, quod alligatur tenuius inueniri,*
D *tum arctius uinciri, & pluribus linteis uti pedemque non arcte comprehendere, nisi fractura ad genu proxime accedat. Debent etiam ossa modice extendi, ac dirigi, quotiescunque uinculum inijcitur. nam, si curatio idonea fuerit, & tumor ut conuenit, procedat, alligata sedes tenuior est, atque gracilior, & ossa facilius tractantur, & ducentibus magis parent. septimo autem uel nono die ad ferulas ueniendum est, quemadmodum dictum est in alijs fracturis.*

Quosdam medicos noui, qui etiam nunc cruri uel femori affecto canalẽ uel glossocomum subijciũt ubi femur quidem læsum est uniuerso cruri sed, si quod inter genu & pedem est, lædatur, nonnulli uniuerso cruri lignum subijciunt, nonnulli eam partem duntaxar glossocomo fulciunt. lædunt, qui una femur etiam comprehendunt, sed minus quàm alij. noxas docuit Hippocrates sic aperte, ut mea explanatione non egeant: uerum, si quid iudicauero in uerbis eius fore cupiam obscurum, illud explicabo, atque ante omnia, quid inter canalem, & glossocomum intersit. Glossocomum ab atticis appellatur arcula illa, in qua seruare homines solent eas res, quas in precio habent, & scripta, quæ recondi uolũt, qua nonnulli ad itinera utuntur. At nihil refert, siue glossocomium, siue glossocomũ nominetur, sicut neque siue per duplex. tt. siue per duplex. ss. Constat autem glossocomum, quod cruri subijciendum est, longius esse debere, & angustius, quàm quæ in usu sunt. eius enim latitudo parum excedere debet cruris latitudinem, seu crassitudinem, seu quomodocunque libeat appellare. ut lana undiq; adiecta bene crus firmetur, sic, ut loci angustia, etiam si æger uelit, crus moueri non patiatur. sed, ne in dextram par-

tem, uel finiſtram moueatur, poteſt impoſita lana efficere: at quo minus in ſuperiorem uel inferiorem E
feratur aut excitetur, prohibere non poteſt. Quocirca Hippocrati huiuſmodi ligni uſus non placet,
quoniam præter cetera incommoda durum eſt. nam immite, durum ſignificat, & inſuaue, quòd nihil ce
dat, quemadmodum ceruical, & ille puluinus, qui cum cubito ſubijciatur, ἐναγκώνιον græce dicitur.
Hæc enim modice cedentia cruri minime infeſta ſunt. Commodum autem eſt machinamentum hoc;
quum deſidere homo debet, uel ad lectum alterum transferri, ut ille in quo iacet, ſternatur, qua potiſſi-
mum cauſa eius uſum admittimus. quanquam alij ceruical adhibentes habena tranſuerſa initio illi pro
tinus ſubiecta, atque, ubi crus in id conlectum fuerit, habenæ capitibus inter ſe aduerſis utrinque du-
ctis in altitudinem cruris, & in ſuperiori parte membri inter ſe deuinctis, fideliter contineri crus exiſti-
mant. quoniam ceruical, ubi homo ex uno lecto ad alterum trāsfertur, cruri uicem gloſſocomi præſtat.
Adiecerunt nonnulli ad imam eius partem lignum rectum lana ſuperdata, ut pes extremus moram ha
beat: ne homo uidelicet, crus uel ad ſuperiora attrahat, uel ad inferiora demittat. ad ſuperiora .n. ferri,
uinculum non patitur: ad inferiora uero, lignum, quod plantæ adijcitur. Verum, ut hæc a medicis ſtabi
lia præparentur, non tamen prohibetur motio articulorum, quum languens poſſit articulum tali ac ge-
nu paulatim dimouere. De coxæ enim articulo nihil attinet dicere, quum nec a uinculo, nec a gloſſo-
como comprehendatur. canalis uero in ceteris gloſſocomo ſimilis eſt, ſed figura ipſa differt. quum ab F
exteriori parte teres ſit, ab interiori cauus, ad exemplum fictilis canalis, unde nomē traxit. Videtur au-
tem hic ad propoſitum uſum maxime idoneus. namque uniuerſum crus in orbem complectitur, magis
quàm gloſſocomum, in quo nonnulla loca inania relinquuntur, poſtquam demiſſum crus fuerit. qui-
dam uero medici plures canales paratos habent, ut ad ſingula membra eo utantur, qui idoneus ſit, id
lignum conquirentes, ex quo cauare eos poſſint firmos, albos, & molles. Apud nos autem quidam me
dicus eiuſmodi canales complures habebat ex tilia confectos, ſic, ut ad ſingula crura eos adhiberet, qui
magnitudini membri reſponderent, non ſine uinculis, quæ (ut recenſui) a quibuſdam ceruicalibus ſu-
perdantur. Sed uincula in ceruicalibus laxantur, & compoſitum crus corrumpunt: canales uero, dum
homo ex uno lecto ad alterum transfertur, ob ligni mollitudinem, ſine ulla cōpreſſione id continent.

Ad continendum autem firmiter, Gloſſocomum a iunioribus medicis inuentum eſt, ſeu femur, ſeu
crus fractum ſit, cuius ſtructuram uſumque ſubijciam. id autem non ab re mihi uidetur fuiſſe excogita-
tum, & tam ſi femur, quàm ſi crus comminutum ſit, ubi callus circundatur, commodiſſime adhibetur.
Habeat ab ima parte axem, ad quem extremi laquei in diuerſa extendentes deligantur. inijciantur la-
quei extremis partibus oſſis, quod curatur, fiantque ex duabus habenis, ſic, ut quatuor uterque capita
habeat, bina a dextra parte, totidem a ſiniſtra. Ex ijs capitibus, quæ inferioris laquei ſunt, per foramina G
facta in inferiori parte gloſſocomi ad axem duci debent, quæ ſuperioris, primo procedere ad ſuperio-
ra: deinde ipſa quoque per latera gloſſocomi perforata traijci, quibus foraminibus trochleæ incluſæ
ſint. utrinque aūt ab exteriori parte gloſſocomi ſuperioris laquei capita ferenda ſunt ad axem. His .n.
ita conſtitutis una axis conuerſio pariter ambos laqueos extendit, deorſum uerſus illum, qui ad infe-
riora fracti oſſis alligatur, ſurſum alterum, ſic, ut, ubi crus iacet, liceat in poſterum cotidie hāc laqueo-
rum in diuerſas partes intentionem corrigere, ualentius uel lenius extendendo. Laqueum igitur, qui
in inferiori parte eſt, directa ductione axis extendit, eum, qui in ſuperiori parte, intercedente alio mo-
tu, græci ex tranſumptiua intentione dicunt.

A Axis ad quem laquei alligantur.
B Laqueus ſuperior.
C Laqueus inferior.
D Inferior pars gloſſocomij.
E Trochleæ.
F Superioris laquei capita ab exteriori parte gloſſocomij. H

GLOSSOCOMIVM.



Cauendum

65A *Cauendum est, ne ferulæ e regione talorum, uel eius chordæ, quæ a crure ad pedem tendit, imponantur. conferuent autem ossa cruris quadraginta diebus, si recte curentur: sed, ubi suspicio sit, ne quid ossis dirigi debeat, neue aliqua interim facta fuerit exulceratio, infra hoc tempus soluere oportet, tum dirigere, & rursus alligare. At si alterum os abrumpatur, lenius intendendum est, sed non propterea omittenda intentio est, aut negligenda. potissimum autem, uel cum fractura primo deligatur, uel certe quàm celerrime, extendenda semper ossa sunt, dum in suum locum reuertantur. Quodcunque autem membrum ossibus non recte compositis sub uinculo adstringitur, magis indolescit. Reliqua curatio eadem est. Ex ossibus cruris interius, quod conspicitur in priori parte cruris, quam græci ἀντικνήμιον dicunt, curationem ægrius admittit, & intentionem postulat ualentiorem, neque latere potest, ubi non recte ossa concurrant. totum enim se ostendit, & sine carne est, multoque tardius homo ingreditur, ubi hoc fractum est: Quòd si exterius os abrumpatur, casus longe tolerabilior est, neque id ita facile deprehenditur, quum minus recte componitur, quoniam carnosum est, maturius item æger pedibus consistit. maximam enim oneris partem sustinet os, quod ab interiori parte situm est. tum quia magis laborat, & ob ipsum crus, & ob pondus, quod e regione est. femoris enim caput superius corpus fert, id autem ab interiori cruris parte situm est, at non ab exteriori, sed e regione prioris partis tibiæ: tum quia altera pars totius corporis e regione huc propius accedit, quàm ad exterius os. Adde, quòd os interius plenius est, quàm exterius, non secus, atque in brachio, cuius os, quod e regione minimum digitum spectat, tenuius est, & longius.*

B

Extantes ossium partes, cuiusmodi sunt tibiæ, suræque extrema, ferulas non patiuntur. Cautio igitur esse debet, ne his locis circumdentur. imponantur, dixit ἐνέδρας quasi ἕδρας, adiecta præpositione ἐν, ut clarius rem ipsam exprimeret. Hæc itaque ossa, quum extent, & carne minime tegantur, impositis ferulis premuntur. Magis autem premi dicantur, non ipsa, sed musculi illis superiniecti, tum quidam musculorum fines & cutis. hæc enim collocata inter duo corpora dura, nempe inter ferulas ab exteriori parte, & os ab interiori premuntur, arteruntur que, & sæpius ita læduntur, ut exulcerentur. Calci uero a posteriori parte uersus priorem innectitur chorda, quæ ab uno diducitur ex musculis, qui continentur in parte cruris posteriori, quæ carnosa prominet. hæc, quum carnis maxime expers sit, potissimum in homine gracili, superimpositam ferulam non sustinet: sed, quum acerrimi sensus sit, si comprimatur, inflammatione urgetur. ea uero, quæ tibiæ suræque tuberculis superiniecta sunt, ob duritiem eorum, quibus (ut dictum est) excipiuntur, compressa catenus læduntur, ut exulcerentur. summæ autem cutis exulcerationes sub comprimentibus ortæ, elisiones ab Hippocrate uocantur.

66C *Verum longioris ossis structura in inferiori articulo dissimilis est. non enim similiter flectitur cubitus, & poples. Ob has igitur euidentissimas causas, si os, quod ab exteriori parte est, perfringatur, mature homo ingreditur: si, quod ab interiori tarde.*

Quum ipse in prioribus dixerit, suræ os longius, quemadmodum & in brachio os cubiti, utrunque autem e regione minimum digitum spectare, & tenuius esse, quàm id, cum quo iungitur: deinceps addidit, qua ratione inter se distent. Explicauimus autem in commentario de ossibus, præter alia, quomodo se habeat utriusque commissura; atque insuper radium in brachio cum interiori tuberculo humeri committi, ac circa ipsum moueri in exteriorem uel interiorem brachij partem conuersum: sed in crure, tibiam solam cum femore committi, quia sura nullum motum præstat. Nam, neque hic articulus in latera ullo modo mouetur, sicut articulus cubiti, sed curuatur duntaxat, idque non eadem ratione, qua articulus cubiti, ubi humeri ambitus trochlæam referens in cauo cubiti recipitur. at in genu duo processus femoris in sinus tibiæ se inserunt. Adde, quòd ex cubiti processibus rostrum referentibus, posterior in posteriori sinu humeri recipitur, ubi maxime articulus extenditur: prior in priori, ubi maxime curuatur. quorum neutrum tibiæ accidit, quum nullum penitus processum habeat rostro similem. non enim similiter flectitur cubitus ac poples. cubiti uero eminentiam D clarum est uocasse ἀγκῶνα quo nomine usus est etiam in superioribus, de cubito agens, quum dixit, est autem idem cum illo eminentia cubiti, cui præcipue innitimur. Eandem eminentiam & ὀλέκρανον dicunt, & κύβιτον. sed nunc ait, non enim similiter flectitur cubitus & poples: idem significans, ac si dixisset, illa commissura, quæ iuxta cubiti eminentiam est, & illa, quæ iuxta poplitem, dissimiliter curuantur. Cuius rei exemplum infra habet, qua de luxatis, ubi asserit, quæ in cubiti articulo sunt, molestiora esse. illud autem multis in locis meminisse oportet, exquisitam nominum rationem, ne ab uno quidem ex uetustis græcis seruari, quum quibusdam abutantur, quædam a proprijs rebus ad alias transferant. Atqui poplitis nomen tale est quale ipsa ala, quæ locum significat sub humeri capite. at poples id appellatur, quod a posteriori parte ipsi genu opponitur: genu autem notat, priorem partem huius articuli uniuersam. Quare, si cui hac parte cutis exulceretur, eum hominem inquiunt teneri ulcere in genu. quod si chorda, quæ sub cute os cingit, secetur, genu accepisse uulnus dicunt: non secus, etiam si patella uitietur, quam græci & μύλην, & ἐπιγονατίδα uocant. Ad hæc, qui latera corporis exprimunt, modo ab interiori parte genu, modo a posteriori ulcus ortum aiunt. uniuersum enim hunc locum a lateribus, genu uocabulo appellant. eadem ratione, & poplitem & alam, & humeri caput: sic etiam cubitum, & talos, & primam palmæ partem ad totum locum significandum usurpant. sæpè etiam adijciunt, articulum capitis humeri, aut cubiti, genu, coxæ, uel ta-

lorum.constat igitur Hippocratem uarie nominibus uti,aliorum maiorum exemplo(ut retuli) contem E pta,quam iuniores excolunt,curiosa uerborum ratione.quæ ab ijs, qui in ea uersantur, exquisita diligentia dicitur.

## De femore.

*At si femoris os fractum est,ualenter omnino extendi debet,ne minus quàm res postulat,id fiat.siquidem plus iusto intentum non læditur. Nam ossa hæc,quæ per uim diducta sunt,si sic recedentia inter se uinciantur,non sane poterunt, ita diducta, uinculis contineri,quin celerrime concurrant,quum primum,qui extendunt,ex opere se receperint.* 67

Quia maximi sunt musculi,qui femur circundant,non immerito ueretur, ne (quod sæpe contingit) non satis membrum extendatur. Ergo,ut audacter extendamus,intentio(ait)iusto ualentior non læditfieri enim in hac parte potest,quod suspectum esset in alijs. At quid hoc est? ut deuinciatur os fractum,dum ipsius partes,quæ pertractantur,inter se recedunt,quas non secus,atque ubi membrū naturaliter se habet,coire oportebat nullo relicto inani spacio, in quo ex contracta sanie periculum sit, ne os corrumpatur. Siquando enim fracti ossis partes,quum uehementius intentæ fuerint, diductæ uinciantur,non poterunt post iniectum uinculum, ut in ceteris locis contineri,in quibus circūactæ fasciæ musculos immobiles seruant.quod in femore monet pertimescendum non esse ob magnitudinem musculorum.quum hos uinculum non superet,sed cedat. quam rem propterea dixit, quòd proprietas est, uinculi quidem femur tueri,quomodo deligatum accepit: musculi uero ad suum initium concurrere. Quum contraria igitur sit proprietas utriusque,si uinculum superet, naturalis musculorum motus cedet,quum fracti ossis partes diductæ contineantur: sed,si musculorum motus uinculo ualidior fuerit, ipsi ad initium contrahentur, atque una trahent, & ad superiora adducent comminuti ossis partem inferiorem.

*Crassa enim ac robusta caro uinculum superabit,at non superabitur. Id ergo,quo de agitur, extendi ualenter oportet, sicque,ut in neutram partem conuertatur, neue minor uis,quàm ipsum exigat,adhibeatur.quum turpe magnopere sit,atq; incommodum,femur breuius reddere. brachium namque,si breuius fiat,celari poterit,neque noxa magna erit: crus si breuius reddatur,hominem claudum demonstrabit. ab integro enim,quod longius erit,prodetur,adeo, ut illi,qui male curandus sit,satius fuerit utrunque crus frangi,quàm alterum. æque enim in utranque partem inclinaretur. ubi uero extentum sit abunde,prominentioribus palmarum partibus, eodem modo,quo supra positum est,dirigatur,ac deligetur: fasciaq; caput inijciatur,ut ante indicauimus,ipsaque sursum uersus porrigatur: tum itidem respondeat,ut in superioribus: præterea, & magis urgeatur,& laxius uinculum sentiat ijs partibus,quæ supra posita sunt: ad hæc similiter resoluatur,ac rursus deligetur: ferulæque eodem modo superaccommodentur. conseruet autem femur quinquaginta diebus.* 68 G

Hippocrates usitato uocabulo carnem appellauit,quos in superioribus musculos diximus. nā quæcunque caro sentit,musculi pars est,atque hæc in medijs musculis potissimum se ostendit, quum in extremitatibus musculi neruosi magis quodammodo sint,minusque carnis habeant.

*Illud etiam scire licet,quòd femur ab exteriori parte gibbum est,magis quàm ab interiori,& a priori magis quàm a posteriori.in has igitur partes conuertitur, ubi non recte curatur.quin & in his partibus minus carnosum est,quàm in alijs: ut quando peruertitur,latere minime possit. Ergo,siquid einsmodi suspectum sit,tale quidpiam moliri oportet,quale traditum est ad humerum peruersum.* 69

Gibbum dixit,γαῦσος.at quòd hæc uox gibbum significet,res ipsa declarat:siquidem femur non omnino rectum est,sed a priori,atque exteriori parte gibbum, sicut a contrarijs simum. Verum uero uox γαῦσος,postrema syllaba acui an penultima circumflecti debeat,incertum est. nō enim frequenti in usu est apud græcos id uerbi.quidam a similitudine ducti penultimam circūflecti uolunt, quemadmodum, H καῦσος μαῦρος γαῦρος: quibusdam uero magis placet ultimam syllabam acutam esse.quoniam omnia nomina duarum syllabarum,quæ affectum significant, acuto sunt accentu in ultima, χωλὸς,κυφὸς,στρεβλὸς,κυρτὸς,φλαυρὸς,ῥαιβός: nec solum,quæ duabus syllabis constant,sed fere quæcunque affectum notant, ἀμβλυωπὸς, φαλακρὸς,ἰκτερικός.Concedito igitur, utro quis uelit modo pronunciare. at γαυσὸν efferenti tibi ultima acuta(eos enim,qui librum legunt ire in hanc sententiam tantum comperi)si quispiam aduersetur,existimans debere penultimam circumflecti,tu quoque,utcunque illi placet,pronunciato. Quòd si alium rursus nactus fueris,qui malit ultimam acui, tu itidem facito, nomina, atque accentus paruipendens, utpote,quæ nihil ad philosophiam conferant,& multo minus ad geometriam,arithmeticen, musicen, astronomiam. Quare, si nulli arti ad suum finem importuna, contemnendaque nominum inquisitione opus est,non modo horum hominum non probare studium conuenit, sed quàm maxime deridere.

*Circundare autem aliquot lintea oportet,eaq; in orbem circa coxam & ilia,ut inguina etiam,& quod inter anū & naturale est(πλιχάδα græci uocant) inuoluantur.quod & ob aliam causam utile est, & ne extrema ferula nudam partem offendant.* 70

Coxa,id est os illud,in quod se inserit femoris caput,ἰσχίον græce nuncupatur, sicut & ipsius cauum κοτύλη .i.acetabulum utroque nomine utitur poeta in hoc carmine.

ἔνθα

A -Ἔνθά τε μηρὸς
Ἰσχίῳ ἐνστρέφεται κοτύλην δέ τε μὲν καλέουσι.

Ilia dixit ἰξύας, quæ nonnulli accipiunt pro ilium ossibus, nonnulli pro parte, quæ super ipsa est, quæ λαπάρα proprie uocatur, quod uerbũ apud poëtam reperitur in eo carmine, -Οὖτα κατὰ λαπάρην, .i. Perque ilia uulnus adegit. Equidem de uocabulo λαπάρας dicere possem, adductus experimento, & Hippocratis ac poëtæ usu, tum ipso morbo, eam significare partem, quæ inter ossa pectoris, & quæ proprie appellantur ossa ilium, est interiecta. de quo suo loco agemus. Quæ autem partes ἰξύες nominẽtur, non est quod multis agam. ob id enim, quod poëta numero singulari ἰξύαν scripsit in illo carmine.

Ili circundat Zonam centum orbibus aptam.

tum ob id, quod credibilius est zonam dari inter ilia & thoracis ossa, existimet aliquis hanc ipsam partem corporis ἰξύαν appellari: Contra uero ex eo, quod Hippocrates multitudinis numero ἰξύας dixit, quodque ad ilium ossa, uoluit uinculum pertinere, iure arbitrabitur aliquis ἰξύας hæc ipsa nuncupari.

*Deligatio circa femur, inguina, coxam, os iliorum, & ilia.*



B Quod ad hunc locum attinet, quando superior femoris pars comminuitur, fascia non solum usque ad inguina ferri debet, sed ultra aliquam ex superioribus partibus comprehendere. tales sunt, primum coxa, deinde ossa ilium, postremo ea pars quæ sine osse est (λαπάρας uocant) quam, ubi uis, complecti licet, dum illium ossa etiam deuinxeris, quibus omissis, fasciam protinus ad hanc sedem, porrigendam esse mini me puto, quum Hippocrates maximi fecerit, nullum relinqui locum nudũ, sed æque perpetua, donec ex integra parte comprehensum aliquid esse uideatur, omnia fascijs alligari. πλιχάδα quidam per χ scribunt: quidam per γ, πλιγάδα. eo uocabulo significatur, quod inter utrunque crus spacium est. unde Hippocrates diuaricari uocat ἐκπεπλιχῶσθαι καὶ διαπεπλιχῶσθαι. Nam & poëta γοῦν ἐπεπλίσσοντο πόδεσσι dixit, significare uolens, diuaricabant pedibus.

71 *Quæ semper utrinque satis recedere debent. semper autem cautio sit, ne imponantur super ossa in articulis naturaliter prominentia, neque in articulorum uicinia super neruum.*

Solet Hippoc. ubi de una specie pertractat, complura docere ex ijs, quæ cõmunia sunt ac generalia, monens ea non esse propria unius speciei, sed ad oẽs, uel multas, uel aliquot pertinere. Adijcit aũt ora-
C tioni modo particulã, semper, ut in propositis uerbis: modo, quod intellexisse pertinet ad multa loca, interdum, hoc ad oĩa utile est. Est. n. reuera, quod nunc ab ipso proponit, semper cõmodissimum, nõ in femore dũtaxar, sed in uniuersum in oĩbus fracturis, quæ ferulas postulãt. Breuiores. n. sint oportet, quàm ut ad eam sedem perueniant, quæ fascia non excipitur. quod potissimum obseruandum ait, ubi ferularum extremitates proximæ sunt ossium tuberculis.

72 *Tumores uero iuxta poplitem uel pedem, aut alibi sub constringentibus uinculis assurgentes, multa lana succida curentur, bene carpta, & uino, & oleo respersa: tum cerato inũcti deligẽtur: atq; ubi ferulæ urgeant, citius laxẽtur. extenuarẽtur autem tumores, si sursum uersus ad ferulas tenues fasciæ uincirentur, quæ ab imis partibus orsæ ad superiores itenderent.*

Tumores (inquit) sub constringẽtibus uinculis assurgẽtes (quos ἐξαειρόμενους dixit:) propterea, quod succi expressi magno impetu ferantur, curari debent alligando multũ lanæ succidæ bene carptæ, itẽ uino atq; oleo respersæ. cutẽ uero, cui hæc superimponũtur, iubet cerato inungi, atq; ad eandẽ rationẽ uinculum adhiberi a tumoribus sursum procedens. Fasciandi rõnem ipse aperuit, docens a qua parte quis inceperit deuincire, ab eadẽ transmitti materiam, atq; depelli. At de facultate medicamentorũ, quibus utirur, abunde dictum est in operibus, quæ de illis sunt: dicẽtur & nunc capita eorũ, quæ in illis fuerũt ostensa. Ergo oleum dolorẽ leuat, & discutiendi uim habet. Vinũ siccare potest, repellere, & concoque-
D re, itẽ mollire & digerere. Constat autẽ lanam succidã (quam nonnulli οἰσυπηρὰν uocãt) & ceratũ præter leniendi uim, digerendo quoq; esse & repellendo. Non sine ratione igitur ab eiusmodi medicamentis præsidium petijt. quoniam uero tumor fit iusto maior ab ijs, quæ sub uinculis eo exprimuntur, curatio primum dirigi debet ad id exhauriendum, quod in tumida parte præter naturam subsistit. At, quũ multa sint, quæ hoc efficiũt, quibusnam utemur? digerentibus, repellentibus, lenientibus: digerẽtibus quidem ac reprimentibus, quoniam aperte exhauriunt: at lenientibus eo nomine, quòd prohibent, ne materia præ dolore ad uitiatam sedem concitetur, atq; ob hanc causam lenius digerẽtia, ac reprimentia ad inflammatam partem admouemus. nam, quæ horum utrunq; fortiter præstant, dolorem irritant. His ratiocinationibus ductus Hippocrates, lana succida usus, hoc est, œsypo redundante, curationi adijcit oleum, uinum ac ceratũ. lanãq; ipsam bene carptã esse uult, quo lenior sit, & dolorẽ leuet: quæ elota quidem est, carpta facile mollitur: at succida ob sordẽ non facile tractatur, carpiturq;, eoq; fit, ut negligẽter carpta, dura dolẽti parti inhæreat. quod Hippoc. quũ aliqñ neglectũ aĩaduerteret, addidit, bene carpta. Lã uero copiose ipsam adhibet, ut uino atq; oleo madẽs cõseruetur, quũ facile siccescat, quæ exigua imponitur. Ad primum etiam consilium pertinet ratio uinciendi tumoris, quæ ex tumidis partibus (ut dictum est) ad superiora succos expellit.

73 *Hac siquidem uia tumor celerrime extenuaretur.*

Diceret extenuari membrum,non tumorem,qui proprie loqueretur.dãda ſiquidem opera eſt,ut tumor ex toto euaneſcat. maiores tamen complura ſic loquuntur,præſertim,qui eloquentiſſimi ſunt contempta,quam iuniores excolunt, curioſa nominum inquiſitione,non exquiſita diligentia,ut ipſi nuncupant,qui in ea uerſantur. Sed digni utique eſſent,quos laudaremus,ſi hac uel exquiſita,uel propria(utcunque ipſi nominent)uerborum inquiſitione,rem clarius aperirent , quàm Hippocrates : ſin obſcura atque humilis eſt eorum oratio,præſtat maiorum æmulari negligentiam. B

*Et ad priorem iuncturam ſuperferretur. ad quem deligandi modum ueniendum non eſt,niſi tumor aut puſtulis , aut nigritie periclitetur. Sed nihil tale ſequitur,niſi quis fracturam uehementer adſtrinxerit,aut ſiuerit dependere,aut manu ſcalpſerit, aut aliquid cutem attigerit,quod ipſam irritauerit.* 74

Vna quidem hæc ſcriptura eſt,& ad priorem iuncturam ſuperferretur,putant tamen expreſſo tumore alij materiam depelli ſuper iuncturam,alij ad loca,quæ iuxta ſunt.quorum controuerſiam dijudicare facile eſt,ſi ante uinciendi ratio conſtituatur.ubi enim ferulis relaxatis,tumida pars (ut ſupra oſtenſum eſt)alligetur,aliquid ſanguinis ad loca,quæ iuxta iuncturam ſunt,depelletur:ſed,ſi ferulis ſummotis,atque omni uinculo penitus reſoluto de integro uinciamus,ſimul & eam iuncturam adhibẽtes, quę fracturis accommodatur,& eam,quæ a tumore incipit,ſuccus hac uia expreſſus ultra partem prius deligatam ad ſuperiora transferetur. F

*Si quis femori canalem ſubijciat breuiorem,quàm ut ultra poplitem pertineat,noxam magis quàm opem afferet.quandoquidem prohibere non poterit,quin corpore aut crure moto,femur quoque moueatur.popliti item infeſtiſſimus erit, ubi adhibeatur,cogetq; id fieri,quod minime eſt opus. minime namque opus eſt curuari genu. omnia enim deuincti cruris ac femoris uincula neceſſario mouerentur,ſi quis genu curuaret: neque fieri poſſet,quin muſculi alio atque alio modo figurarentur,comminutaque oſſa dimouerentur. In primis igitur danda opera eſt,ut extendatur poples.uidetur autem femur in eum canalem utiliter conijci,qui a coxa ad pedem eſt.* 75

A tumoribus ad canalem aggreſſus eſt,quem euidẽter expoſuit. mox autem adſcribet canalem uel διαμπερῆ hoc eſt, qui totum crus excipiat, uel nullo modo ſubijciendum eſſe. Gloſſocomum uero machinamentum diximus recte fuiſſe a iunioribus repertum.

*Detur item faſcia lenta iuxta poplitem cum canali,quo modo & infantes inuoluuntur in cunis.ſic enim,ubi femur in ſuperiorem partem,ſiue in latus uertatur,cum canali alligatum melius continebitur.Canalis igitur, uel totum excipere crus debet,uel nullo modo adhiberi.* 76

G

Quod inquit, cum canali,duobus modis exponitur. nonnulli exiſtimant canalem extrinſecus faſciæ circundandum ita,ut hæc ſit Hippocratis ſententia.Faſciam dare laxam conuenit,quæ utrunque complectatur,& hominis poplitem & canalem,qui ipſum excipit,id eſt,ut ipſe poples nõ ſeorſum, ſed una cum canali comprehendatur. Alij circumligandum eſſe poplitem intelligunt,ut crus immobile cũ canali contineatur,hoc eſt,ſubiecto etiamnum canali. quum neque uinculum per ſe poſſit ſatis fideliter continere,neque canalis,ſed ambo ſimul.

*Item maxime uidendum eſt,ut in fractura tam femoris, quàm cruris,quantum poteſt,imus calx optime cõtineatur.nam ſi dependente pede crus reliquum fulciatur,neceſſe eſt oſſa gibba in priori parte cruris conſpici: ſin calx iuſto ſublimior collocetur,reliquo crure leuiter ſuſpenſo,os in priori parte cruris iuſto magis ſimum neceſſario ſe oſtendet, idque adeo, ſi calx hominis naturaliter eſt grandior. Ad hæc omnia oſſa tardius conferuent,ubi non figurantur naturaliter , neque in eodem habitu detinentur. Præterea callus infirmior circumdatur.* 77

In ſuperioribus,ubi de cubito mitella ſuſpendendo pertractauit,diximus a quibuſdam ſcribi , brachium ſuſpenſum,dempta particula,non, a quibuſdam ea adiecta , brachium non ſuſpenſum, & illos quidem intelligere ſuſpenſum brachium,quod non inhæret,neque ſubiectæ alicui rei inſidet: hos uero id,quod fideliter ſuſtinetur.De crure autem, quod fulcitur ἐρματισμένης dixit ducto uocabulo a fulcris, quæ dicuntur græce ἕρματα,quorum meminit poeta in eo carmine. ἀνοδ' εἶρον ἕρματα νηῶν. Sic igitur accipitur uocabulum ἐρματισμένοι. pro firmata. H

# GALENI IN HIPPOCRATEM DE FRACTURIS, COMMENTARIUS TERTIUS.

## Vido Vidio Florentino interprete.

## ARGUMENTUM.

Fracturarum, in quibus ossa denudata sunt, aut partes exulceratæ, tum gibbi cubiti, & genu noxarum curationem absoluit.

1 B *Interueniunt hæc, quibus os quidem fractum est, at non excidit, nec alioquin uulnus accessit.*

Hactenus simplices fracturas proposuit, in quibus neque os cute excidit, sic ut nudum se ostendat, neque ullo modo uulnus accessit. Constat autem ossa nec excedere, nec nudari, nisi cutis & superiecti musculi secentur, fieri tamen ulcus potest, etiam si nihil ex comminutis ossibus detegatur. Transit ergo iam atque aggreditur ad fracturas, quibus carnis quoque uulnus accessit, siue id solum sit, siue præter id, os etiam nudetur.

*Quibus sine fragmentis ossa simplici modo comminuta, eodem die, uel certe posteriori reposita sunt, atque in suam se-*
2 *dem restituta, nec testæ alicuius expectatio est, quæ ab osse abscedat: aut quibus uulnus quidem est, sed abrupta ossa non exce-*
*dunt, neque fractura talis est, ut metuendum sit, ne testa quapiam ab osse abscedat, his omnibus aptissima deligandi ratio est, quæ simplici fracturæ accommodatur.*

Fracturæ, ubi uulnus quoque adijcitur duplicem curationem docet, alteram quatenus aliquid fracti ossis nudatur, uel testa urget, quæ a contrito osse diducta est alteram, quum nihil tale est, sed extra fra-
C cturam, quæ recte composita est, uno uulnere solicitamur. Nam, si nudum os cute excidit, quod protinus bene compositum fuerit, & restitutum, mutandum esse superius genus curationis non censet. Verum alia requiritur curatio, ubi uulneri adiecta fractura os excedens restitutum est, neque suspicio est, ne aliqua testa a perfracto osse resoluatur: alia, ubi os tegitur cute, sed expectatur testa, quæ resoluta procedente tempore a natura per uulnus expellatur. In priori casu utitur iunctura, quam posuit conuenire, ubi os integra cute perrumpitur: in altero uariam curationem adscribit, ut mox euidenter ostendet. satius enim est ipsum audire.

*Nonnulli (atque hi non admodum proficiunt, aut obsunt) ulceribus imponunt aliquod ex purgantibus medicamentis, ut*
3 *ceratum, quod picem habet, uel quodpiam ex ijs, quæ cruentis uulneribus inijciuntur, uel quoduis aliud, quod componere soleant. Illos autem laudo, qui pannos superdantes uino madefactos, aut lanam succidam, uel eius generis aliquid deuinciunt: ubi uero ulcera pura sunt, & iam glutinantur, tunc lintea complura adhibent, & per ferulas dirigunt. Hæc ratio curandi aliquid confert, neque multum lædit, ossa tamen in suum locum non similiter reponuntur, sed hac uia fiunt aliquanto tumidiora, quàm par sit.*

Retuli ad eas fracturas, quibus carnis quoque uulnus adijcitur, curationem duplicem ab Hippocra-
D te admoueri: nunc orsus ab ea, quam primo loco posui, eos primum reprehendit, qui male ulceri illi medentur, in quo, quum fractum os bene compositum est, nihil aliud, quàm ipsum restat, neque ulla suspicio est, ne fragmentum ab osse resoluatur. Quidam (inquit) medici eos, qui sic affecti sunt, inter initia curant, perinde, ac si ulcere solo detinetentur: ubi hoc ad sanitatem spectat, tunc ea uinciendi ratione utuntur, quæ ad fracturas pertinet. Caput igitur propositorum uerborum huiusmodi est. multus autem est in eorum curatione narranda, qua nonnulli utuntur. eo quod singula persequatur. Equidem scripsi eos ita curare, sicut, si citra fracturam uulneri mederentur: at ipse, quibus etiam medicamentis
4 uteretur, exposuit, facta mentione cerati, quod picem accipit, tum medicamentorum, & quæ protinus cruentis uulneribus inijciuntur, & quæ purgandi uim habent, item panni uino madentis. Recte autem medicamenta, quæ cruentis uulneribus inijciuntur, ἔναιμα uocat. namque etiam nunc apud medicos id uocabuli est usitatum, quo ea medicamenta nuncupare solent, quæ uulneribus superdantur, ut primum illata sunt, & nondum ex toto sicca, sed adhuc cruenta, hoc est, cum cruor, ex cute ipsa uulnerata, seu etiam ex carne, in roris speciem destillat. purgans uero medicamentum est, quod modice siccat (quam rem demonstratum est caput esse in ulcerum curatione) ac detergēdi facultatem habet, qua ulcera pura reddit. Huius generis sunt mixturæ, quæ ex ærugine æris & squama componuntur, quarum duplex ratio est, siquidem ærugo ab alijs coquitur, ab alijs adijcitur cruda, quæ crudam accipiunt, ui-

rides dicuntur: quæ coctam ruffæ, a colore, qui in utrisque se ostendit. Igitur hæc medicamenta pur E
gare ulcera possunt, quum mediocrē habeant detergendi facultatem. huiuscemodi esse, quæ sordē ab ulceribus detrahunt, sicut contra, quæ cruentis uulneribus protinus inijciuntur, carere detergendi facultate indicauimus. uarie autem miscentur sicuti priora. At, quemadmodum in illis exempli gratia æris æruginem attuli & squamam, potui & alia similia eadem ratione proponere. nunc autem abunde sit illud indicasse, quod ἔναιμα uocata, quibus abest detergendi facultas, sunt, quæ ex bitumine componuntur. Horum exempli gratia mentionem faciam, quum omnia quæ id præstant, in opere de medicamentis fuerint explanata. Ceratum autem, quod picem habet, inter omnes fere conuenit, lenire dolorem, & pus mouere, tunc uero confert, quum ulcus iam inflammatione tenetur: alioquin ipsum nemo imponeret, quum neque detergere sordem possit, neque ulcus glutinare, aut ad cicatricem perducere. At panni uino madentes ob uinum ipsum repellunt. dantur enim ad continendum ab ijs, qui hoc modo medentur, qui adhibere uolunt, ulceris causa eas fascias, quibus ante iniectis aliæ superdantur. Quæ autem scire oporteat eum, qui recte ulcera curaturus sit, posita a nobis sunt, quo ordine singula requirebant, in tertio & quarto libro de ratione curandi, atque etiam abunde in expositione libri de ulceribus: quod ad hunc locum pertinet, satis est hæc retulisse. nam de curatione propositorum affectuum rursus tractandum nobis erit, quum Hippocrates illam exequetur: nunc meminit aliorum F
medicorum, quos ait, non similiter grauem noxam afferre, atque illos, quorum mētionem facit. Quid igitur est, quod errant? siquidem, quum primum id cognitum fuerit, constabit etiam iure ab Hippocrate scribi illos non admodum proficere, aut obesse, qui ulceri non male prouident, sed fracturam initio negligunt, idoneum uinculum, postea superdantes, quod proditum est ab initio conuenire, quamobrem (inquit) ossa fiunt tumidiora. Satius igitur est per omne tempus curationis comprimi hæc, atque adstringi, quod præsidij ad non paucos dies initio prætermittunt. asserit enim, ubi iam futurum est, ut ulcera glutinentur, tunc, qui sic medentur, incipere deligare eo modo, quo fracturæ conuenit. Constat autem ulcera suppurare, deinde purgari, priusquam glutinanda sunt, quod triduo fieri nequit, aut quatriduo.

*Quibus tam cruris, quàm brachij utraque ossa fuerint comminuta, breuiora etiam fiunt.* 4

Breuitatis Hippocratis proprium est id, quod in proposito sermone desideratur, aperte ex eo, quod subijcitur, indicare. quam rem nunc fecisse perspicuum est. præfatus enim eorum, qui superiori ratione curantur, ossa reddi tumidiora, non definiuit, omnium ne an aliquorum. at nunc ex propositis uerbis euidenter colligitur, non omnium, sed eorum duntaxat, quibus alterum fractum est, quum partes, G
quæ iuxta fracturam sunt, minime ipsum contineant, ut, quæ per omne tempus curationis, nec adstrictæ fuerint, nec coarctatæ. Membrum tamen breuius non redditur. quandoquidem alterum os integrum manet, quo naturalis longitudo seruatur. Sed, ubi utrunque comminuitur, musculi (ut ante exposuimus) contracti, ad superiores partes uitiata quoque ossa contrahunt. quamobrem extendi ea iubet, antequam componantur. Sed, quia sine conuenienti iunctura composita ossa nequeunt contineri, ea de causa, donec increscat callus, curiose deligat. Quam rem qui negligunt, & ulceris curationi insistunt, non solum tumidum magis quàm naturaliter conueniat, membrum reddunt, sed breuius etiam efficiunt.

*Rursus alij reperiuntur, qui lintea in eiusmodi casibus a principio protinus circundantes utrinque deuinciunt: ulcus uero ipsum relinquunt, & refrigerari patiuntur: deinde super ipsum imponunt aliquod ex purgantibus medicamentis: tum pannis ex uino madentibus ac lana succida medentur. Hæc quidem curatio aliena est, qua qui & in his fracturis & in alijs utuntur, longe aberrare uerisimile est. Maxime enim ad rem pertinet nosse, quo pacto inijci primo linteum debeat, & qua ualentissime coarctari: item quid conferat, qua potissimum parte conuenit, quum fascia caput superdare, tum adstringere: quidve sequatur incommodi, si alia parte, atque opus est, orsa fascia fuerit, nec qua maxime expedit, sed hinc vel hinc fuerit arctata. Vtriusque uinculi effectum in superioribus demonstrauimus, cuius testimonium est ipsa medicina. Illi enim, qui sic deligatus fuerit, necesse est ulcus in tumorem assurgere.* 5 H

Eorum nunc meminit, qui summopere lædunt, & quæ ab his admoueantur, plane docet: tum errores ipsorum aperte redarguit, sic, ut meæ expositionis non egeant, qui ijs, quæ ab ipso afferuntur, diligenter aduertere animum non recusent.

*Nam, si carnosa pars, quæ sana est, hinc atque hinc uinciatur, media non comprehensa, ea pars, quæ relicta sine uinculo fuerit, maxime turgebit, nunqúe erit sui coloris. Quo pacto igitur ulcus hac effugiet?* 6

Hippocrates quamlibet carnosam partem appellat χρῶτα, ut supra quoque indicauimus. Nunc illud animaduertendum est, quòd qui rationalem medicinam profitetur, ubi præsidium idoneum esse comperit, non expectat longum usum. putant autem, ubi ulcus sine uinculo dimittentes, utrinque fasciam circumagunt, excitari inflammationem, & ulcus male affici ex mala conditione affectus. at nō ex ea, quam adhibent, curatione. cuius primus auctor seipsum falsa ratione decepit, successores uero usitatam hanc curationem seruarunt, eo quod mutare non auderent. ex quo magnum malum sequitur. id illis merito euenit, qui artes usu, sine ratione pertractāt: una enim ratio est, qua fretus aliquis, rei

natura

A natura demonstrante mutare tentat, quæ male fuerant longo usu recepta. Qua ergo ratione motus Hippocrates ipsorum curationem mutauit? non hercle probabili assumptione, aut aliena, sed quæ scientiam faceret, ac necessaria esset. Quòd si corporibus bene ualentibus, sub ea uinciendi ratione materia utrinque in medium spatium inter partes deuinctas expressa inflammationem excitat, qui non longe magis id faciet ægrotantibus?

7 *Igitur necesse est, decoloretur ulcus, & materia ad ipsum exprimatur, tum lachrymet, ac minime suppuret: ossa uero, & quæ abscessura non essent, abscedant.*

Quæ accidant, ubi male ulcus deuincitur, hoc loco declarauit. Cuncta autem ab inflammationis magnitudine proficiscuntur. quandoquidem ob hanc ulceris labra in exteriora uertuntur, perinde atque ea, quæ proprie oris labra nominantur, ubi inflammatione uexentur. Totus autem locus mali coloris non iniuria conspicitur, quod & ipsum constat ex immodica inflammatione prouenire. Destillat uero ab ulcere tenuis, & cruda sanies, similiter ac lachrymæ ab oculis inflammatis, inde translatione usus, dixit lachrymare ulcus, ubi sic afficitur. Præterea succi, qui inflammationem excitarunt, crudi permanent, dum ea uinculi ratio admouetur. sed & ossa necesse est procedente tẽpore uitiari. his enim B crudorum succorum abundantia madefactis mirum non est, si qua particula abscedat, ubi qui sic medetur, ab alieno uinculo nõ desistat. Singula, quæ in uniuerso sermone restant, euidentissima fient, si quis (ut diximus) animum adiungat, tum in memoria habeat, quæ supra ostensa sunt. eo enim hæc omnia pertinent, & (quemadmodum ipse Hippocrates admonet) his illa confirmantur.

8 *Vlcus item pulsu affligetur, atque igneum erit, tumor item coget cataplasmata superdari. quod incommodum similiter afferunt, qui utrinque deligant, quum præter alium pulsum, inutile quoque onus adijciant. Fascias tandem soluunt, ubi ulcus recrudescere conspiciunt, & reliquo tempore sine iunctura medentur, nec secus curant quoque, si aliud uulnus nacti sint. siquidem hæc euenire minime censent, eo quòd hinc atque hinc deligauerint, & refrigerari uulnus permiserint, sed aliquod aliud infortunium causantur. Quòd si hanc deligandi uiam, penitus alienam esse, frequentari uero a compluribus, tum maxime ad rem pertinere eam dediscere, aperte non cognouissem, non tam multa scripsissem. Adde, quod hæc testantur, quæ supra exposita sunt, maxime ne, an minime adstringendum sit, recte fuisse tradita. Oportet autem (ut summatim dicam) ubi nullum expectatur os, quod recessurum sit, similiter curare, atque ubi sine ulcere fractura est. extendenda enim æque ossa sunt, ac dirigenda, & eodem modo uincienda. Ad hæc ulcus cerato, quod picem habeat, inungendum, tenuiue panno duplici contegendum, proximaque partes albo cerato illinendæ. fasciæ uero, ceteraque scindenda paulo C latiora, quàm si ulcus non esset, & quæ parte primum dantur, latiora multo danda, quàm ulcus. quum, quæ angustiora sunt instar zonæ ipsum cingant, quod minime expedit. primus enim circuitus totum ulcus complecti debet.*

Indicauit paulo supra sub hac uinciendi ratione, tumorem exprimi ad ipsa ulcera. tumorem uero οἶδος nuncupat, sic ut sermo talis sit. Sanguis, qui sub aliena uinciendi ratione utrinque ad ipsum ulcus exprimitur, tumorem facit præter naturam, huncque & οἶδος, & οἴδημα solitus est appellare. Tumori autem quum pulsus accedit, atque ardor, inflammationem perficit, quæ proprie φλεγμονὴ superius appellata est, quod uocabulum non sic accipiebatur apud ueteres, eo siquidem notabant omnem ardorem, quemadmodum sæpenumero declarauimus: ab Erasistrati uero sæculo consueuit usurpari ad illos tumores significandos, quibus non modo ardor accedit, sed renixus etiam & pulsus, necessarioque rubent. ruborem efficit ingẽs ardor: renixus & pulsus a multitudine oritur. Poterat Hippocrates igneũ ulcus dicere πυρετῶδες quasi febricitans: dixit autem πυρῶδες sumpto uocabulo ab igne, quem græci πῦρ uocant, quo ardorem (ut mea fert opinio) nobis reduceret in memoriam. quoniã & febris, quæ πυρετὸς græce nuncupatur, ab eodem uocabulo ducitur. quum nihil aliud sit febris natura, quàm igneus calor.

A.l.4. f.3.li.5. c.2.p.838.F.

9 D *Feratur item fascia præter ulcus ad partes etiam, quæ supra sunt, atque infra.*

Veteres quum superiorem atque inferiorem partem significare uolunt, raro ἔνθεν καὶ ἔνθεν scribunt: his enim uocabulis plerunque exprimunt partes utrinque a lateribus sitas: Hippocrates tamen hic antiquam exponendi figuram usurpauit.

10 *Ergo caput fasciæ, inijciatur e regione ulceris, & laxius paulo attrahatur, quàm si fractura esset citra ulcus. circumagatur autem eo modo, quo supra positum est: sintque fasciæ molliores semper, quàm si integra cute os esset abruptum; neque pauciores, quàm prius diximus, sed aliquanto plures. homini uero, quum inuolutus fuerit, uideantur aptissime inhærentes, non tamen adstrictæ, asser atque super plagam maxime inhærere. tum eodem tempore, quo supra indicauimus, ipsas & bene insidentes, & laxiores sentiat. deinde tertio quoque die soluantur, & rursus alligentur. In ceteris similiter agendum, ut in superioribus: hic tantum latius, quàm ibi coarctentur. Quòd si fiant, quæ rationi consentanea sunt, locus in quo plaga est, & reliqua etiam sub uinculo comprehensa, semper graciliora se ostendent. iam uero & pus ocyus orietur, quàm si alia curatio admoueatur. Caruncula præterea, quæ in ulcere nigrescunt, & emoriuntur, celerius sub curatione hac resoluentur, & recedent, quàm sub alia, atque ulcus celerius cicatricem recipiet, si hac uia, quàm si alio modo curetur. Cuncta hæc propterea fient, quòd & locus exulceratus & quæ iuxta sunt, extenuantur.*

Hi semper intelligit Hippocrates e regione: modo in longitudinem corporis, modo in latitudinẽ E ueluti nunc, quum uoluit primæ fasciæ caput dari super dextram, uel sinistram ulceris partem, dein super ipsum ulcus inuolui, sic, ut uniuersum complectatur, neque ullam partem nudam relinquat.

*Reliqua curatio esse debet, perinde ac si ossa citra plagam perfringantur, nisi quòd ferulæ non sint imponendæ. quãobrem pluribus fascijs hic opus est, quàm alibi, quum & minus adstringendum sit, & ferulæ tardius circumdandæ.* 11

Interdicit, ne ferulæ imponantur, ubi fracto ossi uulnus accessit, uetitus ne comprimant, atq; ob eam rem præcipit, ne arctius super has fasciæ deligentur, sed utraq; de causa plures imponantur. Memento autem, ipsum imperasse, ut plures inijcerentur, propterea, quod & minus coarctantur, & ad ferulas tardius uenitur.

*Tamen, si ferulæ superaccommodentur, e regione vlceris minime circumponantur, deturque opera, vt laxiores sint, ne vehementer adstrictæ premant, quàm rem in superioribus quoque proposuimus. Tenuiori autem cibo diutius contenti sint, quibus a principio carnis quoque vlnus accessit, vel ossa cute exciderunt, & (vt vna complexione complectar) grauissima fracturæ rationem victus tenuiorem amant, & diuturniorem.* 12

E regione nunc intelligit in longitudinem, in hanc siquidem ferulæ imponuntur. Supra loquutus F est, ut, qui ferulas summouebat: nunc, ut is, qui nonnũquam ipsas accipit. Inquit, Tamen, si ferulæ superaccommodentur, Quid ipse in eiusmodi casibus facere consueuerit, & in ipso crure etiam, nõ est, quod contendam, quum rem minime definiuerit. Exponam tamen id, quod facio. in illis fracturis, quibus in longitudinem membri, carnis quoque uulnus accedit, ferulas utrinque a lateribus uulneris adhibeo: sed si hoc transuersum fuerit, non patitur ferulas superdari, præsertim, ubi grandius sit.

*Eandem vero curationem requirunt vlcera, quæ non a principio fracturæ, sed, vel ob lintea nimium arctata, vel ob impositas ferulas, aliave de causa, sub curatione postea oriuntur. Cognoscitur autem, vbi vlcus subest ex dolore, & pulsu, item ex tumore, qui tunc extremis partibus indurescit, & si digito presseris, exprimitur, ac rursus cito reuertitur. Igitur, si quid tale suspectum sit, soluere oportet: atque vbi, vel ea pars, cui superdantur illæ fasciæ, quæ primæ inijciuntur, vel altera, quæ deuincta fuerit, pruriat, in vicem alterius cerati inungenda est eo, quod picem habeat.* 13

De ulceribus nunc agit, quę procedente tempore fracto ossi ob circũpositas ferulas superueniunt. Docet ergo, quibus de causis fiant, quibusque indicijs cognoscantur, ubi iam orta sunt: post hæc præcipit, ne per consuetum tempus alligatas esse fascias sinamus, sed celerius subtrahentes, idoneam curationem quam ipse euidenter exposuit, admoueamus. G

*At si nihil eiusmodi sit, sed ipsum vlcus irritatum, nigrum valde, aut sordidum reperiatur, tum caro purulenta, futurumque etiam sit, vt nerui excidant, hos non conuenit ex toto refrigerare, neque suppurata hæc timere, sed in ceteris eadem ortaione mederi, atque vbi initio vulnus adiectum est.* 14

Refrigerare dixit pro nudare, hoc est, uinculum detrahere fracturæ idoneum, ut ulcus curetur. non enim uult nulla re imposita, nudum prorsus ipsum relinqui, sed adijciens, non conuenit ex toto nudare, mediam curationem indicat. esset autem media huiusmodi quæpiam, si in uulnere aliquod ex propositis signis apparet, imperat, ut quàm primum soluatur iunctura fractis ossibus accommodata, & uno atque altero die curatio, quam ulcera postulant, adhibeatur, membrumque rursus deligetur, quemadmodum subiecta uerba demonstrant.

*Tantum fasciæ laxæ admodum ordiantur a tumore, qui in extremitatibus est, deinde semper sursum versus circumagãtur, neque vllo modo coarctentur: insideant item vlceri commodissime, alibi vero laxius vinciantur. sint autem hæc prima lintea munda, non angusta, & eorum, quæ circumdari solent, vbi ferulæ imponuntur, vel numerum æquent, vel non multo pauciora sint.* 15 H

Imperat hoc loco, ut uinculum orsum a tumore, qui in extremis membris assurgit, inde ita feratur ut nihil nudum relinquat, donec ad ipsam fracturam, qua parte exulceratio est, porrigatur. ita, ut in unum committatur uinculum, quod tumorem curat, & quod fracturam deuincit: unaque sit utriusque intentio, quæ paucis circuitibus absoluatur. Iubet autem fasciam commodissime ulceri insidere, hoc est laxam esse eatenus, ut nullo modo adstringatur: super ceteras uero partes, atque adeo iuxta fracturam magis edicit, ut minime coarctetur. perpetuum enim esse uoluit arctius eam partem uinciri, unde sanguis exprimi debet. monet autem, ut in extremitatibus, quæ tumidæ sunt, fascia laxius alligetur, ad id consilium dirigens, ut uinculum in unum committatur. At non propterea uniuersam illi curationẽ committit. non enim id est, quod in hoc casu remedio sit fractis partibus, ubi nigræ sunt, atque emoriuntur: sed tumori, de quo ad uerbum scripsit. Tumor extremis partibus indurescit, & si digito presseris, exprimitur, ac rursus cito reuertitur. Hæc tumoribus superueniunt. iure igitur non æque eos negligit, atq; ubi molles sunt, nec ad eosdem dirigit præcipuum totius curationis consilium.

*Vlceri abunde est pannum inducere albo cerato inunctum. nam siue caro, siue neruus nigrescat, procidet: his enim aeria superdare non expedit, sed mitia, non secus atque adustis. Insuper tertio quoque die soluere cõuenit, ac rursus deuincire: tum ferulas vitare, & magis quàm ante conquiescere, atque abstinere. Scire etiam oportet, vbi futurum sit, vt* 16

*vel*

A *vel caro, uel neruus excidat, hac ratione uitium minus serpere, & celerius multo excidere, ac proximas partes fieri longe graciliores, quàm si vlcus linteis resolutis, quopiam ex medicamentis purgantibus nutriatur. Iam uero, vbi excidat, quod purulentum est, citius caro increscet, & cicatrix maturius inducetur hoc pacto, quàm si alio succurramus. Hæc omnia igitur eo pertinent, ut sciamus rectè, & cum moderatione deligare. Eo etiam confert idoneus habitus reliqua uictus ratio, & fascia quàm aptissima.*

Declarauit ipse adustorum exemplo, cur acrium medicamentorum usus eiusmodi uulneribus noceat. siquidem orta sunt ex calidorum atque acrium succorum mixtura. Cum quo simul etiam ostenditur, albo cerato acrius esse id, quod picem habet. pix enim eo est acrior cera, quo calidior.

17 *At si quis deceptus recenti vulnere nullo modo existimans fore, vt os recedat, quod recessurum sit, eam vinciendi rationem adhibeat, quam simplices fracturæ postulant, eiusmodi medicinam non debet pertimescere. quandoquidem nullum ingens malum apportabit, dum possit modo rectè, & citra noxam manu deuincire.*

Timere, inquit, non oportet modum alligandi fracturæ idoneum, quãuis recessuri ossis indicia se
B ostendant. quænam illa sint, proximis uerbis addisces.

18 *Denunciat autem futurum esse, ut sub curatione hac ossa recedant, pus, quod ex ulcere amplius profluit, & uidetur ad exitum festinare.*

Vbi copiosius, quàm pro ulceris modo pus feratur, uerendum est, ne subiectum os uitiatum sit: sed si præter id uidetur ad exitum festinare, quod ὀργᾷ dixit, hoc est, si festinãter a uitiata parte expellatur, iam certa res est. At unde cognoscemus membrum festinare ad expellendum? Primum ex oris plagæ, quæ inter se nõ cõmittunt, sed dehiscunt, & in interiora uertuntur: deinde ex hominis sensu, qui exiguum quendam motum sentire sibi in altioribus partibus uidetur, ubi ceteras non sensu, non animo aduertens, hanc unam obseruet, cui hæc superueniunt.

19 *Resoluere igitur ac deligare frequentius oportet ob humoris abundantiam, cum alioquin febres excitentur, & ulcus, cum his, quæ proxima sunt, si nimium uinculis coarctentur, emacrescant.*

Humoris abundantiam (ut solitus est) appellat πλάδον, seu tenui habitu sit, seu crasso, quale nunc est
C pus, quod quando pars quæpiam ab osse recessura est, dixit copiosius euadere:

20 *Ergo, ubi expectatio est tenuium partium, quæ ab osse recedant, haud multum expedit uariare: fascia tantum laxior circumligetur, ne pus retineatur, sed exitum facile habeat, & dum os recedat, sæpius soluatur, ac deligetur: ferulæque omni modo vitentur.*

In quibusdam exemplis simpliciter legitur, uariare, nõ adiecta particula, multum: sed uerisimilius fit illam adijci debere. nam, quum ratio fracturæ alligandæ tribus modis uaria sit, muteturque, non diceret simpliciter, haud expedit uariare, quandoquidem addita etiam particula, multum, dicet aliquis Hippocratem falsa prædicasse, propterea quòd imperet nunc, ut fascia laxior inuoluatur, ut sæpius resoluatur, ac deligetur, ut ferulæ non imponantur, & quarto (id quod ubique ab ipso præcipitur) ut fasciarum numerus augeatur, ubi uel laxius deligantur, uel ferulæ omittuntur. sed, quod seruatur, est modus ille uinciendi, qui pertinet ad fracturas, cuius habita ratione dixit in curatione, haud multum expedit uariare. Fascijs enim utendum, quæ primo inijciuntur, quarum una a uitiata parte orsa, ubi ter fuerit super ipsam uoluta, desinat in superiori parte, eoque modo feratum, quo ante proposuit, altera item, quæ super priorem fertur, ab eadem parte incipiat, tum deorsum ducta ad superio-
D ra reuertatur, minusque arctetur: Panni quoque extrinsecus inducendi ad eundem modũ, quo in prioribus declarauit, & super hos fasciæ dandæ, quæ omnia docuit, ubi uinculum fracturæ idoneum indicauit. At, si suspicio est, ne grandior ossis testa recedat, non amplius ad quem modum fracturæ postulant, deuincit, ut proximis uerbis subijciet. Iure igitur hic scripsit, haud multum expedit uariare. Quòd si detracta particula, multum legamus, audiemus ipsum asserentem, non mutandam esse rationem deligandi, quæ ad fracturas posita est. nihil enim mouet, quum similiter atque in ea fascijs illis utatur, quæ primo inijciuntur, & deligare incipiat, ac primo circumagat, posteaque adducat, item pannos æque inijciat, & alliget, quod nihil aliud est, quàm eandem rationem seruare.

21 *At quibus grandius fragmentum expectas ab osse recessurum, siue initio præsenseris, siue postea cognoueris, non amplius eadem medicina opus est. sed quod ad intendendum membrum, ac dirigendum pertinet, idem fieri debet: panni uero dupli-*
A.l.4.f.5.x.2. c.6.p.900.F *ces sint, non angustiores, quàm ut dodrantis dimidium æquent (qua in re contemplari quoque vulnus cuiusmodi sit: oportet) tum quod ad longitudinem, paulo breuiores, quàm ut bis fractum membrum complectantur, multo autem longiores, quàm vt semel, totq; numero sint, quot res postulat. Tincti autem in uino nigro austero primum medij superdentur, perinde ac fasciæ, quæ a medijs orsæ in utramque partem attrahuntur: post hæc ad figuram asciæ dextrum caput ad sinisteriorem partem, sinistrum ad dexteriorem procedat.*

In

*Aſcia ſyncera inæqualis.*



In libro de officina medici, de circuitu faſciæ inquit, ſimplex E orbicularis aſcia. Eſt aſcia breuis ille circuitus, qui rectus incipiens ad latus attrahitur, nondum tamen eſt obliquus, deſinitque ad ſimilitudinem aſciæ, qua fabri utuntur. namque a recta linea paulum recedens curuatur, unde nomen aſciæ traxit. In hanc igitur figuram præcipit, ut panni ſuper fractum membrum imponantur: eorumque capita ducantur, non ſecus atque, ubi faſciæ a medijs orſę uinciuntur, hoc eſt, ut panni ſuper membrum medij primum dentur, deinde eorum capita per uitiatum locum ferantur, non in orbem, ſed paululum inclinati: ſic ut a contraria parte, atque inceperint, ad X literæ ſimilitudinem inter ſe committantur. quod non fieret, ſi circumagerentur in orbem. Nam, quæ ita procedunt, plane inter ſe coeunt. Pannorum longitudinem indicauit, quum inquir, paulo breuiores, quàm ut bis fractum membrum complectantur, multo autem longiores, quàm ut ſemel. præcipit enim mẽbrum ab his ſæpius excipi, ſic, ut ſinguli ſemel ipſum amplectantur. At non continerent firmiter, ſi qua parte committuntur, eadem finirentur, neque ul F tra procederent, aliamque membri particulam complecterentur. Fere autem totius membri dimidium ſecundo pannis inuoluendum eſſe intelligit, quum inquit, paulo breuiores, quàm ut bis fractum membrum complectantur: multo autem longiores, quàm ur ſemel, quod ſane continget, ubi hi dimidium membri ambitum amplexi deſinant. Quare ſi panni pedalis utputa longitudinis totum membrũ ſemel inuoluant: duplo longiores eſſe conueniet ad hoc, ut bis præſtare idem poſſint: ſed, ſi ſecundo ultra dimidium non ferantur, eo longiores ſint, quàm ut ſemel totum membrum excipiant, quo breuiores ſunt, quàm ut idem bis efficiant, erunt autem ſic ſeſquipedales. Diligenter igitur contemplari membri craſſitudinem oportet, & de ipſa pannorum longitudinem coniectare, eoſque tantos admouere, ut primo circuitu totum, ſecundo dimidium duntaxat, complectantur. Vbi minus tuæ coniecturæ confidas, ſi eos ſuper integrum membrum inducas, ad unguem longitudinem reperies. Dubium autem non eſt, quin panni ita cohærere inter ſe debeant, ut nullum inter ipſos inane ſpacium relinquatur. Hos docet ex uino madefieri, quod colore nigrum ſit, guſtu auſterum, habitu uero, quale illiuſmodi uinum eſt, plenum uidelicet. nam ex cunctis uini generibus ad hæc uitia, id optimum eſt, quod nigrum & auſterum eſt. communis enim illi gratia eſt, ob quam in ulcerum uinculis ingeritur, præterquã, quod minus mordet, quàm aliud uinum ex adſtringentibus, quod permagni in eiuſmodi curatione re- G fert. oſtenſum enim eſt ſub dolore inflammationem ſe concipere. quare potius eſt, quod modice, quàm quod uehementer auſterum eſt. quandoquidem hoc dolorem mouet, quum carnem ultra debitum cogat, comprimatque. Quamobrem, nec id utiliter adhibetur, quod tenuium partium, quale album eſt, aut flauum, aut ruffum. quum ad altiores partes exulceratæ carnis penetret, dolorique ſit, eam comprimens, atque adſtringens: at plenum, cuiuſmodi nigrum eſt, ad carnem altius non deſcendit, ſed illam refrigerando & contrahendo, qualitatem duntaxat impertit. repellit itaque ſuccos, qui iam recepti ſunt, & eos, qui influunt, coercet. Ratio igitur eligi uinum hortatur, quod nigrum ſit & auſterum. quamobrem, ubi uelis etiam experimento comprobare, periculum faciens eius facultatis in maximis grauiſſimiſque uulneribus, uerum dixiſſe me cognoſces. Dictum autem eſt etiam in ſuperioribus, oportere ulcus ex eo continenter madere. quandoquidem, ubi ſuperiniecta lintea paulatim ſiccentur, atq; incaleſcant, ulcus inflammari neceſſe eſt, potiſſimum æſtate. Quo tempore, quum pontifices Pergami apud nos ſemper gladiatores darent, eos, qui grauiſſime uulnerati fuerant, curaui, multiplicem pannum uulneribus inducens, iſtiuſmodi uino madentem: extrinſecus uero ſuperimponens ſpongiam mollem: deinde totum fere diem noctemque perfundens. Vulnerato autem membro pellem ſubieci leniter a pedibus ſinuatam, per quam procederet infuſum uinum, & quaſi per canalem efflueret, atq; H inani pelui receptum, regeſtumque rurſus infunderetur. Extra alios uſus, quos uinum hoc præſtat, fere nullum odorem mouet, id, quod inter cetera commodiſſimum eſt, cum ex alijs quod odoratum eſt, maxime caput tentet. nigrum & auſterum, neque etiam eo nomine officit, ſed ſi ullum excitat odorem ille exiguus eſt, cum natura frigidum ſit. Oſtendimus autem in libro de ſimplicium medicamentorum facultate, uinum auſterum natura frigidum eſſe ac terreſtre. Tale igitur, quum ex miſtura conſtet frigida terreſtrique, calidos uapores ad ſuperiora minime tranſmittit. At, quum pleriſque eorum, qui icti ſunt, huius præſidij utendi copia non ſit, quo nos ad gladiatores uſi ſumus, diximus inter initia protinus horum commentariorum inungẽdum eſſe liquidum ceratum, quo ſimplices fracturæ illinuntur, quod uino longe imbecillius eſt, ſatis tamen efficere poteſt id, quod res exigit.

*Imponantur autem hi ſuper ipſum ulcus, & hinc atque hinc, neque ullo modo adſtringãtur, ſed eatenus inſidant, ut ulcus fulciant.*

Nunc rurſus, quum (hinc atque hinc) dixit, ut longitudinem membri, non ut latitudinem indicet. ſeruat autem commune præceptum, ut uincula non parum ſuper integram partem ferantur, ubi ingens uitium eſt, ut cum maxime.

Ad

23 A *Ad vlcera vero admoneatur ceratum, quod picem habeat, vel aliquod ex ijs medicamentis, quæ cruentis vulneribus inijciuntur, vel aliud ex ijs, quæ idonea sunt, quæ perfundantur.*

Summa curationis in perfusione sita est primis diebus, quibus & exprimere ab ulcerata parte conuenit, quidquid humoris in ea iam contractum fuerit, & id prohibere, quod a superiori parte concurrit. A tertio die ceratum, quod picem accipit, expeditius est, quo maturantur, quæ in ulcere collecta sunt. At Hippocrates cerato initio, cum uini proprietate utitur, quòd ulceratas partes attingi nolit a uino puro, sed medium aliquid interijci, ne qua illis iniuria propter adstringentem uini facultatem accedat. non enim medetur uulneribus ensis ictu simpliciter illatis, sed quibus iuxta omnis caro plus minusve quodammodo necesse est, atteratur. siquidem sub quo ictu frangitur os, caro etiam atteritur. Merito igitur super ipsa ulcera imponi quoque uoluit aliquod medicamentum ex ijs, quæ statim cruentis uulneribus inijciuntur, ut attrita curet, ac mitiora efficiat. præcipit autem, ut idonea legantur, quæ id, quod extrinsecus infunditur, admittant. idoneum autem hoc loco εὔπορον dixit.

24 *Si æstas fuerit, panni subinde vino madefiant: superdetur hieme multa lana succida vino atque oleo respersa.*

Quia uitia hæc ubi uehementer frigefiunt, interdum neruorum distentione periclitantur, & uinum B tum habitu, tum natura frigidum infunditur, propterea ueritus, ne quid hieme grauius accidat, quũ frigidæ medicinæ temporis quoque frigus accedat, occurrit immodico frigori lanam multam inducens, tinctam uino, cui olei paulum adiectum sit, imperatque, ut ea succida sit, quo per œsypum aliquid calefaciat, & modice refrigeret.

25 *Subijciaturque pellis sic figurata, vt humor per ipsam facile descendat: & quod effunditur, recipiatur.*

A.l.4.F.5.t.2 c.10.p.902.E

Pellem [illegible] uocauit. quo nomine caprina ne tantum significetur, an alia quæuis, quærere in arte hac superuacuum est, quum non uerborum expositio, sed uitiorum curatio proposita sit, in qua nosse id sufficit, quod subijcere pellem oportet raram non densam, per quam feratur quasi per canalem, nõ modo id, quo perfunditur membrum, sed etiam sanies, quæ abluitur: eamque a pedibus, ut supra posuimus, figurare.

26 *Meminisse etiam debemus exulcerari eiusmodi partes, si diu in eodem habitu perseuerent, & ægerrime ad sanitatem postea perduci.*

Quæ cingunt os sacrum (quod & latum appellant) calefacta, atque exesa in torporem incidunt, & ultra cutem exulcerantur, eaque exulceratio difficulter curatur, quum sub cute sint chartilaginosæ ossium C extremitates, quæ nudatæ cicatricem uix recipiunt.

27 *In ijs, qui aliquo ex superioribus modis, vel ex ijs, qui postea subijcientur, sub vinculis nequeunt ad sanitatem perduci, eo potissimum incumbendum est, vt pars comminuta recte contineatur, atque e regione corporis, ea obseruatione, vt ad superiora magis spectet, quàm ad inferiora.*

Præcipit, ut crus omnino e regione corporis collocetur, sed extrema parte paulo sublimius. De ijs enim superius iam posui ex humiliori habitu ad crus plurimum materiæ concurrere, ex sublimiori dolorem excitari. Hac igitur de causa ubique cauendus est humilior membri habitus, superior uero hactenus accipiendus, quatenus cruri dolorem nondum affert.

28 *Quod si bene expediteque rem agere quis velit, necesse est machinationibus vtatur, vt fracti ossis intentio iusta sit, at minime violenta. præcipue autem ad crura machinationibus opus est. Quidam sane reperiuntur, qui quoties crus abruptum est, & alligatum, extremum pedem ad lectum deuinciunt, aut ad aliud lignum, quod iuxta lectum defigunt. Hi ergo omnia mala efficiunt, nec quicquam boni. eo quod nihil ad extendendum conferat vinculum pedis. quoniam nihilominus reliquum corpus ad pedes fertur, atque ea de causa non amplius extenditur: neque etiam ad continendum e regione aliquid conducat, sed potius peruertat. reliquo enim corpore in hanc, vel illam partem conuerso, vinculum non prohibebit, quominus pes, atque ossa quibus continetur, reliquum corpus sequantur. quod si nullo modo vinciatur, minus vtique D peruertetur. minus enim relinquetur, vbi reliquum corpus moueatur.*

Intentione, quæ per organa adhibetur, quam in his latius, & iam exposuit, & nunc exponit, æque totum membrum extendi, neque ullam sini particulam peruerti, superius ostendimus. Quæ uero scribit de ijs, qui pedem uinciunt, plana sunt, pergamus ergo iam ad sermonem de orbibus.

29 *Si quis e corio Aegyptio binos orbes suat, qualibus vtuntur, qui diu in magnis compedibus detinentur, sintque orbes hi vndique tunicis inuoluti, altioribus quidem a fractura, ab articulo humilioribus, tumidi præterea, & molles. accommodentur autem vnus quidem super talos, infra genu alter, a lateribus vero vtrinque habeant ex simplici vel duplici loro exiguos quasi sinus, alios vtrinque a talis, alios a genu, sinusque superioris orbis e regione illis respondeant, qui in inferiori: Deinde cornea bacula eiusdem magnitudinis prehendat, scilicet digiti crassitudine, & ea longitudine, vt quum flectuntur, diducere ossa possint, sic, vt non inhæreant.*

A Orbis infra genu,
B Orbis super talos.
C Sinus utrinque.
D Cornea bacula.



Sermo de orbibus, quos Hippocrates excogitauit, mihi ita clarus uidetur, ut mea explanatione minime opus sit. Sed quoniam nonnulli sæpius dixerunt nescire se, quomodo se habeant quæ ab Hippocrate traduntur, incertum est quid agã. ijs enim, qui negarunt intelligere se Hippocratem, orbes ipsos monstraui, ac librũ legens, sermonem planum feci, singula eius uerba accõmodans ad eam orbis partem, quam monstrabam, de E F qua ipse tractauerat. In libro autem non licet orbes demonstrare, sic, ut nesciam, qua uia hanc orationem aperiam. si quis enim Hippocratis uerba, quæ plana sunt, comprehendere nequeat, nec mea etiã comprehendet. Ea igitur sæpius legat, ac diligenter consideret. certum enim scio, eum, qui hoc sæpius fecerit, si ante non intellexit, omnino intellecturum. equidem quicquid lucis addere potero, non omittam. Orbes igitur non debemus tales intelligere, quales sunt pilæ, quibus pueri ludunt. illæ enim uere orbes sunt, sed quos Hippocrates parari iubet a compedibus (ut ipse retulit) non abhorrent, quorum afferre similitudinem licet. eos enim concipito anguibus similes uel farcimini. ergo, quemadmodum coqui intestinorum sinus similagine infarcientes, uel carne concisa, uel alio eius generis quopiam, farcimen parant. sic tu quoque corium suito, quod inane intestinum repræsentet, & molli aliqua re impleto. Præcipit autem, ut corium sit Aegyptium, id est, ualidum & molle. quod si in Italia, uel Thracia, aut ubiuis gentium eiusmodi corium habeas, Aegyptium ne quærito. Sit autem assutum corium ita longũ ut compedum modo talos complecti in orbem possit. Alter præterea orbis ad regionem, quæ sub genu est, similiter detur. his enim binis opus est ad singula membra, quæ curantur. quorum item multa paria disparis magnitudinis habeantur, ut prout unicuique conueniunt, huic quidem maiores: illi uero minores inijciantur. hæ autem tunicæ, quas σφαίρας, id est orbes uocauit, ex toto esse in orbẽ G non debent, neque pars latitudinis, aut altitudinis, sed qua cuti hęrent paulatim parescentes quodam modo: qua uero attolluntur, rotundæ, neque etiam exquisitæ tales, sed ab interiori parte magis in altitudinem attollantur, inde in orbis speciem desidant, dum ad cutem perueniãt a parte exteriori. ea pars quæ desidit, in inferiori orbe ad pedem propius accedat, in superiori ad genu. Orbibus igitur (ut dictum est) constitutis, quædam appendices innectantur, quas in utroque uult duas esse, binas in inferiori orbe, quarum sinus sursum spectent ad genu, binas in superiori, quarum sinus contra deorsum conuertantur. hæ autem a lateribus assuantur ab ea nimirum parte, quæ maxime attollitur, hinc una, atque inde altera. in quas conijci uult quatuor bacula extrema, quæ, ubi coniecta fuerint, eodem pene momẽto paulatim curuentur, ut, dum ad naturalem rectum habitum redeunt, orbes compellant, superiorem ad summum membrum, inferiorem ad imum. hoc enim facto fracturæ partes in diuersa extentæ recte componuntur, seruanturque. Imperat autem, ut ob firmitatem ligni bacula e corno accipiantur, constanrq; ad hunc usum ex eo utilius adhiberi. Glossocomum uero machinamentum membris in contrarias partes diducendis aptissimum esse, in superiori commẽtario indicaui, ubi exequutus sum eius structuram.

*Magna cura, ne imæ fustium partes cuti insidant, sed extremis orbibus. Parentur autẽ baculorum paria tria, uel plura: sintque alia alijs aliquanto longiora breuiorave, ut, ubi magis extendere uolumus, commode possimus: demittanturque hinc atque hinc a talis.* H 30

Insidere dixit ἐγκέαται, quasi inhærere significans. edicit enim, ne bacula, quæ ad orbes data ipsos, alterum ad superiora, alterum ad inferiora compellunt, cutem tangant, sed sublimiora ipsis orbium finibus inhæreãt. Cornea uero accipi iussit ob firmitatem, ut quum induntur uehemẽter inflexa rursus dirigantur, & ad pristinũ habitum reducantur. neque dubium est, & sursum, & deorsum orbes per hæc eatenus compelli, quatenus extenta in longitudinem procedent.

*Hac, si recte parentur, iuste intendent, tum pariter e regione, nec fractura aliquod tormentum sentiet. nam, si quid exprimatur, partim ad pedem, partim ad femur transmittetur. Commodius autem bacula collocantur a talis hinc atque hinc ne situm cruris impediant, & ut fractura bene oculis subijciatur & facile curetur.* 31

Δικαίως, idest iuste dixi ab Hippocrate poni pro ἴσως, idest, æqualiter: sed idem significare uidebitur ὁμαλῶς, id est, æqualiter, & ἴσως, id est pariter, quod proxime subijcitur. Verum ἴσως in partibus unius rei accipitur, sed ὁμαλῶς minimum in duabus rebus. Nunc autem, quod inquit iuste intendet, intelligendum est de intentione, quæ per duos orbes in contrarias partes adhibetur, & de corneis baculis in eos

demissis

A demissis. quod uerò subdit, pariter, de ea intentione, quam singula præstant, puta orbis, qui a talis est, si per se æstimetur, dein is, qui iuxta genu, post hæc ea pars, quæ à dextro baculo, dein, quæ a sinistro.

32 *Nihil autem prohibet, si quis uelit, uel duo bacula superiora inter se iungere, uel aliquid etiam superinijcere. sic tamen, ut, quod superinijcitur, a fractura attollatur. Si orbes igitur leues, firmi, molles, ac noui suantur, & bacula recte extendantur (ut iam proposuimus) machinatio maxime idonea est: sed, si quid horum non recte habeat, oberit magis, quàm proficiet. Perpetuum autem est, alias etiam machinationes, uel recte, uel nullo modo adhibendas esse. turpe enim est, & ab artificio plurimum abhorret, machinationibus utentem ipsa machinatione destitui.*

Quatuor erant bacula, ab utraque parte cruris duo, unum superius, alterũ inferius. duo (inquit) quæ a superiori parte sunt, alligari inter se possunt, ut maneant recta, ne dum magna ui curuantur inter se aduersa, ad proxima loca conuertantur.

33 *Plerique tamen medicorum, fractura, seu integra cutis sit, seu uulnus etiam accesserit, primis diebus lana succida medentur. neque id uidetur ab arte alienum. Quicunque sane recentioribus fracturis protinus, ubi lintea non sunt, coguntur lanam imponere, maxime uenia digni sunt. siquidem linteis exceptis nihil est, quod multo commodius, quàm lana super uitia hæc alligetur. ea uero copiose danda est, tum bene carpta, non aspera. pauca enim & mala, parum quoque proficit. Sed, qui*
B *uno die, aut altero uinciendam lanam censent: tertio autem, & quarto lintea inijcientes, tunc maxime adstringunt, atque extendunt, medicinalis artis sunt ignari, atque admodum imprudentes. In uniuersum enim omnia uulnera tertio & quarto die minime vexanda sunt, omnisque opera specilli fugienda est his diebus, & quibuscunq; alijs uulnera recrudescunt. In summa enim uulnera pleraque tertio aut quarto die recrudescunt: tum quæ inflammatione, tum quæ sordibus grauiter excipiuntur, aut febrem inferunt. quo præcepto nullum aliud tradi potest utilius. Nam quæ sunt in medendi arte grauissima quibus id non sit commune? non enim pertinet ad ulcera tantum, sed ad alios quoque morbos complures.*

Propositum auctoris est prauam emendare consuetudinem medicorum, qui satius existimabant, nõ protinus a principio fractum membrum extendere, sed primum duobus aut tribus diebus lenientes, tertio aut quarto die a principio uim adhibere. Hippocrates uero curandi rationem docet huic maxime contrariam, nempe initio membrum extendendum esse, tertio & quarto die leniendum. Quod si, quæ hic scribuntur, singula consideres, plana erunt. aperte enim loquitur.

34 *Nisi si quis dicat, alios quoque morbos esse ulcera, quod quodammodo verisimile est.*

Verisimile dixit, εἰκὸς, quasi probabile. id autem propterea posuit, quia nonnulla a ratione prorsus
C abhorrent. Quo igitur argumento mouebitur, qui alios morbos ulcera esse affirmet? Morbi sane, qui dolorem afferunt, probabiliter admodum annumerari ulceribus possunt. indicaui enim dolorem inde oriri, & quod continuum soluatur, ubi secatur, extenditur, aut contunditur: & quod immoderatum incidat temperamentum. Atqui solutionem continui ad ulcus spectare, cuiuis manifestum est: sed immoderato temperamento, ubi subita mutatio accidat, aliquam fieri continui solutionem, in opere de simplicium medicamentorum facultate demonstrauimus. Calorem quidem constat penetrare, & quasi exedere, quod continuum est: frigus item, quod uehemens est, cum subito cogit, quæ soluta sunt, aliquam creare solutionem, in eodem opere ostensum est. Iuxta hoc igitur non solum probabile, sed uerũ quoque erit dolorem omnem ad ulcerum genus pertinere: at non æque uere, atque id, quod propositum est, non tamen absurde morbi omnes poterunt ulceris nomine appellari. quandoquidem, quũ plerisq; morbis dolor coniungitur, a quibus sermo transferetur ad omnes, quum ratione quis contendet totũ corpus omnino, uel immoderato affici temperamento, uel contundi, extendi, aut euidenter secari: deinde conficiet a quolibet immoderato temperamento continuum aliquid solui. id, quod, quanquam euidenter sensui non subijcitur, rationali tamen contemplatione uerum esse comprobatur. hoc adeo magis accidit in ijs, quæ extenduntur, & contunduntur. hæc siquidem proxime accedunt ad ea, quæ di
D uelluntur, quæ res continui solutio est.

35 *Sæpenumero alij alijs germani sunt.*

Quos consueuimus similes dicere, coniunctos, aut cognatos. Hippocrates solet appellare germanos. quo uocabulo summam rerum coniunctionem consortiumque significat. Nam, cum multi inter se cognati sint, nulli magis proptie cognati dicuntur, quàm germani. Eos igitur, qui maxime coniuncti sunt, quasi eandem coniunctionem habeant, quam germani, eo uerbo nuncupat.

36 *Quicunq; vero existimant lana utendum esse, donec ad septimum diem ventum fuerit, dein extendendum, dirigendum & fascijs vinciendum, non ita uidentur imprudentes. tunc enim inflammationis impetus conquieuit: atque ossa ab his diebus laxantur, & facile tractari possunt. Hac tamen curatione longe melior est, quæ a principio uinculum adhibet, sub qua septimus dies membrum exhibet ex toto alligandis ferulis idoneum. quod sub hac multo posterius contingit.*

Illis in superiori sermone reprehensis, qui tertio, aut quarto die adhiberent uinculum fracturæ accõmodatum, ad eos nũc transit, qui post septimum diem ad id ueniunt, quos minus errare indicat, ut qui partes extendant non ita inflãmatas: sed, qui tertio aut quarto die id efficiunt, quo tempore inflammatio, quum maxime uigeat, lenientibus eget, ab eo non mediocriter accusantur.

37 *Alia etiamnum affert incommoda, quæ omnia persequi longum esset.*

Longitudinis temporis accusauit eam curationem, quæ non nisi post septimum diem uinculo

utitur fracturis accommodato, nunc subdit in alia quoque compellere incommoda, quæ, ne multus sit, E omittit. Nos satius ducimus ea subijcere, moti abijs, quæ in superioribus demonstrauimus. ubi fractura mediocris sit, partes sub hanc uinciendi ratione tumidiores fiunt, ut supra etiam ostendimus: quod si os asperius & grauius perfringatur, periculũ quoque est in eo casu, ne corrũpatur, si uinculum, quod ad fracturas pertinet, dum transeat, septimus dies differatur. hoc enim iubet a primo adhiberi. quoniã in utramque partem a fractura exprimit superantem sanguinem, qui si diutius ibi subsistat, nonnunquam efficit, ut ossa uitiosa sanie plurimum irrigata corrumpantur.

*Quibus ossa fracta & cute excedentia restitui nequeunt hoc modo in suam sedem collocantur.* 38

Solent Græci, qui Asiam incolunt, usurpare uerbum κατατεῖναι, ut significent in suam sedem collocare. unde mihi uidetur Hippocrates dicere nomen κατατάσιν per. ε. tertiam syllabam scribens, sic, ut idem significet, quod καθίδρυσις, quod uocabulum nihil aliud sibi uult, quàm aliquid in suam sedem collocare, quàm rem κατατάσιν dixit. Male igitur scribunt nonnulli κατάτασιν, absque ε. non enim per intentionem, quam κατάτασις notat, sed & per impulsum nudata ossa in suum locum reconduntur.

*Ferramenta facere oportet ad similitudinem uectium, quibus in lapidicinis utuntur, latiora ex vna parte, angustiora ex altera. quæ terna habeantur, aut etiam plura, vt semper adijci aptissima possint. quibus demissis ossa eodem pene momento, quo intenduntur impellenda sunt. Innitantur autem ab imo, inferiori ossi, a summo, superiori: atque (ut uno uerbo dicã) F non aliter, quàm si vectis ad lapidem uel lignum fortiter impellendum admoueatur. sint autem ferramenta quantum fieri potest firmissima, ne flectantur. Hæc itaque curatio maximum momentum habet, si ferramenta idonea sint, & impulsus conueniens adhibeatur.* 39




Constat fabricanda esse ferramenta ad figuram uectium, quibus in lapidicinis utuntur, non tamen æque magna, cum, quæ ad impellenda ossa adhibentur, ab his non abhorreant, quæ ad urgendus dentes comparantur. Verum ad ossa impellenda parari multa debent, quorum alia alijs pleniora, uel tenuiora sint, uel minora, ab extrema parte, qua maxime suum effectum præstant. sed qua uia uti eisdem ferramentis conueniat, Hippocrates ipse euidenter declarat. si quis eius uerba non intelligit, alia expositione, aut interpretatione non indiget, sed oculorum sensu. quædam enim res natura tales sunt, ut aliqui nec discere, nec doceri eas possint, nisi in conspectum G adducantur.

*Ex uniuersis enim machinationibus, quæ ab hominibus excogitatæ sunt, hæ tres sunt omnium ualentissima, axis uersatio, impulsus per uectem, & cuneus adactus. namque homines sine aliquo uno, uel sine omnibus, nullum opus, quod maximam uim postulet, perficiunt. quare non paruifaciendus est impulsus hic. siquidem ossa, uel hac via, uel nulla alia, reconduntur: sed, si id os, quod super alterum excedit, uecti idoneum locum non præstet: sitque ita acutum, ut uectis effugiat, scalpro excauandum, donec uecti locus fiat, cui firmiter hæreat. Impellere autem oportet, atque extendere eodem die, uel postridie, sed non tertio: quarto vero uel quinto minime. nam, si bis diebus lacessita ossa nequeant in suam sedem reuerti, inflammatio superueniet, ac nihilominus etiam, ubi restituantur.* 40

Axes nuncupantur ab Hippocrate uocabulo ὄνοι & ὀνίσκοι. Horũ itaque uersationem ait ualidissimam esse, sicut & uectis impulsum, & cunei admotionem, quam uocat σφήνωσιν, quæ lignorum per cuneos diductionem, diuisionemque significat.

*Atqui multo magis neruorum distentio excitabitur, si os restituatur, quàm, si restitui nequeat. quod quidem ignorare non oportet, nam, si condito osse neruorum distentio superueniat, in angusto spes est: præstat autem iterum expellere, si potest citra molestiam fieri.* 41 A.l.4.f.5.t.2. c.2.p.898.E & 899.B.

Causam, quamobrem his omnibus uitijs inflammatio accedat, ubi ossa cõdantur, ipse deinceps om H nem persequitur, semel ipsam explicasse contentus, non secus atque alia multa, quæ in medicina maximum pondus habent, ut, qui transferendum nobis sermonem censeat ad cetera eiusdem naturæ omnia. Ecce tibi adscribam eius uerba, quibus uniuersum hoc, quod ad multa singularia pertinet, exponit.

*Neque enim ijs, quæ iusto laxiora sunt, neruorum distentio, aut rigor supernascitur, sed ijs quæ ultra debitum intenduntur. Quod ad hunc locum attinet, propositis diebus irritare non conuenit, sed operam dare, ut ulcus quàm minime inflammatione tentetur, & quàm maxime suppuret: atque ubi septem dies, uel paulo plures transierint, si febris non sit, atque ulcus inflammatione uacet, tunc minus prohibemur eniti ad reponendum, vbi voti compotes fieri posse non desperemus, quoniam sine effectus spe non conuenit, & sibi & alteri molestiam afferre. Ergo, si ossa in suam sedem collocentur, quæ curatio admouenda sit, iam declaratum est, siue abscessura credamus, siue non. Quòd si abscessura esse uideantur (ut dixi) fasciæ in omnibus his ordiri a medijs debent, plerumque, quemadmodum illæ, quæ primæ circumdantur, in vtramque partem attractæ.* 42

Ostensum est in libro de motu musculorum singulos musculos suo munere fungi, ubi uersus suum initium contrahuntur. quę res, quando inuitis nobis accidit ob inflammationis magnitudinem, nerui distenduntur. Cur igitur, si reponantur ossa, quæ fracta aut luxata inter se cesserunt, musculorũ distẽtio sequitur? Quæstio ex eo præsertim diluitur, quod membrum redditur breuius, quum fractum, uel luxatum

A luxatum os cute excedit:sed postquam in suum locum reposita sunt, quæ nudata erant, suam longitudinem recipiunt.in quo casu coguntur musculi, quos inflammatio exercet, una cum toto membro distendi.duobus igitur modis distenduntur,& sub inflammatione,& nunc, quum ad pristinam longitudinem reuertunt.

43 *Attendenda insuper est figura ulceris, ne sub vinculo hiet, ac diuaricetur.*

Translatione usus duo hæc uerba usurpat, hiare scilicet, quod χάσκῃ dixit, ducto quidem uerbo a labijs oris:& diuaricari, quod ἐκπλάζεσθαι.a cruribus plurimũ inter se diductis.diducta enim crura diuaricata dicimus:labia uero, quum sine motu maxillę inter se distant, hiantia. namque, ubi os sic aperitur, ut labia non coeant, dentes uero inter se committantur, hiare dicitur. Cauet autem, ne ore uulneris diductæ uinciantur.uult enim eas contrahi cutis partibus suum situm recipientibus. quandoquidem subiectum musculorum ulcus hac uia minime comprimetur,& maxime tegetur.scire enim licet, quæcunque cute conteguntur, hac eadem delectari, nihilque nudari innocenter. At quid mirum est, si ea, quibus cutis proprium, atque innatum uelamentum est, semper uelamento gaudent innato, ceterisque omnibus læduntur? Equidem, quum nihil ex cute præciderem, sed eam ab ulterioribus partibus super lo-
B cum inducerem, a quo detracta erat, agglutinatam uidi,&(quod magis admiratione dignum est) quum locus iam nigritie occuparetur. Illud item longe admirabilius, quòd non modo adolescentibus, sed senibus non paucis, cutem ita detractam, protinus, ubi in plaga nigresceret, sæpe agglutinaui. At nuda caro, si sine cute relinquatur, ægre ad cicatricem perducitur, præterquam quòd morsum omnino sentit,& sordida redditur. medicamenta enim, quæ inflammationem coercent, ac leniunt, cuiusmodi est, quod ἔναιμον, & quod τετραφάρμακον nũcupatur, affectam partem ab inflammatione tuentur, sed ulcus sordidum efficiunt: quæ uero ulcus purgant, ob detergendi facultatem mordent. Sed, ubi pars, a qua detracta cutis est, eadem contegatur, nulli eiusmodi noxæ paret. quod simile est, atque ubi pustulæ sub uarijs causis ortæ in tumorem assurgunt,& interdum grauem afferunt dolorem. acuta enim acu (ut nosti) eas aperio, ut exitum habeant, collectoque ibi humore leuiter expresso, superiectam cutem relinquo. Hæ deinde iterum implentur præcluso foramine, impleræque eodem modo aperiuntur, humore expresso cutis ad carnem compellitur, seruaturque, dum quod sub ea exulceratum est, ad cicatricem perueniat. Hęc dixisse uolui, ut aperte ostenderem ulcus quodlibet innata cute contegendum esse. hic autem non quodcunque tractatur, sed quod alte penitus insedit, quum caro tota ab ossibus discussa sit. non enim cute excederent, nisi prius uniuersam carnem incidissent. Hanc igitur melius est proxima cu-
C te uelari, namq;, ubi nuda sit, contactu medicamentorum, quibus nutritur, si oleum accipiant, & ulcus mitius reddant, sordida euadit: sin purgent sordem,& detergendi uim habeant, morsum sentit. At, ubi iniecta medicamenta, per cutem, suam facultatem carni exulceratæ impartiant, nulla ipsorum particula penetrante, proderunt quidem, sed nullum afferent ex superioribus incommodis. Iure igitur Hippocrates magni momenti existimat oras huiusmodi ulcerum contrahi, id, quod bene utique cedet, si diligenter figura ulceris animaduertatur. si una enim ora in alterũ latus inclinetur, fascia inde orsa ad contrarium conuertenda est: si pariter in utrumque, media primo inijci debet, atque oræ uulneris inter se committi.

44 *Fascia commode quibusdam a dextra parte attrahitur, quibusdam a sinistra, alijs in utramque partem ducitur. Quæcunque autem ossa reuerti in suam sedem non potuerunt, hæc scire licet abscessura esse, non secus etiam ea, quæ ex toto carne sunt nudata. nudatur autem quibusdam pars superior, plerisque uero emoritur caro, quæ circa fracturam est.*

Εὐτρόπως dixit, ut commode significaret, inutili translatione usus, quod mihi libuit notasse. quãdoquidem eloquentissimus quisque translationem usurpat ut rem apertius declaret.

45 D *Ossa quædam sub fractura diuturna alijs putrescunt, alijs minime,& quibusdam grauius, quibusdam leuius: tum modo grandia, modo exigua ossa infestantur. Ob hæc igitur, quæ posita sunt, non licet uno uerbo explicare, quo tempore abscessura sint. nonnulla enim,& quod exigua sunt,& quòd in summo continentur, celerius excidunt: nonnulla non excidunt, sed aresfacta,& putria squamam remittunt. præter hæc multum curatio alia ab alia differt. Fere tamen ossa illis celerrime abscedunt, in quibus celerrime pus apparet,& celerrime etiam, atque optime caro increscit. caro enim, quæ in uitiata parte succrescit, plerunque os attollit. Ambitus ergo totius ossis, si quadraginta diebus abscedit, optime abscedet, quum nonnulla usque ad sexagesimum perueniant. Rariora quidem ossa maturius abscedunt, firmiora serius, alia, quæ minora sunt intra tempus multo breuius, atque alia aliter.*

Ossa, quæ putrescunt ἀποσαπήσεται dixit, uerbo ducto a nomine σαπρὸ. nominant autem quæcunq; corrupta sunt, σαπρὰ idque non recte, quæcunq; enim & uetusta,& diuturna sunt, ab ipso dicuntur σαπρὰ.

46 *His autem de causis os præcidendum est, si restitui nequit,& parum quid excedere uideatur, abscindere hoc licet, si noxium sit,& carnem aliqua ex parte vulneret, ac molestiam afferat, nudatumque sit, hoc quoq; abscindendum est. Reliqua uero nõ multum refert, præcidantur necne. scire enim certũ licet ossa, quæ carne nudata sunt ex toto,& arida, omnia penitus abscessura. ea uero præcidi non oportet, a quibus squama resoluenda est. ex propositis antẽ indicijs, cõijciendum est, quæ penitus abscessura sint. Ad horum curationẽ pannis utendũ est, ac uini perfusione, sicut ante indicauimus, in ossibus, quæ abscessura*

*sura sunt:cauendumque ne frigida aliqua re a principio perfundantur. nam periculum est, ne cum febre grauis horror se-* E
*quatur, neve neruorum distentio superueniat.nam frigida semper neruorum distentionem afferunt, præsertim ulceribus.Il-*
*lud item ignorare non oportet, quòd membra, in quibus utraque ossa comminuta sunt, dum inter se cedentia curantur, & ea*
*quibus fragmentum a toto ossis ambitu recedit, necesse est breuiora fiant.*

Causas appellauit προφάσιας, patet autem ab eo hic quoque sic uocari, nõ falsas, sed ueras causas. uni-
uersus autem sermo de ossibus putribus planus est, quũ imperat, ut id ex ipsis præcidatur, quod in cau-
sa est, cur non condantur ut quod proximam carnem pũgit, atque (ut ipse ait) molestiam affert, hoc est,
cum perturbatione, atque tormento reponitur. Addit insuper futurum prorsus, ut ea ossa abscedant,
quæ nudata protinus restituta non fuerunt, ad hæc, quæ inaruerunt.

*Quibus femoris uel humeri os excessit, fere non euadunt. sunt enim ossa hæc grandia, & medullosa. adde quòd multa ac* 47
*magna simul lacerentur, nerui scilicet musculi, ac uenæ. Quòd si reponantur, solet neruorum distentio superuenire: si non re-*
*ponantur, acutæ, biliosæque febres cum singultu, ac nigritie. non minus euadunt, quibus nec reponimus, nec reponere tenta-*
*mus: magis adhuc euadunt, quibus inferior pars ossis, quàm quibus superior excessit. Euadere etiam possunt, quibus repo-*
*nuntur, raro tamen. multum enim curatio, multumque natura corporis, alia ab alia distat, quod ad facile ferendum atti-*
*net: multũ quoq; refert, an ab exteriori humeri femoris ve parte ossa excesserint. multæ enim, & grandes uenæ per interiorẽ*
*partem feruntur, quarum nonnullæ uulneratæ hominem iugulant: per exteriorem uero pauciores intendunt. In eiusmodi igi-* F
*tur casibus, pericu li meminisse oportet, quod proprie circunstat, idque in tempore prædicere. quod si restituere cogaris, spe-*
*resque te id assequuturum, neque ossa nimium inter se cesserint, neque musculi contracti sint (consueuerunt enim ad suum ini-*
*tium recurrere) hæc quoque per uectem impellendo, extendendoque in suam sedem reponito.*

Constat quibus ossa hæc nudantur, non tam ossium, quàm musculorum, neruorum, arteriarum ac ue-
narum magnitudine periclitari: ad hæc quoniam propiora sunt neruorum, musculorumque initijs. di-
ximus autem in opere de musculis, ubi ossa inter se cesserint, eos facile in seipsos contrahi, id quod sæ-
pius adduximus. Cetera, si animum adiungas, in aperto sunt.

*Vbi restituantur, ueratrum molle potui dandum est eodem die, si eodem die restituuntur, alioquin, ne tentare quidem* 48
*oportet. ulcus uero curandum est, non aliter, quàm caluaria ossa, ubi comminuuntur. nihil frigidum imponendum, a cibo pe-*
*nitus abstinendum.*

Incertum est, quid sibi uelit, molle. patet autem, uel qualitatem potionis, uel modum significare. ne
mo autem de modo exiguo, molle, proprie dictum existimaret, nec qua ratione Hippocrates præpara-
ri ipsum uelit, facile intelligitur. Nos sane radiculam ex oxymelle interdum dedimus, in quam ueratri
radicum surculi duntaxat per totum diem, ac noctem fuissent infixi. Huiusmodi autem purgatio per ue
ratrũ leuior est. ipsa autem res comprehẽdi sane non põt, quum nõ adiecerit, quo pacto dari debeat. sci G
mus. n. & ueteres medicos, & iuniores, & qui inter hos sunt, sumendi ueratri uarias rationes prodidisse.

*Si homo naturaliter amara bilẽ redundat, sustineri debet potione aquæ, cui oxyglycis odorati paulum aspersum fuerit:* 49
*sed, si amara bile non redundet, contentus sit aqua potu. siquidem continenti febre laboret, non minus quatuordecim die-*
*bus hoc uictu utatur: sin febre uacet, septem.*

Contrariam huic scripturam habet Artemidorus, qui Capito cognominatus est, uolens, ubi amara
bilis non superet, dandum oxyglyces: ubi superet, aquam. Scripsit autem hoc modo, si homo naturali-
ter amara bile non redundet, sustineri debet potione aquæ, cui oxyglycis odorati paulum aspersum
fuerit: sed si amara bile redũdet, cõtentus sit aquæ potu. Quidã alij cum Artemidoro scripturam hanc
superiori præpositã habẽt. quãquã in libro de ratione uictus in morbis acutis Artemidorus ipse eũ locũ
ubi Hippo. agit de potione aquæ, ita scribit, Alioquin nec sitim tollit, sed amara efficitur: biliosis. n. natu
raliter bilẽ facit, & præcordijs aliena est: infestissima uero est, potissimũq; bilẽ facit, & uires conuellit,
cũ inani corpore assumitũ. Qui locus, quũ a quibusdam ita scribatũ: bilẽ. n. naturaliter facit, & præcordijs
aliena est, Artemidorus ipse priori scripturæ potius subscripsit, in qua adijcitur, biliosis, atq; ita legit, bi
liosis. n. naturaliter bilẽ facit, uolẽs aquã nõ simpliciter cuilibet, sed biliosis dũtaxat bilẽ facere. Quo
pacto igitur nunc dat aquã bibere, quibus amara bilis abundat, nisi forte si existimat amara bile redun- H
dantes, quos Hippoc. uocat πικροχόλους alios esse, atq; biliosos. sed nemo est qui nesciat illos uocari πικρο-
χόλους, in quibus amara bilis redundat. nãq; altera bilis, quæ nigra cõspicitur, acida est: quæ uero pallida,
& flaua, amara. Patet aũt ob uitia, quibus lãguens detinetũ, uinum remoueri. si quis aũt amara bile natu-
raliter redundet, quũ ab aquæ potione plurimũ lædatũ, quẽadmodũ dictũ est in opere de ratione uictus
in morbis acutis. huic tantum permittit dari paululũ omnino oxyglycis, quam misturam nominãt etiã
ἀπόμελι. Eligit aũt id, quod dulce est, ne tentet partes neruosas. nam, quod magis acidũ est, magis nocet,
ac præsertim, ubi ex melle constat, & aceto, non ex fauis (ut supra indicauimus) quo modo in Hellade
quidem, atque Eli potissimum componitur, nos in alijs regionibus ex fauis conficimus, acetum melli
adijcientes, post hæc incoquentes, donec eorum qualitates in unitatẽ coierint, atq; aceti uis frãgatur.

*Deinde paulatim pro ratione ad quemlibet uictum reuertatur. quibus item recondita ossa non fuerint: eadem purgatio* 50
*conuenit: eodem modo uulnus curandum, & eadem abstinentia seruanda: pars item corporis, quæ tumida est, extendi non de-*
*bet, sed contrahi potius, vt spatium in vlcere laxius sit. Ossa autem longiori tempore abscedunt, quemadmodum supra di-*
*ctum est. Cauere autem hæc oportet, præsertim si bella cautio est. siquidem spes in angusto est, & pericula multa circunstant,*
*atque ubi ossa non reponantur: medicus uidetur arte destitui: vbi reponantur, homo ad interitum magis præcipitatur, quàm*
*liberetur.*

Antea

A Antea quoque diximus quamlibet uictus rationem, quæ exquisite contraria est ab Hippocrate φαύλην nuncupari.

51 *Vbi ossa genu, uel toto loco mota sunt, uel paulum excesserunt, casus multo mitior est, quàm ubi ea, quæ in cubito sunt, uel toto loco mouentur, uel paulum excedunt.*

Quum ossa toto loco mouentur ὀλισθήματα dicit, quum paululum excidunt διακινήματα. mitiorem uero casum εὐηθέστερον appellauit, iuxta propriam significationem uerbi εὐήθης, quo significatur bonos habens mores. nam, si stolidus græce uocatur εὐήθης similiter dicitur, atque γλυκεῖα & καλλίας. γλυκεῖαν quidem uocant suem, ubi dijs immolatur, ut blande rem appellent: καλλίαν uero simiam. nam ab hoc quoque uocabulo cauent, quod testantur Callimachus quum ait,

Bestia nanque unam ante horam non dicitur esse.

52 *Nam pro magnitudine tenuior est articulus femoris, quàm humeri.*

Commissura genu duobus ossibus continetur inter se commissis, femoris scilicet, ac tibiæ. sed, sicut in ceteris commissuris necesse est quoddam cauum esse, in quod se inserat caput ossis, quod recipitur, B atque ipsum caput rotundum esse, ut prompte facileque in cauum conijciatur: ita etiam in commissura genu, extremum quidem femur insinuatur, tibiæ uero caput recipit. nam, quum hæc femori subiecta sit, duo eius tubercula, duobus cauis admitti respondentibus, quæ media apte distinguuntur cartilagine quadam neruosa. Merito igitur Hippocrates ex ossibus, quæ inter se committuntur, articulum uocat, non id, quod proximum processum accipit, sed, quod in cauo recipitur, nũc autem inquit, Tenuior est articulus femoris, quàm humeri. quoniam, ubi articulus hic, id est, imum femoris caput cum tibia committitur, tenuior est, hoc est minus tumet: non tamen simpliciter est minor humero, qua cum cubito coniungitur, sed, si pro portione æstimetur. nã, si imum femoris caput magnitudini femoris responderet, longe maius esset. sed res aliter habet. multo enim maius est femoris os, quàm humeri: imum uero femur paulo maius est, quàm imus humerus.

53 *Atque hic unus iustam naturam habet, eamque rotundam.*

Femoris articulus, qui in genu est solus, inquit, iustam naturam habet. Constat autem (ut sæpenumero indicauimus) iustum ab ipso intelligi, quod æquale est. Si scrutemur itaque diligenter, qua ratione dicat hunc unũ naturã æqualẽ habere, inueniemus nullas in eo partes excedere, quum omnes inter se similes sint, quumque unam tantum commissuram habeant. Igitur, quia femur ea parte in duos rotun- C dos processus finitur æqualis magnitudinis ac figuræ, qui in duos tibiæ sinus æquales conijciuntur: & quia utrunque extremum femoris scilicet, ac tibiæ situm est e regione totius ossis, ea de causa iure quis dicet articulum hunc iustam naturam habere. superius enim femoris caput, quod cum coxa committitur, neque e regione femoris est. siquidem uidetur in interiorem partem proiectum, neque magnitudini eius respondet, cum multo plenius sit femur, quàm humerus, ac nihilominus summum caput humeri longe minus sit, quàm femoris: at neque ipsum humeri caput e regione humeri situm est. Quòd si ceteras spectes commissuras, nullam inuenies habere omnem æqualitatem, quam in genu proposuimus. Ac non longe abieris, extrema tibia, quæ suræ iuncta, cum talo committitur, neque appendices, neque sinus habet ossibus respondentes. necesse enim fuit, si ita se habere debuit, quemadmodum tibia longe crassior est, quàm sura, sic eius appendicem & ab interiori parte commissuræ, qua caua est, & ab exteriori, qua gibba, maiorem esse. sed res aliter habet. quin & ipse talus non simplicem figuram repræsentat, qua committitur, sed uariam, partesque habet plurimum inter se differentes. Inuenies autem ab his non abhorrere commissuram cubiti, & radij cum manu. Quòd si omnia persequi uelim, cogar longius labi, & multo magis, si ceterorum articulorum omnium naturam exponam, ut maxillæ uertebrarum, & ossis, quod latum appellatur. satius igitur duxi rem summatim, breuique sermone complectens D ad alia transire. is sermo sic habet. De natura omnium ossium scriptus est a nobis liber unus, ubi uniuscuiusque magnitudinem, figuram, commissuramque explicauimus. quem, si quis præ manibus habeat, inueniet uere hoc loco propositum esse, inter commissuras omnes, solam, quæ in genu est, ad unguem iustam esse.

54 *Humeri autem articulus magnus est, & plures recessus habet.*

Quum propositum ipsi fuerit genu, & cubiti commissuram inter se conferre, quumque ostenderit casus genu mitiores esse, quàm cubiti, hanc rem conficere uolens, dixit, nam pro magnitudine tenuior est articulus femoris, quàm humeri: & insuper adiecit: atque hic iustam naturam habet. Quod abunde fuisset, si genu cum cubiti commissura duntaxat comparasset. sed quoniam orationi adijcit unus, quũ inquit, atq; hic unus iustam naturam habet: cogiť articulorũ omnium naturam referre, quam nullus simplicem habet, sed tum figuræ ac magnitudinis inæqualis, tum partium dissimilium. Nunc igitur, quum ad cubiti commissuram ueniat, ostendatq; partes eius dissimiles esse, & inæquales, nos quoque uerba eius sequuti, quæ proponuntur, singula explicabimus. Magnum ergo esse inquit humeri caput in cubiti cõmissura, idque non immerito. latescit. n. hac parte pluraq; habet capita inæqualia, quæ κόνδυλοι, i. tubercula græce dicunt. at nullum eorum cauo recipitur, quemadmodum euenit in genu, nisi gibbum quoddam, quod inter ea medium est, & trochleæ imaginem repræsentat. quum ex magnis tuberculis

humeri, quod interius est, cum nullo osse coniungatur. quod ab exteriori parte est, committatur cum E
radio in summum eius sinum coniectum. Hactenus humerum uidemus excipi cubito ac radio: sed alio
rursus modo humerus cubiti processus excipit, cum ab utraque parte quantum satis est, sinuetur, mi-
nus quidē a priori, magis a posteriori, quum & cubiti processus, quos a rostri similitudine Græci, & fœ
minino genere κορώνας, & neutro κορώνα uocant, non sint æque magni, quique a posteriori parte est, ma-
ior sit. Quocirca cubiti commissura uaria & inæqualis est, ac dissimilium partium. atq; ob hanc causam
recte ait Hippocrates iustum esse articulum in genu, in cubito nō item. Sed cur dixit & plures recessus
habet? an eo quia uoluit cubitum cum genu conferre? sunt enim in genu duo recessus tibiæ duntaxat,
sicut & duo femoris tubercula, sed in cubiti commissura unus est magnus cubiti recessus, qui duobus
processibus terminatur, uno quidem breuiori a priori parte, a posteriori altero magis oblongo. ipse au
tem humerus duobus recessibus excauatur quasi foueis quibusdā, in quos conijci diximus cubiti pro-
cessus: exculptus item est alio recessu, qui medius trochleam repræsentat.

*Ad hæc ossium cruris longitudo similis est, sed quod ab exteriori parte est, paululum excedit, idque non est animaduer-* 55
*sione dignum, nihilque magni momenti prohibet, ab hoc oritur exterior chorda, quæ iuxta poplitem sita est.*

Paulo maius esse ait exterius os, quod suram dicunt, quod & in superioribus iam posuit, cum simpli E
cis fracturæ cruris curationem tradidit. nos autem, quod eo loco diximus, nunc etiam repetimus, ima
parte suram tibia longiorem esse, a genu autem magis dicendum est tibiam esse longiorem. non enim
coniungitur femur cum sura, uerum (ut paulo ante diximus) caput suræ, quod ab exterioti parte est in
cauo tibiæ, ab eadem parte recipitur. Sed qua de causa dixerit a sura nihil, quod magni momēti sit, pro-
hiberi, manifestum est ijs, qui librum de usu partium legerint, ubi ostendimus in omnium articulorum
fabricatione duplex fuisse consilium, nempe, ut permittat membrum sine impedimento suos usus præ-
stare, prohibeatque (quod Hippocrates dixit κίνημα) ne suo loco ossa moueantur. ut permittat quidem
membrum suos usus præstare, efficiunt, & caua in summo existentia, & ligamenta laxa: stabilem com-
missuram reddunt caua admodum sinuata, altioresque oras habentia, tum firmioris naturæ ligamenta,
breuioraque, ad hæc robustæ chordæ ualentesq; cingentes commissuram a parte exteriori. Sura igitur
ad firmitatem commissuræ genu nihil confert, nisi paululum quid, id quod expressit his uerbis: ab hoc
oritur chorda, quæ iuxta poplitem sita est. Ad eius autem exquisitam cognitionem non debes expecta
re, dum corpus incidatur, cum in omnibus gracilibus euidenter quoque se ostendat ante corporis se-
ctionem. At quamobrem chordas, id est, extremos musculos, cum in neruos degenerāt, τένοντας uocet,
sæpenumero declarauimus. Chorda hæc ab exteriori parte poplitis sita ab eadem commissuram quoq; G
adstringendo ad huius partis firmitatem conducit, prohibetque, ne femur in eam prorumpat.

*Sed brachii ossa inæqualia sunt, quodque breuius est, multo plenius est, quod tenuius, plurimum ultra articulum fertur* 56
*atque excedit.*

Inæqualia dixit brachij ossa, non quòd cum crure hæc conferat, quasi crus inæqualia ossa nō habeat,
quippe, quum in eo posuerit longius esse, quod ab exteriori parte situm est: sed, quod exterius os tibiā
excedat, minimum tamen, cubitus uero plurimum. nam si diligenter summa pars cruris inspiciatur, su-
ra uidetur paulo minor quàm tibia, eademque in imo crure aperte longior conspicitur. Ergo, quia sura
in summa parte paulo minor est, præ ut in ima excedit: cubitus autem tota sua eminentia radium exce-
dit, idcircò dixit ultra articulum ferri, articulum nominans, uel commissuram uniuersam, uel extremū
humeri, quod cauo cubiti C literam referenti inseritur.

*Neruis item illigatur, qua parte ossa inter se coniunguntur.* 57

Ligamenta nunc neruos appellat, ubique autem eos ita uocat: lata uero ligamenta, & quasi mem-
branas circa commissuram nominari neruos patebit ex ijs quæ proxime subijcit, sed & absque illis eui- H
dentissimum est, nullum ex ijs, qui proprie nerui nominantur, ad os pertinere. hoc siquidem proprium
est ligamentorum, ac propterea chordarum, quum hæ naturam habeant mixtam ex neruis ac ligamen-
tis. Hæc autē omnia absolute tradita sunt a nobis in libro de motu musculorum. sed, nunc ad id uenien
dum est, quod in propositis uerbis exequitur. Illigatur (inquit) id cubiti, quod excedit, id est, eminentia
cubiti, ligamentis commissuram comprehendentibus, qua parte ossa inter se iungūtur, cubitus scilicet
& radius. quod idcirco protulit, quia ultra hunc locum, totum id, quod in posteriorem proiectū est, car
nis est expers, neque ligamentis commissuræ aliquo modo comprehenditur. ipsi enim innectitur late-
scens chorda musculi illius, qui cubiti commissuram extendit.

*Pluribus autem neruis ad humerum alligatur id os, quod tenuius est quàm quod crassius. Natura igitur horum artica* 58
*lorum, atque ossium talis est.*

Ex his uerbis colligi diximus totius commissuræ ligamenta, neruos ab Hippocrate nominari, quæ
quidem ab imo humero orta, summo cubito, ac radio ea parte innectunt̄. euenit. n. in omni commissura
ut lata ligamenta, quæ ipsum comprehendunt, ita communia sint ossium, quæ inter se committuntur,
ut crassæ membranæ uideantur. hæc autem capiti radij etiam iunguntur, sed magna ex parte cubito
atque

A atque ea de causa dixit,pluribus autem neruis ad humerum alligatur id os,quod tenue est,quàm quod crassius,hoc est cubitus,quàm radius.siquidem ambo ad humerũ alligantur per ligamenta innexa,quæ nunc retuli neruos ab Hippocrate appellari,sed pluribus alligatur cubitus.

59 *Ob cuius naturæ modum ossa, quæ in genu articulo sunt, sæpius excidunt, & facilius reconduntur.*

Ossium enim, quibus utraque commissura continetur,structura arctior est in cubito,laxior in genu. Huc accedit, quòd multi processus multique sinus inter se commissi,undiquaque cubiti commissuram adstringunt: at in genu femoris tubercula in exiguos ac resupinatos tibiæ sinus conijciuntur. Iure igitur articulus hic magis prolabitur,& celerrime reuertitur.

60 *Inflammatio vero non magna supernascitur,neque articuli vinculum.*

Oritur inflammatio ui, qua ossa expelluntur, quaque in suam sedem collocantur. Sed in genu, quũ utrunque facile, & sine magna ui incidat,inflammatio non oritur,quæ,quũ absit, articuli uinculum nõ sequitur. sub quo cum neque facile extendatur,neque facile curuetur,ægre post curationem mouetur. Fit autem huiusmodi uinculum ea de causa,quia articulus inflectitur ob neruos ac ligamenta, quibus continetur,quæ sub immodica inflammatione extenduntur. Quocirca articulus ob quasdam inflammationis reliquias ita ægre mobilis redditur, ut alligatus esse uideatur. Nam,quum chordæ ac ligamẽ
B ta,quæ ipsum illigant,comprehenduntque, & extendi, & in omnibus prompte sequi musculos articulum mouentes non possint,sed propter duritiem in contrariam partem attrahant,affectus uinculo similis proficiscitur. Verum in cubiti commissura,quum tenues extremitates processuum cubiti interdum confringantur, & ubi excidunt, & ubi conduntur: quumque multorum concursus sit, uinculum articuli grauius oritur, & curatu difficilius.

61 *Plerunque autem in interiorem partem mouetur,interdum in exteriorem, nonnunquam in poplitem, quæ mutationes vniuersæ difficiles non sunt. sed, si in exteriorem vel interiorem partem erumpat, super sedile aliquod humile collocare hominem oportet. crure sublimiori quidem, sed non multo.*

Qua parte articulus magis adstringitur, ea minus elabitur. perfecte igitur a priori parte adstringitur,qua patella est,quam nonnulli medici,cum toti genu opposita sit, ἐπιγονατίδα merito appellant.hãc ab exteriori parte continet lata quædam chorda, cuius initium est, a ligamentis, quæ a priori parte femoris sunt. ea uero per totam patellam fertur, ac tibiæ capiti innectitur. Priorem igitur partẽ commissuræ genu, & patella,& chorda,quæ(ut dictũ est) ad tibiæ caput pertinet,optime tuentur: sed posteriorem exquisite rotundam adstringit caput eius musculi, quo curuatur crus.est quidem hic musculus exiguus,atque ob eam causam ipsa commissura absconditus,latet eos, qui corpora incidunt. maxime
C autem crassum caput habet,quod ualidissimis ligamentis constat.Supersunt duæ partes in commissura genu,exterior & interior,quæ nulla tali tutela sepiuntur, quali prior & posterior. atque idcirco femur in eas prolabitur. magis autem in interiorem,ut quæ minus septa sit.

62 *Fere satis est modice extendere, crus scilicet ab inferiori parte, femur a contraria.*

Quum extendendi aperte mentionem fecisset,de reponendo nihil meminit, ut de re, quæ plana sit, quòd optime nouerimus perpetuum esse in articulis omnibus reponendis ad contrariam partem eius, in quam uenit,prolapsum articulum repellere.At,ubi reponimus,si quædam eminentia ossis non longa extat,os,quod reponendum est,dirigere conuenit. quod etiã docet non secus,ac fecerit in cubiti commissura.Nihil autem de genu articulo meminit,quum in poplitem prolabitur,quoniam eadem ratione conditur,atque ubi in exteriorem uel interiorem partem mouetur. membro enim in diuersa diducto, articulus, qui excidit in priorem partem, adurgendus est.

*Molestiora sunt, quæ in cubiti, quàm, quæ in genu articulo incidunt, & maiori negocio restituuntur, idque ob*
63 *inflammationem, nisi protinus restituantur. Excidunt quidem hæc minus quàm illa, sed ægrius in suum locum collocantur, diriguntur que, magisque inflammatione prehenduntur, & callo circundantur. hæc item fere paulu-*
D *lum excedunt, idque modo ad pectus, modo in exteriorem partem: articulus autem non toto loco mouetur, sed aliquid ex cubiti processu, qua excedit, in humeri cauo manet. Hæc igitur, vbi in hanc vel illam partem procidunt, facile reuertuntur. satis autem est e regione humeri recta extendere, sic, vt vnus brachium a prima palmæ parte extendat, alter prehendat hominem sub ala: alius item vna manu ad os, quod extat, admota, prominentiori eius palmæ parte ipsum propellat, altera vero prope articulum data cogat in contrariam partem. atque hæc quidem luxata non ægre in suam sedem reponuntur, si priusquam inflammatio superueniat, recondantur. plerunque igitur in exteriorem partem ueniunt, veniunt & in interiorem. figura autem ipsa exprimuntur, sæpiusque hæc licet absque valida intentione restituere. Necesse est, vbi in interiorem partem erumpant, articulum ad naturalem sedem repellere: brachium vero magis in pronum habitum conuersum circumducere. Cubitus ergo plerunque in has partes excidit, sed, si humeri articulus in hanc, vel illam partem moueatur vltra cubiti processum, qui in cauo eius recipitur, quod raro accidit: sed, si accidat, ad hæc luxata non amplius accommodatur directa extendendi ratio. namque vbi sic extendimus, id cubiti, quod excedit, prohibet, quo minus sequi humerus possit. Quæ igitur sic luxantur, eo modo extendenda sunt, qui ante traditus est ad extendendum humerum fractum, quum alligandus est. ab ala enim conuenit sursum versus extendere, a cubito deorsum cogere. Humerus enim hac ratione diductus e regione sui recessus collocabitur, sic, vt non hæreat. hoc, vbi accidet, facile restituemus prominentioribus palmarum partibus, partim id humeri, quod extat, impulsum reponentes, partim id cubiti, quod iuxta humeri articulum est, a contraria parte coactum in suam sedem collocantes, eodem modo in vtroque*

*casu.hac autem intentio ad huiusmodi luxata iustissima est : restitui etiam possent, si recta intentio adhiberetur , minus ta-* E
*men,quàm si hoc modo intendantur.At humero ut in priorem partem erumpat raro admodum accidit.Sed, quid subita uis
non expellit ? multa enim suo loco excidunt,licet magnum sit,quo prohibentur.In hoc autem casu grande est , quod super
os crassius excedit,plurimumq; nerui tenduntur.quibusdam tamen excidit, cuius rei id signum est , quod neque minimum
quid curuare cubitum possunt , quod etiam articulum contingenti patet. Nisi ergo subito reponatur , graues , uehemen-
tesque inflammationes cum febre oriuntur : sed , si statim occurratur,non magno negocio conditur.Expedit autem linteum
durum,implicitum,non magnum , qua parte cubitus curuatur,transuersum inijcere,tum repente cubitum flectere, & quan
tum maxime potest,manum ad humeri caput porrigere.hac enim reponendi ratio,ijs,quæ sic luxata sunt,abunde est . Po-
test item directus intendendi modus ad hanc reponendi rationem aptari. debet autem, qui restituit , prominentioribus pal-
marum partibus id humeri,quod,qua cubitus curuatur,præter naturam extat, retro cogere : alter ab interiori parte cu-
biti eminentiam adurgere,sic,ut ad cubitum ipsum e regione spectet.Valet autem ad huiusmodi luxata ille extendendi mo-
dus,quem supra narrauimus,pertinere ad extendendum humeri ossa comminuta,quum uincienda sunt . Intentione adhibi-
ta prominentiores palmarum partes admouendæ sunt,quemadmodum in prioribus demonstrauimus . Verum,ubi humerus
in posteriorem partem erumpat(id quod raro accidit)maxime omnium dolorem mouet, & febrem,eaque sub pura bile con
tinuatur,mortifera est,& paucis diebus hominem præcipitat:homo autem extendere brachium nequit. Quòd si a principio
protinus adhibearis,coge cubitum extendi,ac per se restituetur : si iam febris anteuerterit,non amplius reponendus est.ad-* F
*hibita enim ui dolor hominem interimeret.atque(ut uno uerbo dicam)nullum articulum,dum febris est,compellere in suam
sedem conuenit,sed minime omnium cubitum.Obnoxia item est cubiti iunctura alijs grauibus noxis. hoc enim os crassius est
quàmque ab altero diducitur.ea neque curuari,neque extendi similiter potest.id patebit,si quis priorem iuncturæ partem tan
gat,qua diuiditur uena,quæ a superiori parte lacerti procedit.quæ res ubi accidit,non facile restituitur . Neque enim alia
ossa,quæ bina inter se iunguntur,ubi dehiscunt,facile in pristinum locum reuertuntur.sed necesse est ossibus sic diductis par
tem reddi tumidam. rationem uero,quæ deligare conuenit,posuimus, ubi uinculum eius commissuræ , quæ ad talos est,osten-
dimus.Est etiam,quum perrumpitur,interdum os cubiti,quod humero subiectum est: interdum eius chartilago, a qua nasci-
tur chorda,quæ sita est in humeri parte posteriori.id,quum accidit,febrem concitat , & malis uitijs annumeratur : articu-
lus tamen suo loco remanet.basis enim eius tota hac parte excedit.At,quum ea pars comminuitur,quæ subiecta est hume-
ri capiti,articulus huc atque illuc mouetur,si transuersa penitus frangitur.Sed(ut summatim rem exponam ) leuiora uitia
sunt,sub quibus os frangitur,quàm sunt quibus hoc inuiolato uenæ ac nerui grandiores ibi conteruntur. hac enim hominem
magis ad interitum præcipitant,quàm illa,si continua febris accedat,sed huiusmodi fractura raro accidit.Est etiam inter-
dum,quum imum humeri caput frangitur,qua prominet.id autem multo grauius uidetur uitijs , quæ cubito incidunt, sed
aliquanto leuius est.Qua ergo uia restitui potissimum , curarique luxata singula debeant,diximus:atque id etiam , articu-
lum protinus reponendum esse,quòd nerui celerrime inflammatione prehendantur.nam si,ubi excidant, statim recondan-* G
*tur,nerui tamen contrahi solent,aliquandiu consuetam porrectionem,contractionemque non præstare . Curare autem hæc
omnia similiter conuenit,& quæ comminuuntur,& quæ dehiscunt,& quæ procedunt.omnia enim pluribus fascijs pannisque
& cerato nutrienda sunt,non secus ac cetera,quæ franguntur.Figuranda autem est in his omnibus cubiti commissura,sicut
quando humerus & cubitus fractus deligabatur.huiusmodi enim habitus maxime communis est omnium,quæ excidunt,de-
hiscunt,aut franguntur:maxime item communis mutationis,quæ postea sequitur,siue curuari illa , siue extendi debeat . ab
eo enim habitu mota æque , & curuari, & extendi potest . Præterea membrum ita figuratum citra molestiam ægrotantis
continetur atque suspenditur.Ad hac,si extento brachio callus obducere-
tur , contineretque , satius esset nullo modo increuisse. multum enim esset
impedimento,& parum proficeret.expeditius autem esset callo curuatum
brachium firmari . multo autem melius est callum circundari brachio me
dio inter hos habitu collocato. Hactenus de figurando. Deligare autem
conuenit fascia capite super uitiatam partem iniecto,seu fracta sit,seu pro
lapsa,seu diducta,eaque primos circuitus dare,ac maxime adstringere,sed
hinc atque hinc leuius,uinculoq; & humerum & brachium comprehendi,
& utrunque magis,quàm plerique soleant,ut a uitiata sede tumor , quàm* H
*longissime ad partes,quæ hinc sunt atque hinc,depellatur.Inijciatur autem
uinculum eminentiæ cubiti,si ea parte uitium sit , ne tumor ibi excitetur.
Cauendum insuper est,quantum potest,ne in uinciēdo plurimum uinculum
colligatur.qua cubitus flectitur.adstringenda uero est.quàm maxime pars
uitiata.reliqua eadem sequantur,quod ad uinculum spectat, arctius ac la-
xius:atque eodem tempore singula, quo superius scripsimus in curatione
fracturæ:tum tertio quoque die fasciæ soluantur,ac rursus alligentur, sen-
tianturq; tertio die laxæ,sicut in fracturis . Ferulæ quoque debito tempore
circumdentur.nihil enim aliena sunt,tam si fractura sit,quàm si non sit,ni-
si homo febricitet.laxissime autem imponantur,ac tum ad humerum,tum
ad brachium dentur,neque crassa sint:adhiberi item debent inæquales in-
ter se sic,ut una alteram excedat, quantum conferre ad flexum conijcie-
mus.quin et panni superinijciendi sunt eadem ratione,qua ferulas diximus.
sed quæ uitium est,paulo pleniores.Temporis uero coniecturam facere opor
tet,& ex inflammatione,& ex iis,quæ supra scripsimus.*

A Linteum conuolutum in cubiti commissuram coniectum.
B Cubitus repente conflexus.



GAL.

# GALENI IN HIPPOCRATEM DE ARTICVLIS COMMENTARIVS PRIMVS.

*Vido Vidio Florentino interprete.*

## PRIMI LIB. ARGVMENTVM.

*Quemadmodum in libro de fracturis multa dicta sunt, quæ ad luxatos articulos pertinent, & quo modo suum in locum reducerentur, est commonstratum; ita in hoc, qui de articulis est, multa de fracturis habentur: atque in prima eius parte de humeri articulo restituendo, de summo humero, deque iugulo agitur.*

B LIBRVM hunc illi proxime subiectum esse, qui de fracturis est, in commẽtarijs
in eum iam diximus, quod nunc paucis etiam dicemus. Eam rem ante omnia
plane demonstrat principium utriusque libri. in illo enim ita orditur, Medicũ
oportet, quæ suo loco mota sunt, & fracta recto admodum habitu intendere:
ubi aperte de fractis ac luxatis tractaturum se indicat. Sed in hoc rursus, ab
initio protinus coniunctionem, autem, adiungit. quæ ibi adijci solet, ubi ali-
quid agitur, cuius ante mentio facta fuerit: nunquam tamen in principio ser-
monis adscribitur. quanquam nonnulli ad id sapientiæ deuenerunt, ut Xeno-
phontis librum, qui œconomicus dicitur, adducant, inde putantes fidem facere, ueteres solitos esse cõ
iunctionem in principio sermonis usurpare: ac propterea Xenophontis libri tale esse initium asserunt.
Audiui autem ex eo, cum etiam de re familiari tuenda apud me talia dissereret: non intelligentes eum
librum postremum esse inter eos, quos de Socratis dictis ac factis memorabilibus scripsit. Ad hæc ip-
sa rerum doctrina testatur librum hunc ei, qui de fracturis est proxime subijci. ibi enim pollicitus de fra
ctis luxatisque tractare, quæcunque ibi explicanda reliquit, hic exequitur, sic, ut nihil in opere deside-
retur, atque ea de causa dixi Hippocratem iuxta quorundam sententiam uniuersum hoc opus in duos
C libros non secasse, sed uno colligasse, cumque inscripsisse de officina medici, qui præ magnitudine po-
stea ab altero distinctus fuit in duos. Nullum autem fracturæ, aut luxati genus fuisse ab Hippocrate
prætermissum, exceptis, quæ ad caput pertinent, cum alio libro ab ipso tradantur, euidentissimum est, si
in memoriam reuocentur, & quæ in libro de fracturis prodidit, & quæ in hoc ipso ostensurus est. In li-
bro itaque de fracturis scripsit de brachio, cubito, crure ac femore comminuto, tum de ijs, quæ pedi in-
cidunt & manui, postea de illis fracturis, quibus ulcus accedit, & ossa nudantur, postremo de omnibus
uitijs genu & cubiti. restabant adhuc ex luxatis humeri caput, quod cum lato scapularum osse commit
titur, & femoris caput, quod coxa recipitur, maxilla & spina: ex fractis, costæ, maxilla, nasus, auriculæ,
quæ in hoc libro persequitur. sed & de ossibus, quæ dehiscunt, ac de ijs, quæ circa articulos conterũtur
in utroque libro tractat, & si quid in eo, qui de fracturis est, pręterijt, in hoc adiecit, ita, ut nullum super-
sit genus fracti, prolapsi, aut diducti ossis. scripsit etiam de musculis, uenis ac neruis collisis, & de alijs,
quæ (ut retuli) satis testantur hunc librum illi, qui de fracturis est, subijciendum esse. Huc accedit, quòd
in hoc ipso exponit uniuersam structurã machinamenti illius, quod in eo uoluit paratũ haberi medicis,
qui in magna ciuitate medicinam faciunt, simulque in memoriam reducit, illius se ante mentionem fe
cisse. Id machinamentum a medicis, qui post ipsum fuerunt, scamnum Hippocratis appellatur. sed sa-
D tis hactenus ostendimus librum hunc proxime sequi eum, qui de fracturis est. Ad expositionem igitur
eius ueniamus, adhuc illud præfati, quod in enodatione libri de fracturis proposuimus, nempe sermo-
nem Hippocratis planum esse, minimaque expositione indigere apud eum, qui primis disciplinis insti-
tutus sit, quique fuerit in Hippocratis sermone uersatus. si quis enim ita paratus ossiũ hominis, uel cer-
te simiæ, commissuras inspexerit, facilius adhuc comprehendet, quæ in hoc opere traduntur. si quis au-
tem incidendis musculis operam dederit, & prudens alioquin natura fuerit, huic (certum scio) superua-
cua uidebuntur complura eorum, quæ in ijs commentarijs posuimus. quandoquidem uerba Hippo-
cratis prius tenebit, quàm a me exponantur. sed quoniam non his commentaria scribimus, satius arbi
tror aliorũ habita ratione, si quid uel parum uideatur obscurum, id nullo modo præterire.

1 *Articulum autem lati scapularum ossis noui uno modo excidere, nempe in alam.*

Ostensum iam est in superiori libro Hippocratem solitum esse mutuari nomen articuli ad significan
dum ossium, quæ inter se committuntur, non cauum, quo proximi ossis caput recipitur, sed ipsum ca-
put. nunc uero meminisse etiam oportet humeri caput, quod grande est, inseri in extremitatem cerui-
cis lati scapularum ossis, quæ leniter caua est: tum consuesse Hippocratem interdum eiusmodi res ita
exprimere, ut nunc, quum inquit, articulum autem lati scapularum ossis, interdum non ita, sed ac si di-

ceret, Articulum, qui cum lato scapularum osse committitur. quemadmodum in libro de fracturis, ubi E sæpenumero scribit, articulus, qui ad genu. uno modo, inquit, hoc est, in unam partem scire se hunc articulum excidere, quod an uere sic habeat in ijs, quæ sequuntur, considerabimus.

*In superiorem uero locum, aut in exteriorem nunquam.* 2

Cauum id, quod (ut retuli) in extrema ceruice lati scapularum ossis situm est, in priorem partem spectat. quare ubi humerus in superiorem partem porrigitur, illius caput eo cauo prorsus toto recipitur. At, quum commissuræ uniuersæ sex sint partes circumstantes, superior & inferior, prior & posterior, exterior & interior: pars huius commissuræ exquisitæ superior tegitur carnosa parte illius musculi, qui, quod literam Δ. repræsentet δελτοειδὴς a quibusdam nominatur: qua uero ad collum inclinat, superiectũ habet dorsum lati scapularum ossis, qua id summum cum iugulo coniungitur. ab interiori parte obijcitur processus lati scapularum ossis, quem nonnulli ab anchoræ similitudine uocant ἀγκυροειδῆ, alij a rostri figura κορακοειδῆ: hic itaque prohibet, quo minus in eam partem articulus elabatur, in posteriorem quis nostrum poterit concipere, quum ibi latum scapularum os sit? Restant quatuor loca non septa, in quæ putare licet articulum erumpere, quorum omnium meminit: inferioris quidem initio libri, quum inquit, Articulum autem lati scapularum ossis noui uno modo excidere, nempe in alam. reliquorum uero F trium nominatim, primo superioris, deinde exterioris, tertio prioris. Consideremus igitur quid de duobus modis dicat, quos aggressus est proximis uerbis.

*Non est tamen, quod contendere cupiam, excidat ne an non, & si de eo non desit, quod dicam. sed in priorem partem elapsum, nec uidi unquam, nec elabi posse existimo. censent tamen quidam medici in priorem partem plurimum excidere. decipiuntur autem maxime iis, quorum caro circa articulum & humerum tabe consumpta est. siquidem in his humeri caput in priori parte prominens se ostendit. Ego quum in eam partem procidisse articulum negarem, propterea, & a medicis, & a uulgo male audiui. unus enim habitus sum ignarus, ceterique omnes periti, uixque persuadere illis potui rem ita habere.* 3

Exequutus duas partes, in quas excidit, superiorem scilicet, & exteriorem, testatusque ex utrisque in neutram se uidisse articulum luxatum, quasi de utraque pertractans adscripta nunc uerba proposuit. Quod autem postea ponit, cum inquit, & si de eo non desit, quod dicam, aperte uidetur ad alteram propositarum partium referri. nam, si referri ad utramque uoluisset, non loquutus esset singulari numero, de eo. An de solo exteriori loco intelligit, siquidem uerba hæc ab eo loco proxime subijciuntur: & si de eo non desit, quod dicam? Potest ẽt (ut nõnulli accipiũt) de utroq; loco id scripsisse, usus antiqua loquẽ G di figura, quasi ita scripserit, & si non desit de ea re, quod dicam. Aiunt nonnulli dari posse, scripturam hanc corruptam esse, cum a primo librario non recte fuerit descripta, &, quum nemo deinde ausus fuerit ipsam corrigere, hactenus corruptam perseuerare. Nos autem in quodam exẽplo ita scriptũ inuenimus, & si non desit de ijs, quod dicam, quum aliquis non dubitarit aliter scribere, quàm alibi reperiretur. sed, siue de utroq; loco, siue de altero tantum dicat, nõ est, quod cõtendere cupiã, operæpreciũ nobis est utrũq; contẽplari, quod attinet ad eius uerba illo duntaxat adiecto, quod uerbo ἱμείρειν significauit cõtendere cupio. id. n. nihil aliud notat, quemadmodũ & uerbũ ἐθέλω uidere cupio, unde Homerus deduxit uocabulum ἐθελοντὴς, significans cupientes uidere, quum inquit, τοῦ ἕνεκ' ἐθέλοντες αὐτοῦ ἰδεῖν. Consideremus igitur causam, quamobrem ait nolle se aliquid dicere, & si non desit, quod dicat, primo intelligentes, quæ nam sint, quæ dicere posset. Constat aũt, si quid dicendum omnino sibi statuisset, ex partium natura inueniendũ fuisse. partiũ aũt naturã demõstrauimus ad unguẽ in libro de ossibus, in eo qui est de musculis incidendis, & in eo, qui de ratione incidendi corporis. natura. n. arteriarum uenarũ, neruorũ nihil ad hunc locũ facit, quia casus oẽs, ubi articuli excidunt, fiũt ac prohibentur, & ob ossium cõmissuram, & ob musculos, quibus illa cõprehenditur, ad quã rem nihil cõferũt, aut prohibent uenæ, nerui, & arteriæ. Ac ne lõgius a proposito discedamus lati scapularum ossis articulus inter ceteros oẽs H facillime prolabitur. quoniam unius formæ est, & simplex, non duplex, quemadmodũ, qui in genu est, neque uarius, & nullo modo simplex, quemadmodũ, qui in cubito: & quoniã humeri caput grande est, & sine oblonga ceruice in sinum parum desidentem conijcitur. femur uero caput paruum habet, & ceruicem oblongam, id uero cauum, quo recipitur, ualde sinuatum est, & altis labris cingitur. adde quòd in summo capite per ualidissimum ligamentum ad suum cauum, qua maxime altum est, distinetur. Iure itaque femur raro procidit, sæpe humerus, ut qui neque ligamentum habeat, neque in altiori cauo se insinuet. Necesse autem est, cum prolabitur, principio in eam partem moueri, in quam compellitur ui illius habitus, quo figuratur, ubi manere necessario non potest, & quòd suopte nutu deorsum feratur, & quòd interdum prohibeatur angustia loci, siue ob ossium processus, siue ob musculorum uires. Igitur lati scapularum ossis commissura superiectum habet a superiori parte summum lati scapularum ossis, qua cum iugulo coniungitur, & ideo, quamuis in eam aliquando articulus moueatur, quum ab ossibus quæ ibi sunt, non admittatur, statim pondere inclinatum deorsum feretur: ab exteriori uero magnis musculis continetur, præterquam quòd articulus deorsum naturaliter inclinatur. interdum tamen uiolẽtus habitus, qui musculos possit inter se diducere, potest in spacium, quod inter eos est, articulum cõpellere, quo deinde adstrictus musculis contineatur. atque hac de causa dixit Hippocrates nolle se cõtendere,

A tendere, excidatne articulus humeri, an non. quatenus enim deorsum fertur, manere in priori parte non potest: diductis autem musculis (ut dictum est) nihil alienum uidetur adstrictum ibi contineri. Hęc adducere potuit de humeri capite luxato in alium locum, quàm in alam. sed, cum id nunquam uiderit, commentitias causas scribendas esse minime credidit, ubique magis fide dignum existimans, quod euidenter apparet, quàm quod a ratione ducitur. Sic & quæcunque ipse ad curationē excogitauit, priusquam nos doceat, experimento comprobat. non sicut nonnulli ex iunioribus medicis, qui in scriptis de ratione medendi, nobis ea imperarunt, quæ ipsi nunquam ante sunt experti. Sed & ipse Hippocrates in hoc libro, quum tractasset de ijs, quæ spinæ incidunt, subdidissetque posse experimēto redargui, quæ ipse excogitasset, inquit, Pulchra enim huiusmodi monumenra sunt eorum, quæ, cum experti sumus, sine effectu inuenimus, & causarum, propter quas parum processerint.

4 *Siquis carnem detraxerit ab ea parte, quæ superiecta commissuræ humeri cum lato scapularum osse ad ceruicem intendit, & ab ea, qua situs est musculus, qui versus superiorem partem extendit, & a chorda iuxta alam, & a iugulo ad pectus humeri caput, quamuis prolapsum non sit, in priori parte admodum se ostendet. naturaliter enim humeri caput in priorem partem prominet: reliquum vero ossis humeri in exteriorem conuertit ur.*

B Βραχίων, quem humerum uertimus, dicitur ea totius brachij pars, quæ inter duos articulos sita est. duos autem articulos intelligi uolo, & eum, qui ad latum scapularum os, & eum, qui ad cubitum est; ἐπωμὶς uero illa, quæ superiecta commissuræ humeri cum lato scapularum osse ad ceruices intendit. ὦμος enim græce nominatur ex tota commissura id, quod oculis subijcitur. nam quod lati scapularum ossis minime se ostendit, a posteriori parte situm est: ab inferiori omne id, quod apparet, quum totum brachium sursum porrigitur, ala nuncupatur. Præfatus igitur Hippocrates, ubi in carne, quæ humeri commissuram contegit, macies summa oritur, caput humeri ita extans conspici, ut quibusdam excidisse uideatur, docet uniuersam eius naturam ex arte corporis incidendi, præcipiens, ut si quis aperte intueri ipsam uelit, ab ea parte, quæ superiecta commissuræ humeri cum lato scapularum osse ad ceruicem intendit, carnem detrahat, hoc est, scalpello circumcidat, donec, quæ in commissura sunt, ossa nudentur: detrahat similiter ab ea chorda, quæ iuxta alam est. terni enim hic musculi sunt, primus a lato scapularum osse ac iugulo oritur, quem a similitudine literæ Δ uocant δελτοειδῆ. Huius musculi, quod carnosum est, tegit uniuersam commissuram, chorda in longitudinem tendit per os humeri, cui illigatur altera chorda grandioris musculi, qui a pectore incipiens cum superiori connectitur, qua sita uena est, quæ sub ala ad cubitum procedit. Meminit etiam huius ipsius, quū inquit: & a chorda iuxta
C alam: sed, quum ait: & ab ea, qua situs est musculus, qui uersus superiorem partem extendit: potuit loqui de musculo, qui Δ literam repræsentat, cuius, quod carnosum est, operit uniuersam commissuram. potuit etiam musculū illum intelligere, qui orsus a priori parte ceruicis, a duobus capitibus ligamenta ualida habet, quorum alterum a lati scapularum ossis processu anchoræ simili, alterum a sublimiori labro ceruicis eiusdem ossis dependet.

5 *Versatur humerus in cauo lati scapularum ossis a laterē, vbi brachium iuxta latus extenditur: at vbi totum in priorem partem porrigitur, humeri caput e regione caui lati scapularum ossis collocatur, neque amplius videtur in priorem partem excedere. Ergo, quod propositum est, nunquam vidi, humeri caput in priorem partem promoueri, non tamen contendere velim, eo nec ne promoueatur, Quum humerus igitur in alam excidat, complures vestituendi peritiam habet, quippe quum multis excidat: callere autem omnes modos, quibus medici luxatum reponant, & qua ratione ipsis vtendum sit, eruditi est. Tunc autem adhibere modum validissimum debes, cum maxima vi opus esse intelligis. validissimus autem est, qui omnium postremus adscribitur.*

Versari dixit ὁμιλεῖν, quod uocabulum græce fere mutuâtur antiqui, non ad significādum colloqui, quemadmodum nūc plerique, sed hac uoce intelligunt inter se conuenire, & quasi una uersari, quod
D ὁμοῦ εἰλεῖσθαι dicebant. quin & Homerus eodem modo id usurpat in ijs, quæ scribit in clipeo appicta fuisse a Vulcano, cum inquit, Non secus, ac uiui conuersabātur. Humerum itaque a latere ait uersari in cauo lati scapularum ossis, ubi brachium iuxta latus extenditur, ὁμιλεῖν dicens uersari, ut eo uerbo significaret simul esse, & ipsum contingere. At ubi (inquit) brachium totum in priorem partem porrigitur, humeri caput e regione sinus lati scapularum ossis collocatur, neque, cum erectum maneat, uidetur amplius in priorem partem excedere.

6 *Quibus humeri caput sæpenumero excidit, ipsi per se restituere vt plurimum possint.*

A.l.4.f.5.t.1. c.1.p.611.D. In commentarijs quoque de fracturis ostendi articulos duabus de causis frequenter uel leui occasione erumpere, aut enim ob ipsos sinus parum desidentes, atque ipsis labris resupinatos: aut ob humorem earum partium, quæ commissuram comprehendunt, ob quem laxantur, & facile extenduntur. Adieci etiam articulos ijsdem de causis prompte restitui. quam ob rem ab ægrotantibus per se citra operam medici reponuntur.

7 *In alam enim conijcientes tubercula digitorum alterius manus, articulum ad superiorem partem adurgent: cubitum vero ad pectus adducunt.*

Primus restituendi modus hic est, quum seu æger ipse, seu medicus aliquis humeri capitis digitorū

tubercul:

tubercula subijcit,non quouis modo,sed a parte interiori ut primo ad priorem partem caput humeri E
compellat,dein ad superiorem,ipsumque e regione collocet sui caui.ubi(ut arbitror)musculi,qui com
missuram complectuntur: ipsi subseruient,& efficiendi socij erunt. ipse enim ait in opere de fracturis,
quod & nos in libro de motu musculorum, id proprium esse atque innatum musculis,ut in seipsos con
trahantur.non.n.a seipsis,sed quiescentes atque ociosi,ab ijs,qui in contraria parte siti sunt,tenduntur.
Hic musculorum motus humeri caput in alam luxatum non patitur in eodem loco manere, sed ipsum
attrahit ad latus, dum expellatur,subijciaturque ceruici lati scapularum ossis. Quocirca tria in restituē
do sunt agenda.primo quidem in priorem partem impellendum est,deinde in superiorem, postremo in
posteriorem.hoc siquidem necesse est quocunq; modo quis reponere id tentauerit. Igitur, ubi partes,
quæ commissuram comprehendunt,naturaliter madent,& laxæ sunt,humeri caput, uel leuiter intento
brachio in priorem partē adducitur:at,ubi ualidæ sint,ualentius intēdi debet. Quamobrem plures in-
uēti sunt restituēdi modi,quorū omniū caput unū est,quod ego retuli.spectat autem ad ea tria,quæ pro
posui agenda.inueniūtur hæc ex eo,quod maxime commune est & generale,positum quidem ab Hip-
pocrate:demonstratū uero a nobis in libris de ratione curādi,quod & nūc et docebimus, quantū pote
rit breuissime,nēpe ex ijs,quæ naturaliter habent,nihil esse corrigendum.siquidem ea nobis consilium
est nō tollere,sed tueri: quæ uero præter naturā sunt,propositum est in naturalē statū restituere.necesse F
aūt est id,quod in antiquā sedem,unde excessit,reuersurū est,rursus idē iter facere,quod perinde est, ac
si dicas contrariū iter facere.nā ijs, qui Athenis Eleusinē proficiscūtur iter contrariū non aliud appella
ri pōt,quàm Eleusine Athenas.quanquā primū iter,quod fecerunt Athenis abeuntes, postremum est,
ubi redeunt.Considerato igitur in singulis luxatis,unde cœperit articulus expelli, qua processerit, &
ubi constiterit.oportebit.n.excidendi finē,principium esse reuertēdi,atq; inde rursus ad excidēdi prin
cipiū procedere. Ac ne lōgius discedamus in proposito casu,cū humeri caput suo loco motū in priorē
partē uenit,ob pondus deorsum fertur,deinde in posteriorē partē ad latus ui musculorū attrahitur. cū
ergo reuerti ad suā sedē debet,inchoari a posteriori regione necesse est,tunc q; primo in priorem partē
impelli,postea sursum adduci:deinde,cum situm est e regione sui caui, duorū alterū faciendum est, uel
res tota musculis cōmittenda,uel una cū ipsis attrahentibus adurgendū est.at,ubi rē musculis cōmise-
ris,inferiorē locū sine fulctura ne relinquito.sustineri.n.hic re aliqua humerū oportet,ne,cum musculi
nondū sic confirmati sint,ut ipsum attrahāt,deorsum feratur,priusquā ab illis in suā sedem adducatur.
Ergo,cū tria hæc itinera sint,optimū est,unūquodq; ad rectā lineā fieri.primo quidē in priorē partem,
deinde in superiorē,tertio in posteriorē.sæpe aūt non sic,sed circa ceruicē lati scapularū ossis circūducē
tes humeri caput restituimus,cuius sane generis est primus reponendi modus per digitos,uel ipsius ho G
minis,uel medici.Eum modū appellat Hippocrates κατὰ περιφέρειαν, quasi dicas, ex circumuagatione:
qui citra noxam proficit in cōmissura humeri cū lato sca-
pularū osse,quippe,quæ nullū oblōgū processum habeat,
neq; in capite humeri.ex toto.n.rotūdū est,neq; in labris
illius caui,quo recipit̄. Quibus itaq; sæpe promouet̄, ne-
cesse est cōmissurā esse laxā,& cauū exiguis labris cōtine-
ri,atq; ea de causa ipsi per seipsos articulū restituunt, qui-
bus ita habet,integræ manus digitorū tubercula in alā cō
ijcientes,sic,ut inter latus & humeri caput demittantur:
in quo casu digiti uicē uectis præstāt,cū tubercula in acu-
tū desināt ad effigiē summi cunei.hac igit̄ summitate faci
le inter humeri caput,& latus inseruntur, qd̄ si ibi semel
admittātur,cū facile restitui possit ob humorē partiū,quæ
cōmissurā cōprehendunt, digiti quidē ea parte protinus
admissi articulū a latere in priorē partē reducūt.at cubitus H
quū ad pectus adducit̄,humerū attollit̄: cūq; digiti simul
interim impellāt,& circūducant iuxta inferiorē & priorē
partē cōmissuræ,humeri caput ad sui caui orā ascendit. q̄
si semel eo fuerit cōpulsum,leui momēto in ipsum cauum
reuertitur.hic autem restituendi finis fuit.

*A Digiti demissi sub ala ab interiori parte articuli prolapsi.*
*B Caput obiectum, qua ingulum cum lato scapularum osse committitur.*
*C Alter cubitum ad pectus adducens.*




*Eundem restituēdi modū adhibere medicus poterit, si sub ala ab* 8
*interiori parte articuli prolapsi digitos demittēs,a latere ipsum redu*
*cat:suum uero caput ad renitendum obijciat, qua ingulum cum lato*
*scapularum osse committitur, genibus iuxta cubiti uncturam ad hu-*
*merum datis ad latus repellat. Expedit autem eum,qui restituet, ma*
*nu strenua esse.uel ipse manibus & capite, quod dictum est, prastet,*
*alter cubitum ad pectus adducat.*

Medici in restituēdis luxatis quædā agūt, idiotis quo-
que communia,id quod nunc faciunt in proposito resti-
tuendi modo: quædam proprie adijciunt ijs,quæ commu
nia

A nia sunt.commune est medicorũ pariter & idiotarum per digitos impellere,& humerum attollere: sed propriũ medicorũ,caput obijcere homini,qua iugulũ cũ lato scapularum osse committitur, & humerũ adurgere genibus ad imũ eius datis. Obijcitur autem caput,ne homo sequatur,quũ humerus digitorũ impulsu in priorem partem adducitur,quæ primo fieri debent,tum tertio genibus adurgendum, quod in eo tẽpore totius curationis,quæ per manum admouetur,opportunissime fit,quũ humeri caput a latere penitus reductum,non protinus occurrit ceruici lati scapularum ossis.tunc.n.neq; oportet articulum in priorẽ partẽ adducere,sed in superiorem compellere.quod optime continget,si quis imum humerum ad latus trudat.quatenus.n.in interiorem atque inferiorem partem fertur, eatenus, quod ipsi opponitur,in contrarias partes ducitur. At,ubi humeri caput in priorem simul & superiorem uenit, facile reconditur. Sed, si nolit medicus genibus imum humerum adurgere,imperet alteri, ut ipsum ad pectus adducat.hoc supra ostensum est fieri ab idiota, quòd sæpe articulus excidat, edocto qua ratione agendum sit: sed cui nunc primum excidit,non licet id efficere, nisi si generosus est, atque aduersis rebus non perturbatur.hic siquidem iussus a medico per se ad ceruicem humerum excitabit.

9 *Reponitur item humeri caput,quum brachium retrodatur ad dorsum,tum altera manu emmentia cubiti sursum compel*
B *litur,altera a posteriori parte urgetur articulus.*

Hoc restituendi modo magis circumducimus,quàm superiori,sed sub ipso etiam necesse est in tres partes articulum agi,quæ tamen singulæ proprijs finibus nõ circumscribuntur,neque angulum efficit, quum ex una parte ad aliam transfertur,sed in orbem deducitur.perinde ac si anguli a quadrato retundantur. Quid autem accidat,quum articulus in orbem agitur, circumduciturque, plane intelliges ex descriptione huius figuræ.




Concipito caput humeri, quem articulum lati scapularum ossis uocat, quum primo agitur,ferri a latere ad partem priorem per lineam C. D. inde sursum per lineam D.B. postea in suum cauum conijci,ubi A. quòd si ita feratur,non circunducitur: sed,si anguli D. B. quasi infringantur,nõ amplius per tres lineas rectas feretur, sed per unam curuam. Sic itaq; circumactus humerus ad horã adducitur sui caui.ad quam ubi uenit,modico impulsu in suam sedẽ reuertitur. Atque hoc commune est omnium, quæ circumducendo reponuntur.id quod etiam euenit ei restituendi modo,quem nunc exprimit, siquidem brachio in posteriorem partem ducto ad spinam,quum necessario humerus sequatur,caput huius in priorẽ ac superiorem partem translatũ circũducetur,primo circa inferiorem partem commissuræ, deinde circa
C priorem,donec ascendat ad oram sui caui,in quod,ubi coniectũ fuerit,continebitur,tuncque restituẽdi finis est.Quemadmodũ aũt in superiori modo restituendi,ne homo sequens in priorem partem conuerteretur,præcipit medico,ut capite obiecto summum lati scapularum ossis,qua cũ iugulo committitur,retro,repelleret:ita nunc,ne in posteriorẽ partẽ conuertatur,contrarium imperat, ut scilicet manu obiecta a posteriori parte totius commissuræ,hominem in priorem repellat.

10 *Hic reponendi modus,atque is,qui superius positus est,secundum naturam non sunt: circumagentes tamen in suam sedem articulum cogunt.*

Dixit non secundum naturam esse,eo quòd articulus ad rectã lineam non feratur,sed in orbem magis,ut ostensum est.qua in re periculum est,ne abscindantur processus aliqui. Quod autem inquit, cogunt: uim eorum indicat.

11 *Sed, qui per calcem reponere nituntur,prope secundum naturam cogunt.*

Qua de causa hunc reponendi modum asserat prope secundum naturam esse, aperte intelliges, quũ ipsum uniuersum cognoueris:quod fiet,ubi,quæ subijciuntur,animaduertas.

12 *Hominem oportet humi resupinare,medicum uero ab ea parte,a qua articulus eruperit humi sedere, deinde suis manibus hominis brachium affectum prehendere,ac deorsum uersus extendere,& calce in alam demisso,dextro quidẽ in dextrã,*
D *sinistro in sinistram,in contrariam partem urgere. necesse autem est in sinum alæ rotundum aliquid demittere, quod ibi aptetur,maxime idoneæ sunt pilæ paruæ admodum,ac duræ,quæ e corio fere suuntur.nam, nisi tale aliquid indatur, non potest calx ad humeri caput peruenire. brachio enim ab inferiori parte extento,sinuatur ala,quoniam chordæ ab utraq; parte alam coastringunt inter se aduersæ. Oportet autem aliquem ab altera parte eius,qui extenditur,sedentem,continere hominem ab integri humeri cum lato scapularum osse commissura,ne corpus ducatur affecto brachio ab altera parte extento: post,loro molli abunde lato pilam in alam coniectam excipere,cuius lori utrunque caput alter extendat,qui a capite hominis sedeat,pedeque eam partem repellat,ubi iugulũ cum summitate lati scapularum ossis coniungitur. Pila uero,quantũ maxime potest,intus conijciatur, atque ad latus,& a capite humeri recedat.*

A Medicus suis manibus brachiũ affectum prehendens, ac deorsum uersus extendens,& calce in alam demisso in contrariam partẽ urgens.
B Aliquis ab altera parte sedens,continens hominẽ ab integri humeri commissura cum lato scapularum osse.
C Lorum molle,quod pilam excipit in alam coniectam.
D Alter extendens utrunque lori caput, & pede repellens eam partẽ, qua iugulum cum summitate lati scapularum ossis committitur.

Si quis,



Siquis, quę sic traduntur, non intelligat, huic opus est non uerbo exponere, sed agendo rem monstrare. atq; idcirco mihi placet, quemadmodum supra retuli, librũ ipsum Hippocratis sæpius legi, uerbis diligenter consideratis, atq; adhibito omni studio, ut quod proponitur, intelligatur. Equidem tibi, ut quæ ab Hippocrate scripta sunt tenẽti, causam adijciam, quam ob rem hunc reponendi modum prope secundum naturam esse affirmet, quosq; superius posuit, tanquã non secũdum naturã reprehendat. Primo quidẽ hic reponendi modus humerũ extendit, quod neuter ex superioribus præstitit, quã ob rem a quouis merito laudetur. nos enim ad quẽ usum intentio adhiberetur, extẽdendumq; perpetuo esse, antequã restituere, aut cõponere tentemus, in opere quoq; de fracturis ostendimus. Deinde, in hac curatione calce homo retro repellitur, ne sequatur, quum brachiũ attrahitur. Hæc itaq; duo agentes in diuersa contendimus, loro quidẽ circa alam iniecto hoĩem in posteriorẽ partẽ ducimus, pede in priorẽ repellimus. parer aũt eundẽ esse, qui utrunq; efficiens in diuersa contendit. Hæc in proposito reponendi modo secundũ naturã adhibentur. sed, quum impulsus absit, a conuenienti modo recedit, eo quòd nequeat exigua pila inrer latus & humeri caput penetrare, ac multo minus etiam calx. At, ubi eo nihil indatur, quomodo impellemus? ubi non impellamus, neque reponere secundum naturam poterimus. E F

*Est & alius reponendi modus, quo super summum humerum alterius hominem collocant. maior autem esse necessario is debet, super quem collocatur. hic autem apprehenso brachio laborantis summum humerum suum excitatum ala hominis subijciat.* 13 A.l.4.F.5.t.1. c.11.p.390.E

A Homo collocatus super summum humerum alterius.
B Maior, super quem collocatur. G
C Leuis puer a posteriori parte appensus.



Primus reponendi modus, quem posuit, per digitos fuit, siue ægrotantis, siue medici: alter per calcem: tertius est, quem uocant per subhumerationem, eo quòd Hippocrares dixit, *ὃ κατωμίζουσιν ἐς αὔθωσιν*, quum significare uoluit eum modum, quo super summum humerũ alterius hominem collocant. Quomodo autem hoc fiat, ipse aperte docuit, quum præcepit, ut qui super summum humerum collocaturus hominem esset, suis manibus prolapsum ipsius brachium prehenderet, atque ita summum humerum suum attollens in hominis alam conijceret, ut cauum, quod in ea est, eiusmodi eminentiæ locum præstaret.

*Postea conuertatur, quasi sedili velit insidere, eo spectans, vt summo suo humero æger ala suspendatur: ipse vero seipsum ab eo humero magis excitet, quàm ab altero, suspensique humerum ad suum pectus quàm celerrime adducat. itá uero figuratus concutiatur, quum hominem suspenderit, vt reliquum corpus in contrariam partem inclinetur, atque humerus contentus. Quòd si homo leuis admodum fuerit, appendatur ei a posteriori parte leuis aliquis puer. Hi restituendi modi omnes ad palæstram sunt aptissimi, quoniam luxata ibi, vt restituantur, nullum aliud machinamentum desiderant, quibus alibi vti etiam conueniet.* H 14

Dixit uerbum conuertatur significare uolens, summũ humerum, supet quem homo collocatur, conuerti, sicut quando ad sedile accedimus, ut illi insidamus. Aegrotantem uero, quum ab humero pendebit, constar a tergo eius, super quem collocatur, suspendendum esse. hac siquidèm uia in contrariam partem ducetur, atque brachium, quod a fronte trahitur. Quòd si leuis fuerit, qui suspenditur, appendi leuem puerum præcipit, ut grauius reddat pondus, quod tendit in

A dit in partem contrariam. uult etiam concuti articulum humeri ipsius ægrotantis ab eo, super quẽ collocatur, ut e regione suæ sedis constituatur. sæpius enim diximus, ubi articulus ita collocetur, facile recondi. quum nobis etiam nihil impellentibus, musculi, quod expedit, efficiant.

15 A.l.4.f.5.t.1. c.11.p.890.F *Sed & qui super pistillum cogunt, prope secundum naturam restituunt. Inuoluatur autem pistillum molli aliqua fascia, minus enim elabitur: atque inter latus & humeri caput demittatur. Quòd si pistillum breuius fuerit, homo alicubi sedeat, sic, ut uix iniicere humerum super pistillum possit. Fere autem pistillum adhiberi longius conuenit, sic, ut homo stans pene ex eo pendeat. Deinceps humerus & brachium iuxta pistillum extendatur, corpus uero alter in alteram partem adurgeat, manibus ad collum datis iuxta iugulum.*

*A. Pistillum molli lana inuolutum sub ala.*
*B. Brachium ad pistillum porrectum, ac detractum.*
*C. Alter manibus ceruici adiectis deorsum compellens.*

16

B



C

Atq; hi ẽt, quatenus in diuersa contendunt, secundũ naturã reponunt: quatenus uero humeri caput (ut in sequentibus ostendit) pistillo circumducitur, a reponẽdo secundum naturam absunt. quæ autem hic scribit, singula in aperto sunt.

*Hic reponendi modus moderate secundum naturã est, ac restituere articulum potest, si recte adhibeatur.*

Hunc modum secundũ naturam esse affirmat moderate, quod significauit uerbo ἐπιεικέως, quemadmodũ & homo moderatus ἐπιεικὴς græce dicitur. putarunt nõnulli uerbũ ἐπιεικῶς usurpari pro maxime, atque idcirco (ut opinor) in principio huius orationis remouerũt dictionem prope, ita scribentes. Sed & qui super pistillum cogunt, secundum naturam restituunt. Debuerunt autem, etiam si Hippocrates id non monuisset, per se intelligere, cuius rei hunc reponendi modum in sequentibus accuset. accusat enim, quum inquit, licet .n. pistillo humeri articulus inhæreat, periculum est, ne corpus in hanc uel illam partem labatur: ac propterea ait eum modũ, qui per scalam adhibetur, meliorem esse. Modus igitur, qui pistillo utitur, ad summũ perfectionis nõ accedit. quare neq; uerbo ἐπιεικῶς maxime, significatur. magis .n. eũ probat, q per scalã est: magis itẽ eũ, qui per spathã habentẽ in summo capitulum rotundum ac leniter cauum.

17 A.l.4.f.5.t.1. c.11.p.890.F *Quin & alius quidam modus est per scalam adhuc melior. quandoquidem tutius suspensum corpus non magis in hanc, quàm in illam partem inclinabitur. licet enim pistillo humeri articulus inhæreat, periculum est, ne corpus in hanc uel illã partem labatur.*

18

D



19

Quintus hic est reponendi modus. ob quam uero causam utilior sit, quàm qui positus est quarto loco, aperte ipse exposuit.

*Alligandum autem est super gradum rotundum aliquid, quod alæ sinui conueniat, quo humeri caput in suam sedem compellatur.*

Ex eo ipso ligno, ex quo gradus conficitur, tale quidpiam extat initio protinus, quum scalæ machinamentũ paratur, quo nos etiam frequenter utimur. simile autem est ligno, quod proxime subdet, quod summum habet capitulum rotundum ac leniter cauum, unde apud recentiores medicos fere omnes græce ἄμβην hoc est crepidinis, nomen inuenit. consueuit autem illis organis adiici, quæ erecta collocantur: cuiusmodi est organum tum Andreæ tum Fabri. neutrius autem structuram adscribere nunc oportet. posita enim est a sexcentis architectis iunioribus, qua de organis scribunt. nobis autem institutum est Hippocratem explanare, qui ad omnia ualidissime in contrarias partes, seu extendenda, seu impellenda, eo machinamento utitur, quod scamnum appellatur.

*Inter omnes reponendi modos hic præstantissimus est. lignum accipitur ad summum quinos, uel certe quaternos digitos latum, crassum uero binos, aut etiam minus, longum cubitos duos, uel paulo breuius, quod ab altero extremo rotundum sit, angustissimum ac maxime tenue, in summo capitulum rotundum ac leniter cauum habeat, parumque extet ab una parte, non quidem uersus latus, sed.*

uersus

*uersus humeri caput, ut huic subiectum, alæ iuxta latus accommodetur. Summo item ligno, uel linteum, uel mollis habena* E *agglutinatur, ut mitius sit: deinde caput ligni in alam demittitur intro quantum potest inter latus & humeri caput: brachium totum super lignum extenditur, alligaturque paulum infra humeri caput supra cubitum, & supra manum, ut quàm maxime immobile sit. est autem maximi momenti extremum lignum ultra humeri caput in alam intime indere.*



Sextum reponendi modum, quem potissimũ laudauit, hic docere ingreditur, aperte exponens structuram ligni, cuius extremo superimpositum est capitulum rotundum ac leniter cauum. Hoc quia simile est labro, quod Græci uocant ἄμβωνα, medici totum lignum ἄμβην appellant. tale siquidem labrum est, quale uidemus in ollis cõuersum in interiorem partem, uersus cauum. unde quidam comicus, ut per iocum morderet, dixit quẽdam ollarũ ἄμβωνας delingere. Attici igitur masculino genere ἄμβωνας, Iones fœminino ἄμβας huiusmodi labrorum figuras appellant. Commodissime autem capitulum hoc demittitur inter latus atque humeri caput, utilissimumque est ad impel- F lendum, quum firmiter, quod gibbum est ex humeri capite, excipiat. in uniuersum autem singula ipsius uerba plana sunt.

*Post hæc tignum transuersum inter duas columnas bene alligandum est, superque id brachium cum ligno imponendum, ita, ut ab una parte brachium sit, corpus ab altera, sed tignum iuxta alam: dein ab altera parte circa tignum attrahendum brachium cum ligno, ab altera reliquum corpus. Vinciatur autem transuersum lignum sublime, ut reliquum corpus suspensum imis pedibus sit. modus hic reponendi capitis humeri præstantissimus est. Iustissime enim impellit, modo lignum retro magis, quàm humeri caput demittatur: iustissime item in contrarias partes inclinat, osque humeri tutũ seruat. Vbi casus quidem recens sit, articulus citius opinione reconditur, prius item, quàm extentus uideatur.* 20

Columnas constant ab ipso κίονας appellari. tignum uero transuersum, quod ab una columna ad G alteram peruenit, σφετῖρα.



*Sed & quæ iamdiu exciderunt, hoc tantum modo reponi possunt, nisi tempore caro in cauum uenerit, atque humeri caput locum sibi tritum fecerit, in quem ueniat. Vbi autem luxato humero malum ita inueterauerit, hac uia arbitror posse restitui. nam quid non moueat iustus impulsus? manere tamen suo loco non puto, sed prolabi, ut consueuit. Idem efficies, si super gradum uim adhibeas, hac reponendi ratione usus.* 21

Locum tritum & callosum nominauit τρῖβον. quem efficit humeri caput, quod adstrictum diu continetur in ea parte carnis, quæ iuxta commissuram est, in quam forte a principio erumpens constitit. κοτύλην dixit cauum commissuræ, quod (ut dictum est) super insidet extreme ceruici lati scapularum ossis. Plerunque autem tam ipse, quàm alij medici κοτύλας appellant alta caua ac magnis H oris septa: sed nunc iure suo mutuatus est hoc uocabulũ ad significandum cauum, in quod proxima caro conijcitur, quum articulus luxatur, & locum occupat, in quo humeri caput ante recipiebatur. Igitur & propterea, quòd ipse sinus capitis humeri obstructus est, & propterea quod locus, in quem uenit, occalescens, sinus uicem præstat, fit, ut, si quando reponatur, contineri non possit. cum caro, quæ iuxta erat, sinum præter naturam occupet, & ea, quæ ossi locũ facit, occalescens commissuræ sinum referat.

*Satisque omnino fuerit, si recens adhuc uitium sit, super magnum sedile Thessalum uim adhibere. sed parari lignum conuenit, quemadmodum dictum est, atque hominem in latus conuersum sedili insidere, brachio cum ligno super eam partem sedilis iniecto, cui sedentes dorso inhærent, atque ab una parte corpus attrahere, ab altera humerum cum ligno. Idem quoque facere licet super fores bipartitas. His autem utendum est, prout præsto sunt.* 22

Sed illis



A Sedilis quondam hæc figura fuit potissimum in Thessa-
lia, ut ad rectam lineam attolleretur ea parte, cui seden-
tes dorso inhærent, super quam adhiberi uoluit uim in
diuersa extendendi, quemadmodum ante super tignum
docuit. Verum, quomodo collocare languentem su-
per sedile oporteat, ipse aperte explicauit. Idem effi-
cient fores bipartitæ, si super eas uis adhibeatur. inue-
niuntur autem huiusmodi fores, in quarum medio in-
teriectum est lignum firmum, quale paulo ante dixit ti-
gnum inter duas columnas. ex his foribus altera ab in-
feriori parte aperitur, a superiori altera, atque hac de
causa bipartitas fores uocauit, quasi duplicem quandam
duas in se continentem paruas. Docet igitur propla-
psum humerum super lignum inter duas fores situm im-
poni, ut intentio in diuersa admoueatur.

B De humero ijs modis prolapso, quos Hippoc. non uidit.

Testatur quidem Hippocrates humeri caput prola-
psum in alam duntaxat se uidisse: quidam uero ex recen-
tioribus medicis scribunt, in alias quoque partes exci-
dere, ut in quas etiam prolabi possit. nos autem quin-
quies hactenus eiusmodi casum nacti sumus, semel in A-
sia, Romæ quater, nec sæpius arbitror Romæ accidisse,
quoniam medici omnes, ut me consulerent, quæ præter
opinionem euenirent, mihi ostendebant. Quater igi-
tur procidit, ac semper in priorem partem. erat autem di-
scrimen, eo quòd nunc magis ad commissuram accede-
bat, nunc ab ipsa magis diducebatur in longitudinem, uel
latitudinem membri. Mirabar autem quodammodo, qui
fieret, ut Hippocrates hoc nunquam uiderit. ex recentio
C ribus uero unus dicat semel se uidisse, alter bis. nemo au-
tem ita sæpe, sicut nos hactenus conspeximus, & forte
rursus etiam conspiciemus. Existimamus autem non ca-
su, sed ratione id nobis accidisse, ut deinceps ostende-
mus. In Asia nostra primum inspeximus humerum ita
prolapsum, quum Smyrnæ adhuc a præceptoribus erudi-
remur (est autem hæc urbs multo maior illa, cuius ubiq;
meminit Hippocrates) ut qui ibi plurimum essemus. Post
trigesimum & secundum annum Romæ degimus, quam
urbem tot homines habitant, ut Polemo rhetor eam ce-
lebrans dixerit terræ habitatæ compendium. Quod au-
tem quater hactenus eiusmodi casus euenerit, patere pla
ne potest, eo quòd omnes medici (ut posui) mecum com
municarent, quæcunque præter opinionem nacti essent.
ac non modo Romæ nihil me latere huiusmodi potuit, sed
D neque in portu, atque in proxima urbe, quam Hostiam
nominant. quum omnibus amicis uterer, quicunque il-
lis locis medicinam exercerent, quæ & ipsa frequētissima
sunt. At urbes, quarum meminit Hippocrates, ubi diu-
tius egit, non plures incolunt, quàm Romæ uicum unum.
nihil ergo mirum, si in frequentissima urbe plures inci-
dunt in idem malum. Illud præterea experientia discens,
ductus sum ad causam inueniendam. nonnullis enim pa-



læstra, nonnullis medicorum opera, uisus est articulus eo modo excidere. nam duo quidē ex ijs, quos
uidi, articulum in alam uenisse mihi retulerunt: medicis autem imperite urgentibus, musculo-
rum complexu arcte contentum fuisse secus ac principio apparuisset. Quocirca, si Romæ has duas
causas præter hominum frequentiam adijcias, requires, non quidem cur tot nactus sim, quibus hume
ri articulus ita prociderit, sed cur non plures. Hippocratis enim seculo medici optime artis præce-
pta discebant, atque ea præsertim, quæ ad huiusmodi manus operam pertinent. Ea nunc a medicis,
uel nullo modo addiscuntur, uel certe exiguo temporis spacio: deinde palæstræ usus mirum in modū
increuit, ubi eius magistri membra uarijs modis contorquent, atque peruertunt. Requires igitur

(ut dixi)non cur tot,sed cur in tot hominum milibus non plures uiderim,quos magistrorum numerus E in palæstra,& inscitia medicorũ in huiusmodi noxam compulerit. Restituuntur autem luxata hæc iisdẽ consilijs.s.extendendo,impellendo,& collocando. Non conuenit autẽ ita impellere in hoc casu, sicut quando in alam articulus eruperat. ibi enim opus erat articulum primo in priorem partem, deinde sursum adducere,dum collocaretur e regione sui caui: nunc aũt,quum penitus in priori parte commissuræ sit,siue in interiorem,siue in exteriorẽ partẽ adstrictus a musculis inclinetur,impellere ipsum oportet ad contrariam regionem.in quo faciendo periculum est, ne ipse deorsum lapsus a musculis in alam trahatur.quam rem in diuersa extendentes præcipue uitamus. non est autem ab re,dum in diuersa contenditur,locum sæpire,qui sub ala est,quod nos Smyrnæ fecimus, ad articulum in priorem partẽ elapsum. accidit autem in palæstra,quum brachium cuidam a luctante duplicaretur,sub quo modo potissimũ articulus in priorem partem prorumpit. nos uero homine resupinato intentionem in contrarias partes adhibuimus similem illi,quæ per calcem fit,quodam a posteriori parte sedente, ac loro lato sub ala iniecto,sinu aliqua re prius completo. Nos(ut diximus)articulum e musculis,quibus adstringebatur,expellentes,dein remissa intentione siuimus attractum a musculis in seipsos recurrentibus in suum locum reponi. Hic igitur prompte restitutus est. in palæstra enim protinus curationem aggressi sumus, satisque fuit affectum brachium a nobisipsis extendi,non secus,atque in eo reponendi modo , ubi calce utimur. Interdũ etiam extendẽdi causa laqueum inijcimus. sit autem laqueus ex ijs , qui facultatem F habent,extendendi æqualiter,qualis est duplex Carchesius,qui ex duabus habenis conficitur,Sed,ubi iamdiu procidit,opus fuit scamno Hippocratis,quod ipse in sequentibus tradet. Hæc de articulo prolapso:pergamus iam ad ea , quæ tractat de corporum uarietate, quibus magis aut minus humeri caput elabitur.

*Illud autem ignorare non oportet,quòd in luxatis facile restituendis, naturæ a naturis plurimum differunt, & multum cauum a cauo distat.nam hoc quidem facilius,illud uero minus facile superatur. multum etiam discriminis est inter eos,quibus neruorum coniunctio laxa est,& quibus tenta.* 23

Cũ sermonẽ de restituẽdo absoluerit,causam docere incipit,quãobrẽ nõnullis facile quiuis articulus excidit,ac sine magno negocio reponit,nõnullis cõtra raro excidit,sed magno negocio restituitur. qua in re nos supra & ossiũ cõmissuras causati sumus,& superiniectos musculos ualẽtes, aut laxos.

*Quibusdam enim hominibus humor in articulis est propter adiunctos neruos,si natura laxi fuerint,& extendi facile patiantur. Complures autem uidere licet ita humidos, ut ubi nelint,sine dolore articulos sua sede moueant, atque item sine dolore restituant.* 24 G A.l.4.f.;.t.1. c.2.p.681.D.

Commutasse mihi sermonem uidetur, quum neruosa corpora laxiora fiant ob humorem hominis naturalem: at non propterea quòd laxiora sint,idcirco humor sit in articulis,cuius oppositum indicãt Hippocratis uerba. Videtur autem mihi uoluisse neruosa corpora propter humorẽ hominis facile plurimum extendi, non tamen hoc sua oratione assequitur,sed particula,propter, abusus, lectorem adducit ad intelligendam causam.

*Differunt etiam inter se corporis habitus,quibus enim membrum boni habitus est,& carnosum, articulus minus excidit,& ægrius reponitur: quibus quàm soleat tenuius est,& minus carnosum magis elabitur , & facilius restituitur. cuius rei indicio sunt boues, quibus femur suo cauo magis erumpit,tunc,quum ipsi emacrescunt. emacrescunt autem boues maxime ultima hyeme. Tunc igitur maxime his articuli luxantur : modo quid tale in medicina scribere conueniat ,sed certe conuenit.* 25

Naturæ atque articulorum differentiæ, sub quibus ipsi, seu prompte,seu uix procidunt, & reuertuntur, duæ sunt,quas sæpius recensui,cum in superioribus habeantur. Illis nonnunquam tertia accedit, quam nunc exequitur, a crassitudine uel macie corporis orta, quam habitũ dicunt . hominibus enim, H quo habitiores efficiuntur,eo articuli ægrius excidunt,ac reponuntur. quoniam carnis copia undique constringuntur: contra ijs, qui emacrescunt,relaxatur cutis eius carnis,quæ commissuram complectitur,parumque prohibet,quo minus articulus excidat,& reuertatur:nec quidquam deterius agitur cum his, qui natura graciliores sunt, quàm cum his qui pleniores. Ostendimus enim in libro de temperamentis graciliorem esse naturæ licciorisn, pleniorem magis madere. Quocirca musculi , quum graciliibus robustiores sint,commissuram coarctant. plenioribus caro,quatenus magis abundat,adstringit id, quod articulum arabit: quatenus autem mollis est,facile peruertitur, quum rotundorum ossium , quæ sua sede mouentur,capita admittat,sic, ut utrique,quod ad articulos excidentes attinet , æquales sint. Si quis tamen habitior aliquando emacrescit, facilius huic articulus elabitur, ac rursus recõditur, tũc, quàm antea: non secus etiam,si quis natura gracilis,carne impleatur,ei uix procidit,atque ægre reuertitur. Quam rem comprobat per ea,quæ in bobus apparent,ita aperte loquutus,ut nulla explanatione opus sit,nisi alicubi in uno,uel altero uocabulo,quæ a me notabuntur.

*Recte enim scripsit Homerus ex omni pecore boues tẽpore hoc maxime pati,atque inter boues, qui arant, quum byeme laborent . his igitur maxime articulus excidit, quoniam maxime extenuantur. Namque aliud pecus pascere exiguas herbas potest: bos non item, priusquam grandiores fiant. aliud enim pecus tenuẽ habet labrorum prominentiam, tenues item malas:* 26 A.l.4.f.;.t.1 c.1.p.688.E

A *malus, bobus contra labrorum prominentia crassa est, malæ item hebetes & crassæ, atque idcirco exiguis herbis non possunt eas subijcere.*

Pecus πρόβατα. nunc dixit, significare uolens uniuersum pecus, quemadmodum & in libro de morbo comitiali, ubi ad uerbum legitur nullum aliud pecus est, præterquam boues, & capræ.

Simile quid apud poetam legitur, ubi ait, Multa adsunt illi pecora. Vult enim significare gregem pecorum: quam uocem e maioribus multi similiter usurparunt.

27 *Verum animalia, quæ solidi pedis sunt, vt pote, quæ vtrinque sint dentata, vellere possunt, & exiguis herbis dentes subijcere, gaudentque eiusmodi herba magis, quàm grandiori. omnino enim melior est ac firmior exigua herba, quàm quæ grandis est, antequam ad maturitatem veniat, ac propterea scripsit.*

*Sicut quando redit gratum ver bobus, in orbem*

*Crura quibus vertuntur. quoniam grandior herba iucundissima illis videtur. Sed & bos natura hunc articulum laxiorem reliquis habet, atque ea de causa pedem circumuoluit, magis quàm cetera animalia. præsertim vbi macie, senioque confectus sit, quas ab res omnes boui maxime prolabitur. Plurima de ipso scripta sunt, quoniam hæc fidem faciunt eorum omnium, quæ proposita sunt. sed, vt eo reuertatur oratio, vnde digressa est. gracilibus magis prolabitur articulus, ac citius reponitur, quàm ijs, qui bono habitu sunt: minusque inflammatione tentantur madentes ac gra-*

B *ciles, quàm sicci & carnosi.*

Vellere Hippocrates σαρκάζειν dixit, quo uocabulo nonnulli significari uolunt labra uehementer inter se coniungere, sic, ut herbæ partem auellant: alij inferioribus dentibus cum superiori labro idem efficere. nam qui derident (σαρκάζοντες græce dicuntur) dentibus labrum mordent. Verum illi quidem superioribus dentibus mordent labrum inferius: animalia uero, quæ ruminant, cum inferiorem tantum dentium ordinem habeant, eo ad mordendum utuntur. ac propterea accipiunt alij uocabulum σαρκάζειν in illis, quæ dentes inter se committunt. quoniam, quæ carnem uorant (σαρκοφαγοῦντα uocantur) tam superioribus, quàm inferioribus dentibus utuntur. atque his uidentur fauere uerba Hippocratis, quum σαρκάζειν dixerit, non de ijs, quæ ruminant, sed de ijs, quæ utrinque dentes habent, quæ ἀμφώδοντα græce nuncupantur. Hæc quidem pascere exiguas herbas possunt, cuiusmodi sunt equi, asini, muli: at ex ijs, quæ ab una parte tantum sunt dentata, illa duntaxat, quibus labri prominentia tenuis est: atque idcirco inter animalia, quæ herbis uescuntur, soli boues hyeme pastu indigent. quoniam nequeunt exiguam herbam aut σαρκάζειν, id est, dentibus abscindere, aut labris prehendere. boues enim non habent labra ita tenuia, ut exiguam herbam circumplicare atque comprehendere possint, quemadmodum & capræ & oues. Hæc tria animalium genera multifidos pedes habent: sed so-

C lidi pedis sunt, quæ utrinque sunt dentata. appellantur autem græce μώνυχα contracto uocabulo, ut asserunt, qui nominum interpretationem excolunt a dictione μονώνυχα, eo quòd unum unguem habeāt, græci μόνον ὄνυχα dicunt. solidipedum enim pedes extremi unguibus hominis respondent. Minusque inflammatione tentantur. Quum facilius articulus excidat, sequitur, ut similiter recondatur. quo fit, ut nulla uel certe quàm minima inflammatio superueniat. namque, ubi magna ui procidat, ac reuertatur, musculi dolore uexantur, quem subsequitur inflammatio.

28 *Minusque in posterum articulus alligatur. atqui, si citra inflammationem muci iusto plures fuerint, idcirco etiam facile procidet. fere autem circa articulos muci redundant magis in gracili, quàm in pleno.*

Quod inquit in posterum referri potest ad duo tempora, & ad id, quod reposito articulo proximū est, cum inflāmatæ partes curantur, & ad id, quod deinceps citra molestiā insequitur. eo quidē tempore, quod reposito articulo proximum est, ubi inflāmatio fit, articulus ab ipsa constringitur. quod ipse etiā narrauit: post curationem a ualidis eiusmodi hominum musculis, & a quadam duritie, quam musculis ingens inflammatio relinquit, articulus quasi uinculo coarctatur.

29 *Sed & caro quoq; gracilīū, qui arte non fuerint recte extenuati, mucosa magis est quàm eorū, qui pleni sunt. Vbicunq; autē muci cum inflāmatione sunt, inflāmatio articulū illigat, ac propterea nō admodū elabitur, vbi muci redundāt, qui la-*

D *psurus vtiq; fuisset, nisi locū vel amplius, vel minus inflāmatio occupasset. Qui reposito articulo, partibus, quæ iuxta sunt, nulla inflāmatione affectis protinus humero vti sine dolore possunt, hi nulla cura sibi opus esse arbitrātur. Sed medici officiū est præsagire cōtra eorū opinionem. siquidē his rursus prolabitur, magis quàm quibus nerui inflāmatione tentātur. Hoc in omnibus articulis ita habet, & præcipue in cōmissura humeri cū lata scapularū osse, ac in genu. namq; hi præcipue luxātur. At quibus nerui inflammatione uexantur, humero uti non possunt. dolore. n. prohibentur, atq; inflammatione extendente. His itaq; mederi oportet cerato pannisq;, et multas fascias circumdare: tū lanam mollē ac mundam in alam subijcere, donec id cauum compleatur ut uinculum fulciat, & articulum sustineat. Continere autem humerum oportet, plerunq; in superiorē partem conuersum. sic enim fiet, ut humeri caput longe collocetur à loco, in quem proruperat. conuenit autem humeri articulo deligata humerum ipsum ad latus deuincire, fascia in orbem circa corpus porrecta.*

Quicunq; seu fame, seu obsidione, seu luctu, seu mœrore, siue etiam cibi fastidio alimenti non satis sumentes extenuati sunt, caro non statim siccescit, sicut illis, qui arte recte sunt extenuati: sed fere in omnibus propositis casibus madentior efficitur, quibusdā tunc ob inopiam liquatis. magis adhuc tabescunt, qui in mœrore sunt, quē græci poetæ μελεδῶνα idcirco dicunt, quasi mēbra edat, deuoretq;. sub hoc itaq; adeps omnis tabescit, & quæcunq; caro mollis ac recens concreuit. sed, ubi medicus de industria corpus aliquod extenuat, per ea, quæ excogitauit, moliri id cōtēdit: deinceps frictione utitur, quo tēpore opus est, si quid liquatur exhaurire, uel per sudorē, qui sensui subijcitur, uel per expirationem,

quæ non sensu,sed ratione percipitur. Ad hæc par est ipsum esculenta & poculenta non temere dare, E sed conari per hæc,ut quæcunque educenda sunt,bene exitum habeant,non modo,quæ per deiectiones,sed & quæ per urinam.eo enim pacto,si quis in corpore humor liquaretur, undique extra corpus efflueret.nam,ubi in corpore maneat,tempore mucosas carnes efficit. Quodcunque igitur tenue omnino,ac seri naturam habens liquatur,effertur, & per expirationem, quæ sensu non comprehenditur, magis quàm alio modo discutitur: tantum autem subsistit id, quod aliquatenus crassum est,quod tempore glutinosum efficitur,& simile mucis euadit.

*Necesse est insuper humeri commissuram sensim,molliterque perfricare.opus autem medico est multarum rerum & frictionis etiam perito: siquidem ab eo, quod eodem nomine appellatur,non idem effectus oritur. potest enim frictio laxiorē articulum illigare,& iusto duriorem soluere. Verum de frictione alibi pertractabimus. Ergo hanc humeri commissurā conuenit mollibus manibus perfricare,tum leniter,quod alioquin utile est.* 30

Efficit frictio sensim molliterq; adhibita,ne quæ remaneant inflammationis reliquiæ.uarie autē procedat,oportet,modo manus a superiori parte deorsum,modo ab inferiori sursum ferātur,deinde oblique non solum ab inferiori parte sursum,sed a superiori deorsum, post hæc in orbem,& quasi transuerse a dextra in sinistram,& rursus a sinistra in dextram,ut musculorum fibræ omnes molliantur.Maiores F enim Græci ad frictionem significandam mutuati sunt uocabulum ἀνατρίβειν pro τρίβειν.at nolim tibi persuadeas (quemadmodum nonnulli existimarunt) Hippocratem uelle manus in perfricanda humeri commissura ferri ab inferiori parte sursum,quòd τρίψις frictionem,ἀνὰ sursum significet.nam uerbum ἀνατρίβειν uniuersum frictionis genus exprimit: non eam duntaxat, quæ ab inferiori parte sursum procedit. quod & ipse indicauit,quum inquit,sed de frictione alibi pertractabimus: ubi frictionem ἀνάτριψιν uocauit. non enim pollicetur se de una specie tractaturum ceteris omnibus omissis. Sed in libro etiam de officina medici omnes exposuit,genus uniuersum ἀνάτριψιν appellans,quum inquit,frictio ad resoluendum ualet,& adstringendum, præter hæc ad implendum ac minuendum,& quæ sequuntur: quæ tū in commentarijs in eum librum persequuti sumus,tū in opere de tuenda sanitate latissime narrauimus.

*Articulus non uiolenter dimouendus est,sed quatenus citra dolorem moueatur. confirmātur autem omnes, alij quidem longiori tempore,alij breuiori.* 31

Inflammatione remissa nihil expeditius est,quàm eiusmodi motus. soluit enim illius reliquias omnes, quibus neglectis articuli contracti atque illigati redduntur: utrisque enim uocabulis appellātur.

*His autem indicijs exciderit ne humerus,intelligendum est.* 32

In libro de fracturis, ante ad eos,qui errant, aggreditur, quod nunc quoque facit. nam postquam G errantes redarguit,reponendi rationem subijcit,quæ non solum sequitur, quod propositum erat, sed eius etiam fidem facit.Eam ergo primum exequutus,nunc deinceps indicia subijcit humeri capitis luxati,quæ in exercenda arte necessario præcedunt,in tradenda non item necessario. eorum uero, quæ præcedunt,aut sequuntur,illud tibi indicio sit,quòd non recte effici potest opus,quod sequitur,aut percipi,quod præceptum est,antequam intelligatur quod præcedit. Ratio quidem luxati restituendi, antequam intelligatur in quam partem articulus eruperit,aperte demonstrari nequit: sed nihil eam addisci prohibet,priusquam notæ enarrentur. Principio itaque orationis,si id unum edocti simus,humerum in alam prolabi,& ipsi inuenire modum reponendi possumus,& ab altero etiam doceri: non tamē comprehendere modum reponendi,nisi ante sciuerimus humerum in alam procidere,sicut neque quo pacto in alam procidit,nisi prius nouerimus naturam uniuersæ commissuræ. Si quis igitur restituendi modum præfatus,deinceps adijciat,in quam partem articulum luxatum restitui docuerit,necessarium ordinem perturbat. id quod accidit etiam ei,qui primo incipit ostendere,in quas partes articulus erūpat,dein transit ad commissuræ naturam exponendam.nam,si quis penitus nosset, quomodo articulus in alam excideret,superuacuum esset commissuræ naturam hunc docere: sed,si quis primo audiat,percipiatque, quonam modo hæc habeat,deinde in quam partem articulus uenerit,huic nihil opus est ad H hoc,ut restituendi modum doceatur. Eodem etiam modo nunc nihil nos prohibuit signorum inscitia, quo minus reponendi rationem intelligeremus. quæ res communiter euenit in omni curatione tradēda. potest enim doceri quis,qua ratione curetur inflammatio iecinoris, seu uentriculi, seu renum, siue intestini crassioris,antequam ipsorum affectus teneat: non tamen curare potest,priusquam eos intelligat, sicut neque ratione curationem inuenire, aut doceri ab altero,priusquam naturam calleat partis,quæ curatur.

*Partim quidem,quum homines iustum habeant corpus,& brachia,& crura, ad exemplum integri extimare uitiatum oportet,& ad exemplum uitiati integrum,neque spectare alterius hominis articulos.* 33

Quod ab utraque parte tam dextra,quàm sinistra æquale est ad unguem,iustū appellauit. Sed quoniam membrorum forma in hominibus uaria est, imperat, ut affectum membrum cum pari hominis membro conferatur: atque inde quatenus a naturali statu recesserit,coniectura fiat.

*Alijs enim magis extant,alijs minus,sed ipsius laborantis, an integer uitiato dissimilis sit.* 34

Eos,quibus articuli naturaliter extant,prominentque ἐξάρθρους appellauit. A.L.4. f.5.z.1. c.11.p.890.E

*Quæ res recte quidem ostendetur,magna autem eius inscitia est. Hac de causa non satis est ratione artem hanc scire,sed usu experiri ipsam oportet.* 35

Inscitiam

A In scitiam dixit παραγνώσιν non omnem simpliciter intelligens, sed eam, quæ coniuncta est ac proxima scientiæ. indicabit autem ipse in sequentibus, qui fiat, ut interdum decipiantur, qui protinus cum uitiato integrum conferunt.

36 *Multis enim articuli præ dolore uel alia de causa, ut non exciderint, nequeunt tamen eo modo, quo in sanis corporibus figurari. Intelligere igitur, ac scire huiusmodi habitum oportet. nam multo magis in ala sentitur caput humeri prolapsi, quàm eius qui naturaliter habet: ad hæc locus, qui a superiori parte super commissuram est, cauus apparet: item latum os scapularum summum, qua cum iugulo committitur, extare uidetur, cum articulus inferiori loco recipiatur.*

Inscitiam, quam ipse παραγνώσιν dixit, nunc unam ponit, quæ in figurando accidit. Interdum enim nequeunt affecta membra aliquo modo figurari, quamuis hoc ægris non accidat, propterea quod articulus erupetit, sed uel dolore, uel musculorum intentione. deinceps inscitiam alteram subijcit.

37 *In quo etiam accidit inscitia, de qua in sequentibus agemus. est enim memoratu digna.*

In eo quòd locus, qui humeri commissuræ superiectus est, cauus conspicitur, quendam incidere errorem ait, quem in sequentibus dicturum se pollicetur. id autem interdum euenit, ubi iugulum a lato scapularum osse diducitur.

38 B *Partim etiam a latere cubiti eminentia recedere magis uidetur ab eo humero, qui prolapsus est, quàm ab altero: si quis tamen cogat, adducitur quidem, sed cum dolore.*

Indicium quoque hoc fallax est, nisi sub ala humeri caput contingas, quod in eam uenit. quo fit, ut brachium adduci ad latus sine dolore non possit.

39 *Adde quòd cubito extento brachium iuxta eiusdem partis aurem non ita porrigi potest, quemadmodum & integrū, neque in latera similiter. Hæc itaque indicia sunt humeri capitis luxati. restituendi uero modi hi, qui scripti sunt, & curationes eædem.*

Hoc quoque signum ex illis est, in quibus esse inscitiam proposuit. quod euidentissimum est ex ijs, quæ prodidit, cum inquit, Multis enim articuli præ dolore, uel alia de causa, ut nō exciderint, nequeūt eo modo, quo in sanis corporibus figurari. Si quis (ut ipse ait) prompte brachium possit ad latera porrigere, id certum indicium est articulum naturaliter habere: quòd si aliqua ex parte prohibeatur, potest huius rei causa esse dolor, uel musculorum intentio.

40 *Maxima autem animaduersione dignum præceptum est, qua ratione curare eos cōueniat, quibus sæpe humeri caput elabitur. cum multi ob calamitatem hanc, quanquam alioquin idonei, certare prohibeantur. multi etiam ea de causa redditi sint inutiles ad bellum, ac perierint. Ob id etiam animaduersione dignum est, quòd neminem nouerim, qui recte curaret: sed alios quidem manus homini non inijcere, alios contrarium ei, quod expediret, excogitare molirique. Adusserūt iam complures medici, ubi humeri articulus excideret, eum locum, qui a superiori parte commissuræ est, & eum, qui a priori, qua prominet humeri caput, & a posteriori parte paulo infra superiorem sedem commissuræ. Profecto huiusmodi ustiones commodæ fuissent, si humeri caput in superiorem, priorem, aut posteriorem partem uenisset: nunc, cum in inferiorem erumpat, expellunt magis quàm cohibent. excludunt enim humeri caput a spacio superiori. Sic autem adurere hos conuenit. cutis sub ala prehendenda digitis est, atque attrahenda e regione potissimum eius partis, in quam humeri caput elabitur.*

A.l.4.f.5.t.1. c.11.p.890.E C

In hac etiam oratione pleraque plana sunt. quare a me prætermittent̄, nisi si qua uideātur obscura.

41 *Tum, cute sic attracta, ita admouendum candens ferramentum est, ut traijciatur.*

Imperat, ut ex cute extenta nihil relinquatur, quod non uratur, sed candens ferramentum traijciatur a dextra parte alæ in sinistram, atque ab hac ad dextram.

42 *Ferramētis autem adurere oportet, non crassis, neq; nimiū rotundis, sed oblongis, celerius. n. manu impulsa traijciuntur.*

Ferramēta extremitate rotūda appellauit φαλακρά, cuiusmodi sunt capitulata illa, quibus ad alas utūtur (πυρῆνες, uel διπύρηνα nuncupātur) atque item spathæ capitulatæ: quæ uero his contraria, oblonga D sunt προμήκεα dixit, quorum extremitas non est rotunda, sed acuta. Illis aliquo modo similis, quæ ad perforandum accommodantur.

43 *Sintque cādentia, ut traijci quàm celerrime possint. quæcunque. n. plena sunt, tardius traijciuntur, & crusta inde latiores resoluuntur, periculumque est, ne ulcera abrumpantur. quod, & si nihilo deterius esset, turpius tamen atque expers artis penitus haberetur. Vbi ergo candens ferramentum traieceris, fere abunde erit in inferiori parte duntaxat adussisse.*

Candentia esse uoluit ferramēta, quæ ad alam admouentur, quod expressit uocabulo διάπυρα.

44 *At si nullum instare periculum uideatur, ne ulcera abrumpantur, sed magnum spacium in medio integrum relinquatur, instrumentum, quo ad illinendum utimur, tenue traijciendum est, ab una ustionis parte ad alteram cute, adhuc extenta, non enim posset aliter traijci. quo facto remittenda cutis est: postea inter utranque plagam alia media facienda est, admoto tenui ferramento candenti, donec ad prius demissum instrumentum pertineat, quatenus uero prehendere cutem sub ala conueniat, hinc conijcere poteris, quòd glandulæ sub ala sitæ sunt, atque in multis alijs corporis partibus.*

Vlcera uocauit ὠτειλὰς, hoc est cicatrices, quēadmodū & poeta, qui de recenti uulnere inquit, Donec adhuc calidum sanguen fert ipsa cicatrix. Vbi extentam curem (ut ait) trāsuersam ferramēto traieceris a dextra in sinistrā, p̄cipit, ut iterū aduras, demisso cādēti ferramēto, nō amplius trāsuerso ab una parte

ad alteram, sed prorsus in altitudinem. Oportet autem inter utramque plagam, quam candens ferramentum fecit, non exiguum spacium interijcere. nanque, ubi exiguum sit, periculum est, ne ulcera abrumpantur, atque una magna exulceratio fiat. quamobrem & si nihil deterius accidat, siquidem adurimus, ut partem exiccemus, atque adstringamus. non tamen necesse est magna inducta cicatrice locum deformem reddere, quum per exigua foramina liceat æque succurrere. E

45 *Sed alibi glandularum uniuersam naturam persequemur, quid sint, quidque & in quibus indicent, aut possint. Glandulas itaque prehendere non conuenit, nec quæcunque glandulis interiora sunt, id siquidem ualde periculosum est.*

Glandularum uniuersam naturam appellauit φύσιν ἀδένων, quam pollicitus est alibi docere. non tamen extat hic liber Hippocratis de uniuersa glandularum natura. Sed quidam ex medicis iunioribus, qui Hippocratem sequuntur, paruum libellum confecit, quem inscripsit, Hippocratis de uniuersa glandularum natura: qui, tam loquutionibus quàm sententijs, longe superatur a germanis libris Hippocratis: adde quòd neque ullus ueterum medicorum eius libri meminit, neque ab ijs, qui indicem scripserunt, commemoratur.

46 *Proxime enim sunt neruis, qui magnam uim habent. extra glandulas plurimum prehendendum est, nam id fit innocenter.* F

Subiectos esse ait glandulis in ala neruos magnam uim habentes, quos nuncupauit τόνους. Ridicule igitur quidã ex recentioribus medicis existimant neruos illos duntaxat ab ipso appellari τόνους. qui cõiugati a cerebro oriuntur. quoniam in secundo de morbis uulgaribus, cum dixit, duo enim nerui a cerebro iuxta os magnæ uertebræ, & quæ sequuntur, neruos appellauit τόνους. nerui enim, qui ad brachiã intendunt (ut in confesso est apud omnes, qui incidendi corporis peritiam habent) a spinæ medulla in ceruicibus dependent, qua parte ad thoracem accedit, quos constat ab ipso nominari τόνους, tum in propositis uerbis, ac deinceps bis, in ijs, quæ subijciuntur: tum infra rursus, ubi de spina agens, neruos appellat τόνους.

47 *Illud etiam ignorare non oportet, quòd ubi humerum ualde in superiorem partem porrexeris, nihil prehendere ex cute sub ala poteris, quod extendere operæprecium sit. nam, ubi in superiorem partem porrigatur, cutis, quæ sub ala est, absumitur. Ad hæc nerui etiam nulla ratione uiolandi sunt. hi siquidem in eiusmodi habitu prominent, atque extenduntur. Sed, si humerus paulum excitetur, multum cutis apprehendi poterit, & nerui, quos cauere oportet, intro magis recedent, longiusque aberunt ab eo, quod apprehenditur.*

Absumi in ala cutem ait, ubi totum brachium sursum porrigatur. ante siquidem laxa erat, ita, ut superesse uideretur. brachio autem sic figurato extenditur circa partes, quas contegit, ita, ut quod prius superesse uidebatur, pereat, & quasi absumatur, quum brachium sursum porrigitur. G

48 *At nonne in uniuersa arte in primis danda opera est, ut quo pacto singula iuste figurentur, inueniamus?*

Iuste intellexit quasi æqualiter. hoc autem fit, ubi seruatur, quod unicuique rei conuenit, & proprium est. Id nũc, quo de agitur, ustio cutis in ala est, quam admouere oportet, humero conuenienter figurato. nam, si ità demittatur, ut latus attingat, nimis parum excitabitur, neque poterit altitudo alæ se ostendere, neque cutis sane digitis extendi atque aduri: sed, si humerus plurimum attollatur, digitis extendi nihil fere cutis poterit. sub hoc enim habitu circa subiectas partes extẽditur. adde, quòd nerui prominent. Eatenus igitur attollere humerum conuenit, atque ab ala reducere, ut locus in conspectum ueniat: sitque qua subijcere digitos facile possimus, & cutem extendere, atque adurere. Quæ, quũ ptimum excitato brachio fieri possunt, admouenda manus est membro ita figurato, neque ulterius attollendum. non enim alia de causa humerus attollitur, nisi ut possit cutis sub ala digitis extendi hactenus, ut candens ferramentum admoueatur, prout ipse indicauit, ita, ut si hæc præstare potuissemus humero demisso, eiusmodi habitu nihil antiquius fuisset, quum laxiorem cutem efficiat. sic enim plurimũ attrahitur, ac manus sine ullo periculo penitus admouetur. H

49 *Hæc circa alam, satisque est sic prehendere, modo quà conuenit, candentia ferramenta demittantur.*

Prehendere dixit de cute.

50 *Extra alam duæ tantum sedes sunt, quum aduruntur morbo auxiliantes.*

Dictionem extra dixit ἐκτοσθεν, quam posuit non ut loci differentiam notaret, sed quemadmodum apud Demosthenem, atque alios oratores usurpatur, qui cum ἐξωθέν τι τοῦ πράγματος dicunt, præter rem significare uolunt. Id igitur, quod Hippocrates asserit, tale est. Præter ustionẽ alæ, duæ aliæ sedes sunt morbo auxiliantes, quũ aduruntur. usus autem est uocabulo τιμωρεούσας, quo constat ipsum non aliud significasse, quàm auxiliantes. quod fecit etiam Euripides, cum Orestem induxit hæc loquentem οὐ γὰρ μὲν δ' ἀρ', ἀλλὰ τιμωρεῖν τῷ πατρὶ hoc est, se quidem impium esse, sed patrem uindicare. Differunt autẽ inter se τιμωρεῖν, & τιμωρεῖσθαι, quod uocabulum cum accusandi casu iungitur, hoc siquidem significat cruciãs: eadem ratione & Menandri fabula inscribitur ἑαυτὸν τιμωρούμενος.

51 *Vna quidem est a priori parte inter caput humeri, & chordam, quæ ad alam est.*

Nos quoque uidimus articulum contineri in hoc loco, qui pars totius prioris regionis est. nam, quum ea lata sit, una quidem eius in medio ad unguem est, duæ autem uttinque: una ab interiori parte, cuius nunc meminit, altera ab exteriori, de qua paulo infra loquitur. Est autem admiratione dignus, qui,

A qui quum nunquam uiderit humeri caput in aliam partem excidere, quàm in alam, non contentus fuerit ipſam tantum adurere, ſed adiungens duas alias regiones, illas coniecerit, in quibus nos uidimus caput humeri fixum: ex his in eam, qua uena ſita eſt, per ſummum humerum procedens, ubi duo muſculi concurrunt, & magnus ille, qui a pectore oritur, & qui a litere Δ ſimilitudine δελτοειδὴς nuncupatur, quater uidimus humeri caput prorupiſſe: in exterioré uero parté mediæ regionis ſemel, de qua tractabit in ſequentibus.


52 *Qua demittere candens ferramentum conuenit, ut cutem traijciat, non tamen nimis alte. proxima enim eſt craſſa uena, ac neruus quorum neutrum calefaciendum eſt.*

Craſſam uenam intelligit nunc eam, quæ per ſummum humerum fertur ad cubitum, quaſi latam uel grandem, cui innectitur coniunctio duorum muſculorum propoſitorum, cuique adiungitur neruus, qui diſtribuitur in partes cutis, quæ iuxta uenam eſt. cauendum autem eſſe, ne in adurédo neruus, aut uena attingatur, aperte declarauit, non tamen oſtendit, a priori ne an ab interiori parte uenæ, uel prorſus ſuper ipſam adurendum ſit. Fieri enim hoc poteſt, in primis cutem attrahendo, quo modo in ala diximus, dein tranſuerſam adurendo, poſt hæc inſtrumentum, quo ad illinendum utimur, traijciendo, atque in orbem iterum adurendo. Quemadmodum autem in ala, quamuis ſubſint nerui maximi, &
B cum ipſis arteria ac uena latiſſima, tamen aduri cutem uoluit, ſecuritatem ſubiectarum partium comparans eo inſtrumento, quo illinimus, demiſſo, ſic in propoſita nunc uſtione nihil mirum, ſi cutem uenæ ſuperiectam aduri iubeat. illos autem neruos dixit ἐπικαιροτάτους, quod uocabulum mutuari ſolet ab ea, quæ magnam uim habent, quemadmodum illi, quòd non longe diſtét a ſpinæ medulla, & maxime pleni ſint. Sed circa uenam, quæ ab interiori parte tendit ad cubitum, neruum ſimpliciter dixit, non adijciens ἐπίκαιρον. multum enim diſtat a medulla ſpinæ, atque exiguus eſt.

53 *Rurſus alio loco licet adurere ab exteriori parte multo ſupra chordam, quæ ad alam eſt, paulo infra humeri caput. traijciatur autem ex toto cutis candenti ferramento, ſed non nimis alte. ignis enim neruis eſt inimicus.*

A Regio ſuperior.
B Inferior.
C Interior.
D Exterior.
E Prior.
F Poſterior.
G Linea media ſine latitudine.
H Vena ad interiorem cubiti ſedem pertinens.
I Linea ſupra lineam mediam.

C



D

Venit ad tractandum reliquum ex ijs locis, in quibus recipitur humeri caput prolapſum. hic autem eſt in exteriori parte prioris regionis, in quam ſemel etiam conſpexi humeri caput ueniſſe. non recte autem in pleriſque exemplaribus legitur, Rurſus alius locus quem licet adurere a poſteriori parte eſt, hic enim locus non a poſteriori, ſed ab exteriori parte commiſſuræ eſt. Si quis igitur exquiſite definire loca uelit, quæ iuxta humeri commiſſuram ſunt latitudinem habentia, hic profecto omnia intuitus in prioti regione mediam dicet eſſe quandam lineam, ſine latitudine conceptam in medio ad unguem, quæ ſuperne in humeri longitudinem tendat: & utrinque in latitudinem terminari priorem regionem, ab interiori quidem parte ea uena, quæ ad interiorem cubiti ſedem pertinet, ab exteriori uero alia quadam linea, quæ diſtet a linea media, ſine latitudine concepta, quantum ipſa uena recedit. Hi ſunt ergo termini prioris regionis. duo antem alij utrinque ſunt, qua feruntur chordæ ad alam, unus interiorem regionem, alter exteriorem finit. eam uero intelligito interiorem commiſſuræ regionem, quæ eſt inter uenam, & chordam, quæ ab interiori parte alam terminat: ſed exteriorem, eam, quæ incipiens a linea, quæ tantum diſtabat a media linea ſine latitudine concepta, quantū ipſa uena, tendit ad chordam, quæ ab exteriori parte alam finit. quare iuxta diuiſionem hanc quidquid erit ſuperius chorda, quæ ab exteriori parte alæ ſita eſt, non dicetur utique a poſteriori regione commiſſuræ, ſed ab exteriori. ſiquidem regio poſterior in commiſſura eſt, qua latum ſcapularum os ſimum eſt: inferior in ala continetur: ſuperior uero inter lati ſcapularum oſſis ſummitatem atque humeri caput.

*Porrò mederi in tota curatione ulceribus debemus, uidentes, ne multum attollatur humerus, sed modice, quatenus ulce-* E 54
*rum curatio postulat, quoniam frigus eo minus adspirabit. adusta enim omnia tegenda sunt, non secus etiam moderate curanda. nam sic minus hiant, minus sanguis erumpit, minus neruorum distentio sequitur.*

Causas ipse exposuit, cur edicat, ne multum humerus unquam attollatur. primum, quod usta omnia tegere expedit, sic tamen, ut curari possint, & non frigeant, quum alioquin (ut ipse testatur) frigus ulcera mordeat, cutem induret, pus fieri in dolore non patiatur, ac multo magis in ijs, quæ calor excitauit, sicuti nunc ignis, minus (inquit) hiant, hoc est diducuntur ulceris oræ. ob id enim frigore magis excipiuntur, & tardius sanescunt, grandioremque cicatricem recipiunt. Quod autem subdit, minus sanguis erumpit: communiter ad omnia ulcera refertur, non proprie ad ea, quæ proposita nũc sunt. nam si quis sic cutem urat, quemadmodum pręcepit, periculum nullum sanguinis eruptionis sequetur. fortasse autem nerui tantum distentione periclitabuntur ob frigus, quod cute nudati contraxerunt, cuius rei in fine orationis meminit.

*Vbi ulcera pura sint, & ad cicatricem intendant, tunc sane oportet humerum die noctuque semper ad latus deligatum* 55
*continere.*

Π'τυλάς nũc proprie de cicatricibus dixit, non de ulceribus, quemadmodum ante. monet autem ma-
xime dandam operam esse, ne humerus, nisi paululum duntaxat a latere diducatur, idque, quum ulce- F
ra curantur. quoniam pura ulcera opportunissima sunt illis omnibus casibus, quos in oratione proxime præcedente narrauit, atque ijs præsertim, qui ab exterioribus causis oriuntur. antea siquidem sordida erant, atque inflammata, sordemque & humorem præter naturam superantem pro uelamento, ac tegmento quodam habebant, quin & inflammationis calor extrinseco frigori obsistebat: at, ubi inflammatio conquieuit, & pura reddita sunt, ac sine superante humore, magis quàm ante sentiũt ea, quibus læduntur. ob hæc igitur omnia facile sub exterioribus causis ac præcipue frigidis dolent, & refrigerantur, propter sensum uero acriorem uehementiori dolore cruciantur, cui accedunt ea mala, quæ sequi dolorem solent.

*At ubi ulcera conualuerunt, humerus diu debet ad latus similiter deligari. namque hac uia cicatrix maxime confirma-* 56
*bitur, atque id spacium, in quod maxime humerus procidit, contrahetur.*

Hic etiam indicauit, quo consilio hæc præceperit, quum inquit: namque hac uia cicatrix maxime cõfirmabitur, atque id spacium, in quod maxime humerus procidit, contrahetur, quasi ita dixerit, quo minor cicatrix inducetur, eo magis alæ cutis contrahetur. Quod maximum momentum habet in prohi-
bendo, ne in hanc partem humerus elabatur. G

*Quibus recondi humeri caput non potuit, si adhuc crescunt, humerus non æque augetur atq; is, qui integer est: sed quan-* 57
*uis aliquid augeatur, altero tamen breuior redditur.*

Ea nunc persequitur, quæ necessario ijs accidunt, quibus humeri caput suo loco non est. Primum ac maxime commune, cui reliqua omnia superueniunt, est, quòd minus alitur. quam rem, si membrum iam perfecte increuit, gracilitas sequitur: si adhuc augeatur, exiguitas. Non alitur autem membrũ ob musculorum & uenarum, quas continet, deprauationem: eius quoque rei causa est totus articulus immobilis. nã & integra mẽbra, ubi diutius omnino immobilia maneãt, aperte graciliora cõspiciuntur.

*Iam uero, qui a primo natali die humeros breuiores habent (γαλιάγκωνες græce appellantur) ob duplicem noxã id mali* 58
*experiuntur, uel quod dum in utero sunt, humeri luxentur, uel aliam ob noxam, de qua postea aliquando scribemus.*

Dicti ne sint γαλιάγκωνες a similitudine felis (γαλῆ græce dicitur) an ab alio quopiam, relinquenda quæstio est ijs, qui in huiusmodi studia incumbunt. medicum uero scire cõuenit nasci quosdã utriusq; humeri articulo luxato, dextro & sinistro, sicque humeros breuiores esse: neque ignorare alteram huius uirij causam, de qua tractaturum se pollicetur. Difficile autem est alteram inuenire, præter illã, quã
ipse deinceps ait illis accidere, qui teneri sunt. Inquit ergo. H

*Sed quibus tenera adhuc ætate iuxta humeri caput in intimis partibus, alteque suppurationes oriuntur, omnibus sane* 59 A.l.4.f.5.2.1.
*humeri breuiores fiunt: ac siue secentur, siue urantur, siue per se pus aperiatur, scire licet hæc ita se habere. Maxime uero* c.9.p.890.D.
*brachio uti queunt, quibus a primo natali die humeri breuiores sunt: neque ipsi tamen sursum ad aurem porrigere brachium possint, cubito extento, nisi multo minus, quàm ab integra parte.*

Potest hoc etiam, dum in utero sunt, accidere: aliam uero noxam, quæ ijs, qui in utero geruntur, causa sit, ut articulus elabatur, difficile est inuenire, sed has ambas accidere nihil prohibet. potest enim, dũ infans in utero est, a natura suppuratio fieri, aperiri, & ad cicatricem ulcus perduci. quod magis adhuc euenit, ubi humeri caput elabitur ob humorem infantis naturalem, & quia cauum commissuræ ipsius humeri tale est, ut facile articulum expelli patiatur.

*Quibus uero ætate iam robusta humeri caput erupit, neque restitutum est, pars, quæ super commissuram est, tenuatur,* 60
*& gracilioris habitus fit, ubi dolore liberantur non æque præstare possunt opera omnia, quæcunque requirunt, ut cubitus a* Auic.ibid.
*pectore diductus in latera attollatur: ad ea autem ualent quæcunque efficienda sunt humero uel in priorem partem, uel in posteriorem ad pectus adducto. nam terebra, serra, secure, ac rastris utuntur, dummodo cubitum non admodum attollere necesse sit, atque ad alia omnia idonei sunt, quæ brachia postulant ita figurata.*

His,

A His, qui hoc uitio tenentur, pars, quæ ſuper humeri commiſſuram eſt, protinus etiam inter initia re
nuior apparet, & gracilior, quum humeri caput lati ſcapularum oſſis cauum reliquerit, ſed & iſtiuſmodi
in poſterum adhuc amplius conſpicitur. eo quod procedente tempore emacreſcant partes muſculi, Δ
literam referentis, quòd redditus ſit imbecillis, quũ ſequẽs humeri caput, ui deorſum feratur ad alam:
& quòd immobilis maneat, neque ſuo munere fungatur, quod erat humerum attollere. quare frigidior
& imbecillior redditur, atque emacreſcit. quandoquidem labor firmat, ignauia tabidum reddit.

De ſummitate lati ſcapularum oſſis, qua cum iugulo coniungitur.

61 *Quibus lati ſcapularum oßis ſummitas diducitur, extare videtur os, quod recedit. eſt autem hac ligamentum iuguli cum
lato ſcapularum oſſe. Diuerſa autem eſt hac parte natura hominis a ceteris animalibus. medici itaque in hoc caſu maxime
decipiuntur. excitato enim oſſe, quod recedit, humeri commiſſura pars ſuperior apparet depreſſa, & caua, ita, ut quaſi proci
derit humeri caput, prouideant. Noui ergo complures medicos alioquin non ignobiles, qui ſummopere læderent, dum nite-
rentur huiuſmodi humeros reſtituere, ut qui luxatos eſſe extimarent, nec prius deſiſterent, quàm uel rem deſperarent, uel
indicarent per ſe non poſſe humeri articulum reſtituere. His eadem curatio conuenit, quæ ceteris eius generis, nempe ceratum
panni, faſciæ, atque eadem uinciendi ratio: ueruntamen deorſum cogendum eſt id, quod excedit, tum ea parte plurimi panni*
B *inijciendi, maximeque adſtringendum, humeruſque ad latus continendus eſt, ſuſpenſus a parte ſuperiori. Hac enim ratione
id, quod receßit, proxime adducetur. quam rem ſcire optime licet, atque prædicere, omni periculo uacare, ſi alioquin tibi ui
deatur. ex hoc enim caſu, nec paruum, nec magnum in humeri commiſſura oritur detrimentum, ſed aliquid decoris eo loco
amittitur. nunquam enim huiuſmodi os in naturalem & antiquam ſedem reuertitur, ſed neceſſario, ſiue amplius, ſiue minus
a ſuperiori parte prominet. neque enim aliud os ullum in priſtinam ſedem reuertitur, quod receſſerit ab aliquo oſſe, cum quo
naturaliter iungeretur. paucis autem diebus a dolore liberatur latum ſcapularum os ſummum, ſi commode vinciatur.*

Indicat lati ſcapularum oſſis ſummitatem eſſe coniunctionem: dicit etiam ipſam eſſe os, quo alli-
gantur propoſita oſſa ambo. conſtat autem ſummitatem lati ſcapularum oſſis eſſe chartilaginoſum os,
quod ſitum eſt, qua iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, a quo dependent membranæ, qui-
bus extrema oſſium colligantur. Hoc, ubi recedat, iugulum etiam ſequi conſueuit, & idcirco reſtituitur
iugulo deorſum compulſo, ſic, ut ea parte in orbem quodammodo inclinetur. quo fit, ut in iuuenibus
facilius cogatur. nam, quo magis ætas procedit, eo magis corpora noſtra ſiccantur. Ergo, quemadmo-
dum ſicca ligna minime idonea ſunt, quæ curuentur, madentia autem & uiridia facile id patiuntur. eo-
dem modo & oſſa eorum, qui adhuc increſcunt, coacta curuari poſſunt, ac multo magis, ubi rara ſint, &
cauis plena, quale eſt iugulum. Equidem experimento ſenſi iugulum in meipſo curuari. nam, quum uin
C culi ui uehementer compelleretur, alte urgebat. quod ego pertuli quadraginta dies, quibus iugulum
ad humeri caput ita adductum eſt, ut ijs, qui nunc aſpiciunt, nunquam receſſiſſe uideatur, quique tunc
quum receſſit, diductum interuallo trium digitorum uiderunt, rem admirentur. Inde tamen fa-
ctum eſt, ut humerus id temporis minime nutriretur, ita ut penitus emacreſceret, cumque eo brachiũ
etiam nutriri deſineret. Sed his omnibus, uno uinculi præſidio ſuccurrens, non multo tempore a ſolu-
to uinculo totum membrum refeci. in adoleſcente autem, ac multo magis in puero, os facilius uinculo
cogitur. ego uero, quum id mihi accidit in palęſtra, annum agebam trigeſimumquintum. nullum tamen
alium ex ijs, qui firmiſſima ætate eſſent, æque licuit ad ſanitatem perducere, eo quòd uinculi uim mini
me ferrent. Ipſe igitur locum ſenſi frigidum prorſus, ſic, ut totum diem ac noctem perfundere calidum
oleum cogerer, pelle toto corpori ſubiecta. ſuper qua nudus iacebam, quum caniculæ æſtus uigeret. A
pedibus igitur inani pelue ſubiecta pellis ita figurata erat, ut oleum per eam commode funderetur.
quidquid autem in pelui coactum erat, in ollam conijciebatur iuxta ignem, ut caleſieret, eoque inde ac
cepto totus affectus locus perfundebatur. at quum, uel modicum quid aliquãdo intermittebatur, ſen
tiebam continuo muſculos iuxta ceruices diſtendi, ſic, ut aperte conſtaret ſequuturam eſſe neruorum
diſtentionem, ſi ignaui fuiſſent, qui perfundebaut. mihi etiam aliud euenit, quod non parum in cauſa
D fuit, ut muſculi male afficerentur, atque id quoque enarraſſe operæprecium erit, ne quis exiſtimet ma-
le affici muſculos, propterea quòd iugulum duntaxat deorſum fuerit coactum. In palęſtra enim lati ſca
pularum oſſis ſummitate diducta magiſter intuitus partem ſuperpoſitam humeri commiſſuræ, depreſ-
ſam, exiſtimans humeri caput in alam excidiſſe, intentionem tentat, atque impulſum, quæ quidem arti-
ficioſe agit. at quum ſine ullo profectu operam perderet, arbitror peccari aliquid in impellendo, quam
obrem alios adhiberi iubeo, qui cum ipſo humerum, & ab inferiori parte, & a contraria extendant,
atque ipſe integræ manus digitos, quantum poſſum, intro demitto ad humerum, qui excidiſſe uide-
batur, ut inditi inter latus & humeri caput, ipſum impellerent: nihil autem inueniens in ala præter na
turam, iubeo, ut extendere ceſſent, qui cum magiſtro ſimul uim adhibebant, eo quod humeri caput
non procidiſſet. hi uero exiſtimantes me fracti animi ob dolorem eſſe, hortantur, ut ſibi meipſum
committam, nec ab extendendo deſiſtunt, ita, ut muſculum auulſiſſent (quæ res alijs iam accidit) ni
ſi forte alter adueniſſet, qui optime nouerat me nullo modo ob mollitiem extendẽtes prohibere. hic
eos remouet, ac me rogat, quid mali ſit, quidque faciendum cenſeam, reſpondeo ſummitatem hume-
ri diductam eſſe, opus autem mihi eſſe oleo, linteis, lana. eo igitur ad balneum, multoque oleo perfu-
ſus maneo in labro, quoad poſſum, dum, quæ ad curationem facerent, afferrentur. quare muſculi
aſſidua perfuſio neceſſaria fuit, quũ male affecti ea ratione fuiſſent. multi aũt uinculũ nõ ſuſtinẽt, etiam

ſi id

si id non accidat, sed malunt in posterum, quæ ex eo malo molestia sequitur, ferre, quàm id quadra E ginta diebus sustinere. neque enim breuiori spacio consequi eos posse existimo, ut iugulum ita exquisite curuetur. Reliqua Hippocratis uerba plana sunt.

## De iugulo.

*Iugulum comminutum, si ex toto fractum sit, facilius curatur: si in longitudinem, ægrius. hæc autem contraria sunt, atque aliquis existimet. Id igitur, quod ex toto fractum est magis utique in suam sedem compelli potest, ac si summa cura prouideatur. quod sublimius est, magis deorsum cogetur idoneo habitu, ac debito uinculo. quamuis autem ex toto in suam sedem non collocetur, tamen ea pars, quæ excedit, non ualde acuta apparebit: At quibus in longitudinem frangitur, simile uitium est, atque ubi ossa diducuntur, de quibus supra tractauimus. non ita enim in suam sedem restituitur, extansque ossis extremitas aspicitur admodum acuta. In uniuersum autem scire conuenit, nihil humeri commissuram aliamve partem lædi, quum iugulum frangitur, nisi (quod raro accidit) corrumpatur.* 62 A.l.4.f.5.2.1. c.14.p.191.A

Ex toto frangi dicit, quod nulla parte hæret, cuius contrarium est, quod non ex toto abrumpitur. Id uno modo fieri expressit, quum inquit: si in longitudinem, ægrius: simulque demonstrauit, quod ex toto abrumpitur, transuersum abrumpi: quod non ex toto, in longitudinem. ergo, ubi ex toto com F minuitur, partes cedere inter se plerunque solent, atque una sursum ferri, altera deorsum, tum altera in interiora, in exteriora altera, qua de causa uidetur fractura grauis, & ægre sanabilis. Verum altero modo, quũ fractura in longitudinem est, leuior quidẽ apparet, ægrius tamen curationem admittit. neque enim iugulũ fascia excipi in orbem, sicut membra. qua uia duntaxat propelli, atque adduci posset, quod in longitudinem fissum est. Quòd si hæc, quę nunc ostendimus, in memoria habeantur, nihil obscurum uidebitur ex ijs, quæ ab Hippocrate in sequentibus ponentur.

*Iuguli fractura deformitatem affert, deformitas autem principio maxima est, deinde minor.* 63

Satius fuisset dicere, minus apparet, principio enim rei nouitate deforme uitium uidetur: procedente tempore, sicut alia omnia, quibus assuescimus, ita deformitatem paruifacimus.

*Sanescit autem cito iugulum, atque alia ossa, quæcunque rara sunt. quoniam callo hæc maturius obducuntur. igitur ubi casus recens est ægri solliciti sunt: putantes malum grauius esse, quàm sit, medici autem sedulos in probe curando se exhibent: procedente tempore laborantes, ut qui non doleant, neque ingressu, neque cibo probibeantur, rem contemnũt, at medici, at qui locum reddere decorum non possunt, se subducunt, neque offensorum negligentiam iniquo animo ferunt. interim callus festinat increscere. Deligandi autem ratio ea conuenit, qua plerisque, cerato, pannis, fascijs mollibus, G adhibitis. Hæc autem prouidisse oportet, atque item nouisse in hac præsertim curatione, plurimos pannos qua os extat obijciendos esse, ac fascias plurimas, ibique maxime premendum. Nonnulli existimarunt plumbi aliquid alligandũ, quod oneri esset, ut deorsum cogeret, quod extaret. fortasse autem nec illi sapiunt, qui simpliciter uinciunt. quandoquidem neque propositus modus fracto iugulo conuenit. nihil enim fere cogere potest, quod excedit. Sunt & alij, qui cognoscentes uincula ipsa aliena esse, neque in naturalem locum adducere, quod extat, deligant quidem eiusmodi ægrotantes pannis fascijsque saperdatis, perinde atque alij: sed hominem fascia aliqua cingunt, qua parte commodissime cingitur, ubi pannos obiecerint, qua fractura extat, sic, ut ea parte in tumorem assurgant, caput fasciæ ad cingulum a priori parte deuinciunt, fasciamque e regione iugali porrigunt ad partem posteriorem, & in cingulum demissam ad priorem adducunt, atque inde rursus ad posteriorem. Alij fasciam in cingulum non demittunt, sed inter anum & naturale, tum iuxta anum ipsum, dein circa spinam ducentes, sic fracturam comprimunt. Hæc, quum ab eo audiuntur, qui usum non habet, prope uidentur secundum naturam esse: at, ubi quis ea experiatur, inutilia comperiet. neque enim aliquod tempus immobiles manent, etiam si homo cubet, quanquam hoc modo proxima essent, tamen si cubans crus flectat, aut ipse curuetur, omnes fasciæ mouebuntur. præterquam quod hæc cingendi ratio alioquin fœda est.*

Causam ipse adiungit, quã ob rem hæc celeriter sanescant: sed cur callus mature increscat, causam non expressit, ut quæ ex natura ossium, de quibus tractatur, percipi possit. quoniam in ijs, quæ rara H sunt, multum humoris contrahitur. In prioribus autem demonstrauimus, effuso humore ob affecti ossis uim spissato, in oris fracturæ callum increscere, qui, ubi satis increuit, fracturæ oras illigat, atq; adstringit. neque enim os altioribus partibus solidatur, quemadmodum caro, sed (ut dictum est) in summo, quasi uinculo adstringitur. quæ sequuntur, si diligenter considerentur, omnia plana sunt.

*Siquidem anus comprehenditur, fasciæque in hac loci angustia colliguntur. Quod uero ad eas fascias pertinet, quæ in zonam induuntur, non ita arcte hæc cingitur, quin sursum ferri cogatur. quod ubi accidit, necesse est totum uinculum relaxari. Proxime autem moliri quis sibi uidebitur, quamuis nihil magnum efficiat, si fascias nonnullas in cingulum demittat, sed plerasque ad primum uinculum adhibeat. hac enim ratione maxime stabiles erunt, & alteri circuitui alter auxiliabitur. Plurima quidem dicta sunt ex ijs, quæ ad iuguli fracturam attineat. scire autem licet, iugulum plerunque ita frangi, ut ea pars, quæ à pectore est, sursum feratur: quæ à summitate lati scapularum ossis, deorsum. cuius causa est pectus, quod neque admodũ sursum, neque admodum deorsum moueatur.* 65

Loci angustiã dixit στενοχωρίῃ. quod nomẽ (ut quibusdã placet) non componitur ex uocabuli ὑγρῆ, στενῆ, & χώρας, quæ significarent humidum angustum locum, sed deducitur à uoce στενὸν quæ nihil amplius sibi uult, quàm στενὴν, quod significant angustum. unde quadam additione (quam figuram παραγωγὴν dicunt)

A dicunt) deducitur στενοχωρίη quæ nihil aliud sibi uult, quàm angustiam. quod ex ijs euidenter colligitur, quæ Simonides, sic scribit.

Non sic aperto in monte quisquam cæsium.
Exhorruit Leonem, aut tigrin, obuius,
Si solus illi fiat arcto in tramite.

effertur autem secunda syllaba tenui spiritu.

66 *Exiguus enim est motus articuli a parte ossis pectoris.*

Exiguũ motum uocauit κιγκλισμὸν. At siue uocabulũ sumatur a motacilla aue, quæ græce κίγκλος dicitur, eo quòd assidue caudam moueat, siue a quouis alio, non pertinet proprie ad hunc locum: sed magis persequi causam oportet, cur commissura iuguli cum pectore, quamuis sicut aliæ nonnullæ referri inter minimas non debeat, tamen nihil fere mouetur. sed quã huius rei causam Hippocrates tradat, audiamus de uerbis ipsius. Os pectoris στῆθος appellat, quo nomine significasse nunc uidetur, non omne id quod est a priori parte thoracis, sed medium os, in quod se inserũt costæ, quod græce a iunioribus medicis στέρνον uocatur, de quo recte dixit.

67 B *Ipsum enim os pectoris sibi continuatur, & spina.*

Os pectoris sibiipsi continuari manifestissimum est: sed & spinæ etiam liquido constabit, si quando in cadauere detracta carne costas uideris à posteriori parte, spinæ, a priori, ossi pectoris inhærere.

68 *Sed, & iugulum prope humeri articulum supernatat. cogitur autem moueri sæpissime. eo quòd cum summitate lati scapularum ossis iungatur. Maxime autem, ubi perrumpitur, pars, quæ ab osse pectoris est, sursum fertur, neque facile solet deorsum repelli. quoniam natura leuis est, spatiumque ipsi latius patet a superiori parte, quàm ab inferiori: latum uero scapularum os, humerus, & quæ his inhærescunt a costis, & osse pectoris optime soluuntur. quamobrem possunt plurimum attolli, atque demitti. Itaque ubi iugulum frangitur, ea pars, quæ est a lato scapularum osse, deorsum conuertitur. facilius enim deorsum fertur una cum humero ac lato scapularum osse, quàm sursum. Quando igitur sic se res habet, decipiuntur, qui censent posse, quod super excedit os, deorsum compelli. namque in aperto est inferiorem partem ad superiorem adducendam esse. ea siquidem mouetur, ea a naturali sede recedit. constat autem hanc aliter nullo modo propelli posse. uincula enim nihil magis adducunt, quàm repellant. si quis autem humerum, ad latus, quantum potest, adductum sursum attollat, ut humeri commissura maxime acutam se ostendat, hoc pacto concurret cum osse pectoris, a quo recessit.*

C Solet Hippocrates quasdam figuras ac linguarum proprietates usurpare, quãuis consuetam locutionem sequatur. Simile quid apud Xenophontem legitur. ipse enim, si quisquam est, qui usitata locutione utatur, in his nomen profitetur suum. sæpius tamen inserit uocabula linguæ propria, ac translata. quod rarius apud hunc, frequentius apud Hippocratem reperitur. quemadmodum in præcedentibus uerbis, ubi κιγκλισμὸν dixit paruum motum, nũc uero, πλαδδιεῖ, quod supernatat. id autem quasi sine fulcro significat. cuius rei testimonium facit, quod subijcit, quum inquit, cogitur autem moueri sæpissime, eo quod cum summitate lati scapularum ossis coniungatur. at summitas lati scapularum ossis rursus ob humeri articulum sæpissime mouetur, quum ipse imbecillis sit, & maximi motus. initio uero sermonis, prope dixit. dubium autem est ad locum ne, an ad rem debeat referri. uel enim accipiemus, prope articulum, frequenter iugulum moueri, quam sententiam magis probo, uel (ut quibusdam placet) prope, referemus ad frequentem motum, ita, ut mens eius sit. Iugulum maxime prope accedit ad ea, quæ frequenter mouentur, quum humeri articulo iungatur.

69 *Si quis igitur legitimum uinculum adhibeat, ut celeriter glutinetur, cetera uero omnia extra huiusmodi habitum superuacua existimet, recte utique sentiet, celeriterque hominem ad optimam ualetudinem perducet, quem iacere maxime ad rem pertinet, satisque sunt quatuordecim dies, si quiescat, summum uiginti.*

D Legitimum uinculum appellat, quod omnibus in consuetudine est, ac iam est ueluti lex quædam nõ scripta. sic enim & in uita fit, ut quos mores, omnes student, legibus similes sint. Vinculum igitur, quod ad fracturas pertinet, huc non admodum accommodatur. atque idcirco fusius de ipso scripsit in primo de fracturis. hic autem nullum uitium exponitur, ad quod eiusmodi uinculum adhibeatur. Ostendimus enim in commentarijs in eos libros, & nunc etiam in memoriam redigemus morbos omnes, quibus accommodatur id uinculum, quod ad fracturas pertinet, traditos fuisse ab Hippocrate in eo uolumine: in hoc autem omnes, qui alteram uinciendi rationem postulant. Porrò autem in eo uinculo, quod ad fracturas pertinet, fascia super affectum membrum in orbem circumdatur, sed in altera uinciendi ratione fertur ad alias partes, ac plurimum ad eas, quæ uitiatæ sedi contrariæ sunt, quod in libro de officina medici testatur, cum inquit: consentit autem cum capite humeri fascia ad alteram alam demissa.

70 *Si in iuguli fractura (quod raro accidit) contrarium eueniat, ut scilicet id ossis, quod a pectore est, subijciatur: id, quod a summitate lati scapularum ossis sublimius feratur, ac super alterum excedat, nullo magno præsidio opus est. demisso enim lato scapularum osse, cum humero, recte ossa inter se concurrent, ac quæuis ratio uinciendi satis erit, & callus paucis diebus increscet.*

In superioribus quidem demonstrauit, ubi totum iugulum transuersum abrumpatur, fere quod a

pectore

pectore eſt,ſurſum conuerti:quod a ſummitate lati ſcapularum oſſis, deorſum. nunc eum modum per- E ſequitur,qui rarius accidit,ſub quo ea pars iuguli,quæ eſt a ſummitate lati ſcapularum oſſis,ſurſum fertur,quæ a pectore demittitur,atque hic(ut ait)facilius ſaneſcit.nam demiſſa ſummitate lati ſcapularum oſſis, ſimul etiam demittitur ea iuguli pars, quæ ipſi continuatur, ſicque alteri æquata illigatur, curaturque.

*Quod ſi non comminuatur hoc pacto,ſed ab hac uel illa parte in latere erumpat,in ſuum locum collocandum erit, lato* 71 *ſcapularum oſſe una cum humero excitato,quemadmodum & in ſuperioribus explicauimus,ubi reſtitutum fuerit in priſtinum ſtatum,reliqua curatio celerrime perficietur. Plerunque igitur,cum partes inter ſe ceſſerunt, ipſo humero ſurſum coacto reſtituitur.*

Quod ab ipſo nunc proponitur,accipere debemus in oſſe, quod in interiorem, uel exteriorem partem prolabitur.intellige nunc, quam dico interiorem partem,eam,quæ alte ſita eſt in corpore: exteriorem,quæ ad cutem.

*Vbicunque autem, quod a ſuperiori parte eſt in latus,uel in inferiorem partem ueniat, commode reſtituitur, ſi homo* 72 *reſupinetur ſubiecta aliqua re inter ſcapulas,quæ attollat ſic, ut pectus quàm maxime recuruetur: aliquis item humerum* F *iuxta latus extentum ſurſum adducat:medicus uero altera manu ad humeri caput data prominentiori palmæ parte repellat:altera quod diductum eſt, componat. ſic enim maxime in naturalem ſedem reſtituet, ſed(ſicut iam diximus)ſuperius os deorſum ferri maxime ſolet. Pleriſque, ubi alligati ſunt, conuenit ita figurari, ut cubitus iuxta latus contineatur, ſicque humeri caput excitetur.*

*A. Aeger ſupinus collocatur.*
*B. Puluinus inter ſcapulas ſubiectus.*
*C. Alter brachium a coſtis diductum attollens*
*D. Medicus fracta oſſa componens.*




Vbi ea pars iuguli, quæ cū pectoris oſſe committitur,uel in latus,uel in inferiorem partem prorūpat, tūc ait commode reſtitui,ſi hō reſupinet̃, ſubiecto inter ſcapulas iuxta ſpinā puluino,ſeu ceruicali,ſiue tali quopiā, ut hac uia thorax totus recuruetur.hoc autē expreſſit uocabulo [illegible] G [illegible].i.anfractū.qđ poeta ēt uſurpauit,quū inquit. Anfractū menſis ſup incidit. Homine igit̃ figurato,pręcipit, ut medic⁹ altera manu humeri ad latus adducti, caput ī exteriorē partē repellat, ſic enim diductæ iuguli partes plurimum in ſe recedent,recuruato pectoris habitu multum ad eam rem conferente:altera manu componat, atque in unum adducat diductas iuguli partes.humerum uero iuxta latus ſurſum compelli interdum ſatius eſſe in ſequentibus adſcribit.

*Sed quibuſdam(ut narrauimus)debet humeri caput ſurſum urgeri:cubitus autem ad pectus adduci:manus uero ad ſum* 73 *mitatem lati ſcapularum oſſis ab integra parte porrigenda eſt.Quòd ſi homo cubare non recuſet, aliquid imponere conue-* H *nit,quo fulciatur ſic,ut humeri caput maxime ſublime ſit: at ſi inambulet,ſundam a ceruicibus ſuſpendere ex faſcia oportet,quæ cubiti eminentiam complectatur.*

Hæc figurandi ratio efficit,ut humeri caput in exteriorem partem compellatur, cum quo adducitur, & iuguli pars quæ ſummitati lati ſcapularum oſſis adiuncta eſt.Sed huiuſmodi habitu inquit fere opus non eſſe.quod ſuperiori ſatis reſtituatur, ſub quo humerus iuxta latus extentus adducebatur. cubito ibidem collocato,non quemadmodum nunc pectori ſuperimpoſito. Abſtinere igitur debemus ab imponendo cubito ſuper pectus,non quo hic habitus priori ſit deterior,ſed quo per illum duntaxat, pleraque præſtari poſſint,quæ ad reponendum idonea poſita ſunt.Quo modo,ſi res non ſuccedat,ad habitum tranſibimus ſecundo loco oſtenſum.

# GALENI IN HIPPOCRATEM DE ARTICVLIS COMMENTARIVS SECVNDVS.

## *Vido Vidio Florentino interprete.*

## ARGVMENTVM.

De reliquis articulis manus agit, tum de maxillis, de naribus, deque auribus: cum hæ partes aut luxatæ, aut fractæ sint.

### DE GIBBO CVBITI.

B 1 *CVM gibbi cubiti articulus dimotus aut subluxatus ad costas aut exteriorem in partem est, acuta eius parte in concaua brachij subsistente, in rectum extendendus: quodque eminet, retro & in latus repellendum est. Cum uero perfecte excessit uel hac uel illac, extensio ea adhibenda, qua brachium fractum deligatur. ita enim incurua gibbi pars minime prohibebit. Excidit autem maxime uersus costas. Directio uero eius est, si quamplurimum abducendo ne caput brachii cornicem cubiti attingat: suspensum ita circumagamus & circumflectamus, & non in rectum extendamus, simulque in contrarium in utranque partem impellamus, in sedemque ita compellamus. In his confert etiam si gibbus partim in supinam partem, partim in pronam contorqueatur. Curatio postea ex figuratione ea est, ut paulo superiorem manum gibbo cubiti: brachium uero ad costas habeant. sic & appensio, & positio, & gestandi facilitas, & natura, & usus in communi fiunt: si modo praue callus non increuerit. increscit autem celeriter. Linteis uero curatio fit lege articulari, vt & acuta etiam pars insuper deligetur: Recrudescit maxime gibbus cubiti, febresque, ac dolores, & meræ bilis uomitus mouet: atque id maxime, si in posteriorem partem, ob torporem: secundo, si in anteriorem prolapsus sit. Eadem utrisque curatio.*

*A. Alæ subiecta habena.*
*B. Manibus depellens.*
*C. Medicus articulum palmis coaptans.*




C *Sed repositiones, si retro abiit, vt extentum totum brachium intendamus. Signum enim est quòd ita excesserit, cum extendere totum brachium nequeunt. cum uero conflectere id non ualent, quòd in anteriorem partem exciderit cubitus, indicium est. Vnde his conuolutum aliquid durum ab anteriore parte imponendum, ac super id, ubi extenderis, repente cubitus inflectendus est. Dissidentiæ autem ossium nota est: si iuxta uenam qua ad brachium discinditur, attrectaris. Sed hæc cito callo circundantur. Ab ortu sane ossa quæ infra noxam sunt, breuiora euadunt: plurimum iuxta cubitum: secundo iuxta manum: tertio iuxta digitos. brachium quippe & humerus ob uersionem potiora, at reliqua pars totius brachii ob opera adhuc potior est. Si extra excidit articulus, in interiore parte caro imminuitur. sin minus, in contraria parte, quàm exciderit. Si extra vel intro excesserit, extensio in communi figuratione brachii ad cubitum facienda est. alæ enim habena subiecta retrahendum est, summo uero gibbo iuxta articulum pondus aliquod appendendum, uel manibus depellendum. atque ita suspenso articulo palmis coaptationes fiunt, ut in manibus. Deligatio in hac figuratione, & appensio, & positio.*

D *At cum in posteriorem partem excidit, repente extento brachio palmis dirigendum: simul autem & in directione, & in aliis faciendum est. Cum in anteriorem, supra linteum in tumorem conuolutum conflectendum, ac simul dirigendum: sed si in alteram partem inclinetur, in directione simul utraque facere oportet. Medela vero communis figuratio, & deligatio est. Possunt etiam ex distentione communiter omnia coaptari. Repositiones autem aliæ ex suspensione, aliæ ex extensione, aliæ ex circumuagatione reponunt: atque hæc ex excessibus figurationum uel hac uel illac celeriter fiunt.*

### DE MANV.

*Manus articulus uel intro, uel extra prolabitur: sed plerunque intro. Signa aperta sunt, si enim intro excidit, conflectere: si extra, extendere digitos nequeunt. Repositio fit, si digitis supra mensam positis in diuersas partes extensio efficiatur os uero eminens uel palma, uel calce simul retrudatur, & in anteriorem partem & inferiorem trudatur. Ab inferiori autem parte ad alterum os inuolucrum aliquod molle, si supra est, pronæ manui, si infra, supinæ est subiiciendum. curationem postea linteis peragimus. At tota manus vel intro vel extra, vel hac vel illac, potissimum tamen intro luxatur.*

*Interdum*

*Interdum etiam appendix ipsa dimouetur, interdum alterum ex ossibus dissidet: His valida extensio adhibenda est: tum* E *quod eminet, trudatur: alterum vero os duobus modis simul in posteriorem partem & in latus, vel manibus supra mensam, vel calce retrudatur. Quæ rebellant deformia euadunt: tempore tamen ad vsum corroborantur. Curatio bis quoque linteis adhibetur, cum manu & cubito: ferulaque vsque ad digitos apponuntur. Hæc in ferulis deligata frequentius quàm fractura resoluenda, & perfusione copiosiore fouenda sunt. Ab ortu breuior manus euadit: carniumque imminutio contraria in parte quàm qua est prolapsio effecta, maxime contingit. At adulto iam ossa permanent.*

### DE DIGITIS.

*A. Extendentes in diuersa*
*B. Medicus palmis os eminens retrudens*
*C. Inuolucrum molle alteri ossi subiectum*




*Digiti articulus cum prolapsus est, facile patet. reponitur vero, si in rectum extendatur, quodque eminet trudatur, & contrarium retrudatur. Curatio vero mitellis, & linteis fit. Si non reuersus fuerit, extra callum obducit. Quæ autem ab ortu, aut in auctione luxata sunt ossa, infra prolapsionem breuiora efficiuntur: minuunturque carnes contraria præcipue in parte quàm in quam exciderunt. Ei vero qui iam est adultus, ossa permanent.*

Explanatio desideratur. F

### DE MALA.

*Mala paucis hactenus toto loco mota est.* 3

Qui operam dant corporibus incidendis γνάθον dicunt eam partem, quæ genis subiecta est: genas uero, quæ μῆλα uocant, eas, quæ leniter rotundæ in facie prominent. Quemadmodum igitur Hippocrates dixit, articulum autem lati scapularum ossis, pro articulo, qui cum lato scapularum osse committitur, sic nūc malæ articulum intellexit, quum malam ait, quàm γνάθον appellat. Sic etiam poëta dixit,

Ambabus feriens manibus sic uerbere cunctos
Ceu suis, excuterem e malis per gramina dentes.

vbi uidetur appellasse γνάθους malas & maxillam, quas ipse etiam Hippocrates in sequentibus γνάθους nomi- G nat. Atque hæc de uocabulo. cur autem scripserit paucis maxillam toto loco moueri, ipse deinceps docebit, animum igitur adiungito.

*Os enim, quod a malis procedit, cum eo coniugatur, quod ab aure, hoc autem maxillæ capita excludit. quorum unū a superiori parte situm est, alterum subiectum. Item ex maxillæ capitibus unum quidem ob longitudinem non facile expellitur, quod rostro simile, iugale os excedit.* 4

Antea quoque diximus in expositione libri de fracturis, & in primo commentario, si quis non intelligit, quæ ita clare ab Hippocrate exponuntur, huic opus esse monstratione ossium, præcipue hominis, uel certe simiæ. satius autem est non tunc, cum liber legitur, sed prius per ocium ossa inspicere. Diximus item scriptum fuisse a nobis librum de ossibus ad eos, qui primas institutiones addiscūt, in quo ante exerceri melius est eum, qui percepturus est, quæ ab Hippocrate scribuntur. Atqui, ut, in superioribus scripsi, sic etiam nunc faciam mediam quandam expositionem, inter eam, quæ conuenit ijs, qui inspexerint, & eam, quæ ijs, qui non inspexerint. Hoc enim pacto, qui inspexerint molestè sermonis longitudinem non ferent: qui non inspexerint quasi descriptionem quandam habebunt exquisitæ cognitionis, quæ haberi non potest, nisi ossa ipsa inspiciantur. Intelligito igitur ex partibus H oris, quæ dentes continent, eam, quæ mouetur, esse maxillam, quæ immobilis est, malas: in utroq; item osse dentes contineri, tam magnitudine, quàm numero inter se æquales. Procedit autem a malis os tenue continuatum illi ossi, quo continetur angulus oculi temporibus propior, cum hoc alterū os iungitur, in quo situm est foramen auris. qua uero coeunt hæc inter se, commissura fit suturæ similis. Hoc igitur os, quod malas capiti annectit, ab ijs, qui incidendis corporibus operam dederunt, iugale os appellatur. quandoquidem & ipse Hippocrates, coniugatur, inquiens, ostendit duo ossa inter se coniungi, quasi iugo subiecta. huic autem iugo cauum subiectum est non mediocre, in quod se inserit alterum maxillæ caput, quod rostrum refert. hoc & fœminino genere κορώνην & neutro κόρωνον Græci appellant. Iuxta hunc processum maxilla quoque alterum exigit, per quem cum capite prope aurē committitur. Sed hic breuior est, alter multo longior, uterque distinguitur iugali osse, quod mediū inter utrunque situm est, longiori humilius, breuiori sublimius, utrosque maxillæ processus Hippocrates nominauit capita, quum inquit, hoc autem maxillæ capita excludit, hoc est, diducit, separatque inter se, alterum ab inferiori parte, a superiori alterum. Constat igitur procidere maxillam non posse, nisi processus rostro similis iugali osse humilior demittatur. at non propterea simpliciter luxabitur, ubi illud accidat, aperto enim ore in suum locum reuertetur. Ad hoc igitur, ut luxetur, necesse

est

A est reditum prohiberi, eo quòd ipsa in latus conuertatur. Recte igitur in sequentibus inquit luxari autem non potest, nisi ore uehementer aperto in alteram partem conuertatur; neque enim ferri potest ipse processus infra os iugale, priusquã maxilla a malis plurimum diducatur. quod accidit, ubi homo maxime hiat, neque reditu in suam sedem prohibetur, nisi in latus conuertatur. Aegre igitur prolabitur & ob hæc, & ob musculorũ robur, quibus ad superiores partes alligatur, de quibus agit proximis uerbis.

5 *Iam uero ab utraque harum summitatum neruosæ oriuntur chordæ, quibus musculi illigantur, qui κροταφῖται, & μασητῆρες dicuntur.*

Quæ ante, capita maxillæ uocauit, nunc, summitates appellat, ab utrisque inquiens neruosas chordas oriri, quas τένοντας uocat. solet autem sic appellare eas musculorum extremitates, quæ græce ab ijs qui uersantur in corporibus incidendis ἀπονευρώσεις nuncupantur. semper autem magis neruosæ sunt, quàm medius musculus. Verum inter se differunt, eo quòd aliæ naturam magis neruosam habeãt, aliæ minus. ubi carnosa natura plurimum abundat, musculi extremitatem carnosam uocãt, contra ubi neruosa superat, neruosam. nunc quia neruosæ magis sunt, quàm carnosæ, iure dixit ab utroque horum capitum neruosas chordas oriri. Innecti enim inquit summitatibus maxillę musculos, qui temporales &
B masticatores nuncupantur. Sed incertum est, num eosdem musculos his uocabulis appellet, an alios esse uelit temporales, alios masticatores. quoniam, qui post Hippocratem uersati sunt in corporibus incidendis κροταφῖτας uocant eos, qui a temporum ossibus oriuntur, quos, ubi intenduntur, claudere & contrahere os aperte uidemus: eos uero, qui maxillæ, qua latescit, illigantur, utrinque scilicet unus, μασητῆρας nominant, eo quòd in mandendo maxillam circumagant, quod efficere non amplius possunt, qui a superiori parte oriuntur. hi enim sursum solummodo ipsam adducunt, non tamen in latera mouent. Quocirca ipsis opus est in contrahendo ore, non secùs etiam, ubi prioribus dentibus aliquid mordentes abscindimus, uel ubi comminuere aliquid caninis uolumus. Sed, ubi cibum, ut contundamus, conteramusque, super maxillares imponimus (quæ actio μάσησις græce dicitur) musculi tunc suo munere funguntur, qui maxillam, cui illigantur, qua latescit, in latera mouent. Probabile igitur est hos musculos appellari μασητῆρας: eos uero κροταφῖτας, qui a musculis iuxta ossa temporum (quæ græci κροτάφους dicunt) oriuntur, qui & neruosas chordas continent, maxillæ summitatem rostro similem circumagentes. Atqui conditum est in ore par aliud musculorum, qui superne ab osse, quod ab alarũ similitudine πτερυγοειδὲς uocatur, & a toto sinu iuxta positoioriuntur. iunguntur autem maxillæ, ea potissimum parte, unde processus ad commissuram fertur. perueniunt autem hi musculi ad eos, qui μασητῆρες
C dicuntur, quique (ut dixi) maxillæ inhærent ab exteriori parte, qua latescit, quum ab interiori parte duo, qui propositi sunt, utrinque unus maxillam, qua latescit, comprehendant. Ergo, quum Hippocrates ait, Iam uero ab utraque harum summitatum neruosę oriuntur chordæ, quibus musculi illigantur, qui κροταφῖται, & qui μασητῆρες dicuntur. constat nullo modo loqui de musculis, qui ab exteriori parte maxillæ superinjciuntur, sed duo musculorum paria indicasse, eos scilicet, qui euidenter ab extrema fronte oriuntur, & eos, qui iuxta sinum ossis πτερυγοειδοῦς. hi enim alterum processum attrahunt, quem inseri in commissuræ cauum diximus: sed alterum musculorum par, quod (ut retuli) maxillæ extremitatem rostro similem in orbem amplectitur, rursus ipsos maxillæ processus sursum ad caput adducit.

6 *Propterea igitur uocantur, ac propterea mouentur, quod inde illigantur.*

Quum propositos musculos dixerit nominari μασητῆρας, causam reddidit, cur ita appellentur. inde enim illigantur, hoc est, maxillæ summitatibus: propterea mouentur, quum mandimus, & μασητῆρες uocantur.

7 *Nam, quum edimus, loquimur, aut aliter ore utimur.*

D Maxilla solummodo mouetur, quum a malis ipsam reducant priores duo ceruicum musculi, cumque μασητῆρες illam adducant. Iure igitur euidenter mouentur, quum ei ossi, quod maxime mouetur, illigentur. Dicti autem sunt ob huiusmodi motum μασητῆρες, a mandendo, quæ maxillæ actio ualentissima est, leuiter enim mouetur, dum loquimur.

8 *Male quidem quiescunt. innectuntur enim capiti, sed non insinuantur ut articuli. at maxilla mouetur, ut quæ articulorum modo cum malis & capite committatur.*

Verbum innectuntur, συνήρτηνται dixit, nonnulli scribunt συνήρθρωνται, idest, iunguntur, propterea quòd Hippocrates uelit συνάρθρωσιν esse naturalem ossium iuncturam, interdum eorum, quæ uix, interdum eorum, quæ nullo modo moueri uidentur: sicut διάρθρωσιν naturalem cõmissuram ossium, quæ aperte mouentur. In propositis autem uerbis commissuram articulorum ἐνάρθρωσιν uocat, quod idem notat ac διάρθρωσις siquidem & ἐναρθροῦσθαι διαρθροῦσθαι significat.

9 *At quamobrem neruorum distentionis, rigorisque hic articulus primus indicio sit, ubi contrahitur: & quamobrem plaga in temporum musculis graues sint, & stuporem inferant, alibi explicabimus.*

Paucis persequi rem potuit, quoniam hic articulus ad neruorum initiũ propius accedit, primus neruorum

uorum distentionem concitat, plagasque habet stuporem inducentes: nescio autem quo pacto reserua E
uerit. fortasse uoluit in scribendo demonstratione uti, mentionem faciens neruorum, qui a cerebro
ad hos musculos perueniunt, quod necessarium non fuit, in proposita doctrina, atque idcirco in aliũ
locum, perfectum sermonem distulit.

*Atque hæ causæ sunt, cur non admodum prolabitur.* 10

Sed quænam sunt? nempe non aliæ, quàm quæ dictæ sunt, quarum duplex est caput, natura ossium
(ut narraui) & robur musculorum.

*Illud etiam in causa est, quòd nulla fere in edendo necessitas est, quæ cogat hominem aperire os, vltra quàm possit. luxa* 11
*ri autem aliter maxilla non potest, quomodocũq; figuretur, quàm cum ore vehemẽter aperto in alteram partẽ cõuertitur.*

Præter duas superiores causas, quæ efficiunt, ut maxilla raro luxetur, tertiam adscribit, scilicet nisi
plurimum os aperiatur, luxari minime posse. Verum non sæpe fit, ut nobis opus sit ore plurimum a-
perto. quãdoquidẽ eiusmodi actio duplici usui accõmodatur, uel ubi uolumus ore magnæ molis quid-
piam apprehendere, uel ubi quàm maxime hiamus, quorum illud raro accidit, hoc delirantibus dun
taxat. Quod & aliquando accidisse uidimus Plusio Placino, cum quantum poterat, os aperiret, dein- F
de maxillam in latus deduceret. consueuerat autem sic subinde figurari, ac tanquam egregium factũ
ultro semper hiare amplius conabatur.

*Veruntamen illud etiam efficit, vt maxilla excidat, quòd ex omnibus neruis ac musculis, qui iuxta articulos sunt, vel* 12
*non longe ab articulis, quibus illigantur, quicunque in vsu frequenter dimouentur, dum extenduntur, maxime idonei*
*sunt, qui extenti sequantur, perinde atque coria, quæ, quum optime mollita sunt, plurimum extendi possunt.*

Quod ad propositas causas attinet, necesse est maxillam, uel nullo modo, uel raro, admodum luxa
ri. Videtur tamen res aliter habere. excidit enim raro, at non adeo, ut permulti nostrum eiusmodi ca
sum non uiderint, quod in ijs euenit, quæ sunt rarissima. eo enim quòd eiusmodi commissura multum
mouetur, musculi neruique ipsius tenduntur, & opportuniores sunt, qui extendantur, quàm quibus
raro motis opus est: quemadmodum (ait) & coria δεδεψημένα, hoc est, optime mollita, plurimum
extendi possunt. quoniam poëta uerbum δεψεῖν mutuatur ad significandum mollire, quum inquit,
Nam flaua cera mollita.

*Ergo (quod propositum erat) maxilla raro excidit, mutatur tamen subito sæpe, quum homo hiat, vt compluribus* 13
*alijs musculorum, neruorumque motionibus accidit.* G

Mutatur subito dixit χᾶσαι, quod uerbum quid significet, intelligemus, si ea, cum quibus in oratio
ne coniungitur, animaduertamus. inquit enim, ut compluribus alijs musculorum, neruorumque mo
tionibus accidit. quare χάσαι uirium est neruorum ac musculorum articulo non erumpente. Quid-
nam hoc uitij sit, aperit, quum inquit, motionibus. uoluit enim ex naturali situ in alterum mutari, id-
que subito idem & paulo post indicat significari uerbo χάσαι, quum ait: Dein subito mutare ad tres
habitus simul consilio directo: ubi mutare dixit χάσαι, hoc est, subito mouere priorem habitum. ad-
de, quod nunc etiam in Co, ac fere in omnibus Græciæ ciuitatibus χασπίας dicunt id, super quod pe-
dem imponentes, protinus efficiunt, ut id in carceribus cadat, cui adstant, qui cursuri sunt. In palæ-
stra item uerbum χάσαι significat brachium a priori situ celeriter retrahere. Vbi ergo dixeris maxillã
σχάσαι, ad musculorum uitium referendum est repente mutantium alias partes, sic, ut musculi anti-
quam sedem minime retineant: sed aliqua ex parte deprauentur, aliqua etiam extendantur.

*Hinc autem euidentissimum est, cum excidit. maxilla enim in priorem partem proijcitur, conuertiturque in contra-* 14 A.l.4.f.5.z.1.
*riam, atque vnde luxata est, summitasque oßis rostrum referens magis extat iuxta malas, maxillaque cum malis ægre* H c.7.p.819.B.
*committitur.*

Diximus etiam in superioribus os, quod iugale appellatur, ita situm esse, ut superinijciatur maxillę
summitati rostrum referenti: ac nisi in alteram partem prolabatur, maxillam ad suum locum reuersu-
ram. Necesse igitur est, siquando maxilla excidat, propositam summitatem extra iugale os ferri. nul
lus enim alius locus est, in quem impellatur. Quare merito extat iuxta malas, qua situm est iugale os,
sed qua potissimum situm sit, facile percipies in homine gracili, musculum temporis, genamque in-
tuitus. inter utrunque enim situm est iugale os. In memoria itaque habens eius situm, ubi aliquem ui
deris, qui os claudere nequeat, maxilla in priorem partem proiecta, atque in alteram inclinata, co-
nari debes, exquisite oculis, digitisque summitatem comprehendere, quæ iuxta genam & iugale os
extat. At ubi sic habere comperies, optimum indicium erit maxillam excidisse.

*His qua ratione aperte reponi debeat, in aperto est, oportet enim aliquo laborantis caput continente, alterum digitis* 15 A.l.4.f.5.z.1.
*maxillam ad mentum comprehendere, tam ab exteriori parte, quàm ab interiori, homine hiante quantum modice potest:* c.7.p.819.B.
*ac primo quidem aliquamdiu maxillam manu in hanc, atque illam partem adductam dimouere, imperareque, vt ipse ho*
*mo maxillam relaxet, simulque cum medico ipsam adducat, & adducenti quàm maxime pareat.*

Ratio reponendi euidentissima est ijs, qui in corporibus incidendis, partium, quas narrat, compo-
sitionem

A ſitionem diligenter inſpexerint, ad quos reſpectum habens, hæc ſcripſit. Quæ deinceps adiungit de reſtituendo, omnia plana ſunt, niſi ſicubi unum uel alterum uerbũ occurrat, quod a nobis notabitur.

16 A. l. 4. f. 5. t. 1. c. 7. p. 889. C. *Dein ſubito mutare ad tres habitus ſimul conſilio directo. ſiquidem ab ea ſede, in quam peruerſa eſt, ad naturalem adducenda, præterea in poſteriorem partem adurgenda eſt: tum æger obſequens eam debet cum malis committere, ac minime hiare. Ratio quidem reponendi huiuſmodi eſt, neque reponi maxilla poteſt, ſi aliter figuretur, leniſque medicina abunde eſt, nempe panni cum cerato, laxiori faſcia alligati. Tutius autem eſt admouere manum homine reſupinato, capiti ſubiecto ſcorteo puluino, maxime farcto, ut quàm minime cedat.*

Vbi, prius neruis & muſculis agitatis, atque emollitis maxillam deorſum traxerimus, & quantum poteſt a malis reduxerimus, debemus agere, quod ab Hippocrate iubemur, quum inquit, Dein ſubito mutare: quod σχᾶσαι dixit, id eſt repente, ac ſimul articulum collocare e regione ſuæ ſedis: tum ita collocatum rurſus in poſteriorem partem momento impellere, homini imperantes, ut os claudat. Antea quidem præcipiebat, ut homo hiaret, laxam maxillam præbens, id eſt, nullum muſculum intendens. id enim maxime confert ad neruos muſculoſque agitandos, repenteque ad naturalem ſedem adducendum maxillam deprauatam, atque ad compellendum in poſteriorem partem. Nũc iam, ubi utra
B que maxillæ ſummitas ſita eſt e regione ſuæ ſedis, permittit muſculos, qui κροταφῖται dicuntur agentes eam totam ad ſeipſos attrahere. agunt enim, ubi æger comprimere, claudereque os uelit.

17 *Aliquis autem caput offenſi contineat.*



Dum maxilla agitatur, ac modice deorſum demittit, præcipit, ut caput contineatur, ne ſequatur maxillam. ꝙ perpetuũ eſt in omnibus, quæ in diuerſa duci debent. Offenſum appellauit τετρωμένον. Iones enim quamlibet offenſam τρῶμα dicunt.

18 C *Quod ſi maxilla utraque parte elabatur, curatio eadem eſt: ſed homo minus cõprimere os poteſt. tunc enim mentum magis prominet, ſed in neutram partem inclinatur. intelliges autem in neutram partem inclinari, præcipue ex dentium finibus, ubi inferiores e regione ſuperioribus reſpondeant.*

Maxilla ab utraque parte, uidebitur autem γνάθους appellaſſe non maxillam totam, ſed utrãque eius partem, qua lateſcit: mentum quoque cum γένυας dixerit, uideri poterit intellexiſſe maxillæ imum, qua nudum os eſt ſine carne, quum inquit, tunc enim mentum magis prominet: ſed paulo poſt maxillam totam nuncupauit γνάθον, quũ ait, ſed ſi maxilla, qua ad mentum iungitur, diducatur. ſola autem hæc iunctura eſt in maxilla, in malis multæ. Quare apud Hippocratẽ ſignificationes uerbi γνάθου & γένυος confunduntur. quod tamen ait in propoſitis uerbis huiuſmodi eſt, Quòd ſi maxilla luxetur ab utraque commiſſura, magis quidem in priorem partem propellitur, quàm ubi excidit altera parte dũtaxat, magiſque a malis recedit: non tamen deprauatur, aut peruertitur, ſed naturalem ſedem ſine inclinatione tuetur. id autem indicant dentes, qui e regione reſpondent, hoc eſt, inferiores ſuperioribus, qui ſecant, ſecantibus, canini caninis, maxillaribus maxillares.

D

19 *His quàm celerrime reſtituenda eſt. qua autem ratione, ſupra explicauimus.*

A. l. 4. f. 5. t. 1. c. 7. p. 889. B. Celerrime quidem reponenda eſt, priuſquam muſculi diſtenti ob cõſortium cerebrum afficiant. modus autem reponendi, quem docuit, ubi altera parte prolabitur, mihi non uidetur ex toto idem nunc accommodari. tunc enim paulatim maxilla in alteram partem conuertitur, nunc pariter in utrãque. quare ſatis eſt concutere, mentumque adducere deorſum, ut proceſſus extremitas roſtro ſimilis, iugali oſſe inferius collocetur, ſicque in interiorem partem utrinque totam maxillam compellere, ſimulque præcipere homini, ut os claudat.

20 *Si reuerti nequeat, mortis periculum inſtat propter febres continentes & inexpugnabilem dormiendi neceſſitatem.*

A. ibidem. Periculo quidem non uacat maxilla, etiã ſi altera parte luxetur: ſed, ſi utraq; ęgrius reſtituitur, quum muſculi omnes, quibus maxilla continetur, intendantur. ſunt autem quatuor (ut dictum eſt) duo ſcilicet, qui a temporibus incipiunt: duo, qui a finibus iuxta os, quod ζυγῶδες, nominatur. Habent aũt hi muſculi neruos ab ipſo cerebro, ac prope ipſum cõtingunt, quo fit, ut celerrime afficiatur. Hi ergo quatuor muſculi, ubi maxilla prorumpit, maxime affliguntur, quum inter omnes præcipui ſint, ut qui neruos ex cerebro habeant a tertia cõiugatione, quæ non longe ab ipſo principio ſita eſt. Atqui fit etiam,

ut musculi, qui maxillam extrinsecus comprehendunt, orti ab utraque parte eius præter naturam extendantur, ubi maxilla luxetur, quanquam non ita præcipui sint sicut quatuor prædicti, magis enim a cerebro recedunt, neruusque, qui in hos distribuitur, longius oritur, & non ab ea coniugatione, unde nerui ad quatuor musculos feruntur, qui & ipsi non parum usui sunt, perinde atq; alij uniuersi corporis musculi, & si non æque præcipui sint, atque hi. Ob hæc igitur omnia, periculum mortis impendet, quum præter naturam musculi intendantur, ac propterea doleant, & idcirco inflammatione premantur, ac simili uitio cerebrum afficiant, quo affecto acutæ febres sequuntur, simulque læduntur omnes animi actiones. non enim solet, ubi cerebrum inexpugnabili dormiendi necessitate prematur, eius uitio sensus duntaxat lædi & motus, sed ratiocinatio, memoria, sensus & motus uoluntarius corrupi. E

*Huiusmodi enim musculi inexpugnabilem dormiendi necessitatem inducunt, quum alienantur, & præter naturam extendantur.* 21

Potest utrunque ex propositis inexpugnabilem dormiendi necessitatem inferre, & alienatio musculorum, & distentio, quum uterque affectus ob consensum ad cerebrum pertineat. Distentio inde proficiscitur, quòd fibræ, quæ prius laxæ erant, nunc omnes ad rectam lineam extendantur. alienatio, ubi ultra modum calefiant, frigescant, madescant, siccentur, inflammentur, erysipela prehendantur, uel putrescant, in quibus omnibus eorum natura alienatur: sed in distentione fibræ duntaxat extenduntur citra naturæ ipsius alienationem. F

*His solet aluus bilem puram, atque exiguam reddere, ac si euomant, uomitus purus est.* 22 Auic. ibidem.

In febribus admodum acutis nihil mirum, si pura bilis in corpore producitur, siquidem & adeps & caro tenera ac paulo ante concreta, sub huiusmodi febribus tabescit, & sanguis aduritur. concurrere autem hæc ad aluum, atque intestina, quum tabent, proprium est, ubi tantum neruosæ partes laborant. cum ipsis enim uitiatur, læditurque os uentriculi, quod maxime neruosum est. Recte autem ab ipso docemur proximas, communesque partes primum potissimumque affici: præterea, ubi uentriculi os læditur, dolorem ne leuem quidem posse sustinere. sequitur enim animæ defectio, ubi ipsum male affligatur, &, quum animus deficit, omnia, quæ superfunt, tenuia ad uentrem concurrunt. quinetiam, si hoc non accidat, sub uehementi dolore, atque mœrore, quæ superant in corpore huius generis, uidentur ad uentriculum, atque intestina decurrere. quæ in uentriculo coeunt, uomitu excernuntur: quæ in intestinis, deiectione.

*Decedunt autem hi maxime decimo die.* G 23 Auic. ibidem.

Verbum, maxime, μάλιστα dixit. inuenitur autem, & apud alios ueteres ita acceptum, sicut nunc ab Hippocrate accipitur, ut coniecturam numeri eius rei, quæ proponitur, proxime ostendat, quasi ita dixerit. Hi ergo decedunt plerunque circiter decimum diem, ita ut, quamuis nono uel undecimo intereant, uera oratio sit. Testantur autem exempla uocabulum μάλιστα ita usurpari. Thucidides quidem in primo libro inquit: Hæ omnes græcorum, & inter se, & contra barbarum res gestæ fuerunt maxime quinquaginta annis. atque ibidem, distat sexaginta stadia maxime: Andocides item de mysterijs inquit homines maxime trecentos: ubi maxime μάλιστα dicunt, in quam significationem huiusmodi uox a græcis sæpenumero accipitur.

*Sed, si maxilla comminuatur, vbi non frangitur omnino transuersa, sed aliqua parte illa ossa inter se cohærent, in suam sedem compellenda sunt, digitis vtrinque prementibus, tum ab ore, lingua in latus adducta: tum a cute, vt conueniet repellendo. Quòd si peruertantur dentes ad fracturam moti, vbi ossa in suam sedem collocata sunt, non solum bini, sed etiam plures inter se ligandi sunt auro potissimum, vel certe lino donec ossa confirmentur. Quo facto vincire oportet paucis pannis ceratoque iniectis, paucisque fascijs, non valde adstrictis, sed laxioribus.* 24

Vbi comminuto osse nihil integrum relinquitur, partibus inter se recedentibus, ita, ut nullo pacto cohæreant, huiusmodi fracturæ speciem recentiores medici græce καυληδὸν a fracti caulis similitudine appellant. eo quòd Hippocrates illud: ubi non frangitur omnino transuersa: dixerit, Ἐὰν μὴ ἀποκαυληδὸν κατεάγῃ. Reliqua omnia tam in hac oratione, quàm in sequentibus plana sunt. sed, si parum quid offendemus, id quoque explicabimus. H

*Scire autem conuenit maxillam fractam fascijs parum iuuari, si recte iniiciantur: vbi minus recte, multum lædi.* 25

Commune est omnibus fracturis summopere lædi a uinculo, quod non recte superdetur: at non admodum iuuari maxillæ fracturam uinculo recte iniecto non pertinet communiter ad omnia ossa, sed ad ea duntaxat, quæ fascia comprehendi in orbem nequeunt, qua uitiatum os quo modo a medico compositum exceptum fuerit, seruetur. Adde quòd in maxilla uinculum præcipue infestum est, quum semper solita sit nuda esse, ac sine uelamento.

*Subinde autem circa linguam alte inquirere oportet, ac diutius digitis vtrinque reprimere, dirigereque id ossis, quod inclinatum est. optimum autem esset, si semper id fieri posset, sed non potest. Quòd si os transuersum omnino abrumpatur, quod quidem raro incidit, collocare eo modo, quo dictum est, os in suam sedem oportet. Quo facto deligare dentes inter se conuenit, veluti supra ostendimus. hoc siquidem maxillam valde immobilem præstat, si quis capita recte, vt oportet,* 26

A tet, sutura insuper coniunxerit. uniuersam uero manus curationem ad unguem scribere non facile est: sed ex ijs, quæ scripta sunt, exprimenda est.

Μάστευσαι significat inquirere, sed ἐκμάστευσαι alte inquirere, sicut nunc, ubi alte inquirere ἐκμάστευσαι dixit, præcipit enim Hippocrates digito in os demisso considerari, num fracti ossis partium altera super alteram excedat: atque ita digito adurgeri, quo expedire uideatur, id quod in interiorem partem conuersum est, in exteriorem repellendo. In aperto autem esse existimo Hippocratem imperare, non ut medicus assidue, sed ut æger hoc efficiat.

27 *Dein, si is, quem fractura male habet, puer sit, satis erit corij Carthaginensis, exterioris partis id, quod durius est, & magis densum, admouere: sed, si robustior fuerit, ipsum corium. Incidenda autem habena est, quæ trium digitorum latitudinem æquet, uel quanta conuenit, tum maxillæ gummi iniungenda. maxillæ enim, quæ transuersa fracta est, firmius hæret extrema habena agglutinata interposito digiti spatio, uel paulo longiori, idque ab inferiori parte: incidaturque habena hæc media in longitudinem ut utrinque acutam menti partem complectatur. altera item habena æqualis uel paulo latior superiori parti maxillæ agglutinetur, distetque a fractura quantum prior. scindatur autem, quatenus possit aurem comprehendere.*

B



C

*A. habena inferiori parti maxillæ agglutinata.*

*B. habena superior.*

Molle accipi uoluit corium, cuiusmodi tunc fortasse fuit Chartagini. huius enim exempli causa nominatim meminit, quemadmodum Aegypti corij antea in opere de fracturis. constat autem in eo corio partis, quæ maxime summa est, id quod durius est, ac magis densum, nunc λωτὸν ab ipso nuncupari. At quo modo illud adhibeat, ut maxillæ fractæ partes in diuersa extendat, ipse nobis aperiet, si quorsum de his agat intelligamus. uult siquidem fracti ossis alteram partem deorsum a mento extendi, alteram a capite sursum.

28 *Acuantur autem habenæ, quæ coniungi, alligarique inter se debent.*

Præcipit hic, ut habenæ, quodammodo angustiores sint, paulatim latitudine imminuta, quo iunctura firmior reddat. capita enim, quæ lata sunt, quamuis summa cura uinciantur, non tamen fideliter continentur,

29 *In glutinando corij caro cutem contingat, sic enim magis inhærescit.*

Corium fit ex pelle animalis duplicem naturam habente. id enim ex ipsa, quod exterius est, cũ ambienti aeri obiectum sit, magis densum euadit, & neruosum est: quod interius, mollius & rarius, atque ex hoc ipso minus id, quod ad exteriorem partem magis accedit quod ad interiorem qua id tangit, quod cuti subijcitur, rarius est & carnosum, quod sane corij carnem nominauit, a qua parte glutinari uoluit. nam, quum rarius & mollius sit, ad eiusmodi usum magis accommodatur.

30 *Deinceps extendenda est huiusmodi habena, magis autem, quæ a mento sita est, ut potissimum cautio sit, ne maxilla in acutam figuram ducatur. in uertice autem iungendæ sunt utraque habenæ, dein circa frontem fascia alliganda.*

Vtræque habenæ extremitates dari debent ad caput laborantis, atque in uertice deligari. magis autem extendi uoluit inferiorem, ne maxilla (ut ipse dixit) ἀποσμιλαίνῃ id est, in acutam figuram ducatur.

31 *Aliquid etiam super omnia extrinsecus inijci debet, ut fieri solet, quo uincula immobilia reddantur. cubet autem homo in maxillam integram, non tamen huic, sed capiti innixus. corpus uero extenuandum est, usque decimum diem: postea reficiendum est non tarde. nam, ubi primis diebus inflammatio non oritur, maxilla uiginti diebus conferuet, celeriter enim callus increscit, sicut in alijs ossibus, quæ rara sunt nisi corrumpantur. sed restat alius sermo longus de cunctis ossibus, quæ corrumpuntur. intentio autem, quæ per gluten adhibita, firmiter manet, intendi & minui potest, & ad multa dirigenda sæpenumero proficit. Medicorum uero, quicunque incogitantes sunt, & in alijs casibus, & in maxillæ fractura prompte manus admouent. comminutam enim maxillam uarie, & bene, & male deuinciunt.*

D

Quod super omnia extrinsecus inijcitur κατάβλημα appellauit, siue panniculus sit, siue aliud eius generis. uocat autem panniculum ῥάγμα, sicut etiam nunc dici solent ῥαγματα, quæ ex uestimentis præciduntur ab ijs, qui ea suunt. hæc siquidem ad propositum usum propter mollitiem commodissima sunt, quæ ubi non sint, licebit aliquid simile admouere.

32 *Omne enim uinculum maxillæ ita abruptæ ad fracturam ossa inclinat, magis quàm secundum naturam.*

Maxillæ inquit ita abruptæ, hoc est, quæ transuersa fracta sit, uinculum ad fracturam magis ossa conuertit, quàm dirigat propterea, quòd fasciæ in orbem circundari nequeant, circa sedem affectam, sed ab exteriori parte duntaxat imponi.

33 *Sed, si maxilla, quæ ad mentum iungitur, diducatur, sola autem iunctura est hæc in maxilla, in malis multæ, sed a proposito sermone discedere consilium non est, in alijs enim morborum generibus de ijs dicendum est, si iunctura inquam,*

*quæ in mento est, diducatur, componi a quouis potest. nam quod extat, intus repellendum est digitis superdatis: quod in* E
*interiorem partem conuertitur, in exteriorem adducendum digitis adurgendo. hæc autem facienda sunt ossibus in diuersa diductis.*

Maxilla quidem ex duobus ossibus constat, quæ in imo mento ad unguem inter se iunguntur: Malæ uero ex multis, quæ iuncturam habent omni motu carentem, κατὰ συνάρθρωσιν dicunt. sed curiosum hoc huiusmodi uocabulorum studium apud ueteres non fuit, atque idcirco Hippocrates iuncturam ossiũ malarum sub συμφύσεως genere posuit, id tantum in ipsis indicium spectãs, quòd in eiusmodi ossium iuncturis nullus sit motus, qui sensui subijciatur. 34

*Ossa enim facilius sic in suum locum reuertentur, quàm si quis tentet altero sub altero condito compellere, quod scire licet in omni commentario. composita maxilla alligare inter se dentes conuenit, qui hinc sunt atque hinc, sicut antea quoq; dictum est, mederique cerato, ac pannis paucis fascijsque.*

Consueuit Hippocrates in ijs præceptis, quæ singulis communia sunt, cum semel unius mentionem facit, exponere uim rei communem esse omnium similium. quemadmodum & nunc uolens maxillam prius extentam ita componi, subijcit: ossa enim facilius sic in suum locum reuertentur, quàm si quis tentet altero sub altero condito compellere. Hoc autem, quod nunc proponitur, attinere communiter F
ad ossa omnia, quæ componuntur, propositis uerbis indicauit. 35

*Vinculum autem exiguum uariumq; maxime huic loco accommodatur. prope enim sine inclinatione est, quanquam non ex toto sine inclinatione sit.*

Pars exquisitæ sine inclinatione est, ubi simillimam cylindro figuram repræsentat. uoco autem cylindrum, non quo pueri ludunt, sed qui columnæ imaginem refert: hæc autem ex toto in nullo osse reperitur, magis tamen in femore atque humero, quàm in alijs ossibus conspicitur. In maxilla autem constat non esse huiusmodi figuram. quocirca eam inclinatione uacare non protulit, prope tamen sine inclinatione esse, eo quòd sinistra eius pars dextræ ex toto similis sit, & æqualis, atque idcirco, quod ex utraque componitur sine inclinatione est, & in neutram partem inclinatur. admittit autem maxilla uaria uincula, sicut in fasciando quæ exercitatio omnium prima est, didicistis. 36

*Attrahi autem fascia debet, si maxilla a dextro latere extat, a parte dextra. tunc autem a dextra parte esse indicatur, cum dextra manus fasciam ducit: sed si ab altero latere maxilla excedat, alio sane modo attrahẽda fascia est. ubi autem recte componatur, atque, ut oportet, immobilis seruetur, cito sanescit, dentesque integri remanent: sin secus, longiori tempore con* G
*firmatur, tum peruertitur, dentes autem uitiantur, atque inutiles redduntur.*

Antea quoque dictum est in ulceribus, quibus oræ excedunt, caput fasciæ secundum oram excedentem inijciendum esse, atque ita fasciam uoluendam, ut ad alteram oram ulceris, ipsam adducat. est autem hoc perpetuum in omnibus, quæ restitui ad pristinam naturam debent, quod commune etiam nunc seruandum est, quo excedens pars repellatur, cogaturque. id autem continget, si ea fascijs ad alteram adducatur. adducetur autem, si dextra parte, ut puta, excedente fascia inde orsa porrigatur ad sinistram: si sinistra læsa sit, ab hac incipiens ad dextram feratur. Hippocrates igitur, ubi a dextra parte incipiens ad alteram fascias adducit, huiusmodi uinculum a dextra parte nuncupat, attendens nõ quo ferantur fasciæ, sed utra præcipue manu attrahantur. namque, ubi intuearis medicum e regione eius, qui deligatur, collocatum, fascia, quæ a dextro latere maxillę ad sinistrum procedet, a dextra manu attrahetur: contraria, a sinistra.

DE NASO. 37

*Quòd si nasus perfringatur, fracturæ modus non est unus.* H

Ipse deinceps modos adscribet, aut enim pars eius abrumpitur, ipse tamen seruatur perpetuus, sic, ut neque deorsum inclinetur, nec in alteram partem conuertatur: aut horum alterum fit, idque aut in parte eius, quæ cartilaginosa prominet, aut in reliqua, quæ ossibus continetur. 38

*Sed, qui præstantia uincula amant sine mente, complura alia lædunt, atque adeo nasum.*

[Præstantia] καλὰ dixit irridens, non quo uere significauerit præstantia, quorum consilium est affectam partem ad suam naturam restituere, sed pulchra & aspectu iucunda. qualia hæc sint, in sequentibus ostendet.

*Inter omnia enim uincula hoc maxime uarium est, ac plurimis locis ascia imaginem refert, & aliquod spatium cutis* 39
*nudum, ac sine fascia intermittit, quo rhombi uarie admodum repræsentantur. Igitur (ut dictum est) qui sine mente huiusmodi uinculis student, comminutum nasum libenter deligant, sed uinculo iniecto, uno, uel altero die medicus lætus est, lætus item, & qui deligatur, deinceps ægrum cito satietas capit, inuentio enim noxia est, abundeque medico est, ostendisse peritiam, quam habet, nasum uarie deligandi. Efficit aũt hæc uinciendi ratio omnia contra, atq; oporteat. tũ quòd, qui ob fracturam*

A.l.4.ſ.5.t.3.c.5.p.907.C. A *ob fracturam ſimi fiunt,ſi a ſuperiori parte adſtringantur,magis adhuc ſimi euadent:tum, quod quibus in hanc uel illam partem,ſeu qua cartilago eſt, ſeu ſupra naſus conuertitur,nihil ſuperpoſito uinculo iuuandos, ſed magis lædendos eſſe manifeſtum ſit.*

Aſciam appellat, ubi faſcia a tranſuerſo circuitu recedens paulùlum inclinatur, ut ſupra oſtenſum eſt.ſpatium uero,quod faſcia intermittit,dixit διαβροχάς, quaſi interruptiones dicas. rhombi uero figuram, eam, quæ æqua latera habet, ſed angulos non rectos,nam & Euclides ita rhombum finit. noſti autem ex faſcijs primam fere nominari rhombum, quum eam figuram potiſſimum repræſentet.

40 *Sic autem panni a latere naſi haud bene aptantur.quanquam neque hoc faciunt,qui alligant.*

Nihil conferre ait uinculum ad naſum ſub fractura in latus conuerſum, cum id præſtare non poſſit, quod utile eſſe uidetur. uidetur autem utile eſſe per pannos naſum fulcire ab ea parte,in qua iacet, ſed neque ad hanc rem inquit id prorſus accommodari.

41 *Proxime autem uinculum mihi uidetur occurrere,ſi in media naſo,qua acutus eſt, caro iuxta os conteratur, uel paulùlum etiam os ipſum lædatur,non tamen multum.his ſiquidem naſus callo obducitur,& aliquanto aſperior fit,neque tamen* B *uinculo egent magni negocij,ſi ſane alligandi ſunt.*

Commune uinculum naſi proxime ad ſalubre accedere uidetur, ubi in medio cutis contuſa fuerit, uel os parumper uitiatum. ſequitur autem, ut promineat,qua callo circumdatur. Vinculum itaque in huiuſmodi caſibus coercens, repellenſque affectum locum, prodeſſe aliquid uidebitur.ſed neque his ullo modo neceſſarium eſt. conari enim debemus, quæ contuſa ſunt, maxime ab inflammatione defendere: atque ubi inflammentur, celerrime inflammationem tollere. quin & callus,quum paruus increſcit,nihil profecto huiuſmodi uinculis eget.

42 *Satis eſt ad contuſum, pannum admouere cerato inunctum,dein ſemel faſciam circumdare, qua in utranque partem ducatur.*

Media faſcia medio naſo inijcienda eſt,cuius utraque capita ad poſteriorem capitis partem nō magna ui adducenda ſunt,atque inde fronti circumdata inter ſe uincienda.

43 *Optimum tamen præſidium eſt illinere hac farina tritici huius anni,lota,glutinoſa, reſperſa,pauca.*

C Qui optime uidentur uerba Hippocratis enodare,aſſerūt σητάνιον triticum ab ipſo appellari,id quod ſatum eſt σῆτες, quod Attici utraque ſyllaba per τ. prolata τῆτες dicunt, quo uerbo ſignificari uolunt, hoc anno, id eſt, quod uere ſatum eſt, quod & duorum menſium, & quadraginta dierum appellatur. Equidem in Co,& in tota Græcia Aſiæ uidi tritici genus σητάνιον appellatum, ſed parum furfurum habet, & eius farina ex aqua ſubacta plurimum glutinoſa eſt. quam rem nunc Hippocrates maxime exigit,quemadmodum ipſe deinceps narrabit,qui ubi farina hæc non ſit,imperat,ut puluis qui ex concuſſo thure habetur,uel gummi admiſceatur.ſeritur autem eiuſmodi triticum uere ineunte, ut duorū menſium ſit,recteque ſic dicitur. quoniam ſummum ad id tēporis perducitur,cuius farina ex aqua ſubacta maxime glutinoſa redditur,ubi molito tritico furfures ex toto detrahantur,id quod fit,& cribris tenuibus,& tritico ante eloto.Nam idem tritico euenit, atque hordeo, ex hoc enim,ubi ptiſſana præparanda eſt,cortex magis remittitur, ſi antea madefactum fuerit. Quo pacto igitur dixit, lota? quum non idem ſit madefieri,& lauari. in quolibet enim piſtrino madefit triticum, priuſquam molatur: non tamen lauatur in quolibet,ſed in compluribus Aſiæ ciuitatibus, ubi calathos habēt magnos intextos ex tenuibus iuncis exigua ſpacia intermittentibus,per quæ excerni puluis poſſit & arena,ſed triticum retineatur.Id ergo triticum,quod molendum eſt,primo in calathos conijciunt, atque excutiunt: deinde calathos in aquam demittunt, ſic,ut triticum lauetur,ac modice madefiat:calatho ex aqua recepto hu- D moris plurimum effluit. tantum autem in tritico remanet, quantum idoneum eſt, ut moli poſſit. nam niſi madefiat, cortex circumpoſitus,qui tanquam innata cutis eſt, ſub mola in tenues partes diſſipatur,atque ita, cum farina per cribrum excernitur,educitur aliquid etiam ex furfuribus in tenues partes diuiſis:ſed tritico prius madefacto,furfures, grandiorum partium quum ſint, manent, & cum farina non excernuntur.atque idcirco tritico prius madefacto farina magis purgatur,& quod ab interiori parte eſt tritici huius anni,lotum(ut ait)& glutinoſum,quod ſcilicet poſt cutem eſt, ueluti caro ipſius,in farinam,ut propoſui,redactum ualde glutinoſum redditur. Puto itaque ab ipſo lotam farinam appellari,ubi ex tritico fit,ſic purgato,& prius madefacto.nam, niſi ita accipiatur,reſtat, ut intelligamus farinam, ubi ex aqua madefacta uarie agitatur,deinde ſinitur conſiſtere,tum ſuper innatans aqua excipitur,ac decoquitur,quod in farre etiam fit,ſed huic repugnat,quòd reſpergi farinam iubet, decoqui enim dixiſſet, non.n. reſpergitur huiuſmodi humor,ſed coquitur duntaxat. Ex uerbo igitur[reſperſa]quid ſibi uoluerit magis demonſtratur.

44 *Vti autem conuenit ad omnia hac huiuſmodi farina,ſi ex optimo tritico fuerit,facileque duci poſſit: ſed, ſi non omnino bene ducatur,modicum pulueris illius, qui ex thure concuſſo habetur, in tenuiſſimum pollinem redacti, & aqua diluti farinæ adijcere, uel paulum omnino gummi ſimiliter admiſcere. Quibus igitur fractus naſus in inferiorem partem*

*demittitur, simusque efficitur, si ab inferiori parte, qua chartilago est, desidat, potest in nares indi aliquid, quod dirigat: quod vbi non fiat, omnia hæc excitanda sunt digitis, si fieri potest, in nares coniectis.* E

Optimum triticum dixit ἀγαθὸς πύρος, maiores enim soliti sunt ἀγαθοῖς uocabulo uti, ad notandum id omne, quod in suo genere primum est. nunc autem omnes, qui in panificijs uersantur asserunt optimum triticum esse, quod densum est. nam quod rarum, multis furfuribus continentur, farinaque eius ex aqua subacta non æque efficitur glutinosa, atque illius, quod densum est. glutinosum autem expressit, cum ait, facile ducitur, ea loquutione sumpta ab eo, quod ipsi accidit. quandoquidem a nobis in diuersa attractum, seruatur perpetuum, neque dissipatur: contra quod minime glutinosum est, quum ita tractatur, diuellitur, sed si diuellatur, quo pacto sequi dicetur, cum manu trahitur? ac si non sequitur, quinam dicetur facile duci? id uero quod non dissipatur, sed perpetuum est, iure quis dicet facile sequi, quemadmodum & uiscum, hoc siquidem manibus nostris prehensum in contrarias partes plurimum attrahitur. quare ex his constat uelle Hippocratem farinam ex aqua subactam glutinosam esse, atque, ubi huiusmodi non sit, gummi uel puluerem ex concusso thure collectum (quem μάνναν appellat) adijci iubet, ubi eius pulueris copia non sit, contundere thus ipsum ea de causa oportet, atque ex eodem id, quod maxime pingue est. Ego interdum, quum nec thuris. nec gummi copia esset, resina liquida usus sum, hanc forte nactus: at ubi, neque hæc sit, melle uti poteris, sed utilius puluis ex F concusso thure uel gummi adijcitur. nam mel & resina quodammodo calefaciunt, sed talia ab initio aliena sunt: procedente uero tempore remanentibus inflammationis reliquijs, ut si quid aliud commodissima. Quemadmodum igitur in superioribus gratia exempli meminit prius corij Aegyptij, ac rursus Carthaginensis, sic etiam nunc tritici huius anni, quasi ita dixerit. Farina uti debemus, quæ ex aqua subacta glutinosa sit, qualis efficitur ex tritico huius anni, quod σητάνιον appellauit. fortasse eiusmodi uocabulo significare uolens triticum omne, quod densum est, & farinam reddit glutinosam, ita, ut nomen ab eo, quod ipsi accidit magis, non ab aliqua singulari specie sumptum fuerit.

*Vel certe eo instrumento, quo ad illinendum vtimur, pleniori digitis compulso, non in priorem partem, sed qua desidet.* 45 *extrinsecus autem digitis vtrinque compressis impellere simul conuenit, & excitare. sed, si fractura omnino in † inferiori parte fuerit, licet aliquid in nares inserere, sicut iam diximus, vel linamentum, vel aliud linteolo cinctum, vel magis Carthaginensi pellicula, circunsutumque & ita figuratum, vt idoneum sit, quod in hunc locum demittatur. At, vbi fractura fuerit superior, nihil demitti intus potest. nam, si in † inferiori parte id præsidium alienum est, qui non in superiori? Primo itaque, & ab interiori parte dirigere nasum oportet, & ab exteriori vtrinque compellere, atque in pristinam sedem restituere. commodissime enim restituitur nasus fractus, præcipue eodem die, vel certe paulo post. sed torpent medici, & primo mollius rem pertractant, quàm opus sit. vtrinque enim digitos, qui naso accommodentur, demittere oportet, quantum fieri potest in imum, & ipsum ab inferiori parte sursum compellere, atque excitare, simulque ab interiori parte dirigere. ad quam rem nullus alius medicus magis idoneus est, si homo id dare operam velit, audeatque, quàm ipsius digiti indices. hi enim maxime secundum naturam sunt. admonere autem vtrunque digitum conuenit, vt toti naso inhæreat, atque ita quiescere, potissimum, si fieri posset assidue, donec glutinaretur, vel certe plurimum tēpus, vt dictum est: aut si non ipse ægrotans, saltem puer, vel mulier aliqua digitos demittat. mollibus siquidem manibus opus est, vt optime nasus curetur. Verum, vbi non reddatur simus, sed deorsum spectans, in neutram partem inclinetur. equidem nullum vnquam nasum vidi ita fractum, qui non posset protinus componi, si priusquam callus incresceret, compelleretur, modo quis recte mederi vellet. Atqui deformitatem homines maxime oderunt: curationem vero partim ignorant, partim non sustinent, nisi dolore premantur, aut mortem pertimescant. quanquam in naribus callus cito increscit. nam decem diebus sanescit, nisi corrumpatur. Quibus os a latere abrumpitur, curatio eadem est. dirigere nimirum oportet, non æque ab vtraque parte, sed eam, quæ inclinat, ad naturalem situm adurgere ab exteriori parte compellendo: in naribus item alte conquirere, quod in interiorem partem conuersum est, dirigendo assidue, dum restituatur, cum eo, vt sciamus nasum, nisi protinus dirigatur, dirigi postea non posse, sed peruerti. Quo ad naturalem sedem compulso, ad eum locum admouēdi sunt digiti, vel vnus, vel plures, seu ipsius hoīs seu alterius, vt qua excedit, repellatur, dum fractura sanescat. sed & minimus digitus in nasum subinde conijciendus est, quo componantur, quæ declinant. vbi his inflammatio superueniat, farina vti conuenit ex aqua subacta: digitosque similiter dare, eiusmodi etiam farina inducta. Verum, si qua chartila-* H *go est, nasus a latere perfringatur, necesse est extremum peruerti. itaque oportet ad extremum nasum aliquid ex ijs, quæ dicta sunt adhibere. quod ipsum componat, vel aliquid tale demittere. multa enim inueniri possunt accommodata, quæ odorem non mouent, & alioquin mollia sunt. Ego interdum frustum pulmonis ouilli conieci, id enim forte nactus sum. nam si spongiæ indantur, humorem combibunt.*

† Græci habent ἔμπροσθεν. i. anteriore.

A. l.4.f.5.&.3. c.3.p.907. B. G

A.l.4.ibidem.

Si nequeant (inquit) digiti in nares demitti, adhibendum est, id instrumentum, quod nunc sicut in superioribus etiam ὑπαλειπτρον appellat. quo uerbo intelligitur omne id, quo ad illinendum utimur, qualia sunt specillum, spathæ, idque instrumētum, quod διπύρηνον dicitur, quæ omnia in summo capitulum habēt rotundū, sed quēadmodū in superioribus ad alæ ustionē opus fuit tenuissimis, ita nūc plenioribus. qn̄quidē & digitos, ubi licet, admouemus, & in nares conijcimus, eos nēpe, qui aptanī, & qui fractam nasi partē cōponāt. qua rōne aūt uti cōueniat hoc instrumēto, ipse aperte exposuit imperans, ut indatur in cauū, nō in inferiorē partē nasi, sed qua potissimū fracta pars in eius cauū decidit. ea siquidē est, quæ impulsu eget, ut excitata possit in suā sedē reuerti. nihil. n. aliud est cōponere quālibet partē, q̄ unāquāq; eius particulā in suū locū cōpellere. Quæ subijciūtur, per magnā partē orationis plana sunt.

Ad

46 A *Ad hæc ex parte exteriori corij Chartaginensis incidenda habena est, quæ uel pollicem lata sit, uel quantum conuenit, & extrinsecus naso, qua declinatur, agglutinanda: post hæc intendenda est, quantum expedit, paulo autem magis quàm ut nasus dirigatur, intendi debet: tum sub aure (longa enim esse habena debet) sursum circa caput adducēda. licet autem fronti extremam agglutinare: licet & ulterius ferre, & circa caput uolutam uincire. hæc siquidem iuste nasum dirigit, & intendi, & remitti potest, atque ubi uelis, nasum in contrariam partem, ac iacet, magis aut minus repellere. Nam & qui-*
A.l.4.f.5.t.3. c.3.p.903.C. *bus a latere nasus abrumpitur, in ceteris eadem curatio conuenit, quæ proposita est. plerisque autem opus est naso extremam habenam agglutinare, ut in contrariam partem repellatur, atque inclinet. Quod si fracturæ ulcus accedit, nihil solicitare nos debet, sed nutriendum est cerato, quod picem habeat, uel aliquo ex ijs medicamentis, quæ protinus cruentis uulneribus iniciuntur. hæc siquidem facile curationem admittunt. Aeque etiam, ubi ossa recessura sint, primo dirigere assidue conuenit, nulla re prætermissa, & in posterum digitis compellere laxius superdatis, superdatis tamen. nasus enim ex omnibus corporis partibus facillime componitur. Atqui habena agglutinata, & impulsu in contrariam partem, atque nasus declinatur, nihil uti omnino prohibet, neque si ulcus sit, neque si inflammatio. innocenter enim eiusmodi præsidia adhibeantur.*

[Appendatur] dixit ἀπορτῖ, quo uerbo significatur uniuersam rationem extendendi, & quasi dirigendi nasum peruersum, per ea, quæ agglutinantur. quod autem nunc præcipit, experimento imbecil-
B lum comperi. nam si habena uehementius intendatur, gluten discutitur, resoluiturque: si modice, nihil fere proficitur.

DE AVRE.

47 *In fractura auris quodlibet uinculum inimicum est, neque enim ita laxum circundabitur, quòd si magis adstringatur, plurimum officiet. quandoquidem integra auris sub uinculo adstricta dolet, pulsu uexatur, atque inflammatione.*

Vbi continuum soluitur in carne ulcus appellatur, in osse fractura in cartilagine non habet proprium uocabulum, sed eam fracturam, Hippocrates abusus fracturæ nomine nuncupauit.

48 *Sed & cataplasmata, quæ maximi oneris sunt, penitus aliena sunt: pleraque etiam noxia sunt, atque abscessum concitant, & mucos plurimos, suppurationemq; infestam reddunt. quibus minime opus est auri comminutæ.*

Omnia sigillatim ijs consentanea sunt, quæ ostendimus in libro de ratione curandi. namque Hippocrates etiam nunc lædi aurem as-
C serit cataplasmate, quod experimento conspicitur. abunde enim siccari eam uoluit, quum natura siccissima sit, eo quòd ex cute constet, & cartilagine. Ostensum autem est unamquamque partem, quatenus siccior est, eatenus sicciorem curationem requirere.



*A. Habena nari inclinata, & fronti agglutinata.*

49 *Proxima quidem est (modo quid superimponi conueniat) farina glutinosa. Hæc autem necessario grauis ne sit, ac minimum contingat. interdum enim optima medicina est, medicinam non facere, & ad aurem, & ad alia multa. Cauere insuper homo debet, ne in eam partem dormiat, extenuare autem corpus expedit, illi potissimum, qui auris suppuratione periclitatur, & aluum mollire.*

Proximum inquit esse ei, quod non obest, cataplasma ex farina glutinosa. constat enim hoc magis siccare, quàm alia. diximus autem paulo ante, ubi de illinendo naso tractauit, qualem appellet farinam glutinosam. huic simillimum cataplasma conficiunt experimento edocti, qui in palæstra uersantur, ex farre in aceto madefacto, dum maceretur, atque ita temperato.

50 *Sed, si homo facile uomat, uomere debet, ut modice exhauriatur.*

D Veteres appellabāt συμμαρμῖν, quum modice homo exhauriebatur, seu uomitu, seu deiectione, tale quid nunc fieri iubet eodem uocabulo usus. Multa autem sunt medicamenta, quæ hoc præstant. nam & mel copiose assumptum, & mulsa minus diluta, uel cremor ptissanæ ex aqua decoctus, seu per se, seu cum melle, magis adhuc uomitum citat radicula, & bulbus narcissi. His efficacior est, nondum tamen ualens, radicula, in qua surculos radicum ueratri albi defixeris, data postridie, siue per se, siue ex oxymelle.

51 *Sed, si ad suppurationem ueniat, non est celeriter aperienda multa enim ex ijs, quæ uidentur suppurare, interdum absorbentur, etiam si nullum cataplasma inducatur.*

Cauendum est, ne auris incidatur ob cartilaginem cuti subiectam. nam, nisi, ubi incisa est, consolidetur & glutinetur, periculum est, ne cartilago obesa reddatur. Absorberi dixit, hoc est, discuti ac digeri pus ibi collectum, nonnunquam per ea, quæ superimponuntur simplicia medicamenta, ac leuia sine morsu siccandi uim habentia: cuiusmodi est mucus cochleæ adiecto thure: ac, si ualentius siccare opus sit, uel aloe, uel myrrha, uel utrisque. Eodem modo siccare potest mel atticum inunctum insperso quouis ex propositis medicamentis, bene contrito. uoco autem sine morsu thus, aloen & myrrham.

*At, ubi incidere coactus sis, celerrime sanescit, si candens ferramentum ab una parte ad alteram demittatur. scire autem certum licet aurem curtam reddi, & mancam magis quàm altera, si candens ferramentum traijciatur.* E 52

Curta necessario fit, & manca, cum non exigua pars & cartilaginis, & cutis ipsam comprehendentis, ustione absumatur. Ad quod præsidium monet, ut confugiamus, nonnunquam ueritus, ne cartilago ægre sanescat. namque ubi nudatur, cicatricem non recipit, præsertim si res aliquot dies protrahatur, neque cutis a sectione protinus coeat & glutinetur.

*Sed si candenti ferramento non traijciatur, incidere conuenit, quod magis excedit, sectione non admodum exigua.* 53

Ne quid supersit puris, quo cartilago lædatur, incidi non parum iubet.

*Quandoquidem pus altius inuenitur, quàm quis existimet.* 54

Decipiuntur, qui secant, in cognoscendo pure, quod subiectum est, ita, ut existiment id in summo contineri, & cutem tenuem esse. Quo pacto autem in hunc errorem incidant, ipse Hippocrates proxime demonstrabit.

*Verum (ut summatim dicam) cetera quoque omnia, quæ mucosa sunt, & mucos producunt: utpote glutinosa, ubi tangantur cito in hanc, uel illam partem digitis elabuntur. quamobrem altiora hæc medici reperiunt, quàm existiment.* F 55

In dignoscendo loco suppurante, ubi in affecta parte, quum tangenti moderate cedit, sectione adhibita contentum pus inuenitur, medici postquam eundem cedendi modum in quauis alia parte comprehenderint, putantes eam similiter suppurare, ut illæ, quas prius intuiti fuerint, uenientes ad sectionem errant, isque error interdum duplex est, & quod nullo modo ibi pus inueniatur, quum hæc multo crassiora sint quàm opinentur, & quòd medicis ea suppurare uideantur, quæ mucosum humorem in se continent. id, quod euenit, quoniam huiusmodi humor (ut ipse ait) ubi tangatur, cito elabitur. contrahi autem solet in cartilagine chordis, neruis, ac ligamentis, ut deinceps ostendet.

*Quandoquidem, & ea tubercula, quæ ganglia dicuntur, cum humida sint & mucosa carne continentur, a multis aperiuntur inde fluxurum humorem putantibus. Medicum itaque in sectione animus fallit: sed ei, qui sectus est, nullum affertur detrimentum. quæ autem loca aquosa sint, uel mucorum plena, quibusve partibus singula, quæ aperiuntur, hominem interimant, uel alterius noxæ causa sint, alibi exponentur.* 56

Hæc enim ganglia circa cartilaginosas partes, & circa neruos ex horum alimēto increscunt, oriunturque ex humore glutinoso ac mucoso. hoc enim est proprium neruorum alimentum. G

*Ubi quis igitur aurem secuerit, abstinere ab omni cataplasmate, atque omni linamento debet, mederique uel medicamentis, quæ protinus cruentis uulneribus inijciuntur, uel alio, quod neque onere lædat, neque molestiam afferat.* 57

Auris quia sicca est, idcirco siccantia medicamenta requirit, non tamen plus iusto siccanda est, ubi a sectione protinus medicamenta inducuntur. distendunt enim, cum nihil habeant, quod leniat. Sed neque onerari auris debet mole eorum, quæ superimponuntur. dolet enim & infestatur. Optimum est igitur a sectione medicamentis uti, quæ modice siccent, cuiusmodi sunt, quæ cruentis uulneribus protinus inijciuntur. Cataplasmata leniunt quidem, sed resoluunt, atque effœminant. superantem uero humorem non discutiunt, præsertim cum glutinosus sit & crassus.

*Namque, ubi cartilago nudari incipiat, coitumque habeat purulentum ac mucosum, res infestissima est.* 58

Adijcere orationi oportet, humorum, sicut nonnulli adscribunt, ut uniuersa sit huiusmodi: Namque, ubi cartilago nudari incipiat, coitumque humorum habeat. Vocat autem [illegible] coitum humorum, qui intus continentur, & excerni debent puris uidelicet & muci. res (inquit) infestissima est, hoc est, dolorem affert, quod patet, quum cartilago uitiatur. H

*Cuius illa curatio quoque causa est. In omnibus autem, quæ recrudescunt, maxime abunde est candens ferramentum traijcere.* 59

Quam curationem damnat? eamne, quam paulo supra indicauit, præcipiens ut cataplasma linamentum, quod onerat, quod dolorem excitat, uitemus?

# GALENI IN HIPPOCRATEM DE ARTICVLIS COMMENTARIVS TERTIVS.

## *Vido Vidio Florentino interprete.*

## ARGVMENTVM.

*Absoluit laxationes, ac reliquas noxas, quæ manu curantur, cum spina, costa, femurque patiuntur.*

### De spinę uertebris.

1 B SPINAE *autem uertebræ.*

Adiecit, spinæ, non quòd in alijs corporis partibus uertebrę reperiantur, omnium enim uertebrarum compositio uocatur spina: sed quasi ita dixerit uertebræ, quarum situs est in spina. Quibusdam tamen ex iunioribus placet spinam nominari, non uniuersam uertebrarum compositionem, sed earum tā tum, quæ ad thoracem sunt, & lumbos. iuxta quos Hippocrates nunc de uertebris agere uidetur, quæ in lumbis tantū, & dorso sitæ sunt, non de ijs, quæ in ceruicibus. uertebrarum uero compositionem uniuersam in libro de ossibus ad eos, qui primas institutiones addiscunt, ad unguem narrauimus, in quo exerceri illum uolumus qui percepturus est hæc commentaria, intuitum exquisite qualia sint singula ossa in cadauere arefacto hominis, uel certe simiæ.

2 *Quibus ob morbos trahuntur, ut gibbum efficiant.*

Gibbum dixit κῦφον, uocatur autem spina gibba, quum in posteriorem partem conuertitur, quod uitium ὀπισθοκύφωσις græce nominatur: sicut curua, quando in priorem partem. dicitur autem hoc græce λόρδωσις: sed σκολίωσις, cum deprauatur a latere. Nonnulli autem existimant spinam in posteriorem par-
C tem peruerti (quod uitium κύρτωσιν quoque Græci nominant) ubi in ea fuerint cruda tubercula magna, dura, ac diuturna, quorum onere uertebræ in posteriorem partem compellantur. neque intelligunt, si supinus homo iaceat, non posse subiectas uertebras tuberculis onerari, neque etiam si stet, aut sedeat, ac neque si in latus conuersus cubet. Ad hæc absurdum est, existimare tubercula ad tantum pondus, ac duritiem peruenire, ut ossibus grauiora fiant, & duriora: sed, & a crudis tuberculis spinam in priorem partem conuerti Hippocrates ipse paulo post docebit. Illud item animaduertendum est, non solū eos, qui librum hunc exponunt, sed Hippocratem in propositis uerbis dixisse, trahuntur, ut gibbum efficiant, quum dicere potuisset, impelluntur, quemadmodum his placet. Absurdum uero uidebitur asserere uertebras, quæ in posteriorem partem erumpunt, trahi a morbo in priorem. hoc siquidem magis proprium est illius uitij, sub quo spina in interiorem partem conuertitur. Quonam igitur pacto res uera sit, quidque Hippocrates sentiat, conabor exponere. Vertebrarum quidem ossa per se, neque peruertuntur a tuberculis, neque trahuntur, sed primum uitium est in ijs corporibus, quibus uertebræ alligantur. Igitur ubi ad uertebras tuberculum oriatur, cum in tumorem assurgit, atque augetur, ab interiori siue priori parte, utroque enim uocabulo appellatur, necesse est, ut tuberculum sequantur ligamenta, atque hęc rursus uertebræ. Itaque, si in una parte duntaxat tuberculum otiatur, ubi hæc in interiorem
D trahatur, spina in priorem partem conuertetur: sed, si in duabus, ubi aliqua interiecta sit inuiolata, gibba euadet. utroque enim tuberculo adiunctam uertebram trahente, quæ in medio sunt, a posteriori parte gibbæ fiunt. quod euidenter intueri licet omnibus euenire, quæ curuari modice possunt, cuiusmodi sunt uirides rami, & ex scriptorijs calamis plerique, quos si quis dextræ digitis ab una parte, sinistræ
3 ab altera, prehendens ad se traxerit, medium in contrariam partem attractum gibbumque conspiciet. Atqui neque alia de causa spina ad latus conuertitur, quàm ob crudum tuberculum, quod a latere eius fit. Hæc autem tria uitia in spina incidunt, cum uertebræ loco mouentur. nam uel κύφωσις fit, uel λόρδωσις uel σκολίωσις. cum in posteriorem quidem partem conuertitur, κύφωσις, quum in priorem λόρδωσις, quum in latus inclinat, σκολίωσις. Extra hæc quartum uitium in spina incidit, quod σεῖσις, hoc est, quassatio uocatur, ubi uertebræ loco manent, sed earum compago dimouetur.

3 *Plerunque solui nequeunt, præcipue, ubi spina supra septi transuersi coniunctionem gibba fiat.*

Nonnulla (inquit) quæ in spina incidunt, ægre soluuntur, præcipueque ubi supra eam regionē, qua cum septo transuerso coniungitur, gibba fiat, hoc est in uertebris thoracis. dixit autem ὅτι, significare uolens, præcipue, quemadmodum etiam in principio huius libri, quum inquit, Omnino enim melior est ac firmior exigua herba quàm grandior, præcipue antequam ad maturitatem ueniat. ubi uerbū præcipue dixit ὅτι. Sed qua ratione ægre tubercula soluantur, proximis uerbis intelliges.

Infra

E 4 *Infra uero quadam soluuntur cum uarices in cruribus fiunt. illi autem magis gibbam spinam soluunt, qui in uena poplitis oriuntur, fiunt etiam & in uenis inguinum.*

Quædam (ait) uitia infra thoracem, nempe ad lumbos, a uaricibus uel torminibus soluuntur, cum ſucci, qui ea faciunt, primo ferantur in uenam maximam ipſius ſpinæ, deinde in eas, quæ ab eadem diductæ ad crura intendunt. huiuſmodi autem in thorace nulla uena eſt, quæ poſſit uitiatos ſuccos recipere. quandoquidem utrinque octo coſtis una alimentum ſubminiſtrat: ſed ſuperioribus, duæ aliæ tenues, ſcilicet ab utroque latere una. quæ omnes per thoracem diſtribuuntur, diſſipanturque. Idcirco, ſi ſuccus aliquis ad ipſas ex tuberculis transferatur, excerni non poteſt, præterquàm quòd ægre etiam admittitur. ſucci enim, qui cruda & dura tubercula faciunt, glutinoſi ſunt, & craſſi, quare non facile per tenues uenas feruntur: ſed uena, quæ ad lumbos eſt, latiſſima eſt, & ſanguinem ad uenas omnes tranſmittit. ergo, cum hos craſſos ac glutinoſos ſuccos receperit, ſi affectæ partes uiribus adeo ualeant, ut quod ſuperat, expellant, ad uenas hic ſitas tranſmittit. quo fit, ut lateſcant, & in uarices aſſurgant, ubi quidē ſucci craſſiores fuerint, id accidit in inguine protinus, ſin mediocriter craſſi, in poplite. nanque, ubi primum, eo quòd craſſi ſint, & glutinoſi, conferti ſubſiſtunt, ibi uenā diſtendunt, dilatātque. Etenim, quibus citra cauſam hanc uarices in cruribus oriuntur, uidere licet uenas pro portione ſuccorū craſſitudinis lateſcentes, ubi craſſiſſimi ſint, latiſſimas, cuiuſmodi uenæ ſunt in inguine: ubi minus craſſi, minus latas, quales in poplite. F Interdum enim, quum maiores uenas obſtruunt, hunc affectum excitant: interdum ad inferiores concurrunt, quæ anguſtiores ſunt. in uniuerſum autem in uaricibus craſſus ſanguis continetur. nam id uitium plerunque a ſucco melancholico, interdum etiam ab alijs crudis craſſiſque concitatur.

5 *Solutum quoque iam id uitium eſt a torminibus diuturnis.*

A. l. 3. ſ. 11. c. 12. p. 741. D

Vbi ſucci, qui præter naturam in corpore ſunt, ad inteſtina transferuntur, tormina fiunt, quum abradantur inteſtina ob ſuccos acres, qui ad ipſa confluunt, nempe, ubi tubercula ſuppurant, neque enim aliter ob ſuam craſſitudinem confluere ad inteſtina potuiſſent. ſed in ſuppurationibus craſſi ſucci extenuantur, & naturam affectæ partis ad expellendum excitant id, quod in ea contentum iam moleſtum eſt.

6 *Quibus uero adhuc pueris ſpina gibba fit, antequam corpus perfectè increſcat, his corpus ad ſpinam non augetur: ſed crura & brachia duntaxat perficiuntur, quæ ſunt ad ſpinam, non complentur.*

Nihil mirum eſt, ſi in his morbis ſpina non increſcat, quemadmodum ſupra in luxatis tradidit, cum inquit, Quibus recondi non potuit. Nam & propter uenas peruerſas, & propterea, quòd ægrius membrum moueatur, G naturaque in eiuſmodi affectibus langueat, læſæ partes neceſſario deterius, quàm ante nutriuntur. Quo fit, ut quæ iam perfecte increuerunt, emacreſcant, quæ adhuc increſcunt, incremento iuxta ſpinam prohibeantur. Sed, quæ a uitiatis partibus longius abſunt, ut brachia, & crura, ſine noxa omnino ſeruantur. ea enim, quæ ſic uitiata ſunt, non totum corpus, ſed ſolummodo proximas partes afficiunt.

7 *Quibus item ſupra ſeptum tranſuerſum gibba ſpina fit, coſtæ in latitudinē augeri non ſolent, ſed in partem priorem. pectus uero latum non fit, ſed acutum: ſpiritus difficulter mouetur, & cum ſono, quum cauum, quo ſpiritus recipitur, atque, emittitur, anguſtius reddatur.*

De ijs agens, quæ adhuc increſcunt, dixit, quæ iuxta ſpinam ſunt, his augeri nō conſueſſe. Ergo, ubi ſpina gibba fiat in uertebris thoracis, hæ maxime increſcere in longitudinem prohibentur. Hac igitur de cauſa, & illa etiam, quòd uertebræ, cum ſpina gibba fit, in poſteriorē partem conuertantur, neceſſe eſt thoracem anguſtum reddi, atque acutum: & idcirco interiora caua, quæ ſpiritui accommodantur, minora effici, ſic, ut, ubi ſpiritum attrahunt, corpus minori modo ipſius fruatur. Diximus autem, & in libro de difficultate ſpiritus, ubi is minus attrahatur, quàm opus ſit, neceſſe eſſe breuiori temporis interuallo proxime rurſus attrahi, quàm ſi prius ſecundum naturam attrahi cœpiſſet. ſpiritus autem, qui breuiori H interuallo attrahitur, creber redditur, in quo conſiſtit id genus ſpiritus difficultatis, ſub quo & exiguus, & creber cooritur. ſonus autem adijcitur, ob anguſtiam iuxta fauces, & aſperam arteriam. auget anguſtiam hanc id, quod proxime ſubijcit.

8 *At qui coguntur etiam ceruices iuxta magnam uertebram in priorem partem conuertere, ne caput in eandem proijciatur, hoc autem fauces reddit admodum anguſtas. nam ijs etiam, qui natura recti ſunt, id oſſis, ſi in interiorem partem inclinetur, ſpiritus difficultatem affert, dum repellatur. Ob id igitur, quòd ita figurentur, guttur his hominibus magis extare uidetur, quàm bene ualentibus.*

Cum uertebræ, quæ ad pectus ſunt, ubi gibba ſpina fit, in poſteriorē partem ſpectent, neceſſe eſt collum in priorem conuerti. quare & ipſum caput, illi enim e regione ſuperimpoſitum eſt. Accidet igitur ijs, qui gibbi ſunt, ambulare ita figuratis, ſicut ceteris omnibus, cum totum collū, ſpinamque inclināt, & utrūque curuantes a poſteriori parte gibbi terram ſpectant. quod ut euitent, qui gibbi ſunt cogūtur collum in poſteriorem partem recuruare, eius uertebris, ut quæ minimum mouentur, ad hoc parū conferentibus: ſed, qua potiſſimū moueri aliquid poſſunt, ualde recuruatur. poſſunt aūt qua duæ primæ uertebræ inter ſe, & cum capite cōmittuntur. Quemadmodum igitur figurātur iuxta capitis cōmiſſurā illi, qui bene ualentes caput in poſteriorem partem compellunt, ita gibbi, cum erecti ſunt. præterea, ut ijs,

qui

A qui naturaliter habent, guttur extat, ubi caput in posteriorem partem recuruatur, sic gibbis, cum rectũ continetur. uocauit autem ὀξυλαρύγγους eos, quibus in anteriorem partem guttur prominet: quo uocabulo uerisimile est, uel asperam arteriam totam, uel guttur duntaxat appellasse. hinc autẽ maxime fit, ut spiritus cum sono reddatur, quandoquidem maxime etiã stertunt, qui sic figurati dormiunt. quãobrem scribit: nam & ijs, qui natura recti sunt, id ossis, si in interiorem partem inclinetur, spiritus difficultatem affert. dicit autem id ossis, ad illud referens, quod principio orationis proposuerat, cum inquit: Atqui coguntur etiam ceruices iuxta magnam uertebram in priorem partem conuertere. unde posset quis conijcere magnam uertebram appellari secundam, quæ magis potest in priorem partem urgeri, atque inde rursus repelli. Constat autem eandem regionem, & priorem, & interiorem ab ipso uocari. priorem quidem, quũ uertebrę a posteriori parte in eam erumpant: interiorem, quũ sit in profunditate corporis, si spectetur summa pars siue prior, siue posterior.

9 *His tubercula plerunque circa pulmonem sunt, eaque dura & cruda. plerisque enim eiusmodi tumores sunt causa gibbi, & distentionis, quibus proximi nerui afficiuntur.*

Quibus spina supra septum transuersum gibba est, his plerunque ait tubercula fieri circa pulmonẽ. B constat autem, & quibus ad lumbos gibba fit, his ea parte tubercula uersari. Dixit, plerunque: propterea quòd & casu, & ictu spina gibba redditur, & tum in priorem partem, tum in latus conuertitur. At cũ inquit: plerunque enim eiusmodi tumores causa gibbi sunt, & distentionis: eandem sententiam tradit, quam a principio, cum ait, spinæ uertebræ, quibus ob morbos trahuntur, ut gibbum efficiant. Quod autem nunc scribit, quibus proximi nerui afficiuntur, ad neruos dorsi refertur, ac uertebrarum. nos uero antea causati sumus uertebrarum ligamenta attrahentia, quibus cum & ipsæ uertebræ trahuntur. nõ enim arbitramur neruos, qui a spinæ medulla oriuntur, attrahere secum uertebras posse, cum & propter exiguitatem, & propter mollitiem longe imbecilliores sint, quàm ut præstare id possint. quippe, qui ab ossibus non dependent, quemadmodum ligamenta, quæ firmiora sunt, & neruis coniuncta, ac, si tuberculis afficiantur, secum trahere uertebras possunt.

10 *Verum ex his quibus sub septo transuerso gibba spina est, nonnullis renum & uesicæ uitia superueniunt. sed & abscessus ad suppurationem, ad ilia & inguina, qui diu manent, & ægre sanantur, quorum neutrum gibbum soluit.*

Ob consensum sane propositi affectus superueniunt. consensũ autem afficiuntur, & quæ sunt eiusdẽ generis, & quæ uicina, quæ supra significauit, quum proximos dixit, sed quæ communia primo sunt, maxime læduntur. Tormina igitur, & uarices, quorum causa erat succorũ tubercula excitantiũ transfusio, C gibbum curant: sed ex ijs malis, quæ consensus causa oriuntur, nullũ est, quod priorẽ morbũ depellat.

11 *His autem coxæ extenuantur, magis quàm quibus spina supra gibba est.*

Quibus spina ad lumbos gibba est, his coxæ graciliores sunt, quàm quibus ad pectus. hinc autẽ manifestum est coxas, quibus spina ad pectus gibba est, graciles modice reddi, propter consensum, quem habent cum spina.

12 *Tota autem spina longior his est, quàm quibus a superiori parte gibba est.*

His qui ætate nõdũ robusta sunt, præterquàm ꝙ cõis est macies, accedit ꝙ affectæ partes nõ augent̃, quẽadmodum & antea dictum est. Nũc discrimẽ aliud adiũgit, nõ ab ætate, sed a locis affectis. nã spina, quo magis uersus suũ initiũ uitiat̃, eo minus augetur, cũ habeat & originem & incremẽtum superne.

13 *Pubes aũt & barba serius increscit, & minus cõpletur, minus itẽ fœcundi fiunt, quàm quibus gibba est pars superior.*

Ad communem rationẽ consensus accedit differentia ex natura locorum. Communis igitur ratio est, ut quæ uitiatis locis proxima sunt, consensu afficiantur: propria autem, ut, ubi hæ partes læduntur, quæ spiritui accommodantur, sequatur, ut spiritus ægre, & cum sono moueatur, ubi, quæ infra septum transuersum, pubes serius increscat, lædaturque etiam barba.

14 *Sed quibus corpore iam robusto gibba spina fit, his euidenter soluit morbum tunc existentem. tempore tamẽ eius aliquid* D *se ostendit, sicut & ijs, † qui iuniores sunt, aut plus aut minus. plerunque autem, hi affectus minus maligni sunt.*

Græci lib. habent ἀτρέμεσι. i. & aliis.

Euidenter ἐναργῶς nunc dixit, quod nonnulli alij ex ueteribus dixerunt αὐτίκα. Aperte igitur, & (ut diceret quis) quasi res manu teneatur, gibba spina admittit ea, quæ quum morbus iudicatur, id est, soluitur, expelluntur, uideturque ex toto morbus summotus. supersunt tamen reliquiæ paruæ, quæ irritantur, si quid uel in ratione uictus peccetur, uel noxium extrinsecus occurrat.

15 *Multi quidem gibbi, facile, & non secus, quàm bene ualentes iam usque ad senectutem id mali sustinuerunt, præsertim quibus corpus carnis plenum & pingue effectum est: pauci tamen ex ijs supra sexagesimum annum uixerunt: plerique enim citius moriuntur.*

Ob ualidas uires, ob morbum leuem, iamque ob uniuersam uictus rationem, qua uiuunt, nonnulli gibbi quasi sani ad senectutem usque uitam degunt.

16 *Nonnullis etiam uertebra ab hac uel illa parte in latus mouentur. Hæc tamen uel omnia, uel complura incidũt, eo quòd spina ab interiori parte deprauetur.*

Antea iam diximus spinam ad latus conuerti orto ab eius latere tuberculo, quod ad se traheret ligamenta. hoc Hippocrates fieri dixit διὰ τῶν τόνων id est, per neruos.

17 *Quosdam etiam in id uitium compellit, una cum morbo habitus ille, quo iacere consueuerunt.*

Cõcurrit ad spinã gibbam efficiendam, & quod materia magis confluat ad id, quod humilius est, &

quod

quod pars, in quam quis cubat, magis comprimatur. Prima aurem & præcipua cauſa, & tuberculi, & E
cuiuslibet uitij eſt partium natura morbo opportunior: Demonſtrauimus enim ad eiuſmodi partes cō
currere ea, quæ ſuperant.

*Verum de his agemus, quæ de diutinis affectibus pulmonis. ibi enim de his futurorum pulcherrima præſagia tradūtur.* 18

Multo quoque alia in hoc libro ſcripturum ſe pollicetur, quæ nunc non extant. Ea fortaſſe uel non
ſcripſit, uel interierunt, quemadmodum & multa alia antiquorum uolumina, quæ nunc non extant,
de quorum interitu complures ſcripſerunt. De diutinis igitur affectibus pulmonis multa habentur, &
in maiori libro de morbis, cuius initium eſt, Si pulmonis arteria exulceretur. atque etiam in primo li-
bro de morbis, qui non recte ita inſcribitur, cuius initium eſt, Qui utique interrogare de curatione re
cte uelit, rogatuſque reſpondere. Sed in neutro horum plene exequitur, quæ hic pollicetur.

*Quibuſcunque cadentibus gibba ſpina fit, paucis ita conualeſcit, vt dirigatur.* 19

Adhuc ſcripſit de ſpina citra exteriorem cauſam deprauata. quæ deinceps adſcribit, omnia ſunt de
uertebris, quæ ob caſum uel ictum aliquem læduntur. Pleraque autem plana ſunt, niſi ſicubi opus ſit
omiſſam cauſam adijcere, quemadmodum & nunc, cum aſſerit raro luxatam ſpinam reſtitui. cuius rei
cauſam, & ſi nunc afferre potuiſſet, in ſequentibus demonſtrat, cum ſcribit uertebras cardinis modo
inſtructas, ita, ut, ubi una aliqua quouis modo exciderit, in ſuam ſedem magno negocio reuertatur, F
cum in ſingulis multi proceſſus ſint, multi ſinus. hoc autem & aſpectu ipſo in oſſibus didiciſtis.

*Iam vero intentio, quæ ſuper ſcalam adhibetur, nullum, quod ſciam, reſtituit. Ea potiſſimum vtuntur medici, qui apud* 20
*vulgus videri volūt magnū aliquid moliri. Apud hoc enim admirandū eſt ſuſpenſum hominem intueri, vel proiectum, vel
tale quidpiam, ſemperque hæc ab ipſo laudantur, cui nec vltra curæ eſt, quinam effectus ſequatur ex huiuſmodi præſidio,
bonusne an malus. medici vero, qui hæc ſtudent, rudes ſunt, quos quidem noui. Inuentio quidem vetuſta eſt, atque ego ſa
ne primum auctorem laudo, non ſolum huius, ſed cuiusque machinamenti ſecundum naturam excogitati, minime enim
diffido nonnulla reſtitui poſſe, ſi quis recte præparans concutiat. ſed turpe exiſtimaui eiuſmodi morbis ita mederi, quum
eiuſmodi machinationes magis ſint impoſtorum.*

Quoniam (ut oſtendimus) in omnibus articulis reſtituendis, præcedere debet in diuerſas partes
extentio, eandem quoque ad ſpinæ oſſa neceſſe eſt adhibere. qua uero ratione intendere in diuerſa
conueniat, in ſequentibus docebit. nunc de ea intentione loquitur, quæ minus recte adhibetur, quod
facere conſueuit, ſicut in prioribus iam monſtratum eſt. Primo enim reijcienda ſunt, quæcunque ma-
le a quibuſdam medicis fiunt, deinceps tradenda ſunt ſalubriora. Igitur, quum medici complures lu
xatam ſpinam per ſcalam extendant, aſſerit in primis eiuſmodi inuentionem nihil proficere: ſi quis ta G
men ea uti uelit, docet, quomodo facere id optime poſſit. Ergo in intendenda ſpina propoſitum eſt
ſuperiorem partem intendere per uincula prope affectum locum iniecta, inferiorem, per corporis pon
dus, Ad hoc itaque ſpectans, quæ ab ipſo ſubijciuntur, percipies, maxima enim ex parte clara ſunt.

*Quibus prope ceruices ſpina gibba fit, par eſt minus ſuccurri intentione adhibita per caput deorſum demiſſum, parum* 21
*enim ponderis habent caput, & vtrinque lati ſcapularum oſſis ſummitas, cum deorſum ſpectant: ſed hos veriſimile eſt in
pedes deorſum concuſſos magis reſtitui. in eam enim partem demiſſi maius pondus habent. At quibus infra gibba fit, hos
concutere magis conuenit capite deorſum ſpectante. Si quis igitur concutere velit, rem ſic recte molietur, ſcalam ſternere
ſcorteis puluinis tranſuerſis debet. vel ex lana bene alligatis, ac paulo plus, & longitudinis, & latitudinis ſcala tenen
tibus, quàm occupet hominis corpus.*

Quum ſpina uel prope initium lædatur, uel prope finem, uel in medio ſpacio, primo agit de noxa ip-
ſius prope ceruices. Ergo in hoc caſu, ſi quis ſuper ſcalam a pedibus hominem ſuſpendat, ſicut non-
nulli medici Hippocratis ſeculo conſueuerunt, nulla fere intentio fiet ab inferiori parte, quum parum
ponderis ſit in capite, & ceruicibus: ſed, ſi in ima uitium ſit prope os ſacrum, maxime ſperare quis po
terit huiuſmodi uim ab inferiori parte abunde futuram. ſubdit deinceps, qua ratione id optime fiat. H

*Poſt hæc homo ſuper ſcalam reſupinetur, dein pedibus non diuaricatis iuxta talos ad ſcalam alligetur vinculo, quod* 22
*quidem firmiter ac ſine compreſſu teneat, ſed molle ſit: vinciatur item, & ab inferiori, & a ſuperiori parte circa vtrun-
que genu, & tum circa coxas, circa ilia inſuper & pectus habena ita lata, vt concuti non prohibeatur: ſed brachia iuxta
latera extenta ad ipſum corpus, non ad ſcalam religentur.*

Exprimit omnia euidenter. uinculum, quod firmiter ac ſine compreſſu teneat ἄοχον dicit.

*Scala ita præparata attrahenda eſt ad turrim altam, vel ad culmen domus.* 23

Turrim dixit πύργον, culmen uero domus, id eſt, altiſſimam partem ipſius ἀέτωμα. ita enim appel-
lant eam tecti partem, quæ attollitur in ſpeciem trianguli. Si quis enim ſolarium faciat, pro tegulis
tectum ſtruet planum, quod calorem non prohibeat: ſed, ſi tegulæ imponantur, propoſitum eſt, ut
pluuialis aqua poſſit effluere. Hac igitur de cauſa medium tectum in longitudinem a priori & poſte-
riori parte attollitur, utrinque autem a parietibus humile eſt. Maiores igitur ad exemplum alarum
demiſſarum hanc partem domus ab aquila uidentur αἰετὸν appellaſſe, quo uocabulo tectum appellat
& Pindarus in pleiadibus, ubi ait,

χώνια

A χεῖρα δ' ὀξύθηγα αὐτοῦ ἄνδον κλινδονεῖ. & Euripides in Hysipyle,cum inquit,

Ἰδὲ πρὸς αἰθέρα ἐξαμιλλῶσαι κλιμακογράφους ἴδοι πρόσβλεψον τύρσεις. quòd τύρσεις turrim significet idoneus testis est Diocles Carystius,qui iuxta uerba(παράφρασιν græci dicunt)locum hunc exponit in libro de fascijs. Inquit igitur[attrahenda scala est ad turrim altam,uel ad culmen domus]ubi turrim,quam Hippocrates τύρσιν,πύργον dixit.

24 *Locus autem super quem concuti homo debet,renitatur: qui uero sursum attrahunt,non ignari sint,ut æqualiter, rectè, & in neutram partem inclinantes repenteque demittant,ne scala in alteram partem inclinata ad terram perueniat ,neve ipsi in priorem partem conuertantur.*

Summam scalam a sublimiori loco suspensam,quæ(ut dictum est)alligatum hominem habeat,in pauimentum subito demittit,ut cadente hac,atque concussa recondantur spinæ uertebræ suo loco motæ. Merito autem ad hunc usum duro & renitenti pauimento opus est.nam,si ita molle sit, ut cedat, spinæ concussus remittetur,ac sine ullo effectu res erit.

25 *Vbi uero a turri demittas,uel a malo,qui carchesium habeat annexum,commodius adhuc rem parabis,si a trochlea,uel ab axe funes demittas,sed molestum est in his longius immorari.Per has tamen machinationes concuti quis maxime poterit.Quòd si spina in parte admodum superiori gibba fuerit,atque omnino concuti hominem oporteat,expedit in pedes con-*

B *cuti, ut iam dictum est.hoc siquidem pacto magis in inferiorem partem compelletur.*

Quum scala ex sublimiori aliquo loco suspensa in terrã demittenda sit,repente,æqualiter,& in neutram partem inclinata,satius est,inquit,uincula ipsa circa trochleas uolui,sic enim facile, æqualiter, & sine inclinatione ducentur. Antea turris tantum,& cacuminis domus mentionem fecit, nunc malum adiungit,quem ἱσὸν appellat,significans maximum atque erectum tignum,cui summo superpositum est aliud lignum transuersum,a quo suspenditur uelum,quod ἱστίον græce nũcupatur . Differunt enim inter se ἱστίον trium syllabarum,& ἱστὸς duarum.hoc siquidem uocabulo malus significatur,qui(ut retuli ) tignũ est,quod in naui erectum affigitur: sed illo linteum,quod a uentis inflatur. funes uero in summo malo carchesij nominantur. Ergo ubicunque ad suspendendam scalam malo utendum est,id efficiendum est per trochleas,& carchesios.nihil ẽt deterius esse affirmat ad hæc uti axiculis,quos appellat ὀνίσκους.

26 *Fulcire autem pectus debes ad scalam fortiter alligans, atque item ceruices habena ualde laxa,quatenus, quod excessit in suum locum reuertatur: atque insuper caput a fronte ad scalam deuincire,ac brachia extenta ad corpus non ad scalam. reliquum tamen corpus solutum sit,nisi quòd pluribus locis habena laxa circumdetur,quatenus,quod excessit, in suum locum reuertatur.*

In superioribus quoque ostendimus ἔρματα dici ab Hippocrate fulcimenta, & ἐρμάσαι fulcire : atque


C hoc esse,quod a poeta scribitur, ὑπὸ δ' ἔρεισ' ἕρματα νηῶν.

27 *A Scala cum scorteis puluinis.*

*B Turris alta.*

*C Locus,super quem homo concuti debet.*

*D Trochlea.*



*Sed uidendum est,ne huiusmodi uincula concuti hominem nõ sinant.crura uero non ad scalam,sed inter se uincienda , ut e regione spinæ dependeant. hæc siquidem ita admonere conuenit,si homo super scalam omnino concutiendus sit. turpe autem est in omni arte, nec minus etiam in medicina sine ullo profectu magnam adhibere turbam,magnum spectaculum polliceri,& multa uerba facere.*

Quòd si homo qui concutitur , nullis corporis partibus,exceptis superioribus,ad scalam uinciatur , facile in latera deuoluitur: at rursus,si fortiter alligetur, ut immobilis sit,concussu nihil leuatur. Ambo hæc igitur spectantes ita hominem uinciemus,ut neque immobilis sit, quũ concutitur sub uinculis firmiter adstrictus: neque ita laxe super scalam contineatur,ut in latera deuoluatur. Hip

D pocrates autem huiusmodi extendendi rationem contemnens,quo tamen modo optime adhiberi posset , adscripsit. Quandoquidem uidit,qui ea utunrur,nescire ipsam optime adhibere . huc accedit quod superius dixit [minime enim diffido nonnulla restitui posse , si quis recte præparans extendat].

28 *In primis quidem cognoscendum est,quæ sit natura spinæ. ad multos enim morbos ea opus est.*

Notare semel alicubi uolumus , atque in memoria reducere,quæ a nobis dicta sunt a principio in primo libro de ratione corporum incidendorum Hippocratis,in quo empiricorum impudentiam cognosces, qui audent Hippocratem appellare empiricum. Fuit enim omnium, qui medicinam exercuerunt,maxime experiens,maximeque experimentorum spectator, ijsque omnia comprobauit, quæ multis fretus rationalibus argumentis inuenit . potissimumque rationi corporum incidendorum operam dedit,

dedit,ut quæ mirum in modum ad artem conferat,quod nunc aperte docet,cum ſpinæ naturam intel- E
ligi uelit,quam empirici non ſecus quàm ceterarum partium omnium eſſe inutilem dicunt.

*Vertebræ igitur ab interiori parte,qua ad uentrem ſpectant,inter ſe ſunt æquales.* 29

Vertebræ a poſteriori parte proceſſum exigunt acutum,extrema parte cartilaginoſum,qui ſpina nũcupatur: a contraria uero priori ſcilicet,ſiue interiori(utroque enim uocabulo nuncupatur)æque cartilaginem ſuperiectam habent,qua rotundæ ſunt,& leues nullumque acutum proceſſum exigunt, neq; prorſus eminentiam aliquam,uel breuiſſimam,quemadmodum & a poſteriori parte,& a latere. Quales igitur ſingularum uertebrarum proceſſus ſint ex cadauere arido intelliges. ex quo planum etiã fiet id,quod ait uertebras ab interiori parte eſſe æquales,hoc eſt,æquari ſingulas, qua inter ſe iunguntur. Quoniam igitur ea parte nullum proceſſum habent,aptiſſimeque inter ſe conueniunt,æquales eſſe inter ſe dixit,hoc eſt æquari,ea parte,qua cohærent.

*Alligantur autem inter ſe mucoſo ac neruoſo ligamento, quod a cartilagine orſum uſque ad ſpinæ medullam progreditur.* 30

Naturam commiſſuræ uertebrarum ad unguem indicat. non enim alte admodum in unitatẽ coeunt a parte interiori,ſicut nonnulli exiſtimarunt. nam ſic ubi in poſteriorem partem plurimum curuanda F ſpina eſſet, uel ex toto reniterentur,uel diuellerentur. nunc autem res aliter habet. quum non coeant in unitatem, ſed ueluti uinculo alligentur mucoſo,neruoſoque,atque idcirco leniter aliquid hac parte mouentur,qua nullo modo motæ fuiſſent,ſi continuarentur. At neque uinculum earum ad ſpinæ medullam uſque pertinet. Sed interiecta aſpera membrana in orbem medullam ipſam complectitur,quæ non ſecus,ac cerebrum tenui membrana primo uelatur,poſtea craſſiori. ſed hoc tegmento ſpinæ medulla ſepta eſt præter ea,quæ in cerebro ſunt, ne doleat,quum uertebrarum oſſibus offenditur, ubi ſpina mouetur. Circa ipſas autem uertebras innatum eſt uinculum mucoſum,hoc eſt glutinoſum,& quaſi pituitæ plenum,ut uertebræ promptius moueantur,ipſumque uinculum minus lædatur. In uehementi enim motu abrumpuntur,quæ ſicca ſunt,& ſine humore,atque idcirco qui loris ad uehicula,& iumẽta utuntur, ipſa inungunt. quanquam eiuſmodi mucoſus humor in omnibus articulis ob eandem cauſam inuenitur.

*Quædam alia etiam ligamenta neruoſa,perpetua adnaſcuntur,& hinc atque hinc a lateribus ipſarum intendunt.* 31

Perpetua ligamenta intellexit,quæ a ſuperiori parte deorſum feruntur plurimum longa, nihil tamẽ habeo, quod ſcribam,quamobrem ligamenta,quæ iuxta intendunt,neruoſa dixerit. dicendũ enim fuit G non neruoſa, ſed nerui,niſi ſi ualida appellauit neruoſa. nerui autem euidenter per uniuerſum thoracẽ iuxta unamquanque uertebram intendunt,quorũ ſuperiorem originẽ in corporibus incidendis demõſtrauimus. ad ceruices aũt & lumbos ſuper uertebras muſculi ſunt,per quos feruntur nerui.

*De uenis autem & arterijs huc pertinentibus alibi tractabimus,quot & quales ſint, unde inchoentur, quidque in quibus poſſint.* 32

Has quoque didiciſtis in corporibus incidendis.ſed & in libris,quos de uenis & arterijs, de neruis itẽ incidendis habetis. quæ omnia diligentius tradidimus in libro de ratione incidendi corporis. quare pluribus hic de illis agere operæprecium nõ eſt.quum neque ipſe Hippocrates perſequi in hoc opere uniuerſam earum naturam uelit,ſed eam ſicut alia multa in alium locum differat. licet,quæ de uenis & arterijs ſcripta nunc pollicetur,non extent. de neruis autem iuxta uertebras tendentibus in ſecundo libro de morbis uulgaribus, non plene quidem, ſed in commentarij modum tractauit,tanquã de alijs, quæ nos oſtendimus in eo libro commentarij modo,& non plene ab Hippocrate ſcripta. ſolummodo enim primum & tertium librum de morbis uulgaribus abſoluit,ita,ut edi poſſet.

*Tum de medulla ſpinæ,quibus tegmentis tegatur,unde originem ducentibus,qua parte finitis, quibus cum coniunctis, quidque ualentibus.* 33 H

Tegmenta ac uelamenta alicuius rei ueteres appellant ἔλυτρα,atque idcirco Hippocrates nunc medullæ ſpinæ tegmenta ἔλυτρα nuncupauit,quæ nos paulo ante narrauimus.duo quidem intrinſecus omnino ſunt: extrinſecus uero communia omnium uertebrarum ligamenta. Oriuntur autem membranæ a membranis,quæ cerebrum tegunt,ſed tertium uelamentum, quod extrinſecus eas complectitur,originem habet a caluaria,qua cum prima uertebra committitur. Huiuſmodi autem ligamenta non ſecus,atq; ipſa medulla ad imã ſpinã finiuntur:finitis,Hippocrates dixit περαίνει,ſicut poeta quum inquit,

Si modo perficiant iſthæc, finemque ſequantur. quid uero poſſint,exquiſite iam oſtendimus in opere de ratione corporum incidendorum,atque etiam in proprijs libris,inter quos præcipuus eſt,qui de uſu partium inſcribitur.nunc autem ſcripſiſſe abunde eſt membranas,quæ cingunt ſpinæ medullã, eundem præſtare uſum,atque in cerebro,quod craſſa membrana defenditur,ne a circumpoſitis oſſibus lædatur. Eſt & aliud cerebri uelamentum,& quaſi cutis innata,quo hæc nectuntur,nempe tenuis membrana. de tribus autem his tunicis in medulla ſpinæ paulo ſupra pertractauimus.

*In ulteriore autem parte,uertebræ cardinis modo commiſſuras habent.* 34

Quum explicare ſpinæ naturam inſtituerit,orſus ab interioribus partibus ipſius,qua uertebræ apte inter

A inter se cohærentes ad uentrem spectant, & inter se sunt æquales, iure nunc subdit, In ulteriore autẽ parte uertebræ cardinis modo commissuram habent. ulterior enim pars ijs, quæ propositæ sunt, erit posterior, qua inquit uertebras cardinis modo inter se committi. non debes autem intelligere posteriorem partem eam, quæ sita est contra ligamentum propositum, quod scilicet a iunctura uertebrarũ procedit, is enim locus medius exquisite posterior est, ubi spina tantum est: sed eam, quæ utrinque est a commissuris ipsarum uertebrarum. quæ, si ad spinam referatur, erit a lateribus spinæ: si ad priorem partem, in qua dixit uertebras inter se colligari, posterior. scripsit autem eas commissuras cardinis modo esse, quoniam quatuor exigunt processus, quibus committuntur, duobus quidem admittunt eminentias proximæ uertebræ, duobus se in alteram insinuant. efficitur autem quodammodo structura cardinum similis.

35 *Nerui omnium communes, & ad exteriorem partem, & ad interiorem procedunt.*

Pars uertebrarum, quæ ei apponitur, qua illigantur, posterior & exterior appellari potest: sicuti ea ipsa, qua illigantur, interior, & prior. uerum a posteriori parte non reperiuntur nerui, quos nunc τόνους dixit, si nerui intelligantur, qui motum uoluntarium præstant. qua enim uertebræ inter se committuntur, foramen est, per quod unusquisque neruus a spinæ medulla traiectus, protinus distribui-B tur, cuius aliæ partes ad priorem regionem intendunt, aliæ ad posteriorem, atque in musculos dissipantur, qui, quum spinæ superiecti sint, ῥάχιται græce nominantur.

36 *Singulæ autem uertebræ, tam maiores, quàm minores in exteriorem partem singulos processus exigunt. his autem processibus adiecta est chartilago, atque ab ea germen oritur ligamentorum. quæ neruis exterioribus germana sunt.*

Singularum uertebrarum processus per medium dorsum intendunt, atque uniuersam spinam componunt. extremo autem processui chartilago innexa est, a qua oritur germen ligamentorum, quæ (ut ipse ait) neruis germana sunt, quo significauit, uel simillima, uel inter se coeuntia, immixtaque, utrumque enim uerum est.

*Adnexæ autem costæ sunt capitibus in interiorem partem spectantibus magis quàm in exteriorem, quæ sigillatim*
37 *cum unaquaque uertebra committuntur.*

Costæ, id est, thoracis ossa, quæ a spina intendunt transuersa ac modicæ obliqua ad pectus, græce non modo ab Hippocrate, sed ab omnibus iunioribus medicis, nominatæ sunt πλευραί. Has inquit esse uertebris committi, quod προσηρθρῶσθαι dixit, quasi dicat διηρθρῶσθαι, quod uocabuli apud iuniores me-C dicos magis in usu est. eo enim significant ossium commissuras quibus talis inest motus, ut sensu aliquatenus percipi possit. Costarum capita uocauit extrema, per quæ cum uertebris coniunguntur, in radices processuum a lateribus se insinuantes. Exquisite autem dixit ipsas magis in interiorem partem spectare. nostis enim rem ita se habere. ipsarum uero commissuram quodammodo duplicem conspeximus. quam rem Hippocrates prætermisit, uel quòd non ex toto uniuersam naturam cõmissuræ fuerit intuitus, uel quòd tam diligentem eius inquisitionem ad propositum pertinere non existimauerit.

38 *Maxime autem flexæ sunt hominis costæ, & modo eorum, quæ curua sunt.*

Inter omnia animalia homo costas habet maxime curuas, quoniam & pectus omnium latissimum: ex ceteris uero animalibus, alia magis, alia minus acuto pectore sunt. latissimi autem pectoris est homo, dein simia, quæ pectus habet angustius homine, latius quàm cetera animalia. Commune est autem omnium animalium, quæ thoracem habent, costis esse ab exteriori parte, qua tangimus, gibbis, a contraria, intrinsecus scilicet, simis. Id enim necessarium hominibus fuit, ut thoracis spacium latum redderetur, quoniam iuxta os pectoris dirigi costas oportuit: reliquas earum partes, quum deberent ad spinæ uertebras peruenire, opus fuit plurimum curuari. Res igitur, quam proponit, ex eo D aperte intelligitur, quod ipse ait costas maxime curuas esse, quòdque earum figura talem se ostendit. Restat quæstio, quæ ad rem non pertinet, sicut prior, sed ad uocem, quum Hippocrates explanationis uel exempli causa usus fuerit uerbo ῥαιβοειδέα, quod maiorem affert obscuritatem, quàm res ipsa, cuius gratia id exemplum affertur. tunc fortasse uox erat usitata, alioquin uerba hæc [modo eorum, quæ curua sunt] non dixisset ῥαιβοειδέα τρόπον: deinde usu explosa, obscura effecta est. Vox quidem ῥαιβοειδέα per, apud Theocritum curuum significat in eo carmine, ubi inquit,

At clauam incuruam ex oleastro dextera habebat.

Idem quoque significat apud Archi locum, quum scribit,

Sed paruus is sit, atque curuus cruribus,
Aptus stabiliter, corde plenus, ingredi.

Apud Nicandrum similiter,

Sunt alij æquales curuis, similesque paguris.

Per β autem scriptum ῥαιβόν nescio quid sibi uelit. Quanquam in nonnullis exemplaribus per β scribatur, sed in magis probatis, per κ.

39 *Quod autem inter costas est, quòdque inter processus ossium uertebrarum, utrinque complent musculi, quia ceruicibus orsi usque ad nexum intendunt.*

Quod

Quod in corporibus incidendis apparet, non admodum consentit cum uerborum sententia. nam E quod apparet huiusmodi est. a costarum capitibus, qua cum uertebris cõmittũtur, musculi sunt a posteriori parte, qui ῥαχῖται nuncupantur, alij in longitudinem spinæ tendunt usque ad initium crurum: a priori parte in longitudinem musculi non procedunt, sed transuersi inter costas, quos μεσοπλεύριοι appellant: deinde ad aliquot costas pertinent musculi, qui stomacho subiecti sunt, a quibus totum collum in priorem partem attrahitur, & paululum etiam annuit, ubi capitis commissura non moueatur. ipsa enim per se maximum habet motum in annuendo, & abnuendo, si quis eam cum uertebris conferat, quæ post primas sunt. aliarum enim inter se commissuræ paululum mouentur: sed & a regione iuxta lumbos procedunt ad extremas thoracis costas eorum musculorum summitates, qui ψόαι dicuntur: in medio autem thoracis ad costas musculi non pertinent, qui siti sunt ad uertebrarum processus a lateribus positos, qua committi costas posui: sunt & alij duo musculi angusti, atque exigui, qui ab exteriori parte per uniuersum thoracem iuxta musculos, qui ῥαχῖται dicuntur, intendunt a priori parte, non a posteriori uersus spinam. Hæc igitur est positio, ac natura musculorum circa uertebras, quæ ex corporibus incidendis inuenitur. Videamus deinceps de quibusnam Hippocrates meminerit. ac de ijs quidẽ qui inter costas sunt, patet ipsum minime egisse, quum air [musculi, qui a ceruicibus orti] superest igitur, ut eos intellexerit, uel qui ῥαχῖται dicuntur, uel, qui iuxta hos siti sunt. sed neutri recte dicetur, quod F inter costas est, quòdque inter processus ossium uertebrarum, complere. ῥαχῖται quidem musculi uniuersis propositorum ossium commissuris in toto thorace superiniecti sunt a posteriori parte, nihil relinquẽtes, quod non contegant, sed omnes costarum radices, & uertebrarum processus, qui a lateribus sunt, ad hæc quod inter ipsas radices est, complectuntur. Angusti autem musculi, qui iuxta hos uersus priorem partem siti sunt, protinus post commissuram sunt, ad extremitates eorum processuum, quos uertebræ a lateribus exigunt: quinetiam, quod in fine propositorum uerborum adiungit [usque ad nexum] si de angustis musculis intelligatur, necesse est ad septi transuersi nexum referamus, sin de ijs, qui ῥαχῖται uocantur, ad crurum nexum, quem σύνδεσιν dixit, crurum fortasse iuncturam intelligens. Equidem uerba hæc nequeo accommodare ad id, quod sensui apparet, arbitrorque initio protinus errasse primum librarium, sicut in alijs multis ueterum scripturis. Sed, quum ita habeant, quæ in corporibus apparent, quæstio idoneæ expositionis communiter omnibus proponatur. quod autem distinctum, & aliquatenus probabile uidetur, huiusmodi est. Costas accipiemus pro ipsarum costarum capitibus: processus ossium uertebrarum, pro ossibus, quæ spinam constituunt: sed musculos complentes utrinq; eã regionem, quæ interiecta est, ῥαχίτας intelligemus: nexum septi transuersi. Pelops autem præceptor noster costas, nunc ab Hippocrate uoluit nominari omnes uertebrarum processus, qui a lateribus sunt: G sed nexum retulit ad septum transuersum.

*Ipsa autem spina in longitudinem recte obliqua est.* 40

Obliquam dixit σκολιὴν eam sic appellare solitus, quæ in latus inclinata est: nunc autem non in latus, sed in posteriorem & priorem partem significare uult. spina enim in longitudinem recta paululum in posteriorem & priorem partem inclinatur, ut ipse deinceps docebit.

*Ab osse sacro usque ad magnam uertebram, qua inhæret crurum nexus, spina caua est. quoniam uesica, partes naturales, & id intestinum, quod laxum est supra anum, hac parte continetur.* 41

Crurum nexus, multis modis intelligi potest, maxime quidem proprie fortasse is, qui a coxarũ commissura est, quum scilicet femoris caput coxarum ossi per lata ligamenta illigatur, & per id, quod rotundum est, quo altissimis partibus caui ipsius coxæ innectitur, tum per musculos, qui commissuram femoris mouent. merito utique dici potest crus necti superioribus partibus: deinde per neruos, postea per arterias, & uenas. Videtur autem hic Hippocrates nexum per neruos exponere, quum ab extrema lũborum uertebra, quæ committitur cum osse, quod & latum & sacrum nuncupatur, oriantur nerui, qui H tendunt ad crura. comprobatur autem, uel ex eo, quod in corporibus incidendis apparet, uesicam, & partes naturales, & id intestinum, quod laxum supra anum est, hac parte contineri, quamobrem ab exteriori parte gibba structa est. Naturales partes quas γονὰς dixit, intellexit eas, quæ generationi accommodantur, uterum in foeminis, quæ semini aptantur in maribus, γεννητικὰ nuncupantur. id autem, quod laxum est supra anum dixit χαλαρὸν ἀρχόν. id siquidem sacro ossi superimpositum est, & reuera laxum est, quum non habeat musculos, qui extremum intestinum rectum adstringunt.

*Ab hac ad septi transuersi nexum, recta in interiorem partem recuruatur.* 42

Hac parte nihil tale spinæ insidet, quales in inferiori uterus & uesica. Quare non necesse fuit ab interiori parte simam esse, atque idcirco, neque ab exteriori parte gibbam, sed hac parte spinam paululũ intus spectare. fulciri enim ab ipsa magnam arteriam, ac uenam oportebat.

*Atque hic locus solus ab interiori parte adiunctos habet musculos, quos ψόας appellant.* 43

Ex his potissimum uerbis conijcere quis posset, Hippocratem spinæ non annumerasse uertebras ceruicum. quasi enim spina uniuersa lato osse & uertebris, quæ ad lumbos, & quæ ad thoracem sunt, contineatur,

A contineatur, dixit: Atque hic locus solus ab interiori parte adiunctos habet musculos. Nam, si spinæ ceruicum quoque uertebras annumeret, falsum utique erit hunc locum duntaxat habere adiunctos musculos, cum & in ceruicibus ab interiori parte grandes musculi contineantur. quos, quum grandes sint, non latuisse Hippocratem nemo ignorat. quãdo etiam, si exigui fuissent, nullo modo ipsum latuissent. horum tamen musculorum, qui ψόαι nominantur, particulam usque ad eam regionem pertinere, qua septum transuersum innectitur, propositis uerbis non notauit, ut qui operæpretium esse eam exquisite docere non existimarit.

44 *Ab hoc item ad magnam vertebram, quæ sita est sublimior cõmissura humeri cum lato scapularum osse, recta in gibbum vertitur, sed magis adhuc videtur, quàm sit. habet enim spina in medio ossium processus altissimos, ab vtraque autem parte humiliores.*

Vertebræ, quæ ad costas sunt, ab interiori parte simæ paululum uidentur, a posteriori gibbæ multum propter spinæ processus. uertebram autem, quam magnam dicit sitam super commissuram humeri cum lato scapularum osse, nouistis, & reminiscendi causa habetis in commentario, quem de ossibus scripsi. His autem, quæ proponuntur, accommodanda illa sunt: neque opus est me ulterius explanante, nisi si quod uerbum alicubi occurrat, quod expositionem requirat, cuius causa huiusmodi com
B mentaria scribuntur. quemadmodum euenit in hoc ipso loco.

45 *Ipsa vero ceruicum commissura in interiorem partem spectat. Quibus igitur vertebræ gibbæ fiunt, magna vi coniunctione abrupta expellitur, vel vna vertebra, vel plures, quæ res non accidit multis, sed paucis. non enim facile incidũt huiusmodi casus. nam nec facile in exteriorem partem veniunt vertebræ, nisi a priori per ventrem vehementi ictu trudantur, sic autem homo interiret: aut nisi quis ex superiori loco decidens in coxas, vel scapulas cadat, sed & sic quoque expiraret. A posteriori autem parte non facile expellitur vertebra in interiorem, nisi aliquid graue admodum super ipsam incidat. ossa enim, quæ ab exteriori parte procedunt, singula talia sunt, vt potius frangi possint, quàm coactis ligamentis, valde in interiorem partem erumpere.*

Spectat in priorem partem, dixit λορδὸν. ita enim conspicitur. Duæ autem sunt primæ uertebræ,
quibus ceruicum commissura efficitur, post quas relinquuntur tres, quarum non meminit, quomodo
collocatæ sint inter secundam, & sextam, nempe tertia, quarta, & quinta, quæ maxime uidentur re-
ctum positum habere. hæ autem uertebræ longe minores sunt duabus, & præcipue tertia, quarta enim
hac maior est, sicut his rursus quinta, sexta uero non his duntaxat maior est, sed septima etiam. Ab hac
autem usque ad extremam spinam pro ratione altera maior altera est. si hæc in homine perpendantur,
C uel in ea simia, quæ hominis faciem magis repræsentat, & magis quàm ceteræ, recta inambulat. nam-
que hæc, & in alijs, & in ossibus homini simillima est. unum autem in spina habet aliarum quoq; qua-
drupedum commune, quod in homine non reperitur, nempe lumbos pro magnitudine reliquarum
partium corporis longiores, quàm homo, cui ad lumbos quinque duntaxat uertebræ sunt. In simijs
autem sicut in alijs quadrupedibus sex. Illud autẽ animaduertere in propositis uerbis oportet, quod
Hippocrates, quum de spinæ figura tractare constituisset, orsus hoc modo: Ipsa autem spina in longi
tudinem recta obliqua est: in extrema oratione adiecit: ipsa uero ceruicum commissura in interiorem
partem spectat. uidebitur enim hic rursus ceruices spinæ partem posuisse.

46 *Et articulis, qui alios recipiunt, & in alios coniiciuntur. medulla item spinæ laboraret, si parumper loco mota inclinaretur, vertebra hoc modo expulsa: luxata insuper vertebra medullam comprimeret, si non laceraret. hæc autem compressa, detentaque multis locis grandibus, & præcipuis torporem afferret, ita, vt medico non amplius curæ esset, qua ratione dirigere vertebram deberet, circumstantibus multis aliis malis violentis. sed manifestum quoque est restitui non posse, neque concutiendo, neque alia via.*

Vertebrarum articulos dicit in processibus a lateribus sitis, quorum alter alterum excipit. eos au-
D tem ait recipere, & in alios conijci, eo quòd utraque uertebra duobus processibus sublimioribus cũ
superiori uertebra committatur: duobus humilioribus cum inferiori, sic, ut alijs proximæ uertebræ
processus admittat, alijs in alterius processus conijciatur. quæ perfecte exequuti sumus in libro
de ossibus.

47 *Nisi hominem seces, deinde manu alte in ventrem indita ab interiori parte in exteriorem compellas. quod quidem mortuo fieri licet, viuente, nullo pacto. Quorsum igitur hæc scribimus? quoniam nonnulli sibi persuadent se sanasse eos, quibus vertebræ articulis ex toto excedentes in interiorem partem venerunt. Quanquam nonnulli facillimum existiment vertebris eo modo luxatis euadere, nihilq; opus esse restituere, sed eas per se restitui. Multi sane ignari sunt, & ob imperitiam lucrum faciunt, vulgo enim suadent. hoc itaq; pacto decipiuntur. spinam, quæ in dorso extat, putant esse ipsas vertebras, nam singula tactu ibi rotunda sentiuntur: neque intelligunt hæc ossa a vertebris procedere (de quibus paulo supra tractauimus) ipsas vero vertebras multo magis in priorem partẽ sitas esse. Siquidẽ ex omnibus animalibus homo pro magnitudine ventrẽ habet angustissimũ a posteriori parte in priorem præcipue ad thoracem. Ergo, vbi aliquod ex ijs ossibus, quæ valde excedunt, cõminuatur, siue vnũ siue plura, is locus humilior fit, quàm qui hinc est, atq; hinc. ac propterea errant putantes vertebras in interiorem partem procidisse. quos item fallit habitus eorum, qui icti sunt. nam, si curuari velint, dolent, cũ qua parte percussi sunt, cutis tẽdatur, sicq; ossis fragmẽta carnẽ magis vulnerent: sin ita figurari, vt spina a posteriori parte caua sit, leuantur. cutis enim, qua fractura est, laxior efficitur, & ossa minus vulnerãt. quin si ea parte tãgan-*

*tur, cedunt, ſpinam in priorem partem compellentes, iſque locus inanis & mollis tangenti apparet. Hæc omnia, quæ dicta* E *ſunt, medicos fallunt. cito autem, ac ſine aliquo detrimento huiuſmodi homines per ſe ſaneſcunt. Hæc enim oſſa omnia, quæ rara ſunt, callo celeriter glutinantur.*

Manum alte indere in uentrem, cauſa conquirendi, quæ ibi ſunt, dixit ἐσφαλάσθαι.

49 *Iam uero ijs, qui ſani ſunt, obliqua ſpina fit pluribus modis: namque & natura, & uſu ſic habet, ſed & ob ſenium, & ſub dolore. hæc ſiquidem colligandi uim habent. Gibba autem plerunque fit, quum homo uel in coxas, uel in ſcapulas cadit. neceſſe enim eſt in ſpina gibba unam aliquam uertebram reliquarum omnium conſpici maxime ſublimem. eæ autem, quæ hinc atque hinc ſunt, minus. Nec plurimum huiuſmodi uertebra ab alijs recedit, ſed parum, quando ſingula ſubito plurimum cedunt. Hac igitur de cauſa, & ſpina medulla facile fert, quum ita peruertitur, quum fiat gibba in orbem, non ad angulum.*

Vbi ſpina gibba fit, hoc eſt, in poſteriorem partem conuertitur, κύφωσιν appellat, λόρδωσιν ubi curua ſpectatque in priorem: ubi obliqua & in latera σκολίωσιν, quo uerbo utitur alio modo ad omnem ſpinæ deprauationem ſignificandam, indicans uerbum generale magis eſſe quàm alia. in qua ſignificatione nunc quoque ait ſpinam σκολιαίνεσθαι, quaſi dicat quouis modo peruerti: atque in ſuperioribus etiam dixit, Ipſa autem ſpina in longitudinem recte obliqua eſt: obliquam uocans σκολιὴν, ubi eam inclinare in F priorem & poſteriorem partem indicauit.

50 *Oportet autem reſtituendi rationem huiuſmodi præparare. commode quidem lignum firmum ac latum, quod in longitudinem inciſum ſit, foditur: commode etiam pro ligno paries in longitudinem excauatur, quod cauum a pauimento, uel cubitum, uel quantum res exigit, attollatur. Dein ueluti quadrata columna querna tranſuerſa adhibetur, quæ a pariete eatenus recedat, ut aliquis inter utrunque ubi opus ſit, tranſire queat. ſternitur columna hæc, uel tunicis, uel quapiam re, quæ mollis ſit, & non admodum cedat. Homo fouetur, & ſi ſuſtinet multa aqua calida lauatur: deinde in uentrem iacet, extentus brachijs ſecundum naturam porrectis, atque ad corpus alligatis. Lorum item molle latumque abunde, & longum, quod conſtet duabus habenis, medium medio pectori iniectum bis circundatur, quantum poteſt iuxta alas, poſtea, quod ex loris ſupereſt, circa alas humeri capiti obuoluitur, capitaque ad aliquod lignum cuiuſmodi piſtillum eſt, alligantur. eorum enim longitudo aptatur longitudini eius ligni, quod ſubiectum eſt, ut hoc piſtillo extendenti mora ſit. Huiuſmodi etiã aliud uinculum ſuper genua, & ſuper calces datur, capitaque eius ad aliquod tale lignum uinciuntur. Aliud inſuper lorum latum molle ac ualens habenæ modo conuenienter longum, ac latum coxis in orbem firmiter deuincitur, quàm maxime poteſt prope coxas: deinde lori, quod ſupereſt utrumque caput ſimul ad lignum, quod ad pedes ſit, alligatur. Homine ita figurato intentio in diuerſa adhibetur, ſine ulla inclinatione ſimul, & recta. nullum enim magnum detrimentum inferre eiuſmodi* G *intentio poteſt, ſi recte præparetur, niſi quis de induſtria id agat: medicus uero uel alius quiuis modo præualens ſit, & non imperitus, ſublimiori unius palmæ parte, qua ſpina gibba eſt, data, atque alterius palmæ ſublimiori parte ſuperiniecta comprimit, intuitus num recta deorſum uerſus caput, uel uerſus coxas debeat cõprimere. Adhibetur aũt hoc modo uis maxime innocenter: innocẽter etiam, ſi quis ſuper eam partem, qua ſpina gibba eſt, ſedeat, ſimulq́; ubi homo extenditur, ſe attollens concutiat: ſed & pedibus conſiſtere ſuper ſpinam, qua gibba eſt, ſuſtinerique & leniter concutere, nihil prohibet, ad quam rem ſatis idoneus eſt quilibet palæſtræ aſſuetus. Aptiſſime autem cogitur, ſi paries, qui excauatur, uel lignum, quod foditur, quatenus conuenire uidebitur, infra hominis ſpinam incidatur: aſſer uero e tilia, uel ex altero ligno non tenuis ſecetur. tum ſuper ſpinam, qua gibba eſt, uel multiplex panniculus, uel paruus aliquis puluinus ſcorteus imponatur; ſed quantum minime poteſt, conuenit hæc ſubijcere, uidendum eſt ſolummodo, ne aſſer præ duritie fruſtra dolori ſit: ea autem pars ſpinæ, quæ gibba eſt, ſit maxime e regione eius partis, qua paries exciſus eſt, ut aſſer, qua maxime ſpina extat, ſuperimpoſitus maxime premat: adhibitus uero aſſer a miniſtro uno, uel altero ſi opus fuerit, cogatur, alij (ut ſupra oſtenſum eſt) hinc atque hinc in longitudinem corpus intendant. Licet & per axes extendere, uel iuxta lignum defoſſos, uel contentos in quibuſdam lignis in ipſum defixis, qui erigantur, ſiue utrinque a lateribus paululum extantia, ſiue in utraque eius extremitate. Accommodatur autem uis, quæ per hæc adhibetur, & ubi uehementiore, & ubi leniore opus eſt. tantum enim roboris habet, ut ſi quis non in medicina, ſed ad torquendos homines eam adhibeat, præſtanter ad id ualeat. ita, ut, ſiue tantum extendamus in* H *longitudinem, hinc atque hinc nihil ultra cogentes, ſiue citra intentionem aſſerem duntaxat admoueamus, abunde ſit. Optimum autem eſt uti eiuſmodi uia, quam in ipſo uſu, & intendendo, & remittendo moderari potes, quæ re ſecundum naturam eſt. Quæcunque igitur extant compreſſa, in ſuum locum redeunt: quæ præter naturam coierunt, intenta ſecundum naturam compelluntur. Equidem cogendi alium modum meliorem, aut iuſtiorem habeo nullum.*

A Quadrata columna palmi unius altitudine panni ſtrata.
B Piſtilla ad caput & pedes.
C Laquei pectus circumdantes, qui feruntur ad ſuperius piſtillum.
D Laqueus ſuper genu & talos.
E Lorum coxis firmiter alligatum.
F Paries excauatus.
G Aſſer e tilia ſpinæ, qua maxime gibba eſt, ſuperimpoſitus.









Quæ subijcit, plane omnia explicat. quare si quis non percipit, quæ proponuntur, huic non explanatione opus est, sed monstratione. quin & commentaria ad eos scribuntur, qui eiusmodi curationes iam inspexerint. Monui etiam in superioribus, ut, si quis prima lectione non intelligat, quæ ita clare ab Hippocrate scribũtur, iterum & tertio, & sæpius diligenti animaduersione relegat, quòd, si hoc faciat, quæ plane ab ipso traduntur, omnino intelliget. E

49 *Nam quum e regione ipsius spinæ intentio adhibetur, ab inferiori parte, & iuxta os, quod sacrũ appellatur, non est locus, qui prehendi possit: a superiori iuxta ceruices & caput, est quidem, sed aspectu indecorus, præterquam quòd, si corpus ab hac parte ualentius extendatur, alia quoque noxa afferetur. Expertus aliquando sum utrem non inflatum, quem resupinato homine spinæ, quæ gibba erat, subieci, dein fistula ænea demissa inflaui, sed parum processit. cedebat enim uter, quum homo bene extendebatur, neque spiritus impellere quidquam poterat, sed alioquin uter prompte labebatur, quum se compellerent & gibbus spinæ locus & repleti utris tumor: at contra, quum non ualde homo extendebatur, uter ob spiritum in tumorem assurgebat, sed homo magis quàm expediret, in priorem partem conuertebatur. De industria autem hæc scripsi. pulchra enim huiusmodi monumenta sunt eorum, quæ, quum experti sumus, sine effectu inuenimus, & causarum, cur parum processerint.*

F 50 Locum, qui prehendi possit ἀντίλαβήν, quasi ἀντιλαβὴν, & ἀντίληψιν dixit, eo quòd obex, & mora sit iniectis laqueis, sic, ut hæreant, qua eminet, & minime decidant. Ab osse sacro nullus talis locus est: a superiori parte, quamuis ceruices sint, & caput. homo tamen strangulari uidebitur, si hac parte prehendatur, atque idcirco ea intendendi ratio indecora habebitur, sed & noxam inferet, si laqueus ad guttur delabatur.

51 *Quibuscunque autem uertebræ in interiorem partem conuertuntur, uel quòd homo ceciderit, uel quod graue aliquid super ipsum inciderit, plerunque nulla uertebra ualde ab alijs recedit. ubi non ualde recedat, siue una, siue plures, hominem nõ præcipitat, sicut antea dictum est, cum spina in orbem, non ad angulum peruertatur. his quidem urina, & aluus magis supprimitur, quàm quibus uertebræ in exteriorem partem conuertuntur, pedesque, & crura tota magis frigescunt, atque hæc magis mortifera sunt, quàm quæ posita sunt, quibus, si euadunt, urina sine uoluntate magis prorumpit, cruraque magis resoluuntur, & torpent. Quòd si superior spina in priorem partem conuertatur, uniuersum corpus resoluitur ac torpet. Machinationem autem nullam habeo, qua spina restitui possit, ubi sic luxatur. quòd si nihil proficiat concutiendi modus, qui per scalam admouetur, uel alia similis curatio, seu extendendi uia, qualis paulo ante dicta est, nullum noui impellendi simul & extendendi modum, qui id præstare possit, quod asser, ubi spina gibba erat. nam, qui fieri poterit, ut a priori parte per uentrem impellatur? Ergo, neque hoc licet, neque tussis, aut sternutamentum uim aliquam habet, quæ ad extentionem conferat.* G *Nihil etiam proficies, si spiritum in uentrem indas. quin, & qui magnas cucurbitulas defigunt, ut sursum attrahant uertebras, quæ in interiorem partem exciderunt, summopere aberrant. expellunt enim magis, quàm attrahant, quam rem ignorant, qui eas defigunt. nam quo maior cucurbitula est, eo magis spina caua fit, quum a superiori cute urgeatur. Alios item concutiendi modos præter iam positas adducere possem, quos existimet quis ad uitium magis pertinere, sed eos (ut pote quibus parum confidam) omitto. Illud autem in uniuersum, ut summatim dicamus, intelligere oportet, quòd, ubi spina in interiorem partem conuertitur, ad interitum ægrotantem præcipitat, & infestissima est: ubi in exteriorem, uacat mortis periculo, urinam non supprimit, & plerunque torporem non infert.*

De uertebris agens in interiorem partem luxatis, inquit casum asperiorem esse, quàm si in exteriorem ferantur. causam esse in aperto dicit. nerui enim omnes, qui a spinæ medulla oriuntur, in interiorẽ partem procedunt. Premuntur ergo magis, ubi spina in hanc partem conuertitur, quàm ubi in exteriorem. cumque ijs urgentur, quæcunque partes spinæ superinsident. quo fit, ut interdũ superior quoque pars uesicæ comprimatur, & quæ cum his consortium habent, omnia inflammatione occupentur. Quamobrem neque uesica urinam, neque aluus deiectionem reddit. expellentis enim facultatis, quæ una ex naturalibus est, uitium est urinam atque aluum supprimi. torporis autem membrorum causa est neruorum affectus. sed uesica & intestinis affectis, periculum est, ne homo interim decedat, dum tollitur inflammatio, quæ efficit, ut nec aluus, nec urina respondeat. Quemadmodum autem musculus, qui uesicam adstringit, cũ nimium suo munere fungitur, non patitur urinam euadere, ita uerisimile fit affici musculum ani, quem græci ab astringendo σφιγκτῆρα nominarunt. H

52 *Quum nec alui itinera distendat, nec prohibeat, quo minus facilem exitum habeant, spina, quum in exteriorem partem conuertitur: sed quum in interiorem, utrunque hoc efficiat, accedantque alia complura.*

Quum proxime proposuerit his urinam & aluum magis supprimi, quàm quibus uertebræ in exteriorem partem conuertuntur, nunc causam adiecit his uerbis, quum nec alui itinera distendat, id est, exitum eorum, quæ per uesicam & per anum expelluntur. Distendi autem partes, per quas hæc feruntur, & a compressione uertebrarũ, & a consortio, quod cũ neruis habent, a ratione minime abhorret.

53 *Multo autem pluribus crura, & brachia resoluuntur, corpus torpet, urina supprimitur, quibus uertebræ nec in exteriorem partem, nec in interiorem exciderint, sed concussæ uehementer fuerint, manentes e regione spinæ. quibus spina deprauatur, minus hæc patiuntur.*

Vt deprauationẽ exprimat, mutuatur ὕβωμα uocabulum tanquam generale, agens de uertebris, quo modocunque suo loco motis. uniuersa autem oratio clara est. uenit enim ad quartũ genus uitiorũ spinæ, quod

A tæ, quod græci a concuriendo σεῖσιν appellant. Id autem eſt, quum uertebrarum ſpinæ compago uniuerſa dimouetur, periculumque eſt, ne conuellatur atteraturque ſpina uehementer concuſſa, quod malum ipſe teſtatur multo deterius eſſe, quàm, ſpina non concuſſa uertebræ peruertantur. In ſequentibus ad coſtas pergit, quibus abruptis huiuſmodi quidpiam accidit.

De fractura coſtarum.

54 *Multa quoque alia in medicinali arte quis inſpiciet, quorum, quæ uehementia ſunt, quum morbi momentum omne in ſe contineant, non nocent: quæ leniorem offenſam afferunt, mala concitant diuturna, & reliquum corpus plurimum afficiunt.*

Locutus de uitio, ſub quo ſpina concutitur, uertebris nullo modo ſua ſede excedentibus, ſubijcit multa in medicina leuiora eſſe re uera, quanquam grauiora uidenrur. multa.n.quæ minus afficiunt partes cum uitiato loco conſortium habentes, ut, quæ nullam ex præcipuis partibus lædanr, ſed in ſe morbi momentum habeant, minus moleſta ſunt, quamuis grauiora uideantur. In ſequentibus gratia exempli de coſtarum affectibus meminit, indicans eorum alios graues apparere, alios eſſe.

55 B *Quin & coſtis abruptis tale quidpiam accidit. quibus enim coſta una, uel plures abrumpuntur, ſicut permultis abrumpi uidemus, ſi comminuta oſſa, neque in interiorem partem compellantur, neque in ſuperiorem, pauci adhuc febricitarunt: ſed neque multi etiam ſanguinem ſpuerũt, nec multis item contractum eſt pus in thorace, aut linamentis opus fuit, aut uitiatum os eſt. uictus autem quiuis idoneus eſt.*

Ex propoſita oratione, quæ longa eſt, non parum intelligi poteſt orationis modum ad facilitatẽ conducere. Nos priorem partem ſupra attigimus, quam Hippocrates longius labens obſcuram fecit, paucis autẽ ita loqui potuit. Vbi coſta abrumpitur, ſi fractura ſimplex & ſola ſit, caſus quidem aſperior uidetur, licet leuior ſit, quàm ubi atteritur. celerrime enim curatur, & ſine periculo, ſed abſque fractura, ubi caro circa coſtas atteratur, in maximo interdum periculo reuoluuntur, qui ſic affecti ſunt. Caput quidẽ orationis huiuſmodi eſt, ſingula autẽ deinceps uideamus. Si primam partem huius orationis paucis Hippocrates explicaſſet, quemadmdoum ego, quum dixi, ubi ſola & ſimplex coſtarum fractura ſit, apertius ſcripſiſſet. uerum ipſe, quaſi exponens ait, Si oſſa abrupta, neque in interiorem partem cõpellantur: uocauit autem interiorem partem interius ſpacium thoracis, in quod erumpere os abruptum, per ſe non poteſt, niſi nudetur a tota carne ſuperiecta, niſi item ſcindatur membrana, quæ coſtas cingit. per hæc igitur ſimplicem fracturam indicauit: deinceps notauit caſus leuitatem, quum ait, paucos C febricitaſſe, raros item ſanguinem expuiſſe. aut pus in interiori thoracis regione contraxiſſe, raroque opus fuiſſe linamentis, uel coſtarum os uiriarum fuiſſe, & idcirco abunde eſſe uictus rationem. quãuis hanc ipſe (ut didiciſti) ubique φαῦλον nominat, eam, quæ exquiſitæ contraria eſt, ſignificans. Propoſitæ, igitur partis orationis uniuerſus ſenſus huiuſmodi eſt. ad reliqua igitur pergamus.

56 *Quin, & ubi continens febris non inuadat, deterior eſt inedia, quàm cibus, & dolorem, febrem, ac tuſſim magis concitat: venter enim modice repletus coſtas dirigit, quas inedia ſuſpendit. at ubi ſuſpendantur, dolorem inferunt.*

Tumor uentris coſtas fulcit. Quare, ubi hæ rumpuntur, qui magis uentricoſi ſunt, minus dolent: quibus gracilis uenter eſt & contractus, dolore magis uexantur, quum coſtas ſentiant ſine fulcro ſuſpenſas. Quòd ſi continens febris hominem occupet, inedia uti debet (quod ipſe ſignificauit uerbo κενεαγγεῖν) quoniam magis læditur a cibo, quàm a coſtis non fulctis. At ſi nulla febris ſit, expedit eatenus cibum ſumere, ut uenter in eum tumorem aſſurgat, ut coſtis ſedes ſit, ac fulcimentum citra offenſæ partis compreſſionem.

57 *Ab exteriori parte uincire quouis modo ſatis eſt: tantum cerato, pannis, faſciiſque leniter adſtrictis debemus æquale uinculum reddere, aut etiam lana aliquid ſuperinijcere. Conferuet autem coſta uiginti diebus. in huiuſmodi enim oſſibus cito callus increſcit.* D

Vinciendi modum, quemuis φαῦλον uocat, quemadmodum & uictum, qui contrarius eſt ei, qui ſumma diligentia adhibetur.

58 *At carne circa coſtas detrita, quòd homo percutiatur, cadat, re aliqua urgeatur, aut alio tali modo, multi iam multum ſanguinem expuerunt.*

In memoria habendus eſt hic ſermo propter eos, qui exiſtimant in lateris dolore neceſſarium eſſe, aliqua ex fibris pulmonis afficiatur. nam, quum proximus ſit lateri inflammato, aſſerunt aliquid ad eum tranſmitti ex tenui ſanguine, qui in inflammatione ſubſiſtit. pulmone ergo nihil uiolato, ſed coſta affecta, quoſdam ait ſanguinem expuere. quo pacto autem hoc fiat, licet per ocium requirere. Nos ſane quæſtionem hanc perpendimus in his, quæ ſcripſimus in librum Eraſiſtrati de ſanguinis ſputo: nunc illud duntaxat intellexiſſe abunde eſt, quoſdam ſine uitio pulmonis ſanguinem ſpuere, propterea, quòd morbus circa coſtas uerſetur. Vidiſtis ſæpe, & in alijs inuiolata cute, quæ fracturam tegit effundi cruorem, ſic, ut faſcias impleat, quamuis cutis membrorum denſior multo ſit, quàm membrana, quæ coſtas amplectitur. Quare nihil mirum eſt, ſi ſanguis per hanc ab affecta coſta in interiorem regionẽ ducatur, dein protinus in ipſa exſpiratione in aſperam arteriam, quæ in pulmonem diſtributa eſt, transferatur, quemadmodum in ijs uidemus, quibus membrana hæc uulneratur.

tur. quicquid enim per uulnus in thoracem instillaueris, per os cõtinuo reddetur. quam rem, quum E Erasistratus ignorasset, absurda scripsit in libro de sanguinis sputo. sed qua in re decipiatur, eius scripta de me audientes sæpenumero didicistis.

*Venæ enim & arteriæ, quæ per id, quod est inter costas, intendunt, & nerui, ex ijs, quæ in corpore præstantissima* 59 *sunt, oriuntur. Multi igitur sæpe tussi, tuberculis, pure in thorace collecto oppressi sunt, & ad id venerunt, vt linamentis egerent, costaque vitiaretur: sed & quibus nihil tale superuenit, carne circa costas attrita, tardius dolore liberantur, quàm quibus perfracta costa est, atque in eiusmodi casu dolor sæpius locum repetit. Verum nonnulli longe magis hæc mala contemnunt, quàm si abrupta costa esset.*

Arterias & uenas ὀχετοὺς uocauit. quod autem est inter ossa singularum costarum λαπαρὸν dixit, qua parte musculi sunt, qui, quum medijs costis interiecti sint, μεσοπλεύρια græce nominantur. neruos uero appellauit τόνους. Oriri autem ait hæc omnia ab ijs, quæ præstantissima sunt, quoniam initium harũ uenarum, perinde atque arteriarum est in uicinia cordis: neruorum autem ad spinæ medullam, quæ ad thoracem est, quibus aliquid cognationis est, cum alio pari neruorum, qui a cerebro proficiscuntur. Quæ deinde adscribit euidentissima sunt ijs, qui meminerint, quæ prodita sunt in prioribus commentarijs.

*Sed & curatione egent magis exquisita, si sapiant. conuenit enim inedia extenuari, corpore quàm maxime conquiescere, abstinere a venere.* F 60

Exquisitiorem ubique appellat ποικίλην δίαιταν, cui contraria est simplex & quæuis, quã φαύλην nominat.

*Item ab esculentis pinguibus, & fauces exasperantibus, ac tussim mouentibus, & ab ijs, quæ valentissima sunt* 61 *materiæ.*

Esculenta, quæ fauces exasperando tussim mouent, κερχνώδεα nuncupat. huiusmodi autem sunt pinguia, acuta, atque acria. ualentissimæ materiæ intelligit, quæ ægre concoquuntur. In exemplaribus autem magis idoneis, uerbi κεγχρώδεα secunda syllaba scribitur per γ, ducto uocabulo a milio, quod Iones κέγχρον appellant. id accidit, ubi in faucibus aspera quædam milij modo exigua sentiuntur. Quod autem in superioribus dixit, de ijs, quibus circa pulmonem tubercula sunt, diuturna, quæ ægre ad maturitatem perueniunt, & spiritus redditur, cum sono. κερχνώδεα absque γ, scribitur. ducitur autẽ a uerbo κέρχειν, quod sonum notat, qui, uel angustia loci, quo spiritus redditur, uel humoris multitudine accidit, plerunque tamen utroque concurrente, quem spiritum nonnulli τραχεῖαν, id est, asperum uocant. sed qua de causa abstinere hominem uelit ab esculentis tussim mouentibus manifestum est, quum affectæ partes omnes quietem postulent, atque idcirco silentium rursus imperat: manifestum item est cur caueri uoluerit ea, quæ uehementer dimouent uniuersum corpus. quandoquidem cum G toto pars etiam dimouetur.

*Ad hæc venam secare in cubito conuenit, & quàm maxime silentium habere, inducereque super sedem attritam pan-* 62 *nos non multiplices, sed complures, & multo latiores quàm sit attritus locus, cerati inunctione adhibita, linteisque latis ac fascijs item latis, & mollibus alligare, modiceque adstringere, ita, vt qui deligatus est, dicat sentire se vinculum non valde adstrictum, neque item laxum. inde autem ordiri debet, vbi locus est attritus, ibique maxime insidere.*

Meminisse huius loci oportet aduersus eos, qui existimant uenam solummodo secandam esse, ubi ea concurrunt, quæ multitudinem denunciãt. E quorum numero est Menodotus Empiricus. ostendimus autem in opere de uenæ sectione, & in eo, quod de multitudine scripsimus, falsam esse eiusmodi opinionem, quæ præter alia multa, uel ex eo reijcitur, quod, ubi quædam partes eiusmodi plagas acceperint, medici ad uenæ sectionem confugiunt, quanquam, qui icti sunt, multitudine non tentantur, eo quòd, nisi ijs sanguis detrahatur, maximæ inflammationes oriuntur, quod, cum euenit, alia insequuntur, quæ morbo accidere solent.

*Injiciendum vero vinculum medium est, & in vtranque partem attrahendum, ne cutis circa costas in alterutram partẽ* 63 *inclinet, sed sine inclinatione seruetur. deligandum autem, vel singulis diebus vel tertio quoque die. satius item est aluum mollire leui aliquo medicamento, quod deiectionem citet: ac decem diebus inedia vti, dein corpus reficere & implere.* H

Cutis superiecta costis plerisque laxa est, præsertim, si quo tempore homo plagam acceperit, plenior non fuerit. his ergo ait, magis quàm alijs opus esse fascijs. quæ mediæ primum injiciantur. nam cutis peruertitur, si ab uno capite fascia ordiatur. quòd si, ut cautior sis, crassos quoq; ita alliges, nihil lædes: præcipue ubi regio prope alam atteratur, ibi enim cutis semper laxa est.

*Ad hæc dum offensus inedia vtitur, arctius alligandus est: vbi pleniore victu, laxius. Quòd si ab initio sanguinem ex-* 64 *puat, quadraginta diebus habenda cura, alligandumque est: si sanguinem non expuat, fere viginti abunde sunt. conijcere autem tempus ex vi casus oportet.*

Commune hoc est omnibus fracturis, quod una cum multis alijs, quæ hic ab ipso traduntur, ante etiam exposui, quum librum de fracturis explanarem. Ea igitur magis sunt uobis in memoriam reuocanda, quàm sæpius a me repetenda.

*Quicunque autem rem parui fecerint ob huiusmodi ictum, sub quo atteruntur, quæ circa costas sunt, quamuis in aliud* 65 *malum deterius non incidant, carnem tamen magis mucosam habent in loco attrito, quàm prius. At, vbi talis relinquitur, nec curatione ad bonum habitum restituitur, res peior est, si mucosa circa os ipsum relinquatur, quum caro non amplius similiter os attingat, & ipsum os morbis opportunius reddatur. ob eiusmodi autem causas ossa multis vitiantur, quod malum diutius extrahitur.*

Mucosum

A Mucosum humorem appellare consueuit glutinosum & album, qui colligitur in partibus exanguibus, ut in osse, & cartilagine, ubi ipsorum natura recte concoquere alimentum non possit. relinquit enim quasi quoddam semicoctum, quemadmodum relinquunt infirmæ oculorum membranæ pituitã crassiorem, quæ λήμη græce nominatur. uis autem imbecillior redditur, uel ob suam temperationem immoderatam, uel ob multitudinem concurrentis humoris, quod etiam euenit in tumoribus præter naturam. cetera omnia orationis huius clara sunt.

66 *Quòd si non, quæ iuxta os sunt, sed ipsa caro mucosa fiat, nihilominus subinde morbus & dolor reuertit, si quis corpore laborauerit. quocirca dare uinculum expedit, & bonum, & ualde accommodatum, donec siccetur, discutiaturque. sanguis in attrito loco suffusus, & caro integra ibi augeatur, augetur autem ossis caro.*

Caro & quælibet pars, sanguinem habens non per se mucosa fit: id enim, quod proprie in ipsis superat, tale est, quale in fluxu, atque in deiectionibus ob iecinoris imbecillitatem conspicitur. Quocirca, ubi ossa, cartilago, membranæ læduntur, mucosus humor sæpe contrahitur: carne affecta raro, idque uel propter consortium, quod hæc habet cum eiusmodi partibus. uel propter humorem copiose defluentem, ubi mucosus succus, aut pituita in ea contrahitur. constat autem eiusmodi succum maximo negocio excerni, eo quòd nec perfusione, cataplasmate, aut medicamentis euocari, digerique B possit: neque alio præsidio educi, nisi ex toto antea tenuetur, atque in uapores resoluatur. Ergo, quia succus glutinosus in uapores soluendus est, idcirco ægre mouetur. ubi uero tale aliquid superans relinquitur, leui de causa pars affligitur, cum ob infirmitatem quidquid in reliquo corpore qualitate, uel modo superans collectum fuerit, prompte recipiat.

67 *Quibus autem neglectus morbus inueterauerit, & locum dolor exerceat, caroque mucosa sit, bis ferramentum candens medicina optima est. quòd si caro ipsa mucosa fit, adurere conuenit usque ad os, ea obseruatione, ne hoc ipsum calefiat: ubi inter costas hæc fuerit, neque sic, in summo conuenit adurere. cauendum tamen est, ne candens ferramentum penetret usque ad partem interiorem. ubi sedes iuxta os attrita esse uideatur, sed recens casus sit, neque os adhuc uitiatum fuerit, si exiguum uitium sit, ita urere conuenit, sicut dictum est: sin oblongum sit, quod in osse attollitur, pluribus in locis adurere expedit. De costis autem uitiatis dicemus, simulatque de ijs tractabimus, ad quorum curationem linamentis est opus.*

Mucus glutinosus cum dissipari per medicamenta non potest, reliqua curatio est adurere, quæ quo pacto admouenda sit, aperte declarauit.

## De femore ex coxa prolapso.

C

68 *Quòd si femoris articulus e coxa prorumpat. prorumpit autem in quatuor partes, sæpissime in interiorem, deinde in exteriorem, in priorem & posteriorem excidit quidem, sed raro.*

A.l.4.f.5.{t.1. c.24.p.891.A

Qui coxæ cauum inspexerit, non est, quod desideret causam a me doceri, quamobrem in interiorem partem sæpissime moueatur, deinde in exteriorem. quum imum caui, non sit omnibus partibus æquale: & articulus, qua parte ora humilior est, facilius elabatur.

69 *Vbi ergo in interiorem partem uenit, crus longius est, si cum altero conferatur, idque iure duplici de causa. ossi enim, quod a coxa sursum procedit ad pectinem femoris caput inhæret, ceruixque articuli cauo sustinetur, rursus ab exteriori parte clunis cauus apparet, ut pote quum femoris caput in interiorem partem exciderit.*

Orationem hanc fere uniuersam initio orsus ipse ita euidenter adscripsit, ut nemo loqui possit euidentius: sed & eorum, quæ tradit, causas etiam adiecit. Quare quod sæpius dicere consueuimus, nunc etiam adducemus, si quis consideret, quæ proponuntur, ea, si non ubi primo, saltem ubi secundo, uel certe tertio legerit, percipiet.

70 *Extremum rursus femur iuxta genu spectare cogitur in partẽ exteriorem, similiter crus & pes. Ergo, quum pes in exteriorem partem conuertitur, imperitus medicus, quum hoc alterum confert, non hunc cum sano, atque idcirco crus læsum* D *multo longius uidetur, quàm integrum.*

Hoc etiã communiter pertinere ad omnia ossa luxata antea quoque demonstrauimus, quum altera extremitas spectet semper in contrariam partem, atque ea, quæ prolapsa est. Nunc igitur femoris capite in interiorem partẽ prolapso, altera extremitas, quæ ad genu est, merito in exteriorẽ cõuertitur.

71 *Multisque alijs modis error in his accidit.*

Errorem παρακρούσιν dixit, quo uocabulo consuesse Hippocratem appellare non quemlibet errorẽ, sed eum, qui uero proximus est, & ea de causa probabilis, supra quoque indicauimus. Errant ergo nunc, quatenus in conferendo affectam partem cum integra in naturali habitu decipiuntur. debuerũt enim integrum cruri recto statu extento, quod uitiatum est comparare, sed contrarium faciunt, integrum enim æstimant ad exemplum uitiati.

72 *Quin, nec ad inguen flectere crus possunt, similiter atque ab integra parte. Adde, quòd femoris caput, si contingatur, inter anum & naturale prominens sentitur. ex his itaque indicijs colligitur in interiorem partem femur uenisse.*

Flectunt quidem, sed cum dolore, ac minus perfecte. cuius rei causa sunt posterioris partis musculi illis, qui femur inflectunt, oppositi. quòd donec ex toto femur curuetur, sine dolore non sequantur. quoniam, ubi sic femur exciderit in maximo flexu singuli plurimum præter naturam extenduntur.

*Quibus ergo articulus prolapsus fuerit, neque repositus sit, sed reponi non potuerit, neglectusque sit, dum ingrediuntur, crus circumagunt, perinde ac boues, plurimumque integro pede nituntur.* E 73

Quum uitiatum crus longius reddatur femore ita prolapso, necesse est hominem bouis modo ingredi. ille siquidem coxæ articulum laxiorem habet, sicut ipse supra in principio huius operis testatur. fortasse autem non oportuit laxiorem duntaxat articulum causari, sed mouentium quoque musculorum imbecillitatem. nam, si ualidi fuissent, facile utique commissuram curuassent, quo facto non necesse esset crus in exteriorem partem circumagere. ambulamus enim utrumque crus in uicem sistentes, mouentesque, ubi enim sinistrum sistimus, tunc dextrum ex posteriori parte in priorem agimus, quod ubi in priori parte stabiliuimus, alterum rursus a posteriori parte in priorem transferimus, sicque rursus hoc in priori parte sistentes ad dextrum mouendum reuertimur, altero crure recto humi innixo, altero, quod mouetur, excitato. Quòd si crura nec ad inguen, nec ad genu curuarentur, cogeremur prorsus utrumque transferre ligni modo, aliquantisper altius excitantes, & circumagentes: at quum possint ad utramque commissuram curuari modis inter se contrarijs, qui tamen cruri toti aptissimi sunt, ambulamus, hæc neque circumagentes, neque tanquam ligna excitantes. quoniam commissura, quæ ad inguen est, attollit femur in partem priorem, quæ ad genu id, quod inter ipsos & talum est, in posteriorem. Quare crus, quod transfertur, si longius esset, quàm quod humi insistit, nihil F oporteret in exteriorem partem circumagere, modo haberet idoneos musculos, qui celeriter flectere utramque commissuram possent: sed, quum ob imbecillitatem flectere prompte nequeant, & ob dolorem recusent, superest, ut in orbem circumagant, quum infirmi ac dolentes musculi nihil excitare sublime possint, quòd ligni exemplo nequeat curuari. Hac igitur de causa, magis quàm quòd crus longius redditum sit, circumagi in orbem, dum homo ingreditur, euidenter intelliges, de exemplo, quod ipse Hippocrates adijcit. in sequentibus enim ait, Quandoquidem quicunque ulcus habent in pede, aut crure, non ita possunt crure uti ad ambulandum, & pueri quoque ita inambulant: his enim licet crus longius non reddatur, accidit, ut ita ambulent ob superuenientem dolorem, ubi commissuras flectant, præcipue circa inguen & circa genu, ac tertio, eam, quæ ad talos est, cum necesse sit iuxta commissuram hanc, extremum crus simum in ingressu euadere, & sublimen ferre pedem uniuersum. nam, nisi hoc fiat, offendet, ac potissimum in solo inæquali.

*Coguntur que regionem iuxta eius partis ilia, & iuxta articulum prolapsum, cauam ostendere & obliquam.* 74

Necesse habent ita figurari, non ubi crus integrum sistentes moueant quod luxatum est, & in orbē transferunt: sed, ubi uitiato innixi, quod integrum est, transferunt. nam, quod uitiatum est, superpositi G corporis fulcrum esse non potest, erectum, sicut quando naturaliter se habebat ad rectam lineam solo hærens, sed obliquum, ita, ut ab inguine in exteriorem partem conuertatur, in quam etiam inclinant id corporis, quod e regione est affecti cruris, quum periculum sit, ne in contrariam cadant. quo fit, ut corpus circa ilia prehendant. ilia autem uocat κενεῶνα, eam regionem intelligens, quæ est inter ossa coxarum, & costas nothas, quæ omnino sine osse est. sed, quum neque sic uitiatum crus ferre corpus possit, & propter imbecillitatem, & propter habitum, ope indiget, quam afferunt nonnulli ægrotantes, qui re ipsa docti affectum crus manu fulciunt, qua maxime opus est, ab exteriori parte femoris insidente. quæ res, quum eos cogat spectare in regionem cruris affecti, eius partis ilia obliqua magis reddit, quæ si crure etiam in exteriorem partem non conuerso, ita figurentur, caua uidebuntur.

*Clunem uero integri lateris necesse est ab exteriori parte rotundum esse. si quis enim ambularet pede integri cruris in exteriorem partem conuerso, reliquum corpus a uitiato crure ferri utique cogeret, a quo sustineri minime posset. nam quo pacto? necesse igitur est hominem ambulare integri cruris pede in interiorem partem conuerso, non in exteriorem. sic enim integrum crus, & partem suam, & eam, quæ ad uitiatum pertinet, maxime feret.* 75

Explicandi ordine permutato paulo obscurior fit: conuenientem uero ordinem seruasset, si ita scri- H psisset, sicut ego nūc. Clunem uero integri lateris necesse est ab exteriori parte rotundum esse, eo quòd homo inambulet crure hoc in interiorem partem spectante. nam, si in exteriorem spectaret, reliquum corpus uitiato crure ferri utique cogeret, quod fieri minime potest. siquidem hoc modo integrū crus (ut dictum est) maxime corpus fert, scilicet quando homo àmbulat integro pede in interiorem partem conuerso. sic enim corpus totum ita sustineri ab ipso poterit, ut nequeat facile peruerti.

*At quum regio iuxta ilia eius partis, & iuxta articulum sinuetur, parui apparent, & a latere coguntur ligno inniti ab integro crure. ea enim parte indigent aliqua re, quæ obiecta resistat. in hanc enim clunes conuertuntur, & ab eadē onus corporis sustinetur.* 76

Quia uitiatum crus corporis partem sibi superiectam ferre nequit, propterea integro toto maxime in interiorem partem compulso nituntur, & in id spectant corpore uniuerso. Euenit igitur, ut in alteram partem inclinati in periculo sint, ne cadant in eam partem, quæ uitiatæ contraria est. quemadmodum igitur, cum uitiato cruri innixi sanum transferunt ad priorem partem, uitiatum manu fulciunt: ita, quum periculum sit, ne conuersi in integrum grauiter in terram cadant, ad baculi præsidium confugiunt.

Coguntur

77 A *Coguntur item inclinari.necesse enim habent manu,quæ e regione affecti cruris est,a latere femur fulcire, quoniam, ubi transferenda crura sunt,non potest,quod uitiatum est ferre corpus,nisi contineatur,deorsumque urgeatur.*

Rursus hic etiam obscurus fuit, quum non præfatus sit pergere se ad alteram partem ambulationis. hactenus enim de ea parte tractauit, in qua crus, quod naturaliter habet,humi consistit, affectum in priorem partem fertur: nunc agit de altera, in qua affecto cruri innixus,sanum transfert, de qua parte ambulationis paulo supra tractatum est.

78 *His itaque modis figurari necesse est eos,quibus articulus in interiorem partem elapsus, reconditus non fuerit, homine nullum consilium capiente quomodo aptissime figuretur,sed calamitate ipsa edocto,ex his figurandi modis,qui dantur,eum eligere,qui sit commodissimus. quandoquidem quicunque ulcus habent in pede,aut crure,non ita uti crure possunt ad ambulandum,& pueri quoque ita ambulant. ingrediuntur enim affecto crure in exteriorem partem conuerso.*

Quum non uno tantum,sed duplici statu in ingressu utantur, qui sic affecti sunt, merito dixit: His itaque modis figurari: unus quidem status est, cum femur manu fulciunt:alter,quum integro cruri innixi in id toti inclinantur,atque idcirco baculo egent,quo fit,ut in contrarias partes corpus inclinēt, modo in dextram,ubi dextro pede insistunt,modo in alteram,ubi altero.hi quoque magis indecore am-
B bulant,quàm quibus femur coxa excidens in exteriorem partem prorupit, quos in sequentibus persequetur.

79 *Duo autem lucrantur,duobus enim indigent.nam corpus in ingressu non æque fertur eo crure, quod in exteriorem partem conuertitur,atque eo,quod in interiorem, quum onus non sit e regione illius,sed multo magis huius, e cuius regione in ambulando & cruribus transferendis onus collocatur. Præterea, si ita figurentur, ut affectum crus spectet in partem exteriorem:quod integrum est,in interiorem,integrum uicem alterius,quàm citissime subibit. Quod ad propositum attinet,magni momenti est inuenire statum corpori commodissimum.*

Vbi læsum crus in exteriorem partem circumagunt,& integro spectante in interiorem, nituntur,duplex sibi lucrum comparant.Siquidem quod læsum est,nec toto corpore superiori oneratur, nec diu subseruit,cum quod integrum est paulum interualli moueatur. nam, si diligēter intueri tempus uolueris, quo crus utrumque subseruit,non modo duplum,sed & triplum reperies. per breuissimum enim spatium celeriterque recta duntaxat integrum crus fertur:per multum tardeque,quod affectum est.siquidem conspicuum est,quanto longior sit ambulatio in orbem,quàm quæ recta est,quamuis utraque ijsdem finibus terminetur.

80 C *His autem,qui nondum perfecte increuerunt,si excidens non recondatur,breuius redditur femur,crus, & pes. neque enim ossa,similiter in longitudinem augentur,sed breuiora fiunt,femur præsertim.*

Minus ait reddi crus totū,quibus nondū auctis,femur luxatum relinquitur.quod(ut in superioribus ostendimus) omnium quoque articulorum commune est.Communis autem rei nunc causam assignat quemadmodum solitus est.semel enim,ubi aliquod singularium tractat,eius meminit,quod commune est.hac igitur de causa inquit crus his non augeri,neque ali,partim quòd articulus loco motus sit: partim,quod nequeat suo munere fungi.Ego autem in superioribus retuli ocium causam esse, cur partes neque augeantur,neque alantur,quæ ambo eueniunt articulo luxato. quare nō uideo quo pacto Hippocrates luxatum articulum causatus,ocium subijciat.luxata enim non possunt primo prohibere,quò minus partes alantur,sed intercedente uenarum & arteriarum deprauatione,atque ocio.

81 *Crus item uniuersum sine carne,& sine musculis efficitur,ad hæc effœminatum,tenuiusque. partim quòd articulus loco motus sit:partim quòd nequeat suo munere fungi,quum naturalem statum non retineat.*

Partes quibus musculorum natura continetur, caro sunt, ut in musculis incidendis sæpe uidistis,
D quum duo esse eorum principia demonstrarem,quæ sensu comprehenduntur, nempe fibras neruosas, & carnem super ipsas spissatā.Ergo,ubi quis exercitatione,& frictione robustior euadat, fibræ melius aluntur,caro gracilior fit,sed firmior.ignauis contrarium fere accidit,graciles enim fibræ sunt: at caro admodum quidem abundat,sed ob humorem mollis est.eiusmodi enim carne caseus, qui adhuc concrescit,repræsentatur:sed carne eorum,qui exercentur,ille,qui iam spissatus est. quocirca his musculi puri neruosi,& proprijs finibus circumscripti conspiciuntur:inexercitatis uero molles, & carnosi apparent,ac uel nullo modo,uel uix circumscripti.quibus propterea sine carne crus reddi Hippocrates asserit,sed quum hoc quoque fieri ex multa exercitatione intelligeret,ubi dixit, sine carne,proxime subiecit,sine musculis,quasi musculis non circumscriptis a finibus,qui sensu comprehendantur.nullus siquidem ex ipsis musculis ex toto corrumpitur,sed, sicut corpus sine uenis dicimus,ubi uenæ non apparēt, ita sine musculis, cum musculorum fines penitus delitescunt. Ad hæc, quum clarius ostendere uellet, in his cuiusmodi forma cruris sequatur,adiecit effœminatum,hoc est madens,molle, non adstrictum, sed laxum;quales sunt fœminæ,de quarū carne conuenienter hæc omnia dici possent,a quibus translatione usus mutuatur uerbum,effœminatū.Adiungit aūt in extrema oratione, tenuius, indicans partes eius oēs extenuari, quā rē in principio dixerat his uerbis,breuius redditͬ.nā ꝗ ait,sine carne, ad solā carnis carentiam refertur:quod uero dicit breuius reddi crus,ad partes omnes,quæ breuiores redduntur.

*Namque*

*Namque usus aliquis id, quod ualde effæminatum est, confirmat, soluit etiam aliquid ex eo: quod augeri membrum in longitudinem prohibebat. potißimum autem læduntur, quibuscunque, dum in vtero sunt, hic articulus elabitur: deinde quibus id accidit, dum in ætate sunt admodum tenera, minime, quum iam robusti sunt. Qua ratione autem ingrediantur, qui robusti sunt, iam ostendimus* E 82

Verbum aliquis, μετεξέτεροι dixit, quod apud Iones nihil amplius sibi uelle, quàm quod nobis dicitur ἕτεροι, id est alter, licet ex Herodoto colligere. utiť enim eo frequenter, sicut & uerbo μετεξέτεροι quo significat, id, quod nos uocabulo τινὲς, id est aliqui: sed & nunc quoque μετεξέτεροι tale quidpiam sonat. præfatus enim ob ignauiam crus ipsis minui, ne quis fortasse tem minus bene accipiens existimet quemlibet partium motum efficere, ut alantur, asserit non omnem, sed quendam hoc præstare, nempe moderatum, sicut cetera omnia in uniuerso uictu salubri. quod ipse, & alibi, & in uno capite in sexto de morbis uulgaribus testatur, cum inquit, labor, cibus, potus, somnus, uenus, omnia moderata.

*Quos tenera ætate calamitas hæc inuasit, plerique in dirigendo corpore negligentes sunt, maleque super integrum crus circumuoluuntur, manu, quæ e regione eius est, deorsum urgentes. negligentes item nonnulli sunt in recte ambulando, quibus postquam ætas induruit, hoc uitium accidit. Sed, qui tenera ætate huiusmodi calamitatem experiuntur, si recte educentur, integro crure recte inambulant, baculum tamen alæ, quæ integro cruri respondent, subijciunt: nonnulli baculum ad utrumque brachium admouent, uitiatum uero crus suspensum habent.* 83 F

Quum homo ætate iam robusta eiusmodi calamitatem experitur, crure uti potest, quanquam claudicante: paruulis pueris (qui, quamuis crura naturaliter haberent, quonam ijs pacto uti possent?) superuenit ignauia quædam circa membri actiones, atque ea de causa καταβλακεύουσιν ὀρθοῦσθαι, id est, in dirigendo corpore negligentes sunt, atque ignaui. At quid mirum, si ambulantes pueri recte claudicare non student, quando ij, qui iam robusti sunt, non sustinent interdum claudicare, sed (ut ipse dixit) super integrum crus circumuoluuntur? manifeste autem aperuit modum motionis ipsorum uerbo, circumuoluuntur.

*Eo autem facilius agunt, quo affectum crus breuius habent.* 84

Facilius agentes appellat eos, qui promptius ingrediuntur, quod contingit, ubi uitiatum crus breuius habent. non enim coguntur id circumagere, quemadmodum, qui ætate firma sunt, quum luxatus articulus non reponitur, quibus crus ob prolapsum articulum longius efficitur, coguntur que (ut ipse antea indicauit) ipsum, dum ambulant, in orbem circumferre. G

*Atque integro crure nihilominus ualent, quàm si vtrumque integrum esset.*

Merito hoc adiungit, iure siquidem integro crure utuntur, æque ac si utrumque integrum esset, ut quod eundem usum præstet, atque ubi utrumque integrum erat, similiter nutriatur, & robustum sit. 85

*Iam vero his omnibus caro cruris effæminatur, plerunque autem magis ab exteriori parte, quàm ab interiori. nonnulli autem ferunt Amazonas suis maribus protinus infantibus articulos sua sede expellere, alias ad coxas, ad genu alias, ut claudi fiant, ne scilicet mares fœminis insidientur, sed operarum loco sint, & sutoriam, fabrilem aliasve sedentarias artes exerceant. Quæ uera necne sint, ignoro: sed hæc sequi certo scio, si, dum infantes sunt, articuli expellantur.* 86

Omnibus ait effœminari carnem ab exteriori parte, magis quàm ab interiori, ubi in interiorem partem prorumpat. quandoquidem ea pars magis in ocio est: nam femoris caput ab interiori parte, licet præter naturam moueatur, mouetur tamen aliquantum, ubi femoris caput interiori parte continet.

*In coxis quidem multum refert, in interiorem ne partem articulus excidat, an in exteriorem: in genu refert quidem, sed minus. suus uero claudicandi modus vtriusque est. nam quibus in exteriorem procidit, uari magis fiunt: minus autem recti stant, quibus in interiorem partem luxatur. similiter, vbi circa talos articulus prorumpat, siquidem in exteriorem partem, vari fiunt, sed stare queunt: si in interiorem, ualgi, & stare minus possunt.* 87 H

Varos dixit κυλλοὺς, quo nomine quidam significari uolunt deprauationem quamlibet, generale ipsum existimantes: alij, eam solummodo, sub qua membrum in exteriorem partem conuertitur, in quo casu necesse est extremum eius, pedem scilicet, in interiorem partem spectare. quæ res non mediocriter ad id confert, ut pes firmiter insistat, ita, ut ij, qui naturaliter curuis sunt cruribus (βλαισοὶ aut ῥαιβοὶ græce nominantur) firmius pedibus insidant, & maiori negocio subuertantur, quàm ij, qui recta penitus habent crura. id uel ex Archilocho patet, quum inquit,

Magnum ducem, & diuaricantem haud diligo:
Sed paruus is fit, atque tortus cruribus:
Aptus stabiliter, corde plenus, ingredi.

Verum curiosa inquisitio significationis uerbi κυλλοὺ, nihil ad præsentem locum confert. ex ipsa enim oratione ita planum fit, ut Hippocrates nullo modo obscurus esse uideatur. Ergo quibus in exteriorē partem articulus procidit, stare magis posse affirmat, quàm quibus in interiorem uenit. nam quibus coxæ articulus in exteriorem partem excidit, pes e regione totius corporis collocatur: recedit autem a situ, qui

A qui e regione est, ubi articulus in interiorem partem conuertitur. constat autem omnes homines, qui
naturaliter ualgi sunt, deterius stare, neque posse celeriter currere, tum paruo momento, ac leui de
causa cadere. Hoc igitur rerum discrimen in coxa maximum est, deinde in genu, tertio ad talos. cō-
missuræ enim magnitudinem noxæ quoque magnitudo consequitur. hinc ergo manifestum est eos me
lius stare, atque ingredi, quibus femoris caput in exteriorem partem prolapsum est, de quo paulo
inferius tractabit.

88 *Ratio autem incrementi ossium hæc est. quibus ad talos crus exciderit, his pedis ossa minimum increscunt. hæc enim vi
tio finitima sunt: in crure augentur, neque multo minus, caro tamen minuitur, sed quibus articulus, qui ad talos est, suo lo-
co manet, ille, qui ad genu, elabitur, his cruris ossa non æque increscunt, sed breuissima fiunt, vt quæ vitio proxima sint, at
in pede minuuntur quidem, sed non similiter, quemadmodum paulo ante dictum est. quoniam articulus, qui ad pedem est,
inuiolatus seruatur. quod si vti pede liceret, sicut cum varus est, minus adhuc his minuerentur pedis ossa. quibus vero
coxæ articulus promouetur, his femoris os non pariter increscit. proxime siquidem vitium attingit, sed integro breuius
euadit: his tamen ossa cruris & pedis etiam, non æque increscere prohibentur. id autem euenit, propterea quòd & femo
ris articulus, qui cum crure committitur & cruris, qui cum pede, suo loco manet: crus tamen vniuersum his gracilius
redditur. Quòd si crure vti possent, ossa magis adhuc augerentur, sicut antea quoque dictum est, femore excepto, &*
B *minus caro minueretur, multo tamen magis quàm in sano crure. huius autem rei indicio sunt illi, quibus humeri luxati,
vel a primo natali die, vel dum increscunt, priusquam robusti sunt, breuiores redduntur, hi humeri os breuius, brachiū
vero & manum sanis paulo minora habent ob causas superius dictas. quia humerus læso articulo propior est, idcirco bre-
uior redditur. brachium vero eiusmodi noxæ non similiter cedit, quoniam humeri articulus, qui cum brachio committi-
tur, in pristina sede manet: manus item longius distat a vitio, quàm brachium. Ob propositas igitur causas, quæcunque
ossa vitium attingunt, incremento prohibentur, quæ non attingunt, non prohibentur. Multum autem facit ad bonum ha
bitum totius brachij labor manus. nam qui humerum iam luxatum breuiorem habent, pleraque ex manuum operibus nō
minus præstare possunt, manu eius partis, quàm integræ. neq; enim quēadmodum cruribus, ita manibus ferendū corpus est;
sed earum opera leuia sunt. propter vsum vero ijs, qui luxatum iam humerum breuiorem habent, caro manus, ac bra-
chij non minuitur, sed & humerus inde aliqua parte impletur. Vbi vero in interiorem partem coxæ articulus excedit;
vel in vtero matris, vel adhuc infantibus caro magis minuitur, quàm in brachio, ea de causa, quia crure vti non possunt.*

Sermo hic, qui sequitur, uniuersus perspicuus est, doctrinæ autem capita huiusmodi habet. Quæ
ad prolapsos articulos propius accedunt, magis incremento prohibentur, emacrescuntque, minus,
quæ longius absunt: femore autem luxato multo magis membrum incremento prohibetur, atque e-
macrescit, si in interiorem partem, quàm si in exteriorem prorumpat. siquidem deterius mouentur,
C & claudicant magis. meminit autem eorum, quos γαλιάγκωνας uocat, quo uocabulo retuli apud ip-
sum significari eos, qui ob humeri caput in alam prolapsum, dum adhuc increscunt, humerum breuio
rem habent. his ait minus lædi brachium totum, quàm crus totum illis, quibus luxatur articulus, qui
in coxam inseritur. quoniam in multis uitæ operibus satis laborant: at non similiter uti crure possunt,
quibus femoris articulus in interiorem partem promouetur.

89 *Hæc ita habere id testabitur, quod paulo infra subijciemus.*

Quænam sunt, quorum testimonium adducturum se pollicetur? hæc sane, quòd ex ijs, quæ præter
naturam habent, quæ minus mouentur, magis alimento, incrementoque prohibentur. Pollicetur
ergo ipse Hippocrates ostensurum se in ijs, quæ paulo infra subdet, eorum testimonium. ego, quum
ad locum ueniam, ubi eam rem agit, hanc ipsam orationem in memoriam reuocabo.

De capite femoris in exteriorem partem luxato.

90 *Quibus in exteriorem partem femoris caput elabitur, crus, si cum altero extendantur, breuius est, idque non imme-
rito. quum femoris caput non feratur super os, sicut quando in interiorem partem procidebat. sed iuxta os, quod non
prominet, sed natura residet, in carnem humidam cedentemque infigatur. hac itaque de causa breuius apparet. interior
D autem regio, qua crura diducuntur, caua magis conspicitur, & gracilior fit: exterior vero gibba, vt in quam venerit fe
moris caput. sed & clunis apparet superior, quum, quæ ibi caro est, cedat capiti femoris. femoris item extremitas, quæ
ad genu est, intro spectat, non secus etiam crus & pes.*

Agit nunc de coxæ articulo in alteram partem luxato, narratque mala, quæ ibi apparent, & cau-
sas adijcit, quemadmodum in omnibus fecit, nihilque præterit ex ea doctrina, quæ in experimento
consistit. quæ oratio uniuersa similiter in aperto est.

91 *Sed neque curuare crus possunt, perinde ac sanum. hæ sunt ergo notæ femoris in exteriorem partem excidentis.*

Hoc uero accidit ob musculos posteriores, qui flexui pugnant, quoniam ita figurati plurimum
extendi non sustinent.

92 *Quibus ergo ætate iam robusta prolapsus articulus non reuertitur, totum crus breuius fit, calx ingressu terram non
contingit, sed planta ima, extremique digiti parum in interiorem partem spectant, meliusque id crus superius corpus fert,
quàm quibus in interiorem partem excessit. partim quia femoris caput, & articuli ceruix, quum natura a latere continea
tur, magna ex parte coxæ subijcitur: partim quia extremus pes non cogitur in exteriorem partem inclinari, sed prope e
regione corporis est, & aliquantum magis in interiorem partem conuertitur.*

Imam plantam dixit εὖδον, quam πέδιον appellant, qui corporibus incidendis uersantur, ea est ad ra
dices digitorum. nam pedis medium naturaliter cauum est, quod calce extremo a posteriori parte ter-
minatur,

minatur, a priori plantæ principio. sicut pes humi insidat calce ima planta, & ea carne, quæ extremis di E
gitis subiecta est, reliquis partibus omnibus, quæ propositis interiectæ sunt, attollatur, excepta pedis parte exteriori, qua humi totus insidet. Habent autem nonnulli pedum structuram prauam, ut quibus medius pes ab interiori parte non sit cauus, quos a pedibus planis græci nominant λειόποδας, sed hos ut qui similem uulgis pedum structuram habeant, in hoc sermone præterijt. Quæ sequuntur igitur animaduertens in ijs, qui naturaliter figurati sunt perpende. namque hi, quum moderate progrediuntur, toto calce ima planta ac digitorum parte carnosa humi hærent. quòd si enitantur maxime progredi, principio calci insidunt: deinde, quum iam transferunt in priorem partem alterum crus, tunc imæ quoq; plantæ innituntur: postremo, ubi plurimum similiter altero pede progressi sunt, calce terram contingere incipiunt, tuncque pedis ante consistentis calcem quidem attollunt, extremos uero digitos in solo collocant. Eorum igitur, qui naturaliter habent, ambulatio huiusmodi est, sed, ut quibusdam ex uitio aliquo crus longius sit, aut breuius, utrumque duplici de causa accidit. lõgitudinis causa est humor multus neruorum, uel articulus luxatus, quo modo supra diximus: breuitatis siccitas, & articulus luxatus in eam partem, quam nunc proposuit, priores quidem ingrediuntur ad eum modum, quem paulo supra indicauit: reliqui sicut nunc docet, primo ostendens femoris caput carnoso loco excipi, & non osse, ut in primo casu femoris erumpentis, quem proposuit. Cedit igitur in hac parte caro, singulisq; mu- F
sculis ad suum initium attractis fit, ut totum quoque femur sursum trahatur. Merito itaq; crus breuius altero se ostendit, neque terram contingere similiter potest, atque ubi naturaliter habuit. hi ergo, quũ ingredi necesse habent, contrario modo pedem figurant, atque ij, qui ante propositi sunt, quibus affectum crus integro longius reddebatur. illi enim iuxta talum pedum simum figurabant digitos excitãtes: contra hi pedem inclinant, inflectuntque, & terram contingere extremis digitis cupiunt, atque hac de causa ab affecta coxa se demittunt, ut humi innitantur, non solum extremis digitis, sed magna ex parte ima planta, quam retuli ab ijs, qui in corporibus incidendis uersantur, uocari πέδιον: Hippocrates autem eam dixit ἴχνος. quòd si uelint calce terram contingere, demitti multum ab affecta coxa cogentur, periculumque erit, ne inclinati in alteram partem cadant. qua de causa neque uti calce eiusmodi homines tentant.

*Vbi caro in quam articulus excessit, iam trita est, & glutinosa euasit, dolor tempore conquiescit, quo cessante, ingredi absque baculo possunt, si alioquin uelint, potestque affecto crure ferri corpus. his ergo, cum crure utantur. caro minus effæminatur, quàm paulo ante propositis, effæminatur autem, uel magis, uel minus: fere autem magis ab interiori parte, quam ab exteriori. alij uero ex ijs nequeunt calceamenta se induere, propterea quòd crus non curuetur, alijs id licet. Quibus autem seu in vtero matris, seu ui dum adhuc merescunt, huiusmodi articulus iam exciderit, neque repositus fuerit, quibus* G *item morbo elapsus fuerit, expulsusque (compluru enim talia eueniunt) ubi aliquibus horum femur corrumpatur suppurationes habent diuturnas, & linamentis indigent, atque ossa nonnullis nudantur, & femoris os. tam ubi corrumpitur, quàm vbi non corrumpitur, multo breuius redditur, neque ad sani exemplum augetur. prater eu ossa huius cruris breuiora fiunt, quàm alterius, parum tamen ob eusdem causas, quæ ante exposita sunt.* 93

Locum tritum dixit translatione usus a locis ambulatione tritis. est autem eius oratio talis. femoris caput suo loco motum in exteriorem partem figitur in carnem: ijs uero, qui sic affecti sunt, a principio dolet caro, quam premit femoris caput, procedente tempore occallescit, perinde quasi fossorum manus. ubi id accidit, sedes fit commissuræ similis, quum femur trito loco utatur, non secus atque antea cauo coxæ. nam præter cetera quidam ea parte humor colligitur, qui principio quidem copiose ob inflammationem coit, dein tenuiori sui parte, & aquosa magis a superiectis medicamentis dissipata reliqua remanet, quæ glutinosa est, & mucosa, hæc ad motionem capitis femoris maxime confert. ob quem humorem trito hoc loco, tanquam articuli sinu utuntur. magis autem inclinantur in exteriorem partem, quàm in interiorem. Dictum autem est in superioribus quoque partes contrarias ijs, quæ luxatum articulum recipiunt, graciliores fieri, & molliores, quatenus magis in ocio sunt: eas uero in quas prolapsus articulus figitur, quamuis præter naturam, aliquantum tamen mouentur: illæ, unde H
recessit, per se quidem non mouentur, sed paulolum per alias, quæ primo motæ sunt, quum partes in quibus articulus erat, effœminentur. atque hoc est id testimonium, quod allaturum se pollicitus est. in sequentibus de partibus quæ plus minusve emacrescunt, extenuanturque.

*Ingredique huiusmodi homines possint, nonnulli quidem eo modo, quo illi, quibus ætate iam firma articulus excidit, neque repositus est: nonnulli uero toto pede insistentes, coguntur que ob cruris breuitatem in ingressu a recto habitu, & qui sine inclinatione est, in affectam partem inclinari, & ab inclinatione, qua in affectam partem est, rursus attolli, atque erigi. Hæc itaque sic eueniunt, ubi, & quod ad figurandi rationem attinet, & quod ad cetera, quæ conueniunt, fuerint diligenter a pueris instituti, priusquam itu confirmetur, ut inambulare possint, diligenter item ac recte postquam confirmati fuerint. Summam uero curam postulant, quibus ætate maxime tenera hoc infortunium accidit. nã, si negligantur, quum teneri sint, crus uniuersum inutile efficitur, & minime increscit, caro item totius cruris magis minuitur, quàm in sano, multo tamen minus ijs, quàm quibus in interiorem partem excessit, idque usus ac laboris causa. quum statim uti crure possint, quemadmodum supra de ijs diximus, quibus ob humeri caput iam in alam prolapsum humerus breuior redditur. Inueniuntur autem nonnulli, quibus in utero penitus, alij, quibus sub morbo utrinsque cruris articulus in exteriorem partem prolabitur. his ergo ossa eiusmodi uitio uexantur, sed caro minime effæminatur. crura autem habitiora fiunt, nisi si ab interiori parte parum emacrescant. ea uero de causa habitiora sunt, quia hi utroque pariter utuntur.* 94

A recto

A A recto habitu,& qui sine inclinatione est,in affectam partem inclinari, & rursus ab inclinatione attolli atque erigi, διαῤῥίπτειν dixit, quod quid sibi uelit, & in superioribus ostendimus, & hic quoque ostendemus.namquæ ubi femur in exteriorem partem promouetur,a musculis,qui ibi sunt,sursum attractum(quemadmodum ante dictum est)innexum crus totum sublimius reddit, atque ea de causa uix terram contingit.quamobrem coguntur ima tantum planta humi insidere,dum ambulant uniuerso corpore in affectum crus conuerso, quum huic innituntur. necessario itaque, ubi sano inniti debent,cum quod læsum est in priorem partem transferunt, in sanum rursus conuertuntur femore erecto.ita,ut semper in ingressu duos habitus inuicem mutent, uarientque. nam, quo tempore integro crure insistunt, erecto corpore attolluntur simul & ambulant: quo rursus læso nituntur,demittunt se, atque in id inclinantur.Mutare igitur corpus modo a recto habitu, & sine inclinatione in affectam partem inclinando,& ab inclinatione,quæ in affectam partem est,rursus attollendo, atq; erigendo διαῤῥίπτειν dixit, uno uerbo propositam habitus mutationem exprimens.

95 *Similiter enim ab utraque parte in ingressu agitantur, clunibusque apparent admodum in exteriorem partem prominentibus,propterea quòd articuli excesserint.*

B Quibus utrique crurum articuli in exteriorem partem exciderunt, mutatio totius corporis, dum ingrediuntur,in utroque crure similis est habitui, qui accidit, quum altero dũtaxat luxato æger ipso innititur, atq; ad ilia curuatur,deprimiturque. altero enim tantum luxato, quum homo affecto cruri insistit,eo modo, quem nunc diximus figuratur: sed contrario, cum alteri nititur,corpus enim attollit,erigitque, & ilia recta continet. constat ergo eum tunc dissimiliter figurari, sed in hoc casu ægri eodem statu ab utraque parte tam dextra quàm sinistra continentur.agitantur autem hic nihilominus dum inuicem utrique cruri innituntur,quod ipse dixit, in ingressu agitantur agitari expressit uocabulo σαλεύειν, quod idem significat, ac διαῤῥίπτειν. accidit igitur hic, ut similiter utræque corporis partes figurentur, quum utrumque crus inuicem terræ innitatur. quod (ut ostensum est) ipsis ante non eueniebat.

96 *Sed,nisi his ossa uitientur,neque gibbi supra coxas fiant(nonnulli enim huiusmodi uitiis prehenduntur)nisi inquam tale quid eueniat,in ceteris satis sani degunt.*

Nonnulli ex ijs,quibus crura sic luxãtur propter communitatem gibbi fiunt. nempe, quum inflammatio in uertebrarum ligamẽtis primo oriatur,tum duræ quædam reliquiæ remaneant.id siquidem & C extrinsecus accidere uidemus popliti,cubito,& digitis non raro,quum articulus contrahitur, ἀγκύλην græci dicunt,patetque in huiusmodi casibus articulum præ tumoris duritie contrahi, cum chorda musculos,qui eam partem tendunt, minime sequatur, sicuti cum ob durum tumorem flectentes non sequitur,commissura,quæ sic affecta est,tenditur,quod malum græci nominant ὀρθόκωλον Potest igitur ob talem quendam durum tumorem spina deprauari: potest & propter consortium sub crudo,duroq; tuberculo idem uitium experiri.Sed quo pacto eiusmodi affectibus spinæ peruersio superueniat, supra posuimus,ubi de ipsa proprie tractauimus.

97 *Minus tamen toto corpore increscunt capite excepto.*

Quibus coxæ articulus in exteriorem partem prolabitur, melius ingrediuntur,quàm quibus in interiorem,ubi inflammationis periculum effugerint,& præcipuarum partium, cui opportuniores sunt quàm illi.articulus enim,cum in interiorem partem luxatur, super os fertur,quod non premitur. cum durum sit,neque huic malo patet: at exterior femoris regio,cum maximis musculis comprehendatur, ingenti dolore torquetur.premuntur enim articulo in eam prolapso,teruntur que, & extenduntur tumore præter naturam,nempe femoris capite,& sentiunt omne id,quo uexantur, ac propterea dolent. D Ergo propter musculos,qui articulum admittentes teruntur,premunturque,atque idcirco inflammantur,& ceteræ partes adiunctæ,& quæ circa spinam sunt,afficiuntur,quæ siquando afficiantur, & æger adhuc increscat,non secus ac femur incremento prohibentur, & minores fiunt, atque omnino deteriores.Illius autem meminisse oportet,quod iam sepius dictum est,& eorum testimonium est,quæ paulo ante proposita sunt. ubi, qui adhuc augentur, sic læduntur, partes minus increscunt: quibus uero ætate firma id accidit,minus aluntur,& molliores euadunt, spina minus aucta, sequitur, ut reliquum corpus huiusmodi hominibus minus reddatur.infra enim crura afficiuntur,supra crura usque ad caput spina sita est.Itaque, ubi hæc minor fit,minus item crus totum, merito dicit his hominibus uniuersum corpus minus increscere excepto capite.

De femoris capite in posteriorem partem luxato.

98 *At ubi in posteriorem partem femoris caput prolabitur,prolabitur autem raro,extendi non potest crus,neque ad articulum luxatum,neque admodum ad poplitem:sed ex omnibus partibus,in quas hic articulus excidit, ubi in posteriorem excidat,commissura,qua ad inguen,& qua ad poplitem,minime extenditur.*

Femoris caput ob causam,quam supra declarauimus,in propositam nunc partem raro excidit,quo- E
niam scilicet caui altitudo inæqualis est.quocirca qua minor est,magis procidit, atque ea de causa ma
gis in interiorem partem:qua maior,raro,& ob id in posteriorem raro procidit, in quam ubi mouetur,
crus ad inguen nullo modo extenditur,ad genu non ex toto.utriusque causa est musculorũ situs, quo-
rum naturam perfecte indicauimus in opere de musculis incidendis,& in secũdo libro de ratione cor-
porum incidendorum.ut autem in memoria habeatis,quæ sæpius intuiti estis incisa simia. (hoc enim
animal structuram habet maxima ex parte homini similem)primum meminisse debetis musculi, qui a
lumbis ortus ad paruum femoris tuberculum pertinet,deinde alterius,qui ab osse, quod pubi subest
ad idem tuberculum intendens,cum superiori coniungitur.hi ergo uehementer extenduntur,quum fe
moris caput in posteriorem partem elabitur,ibi implicari,& circa coxæ cauum in orbem uolui.atque
ubi is,quem hoc uitium exercet,extendere articulum tentet,oportebit uniuersum femur in posterio-
rem partem circumuolui.in quo casu propositi duo musculi potissimum læduntur,ut qui plurimum tra
hantur,extendanturque. nam, quum longiores, quàm ante facti sint,ulterius extendi citra dolorem
nequeunt, cumque longiores fieri non possint,commissuram extendi nõ patiuntur. Hac igitur de cau
sa,qui sic affecti sunt,extendere crus ad inguen non possunt,neque etiam ad genu. propterea quod fe-
moris caput suo cauo prolapsum continetur in posteriori parte illius ossis,a quo recipi solet.quòd si fu F
turum esset,ut femoris caput extentum ad genu,inguine penitus curuato multum attolleretur,necesse
esset,ut femoris caput a coxa plurimum in posteriorem partẽ excederet.quod fieri non potest, nisi con
uellatur musculus,quo exceptus est,quum ex naturali sede procidit.In cõmissura ergo, quæ ad inguen
est,neutrum fieri potest ex ijs,quæ fiebant,priusquam articulus procidisset, nam neque perfecte exten-
di,neque perfecte curuari potest.Quid ergo Hippocrates alterum duntaxat adscripsit? An quia, post-
quam luxatus articulus est,crus curuatum protinus apparet,utpote,quum imum femur ad genu eate-
nus in priorem partem excedat,quatenus summum in posteriorem,& quatenus ad inguen crus curua-
tur.quo fit,ut posteriores musculi,qui ad poplitem sunt,superioribus capitibus extendantur,quum fe-
mur sic retro prolapsus est.his autem superne extentis, extenditur una reliquum eorum corpus usque
ad chordas,quæ perueniunt ad crus,quibus extentis poples curuatur. quocirca quibus sic articuli lu-
xantur,curuatæ merito utræque commissuræ conspiciuntur.igitur quia extendere ipsas nequeunt,præ-
cipue eam,quæ ad inguen est,idcirco non dixit solummodo has commissuras non posse extendi,sed in
ea,quæ ad coxam est,id simpliciter protulit, in ea,quæ ad genu adiecit κάρτα,hoc est admodum,utpote
quæ extendi possit,non admodum tamen.nam,si id posset, nihil a naturali statu recederet. superuenit
autem hæc noxa ob eandem causam,ob quam ab articulo luxato protinus poples curuatur.Illud enim G
scire licet commune omnium deprauationum,quòd,ubi partes aliquæ extendantur, quæ cum his con-
tinuantur,sequentes ad ipsas conuertuntur.nulla enim ex ijs,quæ sic suo uitio conuersæ sunt, natura-
lem sedem relinquit,sed ab ea,cum qua continuatur, attrahitur. hæc autem attrahit communi una ra-
tione quòd tendatur,sed tenditur,non una de causa,siquidem intendi solet,ubi ultra debitum humore
impleatur,siccescat,inflammatione,uel duro tumore teneatur,uel locum mutet.quare cuncta hæc Hip
pocrates in sequentibus latius adscripsit,cuius nos sermonem sequuti uerba omnia enodabimus.

*Illud etiam ignorare non oportet,utilissimum enim,et maximi momenti est,ac plerosque latet,quòd nec qui bene ualent,* 99
*extendere poplitis commissuram possunt, nisi simul extendant eam,quæ ad inguen,præterquam, ubi pedem admodum at-*
*tollunt,sic enim possent.hi ergo poplitis articulum curuare non similiter possunt, sed multo ægrius,nisi inguinis quoque ar*
*ticulum curuent.*

Coniunctionem,quam posuit in partibus,quæ moueri aliquo modo prohibentur,non suo uitio,sed
earum,cum quibus consortium habent,nunc docere incipit in musculis,qui naturaliter habent,quo-
rum nullus initium sumit a femore,quanquam multi sunt.nonnulli enim ab osse,quod ad ilia pertinet
oriuntur: nonnulli a coxa:unus tantum ab osse,quod pubi subest.hac igitur de causa commissuras mo H
ueri simul necesse est, sicut nunc in pede & poplite ostensum est,in quibus apparet etiam consortium,
quod cum inguine habent. nam(sicut demonstratum est)quemadmodum musculi,qui posteriorem ip
sorum partem mouent(ut dixi)in imo femore ad radices tuberculorum incipiunt,ita, qui per priorem
cruris partem feruntur,ex eodem imo femore dependent.quare necesse est intendi posteriores quidẽ,
quum poples extenditur,priores,quum curuatur,ubi ergo tendantur magis, quàm eorum naturæ con
ueniat,oppositi renituntur,& minime sequuntur.uoco autem oppositos eos,qui extendunt ijs, qui cur
uant,id est priores posterioribus. Duobus autem musculis gratia exẽpli cõtentus ero ad huius loci ex
planationem,quum qui in corporibus incidendis omnes cruris musculos intuiti sunt,ex his possint de
reliquis facere coniecturam:alijs uero,qui nullo modo intuiti sunt,neq; sermo de duobus clarus erit.
hi ergo orsi ab eo osse,quod ad ilia pertinet,procedunt, primo quidem per femoris cõmissuram, quæ
ad inguen est,dein,ubi per femur totum ad alteram eius commissuram, quæ ad genu est, intenderunt,
alter,qui angustior est,fertur iuxta interius femoris tuberculum, quod humilius est, tum spectans in
priorem tibiæ partem,cruri ex interiori parte innectitur:alter, qui magnus est latescit degenerans in
ualentissimam chordam,quæ miscetur cum altera chorda dependente a maximo ex musculis prioris
partis,qui a clune inchoatur.patellæ autem primum superinijcitur, dein fertur ad crus. Itaque si crus
ad

A ad inguen flectatur,ea parte musculi breuiores reddentur: si extendatur, longiores. commissura uero genu ac poplitis,ubi extendatur,qui super patellã fertur,breuior fit:qui ab interiori parte,lõgior. quare cogetur maxime extendi,qui a priori parte est,si extendentes commissuram,quæ ad inguen est,conemur poplitem curuare:qui a posteriori,si poplite extẽto inguen curuetur. ex sublimiori enim loco per priorem partem femoris descendens flectitur,inde conuertitur obliquus,& ad priorem tibiæ partem porrigitur. merito igitur ipse longior euadens primas partes cruris ac femoris longiores reddit, ubi excitantur.ostendimus enim in libris de motu musculorum summam contractionem, summamque extentionem doloti esse, & musculos quidem contrahi,dum agunt,extendi uero,dum ab oppositis attrahuntur.siquando autem, quum musculi in seipsos contracti agunt,oppositi non dolẽt, simul extenduntur,naturaliter quidem in commissuris, quæ propositum consortium habeant,præter naturam uero in illis,quæ deinceps adscribentur.complures autem medici decipiuntur, putantque eos musculos affectos esse, quorum prohiberi actionem uiderint,quod magis adhuc perspicuum est in sequentibus.

100 *Multa quoque alia in corpore inueniuntur,quæ similiter germana sunt: de neruorum item extensione & musculorum habitu multa etiam sunt,& magis scitu digna,quàm quis existimet:præterea de intestinis ac uentre uniuerso, de utero, qui huc atque illuc fertur,contrahiturque.Sed alibi de his uerba faciemus germana his,quæ nunc traduntur.quod ad hunc locũ*
B *attinet,& extendi crus non potest(sicut iam dictum est)& breuius apparet duplici de causa,tum quod non extendatur,tum quòd articulus in carnem clunis eruperit.*

Antea quoque diximus consuesse Hippocratem eas partes nominare germanas, quæ inter se consortium & cognationem habent,quarum id caput est,quod una parte uitiata alterius actio, situs, habitus,uel magnitudo læditur.communis horum omnium causa est in contrariam regionem extensio. In situ exempli causa(ut ab euidentissimis ordiamur)multos uidimus,qui mederi aggrediuntur,quod nõ rite didicerunt,& protinus,ubi aliqua pars contraheretur,& breuior fieret, pristinumq; situm penitus non seruaret,ad eam ipsam remedia adhiberent,quamuis nullo uexaretur affectu,qui curatione indiget.itaque, ubi musculi ab altera maxillæ parte resoluantur,fit,ut altera breuior appareat,& quasi contracta,sed,quæ læsa est,eam sequuta,extendi uideatur.nam, cum musculi omnes unam propriam habeant actionem,qua scilicet ad sua initia contrahuntur,quando illi,qui a sinistra parte maxillæ siti sunt, agendi potestate priuantur,qui a dextra sunt robusti,ac naturaliter habentes agunt,dextram maxillam uniuersam,& labra ad se contrahentes,atque ita conspicitur sinistrum labrum extẽtum, & longius redditum: dextrum breuius, & contractum.ergo in hoc casu breuius fit,quod integrum est, attrahens ad seipsum maxillæ partem,quæ resoluta est.Alibi uero ab eo,quod affectum est, attrahitur,conuelliturq;
C id,quod sanum,sicut ubi musculus uel corda,cum induruit,neque simul cum oppositis,dum agunt, extendi.Multa quoque similia euenire constat,in digitis manus,cubito,poplite, cum contrahuntur propter uitia musculorum & chordarum interiorum,sed,ubi extenduntur græci ὀρθοκώλους dicunt, ita enim appellare medici solent articulos,qui extenti sunt,& curuari non possunt.Huiusmodi quid accidit cicatricibus magnis ac duris,quæ,quum ab interiori parte sunt,articulum contrahunt,cum ab exteriori(ut dixi)sic extendunt,ut curuari non possit,quod ob siccitatem,& ob ingentem humorum uel spiritus inflantis concursum euenire etiam solet.nam quum partes,quæ sic affectæ sunt,in seipsas contrahuntur, sequitur ut oppositi musculi agere nequeant,quum, qui contrahuntur, partes in contrarium auellant. sic neruorum distentiones fiunt,quum ipsi musculi primo ac præcipue seipsos, deinde partes, ad quas perueniunt,ad suum initium contrahunt. Sic & uterus interdum sursum fertur, nonnunquam in latus conuertitur.non quod ipse sua actione naturalem sedem relinquat,sed quòd ab alio trahatur. multa uero sunt,quæ attrahunt,nam & ea,quibus appenditur,& nerui,& arteriæ, & uenæ, quæ cum eo iunguntur,efficere id possunt.ubi in tumorem assurgentes eatenus breuiores fiunt, quatenus in latitudinem augentur.namque hoc commune est corporum omnium,quæ extenduntur,contrahunturque non modo animalium,sed eorum, quæ inanima sunt, cuiusmodi sunt utres, sacculi, calathi. Vterus igitur hac
D de causa sursum,ac deorsum fertur:& quædam intestina,musculique complures,ac propterea membra & maxilla.simile quid supra ostensum est in spina,ubi gibba,caua,uel obliqua redditur.

101 *Est enim hæc natura ossis coxæ,ubi & caput,& ceruix femoris recipitur,quòd, quum hoc luxatũ in exteriorem partem natium decliue fertur,curuare quidem homo crus potest,si dolore non prohibeatur.*

Tenuis est natura ossis coxæ,in quo cauum continetur.patet autem, quum femoris caput in posteriorem partem prorumpit,ab ea parte,quæ post cauum est,sustineri,ut inter cauum & femoris caput id os sit, quod a posteriori parte cauum complectitur. hoc quidem est pars coxæ, cuius nunc meminit, quum ait,in exteriorem partem natium decliue fertur.Manifestum est autem iis, qui uiderint eiusmodi locorum sectionem,femoris caput ui cum tota ceruice expelli in magnum musculum natium, qui commissuram hanc extendit,a quo musculo chorda oritur,quæ a membrana non abhorret, coniungiturque cum ea chorda,quam paulo supra diximus,quæ ex duobus musculis orsa a priori parte femoris ultra patellam tendens cum tibiæ capite cõnectitur.Ergo hic musculus prolapsum femoris caput admittens omnium maxime torquetur,quum sub ipso prematur,distendaturque.quare necesse est inflammatione ipsum prehendi,sursumque ad se trahere chordam,quã paulo ante cõmemorauimus a membrana non abhorrentem.quod quum accidit, consequens est, ut homo doleat, ubi poplitem flectit, quatenus enim hic flectitur,hactenus chorda extenditur,atteriturque a patella.hæc autem extenta musculum

sculum extendit.a quo dependet,nempe magnum illum,quo(ut retuli) recipitur femoris caput. pro- B
cedente tempore,quum musculus hic ab inflammatione soluitur, contrahitque humorem quendam glutinosum,pars eius,quæ articulum contingit,occallescit,& poples citra dolorem extenditur.ad quã rem faciunt & alia,quæ prius posita sunt de cruris musculis.

*Tum crus & pes modice recta se ostendunt, neque multum in hanc uel illam partem inclinata.* 102

Hippocrates modice ἐπιεικέως dixit.quo uerbo significari, neque perfecte, aut omnino uehementer, neque ex toto,sed mediocriter,ex ipsius uerbis colligitur.ipse enim subiungens,neq; multum in hanc, uel illam partem inclinata,aperte demonstrat,quum adscripserit,multum; id cruri accidere, ut nõ multum,sed,ut parum peruertatur,deprauetur que,atque ob eam rem dixit,tum crus & pes modice recta se ostendunt,quasi dixerit has partes apparere mediocriter rectas.

*Praterea in inguine caro mollior sentitur,presertim si tangatur,utpote quum articulus in alteram partem exciderit: sed in natibus,si tangatur femoris caput,uidetur magis prominere. his ergo notis indicatur femoris caput in posteriorem partem procidisse.Cui autem ætate iam robusta prolapsum,restitutum non fuerit,ambulare quidem potest, quum tempus processit,& dolor cessauit,atque articulus uolui in carne consueuit,cogitur tamen, dum ambulat uehementer ad inguina* F *curuari, idque duplici de causa,quia ob ea,quę proposita sunt,crus multo breuius redditur, & multum calx abest, ut terram contingat.nam si uel paulum tentet eo pede sustineri,nulli alteri rei innixus,cadet utique in partem posteriorem.coxę enim,quum magis in posteriorem partem,quàm pedum basis excedant,in eam plurimum inclinabunt, & spina item in coxas,uix qua ima planta consistet,neque hoc accidet,nisi ad inguina se curuet,& alterius cruris poplitem flectat.quandoquidem necesse est,ut manu,qua a parte affecti cruris est,in quolibet passu super femore hæreat. quæ res cogit ipsum flecti aliquid ad inguina.nam quum in ingressu crura permutentur,nequit corpus affecto crure sustineri, nisi id crus manu deorsum ad terram compellatur.quoniam articulus corpori non subijcitur,sed in posteriorem partem ad coxam prominet:ambulare tamen offensus siue baculo potest,si alioquin assueuerit,propter ea,quòd basis pedis e regione pristina spectat, neque in exteriorem partem conuertitur.idcirco igitur nihil egent baculo,quod renitatur,quicunque uelint femur non amplius comprehendere,sed in uicem baculo inniti,quod alæ ab affecto latere subijciatur. quod si longius baculum admoueant, magis erecti ambulant,pes tamen terræ non innititur,si inniti uelint,breuius admoueant.coguntur autem ad inguina curuari.Emacrescit etiam ijs caro pro ratione,quemadmodum antea diximus,nam quibus suspenditur crus,minimeque laborat, maxime extenuatur : sed, quum in ingressu usui admodum est,minime gracile fit.integrum tamen crus non iuuatur, sed potius deformius redditur,si uitiato utantur terra innixi.nam dum sanum uitiato subseruit,coxam & poplitem curuari necesse est.quòd si uitiatum crus terram non contingat,sed suspensum sit,& homo baculo innitatur, hoc pacto integrum robustius* G *reddetur,quum naturaliter habeat,& exercitatione magis firmetur. At dicet quis hæc præter medicinam esse. nam, quid ultra scire nobis conuenit de ijs, quæ curationem non admittunt? conuenit tamen summopere. intelligenda enim hæc sunt ab eodem professore,quum tanquam aliena seiungi nequeant.siquidem tractare debemus,quæ curationem recipiunt,ne insanabilia euadant,intelligentes qua potissimum ratione occurramus, quo minus insanabilia efficiantur : illa uero in quibus medicinæ locus non est,dignoscenda sunt,ne maxime noxia reddantur.Præclara autem, & ardua prædictio in eo consistit, ut intelligamus,quo,qualiter,et quando singula terminentur,ac siue in ea mala uertantur,in quibus remedio futurus locus sit,siue euadere in insanabilia debeant.Ceterum quibus uel a primo natali die,uel alioquin,dum increscunt, articulus similiter in posteriorem partem excidit,neque reconditus fuit,seu ui,seu morbo exciderit(multis propter morbos sic articuli luxantur)cuiusmodi uero sint hi morbi,posthac indicabimus.Si prolapsus(inquam)reuersus non est,femoris os breue efficitur, uitiatur item crus uniuersum,minusque increscit,& gracilius redditur,quum nulli usui sit.*

Præsertim τοτὶ dixit, quam uocem in superioribus etiam retuli ab Hippocrate usurpari,ubi intendere uelit,quod proponitur.est autem eius oratio talis.In inguine caro mollior sentitur, si aspiciatur, & multo magis si locus tangatur.Quæ sequuntur omnia patent ijs, qui in memoria habeant, quæ ante posita sunt.

*Vitiatur enim his & articulus,qui ad poplitem est,quoniam nerui ob propositas causas intenduntur.quare, quibus sic* H 104 *coxa exciderit,extendere poplitem non possunt.nam(ut summatim dicam)quæcunque in corpore ad aliquem usum fabricata sunt,si quis moderate utatur,exerceatque in eo laboris genere,cui singula assueuerint,eo pacto bene ualent,augentur,& ad longam senectutem perducuntur:si in usu non sint,sed ociosa degant,morbis patent,non augentur, & mature senescunt, id præcipue accidit neruis,atque articulis,nisi quis illis utatur.his igitur de causis uitiantur magis, quum hoc modo articulus luxatur,quàm cum alijs.totum enim crus incremento prohibetur,& quod ad carnem,& quod ad ossa pertinet.Huiusmodi ergo homines,quum ætate iam robusta sunt,suspensum,curuatumque crus tenent, sed altero feruntur baculo innixi uno,uel etiam altero.*

Euidentissimum est Hippocratem dixisse coxam excidere,pro coxæ articulo.sæpe enim narrauimus maiores nostros nondum tenuisse exquisitam tenuemque nominum rationem,in qua posteriores exercentur,sed sat existimasse in ijs,quæ explicabant,eo tantum incumbere, ut quæ dicerent, ab auditore intelligerentur.Quod inquit igitur huiusmodi est.quibus femur in posteriorem partem prorupit, uitiatur non solum articulus luxatus,sed & qui ad poplitem est.propterea,& coniunctionem adiunxit, neque simpliciter dixit,uitiatur articulus,qui ad poplitem est,quo autem uitio occupetur,ipse aperte exposuit,cum ait,nerui intenduntur : sed neru os ne intellexerit eos,qui proprie nerui sunt, quique a spi-

næ

A næ medulla oriuntur, uel in quas musculi degenerant chordas, quæ ad crus pertinent, in hoc loco nihil interest, cum utraque fidem facere possint, recte a nobis exposita fuisse, quæ ab Hippocrate dicta sunt, ubi asserit nõ posse poplitẽ extendi, qbus hoc modo femur promouet. Quãdam præterea cõmunẽ rõnem adiecit, nẽpe partes aliquas uarie lædi, quod ad habitũ pertinet, magnitudinẽ, positionẽ, ac motum, quãuis ipsæ nullo proprio morbo lædant, sed a quibusdã alijs afficiant, quibus cũ consortiũ habẽt. Intentionem uero in huiusmodi affectibus præcipue causatur, quam persequutus tribus modis indicat, uno, quum musculus aliquis resoluitur, tunc enim, qui integer est, contrahi uidetur: altero, quũ oppositus tenditur: tertio, ubi quod integrum est, trahitur ab aliquo eorum, cum quibus coniungitur, sicut accidit, quum uterus mouetur. Nunc ergo, quum posteriores nerui, musculi, & chordæ tendantur, curuatus poples extendentibus musculis non paret. Ceterum de chordarum, musculorumque extensione antea dictum est. nunc de neruis, qui a medulla spinæ orti ad crura intendunt. quórum initia tria sunt: unum a priori parte iuxta magnum foramen ossis, quod pubi subiectum est: alterum ad inguina: ubi neruus fertur, & cum magna uena, & absque ipsa a priori parte femoris, atque hæc parua sunt: maximum autem neruorum initium a posteriori parte fertur ad uniuersum crus, primumque procedit ab ea regione, quæ est inter os latũ, & id quod ad anum terminatur, qui cuculus
B appellatur. hoc igitur initium, ubi articulus in posteriorem partem elabatur, premitur, tenditurque. atque idcirco diximus Hippocratem hoc loco posse intelligere eos tendi, qui proprie nerui uocãtur.

## De femoris capite in priorem partem luxato.

105 *At quum femoris caput in priorem partem erumpit (quod quidem raro accidit) perfecte extendi crus potest, sed ad inguen minime curuari. laborat enim homo, etiam si flectere poplitem cogatur, ad calcem vero, & in vniuersum crus æque longum conspicitur.*

Propter cauum, quod non æque undique altum est articulum in aliam partem raro, in aliam frequenter luxari, antea sæpenumero demonstrauit. nunc autem de femore differens in priorem elapso, contrario modo affici ait eos, quibus in hanc luxatur, atque eos, quibus in posteriorem. illi enim extendere crus non poterant, hi, cum in ipso flexu nunc sit femoris caput ac ceruix, curuare ad inguen non possunt, nec ad poplitem propter musculum priorem, qui oritur ab osse, quod ad ilia pertinet. ille enim comprimitur, tensusque attollitur a femoris capite, cumque extendi amplius non possit, renititur, si quis flectere poplitem conetur, apparet autem cruris longitudo consimilis. In superioribus
C autem de femore luxato in partem interiorem sic ad uerbum scripsit: os enim, quod a coxa sursum procedit ad pectinem, femoris capiti inhæret, ceruixque articuli cauo sustinetur, a quo prius non sustinebatur ex toto, sed magna ex parte in eius caui altioribus partibus insidebat: in casu autem, quem nunc ponit, in inguine prominet, atque is locus intentus apparet, cum femur nunc a suo cauo recedens in priorem partem & paulo inferius uenerit. quo fit, ut uitiarum crus sani longitudinem æquet. id, quod præsertim ipsis accidit ad calcem, extremum enim crus minus demitti in terram potest. cuius rei causa in superioribus explicata nunc rursus summatim etiam enarrabitur.

106 *Sed pes extremus spectare minus potest in partem anteriorem, crus vero totum rectam positionem naturaliter seruat, nec in hanc aut illam partem inclinatur.*

Potest, dixit ἐθέλει, ubi uerbum ἐθέλει, id est, uelle, pro, posse, usurpauit, quemadmodum etiam Homerus, cum ait, Nec profluere ipse uolebat. ubi ponit, nec uolebat, pro, non poterat. Extremum pedem appellauit eam partem pedis, quæ a planta ad digitos est, & ungues. accidit enim (quemadmodum supra ostensum est) ut extento poplite non bene articulus tali in priorem partem inclinetur. Hæc itaque nunc exponere uolens ait, sed pes extremus minus spectare uult in partem an-
D teriorem: indicans digitos, quibus continetur extremus pes, non facile extendi posse, aut deorsum conuerti, & terram contingere.

107 *Fere autem his dolor protinus accedit, & vrina supprimitur, magisque quàm si articulus in aliam partem luxetur.*

Quamobrem hæc sequantur, ipse causam adiungit.

108 *Venit enim femoris caput maxime prope neruos magnam vim habentes, & in inguine prominet, atque is locus extentus apparet, in clunibus rugæ conspiciuntur, & summa gracilitas. Quas quidem diximus, notæ sunt femoris in priorem partem prolapsi.*

Neruos appellauit τόνους, eos intelligens, qui cum uena & arteria per inguen feruntur, magnam uim habentes, uocauit ἐπικαιροτάτους, sicut in superioribus etiam didicimus. habent autem hi magnam uim, quum medullæ spinæ proximi sint, atque inde oriantur, unde initium sumunt nerui, qui ad uesicam feruntur. quo fit, ut femoris capite in hanc partem luxato, uesica quoque afficiatur, inflãmeturque, & reddere urinam nequeat. fortasse etiam aliquando ob inflammationis magnitudinem, qua uesicæ ceruix affligitur, ubi musculus est, qui eam adstringit, urina supprimitur. eo quòd inflammatis partibus excæcatum iter claudatur.

109 *Quibus vero ætate iam robusta articulus in hanc partẽ elapsus, minime restituitur, hi quum dolor finitur, & articulus assuescit in eo loco conuerti, in quem procidit, recti protinus ingredi possunt sine baculo, ac recti ex toto. quũ vitiatũ crus*

*neque ad inguen, neque ad poplitem facile complicetur. Ergo, quum ad inguen non flectatur, crure in ingressu magis recto utuntur, quàm quum integrum erat.* E

Quo tempore articulus excidit, dolorem dixit protinus accedere, & urinam supprimi: procedente uero tempore, ubi hæc cessant, ingredi hominem posse. at qua de causa hæc finiantur, quanquam femoris caput maneat, comprimatque, & similiter neruos extendat, docuit, qunm orationi adiecit, & articulus assuescit in eo loco conuerti, in quem procidit. Videtur enim in ea re consuetudinē causari. quoniam, quæ ab aliquo premuntur, quum tempore occallescant, id facilius ferunt, & ea, quæ tunc tendebantur, quum huic molestiæ assueuerint, dolere cessant. Cur uero sine baculo recti ingrediantur, ipse subiecit. caput autem orationis id est, quod crus erectum seruatur, & neutra commissura, nec quæ ad inguen, nec quæ ad poplitem est, flectitur.

*Nonnunquam etiam pedem per terram trahunt, ut, qui superiores commissuras non facile flectant, quanquam pede toto inambulant. namque hi minus calci, quàm priori parti pedis in ingressu nituntur.* 110

Superiores commissuras nominat, eam, quæ ad inguen est, & eam, quæ ad poplitem. quatuor autem commissuræ ingressui accommodantur, quæ ad inguen est, quæ ad poplitem, quæ ad talum, & quæ ad digitos, postremam quãuis multiplex sit, ut unam tantum annumero, quum usum atque actionem communem præstet. hæc non admodum confert, dum per æquale solum ingredimur: ea uero, quæ ad talū, F ad progrediendum, atque ad crura transferenda nihil proficit, maxime tamen efficit, ut pes humi hæreat, ad quam rem parum faciunt digitorum commissuræ. Vniuersa autem cruris actio, dū ingredimur, & multo magis dum currimus, a cōmissura, quæ ad inguen est, & ab ea, quæ ad poplitem proficiscitur. his enim curuatis crus a terra attollitur ac facile trāsfertur. At nūc, quum neutra flectatur, iure per terram trahi pedem, ait. adiecit, nonnunquam, propter soli differentiam, & uim noxæ. illi enim, qui per æqualia & decliuia loca ingrediuntur, si uel parum quid crus ad superiores commissuras inflectant, pedem haud trahunt: sed, qui per inæqualia ambulant, & accliuia, minimeque eas curuant, tantum ab eo absunt, ut pedem non trahant, ut etiam offendant in ea, quæ in solo eminent. quique pede toto inambulent: inambulant pede toto, qui calce, planta & extremis digitis terram contingunt. illi enim, quibus in posteriorem partē femoris caput elabitur, de quibus ante hos tractauit, cum breuius crus redderetur, nō utebantur calce in ingressu, sed terram contingebant ima planta, duntaxat, quæ (ut diximus) ab ijs, qui in corporibus incidendis uersantur, πέδιον dicitur. Verum quibus in priorem partem coxæ articulus promouetur, calce primum in terra considente, quum ea parte pedis, quæ ad digitos est, ingredi nequeant, qua postea utuntur, quum iam affecto cruri insistentes transferre alterum incipiunt.

*Verum, si ualde progredi possent, calce admodum ingrederentur. nam & qui bene ualent, quanto maxime procedunt, tanto maxime calce ingrediuntur, quum uni pedi insistunt, & alterum attollunt.* G 111

Eos, qui ualde procedunt, calce terram contingere supra ostendimus, quod euidentissime apparet: non minus etiam in aperto est, non posse omnino ualde procedere, qui superiores commissuras curuare ob quamuis causam nequeunt. id autem ipsis accidit, propterea quòd molestiam non ferant, quà, dū transferunt extremum crus, uexantur. nihil enim aliud prohibet, ne maxime procedant. quod si sano cruri insistentes id facere uellent, possent quidem, sed non sine labore. quamobrem satius fortasse fuit hanc orationem, ita explicare. Quibus coxæ articulus in priorem partem erupit, his nihilominus quàm ima planta & digitis, ad ambulandum uti calce licet: ac si sustineant longius affecto crure procedere, & calce omnino ingredientur, uerum non sustinent, quoniam, ubi extentum crus cum difficultate transferunt, dolore torquentur.

*Praeterea, quibus sic procidit, magis adhuc calci inhærent, quàm priori parti pedis.* 112

Inhærere dixit ἐγχρίπτειν quod uocabulum mutuari solet ad ea significanda, quorum alteri alterum inhæret, iuxta quam significationem eo utitur, quum in fracturis componendis imperat, ut fracta ossa H prius intenta inter se diducantur. sic enim ait facilius componi, quam si ἐγχρίπτοντα, id est, quum alterum alteri inhæret, propellantur. Quod igitur paulo ante proposuerat, clare in hac oratione demonstrauit. namque hi nihilominus calce ingrediuntur, quàm priori parte pedis. quod clarius adhuc & melius dixisset hoc modo: non enim minus hi calce ingrediuntur, quàm priori parte pedis, sed magis etiam: non tamen adiecit in superiori oratione, sed magis etiam.

*Pedis enim anterior pars, quum reliquum crus extentum est, non æque potest in priorem partem curuari, atque ubi flexum est: neque item simus pes redditur, ubi crus inflexum est, sicut ubi extentum. crus igitur natura, quum bene ualet, sic se habet, ut diximus. ubi uero articulus luxatus restitutus non fuerit, homo ob propositas causas inambulat, sicut ostensum est, crus tamen altero gracilius redditur, & a clune, & a carnosa parte, quæ in posteriori parte crure prominet, & e regione posterioris partis. quibus itaque tenera ætate articulus elapsus minime restituitur, uel a primo natali die id mali incidit, femoris os magis minuitur, quàm tibia, aut pedis.* 113

Pars pedis, quæ ad plantam & digitos est (quam priorem appellat) extento poplite contingere terram non potest. uocauit autem huiusmodi pedis habitum καμπύλον, id est curuum. nam commissura, quæ ad talum est, neque extēta dici solet, neque flexa, sicut ea, quę ad poplitē, & ea, quæ ad inguen. Ergo, ubi

priores

A priores musculi eam partem pedis, quæ inter talos & plantam est, attollũt, dici solet aliquo modo pes σιμοῦσθαι, id est, simus fieri: ubi uero posteriores calcem ad se trahunt, una cum ea parte, quæ inter talos & digitorum radices est, nullum est nomen usitatum, quo istiusmodi habitus nominetur. quare Hippocra. (ut ostendimus) eũ appellauit κυλλοῦσθαι, uocẽ inueniens rei, quã exprimit, accommodatã. neq; n. põt pes simus fieri, attolliq; a prioribus musculis, quod nõ aliud est, q̃ simũ fieri, quũ crus inflexũ est, sicut quando erat extentum: quemadmodum nec curuus fieri, nisi crus flectatur, põt aũt utroq; modo figurari, sub utroq; cruris proposito habitu, sed paulũ, & uiolenter, multũ & sine ui, non põt. Ergo cum musculi (ut diximus) orti a posteriori parte cruris, quæ carnosa prominet, non ab anteriori calcem & uniuersum pedẽ trahunt ad partem posteriorẽ, eiusmodi habitũ pedis, græce nõnulli flexionẽ, nonnulli extẽsionem nuncupant, quemadmodum ubi pes in contrariam partem a prioribus musculis mouetur, alij extensionem alij flexionem nominãt, in quo casu (ut retuli) dici solet pes simus fieri: in contrario nullum est nomen de quo inter omnes conueniat, sed nihilo deterius habet rerum peritia propter uocabulorum dissensionem. Equidem absque uocabulis, de quibus non conueniat inter omnes, oratione utrumque mihi clare uideor explanasse.

114 B *Minimum autem femur minuitur, quum in hanc partem promouetur: minuitur tamen caro ubique, a posteriori parte præsertim, sicut in superioribus quoq; dictum est. Ergo quicunq; recte educati fuerint, uti crure possunt, cũ increscunt, quanquã aliquanto breuius altero est, baculo tamen fulciuntur a parte cruris uitiati. nequeunt enim absque calce ima planta consistere, quod quibusdam alia de causa claudicantibus licet, quamobrem nequeant, paulo supra declarauimus. idcirco igitur baculo egent. Iis vero, qui negligenter habiti fuerint, neque crure terram contingant, sed id suspensum habeant, ossa magis minuuntur, quàm alijs, qui crure utuntur: circa articulos autem crus, quod ad rectum habitum pertinet, magis deprauatur, quàm quibus articulus alio modo luxatur.*

Quidam ex ijs, qui huiusmodi dictiones exponunt, tantam uidentur earum habere peritiam, ut minimum, arbitrentur, nullo modo, significare: non minimum maxime. hi ergo Hippocratem dixisse existimarent his, qui sic affecti sunt, femur nullo modo minui. At minui ipsum constat, non æque tamen, atque ubi in alias partes prolabitur. causæ enim, ob quas minuitur, leuiores sunt in hoc casu, quàm in illis. Duas autem causas reddidimus, instrumentorum deprauationem, & actionum noxam, ob quam parum crure utuntur. sed, quum in hanc partem femoris caput erumpit, præterquam quod instrumenta non admodum deprauantur, actio ipsa cruris non multum læditur.

# GALENI IN HIPPOCRATEM DE ARTICVLIS COMMENTARIVS QVARTVS.

*Vido Vidio Florentino interprete.*

## ARGVMENTVM LIBRI.

Agit de differentijs, ac curatione luxationum, quæ in cruribus, & manibus, atque eorum partibus contingunt: tum ratio excidendorum ossium adiungitur, & quomodo machinamentum illud, quod scamnum Hippocratis dicitur, construatur, nobis exponitur.

1 D *VT summatim igitur dicamus articuli, qui excidunt, & elabuntur, non eodem modo semper excidunt, & elabuntur. modo enim multo plus, modo multo minus. ubi quidem multo plus, & elabuntur, & excidunt, in uniuersum maiori negocio restituuntur, ac nisi reuertantur, ossa, caro, atque habitus, & magis, & apertius deprauantur, uitianturque: At, quum minus excidunt & elabuntur, ossa, hac facilius conduntur, & ubi uel negligantur, uel reponi nequeant, minus debilitantur, & cum leuiori detrimento in hoc casu, quàm in eo, quem proxime posuimus. In reliquis ergo articulis multum interest, magis ne an minus sua sede excedãt: sed utrumque caput tam femoris, quàm humeri semper omnino æque prolabitur: quoniam absque ullo excessu simpliciter rotundum est, & cauo recipitur, quod in orbem est, & optime sibi aptatur. quocirca euenire non potest, ut in his articuli dimidium procidat. nam, cum rotundus sit, uel totus erumpet, uel intro reuertetur. Id ergo, quo de agitur, ex toto sua sede mouetur, alioquin non excideret, interdum tamen magis, interdum minus a naturali sede recedit, quod magis femori euenit, quàm humero.*

Non modo huius orationis, sed & omnium, quæ sequuntur, caput unum est, luxata non mediocriter inter se differre, quatenus magis, aut minus a naturali sede recedunt. nonnulla enim multum, nonnulla parum absunt, utrumque autem magis, aut minus patiuntur. In alijs quidem articulis res clara est, ut in cubito, manu, crure, pede, digitis: sed humeri & femoris caput indicat non posse paulum suo loco exce-

dere(quod uitium græci παρόλισθημα dicunt)quum rotundum fit,& in cauum inferatur,quod oras in orbem habet,in quibus consistere caput nequeat.necessario enim,uel protinus reconderetur,uel ex toto excideret.utrũque tamen caput ait interdum longe, interdum paululum a naturali sede recedere. ubi uero & plurimum & minimum datur,non paucas,quod ad plus & minus attinet, differẽtias intercedere manifestum est. E

2 *Quandoquidem nõnulla ex ijs,quæ a primo natali die sua sede mouentur,si parũ excesserint,restitui possunt,præsertimq; ad pedis articulos.*

Quod ait,primo natali die,nonnulli ad eos referunt,qui in utero sunt,alij ad eos,qui non multo ante nati sunt.horum sententiam comprobant,quæ sequuntur:sed illi proculdubio errant,qui accipiunt in ijs tantum,qui in utero sunt.satius enim est ad utrosque orationem referre.Præterea,quæ sequuntur cum alijs facere paulo post demonstrabimus,ubi eum locum aperiemus.

3 *Quibus a primo natali die crus uarum est.*

Crus uarum,id est,in exteriorem partem conuersum,supra etiam nuncupauit κυλλόν, ubi spectare intro pedem ait.dixit autem pedis articulos,quoniam plures numero sunt omnes iuxta tali commissurã siri,cum quo non unum os tantum committitur.sura enim ab exteriori parte,ab interiori tibia,utraque magno processu complectitur talum,cuius pars prior,quæ rotunda est,& quasi caput habet rotundum ceruici superimpositum,a cauo excipitur illius ossis,quod scaphæ similitudinem refert,qua parte commissuræ pes potissimum & sursum extenditur,quum simus efficitur, & in posteriorem partem ducitur: sed & ab inferiori parte talus cum calce committitur,quomodo in libro de ossibus explanauimus, in quo exerceri iussimus eum,qui debeat in his expositionibus uersari.Verum pes tunc potissimum uarus redditur,cum tibia in exteriorem partem creuit,sic,ut inferior suræ processus, quo talum ab exteriori parte complectitur,sine ulla fulctura suspendatur. F

4 *Plerique sanabiles sunt,nisi ita magnus excessus sit, aut pueris iam adultioribus res incidat. Commodissimum itaque his est celerrime subuenire,antequam & pedis ossium,& carnis in crure magna admodum defectio sequatur.*

Adultiores uocat eos,qui plurimum increuerunt,quorum ossa non æque tractari & componi possunt,atque infantium propter mollitiem.Hinc itaque colligitur Hippocratem de ijs agere,qui nati iam sunt:at loquatur ne de illis,qui in utero sunt,non similiter manifestum est,sed in superioribus sæpius retulit in utero matris articulos luxari. G

5 *Modus ergo eius uitij,sub quo pes uarus fit,non simplex est,sed multiplex.plerunque autem uarus redditur,non quod articulus ex toto luxatus fuerit,sed quòd pes consueuerit re aliqua exceptus figurari.*

Modum τρόπον dixit,quod uerbum plerũque mutuari solet,quum de unoquoque eorum loquimur, quæ inter se differunt singula:sed nunc agere potest,qua ratione pes uarus fiat,quod multis modis accidit.namque id,quod subijcitur,utramque sententiam comprobat,quum ait,plerunque autem uarus efficitur non quòd articulus ex toto luxatus fuerit,sed quòd pes consueuerit re aliqua exceptus figurari. nam,quum inquit non quòd articulus ex toto luxatus fuerit: unum quendam uitij modum expressit: quum uero dixit,sed quòd pes consueuerit re aliqua exceptus figurari:unde is fiat,ostendit. Neque.n. alienum est deprauari tenera,& ueluti cerea infantium ossa,praue a nutricibus figurata, cum in cunis collocantur,quodammodo contorta,uel pluribus uelamentis inuoluta,uel sic, ut a quibusdam etiam urgeantur,a quibus omnibus deprauationes fiunt.

6 *Hac autem in curatione animadu ertenda sunt.os cruris,quod ad talos extat,ab exteriori parte in interiorem propellendum,dirigendumque est:calx contra e regione eius in exteriorem repellendus,ut ossa,quæ excesserunt, inter se concurrant, & in medio,& a latere pedis:digitiq; omnes una cum pollice repẽte in interiorem partem inclinandi,atq; ita cogendi sunt.* H

Scribit ipse in libro de fracturis,crus binis ossibus cõtinetur,quorum alterum altero tenuius est, ab una parte multo,paulo ab altera.solent autem recentiores hoc os,quod ab exteriori parte sitũ est,græce nominare περόνην.iubet igitur,ut illud in interiorem partem cogatur,simulq; calx repellatur in exteriorem,idque præsertim ex calce,quod e regione est,cruris uidelicet,quod super ipsum naturaliter situm est.De hac autem restituendi ratione antea sæpius mentionem fecit,quæ omnium communis est, siquidem necesse est,quod naturali sede excessit,in pristinum locum propellere,ut ossa inter se concurrant.Quæ subijcit de ipsis dirigendis euidentissima sunt ijs,qui in memoria habeant,quæ superius diximus in expositione huius libri,& ante,eius,qui de fracturis est.siquid autem occurrat, quod obscurius uideatur,illud duntaxat enodabimus.

7 *Deligare item conuenit adhibito cerato,quod resinam copiose acceperit,& fascijs mollibus, non paruis, neque admodum arctatis.* Lib. impressus habet, & pannis. sed Gal.nõ adar.

Partibus compositis aptatur ceratum,quod resinam acceperit.quoniam fasciæ cuti melius inhærẽt, & partes corporis magis siccantur.ex eo quòd fasciæ inhærent,sequitur,ut partes,quæ curantur,immobiles,ut compositæ sunt,seruentur:ex eo quòd partes siccantur,ut spissentur,& cõfirmẽt,quæ res etiã cõposita fideliter tuetur.Porrò autem fascias molles adhibet ob corporum mollitiem,quæ infantium

corporibus

A corporibus propter ætatem ineſt,quas leniter adſtringit cauens, ne uehementer arctatæ comprimant, præcipue cum corpora mollia ſint.ſed quia minus adſtringit,idcirco imperat, ut plures faſciæ inijciantur.ſcripſit enim uinculi firmitatem,uel preſſu comparari,uel numero faſciarum.

8 *Non ſecus autem circumagenda faſcia eſt,quàm ſi pes manibus dirigendus ſit,ut paulo magis ualgus appareat.*

Hoc item præceptum communiter ad luxata fractaque omnia pertinet, quod ſæpius ab ipſo memoriæ proditur.non enim uult in dirigendo,quæ compoſita ſunt in naturalē ſedem exquiſite reſtituta, ita relinqui,ſed paulo ultra compelli,ut ad contrarium eius loci,in quem diu peruerſa ſpectarunt,a nobis impulſa,conſiſtant in medio,quod prorſus ſecundum naturam fuit.nam ſi collocata in hoc dimitterentur,ad diuturnam deprauationem redirent.Conſtat autem præceptum hoc ad id conſilium pertinere, quod in curando maxime commune eſt,in quo contraria contrariorum eſſe præſidia docuit.quum nec refrigerata,moderate calefaciamus,nec calefacta,moderate refrigeremus.ſed eatenus a medio in contrariam partem recedamus,quatenus in alteram morbus receſſit.Nūc quia pes uarus eſt,cui uitio contrarium id eſt,ſub quo ualgus efficitur,idcirco Hippocrates iubet,dum componitur , ut in ualgum conuertatur,ſcilicet ultra ſedem prorſus naturalem.

9 B *Solea item conficienda eſt,aut ex pelle non multum dura,aut ex plumbo.*

Hoc etiam ad ſtabiliendam iuncturam molitur,quamobrem iubet ipſum poſtremum omnium ſuper iuncturam deuinciri,ut eam totam contineat,& carnem ipſam non comprimat,id quod in ſequētibus expreſſit , inquit enim.

10 *Alligandaque non ut cuti inſidat,ſed cum poſtrema lintea circumdantur ubi iam alligaueris, caput unius ex faſcijs,quibus uincitur,e regione minimi digiti aſſuendum eſt,illis faſcijs,quæ ſub pede ſunt:ut dum moderate ſe habere uideatur , faſcia ſurſum ducta circa poſteriorem cruris partem, quæ carnoſa prominet,voluatur,atque ita firmiter maneat.ſed(ut uno uerbo dicam)quaſi ceram fingamus,debemus & manibus in naturalem ſedem compellere, & uinculo ſimiliter non magnæ ui,ſed leniter adducere.*

E regione minimi digiti,hoc eſt,ab exteriori parte pedis faſciam appendit, quam attrahit ad poſteriorem partem cruris,quæ carnoſa prominet.quandoquidem pedi uaro medetur , quod ſi ualgum curaret,ab altera parte faſciæ caput aſſueret.quoniam inclinare pedem oportet in contrariam partem atque conuertitur,ſic,ut,quæ extra ſpectant,compellantur intro:quæ intro,ſimiliter in contrariam regionem cogantur.

11 C *Aſſuendæ autem faſciæ ſunt,ut quomodo opus eſt,ſuſpendantur.Alia enim deprauatio aliam ſuſpendendi uiam poſtulat.*

Quod ego nuper poſui,ipſe nunc declarat alijs deprauationibus alias ſuſpendendi rationes accommodari.conſtat autem,ubi pes in interiorem partem ſpectet,ita ſuſpendendum eſſe,ut extremum crus in interiorem partem compellatur,pes in exteriorem:ubi pes in exteriorem inclinatur , ita , ut crus in exteriorem,pes in interiorem urgeatur.ubi in utramuis partem paulum exceſſerit, appenſa faſcia moderate in contrariam partem cogi debet:qui longe a naturali ſitu receſſit,ualidius repellendus eſt.Ideo deprauationem(quam κύλλωμα dixit)commune nomen omnium prauitatum accipito.

12 *Calcei uero e plumbo inſtruantur,qui ſuper iuncturam obligentur,ad eam formam,quam Chiæ crepidæ habebant . quibus opus non eſt,ſiquis manibus recte componat:recte item faſcijs alliget:recte ſuſpendat.Curatio igitur hæc,neque ſectionē, neque uſtionem,neque aliam uarietatem requirit.celerius enim opinione huiuſmodi uitia curationi cedunt , tempore tamen ſuperanda ſunt,dum corpus iuſto habitu increſcat.*

Quænam fuerit chiæ crepidæ forma,non ſatis patet.quoniam neq; Hippocratis ſæculo in uſu erat, atque idcirco inquit:ad eam formam quam Chiæ crepidæ habebant : quum potuiſſet dicere habent. Conſtat autem infantibus,cum diriguntur,id calciamenti genus maxime idoneum eſſe, quod ad unguem pedem excipit,& carnem non comprimit,ad quam rem ſpectantes parare nunc idoneum calcia D mentum poterimus,quāuis eiuſmodi chiæ crepidæ fuerunt,non requiramus.

13 *Vbi autem ad calceos ueniatur,aptiſſimi ſunt, qui per loca luto plena geſtari ſolent , πηλοπατίδες nuncupantur.*

Veniunt ad calceos pueri,qui curantur,quum pars,quæ dirigitur,confirmata fuerit,& aliquid increuerit,atque oſſa ipſa non amplius mollia ſint.nam nec permittendum eſt, ut prius inambulent, ne pars ad priorem deprauationem iterum reuertatur:at ubi tuto ingredi poſſunt, calceis utantur licet , quos Hippocrates ἀρβύλας appellat.eſt autem calciamenti genus cauū,quod arcte pedem uniuerſum exquiſite uſque ad talos complectitur.Manifeſtum eſt autem eiuſmodi eſſe,ex eo,quod Hippocrates ſubijcit, quum inquit,πηλοπατίδες nuncupantur.hoc enim nomen inuectum eſt.quod ſi per π,ſcribatur,πηλοπατίδες, ductum erit a luto,quod πηλὸς græce dicitur.quum ab ipſis lutum calcetur,calcari enim πατεῖσθαι dicunt: ſi per β,πηλοβατίδες , a luto ſimiliter,& a uerbo ambulare,quod βαίνειν dicunt , quum, qui ijs utantur , tuto in luto ambulent.

14 *Namque hoc calciamenti genus a pede minime coercetur,ſed magis ipſum coercet.*

Et natura,& uſu,alius homo alio modo inambulat,alius enim pede prorſus recto, alius in interiorem partem inclinato,alius in exteriorē,atq; inſuper alius planta ima,alius calce magis ingredit̄ , alius æque toti pedi inſidit.quin & calcei uidentur ſemper inambulādi modo ſimiles reddi,ubi neq; alti ſint, neq; exquiſite pedē cōprehendant,quorū calceorū ſi quem intuecaris,conijcere licet quō ingrediatur,

qui illis utitur. calceus enim rectus, & in neutram partem inclinans, sed talis permanẽs, qualis stru- E
ctus est a sutore, hominem recto pede ingredi denunciat: sed, si uel intro, uel extra spectet, inambu
lantis pedem conuerti in eam partem demonstrat. Idem euenit, ubi calceus uel in posteriorem, uel in
priorem partem uergit. Non secus etiam claui, ubi attriti magis sint, uel ad calcem, uel ad plantam,
uel ad exteriorem partem, uel ad interiorem indicio sunt ambulantis pedem in eas partes conuerti.
Hunc igitur calceum Hippocrates coërceri ait a pede, hoc est superari: sicut a contrario, qui rectus ser
uatur, & in neutram partem declinat, coerceri pedem, cogique rectum, ac sine inclinatione terræ insi
dere. caput autem huius structuræ, id est, ut calceus uniuersum pedem arcte contineat, & abunde al-
tus sit. arcte autem complecti pedem non potest, nisi multis locis findatur. Quamobrẽ uenatores hu-
iusmodi calceis induuntur, cum per inæqualia loca, & saltare, & currere necesse habeant, in quibus ob-
torquentur conuelluntúrque iuxta talos, nisi calcei ex toto cuti hæreant.

*Idonea item est ratio calciamenti Cretensis.* 15

In Asia nostra, & non minus in Creta nunc calciamenta in usu sunt, quæ ad medium usque crus per
tinent, in quibus fissa pellis est multis locis, & ab utraque parte dextra scilicet & sinistra æqualiter ex-
tenta: extremis partibus foramina habet, per quæ traiectum lorum partes pellis incisas inter se con-
trahat. In aperto autem est huiusmodi calceis pedem cum uniuersa commissura, quæ ad talos est, con F
tineri, atque adstringi. his autem utuntur apud nos uenatores potissimum, quum feras sectantur. quan
doquidem in asperis, atque inæqualibus locis non solum currere, sed saltare etiam coguntur. Eadem
causa Cretenses ad talium calceorum usum impulit ob uastos insulæ montes, atque asperitatem.

## De ossibus, quæ excidunt simul, & nudantur.

*Vbicunque cruris ossibus luxatis accedente vulnere articuli, qui ad pedem sunt, siue in interiorem, siue in exteriorem* 16
*partem penitus excedant, reponendi non sunt, sed sinendum est, vt cui placet medico, eos reponat. scire enim conuenit,*
*vbi repositi seruentur hominem decedere, paucisque diebus vitam trahere. nam pauci septimum diem excedunt, cum ner-*
*uorum distentione absumantur.*

Ossa cruris, suram intelligit, ac tibiam, quæ κνήμη græce dicitur, & cognominis est cũ eo toto, quod
inter genu & pedem est. nudantur autem hæc & cute excedunt, ad utramque cruris cõmissurã, cum pe-
de scilicet & cum femore. ante igitur tractat de cõmissura cruris cum pede, imperans, ut, ubi tibiæ os lu
xatum nudetur, a reponendo caueamus. propterea, ꝙ neruorũ distẽtio superueniat. Quod ubi incidat,
dictum est in opere de fracturis musculos alios cõuelli, alios cõtineri, & continuatos seruari, ubi ergo
ad suum initium cõtrahantur, uniuersum membrũ breuius redditur. sequitur enim quũ a musculis attra G
hitur. quare si quis extendens os extans reponat, musculi, & ipsa intentione non mediocriter lædẽtur,
& longitudine membri simul distenti dolorẽ sentient intolerabilem. atq; idcirco, quũ musculi grandes
sint, neruorũ distentionẽ sequi necesse erit. nam & ubi exigui essent, quemadmodum in digitis, neq; sic
res periculo uacaret. Multi tñ ex his ob summã in curatione diligentiam seruantur. hactenus, quod cu
rationi utile erat, superest quæstio quædam ad locutionem spectans, quæ curationi non prodest, aut of-
ficit. ut si requirant aliqui, cur Hippocrates de cruris ossibus ἐξαρθρεῖν, id est, luxari dixerit, quũ id uitiũ
esse eorum ossiũ affirmet, quæ in cauis se insinuant, non eorũ, quæ processus accipiunt. hos enim uocat
ἄρθρα, id est, articulos, ut ante sæpius ostendimus. non debuit igitur (inquiunt) dicere ἐξαρθρεῖν de crure,
sed de talo. Ijs, qui hæc requirunt, respondendũ est, id quod in prioribus sæpenumero diximus, Hippo
cratem eo tantũ intendere, ut propositã rem exprimat, quod ipse Plato & præcipit, & primus exequi-
tur. Alibi autem demõstrauimus ueteres non alio, q̃ huc spectasse. solus. n. Prodicus studuisse uidetur,
tenui huic nominũ inquisitioni, quã qui Prodicũ sequuntur, solent exquisitã diligentiã nuncupare. Hip
pocratem uero nihil obscurius rem expressisse, ex uerbis eius aperte conspicitur, quũ inquit, ubicũq; cru
ris ossibus luxatis articuli, qui ad pedem sunt, penitus excedũt. nã, si oĩno dempseris uerbũ luxatis, aper
tum est quod proponitur. sed Hippo. hoc adiecit nihil respiciens ad tenuem huiusmodi nominũ inqui- H
sitionem, cui qui student, plerunq; non sunt eloquentes. nam, qui dicendi facultatẽ habẽt, ad uim enũ-
ciationis respiciẽtes, uerba singula nõ attendũt, sed græcorũ more illis utuntur, quorũ copiã habẽt. qũo
uidetur nũc Hippoc. loqui, uolẽs ossa cruris a cõmissura recedẽtia cute excedere. si quis. n. id, quod extat,
& extra cõmissuram ualde prominet, luxatũ dicat, clarius rẽ exponet, auditoréq; imagine rei docebit.

*Pedem insuper & crus gangræna prehendit, quæ sic futura esse certum scire conuenit.* 17

Gangrænam quoque his superuenire ait, ob inflammationis scilicet magnitudinem, ubi exceden-
tia ossa recondita fuerint. inflammatæ ergo partes, cum rubor inflammationis recedit, liuidæ euadũt,
minuique dolor uidetur, eo quòd sensus torpeat. sed, ubi, quæ sic affectæ sunt, ex toto sentiendi fa-
cultate carent, græce id uitium non amplius gangræna, sed sphacelus uocatur. Inter hunc autem &
magnam inflammationem media gangræna est, quæ tanto grauior eiusmodi inflammatione est, quan-
to leuior sphacelo. sub hoc enim natura membri uniuersa corrumpitur, idemque, ubi iam hæret, cu-
rationem nõ admittit, sed solum a principio, cum nondũ sphacelus est, sed magna gangræna sphacelo
uicina. Verum abutimur interdum uicinorum affectuũ nominibus, ad eos significandos, qui ad os acce
dunt, quãquã nondũ ex toto ipsorũ speciẽ & naturã habẽt. sic igitur & ingentẽ inflãmationẽ, cũ nõ am-
plius

A plius suum colorem tuetur,dolorique est,interdum nominari gangrænam consueuimus,quæ quamuis gangræna nondum penitus sit,futura tamen est paulo post,si negligatur.

18 *Nec mihi etiam uidetur idoneum esse ueratrum eodem die datum & rursus epotum,sed ut quoduis tale ad idoneum proxime accedere,cui tamen confido.quòd si neque ab initio reponantur,neque tentet aliquis ea reponere,plerosque se explicare manifestum est.*

Tractauimus de usu ueratri ad eiusmodi uitia in commentarijs in librum de fracturis.

19 *Fulcire autem crus & pedem oportet eo modo,quo ipse uelit.*

Fulcire crus & pedem ἐρείδειν dixit,hoc est,stabiliter collocare,quo spectans imperat,ut membrum figuremus,quéadmodũ maxime cubantem iuuat.nã,quod ait,eo modo quo ipse æger uelit,huc euadit.

20 *Tantum ne dependeant,neve moueantur.*

Eius quod nunc ait,neve moueantur,uim ante proposuit,cum fulcire præcepit, quod significauit uerbo ἐρείδειν. neque enim aliud est fulcire membrum,quàm ab omni parte stabiliter collocare, sic, ut nullo pacto moueri possit,recte autem adiecit,ne dependeant:præfatus enim cõtinẽdum a nobis membrum,quemadmodum cubantem iuuat, non ignorans contineri membrum posse etiam dependens, B edicit,ut eiusmodi habitum uitemus,cum ad affectum locum materiam concitet,quæ causa inflammationis est.Meministis quidem eius,quod narrauit in superiori opere de crure figurando, ubi extentum pedem collocari uoluit,paulo sublimiorem,quàm ut exquisite rectus seruaretur:nunc uero permittere ægris uidetur,ut ipsum rectum habeant.nam cum tribus modis figurari possit,dependens,rectus,ac tertio in superiorem partem spectans,permittit ægrotanti,ut quo pacto uelit,crus figuret,modo non dependeat,sed antea præceperat,ut sublimiorem duntaxat contineret. Perspicuum itaque est Hippocratem in huiusmodi affectibus,eo potissimũ incumbere, ut dolor uitetur, ueritus ne sequatur neruorum distentio,quam in neruosis partibus dolor maxime infert.quamobrem, si quæ hoc modo uitiata sunt, neque refrigerentur,neque dolore teutentur,neruorum distentione prehendi,minime possunt.

21 *Mederique cerato,quod picem habeat,paucis pannis ex uino madentibus non ualde frigidis,quandoquidem frigus in his neruorum distentionem concitat.*

De his quoq; iam loquuti sumus.nam ceratum,quod picem habeat,ulceribus accommodatur:uinũ, presertimq;(ut ipse docuit)nigrum & austerum affectas partes inflammari non patitur. quod autem inquit fugiendum esse frigus,cum neruorum distentionem efficiat,in carnosis partibus forte aliqua ex- C positione indiget,in neruis euidentissimum est,quibus utrunque inest, nam & facile refrigerantur, ut qui natura frigidi sint,atque exangues:& cum læduntur,in distentionem incidunt, cum neque in alia parte distentio incidere possit,nisi nerui afficiantur.cõmissuras uero inter alias partes maxime neruosas esse manifestum est,in quibus musculi posita carne,quam alijs suis partibus habebant, in chordas degenerant.Quare magis inquirendum est,cur utatur modice frigido,quum non mediocriter frigidũ, sed calidum adhibendum uideatur.cuius ratio sic habet. In curandis partibus exulceratis propositum est,ut ab inflammatione defendantur:defendentur autem,si nullus humor ad eas concurret,quam rem eas refrigerando consequemur.nam,si admoueantur,quæ calidum & humidũ corpus efficiunt statim rubicundius,paulo post tumidius ipsum exhibebunt,& in alium affectum inflammationi similem compellent.contraria omnia præstant,quæ refrigerant,cum non modo nihil humoris a superioribus partibus ad refrigeratum locum concitent,sed quod in eo subsistit,exprimant,& ad proximas partes depellant.Est autem refrigerantium duplex genus,quædam aduentitia qualitate tactu frigida sentiuntur: quædam innatam refrigerandi facultatem habent.adstringentia quidem frigida sunt,sicut in opere de simplicium medicamentorum facultate demonstrauimus,ubi reliquum genus refrigerantium ab his diducitur,ad hoc spectat papaueris lachryma,mandragoræ succus,cicuta,& cetera,quæ madefaciunt si- D mul & refrigerant.namq; austera omnia terrenam naturam habent cum facultate refrigerandi.De usu autem horum medicamentorum non pauca scripsimus,in eo uolumine, quod est de ratione curandi, necnon in commentarijs in librum Hippocratis de ulceribus.Sed quod ad hunc locum pertinet,id nouisse abunde est,quod madefacientium & refrigerantium medicamentorum uis penetrat omnino ad altiores partes eorum corporum,quibus admouetur,citoque ipsas ultra debitũ refrigerat,torporemq; affert potentiæ corpora administranti.Quæ uero cum refrigerandi ui terrenam naturã habent(ut ostendimus in libris,quos commemoraui)ad confluentes succos depellendos maxime aptantur, atq; hac de causa illis utimur.sed quia calor ad se humores concitat,ideo aduentitia qualitate frigida admouemus,neque illa calefacimus.Nunc uero quod spectat ad exulceratarum partium affectum, Hippocrates frigidis uteretur,quemadmodum & in alijs uulneribus:sed quatenus neruorum distẽtionem timet, quam afferre frigus solet,uetetur ex toto frigida impõnere:atque idcirco adijcit,cum de his loquitur, non ualde frigidis.

22 *Recte etiam folia betæ,uel tussillaginis,uel cuiuspiam alterius talis in uino nigro austero semicocta, ulceri atque adiectis partibus imponuntur.*

Tussillago herba quædã est proposito affectui salutaris,quũ modice siccet,id quod in oĩbus ulceribus requiri demõstrauimus.De uino aũt nigro atq; austero loquuti sumus in cõmen.in lib.de fracturis.hoc

expellendi facultatem habet, similiter ut alia uina, & cum crassiorum partium sit quàm ipsa, exulcera E tas partes non mordet, ea de causa præstantius est.

*Tepido item caro vulcus inungitur.* 23

Admouet nunc ceratum, non ut ulceri medeatur, ostendimus enim in expositione libri de uulceribus, uitari ab Hippocrate huiusmodi medicamenta, quæ ulcerum glutinationem prohibent: sed quoniam nunc ulceri quatenus ulcus est, non succurrit, quum neq; id glutinare propositum sit, sicut alia recentia uulnera. primum autem curationis consilium eo spectat, ne homo neruotum distentione reprehendatur. quocirca neque reponendum articulum censet, sed magis permittendum, ut crus ex ulcere turpiter claudicet. non tamen simpliciter adhibet lenia medicamenta, quæ uocat in libro de ulceribus μαλθακώδη, quamuis possint inflammatas partes lenire, primo enim eo incumbit, ut inflammatio minime oriatut, atque idcirco repellentibus utitur, neque his rursus per se, quemadmodum in alijs casibus. timet enim neruorum distentionem, sed compositam curationis rationem indicat, per medicamenta contrariæ facultatis iusto modo inter se mixta, quo maxime tendere in sequentibus uidetur, ad quæ iam animum adiungito.

*Quòd si hybernum tempus fuerit, lana quoque succida madens ex vino atque oleo tepido imponenda est. & perfusione insuper vtendum.* 24 F

Neque medicamenta tepida adhiberet, neque oleum prorsus adijceret, si loco subueniret, quasi simpliciter ulcerato, sed (quod supra retuli) ueretur neruorum distentionem, atque ob eam rem oleum admiscet, & tepida cuncta superimponit, nec ut qui tantum pugnet contra neruorum distentionem, ulceris curationem relinquit: sed neque ad ulcus spectat duntaxat. mixti enim morbi mixta quoque præsidia exigunt: quocirca præcipit, ut lana succida inducatur, quam οἰσυπηρὰν dicunt, propterea quòd œsypum habeat. quandoquidem (ut in libro de simplicium medicamentorum facultate ostendimus) huius medicinæ proprietas simplex non est, sed mixta ex contrarijs qualitatibus ac uiribus, adstringendi scilicet & modice calefaciendi. Perfundi autem uoluit hos affectus, non hieme tantum, sed æstate etiam. hoc siquidem, quod in fine subdit, commune est totius propositæ curationis, quoniam huiusmodi affectus non hieme duntaxat assiduam perfusionem requirunt, quum æstate quoque magis eam postulent quàm hieme, quo tunc his lana imposita magis siccescat. imperat igitur, ut hæc omnia assidue perfundantur: id uero quo perfundimus tale esse debet, quale in principio protinus curationis admoueri iussit, nempe uinum æstate per se, hieme cum oleo. caloris autem modum conijcies ex temperamento aeris, in quo uiuimus, ubi enim ualde frigidum fuerit, humoris, qui perfunditur, calorem augebis: ubi calidum, remittes. ad calidi enim usum nunquam uenit, quocirca caloris modum augens at- G que remittens, pro ambientis cœli temperamento uariabis. in quibus omnibus meminisse debes eorum, quæ in uniuersum dixit, nec omnia ubique uelle percipere. At quænam hæc sunt? nimirum ea, quæ in commentarijs in eas sententias Hippocraris, quæ aphorismi inscribuntur, & in alijs compluribus recensenda duximus, quorum, ubi unum aliquid positum fuerit, omnium, quæ eandem uim habent, meminisse oportet, existimareque sermonem in omnibus accipiendum esse, quasi omnium cõmunis sit. Sic igitur & nunc Hippocrates hyberni temporis meminit: tu uero regionem, ætatẽ, usum corporis naturam reuocare in memoriam debes, nempe regionem frigidam, ætatem senilem, usum eorum, quæ corpus refrigerant, corporis naturam frigidiorem. siquidem hæc omnia idem hortantur, ac tempus, cuius Hippocrates meminit. Sed quemadmodum hieme curationem calidiorem adhibet, sic æstate contra tu frigidiorem admouebis, & sicut in æstiuo tempore, ita in ætate, regione, consuetudine, & natura corporis calida. quòd si oĩa calefaciendum esse denunciẽt, calidioribus præsidijs uteris, si refrigerandũ, frigidioribus: sin alia ad calefaciendũ, alia ad refrigerandũ hortentur, ipsorũ numerũ ac uim spectabis. sic enim maxime conuenientẽ calefaciendi & refrigerandi modum conijcies.

*Neq; vlla re quidpiã deuincies, neq; aliquid impones. scire.n. licet huiusmodi uitijs oĩbus modis alienũ eẽ pressum & onus.* 25

Subtrahit in hoc casu nõ modo eas fascias, q̃ primę inijciunt, quas ubiq; ad cõminuta, & ad luxata os- H sa adhibuit, sed & eas, q̃ sup lanã uoluunt. cui' rei cãm ipse reddit, cũ inqt, huiusmodi uitijs, oĩbus modis alienũ eẽ p̃ssum & onus. sufficit aũt ipsis solũmodo lanã ĩponere, q̃ cũ mollis sit, & leuis, oneri eẽ nõ põt. hoc ãt timet, nõ ut q ulceri medeat: sed, ut q nudatis attritisq; chordis ac neruis caueat, ne distẽdãt.

*Ad hæc autem pertinent nonnulla ex ijs medicamentis, quæ cruentis vulneribus iniiciuntur, ea scilicet, quæ idonea sunt, quibus imposita lana vino perfusa, longiorem moram trahat.* 26

Medicamenta, quæ uulneribus statim inijciuntur, & in his libris, & in eo, qui de ulceribus est, ἔναιμα appellat. inter hæc, quæ longiori tempore resoluuntur, & interim, dum soluantur, perfundi possunt, admoueri potissimum debent. siquidem constituit, quemadmodum in tota reliqua curatione eo spectandum esse, ut leniendi uim habeat. hac enim de causa neque uinculum imponit, neque frequẽter soluit. ex medicamentis autẽ, quæ cruentis uulneribus protinus inijciunt, ea longiori tẽporis interuallo soluere licet, quæ ualidiorem siccandi facultatẽ habent, ea tñ cautione, ne ob uehemẽtem uim contrahẽdo lædant. duo aũt medicamenta, quæ nota uobis sunt, gratia exempli cõmemorabo. leguntur enim in omnibus libris de medicamentorũ cõpositione, quales sunt duo Andromachi, & unus Heræ, & aliorũ permulti. cõponuntur medicamenta hęc ex bitumine, alterũ barbarũ, Cyzicenũ alterũ nominatur, hoc cum magis siccet, quàm opus sit medicamentis, quæ cruentis uulneribus inijciuntur, obest magis q̃ prosit,

A profit, cum membra contrahat, & dolorem afferat: alterum uero medicamentum idoneum est, si mode rata mixtura fuerit. ex ijs siquidem nonnulla plus iusto exiccant, & dura sunt. uerum de huiusmodi medicamenrorum discrimine in opere de compositione ipsorum fusius tractauimus. quæ post hæc ab Hippocrate scribuntur, magna ex parte plana sunt, si quæ supra, & in commentarijs in librum hunc de articulis, & ante in eum, qui de fracturis est, prodidimus, in memoria habeantur.

27 *Quæcunque autem ex ijs medicamentis, quæ cruentis uulneribus protinus injiciuntur, paucorum dierum sunt, uel picem accipiunt, non æque atque illa proficiunt, quandoquidem ulcerum purgatio porrigitur in longius tempus, diutius enim madent. horum tamen nonnulla utiliter deligantur. scire autem aperte conuenit necesse esse hominem turpiter claudicare, quũ uersus partem superiorem pes trahatur, & ossa luxata ab exteriori parte promineant. fere enim nullum ex ijs ossibus nudatur nisi paululum quid, neque recedit, sed cicatrix inducitur tenuis, atque infirma, eaque non nisi multum temporis conquiescant. alioquin periculum est, ne remaneat ulcusculum, quod curationem non admittat. Sed, quod ad propositum malum attinet, si hac ratione curentur, seruantur: si articulus reponatur, maneatque, in exitium præcipitantur.*

Quænam ex ijs medicamentis, quæ cruentis, uulneribus protinus injiciuntur, paucorum dierum uocet, non magno negocio inuenies, si in memoria habeas, quæ in explanatione proxime positæ orationis tradidimus. patet enim eum sic appellare, quæ ex paucorum dierum interuallo sol-

B uuntur. ex interuallo autem paucorum dierum soluere conuenit, quæcunque ex propositis infirmiora sunt. patiuntur enim in ulceribus multum colligi saniei, eo quòd non satis exiccent. hæc a nonnullis ex ulceribus resina extrinsecus excipiebantur, quorsum nescio. multa enim dici possent: sed, quum Hippocrates ab omnibus his medicamentis abstineat, longius labi operæprecium non est. in opere enim de medicamentis, quæ de his scire conuenit, omnia exequuti sumus: nunc autem, quod attinet ad proposita, satis hæc sint. Quæ sequuntur omnia præteribimus, quum manifesta sint ijs, qui eorum meminerint, quæ ante explanauimus.

28 *Eadem ratio est, si brachij ossa ad manum adiecto ulcere, siue in interiorem partem, siue in exteriorem excedant. certum enim scire conuenit, hominem paucis diebus interiturum tali genere mortis, quale supra posuimus, si reposita ossa fuerint, contineanturque: sed, si nemo hæc, uel reposuerit, uel reponere tentarit, longe sæpius liberatur. cui malo mederi eadem ratione expedit, qua supra diximus: deprauationem uero deformem reddi, ac digitos manus infirmos, atque inutiles fieri necesse est.*

Quemadmodum in crure totum id, quod inter talum & genu est, duobus ossibus contentum κνήμην appellant, sic brachium, quod inter manum & cubitum est πῆχυν, quod similiter non ex uno osse, sed ex binis constat, quorum alterum κερκίς. id est radius, alterum græce πῆχυς proprie nominatur, id est, cubi-

C tus, quod similiter euenit in crure. commissura igitur, quæ ad manum est, commissuræ tali respondet: quæ ad cubitum, illi, quæ ad genu. Maiorum tamen partium mala, seu fractæ, seu prolapsæ sint, semper grauiora sunt. quam rem si animaduertas, exigua expositione ad sequentia indigebis.

29 *Nam digiti, ubi ossa in interiorem partem luxentur, curuari non possunt, ubi in exteriorem, extendi.*

Cur luxari dicat in superioribus ostendimus, ubi cruris ossa adiecto ulcere dixit ad pedem luxari: nunc reddere causam uolo, quamobrem, cum brachium accedente ulcere in interiorem partem prorumpit, digiti curuari nequeant. in hoc casu sane accidit, ut brachij ossa ab interiori regione ossibus, quæ in prima palmæ parte sunt, superinsidant, ab exteriori subijciantur, quum prima palmæ pars tendatur a chordis, quæ ab exteriori parte ad ipsam perueniunt, sursumque ad humerum tendunt. quod, quum euenit, necesse est digitos uersus exteriorem regionem trahi, quo fit, ut extendantur, idcirco neque flecti ex toto possunt, cum exteriores musculi, & chordæ flectentibus renitantur. sæpius enim diximus perfici actionem non posse, nisi oppositi musculi ijs pareant, qui agere nituntur. hinc etiam fit, ut digiti minime extendantur, cum brachij ossa in exteriorem partem mouentur. interiores enim musculi, & chordæ uehementer intenduntur, atque idcirco cum cedere exterioribus nequeãt, necesse est exteriorum actio intereat. Sed & ipsorum ossium positus, cum brachium in interiorem partem elapsum

D primæ palmæ parti insidet, prohibere flexum potest: cum in exteriorem promouetur, porrectionem.

30 *Vbicunque autem cruris os ad genu cute, siue in interiorem, siue in exteriorem partem excedit, quibus reconditur, maturius intereunt, quàm alij, quamuis illis quoque uitæ periculum instet: sed, si curationem adhibeas reponere nunquam tentans, hac una tantum spes salutis superest. hæc autem ossa eo magis periculosa sunt, quo superiora sunt & robustiora, & a robustioribus prolabuntur. Quòd si femoris os ad genu luxetur, ubi ponatur, maneatque, maiori ui, & citius adhuc homo absumitur, quàm superioribus casibus: si non reponatur, res longe periculosior est, quàm in superioribus. hac una tamen salutis spes superest.*

Hoc etiam, & id, quod proxime subdit, non parum comprobat, quæ paulo supra indicauimus de ossibus, & ad talum, & ad manum cute excedentibus. neque enim talus in commissura cruris, quæ ad pedem est, nudatur, neque prima palmæ pars in commissura cubiti cum manu, sed in crure ossa cruris, & in brachio similiter ossa brachij. iure igitur excedere hæc, & luxari dixit, ut, quæ extra commissurã excedant. Nunc itaque crus interdum excidere inquit ad tali commissuram, ac modo ab exteriori parte, modo ab interiori, quanquam subdit, non crus, sed femur luxari, idque non immerito. nam in commissura genu modo crus, modo femur excidit, ad pedem uero crus duntaxat, sicut ad manum brachiũ. cetera, quæ in hac oratione sunt, ijs patent, qui in memoria teneant, quæ superius dicta sunt.

Eadem

*Eadem ratio est articulorum, qui ad cubiti commissuram sunt, nempe cubiti & humeri. quicunque enim ex his cum luxantur, cute excedunt, si restituantur, omnes mortiferi sunt: sin minus, res non omnino desperationem habet, sed iis, qui liberantur membrum remanet deprauatum. magis autem mortiferi sunt, si recondantur, articuli superiores, sed & iidem, si non recondantur, alijs similiter sunt periculosiores. Si cui ergo superiores articuli luxati, cum ulcere cute excedant, ubi restituantur, celerrime in exitum praecipitant: ubi non restituantur, ceteris periculosiores sunt. curatio autem, quae mihi cōmodissima uidetur, iam exposita est. At quibus digitorum pedis, uel manus articuli luxati adiecto ulcere cute excesserūt, osse quidem non fracto, sed ab ipsa commissura recedente, si repositi maneant, neruorum distentionis periculum impendet, nisi recte attendantur. expedit tamen, ubi praedixeris summa cura & diligentia opus esse, eos reponere. facillime autem & maxime prompte, magnoque cum artificio reponuntur, si adigatur paxillus, quemadmodum supra diximus in ossibus fractis, luxatisque. quo facto quiescere homo debet, cubareque, & modico cibo uti, satiusque est leni aliquo medicamento, quod uomitum citet, ipsum purgare.* E 31

Merito hic articulos dixit multitudinis numero, quemadmodum in genu ubi uero de commissura, quae ad talum, & de ea, quae ad manum loquitur, non posuit articulos multitudinis numero. propositā uero nunc partem non uno tantum articulo contineri in tertio commētario in librum de fracturis ostēdimus, eandem inquit rationem esse huius commissurae, & eius, quae ad genu, de qua prius tractauit. F nam quemadmodum ibi modo tibiam, modo femur excidere dictum est, ita nunc modo cubitus, modo humerus in idem malum compellitur. Quae sequuntur, omnia plana sunt.

*Auxilium aduersus ulcera in medicamentis est, quae cruentis uulneribus protinus iniiciuntur. in illis scilicet, quae perfusioni accommodantur, aut in buphthalmo herba, aut in iis, quae fractis caluariae ossibus succurrunt. nihil autem induci debet ualde frigidum. ac primi quidem articuli minime periculosi sunt: superiores magis periculose laeduntur. Eodem autem die restituendi sunt, uel certe posteriori, tertio aut quarto minime. si quidem quarto die malum recrudescere maxime uidemus. ubi ergo non protinus recondantur, his diebus supersedendum est, contineri enim solet, quod intra decem dies conditur. Quòd si reposito articulo neruorum distentio supernascatur, cito expelli debet, & subinde calido humore perfundi.* 32

Quaenam ex medicamentis, quae cruentis uulneribus protinus iniiciuntur, idonea sint, quae perfundantur, antea declarauimus. praecipit autem, ut herbae buphthalmi (quam πλινόφθαλμον appellat) non secus atque ante, tussillaginis, quae eandem uim habet, folia imponantur. huius quoque herbae meminit Diocles in libro de oleribus. Totius autem curationis caput ait id esse debere, quod in libro de uulneribus capitis demonstrauit, in quo ostensum a nobis est curationem requiri sicciorem, quàm quae in uulneribus, circa articulos praesertim. G

*Conuenit item uniuersum corpus magis curuatum esse, quàm extentum. expectandum tamen est fore, ut repositi digitorū articuli abscedant. plerunque enim ita accidit, si quaeuis inflammatio superueniat. Quare, nisi uereretur medicus, ne uulgo imperitus haberetur, nihil reponere prorsus deberet. ossa igitur, quae ad commissuras sunt, si cute excedant, ubi recōdantur (sicut ostensum est) periculosa sunt.* 33

Extentum esse non idem significat, atque extendi, sicut neque curuari, & curuatum esse. si quis enim membrum extentum dicat, unum tantum exprimit eius habitum, rectum uidelicet, qui neque plus, neque minus admittit: si curuatum omnes eius habitus, qui post extensionem sunt, notat usque ad ultimum flexum, qui quatenus maiores, minoresque sunt, inter se differunt. si quis extendi, & curuari dicat, motum, qui accidit, ubi mutatur habitus membrorum, significabit. nempe, quum extendi ait, eū, qui euenit in mutatione, quae fit a summo flexu ad summam extensionem: quum curuari, eū, qui a summa extensione rursus ad summum flexum. Nunc ergo Hippocrates curuatum inquit corpus esse magis conuenit, quàm extentum, uerbo, extentum, rectum habitum notans, quem solum uitandum censet: sed, cum ait curuatum, habitus medios inter hunc & extremum flexum significat, inter quos ille eligendus est, qui maxime accommodatur, modo qui parum, modo qui lōgius ab extremo flexu abest. H quo tempore, uterque accipiendus sit, licebit, & ex superioribus coniicere.

## De ossibus praecidendis.

*Quaecunque circa digitorum articulos ex toto abscinduntur, plerunque detrimentum non afferunt, nisi, dum secantur, homo animi defectione laedatur.* 34

Nunc tractare incipit de ossibus praecidendis. aperte autem, sic omnia narrat, ut mea explanatione opus non sit. illud duntaxat me praefari abunde est, quod fere quaecunque ab ipso traduntur, intelliges, si id spectes, quod ostensum est in articulis cute excedentibus (iuniores medici ἐκβυρσώματα hoc est extra cutem eiectiones dicunt) dimetiendum, scilicet esse periculi magnitudinem, pro magnitudine articulorum. quod sicut in illis euenit, sic & in ossibus, quae praeciduntur, euenire solet. adiiciemus tamen eorum, quae obscura uidebuntur, expositionem.

*His autem ulceribus, quaeuis curatio idonea est. Sed & quaecunque ossa, non ad articulos, uerum ad aliquam aliam regionem praeciduntur, similiter sine noxa sunt, & alij promptius adhuc curationem recipiunt: similiter quaecunque ossa* 35

fracta

*A fracta in digitis cute excedunt, non ad articulos, hęc quoque innocenter reponuntur. ex toto autem ossa, ad articulos, in manu, in pede, & in crure nonnullis ad talum, atq; in brachio, nõnullis ad primam palmæ partem, plerunq; citra noxam præciduntur, nisi protinus anima deficiat, vel quarto die continens febris superueniat. caro tamen corrupta, & in vulneribus sanguinem fundentibus, & in his, quæ valentius adstringuntur, tum in ossium fracturis plus iusto compressis, in ijs item, quæcunque vinculis violenter comprehensa fuerint, compluribus decidit, quorum plerique liberantur: liberantur & illi, quibus in femore pars aliqua carnis & ossis decidat, & quibus in humero, sed citius adhuc & facilius ad sanitatem perducuntur, quibus aliquid in brachio & crure decidat. Quibus vero fractis oßibus aliquid protinus alienatur, & nigrescit, his cito abrumpitur, & quibus casurum est, cito cadit, quum ossa iam cesserint: at quibus osse inuiolato nigrities accidit, his celeriter caro emoritur, os vero tarde abscedit, & qua nigrities terminatur, & qua nudatum os est.*

Curationem quamuis φαύλω dicit, quo uocabulo iam sæpius ostendimus Hippocratem nuncupare eam, quæ exquisitæ contraria est.

36 *Ceterum partes, quæ citra finem nigritiei fuerint, vbi iam prorsus emoriantur, & dolorem non sentiant, iuxta articulos excidendæ sunt ea animaduersione, ne quid violetur. nam, vbi qui secatur, dolet, quum nondum qua secatur, emortuum corpus fuerit, maximum periculum est, ne sub dolore anima deficiat, eiusmodi autem animæ defectio plurimos repente iam sustulit.*
B *At femoris os hoc modo nudatum vidi octogesimo die abscedere. crus tamen huic homini ad genu vigesimo excisum est, mihi vero propius etiam videbatur, cum non eodem tempore, sed ante prouidendum existimarem. cruris vero ossa, quæcunque nudata fuerunt, circa medium omnino ex huiusmodi nigritie sexagesimo die deciderunt. curatio enim a curatione distat, quantum ad id pertinet, vt, nudata ossa maturius, vel serius decidant: pressus item a pressu distat, quatenus vnus altero validior est, aut imbecillior, ad efficiendum, vt nerui, caro, vena citius, aut tardius emoriantur. nam, quæ emoriuntur, quamuis non fuerint adstricta, non omnia ex altis oßium partibus decidunt, sed quædam ex summis. Quocirca tempus, intra quod singula hęc soluuntur, certum definire non licet.*

Quum dixerit necessarium esse, ubi nigrescat & corrumpatur caro, quæ sita est circa ossa, ut ossibus tempore idem eueniat, atque ea de causa imperauerit, ut præciderentur, nunc præcipit, ut excidantur, ea cautione, ne integræ partes uiolentur, ne præ dolore anima admodũ deficiente homo ægerrime reficiatur. Ad articulum autem, si fieri potest, præcidi membrum uoluit ad celeritatem spectãs. namque, ubi medium præcidatur, multum temporis absumitur, quum ossa secantur, sed iuxta articulũ affecta membri pars intacto osse abscinditur.

37 *Accipiendæ prorsus eiusmodi sanationes sunt, magis enim terrent, dum accipiuntur, quàm dum adhibentur, atque*
C *hæc omnia lenem medicinam requirunt, ipsa enim per se ipsa soluuntur. Est autem victus expeditissimus ille, qui febri aduersatur.*

Hippocrates consilium dirigit, non solum ad ægrotantes, sed etiam ad medicos, ut apud ægrotantes a culpa semper uacui sint, & laudem plerunque inueniant. quamobrem mala, quæ grauia uidentur, monstrat, discernitque ab ijs, quæ uere talia sunt: in ijs enim, quæ uere grauia sunt, non tamen talia se ostendunt, monet, ut medicus se subducat, illis manum injiciat, quæ grauia uidentur, quemadmodum & hæc, quæ nunc proponuntur. ubi enim pars aliqua ex toto emortua sit, non amplius grauiter afficit, quæ uicina sunt. hanc si præcidas, cauens ne dum manus curatio adhibetur, animæ defectio sequatur, malum aliud non afferes ullum.

38 *Ad hæc iusto habitu figurare corpus oportet, iustus habitus est, vbi nihil suspensum est, nihil deorsum spectat, sed sursum magis, precipue donec ex toto resolutum fuerit. periculum enim est, ne interim sanguis erumpat. Quam ob rem vulnera inclinari in inferiorem partem non debent, sed superiora haberi.*

Ostendimus iam sæpe, iustum, apud Hippocratem uocari id, quod potentia æquale est. hoc autem
D illud est, quod unicuique conuenit. quandoquidem & iustitiam huiusmodi quid esse manifestum est. Quod quidem ad musculos attinet, ille iustus habitus est, sub quo tam qui membrum flectunt, quàm qui extendunt, in neutram partem trahuntur: quod uero ad collocandum membrum in inferiorem, uel superiorem partem spectans, iustus habitus uideri poterit, qui medius erit inter eum, qui sursum, & eum, qui deorsum spectat, hoc est, qui ad rectam lineam prorsus extentus est. hic autem, ubi nullum periculum sit, ne sanguis erumpat, & facillime ab ægrotante feratur, eligendus est. de quo etiã paulo supra tractauimus, ubi ossa cute excedentia persequuti sumus. At nunc in ossibus abscindendis, sicut dum manus adhibetur, unum periculum est, ne præ dolore intolerabili anima deficiat, ita postquam adhibita est, unum aliud circumstat, ne uidelicet sanguis erumpat, id quod euenire solet, ubi putrescentes corporis partes resoluuntur. Constat autem habitum; sub quo membrum dependet, eruptioni sanguinis esse opportunissimum. Quantum ergo spectat ad sanguinis eruptionis periculum penitus tutoque euitandum, præcisum membrum superius omnino habendum esset, sed quia status hic dolori est, idcirco moderare in superiorem partem conuertitur. Manifestum item est, quum in ijsdem uerbis augere uellet, quod proponit, adiecisse uocabulum præcipue, quasi ita scripserit, ubi nihil suspensum est, nihil deorsum spectat, sed sursum magis, potissimum, ubi putria ex toto resoluta fuerint periculum est, ne interim sanguis erumpat.

*Namque, ubi tempus proceſſerit, & ulcera iam pura ſint, non amplius accommodatur huiuſmodi ſtatus: ſed ille, qui re-* E 39
*ctus eſt, & interdum ille, qui uerſus inferiorem partem inclinatur. tempore enim nonnullis oſſa abſcedunt, & illæ faſciæ neceſſariæ ſunt, quæ primæ inijciuntur.*

Non ſecus, atque ubi ſanguinis eruptionem cauebat, rectum membri ſtatum, quamuis medius & iuſtus eſſet, carenus in eum, qui ſurſum ſpectaret, conuertebat, quatenus membrum ſine dolore excitabatur, nunc quoque præcipit, ut membrũ moderate in inferiorem partem inclinetur, ut ſanies effluat. quandoquidem, ubi nullum periculum eſt, ne uel ſanguis erumpat, uel propter conſortium aliqua pars afficiatur, uel inflammatio ſuperueniat, atque ulcera iam pura tantummodo ad cicatricem perducenda ſunt, danda in primis opera eſt, ut nec pus, nec ſanies aliqua tenuis tunc ſubſidat, ſed omnia exitum habeant. At ſi qua ibi pars ſinuetur, hoc enim accidit ſub ſanie, quæ illas partes erodit, dum nos cauentes ne ſanguis erumperet, membrum ſublime habuimus, ad faſcias ueniendum erit, quæ primæ inijciuntur, quibus ſinus coerceatur. Vinciendi autem ratio in eo caſu contraria eſt illis omnibus, quæ ſupra dictæ ſunt, in quibus faſciæ ab inferiori parte orſæ in ſuperiori terminantur, ſed in propoſitis affectibus, ubi eo conſilium tendit, ut pus excernatur, a ſuperiori parte incipiunt, & deorſum uerſus intendentes paulo ſupra os ipſius ſinus finiunrur, ut quicquid in imo ſinu reſidet, ſub hac uinciendi ratione exprimatur, & ore aperto protinus euadat. F

*In his autem procedente tempore expectandæ ſunt deiectiones cruentæ, cum pleriſque & ex nigritie, & ex ſangui-* 40
*ne ab ulceribus fuſo, cruentæ deiectiones ſuperueniant. fiunt autem plerunque, ubi nigrities & ſanguinis eruptiones ſolutæ ſunt.*

Cruentam deiectionem Hippocrates δυσεντερίην uocauit, quo nomine uſus uidetur, non ut exulcerationem inteſtinorum, quemadmodum plerique medici: ſed ut cruentas inteſtinorum deiectiones ſignificaret. ſic, ut, ubi propter iecinoris imbecillitatem cruentum deſcendar, id quoque uitiũ δυσεντερία appelletur. quod a medicis uſurpari, ac dici nouimus, ſæpiuſque homines ita affectos medentium inſcitia perijſſe uos non latet. interdum enim, quum propter deiectiones acres, principio quidem pingue do, proceſſu temporis quædam ſtrigmenta, quæ ab inteſtinis deraduntur, una excernantur, plerique medici neglecto iocinore, ulceri duntaxat inteſtinorum medentur, atque idcirco ægrotantes præcipitant. Eſt ergo morbus & iocinoris imbecillitas, & ulcus inteſtinorum: cruenta uero aluus communiter ſuperuenit non proprie cauſis propoſitis, quum inteſtinorum uenis præ ſanguinis copia adapertis, cruẽtum deijciatur, ſic, ut ſimilis affectus ſit, arque ubi ora uenarum non in ano, ſed in inteſtinorum anfractibus, aut ad initium recti inteſtini longe ab anσ aperiuntur. Permultos aurem uidemus experiri hoc G
malum, quibus membrum exciſum fuerit, qui ve repente uehemẽtes exercitationes omiſerint, quibus ante aſſueuerant. quum nonnulli certarent, alij foderent, uel quid huiuſmodi laborioſum uitæ genus ſequerentur. nam, niſi, quemadmodum exercitationi, ita aliquid dempſerint cibi, aut potionis abundãtiæ, qua utebantur, dum exercerentur, nonnullos celeriter inuadunt ea mala, quæ a multitudine fiunt, alijs, qui minus aduerſa fortuna utuntur, aluus cruenta deijcit, quam rem Hippocrates propoſuit δυσεντερίας uocabulum uſurpans, quo (ut retuli) cruentam deiectionem ſignificat. quoſdam ego iã uidi, quos ſanguinis per nares eruptio liberauit: alios, quos tentauit cholera. his autem omnibus æquali fere temporis circuitu ſanguis effunditur. languentes enim repente exhauſti, refrigeratique in poſterum uictus ratione curioſa nõ utuntur, ſed rurſus inordinate uiuunt, turſus multitudinem colligunt priori æqualẽ, & æquali tempore. Horum ergo affectuum communem cauſam in multitudinem referemus, quæ adapertis uenis, uel in naribus, uel in ano, aur inteſtinis eijcitur. colligitur autem multitudo in illis, qui liberaliter, ur ſoliti eranr, cibum ſumunt, ſed ſanguinem, quem ex aſſumpto alimento contraxerunt, minime abſumunt. ad communem horum affectuum rationem ſpectat, quod ab Hippocrate proponitur. quibus enim aliquod membrum abſciſſum fuerit, alimentum, quod anre transferri ad ipſum ſolebat, in uenis coit, & ſanguinis multitudinem producit. Hos itaque omnes monere oportet, ut minus cibi H
capiant, quàm anre, iſque infirmior ſit: ſubinde aluum ducant, & quantum poſſunt, exerceantur: multã frictionem adhibeanr: a cibo non lauentur, ſed ante ſæpius. recte autem conſulent, ſi digerente aqua utantur, ubi eius copia fuerit. Hæc præter propoſitam rem adieci, quum tamen ab re non ſint. Cur aũt nonnullis, quibus copioſe ſanguis effunditur, aliquo interpoſito tempore cruẽta deiectio ſuperueniat, adijcere ſermoni oportet. fit ergo in his, ut ob uehementẽ ſanguinis profuſionem corpus refrigeretur, atque idcirco minus quàm ante per cutem exhauriatur. quod uero non exinanitur in corpore ſubſiſtẽs ſanguinis multitudinẽ auget, quæ (ut ſupra oſtenſum eſt) efficit, ut, uel cholera ſuperueniar, uel ſanguis per nares erumpat, uel αἱματώδης δυσεντερία ſequatur (ita enim appello clarioris doctrinæ gratia) hoc eſt, cruentum deijciatur. Proficiſcitur autem huiuſmodi deiectio ex multitudine ſanguinis, quem natura tentat magis ob uirium robur, quàm ob infirmitatem expellere, quæ res contrario modo ſe habet, quàm in iocinoris affectibus, in quibus ſanguis per inteſtina ob uiſceris imbecillitarem deſcendit. Quòd ſi per ora uenarum, quæ ad anum, inteſtina, aut nares pertinent, natura, quod ſuperat exinaniret, bene ageretur cum eo, cui hac uia multitudo detraheretur. ubi multitudo non recipitur his locis, ſed ad thoracem, uel pulmonem confluit, malum iam graue eſt. alterutrum enim, uel pulmonis inflammationem, & lateris dolorem, uel ſanguinis ſputum ſuperuenire neceſſe eſt.

41 A *Magno autem impetu concitantur, sed nec diuturnæ sunt, nec mortiferæ. nam neque homo ualde propter cibi fastidium abstinet, neque alioquin exhauriendus est.*

Adiungit hæc Hippocrates, non ut historiam conscribat eorum, quæ sic affectis euenerunt, quem admodum Thucydides, ubi pestilentiam illam recenset, sed ut cruentas has deiectiones distinguat a torminibus, quæ alijs de causis accidunt. Quare hæc, quamuis ad propositum opus proprie non pertineant, exponere tamen alienum non fuerit, quum medici complures morbos, sub quibus sanguis deijcitur, discernere non possint. nonnulli.n. existimant ubique cruentam deiectionem ex intestinorũ ulcere prouenire, quos magnopere animus fallit. Sanguis itaque, quum ab ore uenarum, quæ in ano sunt, funditur, neque laborantes ipsos latet, sed, ubi cruẽta deiectio a superiori parte ad anum feratur, quædam protinus a principio descendit, quædã præcedente aliquo tali. Quòd si repente cruor multus deijciatur, scire conuenit, adapertum esse os uenæ natura id, quod pondere molestum est, depellente, cuius generis est, quã nunc Hippocrates proponit cruenta deiectio, quæ magno impetu concitatur, & cito quiescit, præterquam quòd homo ob cibi fastidium non admodum abstinet, sicut quando ob iocinoris imbecillitatem, aluus cruenta est. quanquam raro initio, quum iecur afficitur, huiusmodi aluus se ostendit, plerunque enim a principio tenuis sanies cruenta deijcitur aquæ similis, in qua lota caro fit: inter-
B dum tamen incipit iocinoris affectus cum subita sanguinis deiectione, ubi uidelicet uisceris imbecillitati sanguinis multitudo accesserit: post principium uero utrouis modo res accesserit, & æger maxime cibum fastidit, & sanguis modo purus & non multus, modo flauæ bili immixtus simul, cum derasa intestinorum pinguedine deijcitur, postea quasi fex sanguinis descendit, ubi iecur iam pessime habet. Sub huiusmodi ergo deiectionibus, præsertim ubi aliquid bilis admixtum fuerit, quædam ipsius intestini partes excernuntur, quæ, quum deradantur, ξύσματα uocant. nam, quæ per intestina descendunt, eo quod acria sint, summam ipsorum partem eradunt. in quo casu quanta maxime potest, abstinentia imperanda est: sed ijs, qui superantem sanguinem deijciunt, conuenienti modo cibus dari debet, quum iecur ualeat, & possit ipsum conficere.

## Qua ratione femur in coxæ cauum reponatur.

42 *Vbi femur a coxa elabatur, si in interiorem partem uenerit, hac uia restituendum est.*

Reprehendunt Hippocratem, quòd reponere tentet femur a coxa prolapsum, quum iterũ protinus elabatur, primo quidem Ctesias Gnidius eius cognatus. nam ipse quoque ex familia fuit Asclepiada-
C rum, post Ctesiam uero alij nonnulli. Sed, quum hæc omnia duplici uia iudicentur, altera, cũ ipsis oculis comprehenditur, quod requiritur: altera, cũ non expectato longo usu aliquid demonstramus, iudicio ex ipsius natura sumpto, nos quoque utraq; uia iudicabimus. Natura igitur rei sic habet. in hac ipsa commissura ligamentum rotundum ualidissimũ inclusum est, quo summum femoris caput altissimis atque intimis caui partibus innectitur, ita, ut quis, licet ligamentum ipsum non uiderit, possit ex hac narratione intelligere id breue esse. nam, cum femur semper conuertatur, quod Hippocrates retulit, cum ait, in coxa conuertitur, nec unquam caui oris excedat, necesse est ligamentum breuissimum esse. Hoc ipsum igitur, dum naturaliter habet, excidere femur non patitur. Potest autem non abrumpi solum, sed & ob humoris copiam in cauo collectã præter naturã adeo extendi, ut sinat femur sua sede moueri, quod ubi accidat, quamuis statim positum fuerit, non poterit suo loco manere. nam, quum cauũ deuexum sit, onus uero totius cruris, quod appenditur, graue, leui momento rursus suo loco excedet, si quis in ingressu tentet paulo celerius moueri, uel aliquid transgredi, quod ob pedes sit, ita, ut si quis æquali solo paulum moueatur, hoc modo fortasse tueri naturalem positum assidue poterit. sed uidetur id fieri minime posse, nam si non ad alium usum, certe quum lauatur, cogetur homo pedem attollere, ut ingredi in labrum possit. Hoc igitur pacto rei natura monemur, ubi ligamentum abrumpatur, fe-
D mur repositum in sua sede contineri non posse. Sed & illud uere adijceretur, quod cõmissura genu ab exteriori parte neruosis quibusdã ligamentis continetur: femur uero hoc uno, neque ullum aliud habet tale, quo commissura ab exteriori parte illigetur, sed nec musculos ẽt, qui non parum quoque conferunt ad continendos articulos, ne procidãt, præsertim ubi boni habitus fuerint ac ualidi. Quamobrẽ athletis, quamuis in palæstra uehementiores ictus patiantur, cadant, distendantur, contorqueanturq; ad articulos, nihilominus membra non luxãtur, eo quod ualidis, & grandioribus musculis undique circumdentur. Scripsit etiam Hippocrates inter initia huius libri, bobus potissimũ coxę articulũ luxari, ubi senes sunt, & graciles. Femur igiẽ abrupto ligamẽto, quo cõtinebaẽ, ẽt, si in suã sedẽ collocẽ, manere nõ põt, ijs præsertim, qui graciliores fuerint. Spectemus deinceps, si ligamentũ humoris copia relaxatum excidere femur sinat, idque reponatur, quid futurũ esse credibile sit, mihi quidẽ, & in hoc casu res manifestissima uideẽ. namq;, ubi idẽ humor maneat, similiter erũpet: sed, si inarescat, ad naturalẽ firmitatem reducetur. femur uero ob humorẽ excidere, & ipse Hippocrates docet, qui in sentẽtijs illis, quæ Aphorismi inscribunẽ, sic inquit, Quoscũq; coxæ dolor exercet, his si coxæ articulus excidat, & rursus recondatur, muci superueniũt. mucis aũt in cõmissura collectis, hoc est, glutinoso humore, madefit ligamentũ ac relaxatur. nihil aũt interest, seu ligamentũ, seu neruus illigans uocetur. quæcũq;.n. ligamenta neruorũ exẽplo rotunda sunt, ab ijs, qui in incidẽdis corporibus uersantur, uocari solẽt nerui illigãtes. sed

& nos quoq; femur hac de causa luxatũ bis iã restituimus,neq; amplius postea procidit.diu autẽ opor- E
tet siccantibus medicamẽtis cõmissurã circumdare,dum neruus illigans abunde siccetur, ne amplius ita extendatur,ut femur oris caui possit excidere,sed intus in naturali situ ipsum contineat.Manere aũt interdũ femur,ubi repositũ fuerit,idoneus testis est Heraclides Tarẽtinus,homo,qui nec, ut sectã eorũ probet,mẽtitur,sicut soliti sunt rationalium pleriq; , nec medicinæ usus est expers,sed optime , ut quiuis alius in medendo exercitatus. Audiamus ergo,quæ ab ipso tradũtur in quarto libro de ratione curandi ea,quæ sunt extrinsecus,sic aũt ad uerbum habent: Errant,qui censent femur repositum non manere , ꝗ abruptus sit neruus , qui ad coxam ipsum alligabat , cum in uniuersum rem negent. neque enim Hippocrates,Diocles, Philotimus, Euenor, Nileus,Molpis, Nimphodorus,& alij nonnulli de restituẽdi ratione tractassent.Sed & nos quoque id consequuti sumus,ut duos pueros sanaremus,quibus sæpius , & magis quàm ijs, qui ætate iam robusta sunt , excidere articulus solet . Rem igitur ratione iudicare non oportet: sed,quum interdum maneat,existimare non semper neruum abrumpi, sed relaxari,& iterum contrahi. quoniam expedit hoc requirere , quanquam non omnino commune est. Adiecit hoc Tarentinus in fine orationis, ut quam profitebatur Empiricorũ sectam tueretur, quorum ea sententia est,ut in ijs,quæ ita manifeste apparent,ut inde proferre utilitatem ad artem iam possimus,inutile sit causam quærere.Sed & post Heraclidem multi alij ex iunioribus restitutum a se femur F
perpetuo seruatum esse in sua sede testantur.

*Hac quidem restituendi ratio bona, iusta, & secundum naturam est, per quam subito fere ad finem peruenitur , si quis ostentationi studeat. Homo per pedes ab eo ligno grandiori,quod transuersum ab uno pariete domus ad alterum peruenit, uinculo suspendatur,firmo,molli,latoque. pedes autem habeat quatuor digitos, aut minus etiam inter se distantes: uinciatur item super genua loro lato ac molli,quod ad propositum lignum adducatur.* 43 A.l.4.f.5.t.5. c.26.p.896.D

*A. Lignum transuersum.*
*B. Homo suspensus.*
*C. Vir traiecto inter femora cubito inæqualiter appensus.*




Qui cũ ostẽtatione aliquid efficiunt,ab atticis κομψεύεσθαι dicuntur,quemadmodũ nũc ab Hippocrate,qui ostentationem exprimere uolẽs usus est uerbo κομψευόμενος.nã & antea,ubi hóminem super scalã resupinauit,ad id præsidium eos uenire dixit,qui uulgo uideri uolunt magnum aliquid moliri.id tamen scripsit,quia uiderat multos sui sæculi medicos,qui eo minus recte uterentur.ita etiam nunc ostendere uoluit,qua uia cruce per scalam optime extento femur reponatur , qua uti fortasse non erit ab re, ubi non sit scamnum, de quo postea tractabit. Præcipit igitur, ut scala,super qua homo loris alliga- G
tus fuerit, suspendatur a ligno grandiori , quod transuersum ab uno pariete domus ad alterum pertinet,μεσόδμην uocat,id uidere licet in magnis diuersorijs, ubi iumenta habentur , & ruri similiter in ædibus rusticorum. uult ergo pedes ad tignũ sursum spectare,caput uero deorsum uersos non multum recedere a terra,ita,ut ille,qui articulum reponit,stans ad reponendum suis uti manibus possit, quomodo in sequentibus docebit.

*Sed affectum crus duobus digitis magis quàm alterum extendatur,caput uero recedat duos cubitos a terra,uel paulo plus,aut minus: brachia deligata sint ad latera molli aliqua re.quæ omnia paranda sunt homine resupinato,ut quàm minimo tempore suspensus maneat.* 43

Partibus, quas commemorauit, quomodo inijcienda uincula sint, aperte exposuit. Illa igitur, quibus affectum crus appenditur, robustiora esse uoluit & mollia , idque non in- H
iuria, cum tota intentio ad ipsius curationem adhibeatur , ea ratione, quæ communiter requiritur in luxatis omnibus reponendis . Igitur femoris caput, quum cauo excidens in interiorem partem eruperit, a musculis, qui ibi sunt, attractum primo in inferiorẽ partem attrahendum est,una scilicet cum femore, deinde in exteriorem impellendum: cumque e regione sui caui collocatum fuerit,tunc uel solis musculis committendum est , uel simul etiam adurgendum. Sepius autem diximus, musculos naturalem uim habere,qua ad sua principia cõtrahuntur.attrahunt igitur simul & femur,quod attractum suo capite in cauũ coxæ conijcietur.

*Homine iam suspenso peritus aliquis, & non imbecillus traijcere manũ debet inter femora eius,qui curatur,collocareque brachiũ inter caput femoris luxati, & eam regionẽ,quæ inter anũ & naturale media est:tum traiectam manum alteri prehendere, & rectus assistens repente corpori suspenso appendi,ita,ut sublimis maxime æqualiter suspendatur.In hac reponendi ratione omnia secundum naturam sunt. nam corpus ipsum suspensum suo pondere deorsum uersus extenditur: is,qui appenditur in inferiorem partem extendit, & femoris caput excitari cogit,e regione sui caui,simulq; osse brachij ipsum urget truditque,sic,ut in pristinam sedem reuertatur.necesse autem est aptissime uincula inijcere,ea animaduersione,ut is,qui appenditur,ualidissimus sit.* 44

Solet

A Solet Hippocrates eam regionem, quæ est, inter inguen utriusque cruris nuncupare πλιχάδα. cuius medium περίναιον uocat, quæ ab initio naturalis ad anum pertinet, qua ceruix uesicæ sita est, inter hanc itaque regionem, quàm πλιχάδα nominat, in medio eius in longitudinem, & caput femoris, iubet, ut, qui trahit femoris caput, manum demittat, cum qua alteram coniungat, sicut ipse aperte declarauit, atque ita suspendatur. quo fiet, ut femoris caput, non solum trahatur, sed in exteriorem commissuræ partem impellatur, ut e regione caui, quod in coxa est, collocetur.

46 *At (quemadmodum supra narrauimus) homines plurimum natura inter se differunt, quantum ad articulos attinet facile, vel vix restituendos. Quamobrem plurimum differant, diximus quæ de humeri capite. nam femur quibusdam absque vlla præparatione reuertitur. siquidem leui adhibita intentione, & exiguo motu manibus in suam sedē cōpellitur;*

Ante κιγκλισμὸς masculino genere dixit, nunc fœminino κιγκλίσει, quod uocabulum διακίνησιν, id est, exiguum motum significat. quoniam uerbum διακινῆσαι mutuatur ad id significandum, quod leuiter dimouetur, cuius meminit, cum tradidit qua ratione luxata maxilla reponeretur.

47 *Compluribus etiam, quum crus ad commissuram hanc flecterent, circumactus iam articulus reuersus est: sed plerum-*
B *que non paret cuiuis præparationi. quamobrem, quæ ad singula efficacissima sunt, in vnaquaque arte scire conuenit, & ea vbique adhibere, quæ accommodata videbuntur. Supra extendendi modos diximus, vt quilibet eo vtatur, cuius copia sit. oportet enim præstanter ab vna parte crus extendere, ab altera corpus. nam, si bene extendamus, femoris caput e regione sui caui excitabitur, quod, vbi sic excitatum fuerit, non facile prohiberi poterit, quo minus in suam sedem reuertatur, ita, vt iam quouis modo impellere, ac dirigere abunde sit. Sed minus extendunt, quàm par sit, idcirco maiori negocio reponunt.*

Vbi crus ad inguen curuatur, femur uniuersum suspenditur. in qua actione prolapsum femoris caput dimouetur, circumactumque restitui nonnunquam solet. Quid sit circumagere, quod accidit, ubi prolapsus articulus, uel qui in latum scapularum os inseritur, uel qui in coxā restituitur, ipse in superioribus declarauit, ubi docuit non posse articulum in his commissuris suo loco paululum excedere, ut ad cubitum, ad manum, ad genu, ad talos. nam, cum & femoris caput rotundum sit, & oræ caui in quo recipitur in orbem, nullo pacto fieri potest, ut caput partim in cauo sit, partim extra, uel oræ caui hæreat, quoniam ubi primum uoluetur, uel intro reuertetur, uel excidet. igitur quia paruo momento in utranuis partem caput compellitur, hoc quod fit circumagendo fieri asserit.

48 C *Non solum autem pedibus iniicienda vincula sunt, sed etiam supra genu, ne hoc magis quàm coxa articulus vinculo intendatur. sic itaque extendere a pedibus conuenit. Verum, vbi altera parte vis adhibetur, non solum circa pectus, & alam inecto laqueo in contrariam partem attrahere debemus, sed lorum longum, duplex, validum, molle, inter anum & naturale demittere, a posteriori parte ad spinam, a priori iuxta iugulum adducere, & religare; atque ita in diuersa contendere, alijs ab vna parte, alijs ab altera ducentibus. Animaduertendum autem, ne lorum, quod inter anum & naturale demittitur, super femoris caput extendatur, sed inter femoris caput, & eam regionem, quæ inter anum & naturale media est. Dum intentio adhibetur, femoris caput in exteriorem partem propellendum, pugno ipsi inhærente. vbi, qui extendit, suspenditur, vna manu traiecta, & alteri iuncta, simul & extendere debet, & in exteriorem partem vrgere, sed alius ad genu femur in interiorem partem leuiter dirigat.*

Vbi homo per pedes appendatur, capite deorsum spectante, omnes articuli extenduntur. At propositum est eum solum extendere, qui ad inguen est. Iure igitur super genu uinculum iniicit, quod femur sursum extendat. nam, si permittamus attrahi crus solum a uinculis, quæ infra genu sunt, fiet ut genu, non minus, imo magis quàm coxæ articulus extendatur, quum poprius sit uinculis sub se extendentibus.

49 D *Suprà etiam diximus expeditissimum esse ijs, qui in frequenti ciuitate medentur, lignum habere quadratum, sex cubitorum, aut paulo longius, latum cubitos duos, cuius crassitudo, si dodrantem impleat, abunde est.*

In opere de fracturis huius machinamenti meminit, ita, ut huic quoque testimonio innitantur, qui aiunt compositum fuisse principio ab Hippocrate librum unum, inscriptumque, De officina medici: deinde in duos diuisum ob magnitudinem, eiusque priorem partem inscriptam, De fracturis: alteram uero, De articulis. quale autem strui uelit machinamentum hoc, manifestum est ijs, qui uiderint, quod scamnum Hippocratis nuncupatur. sic enim ex multo iam tempore a medicis appellari consueuit. Plerique autem formulas paruas habent, ad eius exemplum fabricatas. sæpissime uero adhibetur, articulisque restituendis per se abunde est. si quis autem uelit alijs quoque uti, est πολύσπαστον ita appellatum, quod multis orbiculorum circuitibus, facilitatem præstet, & ad itinera est accõmodatum: quod iterum facientibus maxime idoneum est. refertur autem ad Archimedem auctorem. in urbibus uero nõ alienum est Fabri uel Andreæ organum, ubi erecto opus est: ubi plano, scamnum hoc Hippocratis præcipue aptatur, quod a nonnullis ex recentioribus medicis uarie iam struitur, sicut machinatio spathæ, quæ in summo capitulum habet rotundum ac leniter cauum. Deinceps igitur ad organi structuram, quæ ab ipso traditur, animum aduertite, ea, quæ Hippocrates scribit, ijs, quæ in scamno inspexistis accommodantes. hæc enim, sicut antea quoque dictum est, sola mõstratione aperiuntur. Equidem

dem ijs,qui apud me librum legunt,rem facile demonstro,organo iuxta collocato, sæpe ipso magno, E
sæpe paruo aliquo ad magni exemplum fabricato,cuiusmodi ad hunc tantum usum paramus, ut osten dere legentibus possimus, quum per tales formulas nequeant articuli in suam sedem urgeri. nunc autem monstrari hæc minime possunt, sed exponere licet, si quid ex uerbis Hippocratis obscurum sit. quod & in superioribus feci,& nunc etiam faciam.

*Excauetur præterea hinc atque hinc in longitudinem,ne machinamentum iusto sublimius sit.* 50

Hinc atque hinc,dix it,quod accipit pro a dextra parte,& sinistra, id uel eo patet,quod adijcit, in lõgit udinem,quod idem significat,atque longum. nam,si excauari uoluisset supra a capite,uel infra a pedibus,transuersum potius dixisset,non in longitudinem. mens autem totius orationis huiusmodi est, quam non ab te est perspicuitatis causa non longe a uerbis recedentem exponere. Excauetur præterea hinc atque hinc in longitudinem ligni,idque cauum eam altitudinem habeat, quæ ad impellendũ accommodatur,ne machinatio iusto sublimior sit. Verbum, iusto, ipse scribit τοῦ καιροῦ, græci enim ita dicunt,& interdum etiam τῷ προσήκοντι,quod debito significat.ergo altitudo caui tanta esse debet,ut uectis,qui ad impellendum aptatur,illis inhærere,atque obijci possit. F

*Postes item ab utraque parte adijciantur,breues, robusti, qui axes contineant.* 51

Nominat axes ὀνίσκους: postes uero,quę sunt ligna,quibus axis sustinetur φλιάς. hæc magno ligno adijci uoluit,ab utraque parte,a superiori scilicet & inferiori.Religantur autem ad axes extrema laqueorum,qui quo tempore conuenit in diuersa diducere,laboranti inijciuntur.

*Satis autem est in dimidio ligno,nihil etiam prohibet in toto,paruas quasi fossas quinque,aut sex excauare,quæ palmum inter se distent,& trium digitorum latitudinem atque altitudinem æquent.* 52

Fossas dixit κατώρυχας,quod uerbum non pauci ex ueteribus græcis in eandem significationem acceperunt. id mutuatur nunc Hippocrates translatione usus,ad ea caua significanda,quæ in scamno ea de causa fiunt,ut illis obijci uectes possint, quæ caua præcipit,ut in altera ligni parte magis,hoc est in inferiori ex culpantur. nihil etiam (inquit) prohibet,quin in superiori quoq; parte sint,quanquam non necesse est.hoc siquidem machinamentum,quod nunc exponimus,non solum ad coxæ articulum pertinet,sed & ad uertebras quocunque modo luxatas,& ad humeri caput reponendum. Complura autem sint caua hæc oportet,quandoquidem, qui curantur, ætate,magnitudine,& uniuerso corporis habitu inter se differunt. quàm magna esse debeant,& quantum inter se distare, ipse euidenter exposuit. G

*Medium insuper lignum alte in quadratam figuram trium digitorum excauetur,in quod cauum, ubi opus esse uideatur, defigatur lignum, quod cauo conueniat,& superius teres sit. figatur autem , quum ad rem pertinere uidebitur , medium inter femoris caput & eam regionem,quæ inter anum & naturale media est. quod lignum extans corpus sequi nõ permittit,quum a pedibus trahitur. interdum enim hoc sufficit,absque intentione, quæ, ut membrum in diuersa diducatur,a superiori quoque parte adhibetur. Interdum autem, ubi crus ab utraque parte extendatur, lignum hoc uersus hanc, uel illam partem laxum demittitur, ut femoris caput in exteriorem partem impellat.hac enim de causa & caua exculpta sunt, ut cuneus, uel uectis ligneus,in quod expeditius sit demissus, aut iuxta articulorum capita,aut ipsis prorsus inhærens, eodem momento impellat,quo intentio adhibetur,seu in exteriorem partem,seu in interiorem impellere opus sit.* 53

Excidi uoluit in scamno quoddam cauum, quo recipi id lignum possit , quod erectum collocandũ est, inter prolapsi femoris caput, & eam regionem, quæ est inter anum & naturale. Cur autem lignũ hoc, dum extendimus, adhibendum sit, sicut cetera omnia,quæ deinceps subdit,ipse aperte indicauit. ob eos tamen, qui hebetioris sunt ingenij, uerba hæc aperire aliquantulum non grauabor.Hoc igitur lignum,quod erectum collocatur inter caput femoris prolapsi, & eam regionem,quæ media est inter anum & naturale,tenixus causa obijcitur,quum ab inferiori parte crus extenditur.sæpius enim ostendimus,ubi membrum extenditur,nisi a contraria parte tendatur, sequente ægro intentionem resolui. H
tenditur autem, & per laqueos superioribus partibus iniectos , sed firmitatis causa lignum hoc adhibet,quo nonnumquam minus firmiter hærente ad impellendum utitur.

*Ac seu teres uectis esse debeat, seu latus,alius enim alij articulo conuenit,huiusmodi impulsus. si intentio quoque accedat,ad omnes crurum articulos reponendos efficacissimus est. proposito autem articulo uectis teres accommodatur. Quòd si per hoc machinamentũ uis adhibeatur, fieri non posse existimo,ut aliquis sit articulus,qui non reponatur.Reperiet quis, & alios reponendi huius articuli modos.* 54

Ipse deinceps ostendet tereti uecte tunc utendum esse, quum femur in interiorem partem impellitur, quod nunc instituit, quum femoris caput in interiorem partem prolapsum reponat. nam, si in exteriorem luxatum sit, latum uectem admoueri iubet. Nunc quidem præcipit, ut medium inter caput femoris prolapsi, & eam regionem, quæ est inter anum & naturale, inseramus, conemurque sublimius paulo, quàm femoris caput demittere: sed, quum in exteriorem regionem articulus ueniet,ubi satis spacij est, latus uectis firmius obijcietur, quod ipse paulo infra ostendet, ubi aget de ipso separatim.


Nam

55 A *Nam, ſi magnum hoc lignum medium duos poſtes habeat pedales, eius altitudinis, quæ idonea uideatur, ab utroque latere unum: tum ſuper hos duos poſtes tranſuerſum lignum in ſpeciem gradus ſtatuatur: deinde integrum crus inter poſtes trayciatur, quod læſum eſt ſuper gradum commode collocatur, ſuperque aptatur, qua articulus exceſſit. gradum uero iuſto ſublimiorem ſtabilire oportet, & multiplicem ueſtem, prout conuenire uidebitur, corpori ſubijcere.*

Poſtes nominari ab Hippocrate, non ea ligna tantum, quibus axis ſuſtinetur, aperte ex hac oratione colligitur. in media enim regione longitudinis totius ſcamni ſitum eſt lignum tranſuerſum, quaſi gradus, quod a dextra parte ad ſiniſtram pertinet, ſuper quod crus, quod luxatum eſt, extenditur, non ſimpliciter, ſed cum altero ligno alligato, quod in longitudinem a ſuperiori parte cruris ad inferiorē porrigitur, ita, ut ſuper gradum crus cum eo ligno cogatur. Conſtat autem integrū hominis crus ſuper gradum habendum eſſe inter φλιὰς ſic enim uocauit poſtes, ligna intelligens, quæ gradum ſuſtinent, quorū utrinque unum ſtruit in ipſo ſcamno. Hippocratem uero uſum translatione a portarum poſtibus ita nominare ligna, quæ in ſcamno ſunt, perſpicuum eſt.

*A Lignum ſex cubitos longum, latum duos, craſſitudinis nouem digitorum.*
*B Quatuor ligna pedem longa extremis partibus rotunda.*
B *C Axes habentes in medio clauos: & in extantibus capitibus manubriola ductaria.*
*D Foſſæ, quarum altitudo tres digitos æquat.*
*E Priapiſcus ſuperius teres, demiſſus in medium lignum alte in quadratam figuram excauatum.*
*F Duo poſtes.*
*G Tranſuerſum lignum in ſpeciem gradus.*

Scamnum Hippocratis.




56 *Poſt hæc lignum, quod conuenientem latitudinē habeat, & longitudine uſque ad talum perueniat, cruri ſubijciendum, ſic, ut ultra caput femoris, quantum poteſt, feratur: crurique alligandum, quot locis opus eſſe uidebitur.*

Lignum alligandum eſſe ad totum crus, ſupra etiā oſtendimus, ſed nunc ſuperiorem ligni extremitatē, ſuperiorē capite femoris collocandam exiſtimat, adijciens orationi, quantum poteſt, ſi quidem, quod nunc fieri iubet, difficillimum eſt, niſi ea pars longi huius ligni, quæ inguini hæret, humilior ſtruatur, quæ ſpectat in exteriorem partem, ſublimior. nam ſi æquale ſit, paremque altitudinem habeat, difficile admodum fuerit ipſius ſummitatem ſimul in inguine ſtabilire, & ſuperiorem femoris capite demittere.

57 *Quo facto, dum crus intenditur, uel per lignum, quale piſtillum eſt, uel per aliud ex ijs, quæ idonea ad extendendum ſunt, ſimul oportet crus cum alligato ligno ſuper gradum deorſum compellere, & ad coxam ab aliquo hominem contineri. hac enim uia femoris caput intentionis ui e regione ſui caui ſuperius collocabitur, & ſimul ob impulſum in ſuam ſedem trudetur. quæ cogendi rationes ualidæ ſunt: & ſi recte admoueantur, uitium ſuperant. ſed (quemadmodum ante dictum eſt) articulus hic, imbecilliori ui, & plerunque quamuis præparatione in ſuum locum reuertitur.*

Femore ſuper gradum extento prolapſus articulus humilior redditur, quæ res ad reſtituendū aptiſſima eſt. nam ſic ora caui humilior femoris capite continetur. Sed, quum elapſus articulus, niſi caui ora ſuperior ſit, reponi nequeat, ubi ſublimior fuerit, optimum erit humiliorem collocare, atque ita extendere. Ceterum laquei, quibus crus extenditur, religandi ſunt, uel ad lignum, quale piſtillum eſt, cu-
D ius ima pars firmiter in pauimento oppoſitæ moræ obijciatur: uel ſi huiuſmodi ligno uti ad intendendum nolis, lori capita ad axem, qui in ſcamno a pedibus eſt, uincienda. id enim ſibi uoluit, quum ait, [uel per aliud ex ijs, quæ idonea ad extendendū ſunt] [ex ijs] intelligens, quæ propoſita ſunt diuerſa a ligno, quale piſtillum eſt, quæ ſubijcit in hac oratione manifeſta ſunt.

58 *At ubi in exteriorem partem femoris caput exciderit, ab utraque parte, quomodo ante diximus, extendendum eſt: ſed impellendum per latum uectem, ſimulque dum intentio adhibetur, ab exteriori parte in interiorem urgendum, uecte ad clunem, ac paulo ſupra accommodato, & , ne corpus cedat, aliquo integræ partis clunem repellente, uel manibus, uel alio huiuſmodi uecte ſuperimpoſito, qui cauo illi, quod magis in rem erit, obijciatur: femoris item luxati, quod ad genu eſt, ab interiori parte leuiter in exteriorem cogendum. Suſpendere tamen, ubi articulus in hanc partem erumpat, alienum eſt. quandoquidem cubitus illius, qui appenditur, articulum a ſuo cauo reduceret: impulſus autem per ſubiectum lignum uidebitur alicui ad hoc genus luxati pertinere, in quo caſu ab exteriori parte accommodandum eſt. quid plura? ſi commode recteque extendamus. recte item impellamus, quis articulus ita luxatus non reuertetur?*

Si crus ualēter extendatur, nō neceſſe erit per lignum impellere. manibus. n. prehendentes femoris caput totum iuxta clunē cogere, ab exteriori parte in interiorē poterimus, donec e regione ſui caui collocetur. Patet autem teretem uectem ad huiuſmodi impulſum inutilem eſſe. quum & latus etiam non ſufficiat, niſi qua clunē attingit, talis ſtruaē, quale ſtrui uoluit capitulū rotundū ac leniter cauū ſuper eā

ſpatham, quæ ad reponendum humeri caput aptatur, ἄμβη dicitur. Ipſe autem ad uerbum ſcripſit, E urgendum uecte ad clunem ac paulo ſupra accommodato. reſimum autem hunc eſſe neceſſe eſt, qua clunem complectitur, non ex toto rectum. quæ ſequuntur in hac oratione omnia clara ſunt. 59

*At ſi in poſteriorem partem femur exciderit, extendere oportet, & in diuerſa diducere, eo modo, quo diximus: impone reque ſuper lignum, veſtem multiplicem, vt molle admodum ſit. & homine prono extendere. eodem autem momento, quo extenditur, per aſſerem cogendum, non ſecus atque, vbi ſpina gibba eſt, ita, vt aſſerit e regione clunis, ſeu ſupra, ſeu infra coxam magis collocetur. cauum in pariete e regione aſſeris non ſit, ſed magis deorſum ſpectet ad pedes. hac reponendi ratio articulo in poſteriorem partem luxato maxime ſecundum naturam eſt, ac ſimul etiam valentiſſima. Satis fortaſſe fuerit aliquem pro aſſere inſidere, vel manibus vrgere, vel pedibus repente conſiſtere, attollique, quo tempore intentio adhibetur. nulla autem alia reſtituendi ratio femori ita luxato ſecundum naturam eſt.*

Hæc etiam, quæ de femore ſic luxato tradit, ijs, qui eorũ, quæ propoſita ſunt, meminerint, in aperto omnia ſunt. edicit enim, ne hos ut priores reſupinemus, ſed in uentrem conuertamus. hic ſiquidem eſt habitus pronus. Valenti ergo intentione adhibita a poſteriori parte in priorem compellere articulum oportet. nam, cum homo ita iacet, ut præcepit, poſterior pars ſublimior collocatur, prior ſubijcitur. quocirca neceſſe eſt, ut qui reſtituit, femoris caput deorſum compellat, quod commodiſſime præſtat impulſus, qui per aſſerem adhibetur. idem efficeret, qui qua prominet femoris caput inſidens F magna ui cogeret. ſed, niſi clunis eminentia luxato capiti hæreat, nihil hominem iuuabit. Hæc igitur curatio uirum ſummæ diligentiæ ac prudentiæ poſtulat.

*Si in priorem partem venerit, idem conuenit extendendi modus: ſed aliquis manu admodum ſtrenua, & maxime peritus, ſublimiori vnius palma parte inguen adurgeat, eandemque manum altera comprehendat, ſimulque quod exceſſit in inferiorem partem trudat, & verſus priorem genu ſubigat. hic extendendi modus, vbi femur ſic luxatur, maxime naturæ conuenit: ſed & ille, qui hominem ſuſpendit, prope etiam naturæ aptatur, in quo neceſſe eſt, vt is, qui appẽditur, non ignarus ſit, ne brachio articulum impellat: ſed inter partes naturales & anum iuxta os, quod ſacrũ dicitur, appendatur.* 60

Ad quartum genus luxati femoris aggreſſus eſt, de quo euidentiſſime omnia prodidit, ijs præſertim qui in memoria habeant, quæ antea dicta ſunt. Quare nihil eſt, quòd nugas hic agamus.

*Inuenias etiam laudem, ſi † ſine vtre articulum hunc reſtituas: ſed quoſdam noui, qui eum præ inſcitia, & vbi in exteriorem, & vbi in poſteriorem partem erumperet, reponere per vtrem tentarent, neque intelligerent, hac via expelli magis quàm in ſuam ſedem reſtitui. primum vero auctorem conſtat vtrem adhibuiſſe, vbi articulus in interiorem partem elaberetur, ſcire tamen licet alia multa ex vſu magis eſſe quàm vtrem. Datur ergo inter femora vter non inflatus, ſic, vt quantum maxime poteſt, ſublimis inter anum & naturale collocetur: tum femora inter ſe vinciuntur habena, quæ a patella ordiatur, & vſque ad dimidiam femorum partem intendat: poſt hac inflatur vter, diſtenditurque G dimiſſa ænea fiſtula in vnum ex pedibus, qui ſolutus ſit, & æger in latus cubat, vitiato crure ſurſum ſpectante. Præparatio igitur huiuſmodi eſt, ſed plerique hanc adhibent deteriorem, quàm ego dixerim, cum non alligent bonam femoris partem (vt propoſui) ſed genua duntaxat. adde quòd intentionem, quæ maxime neceſſaria eſt, omittunt. nonnulli tamen luxatum iam reſtituerunt, vt qui rem facilem nacti fuerint, ſed huiuſmodi impulſus non magnopere tolerabilis eſt. ſiquidem inflatus vter, qua maxime tumet, eam regionem non attingit, in qua prolapſum femoris caput iacet, qua potiſſimum impellendum eſt: ſed infra illud, vt qui in medio femorum, vel interius etiã cõtineatur. ad hæc femora naturaliter ſunt curua, a ſuperiori enim parte carnoſa ſunt, & prope inter ſe iungũtur, ab inferiori tenuãtur. quare & femorũ natura vtrem expellit ab ea parte, qua præcipue admouendus eſſet, ita, vt ſi paruus vter inſeratur, cũ vim exiguam habeat, nullo modo vrgere articulum poſſit. Oportet ergo, ſi vtendum vtre ſit, femora ad magnã partem inter ſe deuincire, & vtrẽ inflare, eodem momento, quo corpus extenditur, cruraq; extrema parte inter ſe colligare, vbi hac rõne articulus reponitur.* 61

† Lib. Græci habẽt cũ otre & ſic uidetur legendũ eſſe.

Docet qua ratione quis utatur modo reſtituendi per utrem, quamuis eum non probet. cuncta autem plane explicat.

*A. homo in latus cubans. B. uter inter femora. C. homo ænea fiſtula utrem inflans.*




*In tota arte medicinali id in primis dare operam oportet, vt quod male habet, ad ſanitatẽ perducatur. qđ vbi cõtingere poſſit pluribus modis, ille eligẽdus eſt qui omnium minimo negocio cõparatur. hoc ſiquidem magis officiũ eſt probi viri, & plus habet artificij, niſi quis in popularẽ aurã incumbat. ſed, quod ad hunc locum attinet, quidam modi extendendi corporis per ea, quæ domi habentur, parari poſſunt, ſic, vt ex ijs, quæ præſentia ſunt, inuenire liceat, per quæ prompte curatio adhibeatur.* H 62

Oratio hæc poſtrema eſt, in qua iubet, ut in ijs exerceamur, quæ prõpte ad curationem accommodantur, ita, ut quamuis nec ſcamni copia ſit, neque alterius, ex ijs, quæ propoſita ſunt, excogitare per te aliqđ ſimile poſſis. ſed de his euidentiſſime in ſequentibus tractauit, ut neq; breuiſſima expoſitione opus

A opus sit. omnia enim perspicua sunt ijs, qui meminerint quæ proposita sunt. explicabo tamen, si quid mihi obscurius esse uideatur.

63 *Quòd si uincula ex loris non sint mollibus, & quæ facile tractentur, sed tantum uel catena, uel rudentes, uel funes, necesse est ante fascijs uel panniculis e lana eam partem inuoluere, qua potissimum inijci uinculum debet, & ulteriorem quoque postea deuincire.*

Nauium rudentes græci uocant ὅπλα, hoc est armamenta, quod Poeta indicat in eo carmine,
Veliuolæ sub porticibus tunc forte iacebat.
Armamentum illic. Constat & Hippocratē, quū rudentes ὅπλα dixit, eos funes intellexisse, qui in nauibus habētur. nā eos, qui in urbibus, & qui in agro communi funium uocabulo appellauit σχοινία.

64 *Ad hæc super lectum, qui ex ijs, quorum copia est, firmissimus sit, & maximus, recte homo extendatur. lecti autem pedes, uel qui a capite, uel qui a pedibus sunt, uel ab exteriori, uel ab interiori parte fulciantur, ita, ut fulcra limini firmiter hæreant: sed ad alios pedes collocetur lignum quadratum transuersum, quod perueniat ab uno pede ad alterum, ac si tenue sit ad pedes lecti deligetur, si crassum, sine uinculo relinquatur: post hæc uinculorum capita tam eorum, quæ uersus caput procedunt, quàm eorum, quæ uersus pedes, utraque ad pistillum, uel ad aliud tale lignum uinciantur. uincula autem uel recta iuxta corpus porrigantur, uel paulo etiam superiora conuenienterque a pistillis intenduntur, quæ erecta sint, sic ut* B *unum limini obijciatur, alterum ligno, quod adiectum est, sic igitur per pistilla ad se attracta adhibere uim oportet. satis autem esset loco liminis & ligni appositi scala, quæ gradus firmos haberet, lecto subiecta, ut pistillis hinc & inde admotis, uincula extenderentur. Reponitur item hoc modo femoris articulus, siue in interiorem, siue in priorē partem eruperit.*

*A. Homo scalis insidens.*
*B. Sporta lapidum plena cruri læso appensa.*




*Scala defoditur, cui homo insidet integro crure, leniter extento, & quà commode poterit alligato: uitiato cruri uas fictile appenditur aqua plenū, uel calathus in quem coniecti lapides fuerint. Est & alter reponendi modus ad eos, quibus femoris caput in interiorem partem luxatur. transuersum lignum inter duas columnas deuincitur, quantum res postulat sublime, & ab una parte extra columnam cubitum porrigitur, deinde homo uestimentis pectore obuoluto super eam partem transuersi ligni, quæ extat, collocatur, ac pectus per latam habenam ad columnam deuincitur, integrum crus ab aliquo tenetur, ne subuertatur, sed affecto appenditur res aliqua, quæ grauitatem habeat conuenientem, ut supra quoque dictum est. Ante omnia igitur scire licet omnium ossium commissuras plerunque sinu & capite contineri, & in alijs sinum cauum esse, & oblongum: in alijs* C *parum desidentem. Semper autem restituere conuenit omnes articulos, qui exciderunt, protinus, quum adhuc calidi sunt, uel certe quàm celerrime. nam, qui reponit facilius, & citius reponit, & æger minorem molestiam sentit, ubi priusquam locus intumuerit, articulus restituatur. Perpetuo item, ubi reponēdus articulus est, emolliri ante debet, & dimoueri, sic enim promptius reuerti consueuit. ubicunque autem reponitur, imperanda abstinentia est maxima, ubi maximus fuerit, & difficillimus ad reponendum: minima, ubi exiguus, & facile recondatur.*

## *DE DIGITIS LVXATIS.*

65 *Quòd si digiti articulus excidat, seu primus, qui ad manum pertinet, seu secundus, seu tertius, eadem est & æqualis reponendi ratio, maximi quidem articuli semper ægrius restituuntur. excidunt autem in quatuor partes, uel sursum, uel deorsum, uel utrinque ad latera, sed maxime in superiorem partem, minime in latera, quod accidit, ubi uehementer mouean*D *tur, quòd si a latere prorumpunt, ab ea parte, in quam ueniunt, quasi capitulum rotundum conspicitur, & leniter cauum: si in superiorem uel inferiorem partem prolabantur, quum hic locus leuior sit, quàm qui a lateribus, simulque procidentium articulorum excessus paruus, facilius reconduntur. Reponendi ratio sic habet. summus digitus fascia uel aliqua tali re inuoluitur, sic, ne dum intenditur, extrema parte prehensus elabatur. quo inuoluto unus eam regionem, quæ super primam palmæ partem est, alius inuolutam partem, ad se uterque ualenter attrahat, simulque excedens articulus in suam sedem compellatur. Si a latere excedat, ratio extendendi eadem est. namque, ubi uidebitur loco excessisse, simul dum intentio adhibetur, protinus in suam sedem cogendus est: sed interim alius ab altera parte debet digitum repellere, cauens, ne in eam rursus prolabatur. Commode quoque restituuntur per digitorum tegmenta ex palmis intexta, quæ a lacertis σαῦραι græce nuncupantur: ubi in diuersa digitum extenderis, prehendens altera manu primā palmæ partem, altera tegmentū, posito articulo, debes quàm citissime deuincire fascia tenuissima, inuncta cerato, quod nec nimis molle sit, nec nimis durum, sed moderate, cum quod durum est, a digito recedat, quod liquidum & molle digiti calore tabescat & resoluatur. Soluendus aūt est digiti articulus tertio aut quarto quoque die. atque in uniuersum, si inflammatio locum occupauerit, frequentius soluēdus est, si minus, rarius, quod communiter de omnibus articulis intelligi uolo. confirmatur autem digiti articulus decimo quarto die. eadem uero curatio est digitorum manus ac pedis. Quicunque articulus recondatur, debet homo inedia ac tenui uictu usque ad septimum diem uti, ac si inflammatio sit, frequentius resolui, alioquin rursus. semper autem quiescere uitiatum articulum conuenit, & quàm optime figurari.*

E

## DE GENV LVXATIONE.

*A. Canterius inter duas columnas deligatus.*
*B. Homo canterio insidens pectore ad columnam alligato.*
*C. Alter crus sanum detinens.*
*D. Vas testaceum aqua plenum cruri laeso appensum.*




*Genu ob expeditam facilemque naturam benignius cubiti gibbo est:*
*unde etiam facilius excidit: atque in interiorem partem saepius: sed & in*
*exteriorem & posteriorem aliquando. Cuius repositiones fiunt uel ex re-*
*pentina conflexione, uel ex calcitratione, uel si in rotundam aliquam mo-*
*lem fascia conuoluta, ac super poplitem imposita crus eò repente fue-* 50
*rit adductum. Potest etiam si moderate extendatur, cum in posteriorem*
*partem prolapsum est, non secus ac cubitus, reuerti. Cum uero hac uel il-*
*lac excessit, ex conflexione uel ex calcitratione reconditur. Restitutio ta-*
*men quae extensione moderata fit, communis omnibus est. Si non redierit*
*genu, cum retro quidem excessit, conflecti nequit: sed neque admodum id*
*potest, cum alias in partes excidit: femoris uero & tibiae pars anterior*
*imminuitur. Si interius prolapsum est, ualgiores euadunt: & exterior pars*
*minuitur. Si exterius, magis uari, & minus claudi efficiuntur. crassiore*
*autem osse gestantur: hisque ab interiore parte imminutio fit. Iis autem* F
*qui ab ortu, aut in incremento luxationem hanc patiuntur, eo modo, quo* 51
*superius diximus, res cedit.*

## DE TALI LVXATIONE.

*Tali luxationes ualida extensione uel manu, uel alijs huiusmodi adhibi* 52
*ta indigent, directioneque quae simul utraque efficiat. Sed hoc commune*
*omnibus est.*

## DE PEDE.

*Quae in pede contingunt, sic, ut in manu, curantur. eadem item ex ti-*
*bia communicatio, si exciderit aut ab ortu, aut cum crescunt, sicut in ma*
*nu fit. Quicunque autem desilientes ex alto, uehementer calce innixi sunt*
*sic, ut ossa dissederint, & uenae exuccatae, & nerui fuerint contusi, atque* G
*haec grauiter euenerint: periculum ijs est, ne os sideratum toto auo negocia facessat. fluida enim ossa euadunt, &* 53
*nerui inter se communicationem habent. Quibus item ex uulnere, uel in tibia, uel in femore, uel ex absolutione neruorum*
*qui communicant cum his, uel ex negligenti cubatione calx denigrata fuerit: ijs recrudescant, & interdum ad siderationē*
*febres superueniunt acutae, singultuosae, mentem attentantes, & quae celerem mortem afferant: uenarum item sangui-*
*fluarum liuores, recrudescentium notae sunt: si exuccata & denigrata, uicinaque his, subdura & subrubra sint: sique cum*
*duritia, liuida euaserint, ne nigrescant, periculum est. si subliuida, uel etiam liuida exuccata fuerint, uel subuiridia & mol*
*lia, in omnibus huiusmodi bona signa prae se ferunt, Curatio horum haec est. si absit febris, ueratrum est exhibendum: si ad-*
*sit, dandum non est: sed loco potus oxyglycy est praebendum, si opus sit. deligatio quae articulorum est, conuenit: deligan-*
*daque omnia magis sunt. ad contusiones sicut pluribus linteis & mollioribus utendum, ita minus comprimendum est: ple-*
*raque calci circumuoluenda. Figuratio ea est seruanda: quam deligatio requirit, ne uidelicet in calcem deprimatur: feru-*
*lis utendum non est. At quibuscunque pes uel ipse excesserit, uel cum appendice (in interiorem autem partem magis exci-*
*dit) ijs si non reuersus sit, & coxa & femur, & ea tibiae pars temporis processu attenuatur, quae e regione luxationis est. re-*
*positio eadem quae & primae partis palmae: ualidaque extensio adhibetur, Curatio, quae articulis. si quiescant, minus quàm*
*in manu recrudescit. quiescentibus uero tenuior uictus exhibendus est. Quae autem ab ortu, aut cum crescunt contingunt,*
*sicut superius definiuimus.*

Deest explanatio.

# GAL. IN APHORISMOS HIPPOCRATIS COMMENTARII SEPTEM,

*Quos a Nicolao Leoniceno translatos, Io. Baptista Rasarius post omnes aliorum emendationes diligentissime cum Graecis libris contulit, & innumerabilibus in locis restituit.*

## COMMENTARIVS PRIMVS.

1 *VITA breuis, ars longa, occasio praeceps, experimentum periculosum, iudicium difficile. Nec solum seipsum praestare oportet opportuna facientem, sed & aegrum, & assidentes, & exteriora.*

† In quibusdã lib. legitur, παρόντος.i. huius.

Hanc orationem, siue unus sit aphorismus, siue plures, esse procemium † totius operis, constat inter omnes fere eius expositores. Quid uero sibi Hippocrates uolens, tali utendum procemio censuerit: est dictu difficillimum. Forte uero idipsum inueniemus, si singulas orationis partes prius considerauerimus. Quòd igitur uitam dixerit breuem artis comparatione, omnibus fere libri expositoribus est manifestum. Artem uero hac ratione arbitror ab ipso longam existimari, quoniam omnium fere actionum particularium occasionem habeat momentaneam, & ob id difficulter comprehensibilem: ut nemo eam possit agnoscere, nisi qui diu in hac fuerit exercitatus. Ac, cum duo sint instrumenta ad artes inueniendas necessaria, experimentum, & ex ratione iudicium: illud quidem periculosum est,
C hoc autem haudquaquam facile existit, immo, siquid aliud, maximam habet difficultatem. Est igitur occasio praeceps, quia materia circa quam uersatur ars, fluxa est. Corpus siquidem nostrum ualde mutationibus obnoxium est: neque a causis externis tantum, sed ab internis etiam facile alteratur. Experimentum uero periculosum est, propter materiae dignitatem, non propter transmutationis facilitatẽ. haec enim in momentanea occasione continetur. Iudicium uero siquis (ut ego assero) pro ratione accipiat, liquet ipsam esse difficillimam, cum ad hoc usque aeui ambigua permanserit: Si uero (ut non nulli, qui se ab experientia empiricos nominant, opinantur) per iudicium intelligat eorum, quae experientia eueniunt, dijudicationem: sic quoque non est obscura eius rectitudinis difficultas. Sed auctorem libri esse dogmaticum in tota ostendetur commentatione. Prima itaque procemij particula ad hunc usque locum terminatur. Secundam autem scribit non ut pronuncians, sed ut consulens: Nec solum seipsum praestare oportet opportuna facientem, sed & aegrum, & assidentes, & exteriora. Quorum uerborum uis talis existit: Si debes exquirere, & examinare ueritatem eorum, quae in hoc libro scribuntur, non modo teipsum medicum oportet omnia rite gerere: sed & aegrum, & ministros: atque insuper exteriora omnia esse recte comparata. Prima itaque pars orationis hoc unum caput complectitur: Vita breuis, ars longa. Nam reliqua, quae sequuntur, artem esse longam demonstrãt. Post hãc
D secunda pars quoddam ueluti consilium siue pactum affert illis, qui librum lecturi sunt, ac de eo laturi sentẽtiam. Sed quidnam sibi uult statim in libri principio hoc scribens, breuem esse uitam, si ad artis magnitudinem conferatur? Nam hoc ipsum indagare, ab initio proposueramus. Sunt itaque non nulli, qui uolunt id egisse Hippocratem, exhortandi homines gratia ad artem gnauiter exercendam: Nonnulli contra, dehortandi causa: Quidam ad hunc finem, ut experiretur atque discerneret eos, qui gnauiter, & eos, qui secus, artem essent exercitaturi: Alij uolunt ipsum causam attulisse, ob quam oportuit scribere commentationes: Alij adijciunt, aphoristicas: Quidam hoc sermone putant ipsum causas assignasse, propter quas haec ars sit coniecturalis: Alij, ex quot causis contingat medicos suo fine frustrari. Hi igitur, ut a postremis primum incipiam, mihi omnino uidentur nihil consonum dicere. Quam enim prae se ferret sapientiam, aut quid Hippocratis sententia dignum, statim circa initia operis docere, uel quòd ars quaedam coniecturalis sit medicina, uel quod eius frustramur fine, siue hoc fiat ex nobisipsis, siue ex magnitudine artis? Sed & uerba illa, Nec solum oportet praestare seipsum opportuna facientem, sed & aegrum, & assidentes, & exteriora, contrarium omnino indicant. Haec enim omnia illi magis scribere conuenit, qui profiteatur omnia, quae in libro continẽtur, esse uera, quàm qui fateatur ob multas causas non sortiri finem. Neque enim dixisset, Oportet au-

tem: sed post illa uerba. Vita breuis, ars longa, occasio præceps, experimentum periculosum, iu- E
dicium difficile, hæc alia subiunxisset, Et medicus ipse etiam delinquit, & ægri, & eorum ministri.
Sed neque illi, qui aiunt uoluisse ipsum auertere lectores a studio medicinæ, cum dicat uitam esse
breuem, artem uero longam, uidentur mihi conuenietia dicere. Nam extrema foret dementia, simul
scribere commentationes, quæ posteritati utile quidpiam tradant, simul ab initio statim non solum
a legendo uel discendo ea, quæ scripseris, dehortari, sed etiam ab arte uniuersa, cuius doctrinam
profitearis, abalienare. Qui uero aiunt uoluisse ipsum homines ad artem impensiori studio capes-
sendam excitare (neque enim aliter posse totam tempore breui, cum sit longa, perdisci) ij etsi ali-
quid ueri dicunt, non tamen mihi uidentur uel uiri sententia dignum, uel ijs, quæ hoc in libro scri-
buntur, congruens satis procemium ostendere: Sicuti neque quicunque arbitrantur hoc genus ser-
monis fuisse ab Hippocrate usurpatum tentandi gratia illos, qui ad artem accedunt. Verum enim
est, quod etiam a Platone dicitur, hac maxime uia periculum fieri de illorum animo, qui quamuis
artem sunt percepturi, si magnam atque difficilem esse illis eam doctrinam ostendamus. Atqui hoc
neque per librum aliquem, sed per mutuos sermones agitur, neque mihi congruens uidetur præ-
senti commentationi; siquidem procemium oportet ijs, quæ sunt in libro scribenda, esse accom-
modatum. Nisi forte quis sentiat, omnium librorum primos legendos esse aphorismos, atque F
ideo Hippocratem in procemio commentationis communem fecisse uniuersæ arti sermonem: uo-
lentem per hunc ostendere, non posse unumquenque suo arbitrio artem discere medicinalem, lon-
ga cum sit, sed illos tantum, quibus suppetat tempus ad discendum, & natura sint ad hoc aptio-
res. Quòd si probabile prorsus appareat hanc totius artis communem esse præfationem: neque
illi sunt reprehendendi, qui aiunt Hippocratem causam assignasse, ob quam commentationes scri-
bere oporteat. Fecit autem & in libro, qui de officina medici inscribitur, omnium quæ in tota arte
leguntur, commune procemium, quemadmodum in eiusdem libri expositione fuit a nobis osten-
sum. Illorum itaque sententia, qui uel doctrinæ modi, uel certe commentariorum utilitatis cau-
sam uolunt in procemio assignari, mihi præferenda uidetur. Nam & forma doctrinæ aphoristica,
quæ omnes rei proprietates breuissimis uerbis circumscribit, est illis utilissima, qui uolunt breui
tempore longam artem docere: Et conscribere commentationes ob id, quòd uita sit breuis, si
ad artis magnitudinem conferatur, iustissima ratio est. Nemo enim nostrum satis esse potest ad ar-
tem simul & constituendam & absoluendam: sed satis superque uideri debet, si, quæ multorum an-
norum spatio priores inuenerint, posteri accipientes, atque his addentes aliquid, illam aliquando
perficiant. Vel enim propter istorum alterum, uel propter utrunque, mihi uidetur tali esse usus G
procemio, ac si ita scripsisset: Quoniam artis magnitudo uitam excedit hominis, adeo ut ab ho-
mine quantumuis diligenti ac laborioso non possit & inchoari, & ad finem usque perduci: pro-
pterea operæpretium est, quæ quisque cognouit, ea mandare literis, & tradere posteritati com-
mentationes, quæ rerum docendarum naturam omnem diligenter, breuiter, & dilucide interpre-
tentur. Quod uero ars longa sit, uerba hæc, quæ subsequuntur, ostendunt: Occasio præceps,
experimentum uero periculosum, iudicium difficile. Quasi ita dixerit: Vita breuis, ars longa:
quoniam & occasio præceps, & experimentum periculosum, & iudicium difficile. Propter hoc e-
nim & ars longa, quoniam occasio agendorum in ipsa est maxime præceps, hoc est angustissima &
breuissimi temporis. Præterea, cum sint duo instrumenta, per quæ remedia inueniuntur, ratio, &
experientia: hæc quidem est periculosa, ratio uero difficilis, hoc est non facilis cognitu. Vera au-
tem esse, quæ dicuntur, non est difficile paucis ostendere. Occasio enim præceps est propter artis
materiam: dico autem corpus, quod continue fluit, & momento temporis transmutatur. Expe-
rimentum autem periculosum est & ipsum, materiæ ratione. Neque enim lateres, lutum, ligna,
lapides, tegulæ, coria, artis medicinalis, ut aliarum, materia sunt: in quibus experiri & exercitari
multis modis impune licet illi, qui se circa materiam exerceat, & artis theoremata meditetur: id H
quod in lignis carpentarij, in corijs coriarij faciunt. Ligna siquidem & corium male tractantem
corrumpere, nullum periculum est: at in corpore humano illa experiri, quæ non sunt experientia
comprobata, non est citra periculum, cum mala experientia ad totius animalis interitum termine-
tur. Iam uero & iudicium (sit autem ratio ipsa iudicium, quoniam per eam, quæ sunt facienda, iu-
dicantur) difficile est, nec inuentu facile. de uero autem iudicio loquor: atque hoc sectarum mul-
titudo in arte medicinali ostendit: Neque enim, si ueritas esset inuentu facilis, tot ac tanti uiri, qui
illam perquisierunt, unquam in tam repugnantes sententias deuenissent. Empiricis uero non uide-
tur ratio dici iudicium, sed, quæ per experientiam inuenta fuere, auxiliorum dijudicatio. Nam,
ut uerum fateamur, & hæc difficilis est, nec exploratu facilis, quando multis remedijs ægrotan-
ti adhibitis, aliquod unum illorum in causa fuisse dijudicat, ut æger uel melius se habeat, uel
deterius: quem si forte contigerit bene dormijsse, deinde unctum fuisse, postea emplastrum ad-
hibuisse, deinde clysterem, uel spontaneam uentris deiectionem habuisse, deinde tales cibos
assumpsisse, & post hæc omnia sensisse iuuamentum uel detrimentum: non facile dictu est, quid-
nam eorum, quæ circa ipsum facta sunt, aut iuuerit, aut nocuerit. His igitur ex causis omni-
bus

A bus iudicium est difficile. Sed iam sermonem totum uno capite colligamus. Ars quidem est longa, si eam unius hominis uita metiamur. Expedit autem relinquere posteris commentationes, præsertim compendiosas, atque aphoristicas. Nam talis doctrinæ modus, & ad primam disciplinam, & ad illa, quæ quis didicit, retinenda, quæque oblitus postea fuerit, in memoriam reuocanda, utilissimus est. Consonant autem his & uerba sequentia. Nam, tanquam procemium fecerit & ipsi commentario, & his, quæ in eo scribenda fuerunt, conuenienter subintulit. Nec solum oportet præstare seipsum opportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes, & exteriora. Siquis (inquit) aliquando dijudicaturus est, quæ in hoc libro scribuntur, quantum habeant ueritatis: non solum seipsum præstare debet opportuna facientem, & nihil, quod ægro possit conducere, prætermittentem: sed & ipse æger parere medico debet, & in nullo propriæ indulgere uoluptati: ministri etiam idonei assideant, oportet: & exteriora omnia adsint apparata. Nam propter illa plerunque uel præcognitionem, uel curationem, uel utraque interrumpi contingit. Exteriora autem sunt habitationes idoneæ, uel turbarum plenæ, uel turba uacantes, præterea quæ nunciantur & aguntur, quæque iram, aut tristitiam, aut aliquem alium affectum ægrotanti infligunt, ad hæc illa, quæ noctu somnum abrumpunt, quæ prope infinita sunt. Si igitur (inquit) hæc omnia bene & recte se habuerint: nihil eorũ, quæ in hoc
B libro scribuntur, falsum esse inuenietur.

2 *In perturbationibus uentris, & uomitibus spontinis, si talia purgentur, qualia purgari oportet: confert, & leuiter ferunt: sin minus, contra. Sic & uasorum inanitio si talis fiat, qualis fieri debet: confert, & bene tolerant: sin minus contra. Inspicere itaque oportet & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat, aut non.*

A.l.1.f.4.c.3. p.136.D. & E A.l.1.f.4.c.4. p.138.F.

Non de quantitate eorum, quæ euacuantur, sermo ipsi est (ut nonnulli sunt arbitrati) sed de qualitate tantum, ut manifestant duo uerba, qualia, & qualis. Nam in ijs, quæ sponte fiunt, euacuationibus, ita dixit. Si qualia oportet purgari, purgentur: confert, & leuiter ferunt. In alijs uero, quæ a medico, Si qualis fieri debet, ita fiat. Atqui potuisset dicere, Si, quantum purgari oportet, purgetur. & rursus, Si tanta fiat, quanta debet fieri. Hoc idem ostenditur & ex uerbo purgari. Neque enim simpliciter dixit, Si, qualia oportet euacuari: sed, Si, qualia oportet purgari. Est autem purgatio, humorum, qui sua qualitate molestant, euacuatio. In his itaque multi delinquunt expositores, qui neque uerba, neque mentem hominis recte percipiunt. Adhuc autem magis peccant, cum nomen uasorum inanitionem alij pro inedia accipiunt, alij pro uenæ sectione. Hippocrates si-
C quidem omnem euacuationem solet ab euentu nominare uasorum inanitionem: quoniam in omnibus euacuationibus contingit uasa inaniri. Sermo quippe nunc ipsi est de qualitate eorum, quæ euacuantur. Sicuti autem semper adhortatur, ut, quæ recte a natura fiunt, medicus imitetur: sic & nunc idem agit, a spontinis euacuationibus suam exorsus orationem: in quibus si, qualia oportet purgari, purgentur, (hoc est ea, quæ corpus infestant) confert, & leuiter ferunt. Quòd si aliorum fiat euacuatio, & non eorum, quæ corpora nostra molestant, contrarium euenit: neque enim confert, & grauiter ferunt ægrotantes. Eodem pariter modo, si medicus moliatur aliquam facere euacuationem, eorum esto, quæ corpora nostra molestant: quemadmodum & in alijs locis humorem noxium præcipit euacuari, neque alterum illi in euacuatione præferri. Si igitur pituita superabundet, hanc omnino oportet euacuari: flaua autem bile uel atra infestante, abstinendum est a pituita, & bilem infestantem euacuandum. Sic & si sanguis in corpore modum excesserit, sanguinem euacuari oportet: itidem & serosam eius partem, si hæc fuerit superabundans. Humorem autem superabundantem ex
« colore debemus coniectari, nisi aliqui forte in profundum recesserint. Color enim similis efflorescit
« humoribus, si non retro gurgitauerint. In ijs ergo præcipue, qui retrocesserunt, & non sunt æqua portione per totum corpus diffusi, oportet inspicere tempus anni, & regionem, & ætatem & mor-
D bos, in quibus conueniat, aut non: hoc est in quibus conueniat, aut non, talis uel talis humoris facere euacuationem. Habet enim & unusquisque humor in corpore superexcedens indicia propria, de quibus deinceps plenius dicemus. Perfectæ tamen gratia cognitionis, inspicere oportet tempus anni, quod præsens est, & regionem, in qua degunt ægrotantes, & eorum ætatem, & speciem ægritudinis. Sint enim, si ita contigerit, flauæ bilis in corpore abundantis indicia: simul cum ipsis inspiciendum erit, si tempus æstiuum, si regio calida, si æger in ætatis uigore consistit. Eodem modo & in pituita considerandum est, si adsit hyems, si regio frigida, si homo senex. Et præter hæc omnia, ipsam morbi speciem inspicere oportet: ueluti quòd tertiana (si ita contigerit) fit a flaua bile modum excedente, quartana ab atra, quotidiana a pituita, cancer ab atra bile, erysipelas a flaua, atque singulæ aliæ morborum species. Si enim hæc omnia distinxerimus, firmius atque stabilius ad noxij humoris euacuationem perueniemus. Illi igitur expositores præ alijs (ueluti absurda dicentes) sunt repudiandi, qui putant ipsum de sola inedia, quæ adhibetur in febribus, sermonem habere. neque enim ipse febres nominauit, sermoque fit de omnibus in uniuersum, quæ sunt præter naturam: intentiones nos docens, ad quas respicientes nos oportet inuenire non quantitatem, sed qualitatem euacuationis. Nam de quantitate, sequens differit aphorismus. Quo autem morbi tempore aggredi oporteat euacuationem, & quo modo ipsa sit facienda, in alijs deinceps dicet aphorismis. quare

neque nunc mihi de his dicere est necessarium. Sic enim nostra doctrina non foret sapientior, & cõmentationes ad immodicam minimeque necessariam prolixitatem peruenirent. E

*Habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint. Neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere. Cum uero non quiescant: neque possunt proficere in melius: Reliquum est, vt decidant in deterius. His de causis, bonum habitum statim soluere expedit, vt corpus rursus nutriri incipiat. Neque compresiones, ad extremum ducendæ: (periculosum enim) sed qualis natura fuerit eius, qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Sic & euacuationes, quæ ad extremum deducunt, periculosæ. Et rursus refectiones, cum extremæ fuerint, periculosæ.* 3

Illum, qui antecedit, sermonem esse de eorum, quæ euacuantur, qualitate, docuimus. In hoc autem & sequentibus uult de quantitate docere: & ab immoderata repletione atque euacuatione initium sumit in hoc quoque aphorismo proposito, sicuti in alio præcedente, quoddam exemplum supponens, & ad ipsum, ut consueuit, suum sermonem dirigens. Exemplum autem ipsi est, exercitatorum bonus habitus. Vocat autem bonum habitum exercitatorum, illorum, quibus hoc est totius uitæ institutum, assidue operam dare exercitationibus, ut alios deijciant, qui mos est athletarum. Qui enim simpliciter bonus habitus nominatur, quem plurimi agricolæ habent, in fodienda terra, metendis segetibus, & alijs ruralibus laboribus occupati, ad immodicam repletionem non attingit. Athletarum autem bonus habitus non paruam culpam habet, studere magnitudinem molis corpori adijcere, &( ut liquere potest) humorum multitudinem. Hi enim apparatus sunt toti corpori nutriendo, qui si ipsi præsto non adsint, fieri non potest, ut corpora ad molem immodicam perducantur. Quare necessarium est huiuscemodi dispositionem esse periculosam. Cum enim uasa cibis ac potibus fuerint supra modum repleta, periculum est, ne aut ipsa dirumpantur, aut calor natiuus suffocetur extinguaturve: sicuti etiam subita morte interierunt athletæ quidam, cum ad summam repletionem uenissent. Qui autem ad naturæ opera utilis est bonus corporis habitus, nulli tali periculo obnoxius est, quia nunquam ad extremam peruenit repletionem: quare neque ipsum soluere oportet, sicuti habitum athletarum, cum ad extremum peruenit. Hunc enim soluere oportet, haudquaquam morantes, sed anticipantes solutione periculum. Causam uero, ob quam soluere ipsum oporteat, talem ipse subiecit dicens: Neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere. Nam, cum semper natura coctionẽ, distributionem, sanguinis generationem, adiectionem, agglutinationem, atque assimilationem operetur: quando nihil adijci solidis corporis partibus potest, neque uenæ amplius habent conceptaculum, in quod alimentum distributum recipiatur, tunc necessario periculum imminet, ne aut uas aliquod dirumpatur, aut subita mors obueniat. Vt igitur corpus rursus habeat locum, quo nutriatur, bonum habitum oportet sine mora soluere. Eius autem solutio est euacuatio, ut liquet. Et hanc quoque oportet non ultra modum facere: cum sit immodica euacuatio non minus immoderata repletione periculosa. Intentio autem quantitatis euacuationis, non solum humorem superabundantem respicit, sed & naturam, hoc est uires hominis, qui debet euacuari. Alij enim alijs magis minusve perferunt euacuationes. Hæc itaque ab ipso de bono habitu athletarum dicta fuere, quæ quidem ipsa per seipsa possunt conducere ijs, qui tale uitæ institutum elegerunt: medicis autem sunt ueluti exemplum sermonis postea subiungendi. Inquit enim, Sic & euacuationes, quæ ad extremum deducunt, periculosæ: Et rursus, refectiones, cum extremæ fuerint, periculosæ. Tale quid in toto hoc sermone indicare uolens, quòd nimirum neque euacuare, neque replere supra modum oporteat: cuius rei documento esse potest bonus habitus athletarum, qui alioqui inculpabilis existens (nam & bonis abundant humoribus, & uires robustas athletæ habent) hoc solum malum maximum continet, quòd ad extremam uenit repletionem: quapropter statim eum soluere oportet. Et, sicuti rursus, qui sunt tali habitu præditi, non sunt ad extremam euacuationem perducendi: sic, & qui alia quauis egent euacuatione, non sunt supra modum euacuandi. Nam, ut in uniuersum dicamus, in omni euacuatione uires ægroti oportet attendere: &, donec tolerant, nec laborant, tentandum est humorem exuperantem educere. cum uero dissoluuntur uires, etiam si restent aliquæ superfluitates: cauere oportet earum euacuationem. Quod autem ait, Et rursus refectiones, cum extremæ fuerint, periculosæ: siquis debeat sermonem hunc ad exemplum referre, ne sit decurtatus, de ultima dictus repletione uidebitur, quam iubet caueri, & non usqueadeo reficere corpora, ut ad extremam ueniant repletionem. Si uero sermonis figuram attenderis, ut non nulli expositores fecere: de eadem re bis ipsum dicere, sed aliter atque aliter, cogitabis. Cum igitur ita dixerit, Sic & euacuationes, quæ ad extremum perducunt, periculosæ: per hoc ipsum solum putabis præcipere, fugiendas esse immodicas euacuationes, quoniam sint admodũ periculosæ. Cum uerò postea subiungens dixerit, Et rursus refectiones, cum extremæ fuerint, periculosæ: ob hoc uetare immodicas euacuationes, quoniam & refectiones post ipsas factæ, haudquaquam securæ existunt, cum sit natura iam facta imbecillis, & neque iam possit sufficienter coquere, neque distribuere alimentum, neque assimilare. Verum, siquis ita sermonem acceperit: altera doctrinæ pars de extrema repletione, manifeste relinquetur, & frustra exemplum de bono exercitatorum habitu erit allatum. Quid, quod & hoc ipsum uerbum, rursus, in tota adiectum oratione, sententiam, quam diximus, uidetur manifestare, cum ita dicat. Et rursus refectiones, cum extremæ fuerint, periculosæ. Vt enim qui de alia re sermonem faciat, ita uerbum, rursus, apposuit.

*Victus*

F; A.l.1.f.1.d.; c.6.p.85.C.; G; A.l.1.f.4.c.3.; p.136.D.; H

A. l. 1. f. 4. d. 8. c. 1. p. 132. F. & 133. A.

4 A *Victus tenuis atque exquisitus, in passionibus quidem longis semper, in acutis vero, in quibus non convenit, periculosus. Et rursus, qui ad extremum devenit tenuitatis, gravis est. Nam & repletiones, quae ad extremum deveniunt, graves sunt.*

Cum in superiori aphorismo de qualibet in universum immodica repletione atq; evacuatione locutus fuerit: in hoc de aegrotantium uictu sermonē habet, praecipiens nobis, in passionibus longis semper uictum cauere tenuem, in acutis uero non semper. plurimi enim horum uictum tenuem exigere uidentur: quidam uero eorum & illum, qui ad extremum tenuitatis deuenit. Esset autem uictus tenuis in extremo, qui per solam inediam uel melicratum, usque ad iudicationem procedit: Tenuis uero, qui per pauca, aut parum nutrientia edulia, qualis est ptissanae succus. Eius autem terminus est uirium diminutio, quarum gratia nutrimus. In sanis itaque corporibus semper oportet robur seruare uirium, uel augere alimentis, non diminuere. Ac augens quidem alimentum est, quod plenum uocatur: conseruans autem, quod mediocre existit: diminuens uero, quod tenue dicitur. Hoc igitur semper fugere oportet: alijs uero, ut praesentia exigunt, uti. In aegrotantibus autem raro quidem accidit, ut robur corporis maius reddere, quàm acceperimus, studeamus: magna uero ex parte studemus in longis quidē morbis seruare uires, in acutis autem moderate debilitatas conseruare. Nam, si eas in istis tales, quales accepimus, uel seruare, uel augere semper studuerimus, morbum augebimus. Qui uero morbi acuti uictum exigant tenuissimum in extremo, quique tenuissimum quidem, non tamen in extremo, & qui tenuem: in libro de uictu acutorum (qui de ptissana a nonnullis inscribitur) plenius Hippocrates docuit: & nos nostris in eundē librū expositionibus, totum sermonem absoluimus. Nunc uero tantum hoc dixisse sufficiat, in omnibus morbis, in quibus † summus uigor & iudicatio primis quatuor diebus futura est, modo uires sint ualidae integram inediam seruandam esse, quae est in extremo tenuissimus uictus. In quibus uero non ultra primam septimanam protrahentur, ualidis existentibus uiribus, solo melicrato uti sufficiet. Solus autem hic uictus tenuissimus esset, non tamē in extremo. Quòd si uiribus non fidamus, ptissanae utemur succo. rationabiliterque huiuscemodi uictus tenuis dicetur: sicuti, qui per ptissanam hordeaceam, non est quidem tenuis exquisite, nisi omnino pauca assumpta fuerit: non tamen propterea plenus, qualis qui fit per oua, & alicam, & pisces, atque alia huiusce modi. Quod igitur adiectum est sermoni de acutis, in quibus non conuenit, * haudquaquam dicitur propter peracutos, de his enim ipse mox inquiet: Vbi igitur morbus peracutus est, statim & extremos labores habet, & uictu extreme tenuissimo utendum est.

† hoc verbum non est in graecis libris.

* Negatio ab est a Gal. lib.

5 *In tenui victu aegri delinquunt: quo fit, ut magis laedantur. Quicunque enim error committitur, maior in hoc fit, quàm* C *in paulo pleniori victu. Propterea etiam sanis periculosus existit valde tenuis & constitutus & exquisitus victus, quoniam errores gravius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus atque admodum exquisitus, eo, qui fit paulo plenior, magis periculosus.*

Huius initium aphorismi etiam aliter scriptum inuenitur, hoc modo: In tenui uictu magna ex parte *bifariam peccant, qui aegrotant: quo fit, ut magis laedantur. Et hanc scripturam plerique magis altera probant, hoc putantes Hippocratem uoluisse dicere, q in tenui uictu *bifariam aegri delinquentes, magis laeduntur. Nam inscijs medicis ob hoc ipsum coguntur cibari, quoniam tenui uictu ab ipsis reguntur: & hinc maius detrimentum suscipiunt, quàm si uictu tenui non regerentur. Adhuc autē delinquūt scilicet & iam natura existente imbecilli, ut quae antea alimenti inopia laborauerit. Mihi autē uidetur, prior scriptura melior, ut quae hanc quoque complectitur, & sermonem facit generaliorem, cum de omni delicto doceat, siue uolentibus, siue inuitis aegrotantibus accidat: ut talis sit sermo, Quicunque error accidit aegrotantibus, qui tenui uictu reguntur, hic maius affert periculum, quia & natura a tali uictu debilis facta est, & ad eum transitus est insuetus. Confirmant antedictam scripturam ea, quae de sanis dicuntur, in quibus tenuem ait uictum esse periculosum, quoniam errores grauius ferunt, non quia propter uictus tenuitatē cogantur delinquere. Quae uero in aphorismo sequunē, sunt manifesta.

* Verbū bifariam, in impressis lib. nō est, in scriptis reperitur.

6 D *Extremis morbis, extrema exquisite remedia optima sunt.*

Extremos morbos nominauit Hippocrates summos, ultra quos non sunt alij. Quare praecipit in ipsis tota curatione exquisitissima nos uti, ac proculdubio uictum quoque adhibere tenuissimum. tales autem prorsus sunt morbi peracuti (in peracutis autem, qui tertio die ad summum uigorem perueniunt, uictus summe tenuissimus optimus est.) Vnde sequentem subiungens aphorismum, ait.

Libri impressi habēt ἐσχάτως ἀκριβείη &c. i. atq; eos qui dē errare, hic perspicuū est, qd uires habēt imbecillas.

7 *Vbi igitur morbus peracutus est, statim & extremos habet labores, & extreme tenuissimo victu utendum est. Vbi vero non, sed pleniorē victum contingit adhibere: tantum cibi indulgendum est, quantum morbus extremis est mollior.*

Sicuti superius morbos, qui maximi sunt, extremos noiauit: ita & nūc labores, qui maximi sunt, extremos appellat: labores autē, uel accessiones, uel simpliciter casus uniuersos. Etenim accessiones, atq; oēs simpliciter casus maximos possidet morbus pacutus statim in primis morbi diebus: nā in ipsos statim morbi incidit uigor: qui nihil aliud est, quàm morbi quātum ad casus attinet, maximū. Iā uero morbus ille est peracutus, qui statim in summo uigore consistit. Statim autē, est intelligendū, circa primos quatuor dies, uel paulo ulterius. Idcirco autē extreme tenuē uictū adhibere cōuenit, si modo uictus tenuissimus morbis cōsistentibus est necessarius: queadmodum docuit in libro de uictu acutorum, & in hoc ipso aphorismo, Consistit autē extreme morbus peracutus statim in primis diebus. Quòd aūt sit rationi cōsonū in morbi uigore tenuissimo uti uictu, alibi est a nobis plenius ostēsum. Nunc id tm̄ dixisse sat erit,

Quae semicirculis inclusa sunt, in lib. impressis nō habentur.

A. l. 4. f. 1. t. 1. c. 3. p. 754. D.

fat erit.quòd, siquis propter inflãmationes, uel febres (quæ a morbis acutis sunt inseparabiles) quispiã uereretur effatu dignum afferre alimentum: hoc ipsum morbo in suo uigore consistente magis uerebitur facere. Tũc enim inflãmationes, quas φλεγμασίας appellat ipse in libro de uictu acutorũ, maxime existũt: siue quis eo nomine uelit intelligere illas, quæ proprie dicuntur phlegmonæ.i. inflammationes: siue etiam libeat febres una complecti, secundum antiquam uocabuli acceptionem. Accedit ad hæc, ꝙ melius est naturam permittere uacare circa morbi coctionem, morbo in suo uigore consistente, neque distrahere ipsam ad cibos recenter assumptos conficiendos. His rationibus itaque, cum morbus consistit, uictu tenuissimo oportet uti. Hoc ergo supposito, in alijs morbis, qui suum uigorem sunt posterius accepturi, non licet afferre statim ab initio extreme tenuissimum uictum. Nam sic prius homo morietur, quàm morbus in uigore consistat. In quibus uero morbi uigor statim futurus est, hoc est in primis quatuor diebus, in ijs possumus uictu extremo tenuissimo uti: cum uires tolerent & inediam omnimodam, & solius melicrati exhibitionem, & ptissanæ succum paucum omnino. talis quidem tenuissimus est uictus. Qui uero hoc minus tenuis existit, quem etiam pleniorem nominauit, illis conuenit morbis, qui posterius in suo debent uigore consistere: in quibus præcipit tantum a uictus tenuitate declinare, quantum morbus ab extremis recedit, hoc est a uigore summo. Hoc enim proximo existente, minus plenum uictum afferemus: longius uero distante, magis plenum: &, quanto tardiorem fore summum morbi uigorem expectabimus, tantum & uictus formam commutabimus.

*Quando morbus in suo uigore consliterit, tunc uictu tenuissimo utendum est.* 8 A.l.1.f.4.c.1. p.133.A.& 779.B.

Hic pariter sermo pars quædã est artis diæteticæ, id est, quæ docet uictum conuenientem adhibere: qui a nonnullis seorsum scribitur per uerba nunc dicta: ab alijs uero antecedẽti annectitur aphorismo, eo modo, quo adscriptus est. Docet autem nos, utcunque scribatur, unum & idem theorema, antiquo magistro præcipiente, ut, cum morbus in suo uigore consistit, uictu tenuissimo utamur, tum propter casuum magnitudinem, tum propter morbi coctionem. Neque enim distrahere oportet naturam ad alteram nouam coctionem, cũ eo tempore humorum morbum facientiũ coctioni fortiter uacet, & haud ita multo post ipsos sit euictura: Sic enim a nobis ostensum est in tractatione de Crisibus: de ijs uidelicet tantum morbis sermone [nunc] transacto, in quibus omnino & curationem & uictus rationem intendimus. Ij uero sunt, in quibus post uigorem sequitur declinatio. Nam, quorum uigorẽ excipit mors, in his ea sola parte artis utimur, quæ prognostica nominatur, id quod futurũ sit, prænunciãtes, ne euentus rerum nostro ascribatur errori. Hæc igitur tibi sit una indicatio, sumpta ex morbi temporibus ad uictus formam constituendam: altera uero a uiribus ægrotantis, quam in sequenti docet aphorismo. G

*Coniectari autem oportet, an æger cum uictu ad morbi usque uigorem perstet, an prius deficiat, nec possit cum tali uictu perdurare: quam morbus cedat, atque obtundatur.* 9 A.l.4.f.1.c.2. c.8.p.779.B.

Quia in superiori aphorismo tantum iussit ab eo, qui extreme tenuis uictus nominatur, declinare, quanto tempore morbus mollior extiterit suo uigore, hoc in loco nunc alteram adijcit intentionem, ut quantum de extrema uictus tenuitate recedendum sit, exquisite noscamus. Sumitur autem hæc intentio a uiribus ægrotantis: quarum gratia nutrimus. neque enim morbi causa. Cum enim uis ita robusta fuerit, ut speremus ipsam posse perdurare totum tempus intermedium usque ad morbi uigorem, cũ tali uictus figura: tunc exquisitam habebimus declinationis, quam diximus quantitatem. Quòd si imbecillior extiterit, adijciendum est aliquid uictui, & plenior est adhibendus, tanto, quantum uirium imbecillitas postulat. Quocirca aliquando in ipso etiam morbi uigore, ubi casus aliquis interuenerit robur naturæ dissoluens, nutrire cogimur. Est autem hic quoque sermo pars totius offerendi alimenti rationis. Vnde, siquis & hunc, & priorem, atque sequentem aphorismum unum fecerit, non aberrabit. Ego uero in partes secans expono, quoad fieri potest, doctrinæ gratia clarioris.

A.l.1.f.4.c.1. p.133.A

A.l.1.f.4.c.25.p.154.D.

*Quibus igitur statim morbus consistit, ijs etiam statim tenuis uictus adhibendus est: quibus uero posterius debet consistere, ijs & in ipso consistendi tempore, & parum ante illud, cibus subtrahendus: prius uero uberius uictus adhibendus est, ut æger sufficiat.* H 10 A.l.4.f.1.c.2. c.8.p.779.B

Hic pariter sermo eandem sententiam habet cum priore, nisi quòd est illo uniuersalior. Prius enim in peracutis morbis dicebat, ꝙ statim in ipsis tenuissimo uictu uti oporteret. Hic uero simpliciter de omnibus morbis pronunciat, quibus statim consistendi tempus futurum est, hoc est, nõ multo post primam inuasionem: iubens ob id tenuem adhibere uictum. Quæ uero sequuntur, manifesta: cum eidem hæreant sententiæ.

*In accessionibus * abstinere oportet: nam † cibum dare noxium est: &, quibus per circuitum fiunt, accessiones, in ipsa accessione * abstinere oportet.*

* [illegible] i. cibũ adimere.

† [illegible] i. prebere.

Totius quidem uictus rationem in unoquoque morbo a duabus intentionibus iussit sumere, ex futuro totius morbi uigore, & ex uiribus ægrotantis. Quo modo uero singillatim cibos dare conueniat, in hoc docet sermone, caueri iubens morborum accessiones. Ipse uero manifestius libro de uictu acutorum dixit, quòd neque, cum iam adsunt, neque, cum haud ita multo post affuturæ sunt accessiones, cibus dandus est, sed cum declinant & cessant. A.l.1.f.4.c.1. p.133.A.& f.25.p.154.D

*Accessiones*

12 A *Accessiones vero, & constitutiones morbi indicabunt, & anni tempora, & circuituum successiua incrementa, siue quoti*
*die, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. Sed & ex ijs, quæ mox apparent, indicia sumuntur: quemadmodum*
*in morbo laterali si circa initia statim sputum appareat, morbum breuiat: si uero postea appareat, producit. Et urina, &*
*alui excrementa, & sudores, quæcunque apparuerint, uel bonam morborum indicationem uel malam, uel breues, aut lon-*
*gos fore morbos ostendunt.*

Si quæ prius dicta fuerunt ab eo de uictus ratione, ad memoriam reuocemus: eorum, quæ nunc di-
cuntur, utilitas fiet nobis manifestior. Quæ autem prius dicta fuerunt, hæc sunt. Totius uictus figuram
ad duas respiciens intentiones faciebat, quarum altera erat uis ægrotantis, altera constitutio morbi.
Nam considerare, an morbus sit acutus, uel peracutus, uel longus, & quando maxime in uigore consi-
stet: morbi constitutionem est considerare. Particulares autem ciborum oblationes, ex accessionibus
particularibus coniecturabatur. Cum igitur tres essent intentiones ad perfectam & absolutam uictus
rationem instituendam, primaque ex uiribus ægrotantis, secunda ex morbi cõstitutione, tertia præter
has ex particularibus accessionibus sumerentur: uires quidẽ sub primo statim ingressu dignoscere me-
dicus potest, ex pulsibus scilicet & alijs, quæ ipse in libro præsagiorum latius explicauit: unde nullus ui
rium magnitudinem negauit dignosci posse. At, si non possumus earum quantitatem exquisite inueni-
B re, posse tamen nos artificiosa quadam coniectura ad ueritatem proxime accedere nemo inficiabitur.
Morbi uero constitutionem, qualis nam sit, & particulares accessiones, multi medici existimarunt non
posse dignosci: non tamen idem sensit Hippocrates: sed & in hac parte, sicuti & in alijs omnibus sæpe
quidem exquisite, &, ut quispiam dixerit, perite atque scienter, sæpe uero coniecturaliter quidem, non
tamen inartificiose, neque longe a ueritate, sed propinque ac proxime perueniemus ad præcognoscen
dum futurum consistendi tempus & accessionum reciprocationes. Verũ hæc omnia latius & in libris
præsagiorum, & in alijs, qui de uulgaribus morbis inscribuntur, Hippocrates docuit: nosque iuxta anti
qui magistri sententiam, ipsius uerba cum decenti expositione apposuimus in primo libro de Crisibus
in quo ostendimus, quomodo quispiam futurum morbi uigorem possit præcognoscere. Nunc uero
sunt omnia ab Hippocrate per capita tradita: nosque ipsa, quã breuissime fieri poterit, dilucidabimus.
Quibus uero curæ est, omnem de his disciplinam diligenter perdiscere, ad librum de Crisibus a nobis
conscriptum, legendum accedant. Ipsi igitur quoque morbi & ipsas accessionum proportiones, & suas
etiam constitutiones nihilominus ostendent: ueluti in intermittentibus, quòd tertiana cito iudica-
tur: quotidiana uero longa erit: quartana autem etiam hac longior existet. In continuis, quod causodes
quidem, id est incendentes, acutæ sunt, quæ uero typhodes, idest succendentes nominantur, longiores:
C mediæ uero inter has, semitertianæ. Quo modo uero quispiam has omnes febres statim inuadentes di
gnoscat, secundo libro de Crisibus plenius edocuimus: quare non oportet huc transferre, quæ in alijs
bene iam explicauimus: neque enim sæpius eadem in pluribus libris sunt repetenda, sed solum ad me-
moriam reuocandum, quo modo si possibile fuerit tertianam inuadentem statim ab initio cognoscere,
ex ea comprehendere queamus, quòd & cito iudicabitur, & quòd per tertium diem fient accessiones,
& hoc est, quod ab Hippocrate dicitur: Accessiones autem, & constitutiones, morbi iudicabunt &c.
Nos quidem, cum statim prima die febrium quartanarum initia sæpe cognouissemus: non expectata se
cunda accessione formam uictus ab initio constituimus, tanquam ad morbum, qui longo post tempore
ad suum uigorem foret peruenturus. idem in quotidiana & tertiana fecimus, tempus futuri uigoris in
utrisque secundum proprium terminum metientes. Sicuti autem in febribus, itidem in alijs morbis est
faciendum. Morbus enim lateralis, & qui peripneumonia & phrenitis a Græcis nominãtur, morbi acu
ti sunt. Angina autem, quæ græce synanche dicitur: iuxtangina, quæ cynanche: & cholera, & distentio
neruorum, peracuti. Aqua inter cutem, melancholia, suppuratio, & tabes, diutini. Ac morbo quidem
laterali, & phrenitidi magna ex parte per tertium diem accessiones fiunt: suppurationibus autem, quæ
uetri eueniunt, aut hepati, & rabi, quotidie, & magis ad noctem: qui uero ex liene laborant, & omnino
D melancholicis, per quartum. Quod autem subinde dicitur de anni temporibus, ad ea, quæ antea dicta
sunt, referri debent. Nam & morbi constitutiones, & accessiones possunt ab anni temporibus una cum
morbo indicari. Neque enim sufficit hoc tantum scisse, quod quartana inualit hoc die, ut ab initio præ
cognoscamus instituendam esse uictus figuram, ut ad morbum futurum diutinum: sed etiam, si hieme,
aut uere, uel æstate, uel autumno suum fecit initium, prospicere oportet: id cognoscentes, quòd æstate
quartanæ magna ex parte breues sunt, autumnales longæ, & magis, quæ hiemem attingunt. Nam hæc
eadem ipse nos in sequentibus edocebit. siquidem & tertiana febris est quidem & alioqui celeris iudi
cij, sed æstate longe magis, quàm hieme. Atque alijs singulis morbis æstas addit celeritatem, hiems ue-
ro tarditatem. Sed & accessiones, per tertium quidem maxima ex parte æstate fiunt, per quartum uero
autumno, singulis uero diebus aut noctibus hieme. Sicuti autem in anni temporibus, sic & in tempera-
turis ex proportione res se habet: de quibus & ipse Hippocrates sæpe disseruit, nõ tamen hic quidquã
dixit, ut qui ex uno alia nobis ad memoriam reuocanda reliquerit. Quæ enim tempus æstiuum, eadem
& ægri temperatura, si fuerit natura calidior & siccior: & ætas, si in suo uigore constiterit: & locus, si ca-
lidus & siccus, una indicabunt. Liquet autem, quod & industria uitæ, & assuetudo eodem modo se ha-
bent, & præsens aeris nos ambientis constitutio: de quibus postea docebit. Sic, & quæcunque de tem-
pore autumnali ad morbi constitutionem, & accessionum reciprocationem assumebantur: hæc eadem

& de ætate ægrotantis atque natura, & uitæ industria, & assuetudinibus, & regione, in qua ægrotat, & E
aeris ambientis, quæ tunc uagatur, temperatura assumere licet. Ex his quidem iam constare potest, q
& morbi constitutionem, & accessiones cognoscemus: Constitutionem quidem, si morbus fuerit per-
acutus, uel diutinus, quod ad consistendi tempus præcognoscendum est necessarium: Accessiones ue-
ro, an per tertium, uel per quartũ, uel singulis diebus, siue qua hora diei aut noctis sint inuasuræ. Quòd
uero circa finem aphorismi scribit, deinceps uideamus, si ad eorũ, quæ nos diximus, faciat declaratio-
nem. Sic enim Hippocrates inquit: Et circuituum successiua incremẽta, siue quotidie, siue alternis die-
bus, siue per maiora interualla fiant. Clarum est autem ipsum intelligere per circuituum incrementa,
accessionum, quæ in ipsis eueniunt, augmenta: quæ & modum, quo morbus augetur, & futuri uigoris
tempus præfinitum ostendunt. hinc autem præcipue disces. Secundæ accessionis ad primam accremen
tum, in hisce tribus conspicitur, in hora, qua fit accessio, in longitudine accessionis, & in magnitudine.
nihil autem differt, si in uehementia dixeris, quia hæc duo nomina sunt apud medicos usitata, ipsaque
sæpius de re eadem pronunciant, cum aliquando dicunt maiorem fuisse febrem ea, quæ præcessit, ali-
quando uehementiorem. Contingit autem hanc febrem uehementem uel æquales horas cum præce-
dente obtinere, uel pauciores, uel plures: quod ad magnitudinem siue uehementiam accessionis non
pertinet, sed ad prolixitatem accessionis. Per accessionem autem te nunc oportet intelligere deterius F
tempus totius circuitus, quod est a primo insultu usque ad tempus consistendi: sicuti reliquum tempus
declinationis est melius. Cum itaque accessio, siue per tertium, siue per quartum, siue quotidie fiat, anti
cipauerit proportionem, atque ita anticipando ad longius extenditur tempus, atque insuper uehemen
tius afflixerit: tunc manifestum est morbi augmentum. Quantum autem augeatur, unumquodque ex
dictis sua quantitate monstrabit: siquidem accessio pluri tempore anticipans, & longius atq; uehemen
tius affligens, effatu dignum indicabit augmentum, & uelocem esse morbi motum, atque haud ita mul
to post in suo uigore futurum. Neque enim fieri potest, ut magna incrementa suscipientibus accessio-
nibus, non proxima sit morbi consistentia. Cõtraria autem accessio, quæ scilicet parua faciat incremen-
ta omnium eorum, quæ diximus: quantum ad hoc attinet, longius distare futurum morbi uigorẽ osten-
dit. Hoc igitur ipsum per circuituum incrementa discemus, coniectura scilicet assequi, post quantum
tempus morbus in suo uigore consistet, ac præterea horam præfinitam, qua accessio inuasura sit. Condu
cit autem prima cognitio ad formam totius uictus constituendam: secunda uero ad cibum dandum in
particularibus temporibus, quorum intentiones ipse ab initio docere proposuit. Quòd autem circuitũ
(græce periodum,) uocet similem ad idem reditum, neminem puto dubitare. Sed & ex ijs, quæ mox ap
parent, ait coniecturandum esse de accessione, & totius morbi constitutione. Siue autem casus (græce G
symptomata) siue signa, uelit quispiam illa, quæ mox apparent, nominare: nihil retulerit. Illud autẽ de
omnibus casibus signisve est cognoscendum, quòd nonnulla quidem eorum significant passionem, ali-
qua assident, aliqua iudicant: aliqua coctionem, aliqua cruditatem, aliqua salutem, aliqua perniciem
ostendunt. Passionis significatiua sunt, quæ una cum morbo inuadunt. Quæ uero assident: aliquando si-
mul inuadunt, aliquando superueniunt, non nunquam uero neque omnino ueniunt. neque enim sunt a
morbo inseparabilia, neque eorũ uelut substantiam constituunt, sed proprias faciunt differentias. Quæ
uero ab Hippocrate iudicantia uocantur: cum primo quidem exquisite morborum principio nõ sunt
apta inuadere: cum duobus alijs autem apta sunt, de quibus paulo postea dicemus: Aliquando uero ne
que in his, sed, cum morbi augentur, aut iam consistunt, apparent. Signa uero coctionis contingunt
quidem & ista nunquam in primo statim morbi principio: terminant autem illud principium, quod est
pars totius morbi. Signa uero cruditatis cum primo morbi principio statim inuadunt, & non nunquã
posterius apparent, sicuti & mortis signa. Nam & horum generatio, morbi principiũ subsequitur. Mor
bi autem intelligi principium uolumus (ut in commentarijs de Crisibus manifestauimus) & primum
eius insultum, quod nullam habere latitudinem dicitur: & id, quod est sicuti pars totius morbi, quan-
do in principium diuiditur, augmentum, & tempus consistendi, & declinationem: & aliud, quod usque H
ad tertium extenditur diem. Sed & in eadem tractatione docuimus omnium casuum potestates: & si-
mul, quæ expositione indigere uidebantur uerba Hippocratis ad hoc pertinentia, exposuimus. Sed &
nunc per modum compendij de ipsis a nobis dicetur. Qui uero uoluerit totam Hippocratis artem de
his perdiscere, ad illam uadat tractationem. Ex mox apparentibus igitur totam iubet morbi constitu-
tionem coniectari: deinde quandam morbi speciem in medium adducens, ita inquit: Veluti, in laterali
morbo si circa initia statim sputum appareat, morbum breuiat: si uero postea appareat, producit. Perspi
cue uero quod docet, assequeris, si ex tertio libro Epidemiarum apponam, quæ ipse de Anaxione scri-
bit, morbum lateralem patiente: quem etiam ægrotum ego in primo libro de Crisibus, mea expositio-
ne patefeci. Verba autem Hippocratis hæc sunt: In Abderis Anaxiona, qui iuxta portas Thracias ha-
bitabat, febris acuta inuasit, lateris dextri dolor continuus, tussis sicca: neque primis diebus expuebat
aliquid: sitibundus, peruigil: urinæ bene coloratæ, multæ, tenues. Sexto die delirauit: neque calefa-
cientia aliquid proficiebant. Septimo die magis laborabat, quia febris intendebatur, & dolores non mi
nuebantur, tussesque infestabant, & difficulter spirabat. Octauo uenam in cubito secui. sanguis multus
fluxit, qualem oportuit. dolores remissi sunt, uerum tusses siccæ subsequebantur. Vndecimo die febres
minores factæ sunt: parum circa caput sudauit: tusses, & quæ a pulmone, humidiora. Die decimo septi-
mo

“ A mo cœpit pauca quædam cocta expuere:leuatus est. Vigesimo die sudauit,& desijt febricitare.Post cri
“ sim leuatus est:siticulosus uero erat,neq; a pulmone bonæ erant expurgationes. Vigesimoseptimo die
“ febris redijt, tussijt, multa concocta eduxit: urinis adfuit multũ sedimen album:sitis cessauit, & bene
“ spirauit.Trigesimoquarto die sudauit totus,per crisim febris omnino soluta est.Hic igitur Anaxion ab
initio morbum lateralem patiebatur,non tamen ab initio expuebat,sed & octauo die adhuc tusses sic
cæ subsequebantur,ut inquit Hippocrates. Quare rationabiliter totius morbi solutio ad trigesimum-
quartum diem extenta est:cum tamen magna ex parte lateralis morbus terminum suæ iudicationis ha
beat quartumdecimum:&,si non hunc,saltem omnino uigesimum. Quòd si ante tertium diem expuis-
set:uel circa septimum,uel nonum,uel omnino undecimum diem iudicatio esset subsecuta: &,si in ipso
die tertio spuere cœpisset, quartumdecimum diem non transcendisset. Hoc enim accidit in omnibus
inflammationibus,quæ non teguntur operculo densiore,uti in ijs, quæ exteriorem occupant cutem,
quasdam sanies(græci ichoras)resudare,ab initio tenues,postea uero,si coctionem accipiant, & ad me
lius proficiant,crassiores:& ex his ipsis crassioribus aliquas esse magis concoctas, aliquas uero minus.
Hoc idem in omnibus inflammationibus,quæ uel os,uel oculos infestant, licet intueri, nec minus in
A.l.3.f.10.c.4 quacunque alia corporis parte,quando pars aliqua interiot simul cum cutis diuisione paritur inflam-
c.9.p.498.E. B mationem.Nam ex huiuscemodi ulceribus sanies profluunt tales,quales ego dixi. Quando igitur ali-
qua fuerit inflammatio cum tanta meatuũ angustatione,ut nihil extra effundatur,necesse est illã esse &
coctu difficilem,& longo tempore perdurare.Hac igitur ratione & in morbo laterali (qui & ipse est ex
genere inflammationum)attendere oportet signa coctionis.Nam crudissimus morbus est, in quo nihil
omnino expuitur:secundum ordinem obtinet ille,in quo sanies tenues:tertium, in quo crassiores: &
quartum,in quo perfectam habent coctionem. Verum,si hæ circa tertium, uel quartum diem apparue-
rint,non contingit morbum transcendere septimum diem. In alijs uero singulis necesse est, ut pro co-
ctionis modo mensura temporis cõsequatur. Sicuti igitur sputum,perfectæ coctionis signum est,quan-
do album fuerit,& lene, & æquale,consistentia,neque nimis humidum, neque nimis crassum: eodem
modo integram cruditatem ostendit,quod nullo modo expuitur. Quòd si expuatur quidem, sed ta-
men adhuc tenue sit, debilis coctionis est signum. Quòd si impermistum fuerit, uel flauum, uel ru-
fum: haudquaquam bonum. Quòd si liuidum fuerit,aut æruginisimile, aut nigrum: perniciosissimum
existit. Cum itaque a nobis distincta sint signa coctionis & cruditatis,& præter ea tertium genus exi-
tialium:illud scire oportet,quòd signa coctionis semper sunt bona, ut quæ morbi solutionem haud ita
multo post futuram ostendant:sicuti genus signorum exitialium,mortem ægri citam prænuntiant. At
C uero signa cruditatis diutinum quidem ex necessitate morbum significant,sed, quantum in ipsis est,ne
que moriturum,neque euasurum e morbo hominem ostendunt: Tibi uero prius ægroti uires expẽden
ti, etiam ex his licet præcognoscere./Aliud est signorum genus, quæ iudicatoria ab ipso nominan-
tur:sunt autem hæc,sudores,sanguinis fluxus,rigores,multum alui profluuium, & similis uomitus, do-
lor capitis repente inuadens,difficultas spirandi præter rationem & uehemens,uel cordis morsus, uel
quædam in hypochondrijs citra dolorem tensio,uigiliæ uehementes,delirium, & nox absque ratione
molesta,& accessio anticipans,& lachrymæ inuoluntariæ nihil patientibus oculis neq; ex tristitia pro-
uenientes,rubor faciei,& labrum inferius agitatum,lucida uel obscura & tenebrosa,quædam ante ocu
los obuersantia,& hallucinationes quædam,& malæ uel nasus repente rubescentes,parotides, aut om
nino alicuius in articulum decubitus generatio. Hæc igitur omnia,& præter hæc alia multa huiusce-
modi secundum propriam eorum substantiam casus nominata, quatenus uero subitam mutationem
ostendunt,signa iudicatoria appellata, duplicem tibi præstabunt præcognitionem. Si quidem mor-
bo iam cocto superuenerint,futuram statim sanitatem denunciant: Si uero crudo adhuc morbo, iudi-
A.l.1.f.a.d.c. cationem non bonam,quæ aut perniciem agat,aut in longum tempus morbum producat. Quòd ue-
6.p.101.C. ro alia sit natura horum signorum, quæ iudicatoria nominantur, alia uero eorum, quæ coctionem si-
“ D gnificant:hinc discere possis.In primo libro Epidemiarum inquit Hippocrates: Coctiones, iudicatio-
“ nis celeritatem salutisque securitatem significant:Cruda uero & incocta,& quæ in abscessus malos cõ-
“ uertuntur,iudicationum carentias, uel dolores, uel temporis longitudinem,uel mortes,uel recidiuas
“ ostendunt: ita quidem hic in uniuersum collaudauit morbi coctionem. In libro autem, qui Prognosti
“ ca inscribitur, particulatim in hunc modum simul docens ipsius indicia: Vrina autẽ optima est, quan-
“ do sedimentum album,lene,& æquale fuerit per omne tempus,donec morbus iudicetur. Significat e-
“ nim salutis securitatem,& morbum pauco tempore duraturum.Sic rursus laudauit urinam monstran-
“ tem coctionem in uenoso genere.Rursus autem,cum dicit, Alui autem excrementum optimum est
“ quod est molle consistens, & hora excretum, qua solet, cum sanitas adest, hic indicia coctionum
uentris simul collaudat ac docet. Sic & eam,quæ fit in membris respirationi seruientibus, coctionem
simul collaudans ac docens, in hunc modum scribit:Sputum oportet in omnibus doloribus, qui pul-
“ monem & costas infestãt,celeriter ac facile expui,flauitiemq; ualde sputo cõmistam apparere.Coctio-
“ nis igitur signa semper bona sunt,iudicationis uero signa nõ semper. Sic ergo, inquit, signa iudicatoria,
“ nõ iudicãtia,aliqua mortẽ,aliqua difficilẽ iudicationẽ portendunt. Saneq;,& cũ ait,quæ ad melius iudi
“ cant,non confestim appareant: per hæc uerba eadem indicat sententiã. Nam coctionis signa,quocun-
“ que tempore apparent, bona sunt. semper enim eorum uniuersum genus optimum existit. Non ergo

repugnat

repugnat illud, quod nunc dictum est, in morbo laterali sputum si statim appareat, [illi alteri, quod di E
citur, signa iudicantia ad melius, non statim appareant.] Nam signa iudicatoria non nunquam mala fiunt: signum uero coctionis nullum unquam prauum fuit, sed omnia optima semper: & tanto citius ægrum sanitatem recuperaturum ostendunt, quanto citius apparuerint. Hæc dixisse sufficiat per modum compendij, quantum ad præsentem attinet locum. Totam uero de istis antiqui magistri sententiam in libro de Crisibus exposuimus. Vt autem sermo, quem nuper diuidendo proposui, perfectus habeatur: quomodo a dictis differant, & quæ passionis significatiua, & quæ assidentia dicuntur signa, hinc uolo transigere, unam in medium adducens pro exemplo passionem, hanc ipsam uidelicet, quam Hipocrates nominauit. In morbo igitur laterali, acuta quidem febris una cum spirandi difficultate, & tussi, & dolore lateris pungenti, signa passionis significatiua nominantur. Quòd autem dolor aut ad hypochondrium, aut ad clauim perueniat, assidentia dicuntur: sicuti, quòd facilius in latus patiens, quam in alterum, decumbat æger, ad idem genus assidentium attinet. Scripsit autem & Praxagoras Nicandri filius duo uolumina de assidentibus signis: de ijs autem, quæ superueniunt, unum alium, ac si de mox apparentibus inscriberetur. Hæc igitur mox apparentia inquit Hippocrates & bonam mot bi iudicationem & malam: morbumque uel longum, uel breuem futurum ostendere: Meminit autem non solum sputorum, sed & urinarum, & excrementorum alui, & sudorum: ea scilicet, quæ sunt in F
libro prognostico scripta, nobis exemplo subijciens: quæ ad hunc locum transferre superuacuum foret. nam de his in libris de Crisibus diximus, & in commentarijs in Prognostica: in quibus adhuc magis antiqui magistri sententiam explanauimus.

*Senes facillime ieiunum ferunt: secundo loco, qui ætatem consistentem habent: minus adolescentes: omnium minime pueri, præsertim qui inter ipsos sunt uiuidiores.* 13

Differentia etiam ætatum confert aliquid ad instituendam uictus rationem. Senes siquidem facile ferunt inediam, pueri uero difficulter. Est autem facilitas & in non appetendo, & nihil inde mali sustinendo: Difficultas autem in contrarijs oritur. Etenim pueri magis appetunt, & plus offenduntur in longis inedijs: Mediæ uero ætates inter senes & pueros, quanto alteri ipsorum propinquiores existunt, tanto aut minus, aut magis molestantur atque offenduntur ex longis inedijs. Huius autem aphorismi causam ipse in sequenti docet, qui ita incipit: Qui crescunt plurimum caloris innati habent. Ita ut, si quis uelit ipsum priori adiungere, & cum, enim, coniunctione proferre, tunc sermo unus fieret, & manifestus, in hunc modum se habens, Senes facillime ieiunium ferunt: secundo loco qui ætatem consistentem habent: minus adolescentes: minime uero omnium pueri: Qui enim crescunt, plurimum G
caloris innati habent. Appellat autem ætatem habentes consistentem, eos, qui mediam ætatem habent inter iuuenes ac senes: ita ut ab ætate quidem uigente recedant, nondum tamen sensum habeant senectæ manifestum. Sic autem & Thucydides quosdam in ætate dixit esse consistente. Verum inter hanc ætatem, & adolescētium, altera quædā est, quæ, sicuti ætatū, ita facilitatis & difficultatis medium ordinem obtinet: ita ut neque tam facile inediam ferre possit, sicuti qui in ætate sunt consistente, atque senili: neque difficulter, sicuti adolescentes & pueri. Eius tamen non meminit Hippocrates, cum possit eam unusquisque ex illis, quas dixit, intelligere. Cum uero inquit, Præsertim qui sunt inter ipsos uiuidiores, naturarum differentias manifestat. ex pueris enim, qui calorem innatum ualidiorem admodum habent, ij promptiores sunt ad cibos assumendos, & ipsos magis possunt concoquere: &, si non assumpserint, plus offenduntur. Talis quidem est sermo Hippocratis: indiget tamen adhuc parua quadam additione ad perfectionem: de ijs enim, qui sunt in principio senilis ætatis, recte dictum est, Senes facillime ieiunium ferunt: de ijs uero, qui ad extremam peruenerunt, non recte: quia hi non possunt tolerare longas inedias. Vel igitur addere oportet aphorismo exiguum quiddam, & hoc modo ipsum pronunciare, Senes facillime ieiunium ferunt, præter eos, qui ad extremam senectā peruenerunt: secundo loco, qui ætatem consistentem habent. Vel uerbum, ieiunium, in ciborum H
paucitatem est commutandum, atque ita dicendum, Senes ciborum paucitatem facilius tolerant: secundo loco, qui ætatem consistentem habent. Nam, & qui ad extremam senectam attingunt, inueniē tur, etsi non possint longam inediam tolerare, paucis tamen cibis indigere. Tale enim quiddam patiuntur, quale lucernis, quæ extinguūtur, accidit, quæ & continuam exigunt olei suffectionem, & multam, ac subitam simul nequeunt sustinere. quandoquidem & his exhibere oportet uniuersam multitudinem paucam: & hanc ipsam cibi paucitatem in multas partiri portiones, neque una illis longa inedia est iniungenda.

*Qui crescunt, plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento: alioqui corpus absumitur. Senibus vero parum calidi innati inest: paucis propterea fomitibus egent, quia a multis extinguuntur. Hanc etiam ob causam febres senibus non similiter acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus.* 14

Dictum est a nobis plenius etiam in commentarijs de temperaturis, quo modo uisum est non nullis medicis eos, qui in iuuentæ uigore consistunt: non nullis uero pueros esse calidiores. Habent enim hi quidem calorem acriorem, hi uero abundantiorem. Nunc uero etiam necessarium est dicere, quantum ad præsentem locum conducit, sermones longos, quoad fieri potest, in pauca conijcientes.

Hoc

A Hoc ipsum igitur uerbum, calidum, aliquando transferimus ad qualitatem, cuius proprium nomen est
caliditas: aliquando denominatiue totum corpus dicimus calidum, a caliditate: estque hic modus lo-
quendi plurimus in omni uita, & fuit apud antiquos, ueluti Theophrastus ostendit in eo libro, qui de
calido & frigido inscribitur. Nam, cum substantia corporea contrarias qualitates, caliditatem, frigidi-
tatem, humiditatem, siccitatem uicissim recipiat: Secundum substantiam quidem recipientem, cum ca
lidum nominamus, corpus dicimus: multumque uel paucum dicimus esse calidum, ad quantitatem
substantiæ referentes. Et hoc dupliciter facimus: uno quidem modo in substantijs impermistis, alio au
tem in mistis. In impermistis quidem, ueluti si duo haberent aquam æqualiter calidam in duobus inæ-
qualibus labris contentam; alterum diceremus plus habere calidi, qui maius labrum possideret: alte-
rum minus. In mistis uero, ueluti si essent æqualia labra, sed inæquali mensura ex uino & aqua tempera
ta: alterum ipsorum plus uini continere, alterum plus aquæ diceremus. Cui modo etiam ille esset persi
milis, si duo labra inæqualia supponeremus æqua proportione temperata. Non nunquam uero non ad
substantiæ multitudinem sermonem referentes, sed ad qualitatem solam, huic quidem alicui dicimus
plus calidi inesse, huic uero minus: sicuti si ex duobus labris parem prorsus magnitudinem habẽtibus,
alterum, quod calidius esset, plus habere calidi diceremus: alterum, quod frigidius, minus: nõ tamen
B proprie uerbo, plus, uteremur in hoc loco. melius enim est magis & minus, uehementius ac debilius
omniaque eiuscemodi uocabula qualitatibus accommodata: paucum uero & multum in sola substan-
tiæ quantitate seruare. Verum non in hoc tantum huiusmodi fiunt nominũ abusiones, sed in quamplu-
ribus alijs, quæ per uitam sermone usurpamus, idque non minime fit in arte medicinali. Omnes siqui-
dem morbos magnos aut paruos nominant, quãuis substantiæ non sint: febrem magnam, febrem par-
uam: apoplexiam magnam, apoplexiam paruam: sic & pleuritidem, & phrenitidem, & peripneumo-
niam, & omnes itidem alios morbos. Aduertere igitur oportet æquiuocationes: & considerare, quid
sibi uelit semper unaquæque dicentis oratio: Si enim in altero significato nomen protulerit, nos uero
in alio accipientes, sermonem redarguimus: non illum, qui protulit (si uerum fateri uelimus) sed no-
stram potius existimationem redarguimus. quod nonnulli proculdubio faciunt hoc in loco, qui Hippo
crati student contradicere Nam ad qualitatem nomen calidi transferentes, conantur ostendere hanc
esse uehementiorem ijs, qui in ætatis uigore consistunt. Verum Hippocrates non ad qualitatem, sed ad
substantiam in præsenti sermone refert id nomen. Nam substantia innati caloris aerea est & aquea, sicu
ti ex semine licet coniectari, quod paucam omnino terrenam substantiam participat, plurimum autem
aeris calidi humidique in seipso continet, quemadmodum in commentarijs nostris de semine osten-
C dimus. Iam uero & alterum nostræ generationis principium sanguis menstruus, humidum natura est.
Cum igitur magis terrestre efficitur animalis corpus (tale autem quotidie efficitur, dum auget) tunc li-
cet ualde uehementer calidum existat & igneum: substantia tamen innati caloris paucissimam habet:
alioqui febricitantes diceremus plurimum habere calorem innatum, qui nedum plus, sed nec priori
æqualem habent. Bene enim temperata est caloris innati substantia: ignea autem, aduentitij. Sed &
effluxus, qui e toto corpore fiunt, caloris quidem aduentitij, sunt fumei, fuliginosi, aridi & acres: Con
tra uero uaporosi, suaues, & bene temperati, caloris natiui. Hæcque ipse potes tactu discernere. Nam
sanorum calor uaporosus est atque suauis & tactu conueniens, nihil triste, nihil asperum, nihil mor-
dax præ se ferens: Eorum uero, qui febricitant, & præcipue hecticas febres, aut eas, quæ ex putredi-
ne humorum ortum habẽt, acer est, & insuauis, ac mordax, & nostrum corrodens tactum. Salubris ue-
ro eius qualitas in pueris exquisita habetur: sicuti plures eorum, qui in ætatis uigore consistunt, inueni
re contingit calorem habentes mordacem, & non amplius humidum aut uaporosum, neque aereum.
Neque mirum hoc uideri debet. Oportet enim defluxum similem esse subiectæ substantiæ: ut quando
humida atque aerea substantia existit, tunc, quod ab ea defluit, uaporosum est atque suaue: Cum uero
terrestris atque arida: tunc, & quod effluit, fumeum fuliginosumque est & acre, quod & in exteriori-
D bus euenit. Nam, quæ ex aqua dulci & calida euaporant, optima sunt & uaporosa: quæ uero ex aliquo
corpore solido exusto, fumea sunt & acria. Cum igitur duæ substantiæ sint, & hæc quidem suauem ha-
beat caliditatem, hæc uero tristem: alteram quidem plurimam habent pueri, alteram uero ij, qui in æta
tis uigore consistunt, ut ad totius uidelicet corporis proportionem. Vt autem hæc physice magis ad-
huc pertractem, rem totam ad elementa traducam. Cum quatuor sint elementa, ex quibus omnia
corpora sunt temperata: puerile quidem corpus, multum in seipso continet aereæ atque aquosæ sub-
stantiæ. minimum terrestris: contra uero eorum, qui in ætatis uigore consistunt, a terrestri siccitate uin-
citur, deficit autem aquosa atque aerea substantia: adeo ut, si quartum in utrisque elementum, ignem
scilicet, pari portione posuerimus, atque æqualiter calida corpora esse uoluerimus: non tamen similẽ
substantiam calidam in ipsis esse dixerimus: cum puerorum quidem substantia humida sit: eorum ue-
ro, qui in ætatis uigore consistunt, sicca. Humida enim secundum innatum calorem maxime, quia ex
humido nostra est generatio: sicca uero secundum aduentitium. Sic quidem infantes recens nati, sub-
stantiam calidam & aquosam plurimam participantes, plurimum dicerẽtur habere calorem innatum.
Qui uero ætate uigent, & iam declinant: quantum istæ deficiunt, terrestris uero superabundat, tantum
habere minorem substantiam natiui caloris putarentur. Quod uero ex aquosa & aerea substantia plus
defluere sit necessarium, quàm ex terrestri, etiam si ambæ sint æqualiter calidæ secundum qualitatem:

neminem

neminem arbitror dubitare. Hoc tibi etiam in exterioribus liquido licet intueri. Nam ex corporibus, E quæ ad ſimilem perueniunt caliditatem, non æqua portio uidetur defluere, ſed ex ſiccis quidem minimum, ex humidis uero plurimum: uelut ex aqua & oleo mediocriter calefactis, plurimum defluit atq; diſſoluit: ferro uero, & ære, atq; lapidibus, minimũ: adeo ut, ſi tibi libuerit exponere ad ſolem ardentẽ aquam, (ſi ita contigerit) & ferrum æquo pondere, deinde tranſacto die ambo perpendere: aquam quidem inuenies multo ſeipſa minorem effectam, ferrum uero æquale. Sic, & ſi uelis oleum æri, & ferro, & lapidi comparare: illud quidem abſumptum inuenies, hæc uero æqualem ſubſtantiæ molem retinentia. Hinc uero ad ceram, picem, bitumen, & reſinam tranſcendens, & quæcũque alia plurimam ſubſtantiam humidam obtinent: uidebis & hæc ſub ſole calente multo magis abſumi atque defluere, quàm lapidem, æs, & ferrum, & alia ad hunc modum ſicca. Quare, ſi neceſſarium eſt alimẽtum, ut, quod effluxit ex corpore, ſuppleatur: ex humidioribus uero, & plus aeris participantibus, plus effluit: fit, ut huiuſmodi corpora pluri egeant alimento. Puerorum uero corpus tale exiſtit, plus humidæ, & aereæ ſubſtantiæ obtinens: non ſicuti iuuenum, & declinantium, ac ſenum, ſiccæ atque terreſtris. Hippocrates igitur, cum hoc in libro propoſuiſſet compendioſam atque aphoriſticam doctrinam facere: non ita ſermonẽ ampliauit, quemadmodum ego nunc, ſed loco iſtorum uerborum, Qui creſcunt, etſi æqualem habeant ſubſtantiam calidam atque ignem cum ijs, qui in ætatis uigore conſiſtunt, aquoſæ tamen atque aereæ F ſubſtantiæ plus habent: Qui creſcunt, dixit, plurimum habent innatum calorem: Simul memoriæ ſubijciens ipſorum ſubſtantiam, ſimul propoſitum ſuum demonſtrans. Quia enim humidam & calidam habent ſubſtantiam, qui creſcunt, idcirco plurimum ab ipſis defluere neceſſarium eſt, & plurimo egent alimento, alioqui corpus, inquit, abſumitur: & recte. Vbi enim id, quod defluit, plurimum eſt, quod uero influit, paucum: hic neceſſe eſt ſubiectam corrumpi ſubſtantiam. Senibus uero paucum ineſt calidum: his ſane iuxta utrunque appellationis ſignificatum paucum ineſt calidum, ſiue quis ad qualitatem ſermonem referat, ſiue ad ſubſtantiã. Nam & qualitas debilis, & ſubſtãtia minima eſt: ſi quidẽ eorũ meminimus, quæ ſupra diximus. Ob hæc igitˀ, inquit, paucis fomitibus indigent. Nã fomites, græce hypocaumata, alimenta nominauit, ſuum ſequẽs dogma & omnium fere nobiliſſimorũ philoſophorũ, qui eorũ, quæ animalia conſtituunt, elementorum, calorem uitæ primarium auctorem eſſe exiſtimarunt. nam, ut lucernarum flammæ, quamuis oleum pro alimento habeant, tamen, ſiquis id totum ſimul ſuperinfundat, extinguuntur potius, quàm nutriantur, eodem modo & in ſenibus calidum, ſui fomentum quidem habet alimenta: ſed ſi repente eorum multitudine & cumulo ſuffocetur, periculum eſt, ne extinguatur, non aliter, ac ſi paruæ ſcintillæ ignis lignorum multitudinem ſuperacerues. Quod autem ſubinfertur, Et propterea febres ſenibus non ſimiliter acutę ſunt, ſignum re uera eſt & hoc, quòd corpora ſenum frigida ſunt, & quòd ob innati caloris maxime conuerſionem ad igneam naturam accenditur febris. G A.l.4.f.1.t.2. c.7.p.776.C. Verum tantam euenire ſenibus conuerſionem, ut æqua ſit ei, quæ iunioribus accidit, uix fieri poteſt. Multum enim calidum prompte in immenſum attollitur, paucum uero non facile, ſed maximam exigit cauſam, quæ ad hoc ipſum compellat. Ob hanc igitur cauſam neque ſenes magna ex parte febricitant acutis febribus, ſicut iuniores: & ſi aliquando, quãuis raro, talis his accidat febris, qualis iuuenibus, omnino hęc ad interitum ægrotantis terminatur. Indicio enim eſt immenſam quandam eſſe magnitudinem cauſæ febrem facientis. Hæc ſufficere poſſunt ijs, qui ſecundum naturam ſe habẽt ad intelligenda, & confirmanda ea, quæ ſcripſit Hippocrates. Contra eos uero, qui per calumniam Hippocratem reprehenderunt, e quorum numero unus fuit Lycus, nos unum integrum uolumen ſcripſimus aduerſus ea, quæ contra aphoriſmum perperam obijciuntur. Huic autem titulum fecimus, Aduerſus Lycum, quòd nihil erratum ſit in aphoriſmo, cui principium eſt, Qui creſcunt plurimum habent innatum calorem. Datus autem eſt mihi Lyci liber poſt ſcriptos a me hoſce commentarios, unde ego poſtmodum hoc loco hæc ipſa, quæ in priore editione non habentur, addenda exiſtimaui: Seorſum autem in alio uolumine refutaui, quæ Hippocrati Lycus obiecerat.

*Ventres hieme & uere natura calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi: quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus copioſior eſt, unde & pluribus egent alimentis: indicio ſunt ætates & athletæ.* H 15 A.l.1.f.2.d.1. c.6.p.61.2.& f.1.d.5.c.1.p. 129.A.

Non parum etiam tempora anni conducunt ad uictus rationem inueniendam. Nam hiberno tempore plus appetunt homines, & cibum facilius concoquunt: contra in æſtate: cuius rei cauſam ipſe Hippocrates reddidit, inquiens uentres hieme & uere natura calidiſſimos eſſe. Quid autem ſit, quod, natura, dicitur, & quòd non fruſtra id uerbũ adiecerit in hoc aphoriſmo, ipſe paulo poſt explanauit, inquiẽs, Etenim tunc calor innatus, multus: plurimo igitur indiget alimento. Ventres itaque hieme & uere calidiſſimi ſunt, non ſimpliciter, ſed calido naturali: cuius ſubſtantiam antea oſtendi. Cauſam uero, ob quam hic idem calor hieme augeatur, etiam Ariſtoteles explicuit. Refugit enim propter circunſtantẽ extrinſecus frigiditatem, ſicuti rurſus æſtate ad ſibi affinem protenditur. Atque ita contingit diſſolui quidem ac diſſipari eius ſubſtantiam tempore æſtiuo: contineri autem ac cohiberi & in profundum ſecedere hiemali. Ob hoc igitur & coctiones, & ſignificationes, & nutritiones hiſce temporibus ſunt meliores. Addidit autem & aliud ipſis contingens, nempe quòd ſomni lõgiſſimi fiunt, ob noctium uidelicet longitudinem, quod neque ipſum parum cõfert ad naturales operationes. Quod uero in fine adijcitur, Indicio ſunt ætates & athletæ, pro argumento ponitur, quòd plurimum alimentum ſit neceſſarium, ubi calidum ſuperabundat. Pueri ſiquidem, quia calidum plurimum habent, idcirco & pluribus

indigent,

A indigent, & plura concoquunt. Athletæ etiam, quia exercirijs augent calorem natiuum, ob id mulris frui possunt alimentis. Quæ igitur in aphorismo dicunrur, sufficienter exposuimus. Si quis uero ipsorũ ueritatem diligentius examinet, non ad omnia animalia sermonem extendat, sed ea excipiat, quæ in latebris degunt. Hæc enim cum se recondunt, non egent pluri alimento: quandoquidem & sine cibo pos sunt perdurare. Et, si supposuerimus ea tanto uti cibo, quanto, antequam reconderentur, male ipsum concoquerent, Quale enim hominibus contingit aqua frigida lotis, tale etiam animalibus accidit hieme. Contingit autem hominibus, qui aqua frigida perluuntur, si debile corpus habuerint, refrigerari, atque offendi: si uero robustum, primum quidem innatum calorem ad interiora refugere, ibique seipsum colligere: postea uero ad exteriora remeantem, multo, quàm prius erat, fieri fortiorem. Sic & animalium quæcunque sunt natura frigidiora, ijs calor innatus a frigore hiberno superatur, adeo ut fere extinguatur. quare plurima ipsorum, similia mortuis conspiciuntur, cum sine sensu ac motu in latebris iacent: quædam uero prorsus in hoc ipso affectu moriuntur. Quæ autem plurimo sanguine abundant atque calore, tale quiddam hieme patiuntur, quale accidit corporibus fortibus aqua frigida lotis. Nã calor eorum ad interiora se colligit, non (per Iouem) carnibus ad hæc, prima sede derelicta, refugientibus, sed spiritu una cum sanguine. Tria autem erant corpora, quæ primogeniam nostram substantiam B compleuerunt, spiritus, sanguis, & seminalis humiditas, ex qua in primo ortu, ueluti in libris de semine diximus, fiunt partes animalis solidiores: mox uero augmentum & nutritio in istis perficitur. Quòd igitur melius hieme cibum concoquimus, sanguine ac spiritu ad profundum corporis retrocedentibus, unicuique est manifestum. Non modo igitur hoc ipsum dicit Hippocrates, sed quod plura accipere confert. In hisce enim temporibus, inquit, hoc est hieme & uere, plures cibi dandi sunt. Atqui, si parũ defluit ac difflat hiberno tempore ad exteriora, multum alimentum nõ est corporibus necessarium: siquidem nutritio est eius, quod euacuatur, repletio. Oportet igitur alimẽti quantitatem eius, quod difflat, quantitati proportione respondere. Verũ igitur esse, quòd quidam hieme non modo melius concoquunt cibum, sed etiã quòd pauca assumentes refrigerantur, atque ideo offendũtur: si uero plura assum pserint, in nullos plethoricos incidunt morbos, ipse euentus ostendit manifeste. Causæ uero inquisitio in commune proponatur. Neq;.n. Hippocratẽ solum, sed omnes alios, huiusmodi obiectio fatigat. Nemo itaque est, qui non consentiat, difflari corpora animaliũ ea, quæ fit per sensui occulta foramina difflatione. Idcirco enim ad hoc deueniunt, ut egeant alimẽto, quoniam euacuantur: ita ut, si nihil a corporibus nostris effluerct, sed semper æqua moles substantiæ seruaretur, nulla foret alimenti necessitas. Tu uero animaduerte, nunquid hac in parte alijs quidẽ omnibus ratio sit inexplicabilis, soli uero Hip- C pocrati atque eius sectatoribus explicabilis. Neque enim aliud quicquam, animal ab initio affomauit, sicuti neque rursus adauxit, aut usque ad mortem enutriuit, præterquam iste calor innatus, de quo nũc habetur sermo. Hic igitur, cum sit omnium operum naturalium causa, quia copiosior est hiberno tempore, idcirco cibi appetentiam intendit, coctiones auget, & plus sanguinis accumulat, & crassius corpus efficit, & ut superfluitates excernantur, prouidentiam habet. At calor circunfusus nõ modo superfluitates, sed æqualiter omnia euacuat, materiam inutilem, & ea etiam, quæ in corpore secundum natu ram continẽtur, una dissoluens per eam, quæ a medicis occulta difflatio nominatur, quã calor innatus efficit. Neq;.n. aliud quicquã est natura animaliũ præter hoc calidum, ex Hippocratis opinione. Ostensum autem a nobis est in commentarijs de uiribus naturalibus, naturam non solum appetere, conficere agglutinareque singulis partibus proprium alimentum, sed & huius quoque superfluitates discutere: Ac, quanto fortius extiterit calidum innatum, tanto magis difflatio effugit sensum. Et ob hanc cau sam Diocles inquit sudores esse præter naturã, quoniã oibus, quæ ad corpus attinent, rectè administratis, & alimento a natura subacto, nunquã sensibilis humor per cutẽ excerneretur. Quæcunque enim in balneis aut uehementibus exercitijs, uel propter æstiuum calorem exudant hoĩes, ex causis uiolentis originem habẽt. Bene igitur omnia tempore hiberno in corpore aĩalis administranĩ, quãdo hiems me D diocritatẽ seruauerit. Nam immoderatas intemperaturas & ipse Hippocrates in sequentibus dãnat. Quod aũt oĩa bene hiberno tẽpore in corpore animalis administrentur, indicio nõ paruo sunt naturæ opera fortiora. Nã cibi in uentriculo bene cõcoquuntur, quoniã calor innatus plurimus est: & una superfluitates somnis longioribus expurgantur, quæ quidem exquisite extenuata sunt, per cutem: quæ uero in uapores conuersa sunt, per expirationem: quæ uero sufficientem habent crassitudinem, per urinas. In his enim plus est sedimenti, quàm per æstatem, præter id quod etiã tota urinarum multitudo hieme sufficienter augetur. Iam uero magis nutriunt, & carnem augent corpora hieme, & plus boni sanguinis cumulant, nisi malo prorsus utantur uictu. Nã, si cõsideraueris, ut corpora nostra paucum haben tia sanguinem autumni tempore, atque extenuata, suscipiens hiems bonis implet humoribus, & crassiora efficit, percipies, puto, nos gubernantis robur facultatis, quæ est calor innatus. Verum, nisi hic abũdans habeat, quo fruatur, alimentum, primus ipse a circunstante frigore superabitur, tam ab eo, qui extrinsecus ingruit, quàm ab illo, qui per inspirationem attrahitur: cum ipso uero & coctio ciborum debilitabitur, & boni sanguinis generatio, & partium animalis enutritio & superfluitatum uacuatio. Si uero tantum abunde habuerit alimentũ, quantum põt euincere, & ipse magis augebitur, & omnia, quæ antea diximus, circa corpus animalis perficiet. Ceterum, ut ex pluri alimẽto oblato, quod non solum bene in uentriculo conficiatur, sed etiam in uenis & omni animalis parte, unũquodq; mul-

to seipso carnosius reddatur, & plus sanguine abundet, habēt homines satis ipsa experientia cōpertū, E non in seipsis tantum, sed etiam in iumentis. Nam ante æstatis initium, circa ultimā ueris partē, & sibi & illis sanguinem detrahunt, in memoriam reuocantes, quibus capiantur morbis, quando repente calor æstiuus superuenerit. Hic enim adeo sanguinem extendit atque diffundit, ac quodam modo efferuere facit, ut, qui hactenus moderatus fuerat, non possit amplius in uenis contineri, sed uel dirumpat ipsas, uel exedat: &, quando impetum fecerit ad aliquam corporis partem alijs debiliorem, in ipsa uel inflammationem, uel erysipelas, uel aliquod aliud tale morbi genus operetur. Nā multo plures ac graviores morbi, quibus plenitudo dedit occasionem, ex humorum fiunt fusione. Hæc igitur omnia cum alijs astipulantur, quæcunque in præsenti aphorismo Hippocrates docuit: cum hoc probant, non solum posse calorem per id tempus multos coquere cibos, sed etiam multis indigere. Semper enim oportet alimenta esse innati caloris multitudini proportionalia, nisi forte, ut dixi, natura ex aeris ambientis caliditate imbecillis facta cogat subtrahere. Quam ob rem, cum & de uere Hippocrates sermonem indistinctius habuerit, ipse distinguam: Ac primum quidem ueris initium hiemi simile magis esse, quàm æstati: finem contra. Deinde quòd nonnunquam talem uer habet frigiditatem, qualem tempus hibernum: aliquando talem, qualem tempus æstiuum, caliditatem. In primis igitur partibus eius, siquando frigidum fuerit hibernæ similem ratione uictus adhibebimus: in posterioribus autem, siquando fuerit calidius, æstiuæ similem. F Quòd si mediam seruauerit temperaturam, uictum illi proportionalem instituemus. Atque hæc omnia de uictus ratione, quam sanis oportet adhibere, dicta sunt: deinceps autem de illa, quæ ægrotis conuenit, sermonem faciet.

*Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maxime uero pueris, & alijs, qui tali uictu uti consueuerunt.* 16

A. l. 4. f. 1. t. 1. c. 8. p. 779. A.

In præcedentibus aphorismis de uictus quantitate doctrinam nobis tradidit: nunc uero de qualitate transigit, multa, quę in arte conducunt, breuissimo sermone docens: ac primo qualis sit adhibendus uictus febricitantibus: Deinde quòd uictuum* sanorum indicationes in ijs quidem, quæ præter naturam sunt, contrarias: in ijs autem quæ sunt secundum naturam, similes facere oporteat. Febri enim, quoniam calida & sicca passio est, (est enim conuersio natiuæ caliditatis ad igneam) uictum humidum consulit. Humidioribus uero naturis, siue propter ætatem, siue propter consuetudinem, †[non contrariam, sed magis affinem seruandam statuit. Oportet enim naturam eorum fouere per humida, non eodem, quo morbos, modo demoliri.] Qui uero aquam inter cutem, cui febris adiungitur, in medium adducentes, sermonem Hippocratis student per cautillum reprehendere, quoniam hic morbus non humidum exigit uictum, sed siccum, ignorant ij artis curatiuę caput in primis necessarium, quod nos uberius in methodo curandi transegimus: id autem est, simplicem quenque affectum G propria egere curatione: plures uero inuicem copulatos tantum habere communem curationis indicationem, quantum copulabuntur, nobis uel ei, quod magis urget, obuiantibus, non tamen alterius cura omnino posthabita, uel omnibus pari studio succurrētibus. Quod autem de aqua inter cutem & simul febre laborantibus meminere, non est absimile morbo laterali, in quo sanguis expuitur. Nam & in his contrarias exigunt affectus curationes, eductio sanguinis, & passio lateralis: quæ ubi cuipiā simul contigere, ad id, quod magis urget, obuiare oportet, non omnino posthabita etiam alterius curatione. Sic itaque, siquis simul febricitet, & ea laboret dispositione, quæ aqua inter cutem nominatur: ad ambos affectus respicientes, qui contrariam exigunt curationem, utrique eorum probe resistimus, quéadmodum & alijs omnibus pari modo copulatis. Neque igitur ipsi tale quicquam dixerimus, neque alterum talia dicentem admiserimus: uerum, siquid per uerba sua Hippocrates in aphorismo non dixit, quod tamen idem habeat iudicium cum ijs, quæ ab ipso dicuntur: hoc quoque fuisse dictū potentia, debemus existimare. Nam & ætatis meminit, & consuetudinis: tu uero & naturalis temperaturæ, & temporis anni, & regionis non absque ratione memineris, quæ & ipse Hippocrates adijcit aliquando: non nunquā uero unius, aut duorum mentione facta, reliqua, quæ sunt eiusdem naturæ atque ordinis, prætermittit. Fiunt autem & ab his indicationes, quemadmodum supra & ab ætate, & a morbo fieri diximus, seruan H tibus nobis, quæcunque inculpata sunt, per uictum similem temperaturæ: quæcunq; uero culpata sunt, per contraria corrigentibus. Diximus autem plenius de omnibus indicationibus in libris, quibus ars curatiua docetur.

* Non est in antiquis.

† Al. Ex antiquis clarius. non cōtrariū uictū, sed sibi ipsis accomodatum, ac proprium consuluit. cōseruanda est enim (per uictum) natura, non, ut morbus, destruenda.

*Et quibus semel, aut bis, & quibus plura uel pauciora & particulatim oporteat afferre, considerandum. Condonandum autem aliquid tempori, regioni, ætati, & consuetudini.* 17

Quoniam de quantitate, & qualitate eorū, quæ offerūtur, sermonem habuit: mox docere proponit modum eorundem. Neq; n. sufficit hoc solum cognoscere, quòd huic plus, uel minus sit offerendū, uel ꝙ uictu exiccante, uel humectante utendum sit, sed, nūquid semel, an sæpius qualibet die, uel nocte cibum offerre oporteat, maxime necessarium est considerare: & ad hæc ipsa ab anni tempore, ab ætate, a cōsuetudine sumere indicationē: sicuti in qualitate & quantitate sumebatur. Nā ad hæc primæ erant intentiones, & morbi ipsi, & uires ægrotantis, & præterea ætas, & anni tempus, & cōsuetudo, & quæcunque his proportione respondent: & propterea ipse Hippocrates illud adiunxit, Condonandū est autē aliquid tēpori, regioni, ætati, & cōsuetudini, liquido ostēdens per uerbū, condonandū, ꝙ neque totum, neque maximū a talibus accipit. Nam si sæpius, aut raro, siue omnino nutrire oporteat: ab ægritudine & uiribus primum & maxime accipitur: post hoc autem & ab anni tempore, & ab ætate, & talibus.

Si

A Si enim uires laborantis debiles fuerint,& ea,quæ in corpore est dispositio,sit ex corruptione humorũ uel defectu,parum alimenti sæpius talibus afferemus: Parum quidem,quia uirium imbecillitas nõ potest totam simul multitudinem alimenti sustinere: Sæpius autem, quoniam multis indiget dispositio. Defectus siquidem exigit adiectionem,corruptio uero contemperamentum. Si uero cum uirium debilitate neque defectus aliquis affuerit,neque corruptio,humores autem secundum naturam moderate se habuerint,uel etiam superabundauerint: his raro, & pauca afferemus.& multo magis istud agemus si cum uirium robore humores superabundauerint.Si uero cum humorum defectu, uel corruptione uires ualidæ fuerint:tunc multos cibos,atque multoties ijs,qui ita laborauerint,dabimus:utpote multos exigente dispositione,& natura robusta potente illos superare.Si uero accessiones non permiserint, neque multas alimenti offerendi occasiones præstiterint: raro plura exhibebimus. At, si uires ualidæ fuerint cum plethorica dispositione,raro pauca afferemus.Nam, etsi eum,qui cibum debet conficere,robustum habeamus: quia tamen dispositio multis non indiget,rationabile est,ut pauca afferamus. Sic quidem oportet & a morbo,& a uiribus ægrotãtis ad ea,quæ proposuimus,sumere indicationes.A tempore autem,ætate & consuetudine,& alijs, quæ his proportione respondent,hoc modo: Aestiuo quidem tempore,quantum ad temporis rationem attinet, sæpius pauca danda sunt: quoniã & pluri egẽt

A.l.4.f.1.t.a. c.8.p.779.B.Z.

C

B adiectione,ut qui dissoluantur,& uires habeant imbecilles.Hiberno uero tempore multa quidem propter robur uirium,sed raro:quia non ualde multa indigent adiectione laborantes,ut quibus non multa fiat euacuatio.Nam sanos quidem antea ostendimus sufficiẽter hieme euacuari, quoniam plus habeãt innati caloris. Vere autem medio,atque adhuc magis æstati proximo,paucis,& ex longo interuallo nutriemus.Nam tempus id periclitatur,ne proxime accedat ad plethoricam dispositionem, propter humorum,qui hiberni temporis frigore cõcreuere,fusionem. Quemadmodum ergo in plethoricis dispositionibus,si uires ualidæ fuerint,paucum cibum,& ex longo temporis interuallo damus: sic & in uere faciendum est,præsertim in febricitantibus,de quibus nunc sermo habetur ab Hippocrate. Sanorum enim uictum antea docuit. Autumnus uero morbis, qui ex corruptione fiunt, assimilatur. Quapropter,qui eo febricitant tempore continua boni indigent adiectione:& si uires ualidæ fuerint, sæpe, & multa dabimus:sin imbecilles,pauca,& sæpius afferemus.Simili modo quispiã & ab ætatibus,& a consuetudine,& a regionibus sumeret indicationes,ad duas primas redigens intentiones. Singula enim, quæ diximus,aut fortes,aut debiles uires efficiunt,& corpus reddunt,aut superabundans bonis humoribus,aut sufficientibus carens,aut uitio humorum deprauatum.

A.l.4.f.4.t. a.c.8.p.775. C

A.l.1.f.3. c.5. c.1.p.128.E.

18 *Aestate & autumno cibos difficillime ferunt,hieme facillime:secundum locum uer habet.*

C Non bis,ut forte quispiam existimauerit,de eisdem disseruit Hippocrates, cum superius illum scripserit aphorismum,cuius principium est,Ventres hieme & uere calidissimi sunt natura:nunc autem rursus, quod Aestate & autumno cibos difficillime ferunt,hieme facillime, & uer secundum habet locũ. Verum,quoniam & ad quantitatem uictus, & ad modum usus ciborum tam in sanis, quàm in ægris, quandam accipit a temporibus indicationem:non absque ratione eorum in utrisq; commeminit: illic quidem ostendens cibos plures sanis dari hieme oportere,quoniam plus inest innati caloris, quem nutriri oportet:nunc autem quòd,si semel etiam multum illis ciborum attuleris, haudquaquam nocebis. Facile enim omnes ferunt ciborum multitudinẽ hieme,difficulter uero æstate.Quapropter hieme quidem raro,& multos cibos afferri concedendum est:æstate uero,quia cibos ferunt difficulter(siquidem is,cui eos coquendi ac conficiendi officium natura tribuit,calor innatus scilicet, exiguus est) cauendũ omnino est,ne totum simul cibum exhibeamus:sed studere oportet, ut frequentius pauca afferamus. Nam corporis dispositio quæ est similis ijs morbis,qui ex humorum defectu cõsistunt, exigit adiectionem. Hiems quidem atque æstas talem naturam habent:reliqua uero duo tempora,autumnus quidem æstatem subsequitur,uer autem hiemem.Et causa aperta est.Nam refrigerari,& cogi in unum, atq; densari corpora autumno:laxari uero,& rara fieri uerno tempore incipiunt. Ob hanc igitur rationem,non D idem bis de temporibus enunciauit:& ob illã etiã,quia in altero aphorismo de sanis sermo habebat.

A.l.4.f.1.t.9. c.1.p.779.C.

19 *Iis, qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere adiectioni ante indicationes.*

Cum igitur tria sint capita,quibus uictus ratio cõprehenditur,quãtitas ciborum,qualitas, & utendi modus:ad duo quidem priora capita ex accessionibus nullam habemus utilitatem, ad tertium uero ex accessionibus aliquid sumere possumus.Quare non temere Hippocrates earum in tertio capite meminit. Nam tempora commoda in quibus cibi sint singillatim dandi, præcipue docet accessiones, in morbis tamen,in quibus ordinatim obueniunt,hoc est per circuitus:atq; ideo ipse quoq; Hippocrates inquit,Ijs qui per circuitus accessiones habẽt,nihil dare oportet,ut qui nõ ignoraret alios esse,quibus fierent in morbis accessiones, non tamen per circuitus, hoc est non ordinatim. In hisce igitur ratio exquisita inueniendi temporis, quo cibus offeratur, haberi nequit. In quibus uero accessionum ordo seruatur: principia earum oportet obseruare, hoc est, ne eis iam factis, uel non multo post futuris, nutriamus. Quod autem dicitur, ante iudicationes, uel ante accessiones, quascunque simpliciter, uel ante morbi uigores, uel ante illas,quæ proprie iudicationes nominãtur,est intelligendũ. Nam hic triplex intellectus,uerus est.Primus autẽ magis uidetur ad propositum pertinere,si uidelicet

ante accessiones intelligamus. Nam de morbi uigore, retro dictum est: &, si de hoc intelligatur, etiã de iudicatione intelligetur: quoniã maxima ex parte morbo in suo uigore cõsistẽte fiunt iudicationes. E A.l.4.f.1.t.2. c.7.p.778.E.

20 *Quæ iudicantur, & iudicata sunt integre, neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere.*

Iam perfecto de uictus ratione sermone, ad alterum caput transit: in quo docet, quæ circa ægrotantem gerenda sunt omnia, naturæ interdum permittenda. nihil aliud nobis agentibus, nisi uictum conuenientem instituentibus: sed & aliquid nos interdum etiam non omnia esse naturæ relinquenda, agere oportere. Vbi igitur (inquit) uel integra iudicatio facta est, uel adhuc fit, totum naturæ permittere, & nihil nos nouare oportet: ubi uero imperfecte iudicatur, id, quod deficit, supplere nos conuenit. Hoc autem & ipse dicebat in libro de humoribus, per hæc uerba: Quæ perfecte iudicantur, non mouere: neque medicamentis, neque aliter irritando, nouare quicquã. Nam, qđ in aphorismis ἀρτίως idest integre dixit, hoc in illo libro commutans ἀπαρτὶ idest perfecte nominauit. Est autem huius nominis ἀπαρτὶ apud alios antiquos significatum pro cumulate, plene, atque indeficienter: quæ omnia etiã hoc loco p ἀρτίως .i. integre, debemus accipere. Neque enim per id uerbum, dies pares oportet intelligere. esset enim in propatulo falsum, si quis in diebus paribus uel iudicatus est, uel iudicatur, nihil in his nouandum esse. Neque etiam hæc dictio ἀρτίως, hoc in loco significat nuper: quod maxime ostendunt uerba sequentia. Neque enim simpliciter dixit ἀρτίως, hoc est nuper iudicata, sed quæ iudicantur, & iudicata sunt: quorum alteri quidem, iudicata, aduerbium ἀρτίως, .i. nuper, posset conuenire: alteri uero, iudicantur, nullo modo. Sed & hoc ipsa rerum euidentia demonstrat. Neque enim si quid paulo antea sit iudicatum, hoc nouari non debet: sed si perfecte, si indeficienter, si plene, tunc uerum est, quod dicitur. Si quid uero deficiat: id quod deficit, oportet adiungere. Nam, quæ post iudicationem relinquuntur, faciunt recidiuas. Quænam igitur est perfecta & indeficiens iudicatio? nempe in qua cuncta bene procedunt, & cui nullus numerus deficit iudicatorius. Primum enim melior est iudicatio, quæ fit per euacuationem quàm quæ per abscessum: deinde per quam humor noxius & redundans, quàm per quam alter euacuatur: tertio loco, quæ ex directo, fit, quàm quæ ex non directo fit: uocat autẽ ipse ex directo id, quod recto tramite procedit: & quarto post has, quæ facile toleratur: quæ cum coctione fit, & in decretorio die. Hæc omnia adesse cõuenit perfectæ iudicationi: cui si quid desit, uel plura: neque exquisita, neque integra fuerit iudicatio. F

21 *Quæ ducere oportet, quo maxime natura vergit per loca conferentia, eo ducere conuenit.*

Quæ nam sunt illa, quæ ducere oporteat? nempe quæ neque iudicantur, neque integre sunt iudicata: hæc igitur per quam partem sint euacuanda, docet, duplicem nobis proponens intentionem, & ipsam partis naturam, & humoris inclinationem. Ad quem enim locum ex conferentibus uergit, eo ducere conuenit. Sunt autem euacuationibus conferentia loca, intestina, uenter, uesica, uterus, cutis uniuersa: ad hæc, palatum, & nares, quando uel cerebrum expurgamus, uel per profluuii sanguinis fit *excretio: præcipueque si κατ' ἴξιν, hoc est per directum ad locum patientem. Nam, quæ cõtra fiunt, profluuia sanguinis, mala sunt. Inclinationes uero humoris noxii ad loca non conferentia fiunt, quando uel aliquem habuerint suapte natura principatum, & maius ex ipsis damnum est subsecuturum, quàm morbi, qui iudicatur, dignitas expostulet: uel nullam habeant effluxionem. Exempli gratia, ubi hepar humores infestant, quos oporteat euacuari, duæ sunt ipsorum accommodæ inclinationes: prior per uentrẽ: cuius illa melior est, quæ per inferiora, quàm quæ per uomitum: secunda per renes atque uesicam. Non tamen, quę ad pulmonem, thoracem, & cor est inclinatio, bona est. Oportet itaque medicum naturæ inclinationem animaduertere: &, si quidem idonea fuerit, subministrare & adiuuare: sin autem cõtrarie simul ac noxie fiat, prohibere, transferre, atque diuertere oportet. G p.136 E. & l. 4. f. 1. t. 2. c. 7. p. 778. E. * crisis legitur in Græcis libris.

22 *Concocta medicari, atq; mouere, non cruda, neq; in principiis, modo non turgeant: plurima vero non turgent.*

Consueuit Hippocrates dicere, medicari (græce φαρμακεύειν) pro uti medicamento purgante. Verbum autem, ὀργᾶν, hoc est turgere, translatum est ab animalibus concubitum appetentibus, ad humores. Nam, sicuti illa stare loco non possunt, quadam titillatione impulsa, eoque affectu concitata: sic & humores plerunque in motu uehementiore, atque transfluxu a partibus ad partes, in morbi principio hominem infestant, mouentes, titillantes, & quiescere non permittentes, cum & ipsi pariter moueantur, & transfluant, & tanta latione ægrum molestent. Tales igitur humores euacuare conuenit: hoc est, qui sunt in motu, & latione, & fluxu: Eos uero, qui iam sunt in aliqua corporis parte firmati: neque alio ullo auxilio mouere oportet, neque medicari ante coctionem. Tunc enim naturam quoque ipsam habemus euacuationi adminiculantem. conspicitur si quidem & ipsa post coctiones, & humores discernere, & superfluitates expellere: quo in tempore fiunt & iudicationes. Sed, cum perfecte ipsa mouet, nullo medicamento opus est: cum mediocrius atque imbecillius agit, id, quod deficit, oportet supplere: ut ab utroque noxii humoris fiat euacuatio, natura quidem expellẽte medicamento uero attrahente. Ostensum enim est a nobis in commentariis de potentiis naturalibus naturam uniuscuiusque particulæ, quatuor uti potentiis, attractiua proprii alimenti, & eiusdem retentiua, præterea quoque concoctiua, & quarta alienorum expultiua. Singula uero medicamenta proprium sibi attrahunt humorem. Bene autem sermoni addidit, Plurima uero non H A.l.1.f.1.c.1. p.134.F. A.l.4.f.1.t.2. c.7.p.778.D. A.l.3.f.1.t.1. c.10.p.344.F

A non turgent, discereque oportet hoc ab experientia, raro contingere, ut humores ab una parte ad aliã transfluant, sed frequentius accidere, ut in una aliqua parte quiescant atque consistant: in qua etiam concoquuntur toto morbi tempore usque ad eius solutionem. Scire autẽ oportet, quòd in quibusdam exemplaribus hic aphorismus scriptus nõ est: in libro autem de humoribus in omnibus codicibus scriptus inuenitur.

23 *Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ, sed si talia deijciuntur, qualia conueniunt, & ægri facile tolerant. Atque, ubi usque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare.*

Siue a natura, siue a nobis euacuatio fiat, oportet omnino constituere quandam ipsius mensuram. Sicuti enim qualitatẽ pro humoris molestantis ratione uacuari: ita uidelicet quantitatem multitudini molestantis humoris respondere oportet. Sed qualitatis quidem indicia superius diximus, ubi illum aphorismum exposuimus, cuius principium est, In perturbationibus uentris. Quantitatis uero nullum tale habemus indicium. Ob hanc igitur causam nobis dedit Hippocrates de eadem quantitate iudicandi uiam, ex facilitate tolerantiæ. Nam, si humor superexcedens euacuetur, tunc ipsum seipso ægrotum fieri leuiorem, & melius tolerare est necessarium: quòd si aliquod etiam ex ijs, quæ sunt secundum natu-
B ram, excernatur: dissolui ac debilitari ægri uires, & tolerantiæ difficultatẽ sentiri. Quare nõ promptam eorum, quæ euacuantur, quantitatis phantasiam oportet attendere, sed duas, quæ dicta sunt, notas, si qualia oportet euacuantur, & si facile tolerant. Quod autem postea ab ipso subiungitur, Atque ubi usque ad animi defectionem expedit ducere: recte quidem ab ipso dictum est, sed adijcere oportet usus notas: quas quia ipse prætermisit, nos, ex quibus ipsa experientia & ratione uidemur inuenisse dispositiones, in quibus expedit usque ad animi defectionem euacuare, dicemus. Et primum, usque ad qualem animi defectionem dictum ab ipso fuerit, distinguere oportet. Neque enim tales dicit animi defectus, qui & expauescentibus aliquando ægris uenæ sectionem, uel tale auxilium aliquod, solent accidere: neque cùm in ore uentriculi humores mordaces aliquando fuerint, uel prius in ipso coaceruati, uel qui in ipso remedij usu ad ipsum confluxerint, qui causam dederint animæ defectionis. Solent enim & hoc tempore pati animi defectionem: non tamen huiusmodi animi defectio est sufficiens mensura euacuationis, quæ non nunquam antequam conueniat, contingit: sicuti febricitãtes plerique uel inter surgendum, uel residendum, animo defecerunt: ob quam causam accumbentibus ipsis secamus uenam. Ea igitur, quæ fit animi defectio ratione euacuationis, nunc ab Hippocrate dicta est esse mensura euacuationis & in maximis inflammationibus, & in ardentissimis febribus, & uehementissimis doloribus.

A.l.1. f.4.c.3. p.137.C.

C Oportet autem (sicuti & ipse inquit) uiribus integris atque ualentibus, tantam moliri euacuationem. & nos sæpius huiuscemodi euacuationes prodesse plurimum, experientia didicimus. Nam & in ardentissimis febribus, si usque ad animi defectionem sanguis mittatur, statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur: plurimis etiam aluus citatur, & sudores emanant, ac quidam eorum ex his sanitati prorsus sunt restituti: alij ualde adiuti uehementiam ægritudinis absciderunt. In [maximis etiã inflammationibus &] uehementissimis doloribus nullum maius noui remedium, quàm usque ad animi defectionem euacuare adhibita distinctione, an mittere sanguinem, an purgare oporteat † usque ad animi defectionem, quemadmodum in libro de uenæ sectione monstrauimus.

Impressi libri Græ. non habent.

† Hæc uerba non sunt in tralatione ueteri, nec in Oribasio, qui libro.7.colle. ad Iulianum Imp. cap.3. hunc locum ponit. nec ẽt in libris de phlebotomia hoc dixit Gal. Aue. l.1.f.4. c.3. p.136.E. & 137.C.

24 *In acutis passionibus raro, & in principijs medicinis purgantibus uti, & hoc cum præmeditatione faciendum.*

Paulo antea dictum erat, Concocta medicari, & mouere, non cruda, neque in principijs, si non turgeant: plurima uero non turgent. Nunc autem, quòd circa principia acutarum ęgritudinum tãtum contingit aliqnando purgare utiliter, nos docet Hippocrates. Nam in longis morbis semper oportet expectare coctionem, in acutis uero, cum turgent, ab initio possumus uti medicamentis purgãtibus, & hoc ipsum cum multa cautione & cõsideratione facere. Vnde mihi uidetur Hippocrates recte adiecisse, Et
D hoc cum pręmeditatione facere. Siue enim per hoc uerbum diligentem intelligat examinationẽ prius factam, siue ægrotum ante præparatum, siue recti iudicij expectationem, siue horum aliquid, siue omnia unius uocabuli significatione comprehendantur: quantum huiuscemodi uereatur purgationes, manifestat. Neque enim paruum periculum est in morbo acuto male uti purgante medicamento, cum omnia id genus medicamenta potestate sint calida, febris uero, quatenus febris est, & sui ratione, nõ calefacientibus atque exiccantibus, sed maxime cõtrarijs, hoc est humectãtibus & refrigerantibus egeat. Nõ igitur ob igneã febris caliditatem, purgationem adhibemus (hanc enim scimus sui ratione nocere) sed propter humores illam efficiẽtes. Quare maiorem oportet ex noxiorum humorũ euacuatione fieri utilitatem, quàm id, quod necessario consequitur ex purgantibus medicamentis, detrimentum. est autem utilitas maior, si absque molestia omnis humor noxius & infestãs sit euacuatus. Vt uero hoc fiat, primo oportet considerare, nunquid æger idonee se habeat ad huiusmodi purgationem. Nã, qui multa cruditate laborant, quique tenaces aut crassos cibos assumpserunt, quibus itidem extenta atque inflata hypochondria sunt, aut supra modum calida atq; ignea † existunt, & hoc ipso in loco aliqua est uiscerũ inflãmatio: oẽs ij inepti sunt ad purgationes. Hæc itaq; abesse oportet, humores aũt, quàm maxime fieri põt, esse fluxui paratos, hoc est tenues, & nullũ lẽtorem participãtes, & aperta esse foramina, per quæ debet purgatio fieri, & nullam habere obstructionem. Nam & nos ista antea paramus, cum quem-

† Codices antiqui habent, ut Leonicen°. quãuis impressi addant τὰ ὕπερ, ut ita postea sit uertendum: Calidæ atq; igneæ urinæ.

piam sumus purgaturi. Et hoc est, quod ab ipso Hippocrate dicitur in illo aphorismo, Corpora ubi quis E purgare uelit, oportet fluida facere. Verum in acutis morbis, circa principia statim, uel circa primum diem, uel non ultra secundum, si sumus usuri purgantibus medicamentis, quando turgent, nō datur facultas ista præparandi, nisi quis forte arripiat occasionem propinandi melicratum, in quo decoctum sit aliquid hyssopi, uel origani, uel tragorigani, uel thymi, uel pulegij, siue quid huiusmodi uim habens humores extenuandi. Quare non sine ratione dixit raro circa principia morborum acutorum nobis uenire in usum purgationes, quoniam non sæpius turgeant molestantes humores in principijs: neque, si quid etiam istorum adsit, ægro satis ad purgationem parato, neque dante morbo nobis temporis occasionem, quo possimus ex imparato paratum facere.

*Si qualia oportet purgari, purgentur: confert, & facile ferunt: si contra, difficulter.* 25

Non est dubium, hunc aphorismum in illo contineri, in quo dicebatur: In perturbationibus uentris, & uomitibus spontinis si, qualia oportet purgari, purgentur: confert, & facile tolerant: si uero, non contra. Verum, quia in hac libri parte de purgationibus a medico factis loquebatur, & omnes fere necessarias distinctiones commemorauit, non piguit ipsum, hunc quoque adiungere aphorismum, in quo nihil magis nouum edocetur, sed ad memoriam reuocantur ea, quæ prius in alia libri parte enunciauerat de spontinis euacuationibus, ut hoc etiam in loco totus sermo de purgationibus esset absolutus. F

# GAL. IN APHORISMOS HIPPOCRATIS COMMENTARIVS SECVNDVS.

*IN quo morbo somnus laborem facit mortale: si uero somnus iuuat, non mortale.* 1

Quòd πόνος hoc est labor nunc læsionem significet, clarum est ex eo, quod opponitur. Inquit enim: Si uero somnus iuuat, non mortale. Cum uero duplex sit ea, quæ ex somno fit læsio, altera communis, quando in principijs accessionum, quas ἐπισημασίας, hoc est inuasiones uocant, ægroti dormierint: altera propria, in quibusdam morbis, quando in aliquo alio tempore: de hac ipsum dicere est existimandum. illa enim neque mortem, neque aliquod G aliud graue significat, cum naturam temporis consequatur. In principijs siquidem accessionum calor [naturalis] totus, & humores in profundum corporis uergunt, (quemadmodum ipse docuit) & magis in quibus horror, uel rigor, uel fortis partium exteriorum refrigeratio cōtingit. Et propterea, si in principijs dormierint, casus illis protenduntur, & uix febres ad consistentiam perueniunt. Ac, si qua inflammatio fit circa uiscera, rationabile fit ipsam augeri: sique humores aliqui ad uentrem confluant: nō, ut in alijs somnis, concoquuntur, sed multo plures fiunt incoctiq; permanent. Ob hanc itaq; causam, ægrotis uigilias tunc præcipimus, illam, quæ a uigilijs fit, spiritus, sanguis, & caloris, qui in eis est, ad exteriora lationem opponentes, tanquam maximum auxilium, aduersus illam, quæ eorundem fit in accessionum principijs, ad interiora lationem. Quare non sine ratione dixerit quispiam, huiuscemodi læsiones hoc tempore accidere quidem ex natura accessionis, sed uigilia prohiberi: Cum uero hac quoque priuati fuerint ægrotantes, tunc damnum sentire manifestius, non quia altera læsio accedat ex somno, sed quia deest illa, quæ ex uigilia habetur utilitas. Hic itaque sermo nullam ostendit fieri in accessionū principijs ex somno læsionem, sed hoc ipsum tantummodo, absentiam utilitatis. Alter autem sermo, qui concedit ex somnis fieri hoc tempore læsionem, asserit nunc Hippocratē docere de ijs, qui in alijs temporibus dormiunt, in quibus maxima ex parte manifesta utilitas ex somno prouenit, præsertim ubi morbo declinante adhibeatur. Nam aliquando etiam cōsistente morbo somnus manifestam affert utilitatem: quandoque etiam in extremis partibus augmenti, quæ ad consistentiam copulātur. manifestissima tamen omnium utilitas est, quæ in declinationibus fit. Saneque, cum somni nocent, minus quidē exitiales sunt iam consistente atque increscente accessione: præcipue uero sunt in declinationibus perniciosi. Nam, quo tempore aliquid est utilissimū, si præter quàm, quod nihil prodest, etiā nocet, mortē non sine ratione significat. Ex somno aūt læsiones sunt, quæ sunt utilitatibus contrariæ: idcirco quia febres uel ab eo non dissoluuntur, uel etiam †iritantur, & quia dolores intenduntur, & fluxiones multiplicantur, & crescunt inflammationes. Quidam uero & inter dormiendum delira loquuntur: &, ubi expergefacti fuerint, multo tempore in delirio perseuerant. Quibusdam etiam initium comatis in somno fit: & uix, cum punguntur, expergefiant. Hæc autem omnia contingunt propter humorum malignitatem: quos, ubi calor innatus fortior extiterit, per somnos concoquit: ubi uero debilior, illis succumbit, ab eisque uiscera aggrauantur, & dictis affectibus homo corripitur. Ipse etenim Hippocrates uult hominem uigilantem extrinsecus esse calidiorem, dormientem uero contrario modo se habere: id nos edocens (quod etiam quibusdam alijs rerum naturalium studiosis uisum est) somnum atque uigilias fieri secundum innati caloris motiones. Non absq; ratione igitur euenit, ut, cum in uisceribus iste collectus causas morbificas nequeat euincere, perniciem significet. Si tamen euicerit, nōdum cer-

Neque Orib. 6. collect. c. 4 id habet.

†Orib. 6. coll. 4. habet ἐπαύξεσθαι. i. augeantur.

A. l. 1. d. 2. d. 2. c. 13. p. 67. C.

ta

A tæ salutis est signum, nisi quispiam dicat, quantum ad talem affectum attinet, ægrotum non periclitaturũ, ex alio tamen affectu interire posse. Nam, siqua inflammatio solutu difficilis aliquam ex partibus principalibus præoccupauerit, contingit ægrum, qui ita se habeat, interire. Quare securius pronunciandum est, ubi quidem ex somno læsio aliqua aduenit, letalem esse notam: ubi uero prodest, non letalem. Quòd uero ex somnis aliquæ accidant læsiones, ipse in libris, quos Epidemios inscripsit, ostendit his uerbis: Inter hos multi erant comatosi, & delirantes: non nulli uero ex somno tales fiebant.

2 *Vbi somnus delirium sedat, bonum.*

Si ambos dixerimus aphorismos, & hunc scilicet & antecedentem, inuicem iungi, totus sermo talis utique fiet: In quo morbo somnus laborem facit, mortale: si uero somnus iuuat, non mortale. ubi igitur somnus delirium sedat, bonum. ut unum aliquod ueluti exemplũ particulare subiungat sermoni antecedenti uniuersaliter dicto: tanquam si ita dixisset: Vbi igitur dolorem somnus sedat, bonum. Vbi igitur febrem somnus sedat, bonum. Vbi igitur inflammationem sedat somnus, bonum. Sed satis fuit tantum periculosiorem morbum nominare. Nam ueritas sermonum uniuersalium, ex huiusce modi exemplis magis dilucet.

3 B *Somnus, atque uigilia, utraque si modum excesserint, malum.*

Non nulli ex medicinæ professoribus existimarunt uigiliam modum excedentem malum esse & signum, & causam: non tamen somnum: hunc enim semper bonum esse & signum, & causam: & nunquã fieri somnum modum excedentem: plurimos uero decipi, arbitrãtes comatosas dispositiones incipientes, somnum esse longum. Verum hi a nobis discentes, quòd non prius coma nominatur, quàm difficilem habuerit expergefactionem, concedant somnum longum recte nominari, quando solo tempore modum naturæ conuenientem excesserit, & nondum habuerit difficilem expergefactionem. Fit autẽ huiuscemodi somnus refrigerata prima parte sensitiua, hoc est cerebro ipso: quæ refrigeratio, cum fortis fuerit, mista quidem humiditati, facit lethargicas passiones: cum siccitate uero, eas, quæ græco uocabulo καταλήψεις, id est deprehensiones nominantur. Sic & uigiliæ fiunt propter calorẽ primæ partis sensitiuæ, uel ex sola intemperatura, uel ex humoris biliosi abundantia. Horum uero talium omnium demonstrationes in nostris sunt scriptæ tractatibus: nunc autem sufficiat sola eorum capita tetigisse. Sicuti autem quidam fuere, qui somnum semper fieri commoderatum, existimarunt, & nunquam immoderatum: sic non nulli rursus aiunt uigiliam nunquam esse moderatam, sed hoc nomen solam immoderan- C tiam significare, obliti eius, quæ in usu uitæ seruatur, consuetudinis, ut a mala non nunquam mediocria dicamus magnorum comparatione. Si igitur oportet accipere uigiliam mediocrem, ac si significet paruam.

A.l.1.f.2.d.3. c.3.p.84.E

4 *Non satietas, non fames, neque aliud quicquam, quod modum naturæ excesserit, bonum.*

Rursus hic aphorismus, sicut & alter, qui antecedit, quod in una materia, idem in omnibus enunciat. Nam, cum sanitas moderantia quædam sit, necesse est omnes immoderantias, quæ plurimum a modo recesserunt, iam ægritudines esse: quæ uero nondum id, quod plurimum est, obtinent, ægritudinum generationem ostendere.

5 *Spontaneæ lassitudines morbos prænunciant.*

Lassitudo non significat fatigationem ex nimio motu, sed ingeneratam in corporibus animantium affectionem. Neque enim lassitudinum meminit, quæ ex talibus accidunt motionibus, sed quæ sponte contingunt. Cum igitur absque motu huiusmodi euenerit dispositio: non simpliciter lassitudo, sed lassitudo spontanea nominatur. Sed, cum tres sint lassitudines, quemadmodum in lib. de sanitate tuenda de- D clarauimus, prima, quæ ulcerum, secunda, quæ tentionis, tertia, quæ inflammationis sensum habet, ex his composita: prima quidem ex uitiatis humoribus ortum habet, secunda ex plenitudine, tertia ex utrisque simul iunctis. Sic enim a nobis est monstratum in lib. de ualetudine tuenda. Quare non temere dictum est spontaneas lassitudines morbos nunciare.

A.l.1.f.3.d.2. c.12.p.122.E & p.F.

6 *Quicunque dolentes parte aliqua corporis, *omnino dolorem non sentiunt, iis mens ægrotat.*

Dolores (hoc est πόνους) solet nominare non nunquam dispositiones ipsas, in quibus dolemus: in quẽ sensum dicebat in lib. Epidemiorũ, Cranone antiqui dolores frigidi, noui autem calidi: haudquaquam dolores calidos frigidosve, sed dispositiones, ex quibus fiant, ita nominans. Et hoc in loco igitur eodem modo dolores ipsas dispositiones nominauit, quæcunque cum dolore fieri sunt natura aptæ quemadmodum erysipelas, inflammationem, & uulnus, & collisionem, atq; rupturam, & conuulsionẽ, & quodcunque tale aliquid: quod si adsit, & ab ægroto non sentiatur, mentem indicat ægrotare. Siue autem mentem, siue intelligentiam dixeris, nihil in præsentia refert.

*τὰ πολλὰ i. fere.

A.l.3.f.2.t.4. c.9.p.372.D. & 402.F.

7 *Quæ longo tempore extenuantur corpora, lente reficere oportet: quæ uero breui, breuiter.*

Quæ enim pauco tempore extenuata sunt corpora: ob humorum & spirituũ euacuationem non ex solidorũ colliquatione id perpessa sunt. qui uero lõgo tpe extenuati sunt, ijs carnes liquescũt, graciles

A.l.4.f.2.t.1. c.201.p.833.

etiam redduntur aliæ partes, per quas concoctio in animalibus, & distributio, & sanguificatio atque nu E
tririo perficitur: quare tantum non poterit concoqui alimentum, quanto indiget corpus. Quamob
causam talia corpora longiori tempore reficere oporter, atque tenuiter, quod lente nominauit. In qui
bus autem soli humores & spiritus sunt euacuati, in ijs celeriter ac plenius contingit reficere, cum fidu-
ciam nobis præster solidarum partium robur. In fine autem aphorismi duplex scriptura inuenitur, &
idem utraque significat, siue, breui, casu ablatiuo, siue, breuiter, aduerbialiter scriptum sit.

*Si quis a morbo cibum assumens non corroboratur, pluri alimento corpus uti significatur. quòd si non assumente* 8
*cibum hoc accidat, scire oportet, euacuatione ipsum indigere.* A.l.4.f.2.c.2. c.102.p.834. D.

Propter breuiloquium, & usum quendam dictionis, qui etiam est apud nos in multis ciuitatibus
Asiæ, hic aphorismus habuit obscuritatem. Consuetum enim est nobis dicere, non assumere cibum il-
los, qui sunt sine appetitu, assumere autem eos, qui appetunt ac comedunt usque ad satietatem. Qui-
cunque igitur appetentes, & abundans alimentum accipientes, non possunt robur sanitatis recupera-
re, grauantur potius, non ab eo nutriuntur. Qui uero neque, quod satis est, possunt assumere, uitiosos
humores habent: quos nisi euacuarint, fieri non potest, ut robur sanitatis recuperent. Hippocrates
uero non hic tantum, sed & in alijs suis commentarijs, quando proportione inter se seruata humores F A.l.1.f.4.c.16 p.145.D.
omnes augentur, missione sanguinis auxiliatur. Vbi uero unus aliquis ex ipsis superabundat, illi purga
torium exhibet medicamen. Vt igitur ista cognoscens, & qui sæpius in suis commentarijs eadem tra-
diderit, recte duos sequentes aphorismos subiungit, in quibus de eadem docet dispositione, de qua e-
tiam in hoc antecedente docuit aphorismo, inquiens: Si uero nou assumente ægro hoc fiat, scire opor
tet, quòd indiger euacuatione. Saneque ordinem duorum sequentium aphorismorum puto depraua-
tum in multis exemplaribus: illaque rectius se habent, in quibus prior ille scribitur: Non pura corpo
ra quanto plus nutries, tanto magis lædes. ut totus sermo talis existat: Quòd si non assumente cibũ
hoc accidat, scire oportet, quòd indiget euacuatione. non pura enim corpora quanto plus nutries tan
to magis lædes. Nos uero sequentes ordinem, quem in pluribus exemplaribus scriptum inuenimus,
sic eorum faciemus expositionem.

*Corpora cum quispiam purgare uolucrit, oportet fluida facere.* 9

Multi quidem uolunt corpora fluida fieri: ubi per medicamenta uomitoria euacuatio est facienda A.l.1.f.4.c.5.
uomitum irirando: ubi uero per deijcienria, continuo aluum subducendo. Atque ob hæc totam p.139.A.
dispositionem utrisque, his quidem ad alui subductionem, his uero ad uomitum habilem faciunt. G
Ego uero Hippocratẽ puto non minimum id, sed aliquid maius hoc in loco nos docere uoluisse, quod
nos longa experientia didicimus ita se habere. Siquis enim extenuer & incidat crassos atque tena-
ces humores, qui in corpore sunt, & meatus aperiat, per quos isti transmittuntur atque trahuntur a
medicamentis, quæ uim purgatoriam habent, tunc purgatio recte in omnibus procedit. Qui uero
istud quidem neglexerinr, uomitus autem arque alui subductionem procurauerint: ijs difficiles ob-
ueniunt purgariones, non sine torminibus inrerdum, & uertigine quadam, fastidioque mulro, &
malo pulsu, ac dissolutione, & difficultate. Nobis autem extenuanti uictu (de quo integrum scripsi-
mus librum) urentibus nihil horum contingere consueuit: & eorum, quæ in corpore prærer natu-
ram continentur, euacuationes sine ulla molestia ac celerrime fiunt: atque idcirco Hippocratem di-
cimus suo adiecisse sermoni: Vbi quis uoluerit purgare corpora, oportet fluida facere: ac si ita dixis-
ser: Siue per uomitus, siue per alui subductionem purgare uelis, postquam fluidum totum corpus
effeceris, ita demum optime purgabis. Erit autem fluidum, ut diximus, omnibus meatibus resera-
tis, & humoribus incisis atque extenuatis, siquis fuerit humor in corpore crassus ac glutinosus.

*Non pura corpora quanto plus nutries, tanto magis lædes.* 10

Corrumpitur enim adueniens alimentum una cum ijs uitiosis humoribus, qui iam in corpore prius H
collecti erant, ita ut ipsorum quidem quantitas augeatur, qualitas uero feruetur. Hoc præcipue fit, quã-
do uentriculus quibusdam humoribus uitiosis plenus extiterit, ob quos & casus paulo antea dictus ex
morbo conualescentibus accidit, non posse uidelicet cibum assumere.

*Facilius est impleri potu, quàm cibo.* 11

Cum sermo ipsi de ijs, qui indigẽt refectione, antea sit habitus: propterea nunc scripsit materierũ di A.l.1.f.3.d. 2.c.7.p.118.
uersitates, ex qbus reuutriũtur. Scriptũ autẽ est & in libro de alimẽto sic: Qui cita indigẽt adiectione- D. & f.4.c.1.
ijs humidũ ad recuperãdas uires remediũ optimũ est: ubi aũt adhuc citius, per odoratũ. Oportet aũt nõ, p.135.A.
simpliciter intelligere in utroq; libro, uel in illo humidũ, uel hic potũ, sed humida & potus, quæ suapte A.l.1.f.3.d.
natura apta sunt nutrire corpus. Nã, si *nõ ita nutriũt, sicuti solidiora, superãt *rñ nutriẽdi celeritate: uc 2.c.8.p.120 D.
luti uina crassiora. Nã aquosa (sic aũt noĩanr alba & tenuia) sicut aq̃ similẽ formã habẽt, ita etiã uim: qua
reurinã cient, & minimũ nutriũt. q̃ uero crassa sunt, & colore rubea, oĩum uinorũ maxime nutriũt. Inest
aũt eis ut citissime ĩplcãr corpora euacuata, & ob hoc ĩdigẽtia adiectiõe. Quòd aũt humidũ alimẽtũ, præ A.l.4.f.2.t.1.
cipue cũ fuerit natura calidũ, facilius nutriat, manifestũ ijs est, q̃ norũt, qũo & coctio, & distributio fiat. c.96.p.830.E

*Quæ relinquuntur in morbis post iudicium, recidiuas facere consueuerunt.* 12

Hic etiam aphorismus antecedentibus iungitur. Nam, cum Hippocrates dixerit, Si a morbo cibum
assumens

A aſſumens quis non corroboratur, pluri alimento corpus uti ſignificatur. q ſi non aſſumente cibum hoc accidat, ſcire oportet, q indiget euacuatione. & ob hãc cauſam cũ deinceps de euacuationibus ſermonẽ habuiſſet, nũc cauſam aſſignat ob quã oporteat euacuare eos, qui poſt morbũ non appetunt: ac ſi totus ſermo ita ab ipſo tranſigeretur: Quòd ſi nõ aſſumẽte cibũ hoc accidat, ſcire oportet, quòd indiget euacuatione: nã, quæ relinquũtur in morbis poſt iudicationẽ, recidiuas facere cõſueuere. Per ea; quæ relinquuntur in morbis, malorũ humorum reliquias intelligẽs, quas neceſſariũ eſt tẽpore putreſcentes febrem accendere. cũ omnis humor alienus a natura corporis, in quo continetur, aptus non ſit ad eius nutritionem: & deinceps neceſſario ad putredinem conuertatur. Quando autem & locus calidus erit, in quo fuerit collectus, tunc & maxime & celerrime putridus fit.

13 *Quibuſcunque iudicatio fit, ijs nox grauis ante acceſſionem: quæ uero ſubſequitur, magna ex parte leuior exiſtit.*

A.l.4.f.2.t.4. c.3.p.816.E. & F. Iudicatio eſt ſubita in morbo, uel ad ſanitatem, uel ad mortem mutatio. Fit autem natura ſeparante a bonis mala, & ad excernendum præparante. Non temere igitur in tali turbatione grauiter ſe habent. & grauitas hæc noctu fit manifeſtior. nam hoc tẽpore dormire conſueuimus. Somno igitur a turbatione interrupto, clarius grauitas illa percipitur: licet ſimilis fiat interdiu turbatio, quando nocte ſequẽte B eſt iudicatio futura. Quod aũt in fine aphoriſmi ſcribitur, Quæ uero ſubſequitur, magna ex parte leuior exiſtit: in multis exemplaribus nõ habetur. Vult autem docere nos, quòd magna parte nox ſubſequẽs iudicationem facilior præcedente exiſtat, quoniam plures iudicationes bene terminantur. Nouimus enim plures eſſe ex ægrotis ſanatos, quàm mortuos, niſi peſtilens conſtitutio ſit.

14 *In profluuijs alui, mutationes excrementorum iuuant, niſi ad mala mutatio fiat.*

Mutationes excrementorum, quæ multas humorum formas educunt, exquiſitius corpus expurgãt, niſi habeant ſigna colliquationis, aut putredinis: de quibus in Prognoſticis ipſe tranſegit: ubi & pinguium, & uitioſorum ac male olentium meminit excrementorum.

15 *Vbi fauces ægrotant, aut tubercula naſcuntur in corpore, excretiones inſpicere oportet. Nam, ſi biliosæ fuerint, corpus una ægrotat: Si uero ſimiles ſanis, tutum eſt corpus nutrire.*

Duos inuicem ſermones ex aduerſo ponens, in utroque id, quod manifeſte conſequitur, prætermiſit. Quare, ſi utrique id, quod deeſt, adiungatur: erit uniuerſa oratio huiuſcemodi: Vbi fauces ægrotãt, aut tubercula naſcũtur in corpore, inſpicere excretiones oportet. Si enim biliosæ fuerint, corpus una C ægrotat, neq; tutũ eſt ipſum nutrire. Si uero ſimiles ſanis: corpus una non ægrotat, & tutum eſt ipſum nutrire. quibus aũt rationibus inductus Hippocrates, ita ſibi pronunciandum putauerit, iam dicã: Animalium natura non nunquã ex principalibus membris humores malos euacuans, alios per urinas, uel uomitus, uel aluũ inferiorem excernit: alios ad cutim extrudit, quos cum euacuare propter craſſitiem non poſſit, ibi eos deponit: atque hoc modo tubercula naſcuntur in corpore: ſæpe & fauces fluentem ex capite humorem ſuſcipientes infeſtantur. Tunc igitur conſiderandum eſt ac diſtinguendum, nunquid natura totam in patientibus partibus ſuperfluitatem depoſuerit, an adhuc corpus uniuerſum uitioſis humoribus abundet: quod excrementa indicabunt. Nam, ſi omnino natura mota eſt ad expurgãdum corpus, biliosa apparebunt: quoniam & tubercula ſanguine calefacto a bilioſo humore fieri ſunt apta, patetque prius eſſe purganda, quàm nutrienda huiuſcemodi corpora: Non pura.n.corpora quãto plus nutries, tanto magis lædes. Sin autem excretiones ſunt ſimiles ſanis, totum corpus bonos habere humores indicatur: & ſine ullo periculo nutriri poteſt.

16 *Vbi fames, laborandum non eſt.*

A.l.1.f.3.d.2. c.3.p.113.C. Fameſcere illos dicimus, qui ob ciborũ inopiam ad extremam eſuritionẽ perueniunt. Sic Hippo-
« D crates ipſe ſecundo libro Epidemiarũ dixit. In oppido Aeno, ij, qui ob famem leguminibus ueſceban-
« tur, crura debilitata ſunt. Et quidẽ omnẽ eximium ciborũ defectum, etiamſi citra penuriam ex electio-
« ne uel iuſſu fiat, famem conſueuit appellare, ueluti cum ait: Carnes humidas habentibus, famem adhi-
« bere conuenit. Fames.n.exiccat corpora. Et, cum in Prognoſticis inquit, Interrogare oportet, nũquid
« uigilauerit homo, uel aluus fortiter exinanita fuerit, uel fames ipſum obſederit: pro defectu ciborum
« famem accipit. hoc ẽt in loco ſic dixit, Vbi fames, non oportet laborare. ac ſi ita dixiſſet: Qui cibum ca-

A.l.1.f.4.c. 336.D. pturi non ſunt, ijs eo die labor aliquis iniungendus non eſt. Hic autem per laborem oportet intelligere uehementem motum, quem exercitium nominant. In hanc itaque ſententiã ipſe dicebat: Labores cibum antecedant. Eſt igitur ipſi ſermo cõmunis ad ægros & ſanos. Sanis.n.non ſunt præcipiẽda exercitia ſimul cum inedia: nec ægris aliquis uehementior motus adhibendus una cum cibi abſtinentia: non ſanguinis miſſio, non alui purgatio, non uomitus excitatio, non frictio multa, non denique uehemens ulla corporis commotio, aut alteratio. In talibus ſiquidem motibus omnibus, ubi cibus defuturus ſit, uires diſſoluuntur, ſiue ægrotent, ſiue ſani ſint homines. Vbique uero Hippocrates magnopere ſtudet ſeruare fortem eam, quæ regit animalia, potentiam. Siue igitur numero ſingulari potentiam dixerimus, ſiue plurali, potentias, nihil refert. hocque in libro de alimento Hippocrates ipſe dixit, potentia una, & non una: genere quidem oſtendens unam eſſe potentiam, ſpecies autem plures habere.

*Vbi alimentum præter naturam plus ingestum est, hoc morbum facit: ostendit autem sanatio.* E

Quod in altero aphotismo uniuersaliter dixit, hoc nũc in una specie docet. Vniuersalis enim est hic sermo: Non satietas, non fames, neque aliud aliquid, bonum, quod modum naturæ excedat. uerum propositus nunc aphorismus, de una re, scilicet satietate, pronunciat. Plus enim alimenti, quàm modo naturæ conueniat, satietas, nominatur. Semper igitur id, quod plus est, ad aliud refertur. Verum in nostris corporibus duplex est, unum ad uasorum capacitatem, alterum ad illam, quæ nos gubernat, naturam, refertur: de quo nunc Hippocrates docens, alimẽtum copiosius dixit esse præter naturam: ne eos, qui ita cibis sunt repleti, ut uenter extendatur, omnino ex hoc arbitremur sensuros læsionem: neque eos, quibus aliquid deest ad conceptaculi mensurã, pauca assumpsisse, & omnino illa bene concocturos. Nam & priores contingit, quæ uentriculum repleuere, concoquere, si eorum natura fortis extiterit: & secundos non posse concoquere propter imbecillitatem, tunc præsertim, cum priores assumpserint cibos concoctu faciles, secundi uero concoctu difficiles. Sic & in distributione alimenti, potentia sanguifica illi proportionalis, quæ in uentre cibum concoquit, aliquando ex imbecillitate non alterabit humorem ad uenas distributum, etiam si mediocris esse uideatur. Aliquando mediocri copiosiorem prompte in sanguinem transmutabit, partim ex sui robore, partim ex humoris natura ad coctionẽ idonea. Eodem modo & tertium alimentum (quod maxime proprium alimentum nominamus, id dico, quod partibus animalis adijcitur) pro natura potentiæ, uel copiosius uel non copiosius dicetur, & uel bene concoquetur, & nutriet, uel non: atque ita a natura aut uincetur, aut minime uictus corrumpetur, & morbum generabit. Vna igitur expositio hæc est, illud, quod plus est, quantum ad potentiã, a qua animalia reguntur, nobis intelligentibus. Altera, quantum ad qualitatem præter naturam, uera & ipsa. Nutritur siquidem pars unaquæque ex proprio sibi alimento, quod recte diceremus esse illi secundum naturam. Cum igitur aliquando ad ipsam peruenerit aliquis humor, qui alteri quidem parti sit secundum naturam, ipsi uero alienus, & præter naturam: malum quidem hoc existit, non tamẽ ex necessitate sequetur morbus, ubi exigua portio fuerit. Nam, cum neque illa medicamenta, quæ corpus nostrum possunt corrumpere, sicuti mandragora, papauer, atque cicuta, possint sine quantitate nocere: multo minus huiuscemodi humor, qui præter id, quòd non corrumpit, etiam alias partes enutrire potest: alioqui ipsum neque alimentum uocasset, nisi tali esset natura præditus. Sicuti igitur, si parũ aliquid spiritus per gulam ad uentriculum deferretur, aut potæ humiditatis pauxillum ad pulmonem per asperam arteriam dilaberetur, neque uentriculus, quo ad hoc ægrotaret, neque pulmo: eodem modo se res habet etiam in aliarum partium alimento. Iam uero & tertia quædam expositio est a quibusdam inuecta, qui nos accipere iubent, præter naturam, pro ualde & exuperanter, ac si ita diceretur: G ubi alimentum exuperanter intrauerit, id morbum facit. Nam alimentum paululum mediocritatem excedens, nondum posse facere morbum, sed adhuc seruare corpus intra latitudinem sanitatis, uera quidem & hæc est sententia. Oportet siquidem alimentum, quod morbum facturum sit, non paruo aliquo excedere exquisitam mediocritatem. Verum non est mos ut hac de causa orationi distinctio adhibeatur: sed soleat ipsum solum genus, morbi causam enũciare, ut uel exustionem, uel frigefactionem, uel cruditatem, uel corruptionem humorum, &, quæcunque alia huiusmodi, morbum facere dicentes, quasi nos in singulis horum effatu dignam quantitatem subintelligamus. Eodem igitur modo & alimentum excedens dicunt facere morbum, non adijcientes multo: cum nos non lateat, ꝙ, si quintadecima unius drachmæ parte mediocritatem excesserit, nondum potest morbum efficere: uerum, si hic excessus multiplicetur, faciet & ipse aliquando morbum. ex genere enim causarum est una, quæ morbos committendi uim habet. Secundum hæc igitur tertia expositio, etsi quammaxime uera sit, mihi tamen uidetur esse curiosior, quàm deceat ueterum consuetudinem, præter id, quòd uiolentius exponit uocis illius, præter naturam, significatum. Verba autem, quæ in fine aphorismi scribuntur, ubi ait, Ostendit autem sanatio, melius scriberentur cum coniunctione, &, hoc modo: Ostendit autem & sanatio. Neque enim sola sanatio ostendit alimentum, ubi plus moderato ingestum est, facere mor- H bum, sed & rei natura indicat, contestante etiã sanatione. In omnibus siquidem artibus, ijs, quæ recte sunt excogitata, accedit etiam ex euentu testimonium. Quodnam igitur illud est in præsenti sermone ea, quæ sequitur ad noxiorum humorum euacuationes sanatio, quod etiam testimonium adhibuit Herophilus in libro, quẽ de indicatione a tribus temporibus sumpta inscripsit. Siquis enim plus consueto assumpserit cibi, æquali autem prioribus, aut etiam minori utatur exercitio, moxque aggrauato corpore cum rubore atque tumore uenarum incipiat febricitare: non absque ratione quispiam illum ex multitudine febricitare existimauerit. Si igitur euacuatus inde iuuatur, statim existimatio de multitudine confirmabitur, & crescet audacia in eisdem simili modo euacuandi, non expectantibus empiricorum obseruationem, quam ipsi aiunt eorum esse, quæ sæpissime in eisdem eodem modo contigerũt. Forte igitur in aphorismo adiecta erat coniunctio, &, deinde aliquis tanquam superfluam ipsam abstulit. Forte autem & ipse Hippocrates ab initio simpliciter scripsit absque coniunctione, Ostendit autẽ sanatio: ac si ita dixisset: Ijs enim quæ prius dicta sunt, ita se habentibus, ut dictum est, hoc est pluri alimento præter naturam comprehenso in corpore, ubi adhibita euacuatione ægrotus leuabitur: argumento erit morbum aduenisse ex multitudine alimenti. Quòd autem euacuationem simpliciter Hippocrates dicere consueuerit, quando humores omnes æqualiter euacuantur: purgationẽ autẽ, quãdo

praua

A praua affecti qualitate, meminisse oportet: & quòd præsens sanatio, non a purgatione facta, sed euacuatione opinionem de plenitudine confirmat. Euacuatio autem omnium humorum æqualiter (quæ quidem exquisitissima est) fit per uenæ sectionem. Proxima autem huic est, quæ per malleolorũ scarificationem, ut nos facere consueuimus, & quæ per exercitia, uel frictiones, uel balnea, & præterea ex accidenti per inediam. Dixi autem ex accidenti, quoniam non per seipsam inedia euacuat, ut singula antea dicta, uerum naturali modo per transpirationem euacuatio quidem fit, quæ nullo accedente alimento in locum eius, quod fuit euacuatum, tunc sensu manifeste deprehēditur, quæ antea latuerat. Hæc igitur sufficiant ad aphorismi expositionem. Qui uero uult sermonem de plenitudine diligentius perlegere, unum habet librum integrum a nobis conscriptũ, cui titulus est, De plenitudine. Nunc uero hoc tantum sufficiet adiungere ijs, quæ prius a nobis sunt enarrata, quòd incipere quidem potest ea, quæ ad uires refertur plenitudo absque corruptione: uerum non potest bona permanere: nam omnino necesse est, ut secundum qualitatem transmutetur, & processu temporis corrumpatur. Verum, & si istud fiat, interim plenitudinem ipsam nominabimus, donec ex superflui euacuatione residuũ bonum fieri possit. Quod enim in uinis accidit acescentibus: tale quiddam & in sanguinis alteratione contingit. Quod autem in uinis accidit, tale est: Vbi ex toto acida facta sunt, non redeunt rursum ad ui-
B ni naturam: paruo autem in ipsis facto momento, ita ut acidum quidem habeant saporem, nondum tamen acetum sint, multa multoties ex his pristinam naturam recuperarunt. Hoc idem in sanguine euenit. nam & ipse, ubi magna in eo sit facta corruptio, non redit amplius ad habitum naturalem: si uero pauca contigerit: ubi id, quod est superfluum, fuerit euacuatum: quod residuum existit, ad suam naturam restituitur. Et quidem consuetum est huiuscemodi dispositionem, non corruptionem, sed plenitudinem nominare: illa (ut dixi) sola uocata corruptione, quæ tam effatu dignam habet eam, quę ad id, quod præter naturam est, euersionem, ut non possit iterum ex naturæ coctione ad primam humoris redire bonitatem.

18 *Eorum, quæ confertim, & velociter nutriunt, veloces quoque fiunt excretiones.*

Velociter quidem nutrire accipiendum est ab ipso dici ea, quæ paruo post assumptionem tempore statim nutriunt, suæ naturæ ratione: quam in ijs exploramus, qui integra sanitate fruuntur. confertim autem quæ, postquam alere cœperunt, exiguo tempore totum ex se præstant corpori alimentum. Talia igitur, quantum ad hoc solum attinet, quòd confertim nutriunt, etiam ueloces habebunt excretiones. Si uero aliqua adsit acritudo excitans ad excretionem, aut lentor, ob quem magis retinea-
C tur: hæc quidem uelocius ad excretionem prorumpent, hæc uero tardius. Celerrime igitur, & † maxime confertim uinum alit: tardissime autem & paulatim caro bubula, & cochleæ, & uerticilli marini, squillæ, cammari, atque locustæ, & (ut summatim comprehendam) quæcunque dura carne constant: eandem cum his naturam habent & casei duri, carnes salitæ, lentes, ac bulbi, necnon oua, usquequo induruerint, elixata. Hæc enim omnia multo post assumptionem tempore, atque paulatim nutriunt. Indicium autem tibi sit id, quod assumptum est, iam nutrire, in pulsibus quidem uehementia ac magnitudo: in motibus autem uoluntarijs robur nutritis adiectum. Ipsum uero præcipue oportet explorare in illis, qui sunt dissoluti uel propter euacuationem aliquam sensibilem, uel propter laborem superfluum, uel propter inediam. ea igitur omnia, quæ diximus, tarde per uentrem permeant. hoc est longo post assumptionem tempore: ijs uero contraria, celeriter. Maxime autem omnium contrarium est uinum, celerrime (ut diximus) nutriens: post ipsum uero per ordinem alia de quibus sermonem faciā primum de uinis ipsis percurrens. Etenim aquosa ex eis, paucissimum præbent corpori alimentum. Sūt autem hæc colore quidem alba, tenuia uero substantia. Crassa autem & fulua multo quidem magis corpus alunt: sed tantum uincuntur a nigris in nutriendo plurimum, quantum superant in præstando uniuersum & uelox alimentum. Quæcunque uero alba quidem sunt, sed crassa: minus quidē his alunt,
D plus autem tenuibus & albis nutriunt: sed neque uelociter neque confertim alunt. Quantum uero in hisce excellunt, tantum & celeritate permeandi præstant. Aquosa enim celerrime per urinam excernuntur, quia celerrime tota fere anticipant resumi. Ex alijs uero omnibus, quantum aliquid uentrem subierit manifeste, proportionalem nutritionis tempori habet excretionem. Hoc idem in alijs omnibus accidit. Nam succus prisanæ non multo post assumptionem tempore uidetur nutrire, non tamen multum præbet corpori alimentum, idque breui tempore uniuersum. Alica uero neque paucum, neque uniuersum, sed in multo tempore multum præbet alimentum. Oportet autem ea, quæ inuicem comparantur, esse secundum substantiam similia, & non esse hoc quidem exquisite humidum, hoc uero extreme siccum. In ptisana igitur & alica, & huiuscemodi omnibus, quæcunque parantur ex milijs, uel fabis, uel alijs quibusdam fructibus, eodem modo se habeant, quæ comparantur, secundum substantiæ qualitatem. In carnibus autem propria quidem est uniuscuiusque consistentia. Sed comparare ipsas oportet secundum modum, quo parantur, uel utrisque assis, uel eodem modo elixis. Auferre autem oportet dum parantur, mordaces humores, quemadmodum in brassica ac in leguminibus, si certam uelis habere experientiam eius, quæ in ipsis alit, substantiæ. Auferuntur autē humores dicti, si, dum elixantur, ab una aqua ad aliā transferant. Si igitur adhibita distinctione, diligentem oīum feceris inquisitionē: inuenies oīa, quæ quidem in pauco tēpore nutriunt (hoc enim est

confertim

A.l.1.f.3.d.2. c.8.p.20.D.

† Veteres lib. addūt. ἀθρόως .i. omniū confertim.

conſertim & paruo poſt aſſumptionem tempore(hoc enim eſt uelociter)etiam uelocem habere perua E
ſionem,quando hominibus eodem modo affectis exhibentur(nam & hoc in talibus omnibus oportet
præfinire:) quæ uero contrariam naturam habent, tarde permeare. Cauſam horum inuenies ex ijs,
quæ oſtenſa ſunt in commentarijs de potentijs naturalibus. In his ſiquidem oſtendebatur uentriculus
prius cibis frui, familiarem ſibi ſuccum ex illis attrahens,& ſuis apponens tunicis, mox, ubi hic eſſet
ſaturatus,tunc ipſos emittere ut permeent. In hoc autem tempore & hepar oſtẽdebatur ex cibis attra-
here,ubi indigeret alimento.nam,ſi non egeat illo,quod prius aderat, perfrui: eadem quoque ratione
trahere rurſus ex hepate totum corpus, quo tempore & ipſum indiget alimento. Vnde, in quibus totũ
corpus eſt uacuum,quiſpiam maxime poſſit experiri,qui cibi ſint conſertim, & uelociter nutrientes:
quibus & illud(ut diximus)ineſt,ut celeriter corpus peruadant, quantum ad id attinet. Verum nõ nul
li dixere eam,quæ fit ex toto corpore,euacuationem,ab ipſo excretionem nominari, ut idem ſit, quod
nunc docetur, ei,quod dixit in libro de alimento,ubi inquit: Alimentum, quod difficulter alteratur, »
difficulter abſumitur: quod facile apponitur, facile abſumitur. Quod dictum uerifſimum quidem eſt, »
non tamen proprie uidetur accipi ſub appellatione excretionis. Nam magis proprie dicitur de ea,quę
ſolum fit per uentrem: poſſumus quidem & ipſam intelligere de ea, quæ fit ex toto corpore. Differt
enim,excretionem(græce διαχώρησιν,)an ſubductionem(græce ὑποχώρησιν)dicas. Subductio igitur ſolum F
de ijs dicitur,quæ per aluum deijciuntur: contingit autem excretionis uocabulum utriſque eſſe com-
mune. Carnes itaque ſuillæ,& quęcunque lentos ac craſſos humores habent,in tempore faciunt ex to
to corpore tranſpirationem. Olera uero,& piſces ſaxatiles,& ſimpliciter quæcunque tenuem habent
humorem diſtribuendum, celeritate quidem diſtributionis atque appoſitionis exuperant, ſtabilem ue
ro naturam non habent,ſed facile diffiant.

*Acutorum morborum non omnino ſunt certæ prænunciationes,aut ſalutis aut mortis.* 19

Acuti morbi, præter id,quod celeriter iudicantur, ſtatim etiam magnitudinem habent.Nam febres
diatiæ,quas Græci ephemeras uocant,licet cito finiantur, non tamen acuti morbi nominantur. Du-
plex autem eſt acutorum morborum natura. Vel enim ab humoribus calidis ſolis, qui nullum obſe-
dere locum, ſed æqualiter in omnibus animalis partibus ſunt: uel loco aliquo patiente fiunt,ut in mor
bo laterali,pulmonis inflammatione, angina. febreſque ut plurimum in acutis morbis ſunt continuæ.
Rari enim ſunt ex ipſis,quibus febres non adſint,ut morbus attonitus, quem Græci apoplexiam uo-
cant. Morbi uero longi,ob craſſos, lentos, ac frigidos fiunt humores, qui non facile concoqui poſ-
ſunt,& in patientibus partibus impacti ſunt atque agglutinati ita,ut eorum diſpoſitiones magis prædu G
ris tumoribus, quàm inflammationibus aſſimilentur. Pauci uero ex ipſis fiunt per conſenſum abſque
loco patiente:in quibus uenæ omnes æqualiter habent humores uel atribilarios uel pituitoſos putre-
ſcentes. In his igitur omnibus uidetur Hippocrates fidere præcognitionibus, in acutis uero non om-
nibus. Sed aliquando falli præcognitionem confitetur. Tale eſt enim,quod dicit,non omnino,negatio
cum ſit.non omnino enim idem,quod non prorſus,ſignificat,eſtque non omnino perinde, atque non
in omnibus,quod genus ſermonis uſurpare conſueuerunt, quando pauca ex multis uolunt excipere,
ut cum dicunt,non omnes homines mali. Qui enim hoc dicit, oſtendit pauciſſimos eſſe bonos.Ita igi-
tur & nunc Hippocrates oſtendit,inquiens non omnino certas eſſe in morbis acutis prænunciationes,
tanquam aliquando,quamuis raro,medicus aberret. iſtud autem fit propter ſubitã in iudicatione per-
mutationem,quæ naturam humorum ſequitur morbificorum,& quia non nunquam humor noxius ex
uno loco transfertur ad alterum.

*Quibus iuuenibus adhuc aluus humecta eſt,iis ſeneſcentibus exiccatur. Quibus uero iuuenibus adhuc aluus ſicca eſt, iis ſeneſcentibus humectatur.* 20

Id fieri ex magna parte, & non ſemper, oſtendit ipſe inter ſequentes hunc ſcribens aphoriſmum: H
Quicunque aluos humidas habent,ſi quidem iuuenes fuerint, melius degunt, ijs,qui ſiccas habent:ad
ſenectam uero deterius: nam ſeneſcentibus magna ex parte exiccatur. Oportet autem humidas & ſic-
cas aluos intelligere non ſimpliciter,ſed eadem uictus ſeruata ratione. Si quis enim in iuuentute Ale-
xandrinorum uictu uteretur, ſalſis utens cibis,& porris, zythumque ſuperbibens,in ſenectute uero ni
hil horum aſſumeret, ſed lentem eſitaret,& uinum auſterum inſuper biberet: male diceremus huius ho
minis deiectiones ætatis ratione permutari. Sic,& ſiquis in iuuentute lentibus & meſpilis ueſceretur,
uinumque auſterum potaret,in ſenectute autem uictu uteretur Alexandrinorum, atque ita cum uictu
excretiones mutaret: non recte iudicium fecerimus. Sed, cum omnia alia, non ſolum, quæ ad cibos
attinent, paria agentur, & deiectiones commutabuntur: tunc rectum fiet iudicium de ijs,quæ ab Hip-
pocrate in aphoriſmo dicuntur. Variantur autem deiectiones ætatum ratione ſecundum eas, quæ in
corpore mutantur,diſpoſitiones, ex quibus aluus ſiccior humidiorve fit. Quænam uero ſint hæ diſpoſi
tiones,unum eſt ex ijs,quæ quæruntur: atque adeo longum mihi futurum ſuper hoc ſermonem exiſti-
mo,ſi proprias ſtuduero adhibere demonſtrationes, ut unus integer liber futurus ſit neceſſarius. Sed
hoc alias forte a nobis fiet: nunc breuibus capita expediam,ijs utens,quæ in commentarijs de poten-
tijs naturalibus,& de cauſis accidentiũ demonſtraui. Plus, quàm conueniat, fit aluus humida,quando
cibus

A cibus in chylum in ipſa conuerſus,parcius diſtribuitur: Siccior rurſus,cum omnis humor in ipſa contẽtus,ad hepar fertur. Cauſa uero, ob quam parcius diſtribuitur,eſt,aliquando quidem,quia plus aſſumimus,quàm hepar indigeat: Interdum uero quoque,quia citius deijcitur, quàm hepar attrahat. Nam, cum cibus modum excedit,eius ſuperfluum derelinquitur,ubi hepar tantum ad ſe attraxerit, quanto indiguerit. Cum uero properat ad exeundum,non præuenit hepar tantum attrahere, quantum ipſi eſt neceſſarium. Citius autem feſtinat ad exitum id, quod excernitur, non nunquam ob multitudinem bilis ad aluum fluentis,quæ iritat ad expulſionem,non nunquam uero ipſa alui potentia retentiua facta debiliori, expulſiua uero eius atque inteſtinorum forti exiſtente. Plura igitur appetimus, cum os uentriculi(in hoc enim uis appetendi præcipue conſiſtit)frigidiorem habuerit temperaturam. Sic uero & hepar minus attrahit propter frigiditatem. Vim autem retentiuam habet uentriculus imbecilliorem propter humiditatem, ſicuti propulſiuam fortiorem propter ſiccitatem. Senum igitur corpus cum frigidum efficiatur,†[tantam augeri cõtingit in ore uentriculi frigiditatem]ut ad inappetentiã fiat tranſmutatio,atque ita excrementa exiccentur inopia eorum,quæ aſſumuntur,ut diſtribuantur. Sic &, quicunque ob multitudinem uel naturam humoris bilioſi aluum humectam habent, ad contrarium tranſmutantur,cum hic humor non amplius in ſenectute multus generetur. Quibus uero ob uirtutis retenB tiuæ debilitatem aluus humectatur, non omnibus tranſmutatio aduenit, ſed pro quantitate caloris adiuncti. Si enim ſtatim ab initio frigidiorem habuerit aluus temperaturam: mox ad immodicam ueniens in ſenectute in frigiditate intemperiem, uirtutem retentiuam æque habebit imbecillem, quoniam omnis immodica intemperies operationes exoluit. Quod ſi exquiſite calida fuerit ad longiſſimũ uſque ætatis proceſſum,fortem habebit operationem retentiuam,ut quę neutram habeat exquiſite intemperiem,neque eam,quæ eſt ſecundum ſiccitatem(ſiquidem erat omnino humidior natura: alioqui non habuiſſet debilem uirtutem retentiuam)neque ſecundum caliditatem. hoc enim ſupponebatur. Liquet igitur,quòd fere omnibus,qui aluos habent natura humidiores,fit ad contraria ſeneſcentibus tranſmutatio: qui uero ſicciores, ijs fient in ſenectute humidiores propter contrarias * temperaturas. uel enim,quia minus aſſumitur alimenti,quàm potentiæ hepatis congruat,uel propter exuccationem, uel quia parum bilis confluit ad aluum, uel propter potentiæ retentiuæ robur excrementa erunt ſicciora. Ex his autem,ꝙ parum appetant,& citius impleantur,fit propter partium appetentium caliditatem. Quòd uero cibus aſſumptus exuccetur,contingit uel mediocriter ſe habente hepate ſecundum temperaturam, uel paulo plus mediocri calidiore. Quòd uero pauca bilis confluat ad aluum: hoc ex eo accidit,quia etiam pauca generatur ob uiſceris frigiditatem. Fortis autem iuuenibus ineſt retentiC ua potentia,quoniam ad ſicciorem uergunt temperaturam. Non abſque ratione igitur in omnibus, quos diximus, ſenibus fit ad contraria tranſmutatio. Nam,qui non appetunt ob caliditatem, in progreſſu ætatis plus etiam appetent,quàm poſſit hepar euincere. Quibus autem ob innatam ſiccitatẽ uirtus retentiua fortior extiterat,ijs ſeneſcẽtibus fiet imbecillior ob ſiccitatis exceſſum:& ea ratione excrementa humectabuntur,quoniã ciborum exitus feſtinat. Quibus uero propter bilis defectum tardãte excretione,ob exitus moram multum humiditatis abſumitur,fieri poteſt,ut eadem diſpoſitio perſeueret: Fieri etiam poteſt,ut propter immodicam hepatis frigiditatẽm, ad ſatis magnam perueniente alimenti diſtributione imbecillitatem,fiant excrementa humidiora. Hæc in præſenti dicta ſufficiant de cauſa earum,quæ fiunt in ætatibus, permutationum,quantum ad alui attinet humiditatem ac ſiccitatẽ: quæ propter breuitatem ſunt futura obſcura ijs,qui in nuper dictis commentationibus non ſunt exercitati. Sed poſthac aliquando uno integro uolumine clariorem doctrinam faciemus.nã,quod ad uſum artis attinet,hoc ſolũ ſcire ſufficit,quod fuit ab Hippocrate dictum,etiam ſi cauſa non adijciatur.

† Ex Græcis uerbis, ſic,in ore uentriculi humiditas uſque eo frigida colligitur, ut c.

* Al. cauſas.

A.l.3.f.15.e.1 c.3.p.601.B.

21 *Famem,thorexis ſoluit.*

Vini potionem, thorexin nominare conſueuit. In libro ſiquidem de natura hominis, & de uictus raD tione,in hunc modum ſcripſit: Liquet enim, quòd uictus ſingulorum non ſunt cauſa,ut omnes, ſubinde morbo corripiantur,iuniores, & ſeniores, uiri, ac mulieres, ſimiliter autem thoreſſomeni, & aquæ potatores. Cum ergo aquæ potatores thoreſſomenis opponat,oſtendit ſe per thoreſſomenus uinum potantes intelligere. Quare & hic thorexis, uini potus ab ipſo dicitur, quem dicit famem ſoluere:non (per Iouem)quęcunque defectum famem nominans,(ſicuti non nulli arbitrantur)ſed neque illã, quæ cum appetitu naturali fit,ſed eam,quam habent,qui hac paſſione laborant, uehementi & indeſinenti ciborum appetentia: quam medici quidam appetentiam caninam nominant. Talem enim famem,uini potio ſanat,non eam,quæ uel ex longa inedia,uel alui profluuio,uel fluxu ſanguinis, aut aliqua alia facta eſt euacuatione. Nam,qui ex tali aliqua indigent cauſa,non modo nõ aliquam ex uini potu capiũt utilitatem,ſed etiam plurimum offenduntur, quoniam & conuulſionibus & delirijs ſtatim corripiuntur,ſi,antequam cibos aſſumant,uinum potauerint. Qui uero famem,quam diximus,patiuntur,ijs uini potus,non cibi multitudo,remedium eſt. Equidem multos ipſe ſanaui,qui indeſinenter fameſcebant, uinum ipſis abundanter exhibens ex eorum genere, quæ ſufficienter calefaciunt. Neque enim acerba uina talem famem ſanant,ſiquidem neque calefaciunt: ſed, quæ colorem fuluum habent, uel rubeum abſque aſtringente ſapore,maximo ſunt illis remedio,qui canino laborant appetitu. Oportet ſiquidẽ, cum ad prandium accedunt, primum illis afferre pinguia edulia, atque (ut ita dixerim) oleagina, & alia,

A.l.1.f.3.d.5. c.1.p.329.F.

alia,quæcunque ex multo parantur oleo: maxime uero nihil auſterum aut acerbum offeratur: poſtea E
unum aliquod ex uinis,quæ diximus,etiam ſi nondum ſitierint, potandum dari præcipiemus. Statim
enim fames tali uictu mitigatur,atque ita longo tempore faciendo, ceſſat omnino. & hoc mihi magis
uidetur in præſenti aphoriſmo Hippocrates docere. Cum enim canini appetitus fieri conſueuerint uel
propter ſolam intemperaturam frigidiorem,uel propter humores acidos,quos exorbuit os uentriculi:
& hæc ambo ſanare poſſit uinum,quod diximus: non ſine ratione uini potio caninos appetitus ſedat.
Qui uero putant uehementem eſuritionem,quam Græci bulimon uocant,fuiſſe nunc famem ab Hip-
pocrate nominatam, non recte mihi uidentur eius ſermonem accipere: Primum quia ipſum pro gene-
rali atque uniuerſali faciunt ſpecialem,ac particularem: deinde quia mentiuntur. nam paſſio bulimos
nominata,eſt caſus potentiæ ex frigiditate exteriore,qui a fame quidem inchoauit,ſed non habet eam
amplius adiunctam.

*Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio: & quicunque ex euacuatione, repletio: & aliorum, con-* 22
*trarietas.* Al.1.f.4.c.4. p.135.A.

Non,ſi quid factum eſt a repletione, neque,ipſa non amplius exiſtente ſiquid remanſerit, id curat
euacuatio,ſed,quæcunque eo ipſo,quo fiunt tempore,curare aggredimur,euacuatione indigēt. Quòd F
quidem igitur multitudo morbum efficiat, antea dictum eſt: quòd autem euacuatio ſit eius ciusmatio, nō
opus eſt dicere: ſicuti neque de omnibus alijs cauſis, quæ morbos committunt,quòd per contraria cu
rentur. Neque enim aliud quicquam quimus excogitare præter contrarium cauſis morbos efficienti-
bus,ſicuti in morbis ipſis iam factis rurſus conſiderabimus: quemadmodum & in caſibus, qui eos ex
neceſſitate conſequuntur. Sed nunc de ijs morbis,qui adhuc fiunt,ſermo a nobis habetur. Liquet igi-
tur,quòd una cum cauſis ipſos facientibus deſtruuntur. Cauſarum uero facientium abolitio fit a con-
trarijs. ſi enim ex refrigeratione morbus fiat, curatio eſt per calefactionem: ſi uero ex calefactione,per
refrigerationem. Sic,& ſi propter repletionem morbus conſtituatur, tunc oportet repletionem eua-
cuare: ſicuti,& ſi propter euacuationem,reficere protinus conuenit. Etiamſi non nullis uideatur nun-
quam fieri ab euacuatione morbum. exiſtimant autem (ut apparet) huiuſcemodi homines ſolam fe-
brem eſſe morbum. quòd ſi didiciſſent quamlibet lædentem operationes diſpoſitionem,morbum eſſe,
& quòd a uehementibus intemperaturis operationes læduntur, haudquaquam dubitarent, an fortes
euacuationes morbos efficiant. Sanguis enim cum ſupra modum aut ex utero muliebri, aut ex ue-
nis,quæ hæmorrhoides appellantur,aut ex ulcere fluxerit,tunc uel omnes, uel plurimas operationes
ij,qui ita affecti ſunt,offenſas habent. Nonnulli uero ipſorum non modo hæc patiuntur, uerumetiam G
aqua inter cutem corripiuntur. Longæ autem inediæ ijs,qui calorem habent ad igneam naturam pro-
penſiorem,præter alia mala,inſuper afferunt febrem. Quantum igitur ueritas ipſa atque utilitas exige
bat,a nobis quamuis dictum ſit, his tamen addamus aliquid propter garrulos:quales ſunt recentiores
quidam medici,qui de nominibus altercantes putant ſe de rebus ipſis habere ſermonē. Hi igitur ſunt,
qui aiunt cauſarum efficientium morbos abolitionem non eſſe curationem,ſed præſeruationem. Qui
primum quidem docendi ſunt,quòd de nomine litigant, deinde,quod neque de hoc recte. Vbi enim
cauſa non adeſt,quæ morbum efficiat, hic ſola curatio factorum relinquitur. Vbi uero ea, quæ ineſt
corpori cauſa,nondum aliquid facit, ueluti quæ plethora, id eſt plenitudo, uocatur, ad præſeruatiuā
artis attinet partem, huiuſcemodi cauſarum deſtructio. Cum uero iam aliquid agit, miſtum iam quo-
dam modo eſt huiuſcemodi opus ex præſeruatione & curatione. Nam, quod facturæ erant cauſæ illæ,
prohibitum eſt fieri: & hoc ad artem attinet præſeruatiuam; quantum uero morbi iam factum eſt, pro
priam exigit curationem. Quapropter,cum miſta ſint talia ex præſeruatione ac curatione, proprio ca-
remus nomine: atque idcirco alias alia medici utuntur appellatione,non nunquam præſeruari dicen-
tes,ne morbus,qui iam incipit generari,ad complementum perducatur: non nunquam uero curari,
quemadmodum in ijs,quos canis rabidus momorderit. Quæ enim ipſis adhibentur medicinæ,duplicē H
habent appellationem. Nam non nunquam rabiei remedia dicuntur,ac ſi diſpoſitionis,quæ rabiem fe
cerit,dicerentur. Non nunquam uero non remedia præſentis diſpoſitionis appellantur, ſed a rabie fu
tura præſeruantia.

*Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.* 23

Acuti morbi magni ſunt,& ad ſuum uigorem celeriter properant. Non abſque ratione igitur in pau
co tempore etiam magnas faciunt permutationes: quod idem eſt,quod iudicari. Huiuſcemodi enim
permutationes quando repente in morbo fiunt, Hippocrates iudicationes appellat: in quibus nōnun
quam ſubito integra ſanitas reſtituitur,aut moritur æger: non nunquam uero magna fit ad ſalutē, uel
ad mortem permutatio,non tamen aut ſubito ſanantur,aut moriuntur: ita ut quatuor ſint in ipſis ſubi-
tæ permutationes,quas ipſe docuit in primo libro Epidemiorum, inquiens: Ad ſalutem, aut mortem,
uel inclinatio ad melius,aut ad peius. Quòd uero ſit neceſſarium ob morborum magnitudinem, ac ca-
ſuum uehementiam, uel cito uires proſterni, adeo ut homo moriatur: uel ad noxiorum humorum ex-
cretionem excitatas, ſi modo quos inuaſerint,exuperent,bonam ſequi iudicationem: ſin autem exu-
perentur, malam: unicuique manifeſtum eſt. Propterea igitur fieri non poteſt, ut in longum tempus
iudicatio

A iudicario differatur in morbis acutis. Terminum igitur in hisce omnibus Hippoc. posuit duas septimanas, tanquam nullus eorum ulterius progrediatur, uerum ante quartumdecimum diem multi possint iudicari. Etenim undecimus, nonus, septimus, & quintus multos uisi sunt iudicasse in libris Epidemiorum. Iudicat autem & sextus non nullos, sed nõ bene, sicuti in libris de iudicatorijs diebus plenius ostendimus: in quibus dignũ putamus illũ exercitatũ eẽ qui ea assequi debeat, quæ Hipp. breui sermone perstrinxit. Quæcunq; uero iudicationes sunt ueluti *imperfectæ, ijs finem imponit aliquis alius dies ex eorum numero, qui deinceps sequũtur, de quibus, qualesnam sint, in libris Prognosticis Hippoc. docuit: & hic de ipsis aliquid in sequenti docebit aphorismo. Est aũt & harum *imperfectarũ iudicationũ terminus quidã ulterior, ultra quẽ non amplius fieri progressus potest, dies quadragesimus. Quicũq; igitur morbi intra diẽ quartũdecimum integre iudicãtur, hos solet Hippoc. acutos simpliciter noĩare. Quicũq; uero *imperfecte iudicati, seruati fuerint in sequentiũ iudicatoriorũ dierum aliquẽ usq; ad quadragesimũ, hos non solet simpliciter acutos nominare, sed appellatione cõposita his omnibus uerbis, acuti, qui in quadraginta diebus iudicãtur. Verũ manifestius illi declarãt, qui eosdẽ morbos acutos ἐκ μεταπτώσεως .i. ex decidẽtia uocant. De his igitur in Prognostico scribit in hũc modũ: Oportet autẽ existimare spirãdi [illegible] tẽ magnã habere uim ad salutẽ in oĩbus acutis morbis, quicunq; febres habent adiunctas, & in quadraginta diebus iudicant. Nũc uero in aphorismis de acutis simpliciter, enũcians, ait, eos intra quartumdecimum diem iudicari: non (per Iouem) hoc dicens, quod non nulli existimarunt, esse quatuordecim numero dies, qui in his morbis faciant iudicationẽ. Nã secundũ hãc expositionem, etiã illos dies, qui iudicãt morbos acutos ex decidẽtia noĩatos, dicemus esse numero quadraginta, cum idẽ loquendi modus in utrisq; sit: hic quidẽ, cum ait, Morbos acutos in quatuordecim diebus iudicari: in Prognosticis autẽ, cum dicit, Quicũq; morbi cum febribus sunt, in quadraginta diebus iudicantur. Verũ hi nõ inuenientes, quõ possint ostendere utrosq; sermones, & hunc, qui in aphorismis scribitur, & illum, qui in Prognostico legitur, sibi inuicẽ esse cõcordes: hãc absurdã excogitarũt expositionẽ. Neq; enim quatuordecim sunt usq; ad quadragesimũ dies iudicatorij, sed cũ intercidẽtibus quidẽ plures, absq; illis uero pauciores, quẽadmodum clare in nostra ostenditur de diebus iudicatorijs tractatione. Sed & ipsa rerũ natura suffragatur sermoni, quo dicitur acutos morbos habere terminũ iudicationis quartũdecimum, diẽ. Nullus. n. inuentus est unquã ab initio ueloci ter motus, hũc trãsgredi terminũ qui non aliquod ex quatuor iã dictis iudicijs unũ acceperit: sicuti q dã leues ac parui circa primos dies existentes, quarto aut quinto die acuti † fieri incipiẽtes, ad decimũseptimũ terminarũt. Alij uero sexto aut septimo die exacui incipientes, ad uigesimũ terminarunt: adeo ut morbi cõtinui acuties nũquã possit plures, quàm quatuordecim, obtinere dies. Ex ijs uero, qui motus habẽt inæquales, multi extenduntur usq; ad aliquod tẽpus ulterius præfinitũ. Dico aũt inæquales habere motus, eos, qui aliquot diebus uehementiores fuere, postea sine aliqua significatione torpuerunt, deinde rursus adaucti continuitatẽ acceperũt. Si quis igitur, ut dixi, faciat in ægrotãtibus obseruationẽ, oẽs inueniet, qui per duas integras septimanas uelociter mouentur, nunquam ad ulteriorem progredi terminum.

* ἐκλείπουσι .i. in alterã semi inclinatæ partem.

† v. l. addũt, & uehementes & cõtinui.

24 *Septenorum quartus est index. Alterius septimanæ octauus principium. Est autem & undecimus contemplabilis: ipse enim, quartus est secundæ septimanæ. Rursus vero & decimusseptimus contemplabilis: ipse siquidem quartus est a quartodecimo, septimus vero ab undecimo.*

Indices & contemplabiles, solet Hippocrates nominare dies in quibus aliquod signum apparet futuræ iudicationis indicatiuum, in altero aliquo iudicantium dierum, quos ipse in Prognosticis unam quanque septimanam in duas diuidens partes, per quaternarios digessit. Primum itaque quaternarium septimi diei, siquis ab initio numeret, indicem esse ait: undecimum autem quartidecimi, quoniam & hic secunda septimana in duas partes diuisa index prouenit. Eadem ratione & decimusseptimus uigesimi est index ex diuisione tertiæ septimanæ in duas partes. illud tantum interest, quòd D hanc tertiam septimanam secundæ coniungit, quamuis primam a secunda separauerit. nam eius initium diem octauum esse dixit, non tamen tertiæ quintumdecimum, quemadmodum non nulli post ipsum existimarunt: quoniam neque uigesimum primum, terminum statuit, sed principium quidem tertiæ septimanæ quartumdecimum, finem autem & terminum uigesimum. Cur autem duas primas septimanas secundum disiunctionem inuicem ordinauerit, tertiam uero secundæ secundum continuitatem, in libro de diebus iudicatorijs docuimus. In præsentia uero sufficit etiam sine causa nouisse, quod experientia comprobat. Nam ipse Hippocrates plurimos ægros secundum talem ordinem dierum iudicatoriorum in libris Epidemiorum scripsit fuisse iudicatos. Dico autem secundum talem ordinem, ut primæ tres septimanæ ad uigesimum, sequentes tres ad quadragesimum perducantur. Sic enim & sexagesimum & octogesimum diem iudicatorios habebimus, & ipsos experiẽtia confirmatos, quemadmodum in libris de diebus iudicatorijs ostendimus, illos, qui in libris Epidemiorum notantur iudicati secundum talem dierum ordinem, describentes. Sed, ægrotos illos quoniam longum esset hoc in loco sermone complecti: sufficiet sola ex Prognosticis uerba in hunc modum se habentia subscribere: Febres iudicantur in eisdem numero diebus, in quibus etiam homines liberantur & pereunt. Nam mitissimæ febres, & quæ tutissimis signis incedunt, quarto die finiũtur, uel antea: malignissimæ autem, & grauissima signa præ se ferentes, quarto die interimunt, aut prius.

Primus igitur earum insultus ita terminatur: Secundus uero ad septimum ducitur: Tertius ad undecimum: Quartus ad quartumdecimum: Quintus ad decimumseptimum: Sextus ad uigesimum. Hi igitur per quatuor ex acutis ad uigesimum ex adiectione finiunt. Hæc uerba ostendunt manifeste, quòd tertiam septimanam per continuitatem secundæ annumerat, & quòd decimamseptimam indicem facit uigesimæ. E » » »

35 *Aestiuæ quartanæ magna ex parte breues, autumnales longæ, & maxime quæ hyemem attingunt.*

Non solum quartanæ breues æstate fiũt, sed & ægritudines aliæ, propterea quòd humores superflui funduntur, & per totum corpus feruntur, atque difflantur. In quibus igitur uires ualidæ sunt, noxijs humoribus euacuatis, morbi cessant. In quibus uero sunt imbecilles: dum noxij succi euacuantur, una & ipsæ dissoluuntur. Quare non absque ratione nulli morbi æstate sunt longi. Hippocrates uero de solo omnium longissimo fecit mentionem, tanquam per exemplum de omnibus alijs ex isto iudicans. Sicuti autem æstate & discuti humores, & uires dissolui contingit: sic hyeme contraria eueniunt, & humores intus tanquam in latebris remanere, & uires seruari robustas. Neque igitur morbi soluũtur manẽtibus ijs, qui eos efficiunt, humoribus, neque ægroti moriuntur uiribus interim sufficientibus. A.l.4.f.1.c.1. c.61.p.797.B

26 *Febrem conuulsioni superuenire melius est, quàm febri conuulsionem.* F

Ipse Hippocrates in sequentibus dicet conuulsionem fieri ex repletione, & euacuatione. Cum igitur aliquem sanum contigerit repente conuelli: huiuscemodi conuulsionem necessariũ est ex repletione fieri. replentur autem nerui frigidis & glutinosis humoribus, ex quibus etiam nutriuntur: unde cõuulsionem patiuntur. Hisce igitur febris superueniens, solita est magna ex parte calefacere, extenuare, atque discutere. Si uero ex febribus adurentibus, totum corpus exiccetur, & neruis deinde ex siccitate conuulsio accidat, maximum est malum, & pene insanabile, quoniam longum quidem tempus exigitur ad siccitatem neruorum remouendam, uehementia autem morbi tempus non expectat, sed cito uires dissoluit, & subito exitium affert. A.l.3.f.2.c.7. p.309.A.

27 *His, quæ non ex ratione leuant, non oportet fidere: neque multum formidare mala, quæ præter rationem eueniunt. Plurima enim talia stabilia non sunt, neque multum durare & permanere consueuere.*

Sermo quidem integer de talibus omnibus in libris de Crisibus dictus est, nunc uero, quantum ad propositorum expositionem satis est, a nobis dicetur. Cum morbus inuadit uehemens, & mox subito quiescit, non modo per sudorem, aut uomitum, aut alui excretionem, aut profluuium sanguinis corpore non euacuato, sed ne uiso quidem signo coctionis: existimandum est signum infidum talem quietẽ esse: sicuti etiam, siquis præter rationem spiret difficulter, uel deliret, uel febricitet uehementius, uel magno rigore corripiatur. nam & hæc quoque firmitatem non habent: tantumque abest, ut malum aliquod significent, ut non nunquam bonum iudicium haud ita multo post futurum enuncient. Quomodo autem hæc oporteat dignoscere & præcognoscere, in libris de Crisibus diximus. G

28 *Febricitantium non omnino leuiter, permanere corpus, & nihil minui: uel etiam plus, quàm ratio postulat, colliquescere, malum. Hoc enim morbi longitudinem, hoc uero imbecillitatem significat.*

Hæc uerba, non omnino leuiter, distinctionis gratia apposuit Hippocrates. Si enim simpliciter dixisset, Febricitantium permanete corpus, & nihil minui, malum: sermo careret ueritate. Cõtingit enim in tempestate frigida cuiquam ex plenitudine ægrotanti, non collabi corpus, neque extenuari, cum febres paruæ fuerint: sed, cum maiores fuerint, multam adesse plenitudinem significatur. Colliquescere autem plus, quàm ratio expostulat, malum: etiam si non adijciatur non omnino leuiter. Siue enim leuiter febricitauerint, siue non, signum imbecillitatis est ea, quæ fit præter rationem extenuatio. Neque enim putandum est uerbo, συντήκεσθαι, .i. colliquescere seu contabescere, in proprio significato nunc Hippocratem usum fuisse, sed magis abusum. Recte autem dixit in secunda parte aphorismi, magis, quàm ratio expostulat. & melius est hæc quoque uerba priori parti aphorismi adaptare, ita ut totus sermo talis efficiatur: Febricitantium non omnino leuiter, permanere corpus plus uel etiam colliquescere magis, quàm ratio expostulat, malum: ut communiter de utroque prædicetur, magis, quàm postulat ratio. Siue enim permaneant magis, quàm ratio expostulat, siue extenuentur, malum est. Melius autem fuisset, si hoc, quod ait, magis quàm ratio postulat, quibus finibus scopisve iudicetur, aperuisset. Verum, quia hic doctrinæ modus aphoristicus, & summam consectatur breuitatem: nos exponentes uerba, secundum rationem, ad febris magnitudinem referemus, ad tempus ægritudinis, ætatem, regionem, tempus anni, & illam, quæ tunc uiget, temporis constitutionẽ, & præterea ad sensibiles euacuationes, uigilias, curas, inedias, & motus plures. Nam maiores febres magis & citius corpora extenuant ægrotantium, sicuti & diuturnitas morbi, & ex ætatibus puerilis, atque decrepita: sed alia ambæ ratione. In pueris enim propter caliditatem atque humiditatem multum defluunt, atque extenuantur corpora: in decrepita uero ætate hoc idem patiuntur propter potentiæ imbecillitatem. Ex regionibus autem, & anni temporibus, ac constitutionibus, calidæ quidem ac siccæ magis euacuant, humidæ uero ac frigidæ magis astringunt, ac difflare corpora atque extenuari non sinunt. De sensibilibus autem euacuationibus H

cuationibus

A cuationibus quid dicere oportet? Neminem enim ignotare arbitror, ut merito ex profluuio ſanguinis multo, atque ſudoribus plurimis, & urina ſuperfluente, uel uomitu, uel alui excretione, cito corpus extenuetur. Accedit autem dictis cauſis & inedia: uigiliæque & curę ſufficienter extenuant, ut & plures motiones: ſed hæ raro febricitantibus adſunt. nam magna ex parte iacent quieſcentes. Verum aliquãdo contingit moueri aliquos, qui in itinere cœperint febricitare, uel urgente neceſſitate, uel ſtudio domum reuiſendi. Sed & ex delirio quidam ægroti iugiter exurgentes, uel iacentes quidem, ſed continuo partem aliquam corporis commouentes, aut etiam delira loquentes, intra paucos dies extenuantur. Hæc quidem omnia ægrotos reddunt macilentos, ſicuti & contraria his corpus in maiori mole conſeruant. Signum autem nullum ex his eſt uirium imbecillium, ſed ſingula ſunt tantummodo cauſæ. Nam, ſicuti ex eis corpus cum ratione extenuatur, ſic & uires deſtruuntur. Abſque his autem corpus præter rationem extenuari, ſignum eſſe uirium imbecillitatis Hippocrates inquit: quam & in ualde ſenibus pro cauſa aſſignantes celerrime ipſorum corpus extenuari dicebamus. Neque mirum uideri debet in ijs, qui ita ſe habent, imbecillitatem quidem cauſam eſſe extenuationis, extenuationẽ uero eſſe ſignum imbecillitatis. Hoc enim contingit in omnibus, quæ faciunt, & fiunt. Hæc quidem eſt ſententia Hippocratis, ſemper exiſtimantis eam, quæ eſt citra rationem, extenuationem ſignũ eſſe B imbecillitatis. Nos uero adijciamus eius ſermoni & aliam diſpoſitionem, quæ cauſa eſt in febribus extenuationis. Eſt autem hæc humorum quidem tenuitas, corporis uero raritas. Cum enim hæc ambo conuenerint, celerrime corpora extenuantur per eam, quæ diffIatio inſenſibilis nominatur: Sicuti in diſpoſitione contraria, craſſitudine humorum, & corporis ſpiſſitudine neque fit humorum euacuatio & permanere corpus, & nihil tunc minui de ipſius mole contingit. Hanc, itaque diſpoſitionẽ oſtendit Hippocrates in ſecunda parte aphoriſmi per ea uerba, Longitudinem morbi ſignificat: Alteram uero contrariam prætermiſit: ſed nos & hanc adijcientes, iam totum ſermonem integrum proferamus, quãtum fieri poteſt, breuiſſime dictum: Febricitantium non omnino leuiter, permanere corpus, & nihil imminui, uel plus, quàm ratio poſtulat, colliqueſcere, malum. Nam permanere, ex cutis ſpiſſitudine accidit & craſſitudine humorum: & propterea longitudo morbi ſignificatur. Colliqueſcere autem nõ nunquam fit ob humorum tenuitatem & cutis raritatem. contingit uero & ob ſolam uirium imbecillitatẽ.

29 *Cum morbi inchoant, ſiquid mouendum videtur, moue: cum vero conſiſtunt melius eſt quieſcere.*

A.l.4.f.1.t.2. c.3.p.778.E. Cur Hippocrates hoc conſulat, ſequenti indicat aphoriſmo. quem ſiquis nuper dicto annexuerit, totum ſermonem talem efficiet: Cum morbi inchoant, ſiquid mouendum uidetur, moue: cum uero C conſiſtunt quieſcere melius eſt. Nam circa principia ac fines, omnia debiliora ſunt, circa uigores autem fortiora. Oportet autem his adijcere uerbum, ſymptomata, hoc eſt caſus. nam de his dictionem, omnia, attulit. Diſpoſitio ſiquidem, ex qua caſus generantur, quam & morbum nominamus, non omnino in uigoribus eſt fortior: uerum in ijs, qui ſaluari debent, melior multo, quàm in morbi principio: in quibus etiam Hippocrates nunc conſulit, ut quieſcamus, in morborum initijs, ſiquid uidetur, mouentes. Nam in morbis exitialibus, non modo quando ſunt ſuo uigori uicini, ſed etiam in prioribus temporibus nihil mouere oportet: recordantibus nobis, quòd deploratos non oportet attingere, ſed relinquere, & morbi finem tantummodo prænunciare. Circa initia uero illorum morborum, in quibus ſperamus ægrotum conualiturum, tentandum eſt maiora afferre remedia: de quibus Hippocrates dixit, Siquid uidetur mouendum, moue. Sunt autem hæc, maxime quidem uenæ ſectio, non nunquam uero & purgatio: quorum neutrum oportet morbo iam conſiſtente adhibere. Vt enim in libro de Criſibus manifeſtauimus, coctiones morborum tunc maxime fiunt. Vt igitur hæ citius eueniant, melius eſt in principijs euacuare, quo minorem iam factam materiam facilius natura poſſit concoquere. Morbo autem conſiſtente, cum iam natura concoquit, ſuperfluum eſt euacuare, cum propter alia, tum quia uis animalis maxima ex parte eo tempore eſt fatigata, licet quàm D maxime duæ aliæ, uitalis, ac naturalis, fortes perſiſtant.

A.l.3.f.1.t.1. c.29.p.344.F

30 *Circa initia & fines, omnia imbecilliora: circa vigores vero, fortiora.*

Caſus omnes circa principia & fines ait eſſe imbecilliores, acceſſiones uidelicet febrium, & uigilias, atque dolores, & faſtidium & ſitim: ſicut ipſas diſpoſitiones, in quibus hæc fiunt, ubi morbi conſiſtunt, neceſſe eſt eſſe meliores in ijs, qui debent ſanitati reſtitui.

31 *Eius, qui ex ægritudine bene cibatur, nihil proficere corpus, malum.*

Oportebat & hunc aphoriſmum, & illum, qui ſequitur, adiunctum eſſe illis, qui ſupra ſcripti ſunt, ubi dicebat: Siquis a morbo cibum aſſumens non corroboratur. In illo igitur aphoriſmo, pro uerbo, εὐτροφεῖν, id eſt bene cibatur ſeu bene ueſcitur, inquiens cibum aſſumere, de caſu aliquod docuit, ſcilicet non corroborari. Hic uero, cibum aſſumere, commune utriſque ſeruauit: caſum autem uariauit, quoddam illi ſcribens proportionale. Nam huic, non corroborari, hoc, nihil proficere corpus, ſimile quodammodo eſt. Illud enim potentiæ noſtrum corpus regentis, hoc uero ipſius corporis affectio eſt. Euenitque profecto, ut corpus non bene alatur atque proficiat, interdũ quidem ex potentiæ, quæ ipſum nutrit, imbecillitate, non nunquam etiam ex malorum humorum abundantia.

*Omnes fere, qui male se habent circa initia, bene cibati, nec quicquam proficientes: circa finem rursus cibum non appe- tunt, qui uero circa initia cibum ualde non appetunt, postea bene appetentes: ij melius euadunt.* E 32

Hic etiam aphorismus de ijs esse dictus uidetur, qui ex morbo conualescunt. Non proficere enim, de his dicere consueuerunt cum alij, tum Hippocrates ipse. Siquis igitur bene ab initio cibatus nõ nutriatur: quam ob causam hunc subit affectum, ob eadem rursus fit male appetens cibum. Causa uero, propter quam bene ab initio cibati nihil proficiũt, est totius corporis uitium cum partium appetentiũ robore. Verum processu temporis ob cibi multitudinem aucto in toto corpore uitio, ipsum etiam appetendi instrumentum male se habebit: quare inappetentes fient, qui prius bene appetebant, quos recte εὐσιτοῦντας. i. bene cibatos nominauit. Dixerat autem hoc ipsum in præcedẽtibus aphorismis hoc modo: Quòd si non assumente cibum hoc fiat, scire oportet, quòd indiget euacuatione. Porrò eos, qui ab initio male appetunt adeo, ut parum assumant omnino cibi, postea uero ad contrarium transeunt, melius permutari inquit. Hoc uero ideo euenit, natura eo tempore, quo parum cibi assumebant, ipsam, quæ causa erat inappetentiæ, dispositionem concoquente.

*In quouis morbo mente constare, & bene se habere ad illa, quæ offeruntur, bonum: contrarium uero malum.* 33

Non, si quid eorum, quæ ad corpus pertinent, bonum esse dicat, propterea, omnino existimandum F est ex eo hominem reualiturum: neque, cum malum dixerit, omnino moriturum. Nam fieri potest, ut bonum signum a maiori malo superetur: & malum a maiori bono uincatur. Tales itaque enunciationes intelligendæ sunt de eo solo, quod dicitur. Dicitur autem signum esse bonum, quantum in se ipso est, hoc aliquid: & signum malum, quantum in se ipso est, hoc aliquid. De morte autem ac uita oportet omnium signorum uires prius bene perpendentes, ita pronunciare, quemadmodum & ipse in Prognosticis consulit. Sic igitur & nunc, Constare mente, & appetitum permanere, bonum est signum in quouis morbo. Quædam enim non in omni morbo bona sunt, ut ipse consueuit nobis significare, inquiens: Spirandi autem facilitatem putare oportet ualde magnam habere uim ad salutem in omnibus morbis acutis. Quòd autem constare mente, bonum sit signum ex isto cognosces: Quæ ad cerebrum attinent, atque eius membranas, & spinalem medullam, necnon & septum transuersum, & omnino partes neruosas, ac præsertim, quæ sunt iuxta cerebrum, sana esse omnia significantur ex mentis constantia: sicuti & quæ ad uentrem attinent & hepar & cor, ubi adest promptitudo ad cibos, qui offeruntur. Cum uero hæc omnia robusta sunt, non parua spes de ægroti salute haberi potest.

*In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quàm quibus in nullo horum congruit.* G 35

Cum natura multis dicatur modis, accipienda nunc est in eo significato, quo multis in alijs locis usus est, & in toto libro de natura hominis, in quo eam, quæ fit ex primis elementis, temperaturam, naturam nominat: ac si ita diceret: In morbis minus periclitantur, quorum primæ corporis temperaturæ, uel ei, quæ nunc ratione ætatis, aut habitus, aut temporis adest, magis congruit morbus, quàm quibus in horum nullo congruit. Calidæ enim naturæ, & ætati, & habitui, & tempori, & anni constitutioni, & regioni, morbi calidiores sunt congruentes: frigidioribus uero frigidiores, eadem ratione & siccioribus sicciores, & humidioribus humidiores. Contrarium autem est a Diocle dictum, item in libro de septimanis, cuius auctores opinantur incitari quidem a similibus morbos, solui uero a contrarijs: quoniam & ab ipso Hippocrate scriptum est contrarijs morbis contraria esse remedia. Putant igitur febrem ardentem factam hiberno tempore, facilius posse sanari ea, quæ fit in æstate: non aduertentes, quòd uehemens dispositio causa est, ut febris ardens hieme fiat. neque enim ab initio facta fuisset, nisi causa potentior, temporis contrarietatem superasset. Cum igitur anni tempus cohibere non potuerit causæ magnitudinem, quamuis habeat sanitatem sibi suffragantem: multo minus ipsam morbo iam facto superabit, non amplius assistente sanitatis robore. Sed & hoc est H ipsa compertum experientia. Nam duarum febrium ardentium magnitudine parium, illa, quæ aduenit hieme, est perniciosior: sicuti, quando in calidiori temporis constitutione ortum quidem habuerit, subita autem ad frigus mutatio facta fuerit, non parum iuuatur hæc febris ardens ab ambientis aeris frigiditate: cum ipsi utraque temporis constitutio bona sit, prima quidem, in qua morbus factus est, tanquam signum: altera uero, in qua solutus est, tanquam causa: Hæc igitur omnia magis attestantur, & non aduersantur sententiæ aphorismi: sicuti neque illud: quòd raucedines & grauedines in ualde senibus non coquuntur: quamuis hæ passiones senili ætati maxime congruant. Primum etenim non idem est, ꝙ aliquid non concoquatur, & quòd sit periculosum: Deinde, quòd non simpliciter senes dixerit, sed cum adiectione, ualde. Omnia enim in his sunt periculosa, ob uirium imbecillitatem. Sed neque illud, quod scribitur in primo Epidemiorum. Et maxime moriebantur, quibus natura uergebat ad phthisim: ijs, quæ dicta sunt, aduersatur. Neque enim eam, quæ fit ex elemẽtis, nunc dixit temperaturam, sed corporis formam: est enim, ubi, & hanc, naturam nominant. Et, sicuti uerum est calidam temperaturam minus in morbis calidis periclitari: ita, qui angustum pectus habent, non solum magis incidere in phthisim, sed etiam, ubi incidere, periclitari. Non nulli quidem, qui aphorismos exposuerunt, talibus decepti suasionibus, illum congruere naturæ ægrotantis

A tantis morbum dixerunt, qui ſit temperatura contrarius, quaſi aptior eſſe diceretur: multum (ut oſtendimus) & a ueritate ipſa, & ab Hippocratis ſententia aberrantes.

35 *In quouis morbo partes ad umbilicum & imum uentrem attinentes, craſſitudinem habere melius eſt: uehemens autem extenuato & eliquatio, pra uum. Sed & hoc quoque ad inferiores purgationes, periculoſum.*

Partes omnes, quæ ad abdomen attinent, omni uacare diſpoſitione, quæ ſit præter naturam, oportere eſt manifeſtū. Et hoc in prognoſtico dictum fuit, ubi his utitur uerbis: Hypochondria optimum eſt abſque dolore eſſe, & mollia, & æqualia. Sed & ex his ipſis quædam ſunt tenuiora, quædam craſſiora: de quibus nunc ſermonem habet: quæcunque quidem craſſiora ſunt, hæc meliora eſſe inquiens: quæcunque uero tenuia, mala, & tanquam ſigna uidelicet, & tanquam cauſas. Signa enim ſunt imbecillitatis in partibus eliquatis. Cauſæ uero, quod coctio bona ciborum non fiat in uentre, neque ſanguificatio in hepate. Etenim utrunque ex his membris a craſſitudine dictorum corporum concalefactū iuuatur. Tantum igitur, ubi eliquata fuere, par eſt, offendantur eorum operationes, quantum integris ipſis iuuabantur. Quòd autem earum, quas diximus, partium tenuitas ad inferiores purgationes ſit periculoſa, manifeſtum eſt. Oportet enim omnia, quæ ſunt infra thoracem, eſſe robuſta, ut bene purgationi-
B bus ſeruiant: alioqui magna incommoda patiuntur. Cur autem de ſolis inferioribus purgationibus fecerit mentionem, dignum eſt quærere. Superiores enim, hoc eſt, quæ per uomitum fiunt, ſunt ijs, qui ita affecti ſunt, periculoſæ. An has quidem tanquam manifeſtas prætermiſit, illarum uero cómeminit, ut de quibus magis poſſet dubitari? Imum autem uentrem (græce ἦτρον) proprie nominat & appellat regionem uentris imam, quæ umbilicum ac pudenda interiacet: ita ut in hæc tria totum abdomen diuidatur, in hypochondrium, & loca ad umbilicum attinentia, & uentrem imum.

36 *Qui ſalubritatem corporis habent, cum per medicamenta purgantur, cito exoluuntur: & qui prauo utuntur cibo.*

A.l.1.f.4.c.3. p.137.C.

Qui ſalubritatem corporis habent, non abſque ratione in medicationibus cito exoluuntur. Colliquantur enim, non purgantur. Qui uero uitioſo utuntur alimento, ob malorum humorum ſuperabundantiam facile exoluuntur in purgationibus. Siue autem illud, quod exterius aſſumitur, ſiue quod in corpore continetur, uitioſum alimentum nominet: uterque ſermo ueritatem habet, quoniam cibi uitioſi ſoleant ſanguinem gignere uitioſum. Sic ergo etiam uitioſi dicuntur per relationem ad ſanguinē, qui debet ex eis generari.

37 C *Qui integra ſunt corporis ualetudine, difficulter ferunt medicationes.*

A.l.1.f.4.c.3. p.137.C.

Non cuiuſcūque medicamenti aſſumptionem ſolet Hippocrates medicationem nominare, ſed tali uocabulo in ſola utitur purgatione. Verum ſuperior aphoriſmus, caſum unum, qui in ea fit, manifeſtat. Cito enim inquit exolui in purgationibus, qui corporis habent ſalubritatem. In hoc autem generaliori uocabulo de eiſdem oſtendit, inquiens hos difficulter ferre medicationem. Nam & uertigines & tormina patiuntur, & difficulter his purgatio procedit, & præterea celeriter exoluūtur. Fiunt autem hæc omnia purgatorio medicamento proprium quidem attrahere humorem appetente, uel flauam bilem uel atram, uel pituitam, uel aquoſam ſuperfluitatem: quia uero iſte non adeſt, ſanguinem colliquat ac carnes, ut ex ipſis, quod ſibi proprium eſt, attrahat.

38 *Parum deterior potus & cibus, ſed ſuauior, melioribus quidem, ſed minus ſuauibus eſt præferendus.*

A.l.1.f.3.d.2. c.7.p.117.A.
* Inflationes.

Non ob id ſolum hoc eſt faciendum, ut ægro gratificemur, ſed etiam, quia utilius ipſi exiſtit. Nam quæcunque cum uoluptate aſſumuntur, iſta uētriculus amplexatur, & facilius cóoquit: ſicuti illa, quæ diſplicent, refugit, ut ad quæ uel nauſeæ, uel * flatus, uel fluctuationes ſubſequantur: quod quidem in pluribus cibis bonos ſuccos habentibus fit. Quando igitur cum uoluptate aſſumitur cibus, qui paulo
D deterior eſt, non modo non manet deterior, ſed quandoque redditur melior.

39 *Senes magna ex parte minus, quàm iuuenes ægrotant: Qui uero morbi ipſis accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem.*

Non omnes ſenes minus ægrotant, quàm iuuenes. neque enim omnes maiorem habent in uictu continentiam. qui uero non habent, magis ægrotant, ut qui iuuenibus ſint debiliores. Quòd uero plures ex morbis diuturnis ipſos ad mortem comitantur, clarum eſt. ſiquidem & uis eſt imbecillis, ut neque morbos facile coquere poſſit: & omnes morbi diuturni, frigidi ſunt: unde & magis ſenibus, quàm iuuenibus, accidunt. Omnes ſiquidem congruentibus naturæ ſuæ morbis facilius corripiuntur.

40 *Raucedines & grauedines in ualde ſenibus coctionem non admittunt.*

A.l.3.f.10.c.7 c.1.p.485.C.

Si ſimul iunxerimus ambos aphoriſmos, utriuſque ſermo talis erit: Senes iuuenibus magna ex parte minus ægrotant. Quicunque uero morbi ipſis accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem. Raucedines igitur atque grauedines in ualde ſenibus coctionem non admittunt. Ita ut hic aphoriſmus ſit ueluti exemplum quoddam antecedentis. Neque enim hi ſoli morbi ſenes comitantur ad mortem, ſed nephritis, id eſt paſſio renum, podagra, morbus articularis, coxendicum dolores, & quæ laxiori inteſtino ac ſpleni frigidæ inſunt diſpoſitiones: & præterea cerebri anhelitus (quos Græci aſthmata nominant) tuſſes, dorſi curuationes, recuruationes, & obliquationes, demum

quæcunque alia morborum genera ex frigidis humoribus ortum habēt: quæ in quibusdam iuuenibus, E nedum in senibus, difficulter eoquuntur.

*Qui frequenter ac fortiter absque causa manifesta exoluuntur, derepente moriuntur.* 41

Non omnes, qui exoluuntur, derepente moriuntur, sed si tres distinctiones adieceris, unam quidem primam, ut sæpius hoc patiantur: secundam, ut fortiter: tertiam, ut sine causa manifesta. Nam mulier quædam longum in balneo tempus commorata, frequenter exoluebatur ob temporis diuturnitatem, & quoniam balneo magna ex parte ligna succendebantur uitiata: uerum non erat hoc * morbi signum, cum causam haberet manifestam. Altera uero, quam uteri affectus infestabant, hoc idem patiebatur. Quidam alius, si diutius inediam tolerasset, dum lauaretur exoluebatur. Alteri etiam, si per horam lauaretur, idem accidebat, nisi prius aliquid panis assumpsisset. Quibus omnibus aut debile erat, aut sensum plurimum habebat os uentriculi. Quicunque uero nulla tali de causa sæpius ac fortiter exoluuntur, ij ob uirtutis uitalis imbecillitatem hoc patiuntur: sicut & ille, cui, dum exolueretur, cor fortiter palpitabat, atque hic derepente mortuus est, non aliter, quàm illi, qui acutissimis cordis affectibus, quos syncopas uocant, arripiuntur.

A.l.3.f.11.t. a.c.7.p.517.B.

* mortis, legē dum uidetur.

*Soluere apoplexiam fortem impossibile: debilem uero non facile.* F 42

In apoplexijs totum corpus repente sensu priuatur ac motu, solus restat anhelitus: qui si & ipse prohibeatur, maxima est & acutissima hæc apoplexia. Quicunque uero respirant quidem, sed magna cum ui: fortis adest istis apoplexia. Fortis autem adest & illis, sed minus, qui neque intentum, neque uiolentum, inæqualem tamen, atque exordinatum ac præterea intermittentem habent anhelitum: sicuti, in quibus aliquem seruat ordinem, debilior existit: &, si omnia fiant, quæ sunt necessaria, *cito curatur. Omnes autem apoplexiæ fiunt ui animali non potente defluere ad partes infra caput existentes, aut propter aliquam dispositionem quæ inflammationis sensum referat, quæ in ipso cerebro sit constituta, aut uentriculis ipsis oppletis humore pituitoso. Verum causæ magnitudinem, etiam passionis magnitudo consequitur. Magna autem ex parte curationem non admittit, propter respirationis læsionem. Ac mirari licet, quo modo omnibus alijs musculis motu carentibus in apoplexijs, illi, qui thoracem attollunt, quamuis difficulter, moueantur tamen plerunque. Videtur autem hoc fieri propter respirationis necessitatem, quæ neruorum uim excitat ad operationem. Et ob hanc ipsam causam, magna ex parte musculi omnes, qui thoracem mouent, in apoplexijs operantur, etiamsi raro prius omnes operarentur: quemadmodum in uehementibus exercitijs in quibus anhelitus plurimus est necessarius. Verū in apo G plexijs non ob id, quòd sit adaucta necessitas respirationis, sed quia uis est imbecillis, ideo omnes musculi thoracis simul coguntur operari: quemadmodum & alioqui in ijs, qui cum febre uires habēt imbecilles, ob hanc ipsam causam omnes mouere coguntur seipsos, in summam essatu dignam, singulorum actionem colligentes.

A.l.3.f.1.c.5. c.12.p.390.D

* In impressis est τάχα, i. forte.

*Qui strangulantur ac dissoluuntur, nondum uero mortui sunt, ad se non redeunt, quibus spuma circa os fuerit.* 43

Omnis spumæ generatio ex duarum substantiarum mistione conficitur, altera spirituosa, altera humida. Fit autem earum mistio ambabus in multas partes perfractis, multisque mutuo complexu paruis ampullis ab ipsis effectis. Cum uero tenacem habuerit is, qui perfringitur humor, consistentiam, quo spiritum circumplectente, ampullas contingit generari: non facile dissolubilis, sed stabilis spuma perficitur: qualis maxime currentibus equis, uel ira percitis apris, circa os aggregatur. Ambarum uero substantiarum confractum ac mistionem facit non nunquam quidem motus uiolentus uel utriusque, uel alterius tantum: non nunquam uero & fortis calor: nisi & hunc dixerit quispiam spumam per motum operari. Verum homini ea, quæ manifesta uidentur, consectanti tutius est dicere spumam duabus de causis generari: in mari quidem impetuosis uentis agitato, ob impulsionis uehemē H tiam: in lebetibus autem efferuescentibus, ob caloris uim. Sic itaque & in corporibus animalium, cū adsunt ex morbo comitiali conuulsiones, uehementia motuum solet spumam generare: in apris uero, calor: in cursibus autem equorum, utraque causa uigorem habet. Nam, cum† non continue per respirationes aer intro atque extra feratur: saliua in ipsis extenuatur, & aliquid etiam ex pulmone instar uaporis effertur, quod saliuæ miscetur ac circumplicatur: unde factam spumæ substantiam augeri cōtingit. Qui uero opinantur hanc spumam e uentriculo prodire, aberrant. Neque enim fieri potest, ut subito tota inde proueniat, cum neque eo tempore animal euomat, neque nauseam ullā patiatur: citra quos casus quicquam efferri a uentriculo est impossibile: & multo magis fieri non potest, ut plurimus aliquis uapor efferatur, eodem modo, quo in expirationibus: cū nulla talis e uentriculo substantia efferatur, qualis e pulmone expiratur. Et sane sanguis, qui quidem e pulmone educitur, spumosus est, similis uisceri: qui autem e uentriculo, neque huic proximus est. Sed, quæ una cum sanguine e pulmone educitur spuma, subito simul, & cum tussi educitur. Qui uero ex tali humore paulatim uapor expiratur, nō excitat tussim. Vbi autem laqueus collo circundatur, necesse est quidem cordi atque pulmoni, ut fuliginosam expiret superfluitatem. Hoc enim a nobis ostensum est in libro de usu respirationis. Prohibente autem laqueo, totam uiolenter impellit, quo fit, ut pars propriæ humiditatis una expellatur, eo modo,

A.l.1.f.1.d.3. c.5.p.100.E.

† Hęc negatio auferenda est, & a Græcis lib. abest.

A modo, quo fit in sanguinis eductionibus. Signum itaque hoc est exitiale, quoniam pulmonis uiolentiam significat, quam patitur, dum animal suffocatur. Præcipue uero hoc fieri rationabile existit propter eam, quæ ex corde ad ipsum impellitur, caliditatem: unde & caloris efferuescentia, & motu spiritus uiolento, & uehementi pulmonis conatu ad educendum spuma enata, signum est mortale. Nonnulli tamen, quamuis raro, qui strāgulantur, relati sunt, quibus spuma circa os apparuerat: & forte Hippocrates, non tanquam semper intereant, sed quòd contrarium rarissime eueniat, ita pronunciauit, quem admodum & paulo antea ostenderat per alterum aphorismum, ita inquiens: Quibus iuuenibus aluus humida, ijs senescentibus exiccatur, Nam eo in loco, magna ex parte, dicere prætermisit, quod tamen uerbum in sequentibus adiecit, ubi inquit: Quicunque aluos humidas habent, siquidem iuuenes fuerint, melius degunt ijs, qui siccas habent: ad senectam uero deterius: nam senescentibus magna ex parte exiccantur.

44 *Qui natura admodum crassi sunt, citius intereunt, quàm qui graciles.*

A.l.4.f.7.t. 4. c.5.p.968.D.

Eos, qui a prima ætate crassi sunt, & graciles inuicem comparãs, de crassis pronunciat, quòd cito ad mortem perueniunt, magis, quàm graciles. Optimum siquidem est, bene carnosum esse natum, hoc B est ita commoderatum, ut neque crassitudo adsit, neque gracilitas. Tales enim possunt ad longam senectam peruenire. Si uero a mediocritate recedatur, melior ad gracilitatem, peior ad crassitudinē excessus est. Angustæ sunt enim horum arteriæ ac uenæ, atque ob id paucum omnino sanguinem, & spiritum habent: adeo ut, cum ætate processerint, celeriter in ipsis uel paruam ob causam calor natiuus destituatur. Graciles autem hac quidem ratione non periclitantur: quia uero partes principales ita affectæ sunt, ut nullum habeant munimentum, a causis exterioribus prompte offenduntur. Qui uero natura quidem mediocres erant, sed uictu delicatiore urentes postmodum crassi facti sunt, ijs, licet caro atque pinguedo adnatæ sint, uenæ tamen atque arteriæ latæ consistunt, atque idcirco in eis calor natiuus † [ minus obnoxius est extinctioni.]

† maior est.

45 *Quicunque iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maxime ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque, liberantur.*

A.l.3.f.1.t. 5. c.10.p.387.B

Morbus comitialis proximus quodam modo est morbo, quem apoplexiam appellant, cum idem locus in utroque patiatur, & idem humor in causa sit. Verum apoplexia quidem ob omnimodam carentiam illius potentiæ, quæ ad neruos defluit, morbus autem comitialis propter motum uitiosum generatur. Frigidus autem & crassus humor ambobus est causa: atque idcirco adolescentium ætas calidam & C siccam habens temperaturam, maximum affert auxilium ijs, qui morbo comitiali laborant: sic & locorum proportionales mutationes, dico autem proportionales, quando ad calidiorem ac sicciorem commutantur: eodem modo & uictuum. Neque enim † uictus mutatio qualibet morbum soluit comitialem, sed quæ calidiorem & sicciorem corporis habitum efficit. Contingit autem simpliciter eriā uitæ mutationem intelligere morbo comitiali prodesse, quoniam magna ex parte uictus deprauatus passionem generat: unde & mutatio multo ad melius perducit.

† Græce sic τῶν.i.horũ, ut non solum ad uictũ, sed ad omnia referatur.

46 *Duobus doloribus simul non eundem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat.*

Siquis eundem exquisite locum intelligat, nunquam duo possunt in eodem fieri dolores: siquis uero late, possibile est. Dico autem late, circa membrum maius, ueluti circa brachium, cubitum, femur, aut tibiam. Verum hi duo dolores simul augent loci afflictionem, cum neuter lateat ægrotantem. Si uero sint in locis diuersis, alter quidem (si ita contigerit) in cubito, alter uero in tibia: tunc alterum ab altero obscurari cõtingit, cum uis sensibilis tota ad uehementiorem ducatur ac distrahatur. Nam & hoc nobis in mœroribus solet accidere, qui sunt & ipsi ueluti dolores quidam solius animi sine corpore. Nam & horum, qui sunt uehementiores, occultant minores, modo non eadem e re ortum habeant: a-D lioqui & illi seipsos mutuo augent.

47 *Dum pus conficitur, dolores ac febres accidunt magis, quàm iam confecto.*

A.l.3.f.18.t.2 c.2.p.662.D. A.l.3.f.10.t.4 c.7.B. A.l.1.f.2.d. 3 c.10.p.874.A.

Pus ex sanguine ortum habet, qui semiuitiosam (ut quispiam dixerit) habet transmutatio nem. Nã uitiosa simpliciter, cum putrefactione fit olida: sicuti, quæ simpliciter optima, est ipsa nutritio partium animalis. at, quæ pus generat, medium inter has obtinet locum, neque a solo calore extra naturam, neque a solo secundum naturam facta. Mistus enim quodam modo ex utrisque est calor inflammationis. Fit autē dolor extenta simul ac calefacta præter naturā inflãmata particula: Febres uero sequunt̄ principio cõcalefacto: & hęc ambo cõtingũt ex quadã ueluti ebullitione atq; exustione sanguinis q ubi ex toto exustus fuerit, residuũ eius fit pus, quēadmodũ in lignorũ exustiõe cinis: atq; ideo tpe illo dolores sedanť ac febres p̄sertim cũ pus fuerit excretũ, utpote iã cõsumpta materia, extinctaq; ignea caliditate.

48 *In omni corporis motu, vbi laborare cœperit, quies statim lassitudinem aufert.*

A.l.1.f.3.d. 2. c.14.p.123.C

Verbum πονεῖν id est laborare, significat dolere, & fatigari: & in utroque significato sermo uerus est. Siue enim membra iam doleant propter plures motus, siue sint fatigata, ut uix iam agere aliquid possint, quies statim lassitudinem leuat.

49 *Consueti solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles aut senes, non consuetis, quamuis fortibus atque iuuenibus, facilius ferunt.*

Alius alij labor consuetus est, huic cursus uel alius aliquis motus cruribus factus, huic uero manus E certa mouere lege, siue quouis alio modo operari manibus, alijs fodere terrã, uel remigare, uel arare, uel simpliciter quoduis aliud agere. Differunt autem omnes isti labores, quia uel plures, uel pauciores partes operantur, & quia uel magis, uel minus laborant: hoc tamẽ omnibus commune existit, q partes exercitatæ fiunt robustiores, atque idcirco labores consuetos facilius ferunt.

*Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sint, insuetis minus molestare solent. quare ad insolita quoque facienda mutatio est.* 50 A.l.1.f.3.d.5. c.1.p.129. C.

Non de solis exercitationibus sicuti superior, uerum de omnibus simpliciter consuetis hic aphorismus enũciat, cibis, potibus, balneis, illotionibus, uigilijs, somno, calefactione, frigefactione, curis. Horum etenim singula minus nocent, cum fuerint consueta, ijs, quæ natura quidem minus noxia sunt, sed nunquam in consuetudinem peruenerunt. Quòd igitur ita se res habeat in exercitationibus: ad partiũ, quæ operantur, robur refertur, ut ante diximus: in reliquis uero, quo modo fiat, iam dicemus. Cibi ac potus naturam aduentitiam efficiunt, maxime quidem in uentriculo, cum hoc uero & in alijs partibus. Nam, etsi quam maxime uincantur, & transmutentur a corpore, ipsum tamẽ quodam modo pro sui natura disponunt ita, ut processu temporis multa fiat permutatio, ac similitudo nutritorum ad nutrientia. F Hoc enim ostensum est a nobis in libro de consuetudinibus: ostensum est etiam, quòd unumquodque facilius a similibus alteratur. Ob hanc igitur causam, quanto similius fuerit id, quod trãsmutat, ei, quod transmutatur, citius alterat ipsum. Saneque corpus ab alijs omnibus, quibus adhæret, quodam modo afficitur, ueluti in aere frigido, ac calido, densatum quidem a frigido, laxatum uero a calido: atque ideo consueta facilius perfert, ab insuetis uero molestatur. Si enim laxato corpori ob caloris adhæsum repẽte frigus superuenerit: & in imas eius statim partes subintrat, & maxime offendit. Causa itaque de omnibus consuetis dicta est in libro de consuetudinibus. Quod uero experientia notum est, id iam noscimus: quod solum ab Hippocrate scriptum est, qui causam ascribendam non censuit. Nos uero ad eiusdem inuentionem aliquas dedimus occasiones. Hæc igitur dicta sufficiant, quantum ad primam aphorismi partem attinet. Quòd uero in fine scribitur, in quo consulit transmutari quodam modo ad non consueta, salubris gratia securitatis dictum est. Est enim omnis uniformis consuetudo, periculosa: cum omnes homines inopinatis rerum sortibus subijciantur. Ne igitur incidentes aliquando repente in nobis insueta magnopere offendamur, satius esse inquit omnia tentare. Fit autem hoc non inhærentibus nobis semper ijs, quibus assueuimus, sed & non nunquam contraria tentantibus.

G

*Plurimum, atque repente euacuare, uel replere, calefacere, uel refrigerare: siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum, quoniam omne nimium est naturæ inimicum: sed, quod paulatim fit, tutum est, tum alias, tum cum ab altero ad alterum transitus fit.* 51

Causam, ob quam plurimum aut repente euacuare, uel replere, calefacere, uel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere periculosum sit, ipse ostendit, inquiens omne nimium esse naturæ inimicum. Nam in elementorum commoderatione natura consistit: quare non absque ratione nimium omne, ut quod destruat commoderationem, animalis consistentiam dissoluit. Paulatim uero, inquit, implere scilicet, uel euacuare, & quæcunque alia subinde dixit, tutum est, cum alias, tum maxime, cum ab altero, cui assueuimus, transimus ad alterum. Nam in antecedente aphorismo consuluit & ad insueta permutari. In hisce igitur permutationibus, quod plurimum existit atque repente, periculosum est satis: quod uero paulatim fit, tutum.

*Omnia secundum rationem facienti, si non succedat secundum rationem: non est transeundum ad aliud, stante eo, quod a principio usum est.* 52. A.l.1.f.4. c.1 p.134. F.

Non paruæ est opus scientiæ, non recedere ab ijs, quæ rectè uisa sunt, si nondum manifesta appareat H utilitas ex his, quæ ita facta sunt, sequi. Quemadmodum enim gutta subiectam petram percutiẽte uix longo tempore sensibilis passio in lapide manifestatur: sic accidit etiam in crudis, & quæ difficulter concoqui possunt, dispositionibus: in quibus, qui recta ratione inuenerit id, quod conducit: non discedit ab illo, quod primo faciendum existimauit, etiamsi nihil appareat manifestum ex illius usu subsecutũ.

*Quicunque aluos humidas habent, siquidem iuuenes fuerint, melius degunt ijs, qui siccas habẽt. Ad senectam uero deterius degunt: nam senescentibus magna ex parte exiccantur.* 53

Manifestus est hic aphorismus: &, quicquid de eo dicere cõuenit, prius est dictum in eo aphorismo, cuius principium, Quibus iuuenibus uentres humidi sunt, ijs senescentibus exiccantur.

*Magnitudo corporis, iuuentæ quidem neque indecens, neque illiberalis: senectæ uero inutilis, & deterior paruitate.* 54

Magnitudo corporis proprie nominatur, quæ longitudine, latitudine, profunditate moderaniam exuperat. Interdum uero & quod longitudine sola amplius auctum est corpus, solemus magnum nominare: quamuis huic proprium nomen sit longum. Nam & aliquando, quod secundũ latitudinem ac profunditatem ultra modum corpus est auctum, dicunt esse magnum, quamuis & hoc crassum

A ſum proprio uocabulo nominetur. Si igitur magnitudinem corporis in proprio ſignificato Hippocrates dixit, nihilo deterior eſt in ſenectute, quàm paruitas. Si uero uel longitudinem corporis, uel craſſitudinem intellexit: hæ deteriores atque inutiliores ſeneſcentibus ſunt: uerum neque craſſitudo eſt iuuentæ decens, neque liberalis. In ſola ergo longitudine, quòd ſit iuuentæ liberalis, ſenectæ uero inutilis, uere diceretur. Ex hac enim ſeneſcentes gibbi fiunt, & uix poſſunt onus perferre: quod Hippocrates † inutile dixit.

† Νωθρὸν, quaſi graue & moleſtũ, ac geſtatu difficile dicas.

## GAL. IN APHORISMOS HIPPOCRATIS COMMENTARIVS TERTIVS.

In hoc tertio in Aphoriſmos Hippocratis commentario, eorũ, quæ de temporibus atq; ætatibus ab Hippocrate ſcripta ſunt, expoſitionem faciemus: maxime quidẽ, quicquid eſt in ipſis obſcurũ, declaran-
B tes: (hoc.n. eſt proprium expoſitionis munus.) ueruntamẽ ſingulis ẽt, quæ recte dicta ſunt, demonſtrationẽ apponentes, quoniã & hoc fieri in cõmentarijs conſueuit. Miror aũt & hoc loco Lyci inconſtantiã, ſcribentis quidem (ut ipſe ait) expoſitiones Quincti præceptoris, nulli aũt eorũ, quæ de temporibus & ætatibus dicta ſunt, probationem demonſtratiuam apponẽtis, ſed ad experientiã & obſeruationem omnia referentis, cum tamen ipſe in aliorum aphoriſmorũ expoſitionibus rationalem diſputationem adhibeat, ſola experientia non contentus. Quòd uero ſola experientia nõ ſufficiat ad talem cõtemplationem aggregandam, id & ipſe Hippocrates oſtendit, & in proceſſu ſermonis erit perſpicuum.

1 *MVTATIONES temporum potiſſimum pariunt morbos: & in quibuſdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris: & alia pro ratione, eodem modo.*

Mutationes tẽporũ non nulli exiſtimãt dici, quibus tẽpora ſe uiciſſim excipiũt, quaſi ſucceſſiones diceret. Nã hieme ad uer trãſeũte, fit dictorũ morborũ generatio, de quibus ipſe deinceps loquẽ. Vere.n. furores, atræ biles, & morbi comitiales. Vere rurſus in æſtatem deſinente, quod eſt initio æſtatis, febres
C continuæ (inquit) & tertianæ, & ardentes, & quę ſubinde connumerauit. Et de autumno atque hieme ſimiliter ſcripſit, ut inquiunt illi, qui pro eodẽ accipiunt mutationes & ſucceſſiones. Sed uerbũ, potiſſimũ, quod aphoriſmo adiectum eſt, hanc expoſitionẽ non admittit. Nam in temporũ inuicem cõmutatione ſicut quidã morbi generantur, eodem modo etiã ſoluuntur. & hoc ipſe etiã Hippocrates dixit. Quare nihilo magis ſucceſſiones temporum pariunt morbos, quàm ſoluunt. Quo modo igitur nnn ſat fuit ipſi dicere, Mutationes temporũ pariunt morbos, ſed &, potiſſimum, addidit? Melius itaque fuerit ob hanc adiectionẽ per mutationes temporũ intelligere eas, quæ fiunt ſecundum illorum temperaturas, alterationes. Hæ ſiquidem ſunt, quæ potiſſimũ generant morbos, quando multæ, alia poſt aliam, fiunt alterationes, quemadmodũ in Epidemijs ſcripſit, & nunc ẽtiã paulopoſt dicet. At uero unius temporis alteratio * ſola efficit quidẽ morbos aliquos, non tamẽ potiſſimũ. Quando igitur fiunt morbi potiſſimum ex unius temporis alteratione? Quando cõtigerit magnam eſſe alterationem. & ob hanc cauſam ipſe inquit: Et in quibuſdam temporibus magnæ mutationes, uel caloris, uel frigoris, uel alicuius alterius, ut humiditatis, aut ſiccitatis, uentorum, aut horum defectus. Hæc igitur expoſitio recta eſt in iſta ſcriptura. Inuenitur tamen & alia ſcriptura, quæ ita ſe habet: Mutationes temporũ pariunt morbos maximos: potiſſimum autem & in quibuſdam temporibus magnæ mutationes.
D Quæ ſcriptura nullam habet obſcuritatem, ijs præſertim, qui ea audierunt, quæ a me ſtatim antea dicta fuerunt. Sunt uero & aliæ ſcripturæ huius dictionis, quas intelliges, atque probabis, ab ijs, quæ diximus, excitatus.

2 *Naturarum, hæ quidem ad æſtatem, hæ uero ad hiemem, bene, maleve ſe habent.*

Naturas hoc in loco dixit Hippocrates in maxime propria, præcipuaque ſignificatione, quæ ſecundum ipſam maxime ſubſtantiam naturæ eſt. Dicebamus autem in præcedentibus ipſam eſſe temperaturam quatuor elementorum, humidi, ſicci, calidi, & frigidi. oſtenſaq; a nobis eſt in libris de temperaturis: Vna quidem temperatura bene temperata atq; optima: male autem temperatæ atque uitioſæ, octo numero, quatuor quidem qualitate una excedente, calida, frigida, ſicca, & humida: quatuor uero duabus, calida & ſicca, calida & humida, frigida & humida, frigida & ſicca. Ad æſtatem itaque frigidæ & humidæ naturæ optime afficiuntur: ad hiemem uero calidæ & ſiccæ: ſicuti & male afficiuntur calidæ & ſiccæ ad æſtatem, frigidæ & humidæ ad hiemem. Perfectiſſime igitur hæ naturæ, ad dicta tempora optime ac peſſime afficiuntur: mediocriter autem, quæ aliquo modo a temporibus uel iuuantur uel offenduntur, ſicuti humida & calida, æſtate & hieme: quoniam æſtate quidem, quatenus humida eſt, melius afficitur: hieme uero, contra, quatenus calida.

*Morbi quoque alij ad alia, bene, uel male se habent, & quædam ætates ad tempora, & loca, & uictus genera.*

Inordinatius extulisse hunc aphorismum Hippocrates, mihi uidetur: Nam melius utique ita dixisset: Morbi & ætates, alij ad alia tempora, & loca, & uictus genera bene maleve se habent. Morbi igitur bene se habent ad tempora, ut ad generationem quidem, similes: ut ad solutionem uero, contrarij. Nos enim de hoc ipso determinauimus in expositione illius aphorismi, cuius initium est, In morbis minus periclitantur. Aetates autem, quemadmodum & naturæ, frigidæ quidem ad calida, calidæ uero ad frigida: Senum quidem, ad æstatem: uigentium uero, ad hyemem. Eadem ratione & ad loca non morbi tantum, sed etiam ætates afficiuntur. Nam morbi calidi, in locis calidioribus magis generatur, & minus fiunt periculosi: magisque sanæ sunt in frigidis regionibus ætates calidiores, & in alijs ad proportionem. Sic uero & ad uictus genera, alij ad alia bene maleve se habent morbi, & ætates: Nam calidiores ad frigidiora, frigidiores uero ad calidiora. & sicciores quidem ad humidiora, humidiores uero ad sicciora bene se habent. Et, ut simpliciter dixerim, contrarij quidem ad contraria bene, similes autem ad similia male: præterquam si ætas temperata, & uictui, & regioni, & loco temperato comparetur. hoc enim solo modo similes a similibus bene afficientur. Quæ uero plures a temperie recesserunt ætates, ijs secundum temperaturam contraria loca & tempora & uictus genera conferunt magis. Cum uero omnes morbi sint immoderationes quædam, generatio quidem a similibus locis atque F temporibus, solutio uero a contrarijs fit.

*In temporibus, quando eadem die modo calor, modo frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.* 4

Cum ratione fit hoc. Neque enim appellationes temporum, causæ morborum sunt, sed temperaturæ. Cum igitur ipsæ conuariant, necesse est & morbos conuariari. A.l.1.f.2.d.1. c.4.p.60.D.

*Austri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. Quando huiuscemodi tempestas præualuerit talia infirmi patiuntur. At, si aquilonia fuerit, tusses, fauces, alui duræ, difficultates urinæ, horrores, costarum dolores, & pectoris. Quando hæc tempestas præualuerit, talia infirmos expectare oportet.* 5 A.l.1.f.2.d.2. c.10.p.64.F.

Id quidem, quod fit, declarauit, inquiens: Austri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. Causam autem huius declarauit scribens, Vbi hæc tempestas præualuerit, talia infirmi patiuntur. Semper enim oportet medicum distinguere & separare id, quod a causa extrinseca contingit, ab eo, quod morborum ratione fit: ut præcognitiones faciat diligentiores. Causam uero, ob quam austri reddant auditum grauiorem, & uisum caliginosum, non est difficile ex eius temperatura cognoscere, quæ calida & humida est natura. Omnia etenim talia sunt apta replere caput. Ob G hoc igitur & sensuum instrumenta plurima implent humiditate, & capitis grauitatem efficiunt. Principio autem neruorum humectato necesse est & circa uoluntarios motus pigritiam euenire, & ueluti in seipso dissolutum hominem apparere. Contra uero in aquilonijs (ut ipse inquiet inferius) corpora redduntur fiuntque robustiora, uegetiora, ad motus promptiora, & melius audientia. Nunc uero hæc non opposuit ijs, quæ ex austro circa corpus contingunt, quoniam in hoc aphorismo de læsione tantummodo, quæ ex utroque accidit uento, tractare proposuerat: ut hæc cognoscentes, ab illis separemus, quæ ex morborum natura contingunt. In aquilonijs igitur (ut inquit) fiunt tusses, propter uidelicet instrumentorum respirationi obseruientium intemperiem, & propter faucium asperitatem, de qua nobis insinuauit adiungens uerbum illud, fauces, ut subintelligeremus, patiuntur. Nam solet interdū hoc modo loqui. Paulopost igitur inquiet: Autumno & multi æstiuorum, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes. Licet autem & simul duo coniungentes legere, fauces, alui duræ, ut non nulli expositores legendum existimarunt. Nam fauces in aquilonijs constitutionibus apparent duræ, quoniam exiccantur, ac refrigerantur: & uenter inferior dura excernit, & propter temporis constitutionis temperaturam, quæ uergit ad siccitatem, toto corpore exiccato, & magis ipso ad seipsum trahente eas, quæ fiūt ex cibis humiditates. Sed & alia ratione, quoniam, cum longiore tempore maneant, & non excernā H tur, omnia exiccantur. Vrinæ etiam accidunt difficultates, uesica flatu aquilonis ob frigiditatem offensa, est enim exanguis: & propterea ex causis frigidis plus, quam aliæ partes, ipsa est offensioni parata. Eadem aquilonis frigiditas etiam thoracis dolores efficit, ultra communem ad alias partes læsionem, illam quoque, quæ fit ex respiratione, assumentis, quæ non pari modo pulmonem attingit & cor, ob sui caloris multitudinem. Homines uero horridos fieri in aquilonijs constitutionibus, clarum est, consentaneæ uidelicet aeris ambientis temperaturæ. A.l.3.f.19.t.2. c.6.p.676.F.

*Quando æstas fit ueri similis, sudores in febribus multos expectare oportet.* 6 A.l.1.f.2.d.2. c.6.p.61.B.

Quemadmodum pauloantea dicebat: Quando die eadē aliquando frigus, aliquando calor accidit, morbos autumnales expectare oportet. Sic nunc rursus: Quando æstas fit ueri similis, hoc est temperaturā habet commoderatam, expectare (inquit) oportet multos sudores in febribus, & hoc non sine ratione. Neque enim sine aeris ambientis calore multi sudores fieri possunt, neque absque hoc, quod aliqua redundans humiditas in corpore contineatur. Horum uero alterum adest in æstate, alterum in hyeme, in autumno autem neutrum, in uere utrumque. Rationabiliter igitur æstas, quæ fit arida satis, assumit atque resoluit humiditatem: similis autem ueri, ob caliditatem quidem attrahit ad cutim: ob humiditatem

uero

A uero non poteſt per modum uaporis reſoluere. Tota igitur humiditas in morborum iudicijs, dum affatim excernitur, ſudores multos facit.

7 *In ſiccitatibus febres acutæ fiunt: & ſi annus magna ex parte talis fuerit: qualem fecerit conſtitutionem, tales magna ex parte morbos oportet expectare.*

A.l.3.f.1.t.5. p.387.c.11.B

Non multas ait febres in ſiccitatibus fieri, ſed acutas, quoniam paulopoſt inquiet: Conſtitutionum anni, quod in totum dixerim, ſicca tempora, pluuioſis ſunt ſalubria magis, & minus mortifera. quibus deinceps adiungens rurſus inquiet: Morbi in pluuioſis temporibus magna ex parte fiũt febres longæ: non abſque ratione. Nam aeris ambientis humiditas pituitoſos aceruat humores, & non paucas generat aquoſas ſuperfluitates: ſiccitas uero pauciores quidem humores efficit, ſed qualitate bilioſiores: & ob hanc cauſam febres numero quidem ſunt pauciores ijs, quæ fiunt in temporibus pluuioſis, ſed acutiores. Quæ uero deinceps in aphoriſmo dicuntur, manifeſta ſunt.

8 *In conſtantibus temporibus, cum tempeſtiue tempeſtiua redduntur: morbi conſtantes, & boni iudicij fiunt: in inconſtantibus autem, inconſtantes, & mali iudicii.*

A.l.4.f.1.t.4. c.1.p.806.D

B Conſtantia tempora nominat, quæ ordinatim ſuam recipiunt temperaturam. Quem uero conſtantem appellet annum, tibi licet diſcere ab ipſo in libro de aqua, aere, locis, & regionibus, ita dicentes Si quidem pro ratione facta fuerint ſigna huiuſcemodi in ortibus & occaſibus ſyderum, & in autumno ſi aquæ deſcendunt, & hiems mediocritatem ſeruauerit, neque ualde *ſerena, neque frigore excedens, & uere aquæ euenerint tempeſtiuæ, & æſtate: ſic par eſt annum fore ſaluberrimum. Poſtquam igitur, qualem uelit eſſe cõſtantem annum, didiciſti: facile eſt etiam inconſtantem intelligere. Omnia enim quæ aliqua ex parte non ſeruant anni conſtantis ductum, ea nunc Hippocrates inconſtantia uocat: & eos, qui in ipſis accidunt morbi, ſimiliter appellat. Ait autem ipſos difficulter, hoc eſt male, iudicari. Vel enim cum caſibus periculoſis iudicia in his morbis eueniunt, uel ſtatim ſunt pernicioſi, uel omnino faciunt recidiuam.

* ſudum.

9 *Autumno morbi acutiſſimi, atque exitiales, maxima ex parte. Ver autem ſaluberrimum, & minime exitiale.*

A.l.1.f.2.d. 2.c.3.p.59.B. & poſt.61.B.

Cum tempora conuenientem ſeruant totam tẽperaturam, inter ipſa uer quidem erit ſaluberrimum. Morbos autẽ acutiſſimos, atq; morbiferos, aliorum tẽporum cõparatione autũnus afferet, q.ñ uer quidem bonam temperaturam habet. Autumno uero hoc in primis ineſt, ꝙ eadem die aliquando calorem C aliquando frigus continet. Deinde, ꝙ æſtiuo ſuccedat tẽpori, in quo multis quidem humores aſſati fuerunt, quibuſdam uero & uires debilitatæ. Non ſolum uero hac rõne autũnus malus eſt, ſed etiã quia primum quidem humores mouebantur, ad cutem, atq; difflabant: autumno uero ab aeris ambientis frigiditate, retruduntur, atq; ad interiora impelluntur. Hæc itaq; ſunt oĩbus hominibus cõmunia: ijs uero qui malo uictu utuntur, hoc amplius accedit, quòd æſtiuo tempore fructibus abundanter repleti, malorum humorum multitudinem generarunt.

10 *Autumnus tabidis malus.*

A.l.1.f.2.d.2. c.6.p.62.A.

Damnauit quidem & aliter autumnum in antecedente aphoriſmo: nunc autem præcipue nocentem tabidis rurſus uituperat: Verum uero ſolũ illos nominet tabidos, quibus pulmo eſt exulceratus, an omnes quomodocunque colliqueſcentes, non poſſumus cõiectari. Liquet autem utriſque autumnum eſſe malum, cum ſit ſiccus ſimul ac frigidus, & inæqualis.

11

A.l.1.f.2.d.2. c.7.p.62.D. A.l.3.t.16.t.1 c.2.p.615.F.

*De temporibus, ſi quidem hiems ſicca & aquilonia fuerit, ver autem pluuioſum & auſtrale, neceſſe eſt æſtate febres acutas fieri, & lippitudines & inteſtinorũ difficultates, præcipue vero mulieribus, & uiris, qui natura ſunt humidiores.*

De alteratione, quę in temporibus fit, hic docet, ab hieme quidem ſicca & aquilonia initium ſumẽs, D uere autem pluuioſo & auſtrino. Paruæ igitur quamuis ſint tales mutationes, præter naturã tamẽ ſunt; quapropter & in æſtate ſequi ait hos morbos, febres acutas, & lippitudines, & inteſtinorum difficultates. Cauſam uero, ob quam ſuperabundant in tali conſtitutione huiuſcemodi morbi, ipſe explicauit in libro de aquis, locis, & aere. Verba autem eius ſe habent in hunc modum: Si hiems quidem ſicca & aquilonia fuerit, uer autem pluuioſum & auſtrale, neceſſe eſt æſtatem febribus abũdare, lippitudineſq; & difficultates inteſtinorum aduenire. Quando enim æſtate ſuffocatio repente ſuperuenerit, & terra madida pluuijs uernalibus & ab auſtro fuerit, neceſſe eſt æſtum duplicari, & a terra madida atque calente, & a ſole comburente, nondum conſtantibus hominum uentribus, neque exiccato cerebro. Neq; enim poſſibile eſt tali uere exiſtente, non humectari ac putreſcere corpus ac carnem: unde febres accidunt acutiſſimæ tum reliquis omnibus, tum præcipue pituitoſis. Difficultates uero inteſtinorum mulieribus & uiris humidioribus conuenit fieri. Hæc Hippocrates in libro de aquis, locis, & aere dixit. Nos uero latius eius ſermonem explanabimus: & primo quidem ob quam cauſam neq; in hieme, neq; in uere per talẽ cõſtitutionem dixerit uulgari morbos. Cum tamen in ſecundo Epidemiorũ, in ipſo tẽpore uitiato dicat apud Cranonẽ factos eſſe carbones. Verba aũt eius hęc ſunt: Carbones in Cranone æſtiui, pluebat in æſtibus aqua ruẽte p totũ. fiebãt aũt auſtro magis. Manifeſta igitur eſt ex ijs, quæ dixit, cauſa quoq;, ob quã apud Cranonẽ facti ſint æſtate carbones. Neq;.n. paulatim mutauit tẽperaturã naturalẽ,

ſed

fed ad talem peruenit conftitutionem,in qua facile putrent, quæcunque naturam habent, ut putreant. E Habiles enim funt humiditates,quæ modum excefferint,ad putredinem faciendam. Nam(ut ipfe inquiet)morbi in temporibus pluuiofis fiunt magna ex parte febres longæ, & alui fluxus,atque putredines:adhuc autem magis,quàm humiditates,putredinem calores faciunt. In unum itaque conuenientibus adeo fortibus atque immoderatis difpofitionibus,ueluti in Cranone, fecundum tempus corpus non expectat,uerum anticipat in priore plurimum offendi.Per hiemem uero ficcam & aquiloniã, corpora quidem tali modo afficerentur,quali ipfe dixit per hæc uerba: Si uero aquilonia fuerit: tuffes,fauces,alui duræ,urinæ difficultates,horrores,dolores laterum,pectorum:non tamen effatu dignius morbus contrahetur.nam & alioqui ficciores conftitutiones funt falubriores. Ex toto enim ait ficcitates pluuiofis tẽporibus effe falubriores,& minus mortiferas.Hiems uero aquilonia ac ficca nocebit quidem rectis ftantibus hominibus ad tuffes,& alui fuppreffionem,& difficultatem urinæ, atque dolores locorum ad thoracem attinentium:non tamen febres,uel difficultates inteftinorum,aut tale quiddam operabitur.Cur igitur non etiam in uere pluuiofo atque auftrali morbi uulgantur? Quoniam anteceffit hiems frigida fufficienter ac ficca. Ipfe uero dixerat non fimpliciter præfentes conftitutiones fore confiderandas,fed ex qualibus,ad quales fiant permutationes. Præexiccatum itaque corpus per hiemem ficcam atque aquiloniam exiftentem,nõ modo nihil ex uernis pluuijs patietur, fed potius aliqua F ex parte iuuabitur ad naturalem rediens mediocritatem.Si uero totum uer humidum fuerit, ad cõtrariam ducetur corpus conftitutionem,illi,quæ prius inerat,id eft ficcæ,tranfcendens illam, quæ mediũ tenet,mediocritatem.Quare æftas fubfequens,paratum excipiet offenfioni, cum terra adhuc humecta fit: atque ob hanc caufam fuffocationem efficiat,utpote Etefijs nondum fpirantibus.Nam poftea flare incipiunt poft Canem etiam.Quare totum tempus medium habebit febres acutas, propter caliditatem & humiditatem humoribus in corpore putrefcentibus,necnon lippitudines, & difficultates inteftinorum,pro aptitudine partium,quæ offenfionem recipere natura aptæ funt. Aliæ enim, alijs magis, aliæ minus paffibiles funt,fecundum corporum temperaturas.Nam lippitudines fere omnes infeftant repleto capite,quibufdam exceptis,quibus oculi prævalidi funt: Difficultates uero inteftinorum, ficut ipfe dixit,eos,qui naturas humidas habent,& mulieres:hæ fiquidẽ uiris funt humidiores. Si igitur totã conftitutionẽ, tanquã noftra putrefacientẽ corpora, dãnamus:liquet, ꝙ putredo magis humidis adueniet corporibus.Ipfum fiquidem humidum,quod in noftris putret corporibus,quędam ueluti materia eft a ui caloris patiens.Humiditas uero ambientis aeris,quatenus exiccari non finit humorum in corpore fuperabundantiam,eatenus adiuuat uim putrefacientem.Nihil itaque mirum,fi in talibus conftitutionibus plus offenduntur naturæ humidiores:& propterea ait febres pituitofis magis aduenire. G hi fiquidem neceffario funt humidiores.Manente igitur putredine in corpore, febres fiunt: fi uero per uentrem euacuetur,difficultates inteftinorum. Et hæc per totam æftatem contingent, nifi fiat circa Canis ortum permutatio,de qua ipfe in libro de aquis, locis,& aere tranfegit poft uerba paulo antea fcripta,poft illa uidelicet:Difficultates autem inteftinorum par eft fieri mulieribus, & uiris humidioribus. Nam fermonem continuans,fcribit in hunc modum: Et, fiquidem fuperuenerit circa Canis ortum aqua & hiberna tempeftas,& Etefiæ perflauerint,fpes eft quietis,& quod autumnus falubris erit:alioqui periculum eft,ne pueri moriãtur & mulieres,minime uero feniores:& ne,qui euaferint,in quartanam fiuiant,& ipfa quartana in aquam inter cutẽ terminetꝰ. Verum de ijs, quæ adiecit in libris de aqua, aere,& locis,cum librum illum exponemus,diligentius confiderabimus. De ijs uero,quæ in præfenti aphorifmo proponuntur,fufficienter eft dictum,excepta una dictione,ex neceffitate,quam non folum appofuit in aphorifmis,fed etiam in libro de aquis,locis,& aere, oftendens per eam ꝙ rei natura perfuafus,non aliqua obferuatione ductus ifta notauerit. Quoties igitur uerifimile fit ipfum uidiffe talem conftitutionem,uel quot in locis,nunquid bis,uel ter,uel quater? At neque, fi fæpius inquias, adhuc poffumus dicere,quòd ita femper erit: ficuti neque, fi ex medicina aliqua uideris purgatos fex,uel feptem homines,dicere certe poteris,ꝙ omnes pofthac homines ex neceffitate purgabuntur. Quare pro H manifefto relinquitur,ꝙ rei naturam Hippocrates fequens,& nõ aliquam obferuationem, ita fcriptita uerit:Neceffe eft æftate febres acutas, & lippitudines & difficultates inteftinorum fieri.

*Si uero hiems auftralis & pluuiofa & * ferena fuerit, uer autem ficcum & aquilonium: mulieres quibus partus in uer incidit,ex quacunque occafione abortiunt:quæ uero parient, imbecilles & morbidos infantes pariunt: quare uel ftatim intereunt:uel tenues & ualetudinarii uiuunt. Ceteris uero mortalibus difficultates inteftinorum,& lippitudines ficcæ fiunt, fenioribus autem deftillationes,quæ cito interimunt.*

*εὔδιος. quam dictionẽ aliqui ferenam, aliqui tepidã. alii clementẽ interpretantur, a quibufdam expungitur: quia neq; 1.in.1.epidi. com.1.apud Gal. eft: neq; in.5.l.reperit. A.l.1.f.2.d.2. c.7.p.62.A.

Contrario modo fe habet temperatura duorum temporum,quæ in priore aphorifmo dicta funt, ad temperaturam illorum temporum,quæ in ifto dicuntur.Qualis enim erat hiems prius in illo, tale nunc eft uer: Quale autem erat in illo uer,talis nunc eft hiems. Quòd igitur non erat in illis neceffarium in uere morbos uulgari uehementes,fufficienter dictũ eft.Nũc aũt,ꝙ hieme humida quidem ac calida exiftente,uere autẽ frigido & ficco, neceffarium fit in ipfo uere homines ægrotare,monftrandum eft. Mulieres itaque, quibus partus ad uer eft quacunque abortiunt occafione. Corpora fiquidem humida ac mollia & laxa ab hieme*ferena, facta,ad intima fui partes aeris ambientis frigiditatem facile admittunt

E tunt ita,ut,infantes,qui longo tempore calori iam sunt assueti, uehementer a frigore percussi, nō absq; causa hi quidem prius in utero,hi uero mox in partu moriantur. Qui uero uiui in lucem eduntur, non ferentes subitam ad contrarium mutationem,uel breui post tempore moriuntur,uel exiles atque insalubres effecti,uix in uita perdurant. Alijs uero,ceu pituitosis,ac mulieribus, difficultates intestinorum ait accidere ex pituita a capite ad uentrem defluente. Hunc enim humorem par est in dicta constitutione plurimum generari,per hiemem quidem capite repleto,circa ueris autem initia subito refrigerato: nam cerebrum sua natura generandis pituitosis superfluitatibus aptum est,cum refrigeratum, alimentum conuincere non potest. Inest autem & hoc pituitæ generationi,ut,quæ a forti fit frigiditate, acida euadat,quæ uero a caliditate replente caput,salsa:sicuti sane, & quæ a pauca fit frigiditate, uel paucā dulcedinem,uel nullam manifestam qualitatem habeat. Ea igitur,quæ fit in præsenti constitutione pituita:propter eam,quæ fuit in hieme,caliditatem salsa erit:& hac ratione maxime difficultatem intestinorum generabit,quando longiori tempore mordens atque abradens,intestinum offendet. Nam propter lentorem inter exeundum intestinis adhærens & immorans,semperque ipsa propter qualitatem detergens,facit intestinorum difficultatem. Iis autem,qui natura calidi sunt ac biliosi, inquit ipse Hippocrates,lippitudines siccas accidere. sic autem uocat eas,quæ sunt sine fluxu. Par autem est calidis ac

A.l.1.f.16.t.1 c.2.p.615.F

F siccis naturis in sicca ac frigida constitutione,quæ calidam atque humidam excipit, tales lippitudines fieri. Caput enim prius repletum est in calida atque humida constitutione: frigus autem superueniens, ueluti manus quædam extrinseca,comprehendens ac premens cerebrum,ueluti spongiam quandam, exprimit illam,quæ in ipso continetur,humiditatem. Hæc uero delata ab uno loco ad alium, ex ijs, qui faciles sunt ad patiendum,multos generat morbos : atque ita in ijs,qui oculos habent natura imbecilles,lippitudines accidunt. Nihil uero ex ipsis fluet extra,propter aeris ambientis frigiditatem densantis superficiem exteriorem. Quòd uero Hippocrates ipse omnia,quæ diximus,ad causas referat antedictas,manifestum est ex ijs,quæ scripsit in libro de aqua,locis,& aere, in hæc uerba : Pituitosis itaq; par est difficultates intestinorum aduenire,& mulieribus,pituita a cerebro defluente,propter naturæ humiditatem:biliosis autem siccas lippitudines ob carnis caliditatem ac siccitatem. Quod uero scribitur cir ca finem aphorismi , Senioribus uero destillationes,quæ subito interimant,ipse in libro de aqua,locis, & aere,per hæc uerba scripsit : Valde autem senibus destillationes propter raritatem,& uenarum colliquationem,ita ut repente intereant:quosdam uero cōtingit dextra sinistrave parte resolutos fieri . Per hæc uerba uidetur Hippocrates,non quas communi uocabulo destillationes (hoc est κατάῤῥους ) consuetimus nominare,quæ scilicet ex capite feruntur ad pulmonem per asperam arteriam, sed omnes , quæ

A.l.3 .f.2.t.1. c.6. p.488.D.

G feruntur fluxiones per uenas a capite ad partes inferiores. quare & cito interimentes, bene uidetur ad iectum,quoniam hæ uelocem crisim faciunt,cum aliæ diutius perdurent . Quidam uero expositores per destillationes intelligētes illas,quæ a capite ad pulmonē fiunt per fauces & arterias, cum negatione,non,hunc scribunt sermonem,hoc modo, Non cito interimentes, Et recte quidem. Neque enim frigidæ fluxiones in ipsis concoquuntur,ob ætatem. In quibusdam uero exemplaribus scriptum est, Cito interimentes,quoniam & in libro de aqua,locis,& aere ipse inquit: Ita ut repente intereant.

13 *Si vero æstas sicca fuerit & aquilonia,autumnus vero pluuiosus & australis:dolores capitis ad hiemem fiunt, & tusses, raucedines,atque grauedines,quibusdam autem & tabes.*

A. l.1.f.2.d.2. c.7.p.62.E.& 435.C

Eandem temperaturam nunc attribuit æstati & autumno,quam paulo antea pronunciauerat de uere atque hieme,cum ita diceba: Si hiems sicca & aquilonia fuerit, uer autem pluuiosum & australe. Verum ibi quidem in hac constitutione æstate dixit febres acutas,lippitudines,& difficultates intestinorum fieri:nunc uero in hieme dolores capitis,tusses,raucedines,atque grauedines . Non adiecit autem uel ibi æstiuam constitutionem,uel hic hibernam:ut qui utrunque tempus suam seruare temperaturam supposuerit. Nam si & in his alia aduenerit aeris ambientis intemperies,erit & in prædictis mor

H bis propter illam aliqua alia propria intemperies. Verum in illa quidem constitutione , qua dixit hiemem fieri siccam & aquiloniam,uer autē pluuiosum & australe:ipse subiecit causas,ob quas tales morbi æstate fiunt,in libro de aere,locis,& aquis. de præsenti uero cōstitutione nihil dixit in illo. Nam post duas antea scriptas constitutiones,alteram quidem,in qua hiemem aquiloniam & siccam uult fieri,uer autem pluuiosum & australe:alteram uero,in qua contrarium,pluuiosam & australem hiemem , uer autem siccum & aquilonium : hanc , quæ post ipsas tertia fuerat,de qua præsens est sermo,non etiā adiecit. sed eius loco alteram talem: Si uero æstas pluuiosa fuerit & australis,& autumnus similiter : necesse est hiemem fore insalubrem: Deinde per ordinem quasdam alias,quarum nulla eodē modo, quo ista nunc proposita,se habet. Sed de illis quidem,cum ad earum expositionem peruenerimus , sermonem faciemus. Nunc uero de ea,quæ ab ipso dicitur in aphorismis,agamus, idem nostro sermoni initium facientes,quod etiam paulo ante diximus. Par etenim est seruare ipsam hiemem similem ei, quæ est naturalis,hoc est frigidam atque humidam,quantum hæ duæ qualitates conueniunt temperatæ regionis habitationibus,de quibus & ipse loquitur & nos paulopost nominatim mentionem faciemus. Seruante itaque hieme suum temperamentum,nulla fortior in ipsa ægritudo consistet,sed tantum capitis dolores,tusses,raucedines,atque grauedines,quæ sunt repleti capitis accidentia . Si igitur,ut prius diximus,in utroque tempore,æstiuo scilicet atque autumnali, fieri pluuias australes contigerit, forte & in ipsa

A.l.1.f.2.d.2. c.5.p.58.D

ipsa æstate, sin minus, saltem in ipso autumno uulgabuntur morbi proprij constitutionis humidæ & au E stralis. Nunc uero, cum æstatem siccam & aquiloniam præcessisse supposuerit, autumnum autem humidum & austrinum: par est non solum quosdam non incipere statim ægrotare, uerum & immodice per æstatem siccitatis habere remedium non mediocre, eam, quæ facta est in autumno, humidam constitutionem. Quia uero totus autumnus talis est subsecutus: necesse erit ijs, qui naturam habent humidiorē, plus, quàm deceat, repleto capite, nuper dictos casus hieme aduenire: quibusdam autē eorum & phthisin id est tabem, qui scilicet ad hunc affectum apti natura sunt. Sunt autem apti natura & qui angusto sunt pectore, & quibus a capite ad pulmonem fluxio defertur. Hi igitur tabidi fient. Alijs uero nullus quidem fortior morbus adueniet, sed tusses atque raucedines, & quicunque alij huiuscemodi casus fient, tempore hiberno capite suscipiente austrinis pluuijs antea repleta, atq; ita in quibusdam quidem hoc solum efficiente, quòd superfluitas in capite permanens fit ipsi doloris causa. Nullam siquidem plenitudinem ulla in parte corporis hiems dissoluit. In quibusdam uero coacto amplius & uelut compresso capite expressa materia inutilis, ad loca capiti subiecta descendit: hoc itaque ueluti purgatio quædā capitis est & euacuatio. In quibus uero multa materia grauatum caput antea laborauit, nec potuit hibernum frigus tolerare propter maiorem intemperiem refrigeratum, maiorum est fluxionum subiectis sibi partibus causa. F

*Si uero aquilonius & siccus, iis, qui naturam habent humidiorem, & mulieribus conferet: reliquis autem erunt lippitudines siccæ, & febres acutæ, & * grauedines, non nullis uero & atræ biles.* 14

Hic sermo nunc dictus liquet, quòd non est integer aphorismus, sed pars secunda unius aphorismi, cuius priorem partem nuper destitimus explanare. Nam manente communi ea, quæ est, æstatis dispositione utrisque sermonibus: prior quidem pluuium & australem ab ipsa supponit autumnum, secundus uero, qui instat, siccum & aquilonium. Quòd uero nil differt, siue siccum, siue squallentem, siue inaquosum dixerimus, unicuique est manifestum. Ambobus ergo temporibus squallidis & siccis effectis, humidæ quidem naturæ non modo nihil offendentur ex tali constitutione, sed potius aliquā sentient utilitatem. Causam uero ipse dixit in libro de aquis, locis, & aere, scribens in hunc modum: Pituitosis uero hæc omnia auxilio sunt. Exiccantur enim, atque ad hiemem minime laxi perueniunt, sed exiccati. Reliquis uero, qui non sunt tali natura præditi, lippitudines siccæ, febres acutæ, atq; * grauedines accidūt, non nullis eorum atræ biles. Causam uero horum generationis, ipse in libro nuper dicto, his uerbis explicat: Biliosis uero hoc est inimicissimum, quia ualde exiccantur, & lippitudines his siccæ eueniunt, & febres acutæ & diuturnæ, quibusdam uero & atræ biles. Deinde causam subinferens, inquit: Bilis enim G pars humidissima atque aquosissima exiccatur atque absumitur: crassissima uero & acutissima linquitur, & sanguis pariter eadem ratione: ex quibus hi morbi ipsis contingunt. Hæc itaque a nobis in propositas constitutiones dicta sufficient. Cur uero de his solis constitutionibus fecerit mentionem Hippocrates, cum & plures aliæ sint, non habeo dicere. Volo autem potius declarare uiā ac rationem, qua quispiam utens, omnes cōstitutiones complecteretur. Est autem talis. Primum igitur incipere est necessarium, ueluti ab elementis, a simplicibus aeris ambientis intemperaturis, atque ipsas diuidere in ualde paruas, ualde uehementes, ac medias: & tum dicere de qualibet earum, quæ dictæ sunt intemperaturarum in singulis temporibus contingentium, quos scilicet morbos secundum unamquamque naturam generabunt. Post hac duorum temporum intemperaturas inuicem connectere, quemadmodum conatus est nunc Hippocrates facere. His uero transactis omnibus, deinceps trium temporum coniungere omnes omnibus intemperaturas, deinde quatuor. Sic enim foret integra atque perfecta meditatio. Hæc igitur & nos forte aliquando, si plus otij nacti fuerimus, seorsum scribemus. Sufficiat autem in præsentia hoc dixisse solum, quòd paucos admodum intemperaturarum complexus scripsit Hippocrates, adeo ut hæ potius quoddam exemplum uideantur, quàm pars aliqua effatu digna totius circa talia disciplinæ. Dicemus autem plenius de ipsis, cum librum de aquis, locis, & aere, & de Epidemijs H primum exponemus. Quod uero paulo antea sum me dicturum pollicitus, nunc adiungens, in ipso finiam orationem. intelligere nos enim oportet omnes, de quibus scripsit Hippocrates, constitutiones, in locis terræ habitabilis temperatis fuisse: exceptis ab hoc sermone Thraciæ locis, quæ a mari distant. Hæc enim in frigiditate atque humiditate modum excesserunt: sicuti & quæ ad Aegyptum ac Libyam attinent, loca calida sunt ac sicca: exceptis & hic illis, quæ mari adiacent locis. In frigidis enim, quales sunt circa Thraciam ac Pontum regiones, quoniam loca mari adiacentia, humilia sunt: ob hanc causam calidiores habent temperaturas. In calidis uero, quales Aegyptus ac Libya: quoniam æstate a uentis ab Arcto flantibus refrigerantur, idcirco minus sunt calida ijs, quæ ad mediterranea recesserunt. Zona uero exquisitam habens temperiem, ac media orbis terrarum, est, quæ per Gnidium, & Co, & quæcunque loca non multum ab his recesserunt, uel ad aquilonem, uel ad austrum. Oportet autem, ut temperatam zonam nominatam ab ijs, qui talium habent peritiam, perfecte intelligas, excogitare quandam lineam rectam ab oriente ad occidentem extentam per ea, quæ dixi loca. Quidam autem astronomi non zonas, sed parallelas, id est æquidistantes uocant tales in terra habitationum similitudines, quę ab ortu ad occasum protenduntur. Sermo igitur ab Hippocrate habetur de ijs pręcipue, quæ diximus, locis. Ordo autem temporum, sicuti ipse sæpius in libro Epidemiorum ostendit, & sicuti ij, qui hoc studio

* al. diuturnæ. sic enim legit Celsus. lib. 2. c. 1. & ita habetur in lib. de aere, aquis & locis. cap. 6 A l. 1. f. 2. d. 2. c. 6. p. 61. B

* Diuturnæ.

A dio excelluere, scripserunt, hic est: Ortus Pleiadum, principium est æstatis: post quem Canis ortus oporam appellatam inchoat, quam etiam secundam partem æstatis uocant. Post hanc Arcturus oriens, initium facit autumno. Deinde occasus Pleiadum, hiemis principium adducit. Et inde, quod hiemem sequitur æquinoctium, ueris exordium affert.

15 *Ex anni autem constitutionibus (quod in totum dixerim) siccitates imbribus sunt salubriores & minus mortiferæ.*

Quòd melius fuisset inter antea scriptos aphorismos, in quibus agit de temporum constitutione. hunc primum scribere aphorismum, quem nunc præ manibus habemus, ex ipsis rebus didicimus, quoniam ad confirmandos priores aphorismos hoc etiam eguimus. Et hoc ex necessitate didicimus: quoniam prius est natura atque doctrina, simplex composito. Post illum igitur aphorismum cuius initium est: Austri hebetantes auditum, caliginosi, caput aggrauantes, pigri, dissoluentes. primo loco ponemus illum, cuius principium: Quotidianæ constitutiones, aquiloniæ quidem corpora in unum cogunt. Secundo loco hunc nunc propositum: in quo ex omnibus anni constitutionibus siccitates imbribus anteponit, & hoc cum ratione. Nam in siccitatibus superfluæ humiditates dissoluuntur: per imbres autē intra corpus collectæ putrefiunt, nisi quis singulis diebus collectas exercitijs expurget. Quæ enim fit B per balneas euacuatio, parua est, & solam fere cutem euacuat: quæ autem sunt per carnem & partes solidiores dispersæ superfluitates, haud sufficienter balneis euacuantur. Neque tamen ea, quæ fit per A.l.1.f.4.c.5. p.141.D purgantia pharmaca, superfluitatum euacuatio idonea est. Nam ualde indigentibus, & ex longis interuallis utilis est. Earum uero, quæ quotidie generantur in corpore superfluitatum euacuatio minor est, quàm ut exigat purgantis pharmaci operationem. Si uero quispiam uoluerit bis in mēse, aut semel saltem ea uti, ueritus ne superfluitatum multitudo aggregetur: præter id, quòd nocebit, corpora etiam in malam trahet consuetudinem. Alimenti siquidem pars una serosa est & humida, quæ ipsi gratia distributionis admiscetur. Altera ueluti fuliginosa superfluitas, quæ in plurimis cibis, quicunq; sunt peiores, continetur: hæc naturæ operationem subterfugit, cum neque assimilari corpori quod nutritur, neque agglutinari queat. Hæ igitur omnes diebus singulis sunt euacuandæ: uerum magis in siccis constitutionibus euacuantur, quàm in humidis: atque ideo has dixit esse salubriores.

16 *Morbi in pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt, febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, apo-* A.l.3.f.1.t.5. c.10.p.387.B *plexia, & angina. In siccitatibus autem, tabitudines, lippitudines, articulorum morbi, stillicidia urinæ, & difficultates intestinorum.*

Febres quidem longas ex multitudine fieri humiditatis, non est mirum: siquidem ægroti ad morbo- C rum solutionem egent coctione: plures autem humiditates non nisi in longo tempore concoqui possunt. Accedit ad hoc, quòd frigidiores & magis pituitosi generantur humores in multitudine pluuiarū: sicuti contra in siccitatibus biliosiores. quare in temporibus pluuiosis febres erunt diuturniores, in siccitatibus autem acutiores. Alui autem profluuia in temporibus pluuiosis rationabiliter euenire ex humorum superabundantia per aluum expurgata non est obscurum: sicuti etiam, quòd eisdem temporibus putredines fiant, quoniam perspicuum est humida siccis magis esse putredini obnoxia. Sunt utiq; & morbi comitiales, & apoplexiæ, morbi ex pituita ortum habentes. Angina autem fit non nunquam superfluitatum multitudine ad fauces collecta: fit etiam magna ex parte fluxionibus ex capite firmatis in faucibus. Quòd autem in pluuiosis temporibus fluxiones, & potissimum ex capite uenientes superabundent, & manifestum est, & dictum a me sæpius. In siccitatibus autem & tabidos morbos ait abundare, & lippitudines, & articulorum passiones, & stillicidia urinæ, & difficultates intestinorum, satis (ut mihi uidetur) indistinctum de hisce faciens sermonem. Morbi siquidem tabidi has duas sequūtur constitutiones: unam summe frigidā, ob quam non nulla ex uasis, quæ sunt in respirationis instrumentis, dirumpuntur: alteram, quæ coniunctam habet cum caliditate humiditatem, quarum occasione caput repletum mittit ad pulmonem fluxiones. siccam uero constitutionem, quæ tamen quo ad caliditatem & D frigiditatem naturaliter se habeat, omnia potius, quàm tabitudines, consequuntur. Quare mihi uidentur nonnulli fuisse coacti de oculis, tabitudines intelligere, ut sit sermo huiuscemodi: In immoderatis autem siccitatibus lippitudines tabidæ fiunt, hoc est ad tabem oculorum terminantes: ex qua fiunt extenuati ac sicci plus, quàm naturæ conueniat, facta simul & ipsa pupilla angustiore, exiccatis uidelicet humoribus, a quibus distenta moderate quidem, modum seruabat naturæ conuenientem: plus uero, quàm oporteat, ad prauam latitudinem extendebatur. Si uero ipsas per seipsas dictas lippitudines intelligamus, uerbum siccas adiungemus. Diximus autem paulo ante, causam, ob quam siccæ lippitudines in magnis fiant siccitatibus. Iam uero articulorum morbi, qui quidem ex fluxionibus fiunt, nullo modo in immodicis siccitatibus fient. Qui uero ab aliqua acrimonia accidunt, si & caliditas immodica accesserit, tunc solum euenient. Quas igitur articulorum passiones in siccitatibus dixerit fieri, dignum est inquisitione. Si enim immodicæ factæ consumpserint articulorum humiditatem: difficilem sane quendam motum ob siccitatem efficient: forte uero & dolorem non nunquam: eā uero passionem, quam arthritin uocant, haudquaquā efficient: nisi quispiā omnē articulorum dolorem ita uelit nominare. Atqui ipse in libro secundo Epidemiorum ita inquit: In Aeno famis tempore, qui leguminibus uescebantur, infirma habebant crura: qui eruum comedebant, genuum dolores patiebantur. nō arthriticos, sed genua dolentes ipsos appellauit. Quidpiam uero fortasse respondeat

non unius articuli dolorem, sed multorũ simul arthritin nominari: & idcirco genua dolentes, nondũ ar- E
thriticos appellari. De morbo igitur, qui arthritis nominatur, hæc dubitasse sufficiat: De urinæ uero
stillicidijs deinceps uideamus. Neque enim ad siccitates & ipsæ simpliciter consequuntur, nisi tribus
adhibitis distinctionibus, quarum prima est immodica siccitas, secunda, si caliditas adiungatur, tertia,
si frigiditas: de quibus non fecit mentionem Hippocrates: sed, ut dixi, sicui libeat omnium anni consti
tutionum naturam inuestigare, sic ipsum facere oportet. Erit autem sermo exemplo manifestus huius
propositæ considerationis. Nam immodica siccitas in naturis bene temperatis aliam efficit corporis
dispositionem, aliam in siccis, uelut & in humidis aliam: sic & in calidis ac frigidis, aliam in utraque fa
ciet dispositionem: secundum etiam coniugationes simplicium intemperaturarum, aliam quidẽ in ca-
lida & sicca: differentem autem ab ipsa, in frigida & sicca: & in reliquis duabus eodem modo. Sicuti
uero simplicem paulo antea seruantes aeris ambientis temperaturam, in unaquaque natura propriam
dicebamus facere dispositionem: sic compositam supponentes, in unaquaque rursus natura futuras di
spositiones considerabimus. Erit autem composita sicca aeris ambientis constitutio, quando frigidi-
tati, uel caliditati adiungetur, quanquã & simplex uidebatur quodã modo & ipsa composita: Nam mi-
scebatũ bene tẽperatæ cõstitutioni mediæ inter ĩmoderantiã utrãq;, eã, quę est secundũ caliditatẽ, & eã,
quæ est secundum frigiditatem. Cum uero concessum sit in doctrinis, simplices quidem intemperatu- F
ras esse eas, quæ secundum unâm qualitatem a modo naturæ recesserunt, non simplices autem eas, quæ
secundum plures: ooo sine ratione, cum aer ambiens, ea, quæ est secundum siccitatem & humiditatẽ,
oppositione, fuerit male temperatus: in altera autem, quæ est secundum caliditatem & frigiditatem,
bene temperatus: simplicem dicemus esse intemperaturam. Hac igitur habita in omnibus considera-
tione, non est obscurum, quàm prolixus fiet sermo de reliquis constitutionibus, & nunc propositus de
uesica. Nam urinæ stillicidia fiunt & propter acrimoniam urinæ, & propter uis retentiuæ, quæ est in
uesica imbecillitatẽ: quæ rursus imbecillitas ex immodica intemperatura contingit. Cum uero octo
sint immoderantiæ, in singulis earum debilis uesica erit: atque idcirco ad eam urinæ stillicidia conse-
quẽtur. Iã uero & urinarũ acrimoniæ a quibusdã fiũt intẽperaturis, sed potissimũ ab ea, quę est, secundũ
caliditatẽ, deinde ab ea, q̃ est sec̃d'm caliditatẽ & humiditatẽ, tertio ab ea, quæ est secundũ humiditatẽ.
Fiet itaq; & ob hęc urinæ stillicidiũ, dẽptis ijs, quæ sunt propriæ uesicæ passiones, ad quas urinæ stillici-
dia casus ratione consequuntur: ueluti cum ob ulcus, aut erysipelas, aut abscessum in ea factum, uel
inflammationem, aut tale quid aliud, urinæ stillicidium contigerit. Nunc enim non de his sermo exi-
stit, sed solum de illis, quæ aeris ambientis ratione proueniunt: sicuti neque de illis, quæ ex malo uictu
habent occasionem. Quæ uero in urinæ stillicidio sunt dicta, hęc etiam a nobis dici cogites in difficul G
tate intestinorum, de qua neque ipse idem cum Hippocrate sentio. Difficultas enim intestinorum nõ
simpliciter ad siccitates consequitur, nisi prius distinctio adhibeatur, primum quidem ut sit exuperans
siccitas, deinde ut aer ambiens secundum caliditatem & frigiditatem permutetur, postremo ut natu-
ræ corporum patientes considerentur. Non est autem æquum adeo de Hippocrate dubitare, quòd pri-
mus talis conditor contemplationis, non totam perfecerit, quantum de Diocle primũ, & post ipsum
de Mnesitheo, tum multis alijs medicis, qui ueras Hippocratis uias ingressi, multa sibi particulatim e-
laboranda proposuerunt. Cum enim deceret eos, si quicquam aliud, eam quoque, quæ de temporũ
constitutionibus est, contemplationem, ut paulo antea supposui, articulatim distincteque tractare, to-
tamque elaborare, ipsam omnino contempserunt. Nos uero id facere aggredietnur proprio his dica
to opere, si prius hæc, quæ præ manibus habemus, absoluerimus. 17

*Quotidianæ autem constitutiones, aquilonia quidem corpora densant, & bene firma, & bene mobilia, bene colorata.* A.l.1 f.2.d.c.
*& melius audientia faciunt, & aluos exiccant, oculos mordent, &, si pectus dolor aliquis prius obsederit, dolorem* 10.p.64.
*augent. Austrina dissoluunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, & uertigines faciunt,*
*oculis atque corporibus difficilem motum præstant, & aluos humectant.*

Cum frigidus ac siccus uentus sit aquilo, omnes corporis consumit superfluitates. Robur autem H
adijcit ipsis instrumentis ex eo, quòd astringit, & in unum cogit densando substantiam. Ob hoc igi-
tur (ut inquit) omnia meliora fiunt secundum animales & naturales operationes. Nam animales qui-
dem operationes ostendit per ea uerba, Bene mobilia, &, melius audientia: Naturales uero cum in-
quit, Bene colorata. Commune autem utrisque bene firma ac robusta esse. Et clarum est, quòd ex
uno sensu auditus, ueluti exemplo quodam, etiam de alijs ostendit. Hæc igitur bona adsunt aquilo-
nijs constitutionibus, quibus maxime perfruuntur, qui salubre corpus habent, & ex his ipsis humidio
res. Adsunt uero & mala quædam hisce constitutionibus, uerum parua, & non similia malis, quæ auster
affert. Cur enim non parua sint, aluum cohiberi, morderi oculos, & præcedentes dolores pectoris
exacerbari? Nosces autem ipsorum paruitatem australibus comparans constitutionibus, quas dixit
dissoluere corpora. Maximum enim est hoc malum ad omne opus uitale ac animale: Non paruum
autem aggrauatio capitis, & difficilis auditus. De uertiginibus autem quid dicere oportet? quæ pro A.l.3.f.1.t.5
ximæ sunt morbis comitialibus, & ijs, quos apoplexias nominant. Ilingos enim est tenebricosa uerti- c.1.p.381.C.
go, quæ fit, cum humor cum crasso spiritu in capite mouetur, & iccirco præcedit epilepsiam & apople
xiam. Sed & difficilem (inquit) præstant oculorum & totius corporis motum. praui autem sunt
& huiuscemodi casus. Solum autem inest ipsis hoc mediocre, quòd aluos reddunt humidiores.

A Hoc autem & alia omnia efficiunt, maxime quidem propter humiditatem: sed & insuper etiam propter caliditatem. Id autem, quod in initio sermonis scribitur, melius ordinem commutasset, ut primum quidem foret uerbum, humectant, secundum uero, dissoluunt, deinde ea, quæ deinceps sequuntur. Quia enim humectant, ob hoc & singula alia operantur, coadiuuante ad hæc & caliditate. Fiunt siquidem operationes per solidas animalis partes, quæ uere sunt eius partes. Aggrauantur autem hæ, quapropter & deterius operantur, propter humiditatum excessum.

18 A.l.1.f.a.d.2. c.6.p.62.A. *Per tempora anni, uere quidem & prima æstate pueri, & qui hos sequuntur, ætate, optime degunt, & sani sunt maxime: æstate uero & autumno usque ad partem aliquam, senes: reliquum, & hieme, qui mediam ætatem habent.*

Non solum in ætatibus, uerum & in omnibus alijs, quæ secundum temperaturam, uel modice se habent, uel immodice, siquis sermonem in hoc loco Hippocratis examinauerit, uerum inueniet. Naturis siquidem, ætatibus, & regionibus bene temperatis, optimum tempus est, quod optimam habet temperiem: cum eum, quo præditæ sunt, habitum non permutari, sed conseruari desiderent, quoniam omne, quod est, a similibus quidem conseruatur, a contrarijs autem transmutatur. Quare puerorum ætas, adhuc autem magis adolescentium (hæc enim est omnium ætatum optima) uere optime degunt: & eadē B ratione quæcunque uel regiones, uel naturæ sunt bene temperatæ. Adiunxit autem ueri principium æstatis Hippocrates, in latum extendens uniuscuiusque theorematis utilitatem. Magis autem exquisitus sermo fuisset, si ita scripsisset: Adolescentes uere, pueri æstatis principio optime degunt. In senibus uero propter temperaturæ frigiditatem æstas utilissima est: sicuti ijs, qui in ætatis uigore consistunt, hiems maxime confert. Hæc enim contraria est illi, quæ in his fit ex bilis multitudine, intemperaturæ. Sic & naturarum, biliosiores quidem hieme optime degunt: pituitosiores autem, æstate: bene autē temperatæ, uere. Similiter & regiones, quæ quidem sunt bene temperatæ, optimum uer habent: ex alijs uero frigidæ æstatem, hiemem uero calidæ. Iam uero pessima tempora unicuique ætati atq; naturæ & regioni, ex ijs, quæ dicta sunt, possumus inuenire. Nam pessima sunt optimis maxime contraria. Eadem ratione & media inuenies inter optima & pessima. Illud præterea animaduertere oportet, quòd uer quidem optimum dicitur esse adolescentibus, alijs uero omnibus medium: Neque enim optimum est, neque pessimum. Sic & ad naturas & regiones fere se habet. Autumnus omnibus utique malus est, ætatibus, naturis, ac regionibus. Ex ipsis tamen per autumnum minus, quàm aliæ, calidæ & humidę lædunt.

19 *Morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiunt, quidam uero magis in quibusdam ipsorum & fiūt, & excitantur.*

C Si ambientis aeris temperatura sola esset morborum causa: tunc omnes quolibet tempore illos morbos pateremur, qui sunt accommodati naturæ temporis. Nunc uero, cum etiam ob errata, quæ in uictu contingunt, morbi fiant: omnes quidem in omnibus temporibus fient, plures uero in singulis temporibus naturæ temporis accommodati. Non parum autem in his confert & differentia naturarum. Neque enim similiter ab eadem causa calidum corpus, ut frigidum, offendi aptum est, uel humidum, ut siccum: neque temperatum æqualiter istis, neque illis, quæ secundum aliquam qualitatum coniugationem a bono temperamento recedunt, ut antea diximus.

20 A.l.1.f.2.d.2. c.6.F. & l.3. f.1.t.4.c.18. p.376.E. *Vere etenim furores, & atræ biles, & morbi comitiales, & profluuia sanguinis, & anginæ, & grauedines, & raucedines, & tusses, & lepra, & impetigines, & uitiligines, & pustulæ ulcerosæ plurimæ, & tubercula, & articulorum morbi.*

Et quo modo antea recte ab eo dictum uideatur, Ver autem saluberrimum, & minime mortiferum, cum multæ in eo fiant passiones? Videtur siquidem magis quodlibet tempus adæquare morborum, quos generat, uarietate. Furores etenim, & atræ biles, & morbi comitiales, & anginæ sunt morbi autumnales: grauedines autem, & raucedines, & tusses, sunt hiemales. De æstate autem ipse deinceps D dicet, communionem eius ostendens ad uer: Aestate uero quædam horum, hoc est prius dictorum in uere. Ex superabundanti autem, præter alia tempora, uer profluuia sanguinis, lepras, impetigines, uitiligines, pustulas ulcerosas plurimas efficit, tuberculaque, & articulorum morbos. Sed certe hæc, quæcunque sunt uerni temporis propria, omnia periculo uacant: tantumque absunt, ut aphorismum illum falsum ostendant, in quo dixit: Ver autem saluberrimum, & minime mortiferum: ut potius ipsum uideantur confirmare. Nam hoc ipso tempore profundum corporis expurgatur uitiosis humoribus a partibus principalibus ad cutem peruenientibus. Sic igitur & lepræ, & uitiligines, & impetigines, & pustulæ quædam ulcerosæ multæ generantur. Alio uero modo in tuberculis, & articulorum morbis, profundum corporis expurgatur, uitiosis humoribus ad loca extima transpositis. Quod autem profluuia sanguinis, & multitudinem & uitium humorum euacuando, cohibeant morbos, qui ex ipsis oriuntur, perspicuum existit. Si uero aliquod corpus bonos humores habens, uernum tempus excipiat: hoc seruat saluberrimum, nihil innouans ex propria natura: non sic æstas, uel autumnus, uel hiems. Hæc enim tempora etsi purum corpus, & omni uacans reprehensione suscipiant: illa flauam bi-
A.l.3.f.1.t.5. c.8 p.E.384. lem ultra modum generare solet, hic atram, hiems uero pituitam. Tale quiddam enim uere contingit, quale in exercitationibus euenire uidemus. Etenim hæ quoque sunt saluberrimæ. Verum, si hominem uel pituita, uel flaua bile, uel atra, uel ipso etiam sanguine plenum, uolueris ad exercitationem perducere

cere:aut ei morbum comitialem, aut apoplexiam efficies exercitatione:aut, ſi hæc mala non euenie̅t, E
periculum imminet,ne rupto aliquo in pulmone uaſe,in morbum incidat inſanabilem.Multi uero cum
febricitare cœpiſſent:propter exercitationes acutiſſimis morbis fuere correpti. Quibus uero uicem
purgationis humorum,qui ſunt in profundo corporis,exercitatio ſuppleuerit, ad cutem euocans ma-
lorum humorum abundantiam:his & ulcera,& ſcabies inde generantur. & hoc innuens dicebat Hip-
pocrates, Si impurgatus laboraueris,ulcera erumpent.Et quidem uerno tempore calor aeris ambien-
tis humores diffundens educit ad cutem:atque hoc quoque opus ipſius, exercitationibus ſimile exi-
ſtit.Non ſolum autem exercitationum operibus,ueris opera aſſimilantur, ſed & earum naturæ, cuius
opus eſt & occultam per totum corpus facere tranſpirationem,per quam excernuntur ſuperfluitates,
& corpus in morbis uarijs modis expurgare.

*Aeſtate autem non nulli horum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ febres plurimæ, & [quartanæ.]* 21 A.l.1.f.2.d.
*& uomitus, & alui profluuia, & lippitudines, & aurium dolores, & oris ulcerationes, & genitalium putredines,&* c.6.p.60.F.&
*ſudamina.* l.3.f.1.2.c.2c.
5.p.745.C.

Aeſtate inquit & non nullos ex uernis morbis fieri,circa initia eius uidelicet. Nam, quæ fini ueris
continuantur,ſicuti ſimilem habent temperaturam cum uere,ita & in morborum generatione commu F
nicant.Inquit enim alios quoſdam æſtate generari illi proprios,ueluti febres continuas,& ardentes,&
tertianas: &(ut ſimpliciter dixerim)quæcunque ex flaua bile,mala corporibus accidunt.Nam & uomi
tus bile per ſumma natante fiunt,& uentris profluuia ad inferiora defluente. Lippitudines quoque æ-
ſtate plurimæ fiunt utpote repleto capite.Sic & aurium dolores, & alia ſimilia æſtate corpus patitur ex
capitis repletione,alias ad alias corporis partes ſuperfluitatem deponentis. Oris autem ulcerationes,
propter bilioſum humorem contingere,perſpicuum exiſtit.Genitalium uero putredines,non ſimplici-
ter,ſed quando æſtas aut humida magis fuerit,aut nullus flauerit uentus, aut auſter in ea abundauerit.
Nam,cum plurimum a modo naturæ receſſerit ad humiditatem,aut flatuum carentiam: non genitaliũ
tantum putredines facit,ſed cuiuſcũque partis alterius:qualis eſt illa,quæ ſcribitur in tertio Epidemio-
rum conſtitutio,& quæ in ſecundo circa eius initia.Quæ uero paruæ ſunt aeris euerſiones, genitalia tã-
gunt,ut quæ ob humiditatem ac caliditatem ex quacunque occaſione ſint parata putreſcere. Quare
cum propriam æſtas ſeruauerit temperaturam, qui multis ſuperfluitatibus infeſtantur, quando hæc ali-
quam ob cauſam ad genitalia defluxerint,ipſorum putredines patiuntur.Sudamina autem e genere pu
ſtularum ſunt in ſumma hærentium corporis parte,quæ inſtar ulcerum cutem exaſperant. proueniunt
autem,quemadmodũ & ipſum oſtendit nomen,propter multos ſudores,qui uel bilioſiores, uel omni- G
no mordaciores exiſtunt.mordent enim hi cutem, & pruriginoſam efficiunt, & per modum ulcerum
exaſperant.

*Autumno uero & multi æſtiui morbi fiunt,& febres quartanæ,& erraticæ,& lienes,aquæ inter cutem,et tabes,& ſtil*
*licidia urinæ,[& difficultates inteſtinorum,]& læuitates inteſtinorum,& coxendicum dolores,& anginæ,& anhelationes* 22 A.l.1.f.2.d.1.
*(quas Græci aſthmata uocant)& ilei,& morbi comitiales,& furores,& melancholia.* c.6.p.61.B.&
l.3.f.1.c.4.c.
15.p.374.E

In autumno(inquit)& æſtiuorum morborum permulti fiunt, manente adhuc æſtiuo humore in ipſo,
flaua bile ſcilicet. Neque enim,ſicuti æſtas ueri ſuperueniens humores euacuat, ita & autũnus æſtiuos,
ſed contrarium ex toto accidit.nam ex partibus extimis ad intimas ducit.Cum ratione igitur æſtatem
inquit non nullos ex morbis uernis generare,autumno uero non ex æſtiuis aliquos,ſed multos. Nam
& quartanas febres in hoc ipſo tempore fieri inquit,quia ſcilicet ex atra bile ortum habent, quæ dupli
cem habet generationem:alteram quidem ex flaua bile ſuperaſſata: alteram uero ex ſanguine craſſo.
Fiunt autem & erraticæ febres in autumno propter temperaturæ inæqualitatem: Et lienes magni, ob
atræ bilis ſuperfluitatem. Et aqua inter cutem ex liene contingit: Et, ſiqua diſpoſitio tabida in dubio
eſt,maxime autumno deprehenditur propter frigiditatem,ſiccitatem, & temporis inæqualitatem,ni- H
hilominus autem & propter humorum prauitatem.Fiunt quoque ob eaſdemmet cauſas eo tempore
potiſſimum urinæ ſtillicidia. Nam ueſica in inordinatis ac repentinis ad calidum & frigidum permuta-
tionibus,refrigeratur: & quæ ex malis humoribus fiunt acritudines,ipſam moleſtant: tum præſertim,
cum facta ad frigiditatem ſubita commutatio,eos qui antea difflabantur,& per ſudores euacuabantur
humores,ad ueſicam conuerterit. Læuitates uero inteſtinorũ ſunt ueloces & ſine ulla omnino tranſmu
tatione ciborum deiectiones,aut propter exulcerationem in ſuperficie uentriculi aut inteſtinorũ, quæ
eorum modo fit,quo illæ,quæ in pueris græco uocabulo aphthæ,id eſt oris ulcera nominantur:uel pro
pter potentiæ retinentis imbecillitatem. Quorum primum ex mordacibus,& ſubſtantiam tenuem hã-
bentibus humoribus fit:ſecundum uero ex magna uentriculi atque inteſtinorum prouenit intemperie.
Hæc autem ambo maxime autumno fieri contingit. Coxendicum autem dolores ex malignitate hu-
morum,& frigiditate fieri par eſt. Anginæ uero ex bilioſis humoribus ortum habent,qui ad fauces au-
tumno decumbunt:ab illis, quæ uere fiunt,differentes,quoniam illæ ſunt quodã modo pituitoſiores.
Iam uero aſthmata,id eſt anhelationes,tum propter humorum motũ ad partes interiores, tum propter
frigiditatem fieri conſueuerunt. Propter hæc eadem, & qui ilei,id eſt uolculi, nominantur. ſunt au-
tem cibi ſuperfluitatum, quæ per aluum inferiorem excernuntur, retentiones, quæ magna ex parte
fiunt

A fiunt ex alicuius intestinorum partis inflammatione. Maxime uero par est, ut in frigido, sicco, inæquali, & malos gignente humores tempore, partes ad uentriculum atque intestina attinentes offendantur. Nam, qui in æstate tenues, & bene mobiles humores sunt generati, autumnus excipiens, qui frigidus simul atque inæqualis existit, ad profundum corporis agit. Sunt autem in profundo etiam intestina. Morbi uero comitiales accidunt ijs, qui naturam habent ad hanc passionem procliuem, propter repentinam ad contraria transmutationem. Calor enim media die, frigus uero in prima & ultima parte fit. Nihil autem adeo comitiales accessiones, sicuti talis uarietas, aptum est generare. Furores uero ob tenuium ac biliosorum humorum eueniunt malignitatem: sicuti melancholiæ ex atra bile, de qua paulo ante dictum est.

23 *Hieme uero morbi laterales, & pulmonis inflammationes, grauedines, atque raucedines, tusses, dolores pectoris & laterum atque lumborum, capitis dolores, uertigines, & apoplexiæ.*

A.l.1.f.2.d.2. c.6.p.61.B.& 495.A.

Hiemales morbos post autumnales exponens, non eodem modo, sicuti prius, dixit, hieme scilicet multos etiam autumnales morbos exoriri: quanquam prius in æstiuis, ipsos comparans uernis, ita dixerat: Aestate autem non nulli horum: In autumnalibus autem, Autumno uero & æstiuorum multi.

A.l.1.f.2.d.2. c.16.p.62.A.

B Nunc autem morbos hiemis simpliciter connumerauit, uel ex communi uolens hoc quoque in loco nos aliquid dictorum subaudire, uel simpliciter enuncians nihil autumnale tempus cum hiemali communicare. Atqui primas partes hiemis rationabile est, & ita experientia comprobatur, cum autumno morbos communicare. Inquit enim & ipse: Aestiuæ quartanæ magna ex parte fiunt breues, autumnales uero longæ, & magis, quæ ad hiemem coniunguntur. nisi quis dixerit ipsum de illis, quæ in extrema autumni parte generantur, facere mentionem. Verum morbos hiemis proprios hosce uult esse morbos laterales & pulmonis inflammationes, quoniam instrumenta respirationi seruientia, frigiditate læduntur: cum alia ita bene possimus obtegere, ut nihil, aut minimum sentiant ambientis frigiditatem. Respirationem uero nemo potest cohibere, neque aliter datur respirandi facultas. Ob hanc igitur ipsam frigiditatem, tusses hieme maxime fiunt, & laterum dolores: ob candē etiam caput oblæsum, grauedines, tusses, atque raucedines operatur. Fiunt autem sicuti dolores laterum ob frigiditatem, sic & capitis atque lumborum, & omnium partium neruosarum. Vertigines quoque, cerebri læsiones consequuntur, sicuti & apoplexiæ. Nam & hæc passio fit, cum caput repletum est pituita.

A.l.1.f.2.d.2. c.6.p.61.A.

24 *In ætatibus autem talia contingunt. paruis & nuper natis puerulis uomitus, tusses, uigiliæ, pauores, umbilici inflammationes, aurium humiditates.*

A.l.1.f.3.d.1. c.3.p.109.B. & post p.110.

C Quæ ad ætates attinent, diligentius explicauit, quàm quæ ad anni tempora, facta in minores partes diuisione. In puerulis igitur nouiter natis ait fieri aphthas: Sic autem Græci uocant ulcera, quæ summam oris occupant partem, ob mollitiem maxime facta instrumentorum, quæ neque tactum, neque qualitatem lactis sustinent, quod non paruam in se serosam continet partem. Hæc autem pars uim habet abstergendi. Quare non est mirum, si in corporibus mollibus quasdam in superficie facit exulcerationes. Vomitus autem tunc his fieri par est, propter lactis, quod assumunt, multitudinem. Vigiliæ uero haudquaquam ipsis sunt assuetæ, ut qui maiori parte temporis dormiant: nisi forte quia patiuntur aliquid, fieri infantibus uigilias opinetur: siquidem multus somnus ipse maxime secundum naturam inest. Pauores etiam per somnū infantibus adsunt, ijs præsertim, qui sunt natura edaciores: quando loca ad uentriculum pertinentia sensu quidem uigeant, sed imbecillia existant: cibus uero corrumpitur. Nos siquidem obseruauimus, non in tantillis solum, sed etiam in ætate perfectis, terribiles fieri per somnos imaginationes, quando multi & uitioli humores grauāt & mordent uentriculum, præsertim ipsius os. Hæc enim particula præcipuum habet sensum. Vmbilicorum autem inflammationes non multo antea præcisorum, non sine ratione nouiter natis puerulis accidunt, non secus, ac si qua alia pars

D foret ulcerata. Verum & aurium humiditates passionibus annumerat, quāuis palati & narium in eodem numero non ponat, quoniam naturæ conuenit per nares atque palatum cerebri superfluitates per deriuationem expurgare: & fit hoc etiam ijs, qui sunt ætate perfecta. A natura autem aliena est expurgatio per aures. Verum & infantibus etiam per aures cerebrum expurgatur: & recte Hippocrates inter proprias huius ætatis passiones, etiam aurium scripsit humiditates. Est siquidem & totum corpus nouiter natis puerulis maxime humidū, adeo ut & ossium natura in ipsis potius cerea, quàm lapidea uideatur. Præ ceteris uero partibus cerebrum admodum humidum existit, quod etiam in perfectis talem habeat intemperaturam. Quare non absque ratione in puerulis, cum superfluitates abundent, per omnia foramina excernuntur.

25 *In progressu uero, cum iam dentire incipiunt, gingiuarum prurigines, febres, conuulsiones, alui profluuia: & maxime cum caninos edunt dentes: & iis præsertim pueris, qui crassissimi sunt, & aluos duras habent.*

A.l.1.f.3.d.1. c.3.p.109.B. & post p.110

Prurigines quidem gingiuarum fieri, cum dentes pullulare incipiunt puerulorum, nihil mirum. Prurigo enim (græce ὀδαξησμός) pruritus quidam est cum exigua quadam molestia. Febres uero & conuulsiones atq; alui profluuia accidunt pueris, iam dētes edentibus, & nō etiam edituris. quemadmodum & ipse ostendit inquiens, Et maxime cum caninos edunt dentes. Liquet autem, quod perforatis gingiuis a dentibus prodeuntibus, hi casus eueniunt, quemadmodum ubi stimulus infigitur carni, & sane

plus dentes affligunt, quàm stimuli. Hi siquidē semel firmati, in membro quiescunt, cui ab initio infixi E sunt: dentes uero tantum procedunt, quantum augentur. Febricitant ergo hac ætate puerili & propter dolores, & uigilias, & inflāmationes. Conuulsiones autem eis accidunt tum propter hæc, tum pro- A. l. 3. f. 2. c. 5. p. 398. F pter crudum alimentum, & quia neruosæ partes nondum satis ualidæ sunt. Ad hæc omnia etiam ex necessitate, uentris profluuia consequuntur, quoniam alimentum non bene coquitur neque distribuitur. Quod autem dicitur, Pueris, qui crassissimi sunt, & aluos duras habent, ad conuulsiones refertur: cum his maxime pueris dicat conuulsiones fieri, qui crassissimi sunt, & aluos duras habēt. Tales enim plenum corpus habent, & abundans superfluitatibus, & ideo [conuulsionibus facile capiuntur: maxime uero] naturas has conuulsiones offendunt.

*Cum uero iam magis adoluerint, tonsillæ, & uertebra, quæ in occipitio, ad interiora luxationes, anhelationes, calculi, lumbrici rotundi, ascarides, uerruca, satyria, struma, & alia tubercula, sed præcipue antedicta.* 26 A. l. 1. f. 3. d. 1. c. 3. p. 104. B. post. p. 111. & l. 3. f. 18. c. 2. c. 16. p. 667. C.

Primum scripsit de recens natis puerulis, dein de illis, qui dentes edunt: nunc uero de ijs, qui mediam habent ætatem inter illos, qui iam dentes ediderunt, & qui sunt pubertati proximi. Nam deinceps sequenti aphorismo illorum commeminit, qui quartum ab ijs ordine locum obtinent. Verum tertiam ætatem, quæ nunc proponitur, quæ usque ad duodecimum & tertiumdecimum annum progredi- F tur, multis capi ait passionibus. quarum primas tonsillas nominat, quæ sunt locorum ad isthmum attinentium inflammationes. Hic autē per isthmum oportet intelligere partem illam, quæ os & gulam interiacet, quæ per metaphoram quandam ita nominatur ab ijs, qui proprie dicuntur isthmi. Sunt autem angusti quidam terræ processus inter duo maria sitæ. Hæ autem tonsillæ sunt non nunquam solius tunicæ uentriculo ac gulæ & faucibus totique ori communes inflammationes: non nunquam uero & subiectorum ipsi musculorum, quando & uertebræ, quæ est in occipite, fiunt ad interiora inclinationes, de quibus post tonsillas inquit: Et uertebræ, quæ in occipitio, ad interiora luxationes. Nam a musculis inflammationem patientibus uertebra hæc tracta, ad partem inclinat ceruicis anteriorem. Nominauit autem hanc partem Hippocrates, non anteriorem, sed interiorem, ut ad uertebram retro locatam sui sermonem referens. Corporis siquidem ad profunda traductio, siue ex anterioribus, siue ex posterioribus fiat partibus, per unum uerbum, intra, monstratur. Cur igitur Hippocrates in nouiter natis puerulis, neque de tonsillis, neque de uertebræ, quæ est in occipitio, luxatione aliquid dixit, cū tamen & isti nihilominus cerebrum humidum, & plenum habeant superfluitatibus, adeo ut subiectis partibus demittat fluxiones? An quia hac ætate prius moriuntur, quàm subiecti faucibus musculi una cum neruis fortem subeant inflammationem? Adde, quòd hi partes eas habent molles, atque ideo non possunt ue- G hementius intendi, ita ut uertebra intus ad ipsas attrahatur. Iam uero asthma (sic autem Græci uocant crebram respirationem, qualis currentibus accidit, aut quouis alio modo uehementi agitatis motione) in his quidem fit ob exercitium, quòd multa indiget animal respiratione: in alijs autem, in quibus non adest exercitium, ob angustiam eorum, quæ sunt in pulmone, uentriculorum. hæc uero angustia fit repleto uiscere ab ijs, quæ desuper ueniunt, fluxionibus. hæ autem fluxiones plures quidem in recens natis puerulis fiunt. Cito autem ipsos interficiunt, quoniam & aliter male se habent. Nam & ex utero ad aerem ambientem transitus, & alimenti mutatio, & inflammatio, ab initio quidem locorum ad umbilicum attinentium, postea uero ob dentium generationem, eos omnes imbecilles reddit, & uix ea, quę dixi, tolerant mala: tantum abest, ut hæc, etiam fluxionem possint sustinere, ubi ad pulmonem decumbit. Lapis uero maxime propria passio est talium puerorum, ut qui ob edacitatem non paucos crudos humores coaceruent: ex quibus pars crassior una cum urinis ad uesicam perueniens, fit lapidum generationis materia. Accedit altera causa, uehementia caliditatis. Aceruant siquidem & senes humorem crudum non paucum, non propter edacitatem ut pueri, sed propter potentiæ concoquentis imbecillitatem: non tamen calorem fortem habent, qui ex materia crassa uaporem resoluens lapidem generet. Lumbrici uero atque ascarides uidentur alijs animalibus proportionaliter gigni, quæ non ex semine, H sed ex putredine habent generationem. Sola enim putredo hæc non est ad generandum sufficiens, sed & calore plurimo indiget. Cibus itaque plerunque corrumpitur in uentriculo, & præcipue in inferiore puerulis. uerum caliditas in ualde tenellis nondum materiam superat, in adultioribus autem & materia idonea est ad animalium talium generationem, & præterea caliditas adest. Ascarides igitur sunt tenues quidam lumbrici, qui in parte præcipue inferiore crassi intestini gignuntur. & plurimi manifeste gigni conspiciunt in iumentis male cibum coquentibus: quorum malam coctionem fœtor indicat excrementorum. Aliud uero genus lūbricorum est rotundorum, qui in superioribus magis intestinis generantur, adeo quòd ad ipsum quandoque uentriculum ascendunt. Multo uero plures hi, quàm ascarides, gignuntur in pueris. Rarior autem est lumbrici lati generatio, qui & longissimus est, & sæpe per tota extenditur intestina. Verum de hoc nullam fecit Hippocrates mentionem, quoniam neque eius erat propositū de omnibus agere passionibus, quæ mortalibus accidunt, sed de illis tantum quæ singulis ætatibus ut plurimum accidunt. Ob hanc igitur causam ipse enumeratis iam dictis, deinceps uerrucarum genus, & strumas adiecit, qui sunt morbi, germina uitiosæ mu-titudinis ad exteriora & cutem repentis. Omne autem ipsorum genus tubercula (græce phymata) nominat, ita deinceps scribens; Acrochordones, strumæ, & alia tubercula. Quædam autem ex his præcipuo uoca-

A bulo tubercula nominantur, quædam ſponte naſcentes & celerrime factæ inflammationes, quæ celerrime in altum attolluntur acumen, & celerrime etiam ſuppurantur. & plurima eſt horum in inguinibus & alis generatio, quoniam & in his partibus plures ſunt glandulæ, quæ aptæ natura ſunt ad has ſuperfluitates prompte excipiendas. Harum glandularum paſſio ſtruma quoque eſt, non ex calida materia, neque ad ſuppurationem properante, ſed potius quodam modo pituitoſiore & frigidiore cōſiſtens.

27 *Grandioribus autem, & iam accidentibus ad pubertatem, plurima ex his, & febres diuturnæ magis, & ex naribus profluuia ſanguinis.*

Incipiunt quidem pueri pubeſcere poſt annum quartumdecimum. Qui uero prope hanc ætatem accedunt, ſunt qui duodecimum, aut tertiumdecimum, aut quartumdecimum etiam agunt annum. Neque enim eſt unus omnium certiſſimus terminus pubertatis, propter caliditatem & frigiditatem temperaturæ. Calidi enim citius, frigidi uero tardius pubeſcunt. Laborant autem pueri hi multis quidem morbis antea dictis, propter ſimilitudinem temperaturæ, & præterea febribus diuturnioribus, quàm priores: non tamen aliquid dixit de ijs, quæ illa ætate febres abundant: uerum ex eo, quod nūc dicitur, clarum eſt, quòd oſtendit ipſas acutas eſſe. Alterantur enim puerorum diſpoſitiones citiſſime B propter corporis humiditatem, & naturalis potentiæ imbecillitatem. Sanguinis uero profluuia ex naribus fiunt in tali ætate conſtitutis, quoniam hic humor in ea incipit abundare, non quia nunc plus de eo generetur, quàm prius, ſed quia nunc minus abſumitur ex ipſo, propterea quòd & augmentum minus eſt hac ætate, quàm priore, ut ad corporis proportionem.

28 *Plurimæ autem paſſiones puerulis iudicantur, non nullæ quidem in quadraginta diebus, non nullæ in ſeptem menſibus, non nullæ vero in annis ſeptem, quædam vero iam ad pubertatem accedentibus. Quæ vero permanſerint, nec in pubertate finierint puerulis, aut fœminis, cum menſtrua erumpunt, conſeneſcere conſueuerunt.*

A.l.3.f.4.t.1. c.5.p.434.D.

Si uerbum, diutinæ, ſermoni adiectum eſſet, melius foret: unde & non nulli nomen paſſionis de diutinis tantum ipſum arbitrantur intelligere. Verum his aduerſantur, quæ in alijs dixit aphoriſmis, ut cum ait, In acutis paſſionibus raro, & in principijs uti medicationibus. &, Tenues uictus & in longis ſemper paſſionibus, & in acutis. Manifeſtum itaque ex his eſt, quòd non in diutinis tantum, ſed etiam in acutis dicere conſueuit Hippocrates nomen paſſionis. Videtur itaque hoc in loco, aut de diutinis paſſionibus intelligere, aut mancum ſermonem protuliſſe. Nos uero ipſum ſupplentes, dicemus ita: Plurimæ autem diutinæ paſſiones puerulis iudicantur, non nullæ in quadraginta diebus, nō C nullæ in ſeptem menſibus, quædam in ſeptem annis. Ex diebus autem, quadrageſimus,, primus eorum eſt ex quibus morbi diutini iudicantur, ultimus autem inter illos, qui acutos ex intercidentibus iudicant, ſicuti etiam ſupra notauimus. Quicunque uero hunc tranſcendunt numerum, ad ſeptimanæ rationem habent iudicium, non ſeptem diebus connumeratis, ſed primum quidem menſibus, deinde annis. quòd autem, qui hoc tempus tranſcendunt, ad quartumdecimum annum perueniunt, eſt ſane manifeſtum. Nam ſecunda ſeptimana in hoc completur tempore: & alias in pubertate magnæ fiunt corporis commutationes, ac in fœminis maxime propter menſtruorum eruptionem; Quare, ſiqui morbi neque hac ætate finiuntur, uſque ad longum tempus perdurare conſueuerunt.

29 *Iuuenibus autem ſanguinis ſputiones, tabes, febres acutæ, morbus comitialis, & alij, ſed præcipue antedicti.*

Cum primas ætates ad pubertatem uſque minutiſſime diuiſerit, neſcio, quo modo adoleſcentum ætatem prætermiſerit, quæ medium obtinet locum inter puberes & illos, qui conſiſtentis ætatis uigorem habent. Verum ex alijs, quas tetigit, licet & de iſta conijcere: quæ in multis quidem communicat illis, quæ ex utraque parte ipſam circunſtant, ſed hoc habet peculiare in maribus, ſanguinis ex naribus profuſionem, de qua commeminit in illis, qui ſunt prope pubertatem. Nam hic caſus incipit D in illa ætate apparere, ſed maxime uiget in adoleſcentibus, deinde ſubſiſtit in uiris. Verum hanc ætatem tranſgreſſus Hippocrates, ad illam, quę eſt iuuenum, peruenit: & primum ſanguinis ſputum ſcripſit, ac tabem, deinde febres acutas, & poſt has morbum comitialem. deinde poſt hæc ait, Et alij morbi, ſed præcipue antedicti, recte quidem hoc adijciens. Nam rem ita ſe habere indicat uiſus. At uero non ſat plene de febribus acutis dixit. Neque enim dicere ſimpliciter oportebat acutas, quæ & in pueris nihilominus fieri uidentur, ſed ex acutis tertianas maxime, & febres ardentes. Hæ enim præ ceteris febribus ſunt bilioſiſſimæ, & multis iuuenibus accidunt, quoniam & flaua bilis hac ipſa ſuperabundat ætate, a qua morbi tales in ſummo uigore conſiſtentibus accidunt. Tabem autem, & ſanguinis ſputum, non ſecundum ætatis naturam patiuntur, ſed ſecundum aliquid eorum, quæ ei accidunt. quare & antea dicebat, quòd ſenes plurimum, minus ægrotant iuuenibus. ubi & nos diximus, ꝙ ob incontinentiam iuuenibus, non ob ætatis imbecillitatem, ægritudines plurimę accidūt. ob hoc igitur & iuuenibus ſputiones ſanguinis accidunt, quia aut percutiūtur, aut cōtunduntur, aut ſaliunt, aut clamant uehemētius, aut refrigerātur, & humi cubant, aut replētur, aut propter aliquam huiuſcemodi cauſam. Ad ſputū uero ſanguinis, tabes conſequitur. Quare & propter hæc talia iuuenes ex accidenti ægrotabūt, non primum, neq; ætatis rōne. Morbi autē comitiales, quāuis malo uictu utantur, tamē ipſis nō accidūt multi ut mihi mirari ſubeat, quo modo & hos Hippocrates ſcripſerit: cum in alijs, nō modo, quòd abundant

 in pueris,

in pueris, dixerit, ſed quòd etiam ex hac cauſa paſſio pucrilis nominatur, & quòd ętatis mutatione ſanantur. Fiunt igitur & in quibuſdam iuuenibus morbi comitiales, qui prius non erant, propter uictus errorem, quem in ijs, quæ aſſumuntur, admittunt, & in alijs, quæ ab ipſis aguntur, operibus, & quia humi cubant, & Soli ſe exponunt & imbribus, atque alijs ſimilibus. Verum hi morbi non multi ſunt. Et fiunt quidem alij morbi eadem ratione. Quare melius fuerat ita ſcribere aphoriſmum: Iuuenibus autem & omnes alij morbi, quos diximus alijs accidere ætatibus, ſed præcipue ardentes, & tertianæ febres. E

*Vltra hanc ætatem anhelationes, morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenitides, ardores, diuturna profluuia, choleræ, difficultates inteſtinorum, læuitates inteſtinorum, hæmorrhoides.* 30

Iuuenum ætas quinta ſeptimana terminatur. Iuxta hoc igitur & ipſe in Prognoſticis dicebat: Magis autem expectare oportet ſanguinis quidem profluuium in ijs, qui nondum trigintaquinque annos attigere, Nam, quæ iuuenibus ætas continuatur, ad duas ſequentes ſeptimanas extéditur: in qua ætate omnia uitæ munia æque, atque illi, qui in uigenti ætate conſiſtunt, conantur peragere, non tamen eodem modo ad labores ſufficiunt. Nam ex aduſtione, & algoribus, & humi cubatu, uigilijs, atque repletione, plus, quàm illi, offenduntur. Saneque horum temperatura plus atræ bilis habet: atque ideo in ea multi melancholia afficiuntur: ueluti ex anni temporibus, in autumno. Sicuti enim hoc tempus frigidum exiſtens, pallidam excipit bilem tempore æſtiuo exaſſatam: ſic declinantium ætas iuuenilem, quæ maxime æſtati ſimilatur, ſubſequitur. mirandumque eſt, cur in ea non ſcripſerit melancholiam. Ego tamen in quibuſdam exemplaribus hanc quoque ſcriptam inueni, ſiue aliquis ſit auſus apponere id, quod defecerat, tanquam ab Hippocrate prætermiſſum, ſiue ab alijs, qui exemplaria mendoſa crediderunt. Moriuntur autem & ex tabe hac ætate multi & ex iuuenibus, quicunque ex ſanguinis ſputo in tabem incidunt. Non tamen hac ætate multi ſanguinem ſpuunt, quoniā neque in talibus ſanguinis eſt multitudo. anhelationibus uero, & pulmonis inflammationibus, ac laterum doloribus magis capiunt, quàm iuuenes: ut qui & uictu ſimili, & laboribus etiam utantur, ſed multo imbecillius, quàm illi, corpus habeant. Et omnino eos, quos prætermiſit in ætatibus uigore conſiſtentium morbos nominare, eos nūc omnes enumerat. Nam & phrenitides, & ardores, & choleræ, & difficultates inteſtinorum nihilominus iuuenibus quàm declinantibus accidunt, occaſionem ſui ortus ex flaua bile capientes. Diuturniora autem in declinantibus uentris profluuia contingunt, propter alimenti diſtributionis defectum. Nam omnium ferre ætatum, ea, quæ iam declinat, pauciſſimis indiget ad corporis reſumptionem: ſiquidem & id, quod ex ipſis reſoluitur, pauciſſimum eſt. Neque enim corpus ſimiliter calidum eſt, ut prius: neque amplius in augmentum quicquam aſſumitur: ſed neque quòd uirtus contentiua multum imbecillis ſit, ut in ſenibus, plus aliquid ex corpore defluit. Quia igitur uentris profluuia, uel coctione, uel alimenti diſtributione fruſtratis accidunt, aut propter bilis acritudinem abradentis inteſtinum, hæcque omnia in declinantibus ſunt: non ſine ratione in eis alui profluia diu perſeuerant. Febres quidem lethargicæ fiunt ex humore pituitoſo in cerebro aceruato. Prioribus aūt ętatibus humor hic deficit magis, quàm ſuperabundet. In ſenili autem ætate plurimus quidem eſt, uerum propter ætatis frigiditatem febres non accendit. In ijs autem, qui ab ætatis uigore declinant: & hic humor ſuperabundat, & nondum corpus frigidum eſt. Læuitates uero inteſtinorum oſtenſæ ſunt, hæ quidem a frigida fieri pituita, hæ uero a ſola intemperatura, quæ uim alui contentiuam reddit imbecillem, hæ autem ab ulceroſa diſpoſitione: atque hæc omnia in declinantibus ſuperabundant. Sanguinis uero per ora uenarum (quod Græci hæmorrhoidas uocant) profluuium, uere huius ætatis eſt paſſio, ſicuti melancholiæ. Fit enim ex atra bile, quādo ad uenas, quæ in ſede ſunt, repente tota decumbit. A me quidem omnium enumeratarum paſſionum cauſa fuit explicata: ſcientia autem horum cum probatione illis adueniet, qui legerint demonſtrationes, quas ſuper his in noſtris ſcripſimus tractationibus: quæ quot ſint, ac quales, & quam doceant contemplationem, legenti librum de ordine noſtrarum commentationum, licebit diſcere. Ex his enim promotus, quo modo earum ſingulæ ſint perlegendæ, cognoſcet. F G H

*Senibus ſpirandi difficultates, deſtillationes cum tuſſi, urinæ ſtillicidia, urinæ difficultates, articulorum dolores, renum paſſiones, uertigines, apoplexia, mali habitus, pruritus totius corporis, uigiliæ, alui, oculorum & narium humiditates, uiſus obtuſus, glaucedines, auditus graues.* 31

A.l.3.f.1.t.4. c.4.p.370.F. & 667.B
A.l.3.f.1.t.5. c.12.p.390.F
* πρεσβύτας.
* γερόντων.

Senes a ſeniotibus non nulli Hippocratis ſectatores diſtinguunt: nomen ſeniorum ultimæ ætati tribuentes, & hoc perpetuum eſſe exiſtimantes: ſenes autem in priori ætate ſtatuentes, quæ media eſt inter iuuenes ac ſeniores. Sed nunc manifeſte monſtrauit ſe ſenes eos, qui extremam agunt ætatem, nominare. in ipſis ergo ſermonē terminauit, ut qui iam omnes ætates percurriſſet. Hi uero ſæpiſſime a deſtillationibus, quę ſunt cum tuſſi, capiuntur: quoniam partes ad caput attinentes, in ipſis facillime refrigerantur, & quia multæ in ipſis fiunt pituitoſæ ſuperfluitates, cum iam admodum frigidam crebri habeant temperaturam. Aſthmata uero, hoc eſt crebri anhelitus, ex ijs deſtillationibus ortum habent: cum alioqui & ſpirandi inſtrumenta non raro habeant proprium ſui algoris principium, quando in ipſis multæ ac craſſæ ſuperfluitates generentur. Ad hæc, cū uires ſint imbecillæ, renes ſæpius obſtruuntur, & lapides generantur, quando tenax uel craſſa ſuperfluitas ibi firmata tophoſam conſiſtentiam

A stentiam assumpserit. Articulorum autem dolores aliquando fiunt fluentibus ad hæc loca superfluitatibus, aliquando propter instrumentorum, quæ natura ad eorũ motionem fabricauit frigiditatem. Vertigines autem ipsis accidunt, propter spiritum uaporosum, qui in partibus cerebri inordinato cietur motu: sæpe etiam in uentriculo uitiosis superfluitatibus aceruatis, ad cerebrum fertur exhalatio uaporosa. De apoplexia autem quid oportet dicere? Nullus est enim morbus adeo senili ætati familiaris, quoniam in ea cerebrum pituitosis repletur superfluitatibus. Siquod uero ulcus aduenerit senibus, difficulter sanatur propter defectum sanguinis: Vehementius insuper se scalpunt, quod pruritum appellamt: quoniam illæ, quæ pruritum operantur superfluitates, difficilem habent per cutem euacuationẽ.

A.l.3.f.1.1. t.17.p.342.F Rationabile siquidem existit & cutem in ipsis ex frigiditate densiorem esse, & superfluitates plures simul ac crassiores existere. Pluresque ipsorum (neque enim omnes) continue uigilant: quod eis accidit, quia senectus plena curarum est, sed magis, quia corpus habent exiccatum: unde tunc magis uigilãt, quando integra sanitate fruuntur. Dictum autem a nobis est & in commentarijs de temperaturis ipsas quidem corporis partes in senectute fieri sicciores, sed multitudinem superfluitatum pituitosarum aceruari: ob quam causam a multis putatur senectus frigida & humida. In quo autem tempore hæ plures in cerebro aggregantur, fiunt senes potius somnolenti: In quo uero bene excernuntur, peruigilant.

B Contingit autem & pauciores superfluitates generari, & citius excerni eo tempore, quo salubriter degunt: unde & maxime propria passio senilis ætatis uidetur esse uigilia. Humiditates autem in ipsis & oculorum & narium liquet fieri, propter cerebri superfluitates, quibus eisdem ad aluum defluentibus, & ipsa sæpius humectatur. Hebetes autem uisus, & graues auditus, propter potentiæ sensibilis accidunt imbecillitatem: glaucedines uero propter immodicam instrumentorum siccitatem, & quia speciem habent suffusionis.

# GAL. IN APHORISMOS HIPPOCRATIS COMMENTARIVS QVARTVS.

1 A.l.3.f.21.t.1 c.10.p.717.B

*Vtero gerentes sunt medicandæ, si materia turget, quarto mense, & usque ad septimum, sed hæ minus. Iuniora autem & seniora uereri oportet.*

C Fœtus habent eandem coalitus rationem cum utero, quam cum arboribus fructus. Hi siquidem in prima generatione debilioribus pediculis continentur, & ideo facile decidunt, quando uehementior uentus ipsos concusserit: posthac aucti, difficilem habent a plantis dissolutionem: sicuti rursus, cum perfecti sunt, sponte sua sine ui extrinseca decidunt. Eodem modo & conceptus, in primo quidem tempore a seminis iniectione, siquando saltare cõtigerit mulierem, aut in lubrico cadere, siue quouis alio modo, uel animo, uel corpore moueri uehementius, facile dirumpuntur. Sic etiam, & cum iam perfecti sunt. Tempore uero intermedio firmiorem habent coalitum: quare mulier utero gerens potest fortiores motus sustinere sine fœtus offensione. Quæ oĩa Hippocrates noscens, recte inquit, Vtero gerentes sunt medicandæ, si materia turget, quarto mense, usque ad septimum: quod est medio tempore fœtationis, cum fœtus utero firmiter alligatur. Nõ tamen omnes, quæ hoc tẽpore indigent purgatione, permittit purgari: sed si materia turget, inquit, hoc est, *cogat accelerare. Tractum enim uocabulum est ab animalibus ad coitum concitatis. Cum igitur superabũdantes humores mouentur, & per totum corpus deferuntur, nondum in aliqua parte firmati: tunc ad eos expellendos natura incitatur, & aliquo indiget manum porrigente, & hunc humorũ motum ad aluũ

*.i. suo motu quasi ad euacuationem inuitet, atque solicitet.

D deducente. Eos uero, qui aliqua in parte sunt firmati humores, non oportet mouere. Sic igitur & illud dictum est: Quicunque inflammationes in morborum principio medicamento conãtur soluere: nihil de eo auferunt, quod intentum est atque inflammatum: (neq; enim passio, ut quæ cruda sit, cedit) quæ uero sana sunt, & morbo resistunt, colliquant. Quòd autem Hippocrates uerbo, medicari, pro purgare medicamento, consueuerit uti, omnes confitentur, quicunque uel paruam habent de eius dictione notitiam. Nã, ut quispiã alia omittat ipsius uolumina, & de solis post hac scriptis aphorismis meminerit: nihil aliud per uocem, medicari, in eis posse significari intelliget, ueluti paulopost fiet manifestum.

2 A.l.1.f.4.c.3. p.136.E

*In medicationibus talia educere e corpore, qualia & sponte prodeuntia, iuuant: quæ uero contrario modo prodeunt, cohibere oportet.*

Sponte euacuari e corpore dicimus, quæcunque sine aliqua medici opera excernuntur, non nunquam ea, quæ nostrum regit corpus, potentia ipsum expurgante, nonnunquam ex iritamento aliquo, aut quia a uasis non contineantur. Cum itaque natura superfluum euacuat, iuuatur animal. cum uero alioqui excernitur, casus ratione: neque inde utilitas ulla prouenit, & talis euacuatio prauæ dispositionis est signum. Recte igitur Hippocrates consuluit imitari naturam. Est autem imitatio, in unoquoque morbo tentare tales humores euacuare, quales nouimus in spontinis prodesse euacuationibus.

Prius itaque dictum est ab ipso de omni euacuatione generalius. Sic & uasorum inanitio, siquidem ta- B lis fiat, qualem fieri oportet: confert, & leuiter ferunt. Nunc uero de sola purgatione eundem fecit sermonem, quoniam de hac docere proposuerat in præsentis libri loco. Melius igitur fortasse fuerit de omnibus euacuationibus, quas medici moliuntur circa ægrotantium corpora, nos quoque sermonem repetere. Fiunt enim hæ aliquando per medicaměta totum corpus expurgantia, per uomitus & deiectiones. aliquando medicina partis alicuius est euacuatiua, ueluti quæcunque per palatum & nares a capite abducunt superfluitates. E genere autem superfluitates abducentium sunt, & quæ per tussim expurgant, quæcunque in pectore sunt atque pulmone, & quæ per urinas abducũt totius sanguinis serosam superfluitatem. Clysterem quoque ex hoc genere feceris, & quodcunque aliud totum corpus æqualiter non euacuat, quemadmodum & uenæ sectio creditur euacuare, & omnino sanguinis extractio quæcunque, & quouis modo facta. Ex talibus autem est euacuationibus & quæ per uterum fit, & quæ per ora uenarum sedis, & quæ per exercitia, & frictiones, & omnem motum, atque calorem, & balneas calidas, præsertim nitrosas, sulfureas, & bituminosas, & ex accidenti, inedia. Hæc siquidem omnia uidentur quidem totum corpus æqualiter euacuare. Siquis tamen exactius perquirat, inueniet non æqualiter euacuare. Verum in his, cum sit paruus excessus alterius ad alterum secundum eorum, quæ euacuantur, qualitatem & quantitatem, ideo æqualis euacuatio uidetur. Quæ uero pharmaca purgato- F ria nominantur, speciem faciunt euacuationis manifeste differentem: de quibus, ut dixi, nunc ipsi docere propositum: non tamen quicquam plus docet, quàm quod de omnibus euacuationibus ipse iam dixit. Vna etenim est omnium intentio ac scopus humor superabundans: cuius notitia est perquirenda ex eo, qui toto corpore præter naturam color repræsentatur, & insuper ex casibus, & morbis, & tem- A.l.1 f.4.c.3. p.136.D pore, & regione, & ætate, & constitutione, & natura ægrotantis, & uitæ instituto, & uictu: Veluti (si ita contigerit) colore pallidiori in toto corpore apparente, quemadmodum in illis, qui regio morbo laborant, non euacuata per sedem bile, aut pustulis aliquibus biliosis per totum corpus dispersis: particulatim autem, si morsus in uentriculo aliquis atque fastidium sentiatur, & adsit cibi appetentiæ defectus, ac sitis, ore ad amaritudinem alterato, aut quia in aliqua parte corporis sit erysipelas, aut quia tertiana febris hominem habeat, aut ex ardentibus illa, quæ ex amara fit bile. Nam in his omnibus flaua bilis abundat. atque idcirco conabimur ipsam educere illis medicamentis, quæ cholagoga, id est bilis eductiua, ab effectu nominantur. Atq; hoc est, quod ab Hippocrate dicitur: Si, qualia oportet purgari, purgentur: confert, & leuiter ferunt. Quod enim dicitur, qualia oporter, abundantiam significat humorũ uidelicet sua qualitate infestantium ægrotantem. Ob hanc igitur causam ait tales conferre euacuationes. Sed, quoniam omnes artificiosæ coniecturæ in actionibus aliquãdo aberrãt (similitudines etenim, G ut ipse inquit, non solum uulgares, sed etiam medicos eruditos aliquando decipiunt) alterum nobis dedit indicium bonarum euacuationum, tolerantiæ facilitatem: ut & in hoc fiduciam habeamus, cum recte fecerimus euacuationem. Quod igitur in flaua bile dixi, ueluti in exemplo, hoc idem mihi & in atra intellige. Nam & in hac color totius corporis ad nigritiem tendit, & pustulæ nigræ fiunt ex atræ bilis colore: &, quicunque morbi ex eius fiunt exuperãtia, multitudinem humoris indicant manifeste: quemadmodum elephas, cancer, & quartanus circuitus ex melancholico humore generantur: & lien magnus, & uarices nigricantes sunt eiusdem humoris alumnæ passiones, quẽadmodum & quæ melancholia nominatur, & omne mentis delirium, cui ira, temeritas, atque immanitas iungitur. Hippocrates uero etiam ex menstruis, superabundantem in fœminis humorem coniecturabatur: & scripta sunt ab eo indicia, in primo libro de morbis muliebribus. Ex his igitur, ꝙ atra bilis abũdet, dignoscere oportet: & has habẽtem intentiones, ad eius accedere euacuationem. Secũda autem in ipsa euacuatione intentio habenda est, tolerantiæ facilitas. Quæcunque uero in atra bile & flaua sunt dicta, hæc mihi & in pituita intellige, tumores œdematosos hoc est inflatos, pustulas, totius corporis colorem pro humoris specie, febres quotidianas, mentis pigritiem atque torporem, somnos profundos, capitis grauitates, & quosdam acidos ructus, quando in uentriculo pituita abundarit. Hæc enim omnia suadent medi- H camentum dare pituitam purgans. Facta uero iam purgatione, tolerantiæ facilitas attestabitur & dignotioni, & ei, quam ausus es facere propter ipsam, euacuationi. Ad dignotionem uero, & spem euacuationis, habes etiam conferentem aliquid non solum ætatem, uel naturam ægrotantis, sed etiam anni tempus, & præsentem constitutionem, præterea & regionem, & uictum antecedentem, una cum alijs uitæ institutis. Etenim didicisti, ut hęc omnia, non nulla pituitam, non nulla flauam bilem, non nulla atram exaugeant. Hæc quidem omnia, ut dictum est, sunt intentiones exhibendi medicamentum, uim habens humorem infestantem expurgandi. In ipsa uero euacuatione altera erit intentio, uel nobis ferens recti iudicij testimonium, uel erroris. Recti quidem iudicij, tolerantiæ facilitas: erroris autem, difficultas. Nam infestantium humorum euacuationem facile tolerabunt ægrotantes. Siquid uero aliud, & non quod infestat, euacuatur: necessarium est omnino male ipsos tolerare. Quod igitur, ut dixi, in principio libri per unum ostendit aphorismum, ita scribẽs: Sic & uasorũ exinanitio siquidem talis fiat, qualem fieri oportet, confert, & leuiter ferunt: Id in hoc loco nunc in duas secans partes in medicationibus, per priorem quidem hunc sermonem, quæ sint conferentes uacuationes, docet, per alterum autem, qui sequitur, admonet, ut tales euacuationes firmum indicium subsequatur, facilitas tolerantiæ, Exempla uero ipse apposuit earum, quæ sponte fiunt, euacuationum

A cuationum ad bonum, multa quidem in libris Epidemiorum, pauca uero in hoc ipso libro Aphorismorum, qualia huiuſcemodi ſunt: Quem aqua inter cutem habet: per uenas in uentrem aqua fluente, ſolutio. Si lippitudo adſit: ab alui profluuio capi, bonum. Quibus bilioſæ deiectiones, ſurditate ſuperueniente ceſſant: &, quibus ſurditas, bilioſis factis ceſſat.

3 *Si, qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt: contraria uero.*

Prius hic aphoriſmus a nobis expoſitus eſt in præcedentis aphoriſmi expoſitione: ſcriptus etiam in ſuperiori libri parte, iiſdem uerbis: quare & non nulli eum de hoc loco ſuſtulerunt.

4 *Medicari æſtate superiores magis, hieme uero inferiores.*

A.l.1.f.3.d.5. t.1.p.18.F. & 129.A. & f.5. c.10:333.B.

Subaudire oportet, uidelicet uentres. Recte autem æſtate purgat ſuperius, quoniam & qui tunc humor ſuperabundat, flaua bilis eſt, & omnino tota natura animalis propter ambientem caliditatem magis ad ſuperiora mouetur. Quælibet autem ſuperfluitas, eo, quo uergit, ducenda eſt per loca conuenientia: quemadmodum ipſe in libro de humoribus ſcripſit. Addidit huic aphoriſmi ſermoni uerbum, magis: neque ſimpliciter dixit, Medicari æſtate ſuperiora, hieme uero inferiora. Nam, etſi non ſæpe, B raro tamē tempore æſtatis humor pituitoſus uiſus eſt abundare, ſicuti hieme aliquando flaua bilis.

5 *Sub Cane, & ante Canem difficiles ſunt medicationes.*

A.l.2.f.4.c.1. p.235.A.&.f. 4.c.5.p.240. F. A.l.2.l.4.c.5. p.140.D.

Nam & exuſta tunc natura noſtra non fert eam, quæ a medicamentis purgantibus prouenit, acrimoniam. Quare plures purgati hoc tempore, incidunt in febres: & natura ob æſtum imbecilla, magis ex purgatione diſſoluitur. Sed & purgatio hæc praua fiet, cum calor aeris ambientis in partem trahat extrinſecam, contrariam ei, ad quam medicina ducit humores. Sicuti enim balneæ calidæ natura aptæ ſunt obſiſtere purgationibus, ſic & calor æſtatis, tunc præcipue, cū ſeipſo uehementior extiterit.

6 *Graciles, & facile uomentes, purgare ſuperius, cauentes hiemem.*

A.l.2.f.3.d.5. c.1.p.119.A. &.136.c.3.E.

Hic addere oportet, quod paulo antea dictum eſt uerbum, magis. Magna enim ex parte graciles ſunt bilioſi. Si igitur hoc acceſſerit, ut ſint ad uomendum faciles: ſunt per ſuperiora purgandi, niſi obſiſtat hiems. Nam ſupra dictum eſt medicari æſtate ſuperiores magis, hieme autem inferiores oportere.

7 C *Vomentes uero difficulter, & mediocriter bene carnoſos, per inferiora, cauentes æſtatem.*

A.l.2.f.4.c.4. p.138.E.& 142.E.

Si facilis ad uomendum, & gracilis ſit; per ſuperiora purgandus eſt, niſi ſit hiems, hoc eſt æſtate, autumno, & uere. Sin difficulter uomat, & mediocriter bene carnoſus ſit: per inferiora, ſi res urgeat, ſolum cauendo æſtatem: aliud autem anni tempus non oportet cauere.

8 *Tabidos uero, cauentes ad ſuperiora purgationes.*

A.l.2.f.4.c.5. p.242.E.

Ad ſuperiores, inquit, purgationes nunquam tabidos duxeris, ueritus ſcilicet inſtrumentorum, quæ reſpirationi obſeruiunt, imbecillitatem. Per tabidos autem intelligere oportet uel eos, qui tabem patiūtur, uel qui ad eum ſunt natura proni: de quibus ipſe in primo libro Epidemiorum ſcribit: Et maxime moriebantur, quibus natura ad tabem prona erat. Eſt autem his pectus anguſtum, & qui in eo continetur, pulmo.

9 *Melancholicos autem plenius per inferiora, eadem ratione contraria apponentes.*

A.l.3.f.25. t.2.c.5.p.608. D.

Ventres inferiores uidelicet melancholicorum oportet eadem ratione plenius medicari. Plenius autem dixit pro fortius. Qui uero ad inferiora declinat hic humor, non ſine ratione ipſum iubet per D uentrem inferiorem euacuari, ſicuti flauam bilem per ſuperiorem, cum ſit leuis humor, & ſponte continue ſuperfluitet. Commune igitur ambobus eſt, ut ducantur, quo uergunt, per loca conuenientia: proprium autem alteri quidem humori, per ſuperiora loca euacuari, quoniam ad hæc uergit: alteri uero per inferiora, quoniam & ipſe ad iſta declinat. Contraria itaque eſt per ſuperiora euacuatio illi, quæ fit per inferiora: quorum utrunque fit ſecundum unam communem rationem. Quare recte dixit Hippocrates, eadem ratione contraria apponentes.

10 *Medicari in ualde acutis, ſi materia turget, eadem die: tardare enim in talibus, malum eſt.*

Dictum eſt & a me prius, quòd uerbum, turgere, Hippocrates tranſtulit ab animalibus, quæ ad coitum properāt, cum naturali quadam concupiſcentia moueantur ad fœminis excretionem. Oſtenſum eſt enim in libris de ſemine, quòd fœmina etiam in coitu ſemen excernit. Quando igitur uel in toto corpore ſimilis huic fuerit naturæ impetus ad excretionem ſuperfluitatum, uel ſi non toto corpore, ſaltem in partibus principalioribus: tale quid conſueuit Hippocrates per uerbum, turgere, ſignificare: & ſtatim per medicamentum euacuationem faciendam iudicat prius, quàm uel uirtus uitiata fuerit, uel febris caliditas aucta ſit, uel ad aliquod membrum principale decubuerint ij, qui p corpus uagātur, humores. Quòd aūt ualde acutos morbos nominauerit, quos prius peracutos dixit, unicuique

unicuiq; liquet. Et quidem, quòd iudicationis horum terminus eſt prima ſeptimana, dictum & a me E
prius hoc eſt.

*Quibus tormina adſunt, & circa umbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque a medicamento, neque aliter ſoluitur, in aquam inter cutem ſiccam firmatur.* 11

Tormina fiunt & propter morſum uehementem, & propter ſpiritum flatuoſum, qui non habet exitum, ſed in inteſtinorũ inuolucris eſt interceptus. Quòd uero dolores ad tales diſpoſitiones cõſequantur, nemini dubium. At, cum circa umbilicum ac lumbos ſe firmauerint, & neque a medicamentis, neque alijs ſoluuntur auxilijs: quædam eſt earum partium intemperatura quæ iam contraxit habitum: quæ magna ex parte perſeuerans, eam aquam inter cutem efficit, quæ ab Hippocrate ſicca nominatur. Vocatur autem hic morbus a poſterioribus medicis tympanias, quoniam abdomen percuſſum talem ſonũ edit, qualem tympana. Nam & in illis per cutem extentam ſubiectus aer percutitur, quemadmodum aer in hoc morbi genere, qui in profundo locatur. Quòd uero & hoc morbi genus ex tumoris ſimilitudine hydropen, id eſt aquam inter cutem Hippocrates nominet, eſt manifeſtum: Nõ tamen humidum eſt, ſicuti qui aſcites ab utris ſimilitudine dicitur: in quo materia collecta non eſt flatuoſus aer, ſed humor aquoſus. Videtur autem a maiori frigiditate generari aquoſus hydrops, quem aſciten F uocant, quoniam in membrana abdominis interiore, peritonæo græce dicta, humor ueluti in utre quodam continetur: a minore autem tympanias. Neque enim humida ſubſtantia in flatuoſum aerem ſine calore aliquo poteſt tranſmutari.

*Quorum alui, inteſtinorum leuitate laborant: hiberno tempore ſupra purgari malum.* 12

Morbum, in quo celeriter ea, quæ comeduntur talia deijciuntur, qualia deuorata fuerint: læuitatem inteſtinorum nominant. fitque ex potentiæ contentiuæ debilitate: ſed conſequitur ad omnium, quæ ad aluum pertinent, inſtrumentorum intemperaturas, hoc eſt ipſius uentriculi, in quem cibos deuoramus: & eorum, quæ ex hoc ſuſcipiunt atque tranſmittunt, inteſtinorum. Fit etiam quandoque læuitas inteſtinorum ex aliqua ſummas partes occupante exulceratione, ſimili illis, quæ in ore fiunt, quas Græci aphtas nominant. Intemperaturæ igitur non nunquam fiunt, ut quiſpiam dicat, habituales: (ſic uero nominant illas, quæ ipſo corporum habitu læſo fiunt) quandoque propter frigidam pituitam, qualis eſt acida maxime. Earum autem, quæ in ſumma parte hærent, exulcerationum cauſa eſt humor acris & tenuis. Hic igitur etſi per ſuperiora purgari debet, quoniam huiuſcemodi humores magis fluitare ſoleát, quàm ad inferiora ſecedere: non tamen hoc hieme faciendum eſt: ſicuti etiam ſuperius eſt dictum. Alter uero pituitoſus, quando adhæſerit inteſtinis, nunquam eſt per ſuperiora purgandus, hoc eſt per uomitoriam medicinam. Sola enim euomi natura apta ſunt, quæ in uentriculo continentur: eorum uero, quæ continentur in inteſtinis, nihil poteſt per uomitus euacuari. G

*Qui ad elleborum non facile ſupra purgantur, eorum corpora ante potionem copioſiore cibo, et quiete humectanda ſunt.* 13 A. l. 1. f. 4. c. 5. p. 140. D. & 142. E.

Prius oportet tentare eum, qui elleborum ſumpturus ſit, quo modo ſe habeat ad ſuperiores purgationes, hoc eſt ad eas, quæ fiunt per uomitiones. Fiat autem periculum per medicamenta uomitoria, quæcunque ſunt mediocria. Si igitur non facile purgari uideatur, non oportet huiuſcemodi hominẽ ad elleborum ducere, antequam præparetur. Hoc autem fieret, ſi per continuos uomitus aſſueſcat is, qui eſt ſumpturus elleborum, ad prompte uomendum. Verum hoc, ut paruum aliquod, atque omnibus notum, Hippocrates prætermiſit. Melius autem fieret præhumectando corpora. Præhumectantur autem copioſiore alimento, atque quiete. Ac de quiete quidem clarum eſt. Sicut enim exercitia ſunt apta natura exiccare: ſic & requies (quod ocium eſt, & ab exercitatione uacatio) ſeruat humiditatem. Cibus uero non ſimpliciter copioſior eſt aptus natura humectare, ſed quicunque nullam habet fortem H qualitatem, hoc eſt neque acerbam, neque acrem, neque ſalſam, neque amaram. Forte autẽ neque ſimpliciter cibus, hic, qui talis eſt, eſt appellandus, ſed hoc totum, cibus medicinalis: ſicuti illi, qui eſt cibus ſimpliciter, ſoli hoc ineſt ex omnibus, ut ex ſua natura, non autem ex accidenti ſolidas partes animalis humectet, hoc ipſum non per ſe, ſed ex accidenti aliquo faciente quiete. Quia enim eam, quæ prouenit ex cibo, humiditatem non exiccat: idcirco dicitur humectare. Aqua uero neque epota, neque extrinſecus occurſans, natura apta eſt ſolidas animalis partes humectare. De talibus autem perfectiorem poſſet quiſpiam habere doctrinam legendo librum noſtrum de potentijs naturalibus, & librum de tabe.

*Cum biberit quis elleborum, ad motiones quidem corporum ducere magis: ad ſomnos uero atque quietem, minus. Indicat autem nauigatione turbari motione corpus.* 14 A. l. 1. f. 3. d. 5. c. 8. p. 132. E. & c. 11. p. 143 A.

Ipſe attulit cauſam, ob quam eorum corpora moueri præcipiat, qui aſſumpſerunt elleborum. Quies ſiquidem in eodem ſtatu conſeruat, motus uero tranſmutat atque alterat corpus: ut indicat nauigatio, quæ motus quidem eſt, turbat autem corpora adeo, ut & uomitum excitet. Cũ igitur talis motus fuerit ſufficiens etiã ſolus ad uomitum corpus præparare, ſit ſane rationabile, ut, ſi uomitorio medicamento coniungatur

A coniungatur, longe maiorem habeat efficaciam. Quidam pro nauigatione nauseam scribunt, ut sit sermo talis. Ostendit autem & nausea, quæ uehementioribus corporis aduenit motionibus, ex motione corpus perturbari. Liquet autem, quòd & hic sermo eandem uim habet cum priore.

15 *Cum uolueris magis ducere elleborum, moue corpus: cum uero sistere, somnum facito, & non moueto.*

Prior quidem aphorismus, quo modo oporteat hominem, qui elleborum sumpsit, ad purgationem præparare, nos docuit: præsens uero, quo modo sistere purgationem. Non est autem absque ratione, quòd ea, quæ sistunt purgationem, sint contraria ijs, quæ uomitum cient. Si igitur motiones ciebant, sistent quietes: & multo magis somnus, in quo actiones animales ociantur, quæ & per sensum fiunt, & præterea per musculos in motibus uoluntarijs.

16 *Carnes sanas habentibus elleborus periculosus, facit enim conuulsionem.*

A.l.1.f.4.c.5. p.14c.E. & 616.D Quod in præcedentibus dixerat in omnibus purgationibus, hoc nunc in ea sola dicit, quæ fit per elleborum: adeo ut duo aphorismi possint inuicem iungi, tali modo: Qui corpore bene se habent, difficile est medicari. Sic ergo & elleborus carnes sanas habentibus periculosus est, conuulsiones B enim facit. Habet nanque elleborus istud præcipuum, facere conuulsionem, propter actionis uehementiam.

17 A.l.3.f.13.t.1 c.10.p.525.B *Si quis febrem non habens, abstineat a cibo & cordis morsum, & tenebricosam uertiginem patitur, & oris amaritudinem sentit: purgatione indigere per superiora significat.*

A.l.3.f.1.t.5. c.1.p.381.C. ἀσιτία idem significat, quod ἀνορεξία, idest cibi fastidium. καρδιωγμὸς autem id est cordis morsus, est cordis, hoc est oris uentriculi, passio. Prisci siquidem & hoc, cor nominabant. σκοτόδινος autem id est tenebricosa uertigo, est, quando simul res conspectæ uidentur circumuolui, & sensus uisus repente destruitur, cum ægrotus sibi tenebras circunfundi opinetur. Fit autem hoc ore uentriculi a malis humoribus morso. Nam propter neruorum magnitudinem, qui ad ipsum a cerebro ueniunt, hac parte patiente, animæ opera detrimentum patiuntur. Hi itaque casus sunt communes humorum omnium mordacem habentium naturam. Os autem sentire amaritudinem, solius bilis, quæ pallida & flaua nominatur, est opus; quare rectè in huiuscemodi inquit Hippocrates significari, quòd oporteat purgari per superiora: quod explanatum, talem habebit interpretationem: Huiuscemodi casus significant medico, indigere hominem purgatione per superiora, hoc est per uomitiones.

18 C *Supra septum transuersum dolores, purgatione indigere per superiora significant: quicunque uero inferiora molestant, per inferiora.*

Hic aphorismus, quod antea in uno dolore docuit oris uentriculi, hoc ad omnes extendit dolores. nam clarum est, ut, quicunque supra septum transuersum consistunt, purgatione indigentes consulat per superiora purgari, quicunque infra septum transuersum, per inferiora. Addidit autem sermoni, purgatione indigentes, nequis forte arbitretur curare Hippocratem omnes dolores simpliciter per euacuationem. Neque enim nunc dicit hoc, sed quòd secundum humorum infestantium inclinationes, oportet etiam facere euacuationes: & neque supra septum transuersum dolores per subducentia medicamenta euacuare, neque infra consistentes per uomitiones.

19 *Qui in medicamentis purgati non sitiunt: non quiescunt prius, quàm sitiant.*

A.l.1.f.4.c.4. p.138.F Qui purgantur, non nulli statim sitiunt, non nulli postea. fitque hoc propter ipsius uentriculi affectionem, & propter datum medicamentum, & propter humoris, qui uacuatur, naturam. Ventriculi quidem ratione, qui ex caliditate, uel siccitate, uel ambabus qualitatibus prompte ad sitiendum perdu D catur, siue hoc natura insit ei, qui biberit medicamentum, siue illo solum tempore. Ratione autem medicamenti, cum acre fuerit, & calidum, ac mordax. Propter humorem uero, qui uacuatur, quando bilis amara fuerit. Hisce quidem de causis fiunt sitibundi. Ex contrarijs uero longo tempore sine siti A.l.1.f.4.c.5. p.141.D perseuerant: quando uel frigidiorem, & humidiorem uentriculum habuerit homo, qui purgatur, aut ab initio, aut tempore purgationis: uel quando medicamentum omni uacat mordacitate: & tertio qũ humor pituitosus aut aquosus extiterit. Verum & in his, quando abunde fuerint euacuati, consequitur sitis. sufficiens etenim est & ea, quæ ex euacuatione prouenit siccitas, ipsam efficere. Accedit præterea medicamenti purgantis uis, habentis aliquam etsi neque manifestam neque sensibilem, attamen latentem acrimoniam ac caliditatem.

20 *Non febricitantibus si tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor: purgari inferius oportere significatur.*

A.l.1.f.2.d.3. c.15.p.104.D E. Sicuti paulo antea docuit signa eorum, quos oporteat purgare, superius. ita nunc docet ea, per quæ cognosceret aliquis, quando oporteat inferius purgare. Est autem communis utrisque ratio in differentibus casibus. Nam pro inclinatione noxiorum humorum, facere oportet euacuationes.

21 *Deiectiones nigræ, qualis est sanguis [niger,] sponte uenientes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ: &, quanto colores mali prauiores fuerint plures, eo deteriora: cum medicamento uero, est melius, & quanto colores plures fuerint, non prauum.*

De

De deiectionibus nunc ipsi est sermo, quæ a priscis medicis quidem nigræ uocantur, bilis uero ni- E
gra exquisite non sunt. Nam acre, & corrodens, & acidum non habent: ac, quod multo plus est, in ter
ram effusæ ipsam non fermentant: uerum sunt, ut quis eius describens imaginem plane diceret, ueluti
sanguinis limus, qualis etiam uinis crassioribus iam consistentibus solet subsidere, quem fæcem nomi-
nant. Hæc si diutius moretur in corpore, & neque per aliquem sensibilem effluxum neque occultum
excernatur, uerum transmutetur, atque putrescat, fit bilis nigra exquisite. Antequam uero hæc geni-
ta sit, splen trahit eam, quæ est ueluti sanguinis fæx, hepar expurgans: quemadmodum in commenta-
rijs de potentijs naturalibus est demonstratum. Abutitur itaque & hoc melãcholico humore ad sui nu
tritionem splen: &, quam rursus ipsa fecerit, superfluitatem totam expellit ad uentrem, una cum alijs su
perfluitatibus excernendam. Si quando igitur neque splen bene expurgauerit, & ille, qui in hepate
continetur sanguis, multum huius limosæ superfluitatis habuerit: accrescet debilitas uisceri ita, ut in
seipso continere superfluitates non possit, & tunc illæ, quæ nigræ uocantur, fient deiectiones, de quibus
nunc sermo habetur ab ipso. Adiecit autem suo sermoni, Veluti sanguis, tale quiddam ostẽdens: Qua-
lis fit sanguis denigratus, dum per intestina defertur, tales sunt nigræ deiectiones. Nam extremæ demẽ
tiæ fuerit existimare, sanguini secundum naturam se habenti, tales deiectiones assimilari. Fient etenim
hæ & rubræ, & nigræ. Atqui impossibile est sanguinem eundem & rubrum, & nigrum esse: Plurimas ue F
ro huiuscemodi deiectiones in pestilenti hoc morbo longo conspeximus, quæ non magis in ijs, qui exi
tio proximi erant, quàm in alijs saluandis apparebant: non tamen uel in principio, uel incremẽto mor-
borum conspiciebantur. Tunc enim, quæ euacuabantur, erant & flaua & rufa colore colliquamenta.
quæ uero mox apparebant, nigra erant, ueluti sanguinis fæx: siue ipso superassato habuisset generatio-
nem, siue aliquam extraneam putredinem adepto, illis, quæ in uentriculo fiunt, cruditatibus propor-
tionalem, quando ad uitiosos humores corruptio terminauerit. Quare ab initio quidem nunquam ad
bonum fiunt huiuscemodi deiectiones, magnam uisceris læsionem ostendentes: ad morbos uero consi
stentes sequuntur sæpius, natura superfluitates expurgante. Non tamen istud hoc in aphorismo adiecit
Hippocrates, quamuis alibi quidem dixerit in uniuersum, Signa iudicatoria non statim appareant: in
sequenti autem aphorismo particulatim, dum inquit: Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis uel
supra uel infra exierit, letale est. Nunquid igitur satis uisus est sui animi manifestare sententiam, utens
hoc uerbo, uenientes, quod temporis spatium ostendit, tanquam uel per morbum totum, uel per lon-
gum ipsius tempus tales ueniant deiectiones? Si enim aliquod unum tempus ostendere uoluisset: om-
nino uel quæ post apparuissent, uel quæ uenissent, protulisset: non sponte uenientes. Hoc enim uerbũ,
uenientes, non aduenisse, sed aduenire significat. Assumpto tamen medicamento, quod uim habet pur- G
gandi nigra, talia deijci nihil mirum. Sic itaque multi deiectionum colores præter naturam, spõte qui-
dem euacuati, multarum, atque malarum in corpore dispositionum sunt signa. a medicamento autem
ducti uim habente plures humorum species euacuare, nihil absurdum significant.

*Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis uel supra uel infra exierit, letale.* 22

Facta est a nobis & in antecedente aphorismo distinctio inter humorem melancholicum, & nigram A.l.3.f.16.c.1
bilem, de qua nunc sermo habetur ab ipso. Et causam, ob quam ab initio letales sint huiuscemodi hu- c.2.p.615.B.
mores, postea uero iudicatorij appareant, in illo aphorismo sufficienter percurrimus: sed & nunc repe
temus, quoniam ea, quæ sunt ad artem maxime necessaria, sæpe tractare sit melius. Quando aliquis
incipit morbus: si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, sed sunt omnia casus earum,
quæ præter naturam sunt in corpore, dispositionum. Quo enim in tempore a causis quidem morbum
facientibus natura grauatur, adest autem cruditas humorum, tunc aliquid bene euacuari est impossi-
bile: siquidem oportet coctionem præire, subsequi uero discretionem, & postea euacuationem, ut bo-
na sit iudicatio. Hæc autem nos ipse docuit in primo libro Epidemiorum, ita inquiens: Coctiones, iu-
dicationis celeritatem salutisque securitatem significant: cruda autem & incocta ad malos abscessus H
conuersa, iudicationis carentiam, uel dolores, uel longitudinem, uel mortes, uel eorundem malorum
reditus. Quando igitur post morbi coctionem aliquis humor uitiosus excernitur, tunc corpus a natu-
ra expurgatur. Et propter hoc atra bilis, & alius omnis huiuscemodi humor, ubi signa coctionis in
morbi processu apparuerint, bonam significat euacuationem. Si uero aliter excernantur sine signis co-
ctionis, exitialis est casus. Quare, cum in morbi principio semper sint signa cruditatis, mala semper erit
humorum talium euacuatio.

*Quibuscunque ex morbis acutis aut diuturnis, uel ex uulneribus, siue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, siue uti* 23
*sanguis niger subierit, postridie moriuntur.*

Sermo in hoc aphorismo est potentia talis: Siue atra bilis (de qua antecedens docuit aphorismus) A.l.1.f.2.d.3.
siue nigra, quæ sanguini nigro assimilantur, (de quibus prior aphorismus) ijs, qui ad extremam extenua c.13.p.104.E
tionẽ uenerint, apparuerint, postridie moriuntur. Est.n. in talibus natura imbecillis adeo, ut non possint
concoquere neq; secernere neq; excernere, quæ ita praua existunt. Propter morbi igitur magnitudinẽ
cũ contineri nequeant, effunduntur, & idcirco mortis sæuitiam non in posterum afferunt, ut in alijs cõ-
tingit morbis propter uiriũ imbecillitatẽ. Ostendit tamẽ in hoc aphorismo manifeste, quod & in prio-
re, cum

A te, cum dicebat, Deiectiones nigræ, qualis sanguis: subaudire oportet, niger: ut tale sit plenum: Deiectiones nigræ, qualis sanguis niger. Ostendit autem & nos bene a nigris deiectionibus bilem nigram separasse. Hæ. n. sanguini denigrato similes uidentur, differentes in eo, quòd fusæ sunt, & non concretæ, ut ille. Nigra autẽ bilis etiam differt in eo, q̃ fusa est absque concretione, & quia fulgẽtem habet nigredinẽ, & præterea mordax est, sicuti acetũ, & terram abradit, atq; fermentat: quorũ nihil nigris adest.

24 *Difficultas intestinorum, si ab atra bile inceperit, letalis est.*

A.l.3.f.16.t.2 c.2.p.615.B

Ab illa, quæ a quibusdam pallida, ab alijs bilis flaua nominatur, maxima ex parte incipit intestinorum difficultas, abrasis prius in summa parte propter humorum acrimoniã intestinis, postea uero exesis adeo, ut exulcerentur. Hanc igitur intestinorum difficultatem sæpe sanauimus. Quæ uero ab atra bile fit, insanabilis est prorsus, cum nihil differat a cancro ulcerato. Cum igitur hic cancer in summa parte consistens, sit aut cum difficultate sanabilis, aut omnino insanabilis, quamuis possit continuo medicinam habere insidentem: rationabile est illum, qui occupat intestina, non solum quia nihil illi continuo adhærere potest, uerum etiam quia semper ab alimenti superfluitatibus tangitur, esse penitus insanabilem.

B

25 *Sanguis quidem supra, qualiscunque fuerit, malum: infra autem nigra deiecta, bonum est.*

† Ex lib. græcis impressis ita uertendũ. In præcedẽtibus aphorismis sermo ipsi habitus est de ijs, quæ per os & sedẽ excernũtur. qua re &c. Vous tamen scriptus habet, ut Leonic. uertit.

† De nigris deiectionibus sermo habitus ab ipso est in præcedentibus aphorismis: nunc uero de ijs, quæ uel per os, uel per sedem excernuntur, uerba facit. Quare in proposito aphorismo quando ipse dicit supra, solũ, quæ fit per os, excretionem intelligemus, illa, quæ fit per nares, omissa. Hanc itaque ait semper esse malã, qualiscũq; fuerit is, qui excernit, sanguis, hoc est, siue spumosus, siue rubeus, siue flauus, siue niger, siue aquosus, siue crassus. Melius enim esse inquit, ut infra exeat, non tamen more dirupti sanguinis, sed paulatim fluentis ita, ut sui exitus tarditate denigretur. Ipsum itaque sanguinẽ confluere omnino ad aliquod intestinum, malũ oportet existimare. Melius autem, quando paucus, quàm quando multus ueluti diruptus effluxerit. Quare, quod legitur, bonum, non tanquam proprie dictum, sed tanquam idem, quod melius, significaret, est accipiendum: quasi ita diceret: Infra autem melius nigra deijci. Re uera enim hoc eligibilius, quàm per os quocunque modo sanguinem ferri. Hoc siquidẽ dixerit quispiam, ut eam, quæ uidetur in uerbis Hippocratis, repugnantiam dissoluat, dicentis nunc bonũ esse, ut nigra deijciantur, cum tamen paulo antea pessimum id esse dixerit. Possumus etiam uocabulum, nigra, sic accipere, quemadmodũ ipse in Epidemijs dixit, de sanguine ex uenis (quas hæmorrhoidas uocant) profluente, tanquam sanante melancholicas passiones. Re uera enim iam factæ melancho-

C

A.l.1.f.2.d.1. c.8.p.68.E.

liæ maximum est remedium sanguinis ex his uenis profluuium: quam etiam, si futura sit, prohibet. Sic itaque nobis intelligentibus, sermo talis erit: Sanguis supra, qualiscunque fuerit, malum: infra uero per hæmorrhoides, bonum, quando nigra euacuantur: hoc est quando hominis natura multum talem accumulauerit sanguinem. Aliter autem non est assuefaciendum ei, quæ fit per hæmorrhoidas euacuationi, ut quæ periculosam habeat utranque immoderantiam, siue supra modum sanguis excernatur, siue ex toto supprimatur.

26 *Difficultate intestinorum laboranti, si ueluti carunculæ exeant, letale est.*

A.l.3.f.16.t.2 c.2.p.616.D

In difficultatibus intestinorum, cum adhuc constituuntur, quædam corpora pinguia excernuntur: post hæc autem, nisi prius desierint, quædam ramenta intestinorum, ablata ipsorum superficie interiore, quæ membranosa existit & densa, illi, quæ cutem exterius contegit, cuticulæ appellatæ, proportionalis. Post hæc autem aliquid ex ipsa abraditur substantia intestinorum: in quo tempore non adhuc fieri difficultatem intestinorum, sed iam factam atque completam dicimus esse. Quando igitur partes adeo magnæ intestinorum excernuntur in difficultate intestinorum, ut possimus eas carnes nominare: letalem ait esse morbũ, cũ neq; caro concrescere, neq; cicatrix obduci in tali possit exulceratione.

D

27 *Quibus in febribus sanguinis fluxerit multitudo quacunque ex parte: cum reficiuntur, alui ijs humectantur.*

A.l.1.f.4.c.3. p.137.C. & l. 3.f.4.t.1.c.3. B.

Calore natiuo debilitato ex profluuio sanguinis, neque cibi bene cõcoqui, neque in sanguinẽ trãsmutari, multoque etiam magis neque distribui possunt per corpus: propterque hæc omnia, aluos fieri humidiores par est, donec processu temporis uires suas natura recuperauerit.

28 *Quibus biliosæ deiectiones sunt, superueniente surditate, cessant: & quibus surditas adest, superuenientibus biliosis deiectionibus, cessat.*

Non de inueterata, ac difficulter solubili surditate nunc illi sermo est, sed de ea, quæ repente in febribus, uel aliter fit, recurrente ad cerebrum bile. Ipsa siquidem, cum meatus auditorios occupauerit, efficit surditatem. Cum uero hinc ipsam natura expellente, ad excretionẽ peruenerit, soluit surditatẽ.

29 *Quibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficile iudicium sequitur.*

Quicunque ad febres, & præcipue ardentes, rigores superueniunt: iudicium habere solent bonum atque perfectum, ubi in die iudicatoria fiunt, & cum signis coctionis: non bonum autem neque perfectum, quando uel diei uel coctionis signa fuerint imperfecta. Quòd igitur concoqui oporteat, quæ bene iudicari

ne iudicari debeant, in primo libro docuit Epidemiorum per ea uerba, quæ paulo antea diximus: quorum initium, Coctiones celeritatem iudicij, salutisque securitatem significant: Quòd autem neque in omnibus diebus: & in Prognostico scripsit, & in hoc ipso Aphorismorum libro, & præterea in primo Epidemiorum. Collecta autem sunt a nobis hæc omnia opportuneque exposita: quæcunque quidē de diebus iudicatorijs ab eo scripta sunt, in tractatu de diebus iudicatorijs inscripto: quæcunque uero de signis coctionis, in altero de iudicijs. Dictum autem & in ipsis est de eo, quod fit in die sexta iudicio: de quo nunc etiam faciens mentionem, ait eos, qui in hoc die fiunt rigores, difficile habere iudicium, hoc est uel malum afferre iudicium, ac si male iudicantes dixisset: uel non firmiter, immo in quibus facile foret fieri recidiuam: uel in longum tempus extensos, ac si difficulter solubiles dixisset. Cum casibus uero quandoque difficilibus sexta die iudicium fit: de quibus omnibus integre scripsimus in ijs, quas nuper nominauimus, tractationibus. Hæc igitur in hunc modum fieri etiam ipsa experientia restatur: ipsorum autem causas longum esset in præsentia exponere. De diebus enim iudicantibus, tertio diximus libro de indicatorijs diebus: de rigore autem in opere ad id seorsum dedicato.

*Quibuscunque accessiones fiunt: quacunque hora febris dimiserit, si eadem cras occupauerit, iudicium habent difficile.* 30

Supponatur quispiam prima die cœpisse febricitare hora tertia, & quieuisse quauis alia hora: deinde die secundo eadem hora tertia cœpisse, mox cessasse febrem quacunque hora: & tertio rursus die hora tertia cœpisse, mox rursus quouis tempore finita febre: cœpisse iterum quarto die eadem hora tertia: & ita deinceps seruari quidem semper horam tertiam, in qua accessio suum facit initium, nō seruari autem alias, in quibus finitur: hunc, qui tali laboret morbo, necesse est temporibus longioribus ægrotare ijs, qui habent horam initij accessionis inordinatam. Hoc quidem nos ab experientia cōprobatum, dictum fuisse arbitramur. Sunt uero quidam, qui tale aiunt esse, quod dicitur: Si primo die accessionē ægrotus habuerit, exempli gratia, hora tertia: &(si ita contigerit) hora duodecima febris desierit: rursus die secundo hora duodecima cœperit febricitare: morbum aiunt difficile iudicium habiturum, nullam apponentes rationem: sed neque id ab experientia comprobari, ostendere potentes. Non tamen, difficile habens iudicium, aliter possumus interpretari, quàm difficulter solubile: ut tale sit, quod ab Hippocrate dicitur: Siue quotidie, siue tertio, siue quarto quoque die ægrotus habeat accessionem eadem hora: difficulter solubilis est is morbus, siue multas, siue paucas accessio occupet horas. Hoc igitur (ut dixi) experientia comprobatur. Eius uero causam talem esse opinandum est: causam accessionum, ubi non fuerit fixa ac stabilita, non seruare eundem terminum aut circuitum: ubi uero firmata fuerit, seruare: atque ideo difficulter solubilis est causa, quæ fixa ac stabilita sit: facile uero solubilis, quæ talis non est. Nam, quæ firmata sunt, magnam uim, ut quispiam diceret, demolientem exposcunt, quæ longo tempore, & per fortiora ac plura auxilia comparatur.

*Qui per febres lassitudinem sentiunt, ijs ad articulos, & circa maxillas potissimum abscessus fiunt.* 31 A.l.3.f.11.t.1 c.5.p.745.B

Dictum & prius est, quòd lassitudinum non nullæ ex multis accidunt motibus, quæ simpliciter & proprie lassitudines nominantur: Quidam uero neque multis, neque uehementibus acti motibus, lassitudines pari consueuerunt. Tales itaque lassitudines, non lassitudines simpliciter, sed spontaneas lassitudines nominare consueuerunt. Ambarum autem ipsarum communis est locus affectus: hic uero est totum genus in corpore musculosum. Quæ uero ex motibus pluribus lassitudines accidunt, ipsis adest proprium peculiare, caliditas articulorum: quare in his nihil mirum ad articulos abscessus decumbere, ut qui una cum musculis laborauerint, atque ultra modum concaluerint. Spontaneis autē lassitudinibus, una sola ratione euenit, ut fluxiones decumbant ad articulos (sicuti & omnibus alijs fere morbis, qui per abscessus indicantur) cum latiora ipsorum spatia prompte se habeant ad superfluitates suscipiendas. Rariores igitur in illis abscessus sunt, in lassitudinarijs plures, & præcipue cum lassitudines spontaneæ fuerint, & ex ijs maxime quæcunque ob plenitudinem fiunt. Erit igitur in aphorismo sermonis hæc summa. Ijs, qui quomodocunque in febribus lassitudinem habent: ad articulos, & circa maxillas præcipue abscessus fiunt. Hoc uero contingit propter eam, quæ est in febribus, caliditatem, relata plenitudine ad caput, mox inde suscipientibus illis quæ circa maxillas glandulæ existunt, sicuti quæ circa inguina & alas sunt, quando ad illas partes plenitudo peruenerit.

*Quibus ex morbo conualescentibus si pars aliqua laboret, eo fiunt abscessus.* 32

Si quidem labor & uehementem significat motum & dolorem, & læsionem, sicuti prius dictum est: liquet, quòd etiam laborare, pluri uti motu significabit, & aliquem habere uel dolorem, uel læsionem. In non nullis igitur, qui ex morbo conualescunt, apparet, quando humores morbum facientes non satis fuerint expurgati, sed quasdam reliquerint superfluitates: cum laborantem siue dolentem partem quampiam habuerint, illuc morbum decumbere: cum labor quidem habeat causæ rationem, dolor uero signi. Nam in uehementioribus motibus & uires fiunt imbecilliores, & caliditas maior accenditur: dolorque iam fluxione decumbente perficitur. Hoc igitur, ut diximus, est signū abscessus, qui fit. Caliditas aūt atque imbecillitas ad locum affectum proueluit

A hit ſuperfluitates. Vtroque igitur (ut diximus) modo accipere poſſumus uerbum, laborare: toti tamẽ ſermoni, qui nunc ab Hippocrate profertur, alterum magis conuenit ſignificatum: ſiquidem antea de laſſitudinarijs febribus locutus, deinceps autem rurſus, inquit, Sed, & ſi quid antea laborauerit. Videtur enim prior aphoriſmus, cuius initium, Laſſitudinem habentibus in febribus. de laſſitudinibus, quæ in morbis fiunt, habuiſſe ſermonem: in eo autem, qui nunc proponitur, de ijs, quæ fiunt in conualeſcẽtibus: in ſequente uero, de illis, quæ morbum antecedunt.

33 *Sed & ſi ante morbum aliqua parte laborauerit, hic morbus firmatur.*

Siue quis uelit connectere duobus prioribus ſermonibus illum, qui nunc dicitur, ad unius aphoriſmi integritatem, ſiue ſeorſum unumquẽque ſcribere, nihil refert: nam & communitas eorum oſtenſa eſt, & ſingulorum proprietas in ſermone prædicto. Dicetur autem & nunc a nobis denuo breuibus. Quando in morbo ſenſus aliquis laſſitudinis fuerit, expectare oportet abſceſſum aliquem ad articulos fore, præſertim iuxta maxillas: Simili modo, ſiquis ex morbo conualeſcens, parte aliqua corporis laborauerit, uel ante quàm ægrotaret. Nam plurimum ſolet ad talia decũbere, in illis uidelicet morbis, in quibus ſpetatur abſceſſus futurus, neque morbus per excretionem antea iudicandus. Dicta ſunt autem quædam & in præcedentibus de talium morborum dignotione, ſed ſermo uniuerſus in cõ-B mentarijs de Criſibus eſt explanatus.

34 *Si a febre habito, tumore non exiſtente in faucibus, ſtrangulatio repente ſuperuenerit, letale.*

Licet & ſimpliciter accipere initium aphoriſmi, in quo ait, Si a febre habito: tanquam ita dixiſſet, Si homini febricitanti, tumore non exiſtente: Licet & cum maiori aliqua ſignificatione: quemadmodum ſolet in Epidemijs ſcribere, non ſimpliciter quouis modo febricitantem oſtendens, cum dicit, Febris ipſum habebat. ſed de eo, cui magna inſit febris, ita loquens. Contingit itaque & ſine magna febre, ſtrangulatione repente ſuperueniente, hominem interire: ineuitabilior autem & citior eſt mors, adeo ut neque ex inopinato unquam homo ſaluetur, cum uehemens febris detinet ægrotantem. Indiget enim huiuſcemodi febris (ut in ſermonibus de difficili anhelitu fuit a nobis oſtenſum) inſpiratione abũdanti. fit uero nedum abundans, uerum omnino pauca, ijs, qui ſtrangulantur. Neque enim aliud eſt ſtrangulatio, niſi interitus ſubitus propter defectum inſpirationis: qui fit ex anguſtia alicuius inſtrumẽti ex ijs, quæ obſeruiunt reſpirationi.† Nam talis anguſtia ipſorum ſeorſum in eo genere eſt, quod anhelitus carentia nominatur: quæ & ipſa fit uel propter imbecillitatem potentiæ illius, quæ mouet thoracem, uel propter uehementem frigiditatem uitalis principij. Strangulatio uero omnino fit ex anguſtia: anguſtia autem, uel repleta intermedia regione, quæ inter thoracem eſt atque pulmonem, aut pul-C monis cauernis, uel aliqua inflammatione totum occupante uiſcus, uel aſperam arteriam, uel eam partem, quæ eſt ueluti caput eius, quam nominant larynga id eſt guttur: quæ etiam inflammatio fieri aliquando ſolet in præiacente ſpatio, quod pharynga id eſt fauces appellant. Nam & Homerus, ita nominauit inquiens, -- Vinumque eructat faucibus imis, Humanoſq; artus. ſpatium illud laxius, quod gulã & guttur præiacet, nominãs fauces. Videtur autem & nunc Hippocrates hanc eandem partem eodem modo, quo etiam Homerus, nominaſſe. Dicit igitur: Tumore non exiſtente in faucibus tanquã poſſibile ſit ore multũ adaperto partẽ ipſam diligentius inſpicere: quod in gutture fieri nequit. Fiet igitur ſermo uniuerſus huiuſmodi: Si a febre habito ſtrangulatio repente ſuperuenerit citra tumorem fauces occupantem, letale eſt. Priſci etenim per inflationem (græce œdema,) & tumorem idem intelligebant. Neque nos latet triplicem eſſe tumorum differentiam. Vel enim ſunt cum dolore, quos iuniores inflammationes nominant: uel abſque dolore & duri, quos Græci ſcirrhos uocant: uel ſine dolore & molles, quos ijdem Græci œdemata, id eſt inflationes, peculiariter appellant: & propterea ab antiquo uſu receſſerunt, ut qui non omnia præter naturam incrementa ſub uocabulo inflationis complectantur. Cum igitur fauces ſine tumore apparuerint, ſtrangulatio autem repente ſuperuenerit, ſolius gutturis eſt huiuſcemodi paſſio. Strangulantur (ut dixi) & propter morbos alios, quos paulo an-D tea dixi. Repente autem ſtrangulari, ſoli gutturi ineſt. Morbus enim, quem Græci peripneumoniã uocant, non repente ſtrangulat ægrotantes, uerum paulatim ab initio incrementum ſuſcipiens uſque ad propriam conſiſtentiam, in qua talem caſum affert. Et, ſi quod tuberculum & abſceſſus in pulmone fit, hæc quoque paſſio diuturna eſt: ſicuti & ſpatium inter pulmonem atque thoracem pure repletum, ſæpius hominem ſtrangulat, abſceſſu in ipſum dirupto, qui ſcilicet & ipſe in longo tempore fuit conſtitutus. Nam aſperæ arteriæ inflammatio difficultatem ſpirandi quidem aliquam efficere poteſt, ſtrangulationem uero non poteſt, propter magnitudinem meatus in ipſa latioris, & tunicæ tenuitatẽ. Impoſſibile ſiquidem eſt corporis adeo tenuis inflammationem, ſpatium efflatu dignum replere. Reliquum igitur eſt guttur, quod ſubitam poſſit facere ſtrangulationem, quoniam ab ipſo anguſtatur pulmonis meatus. Muſculi quoque eius interiores una cum ambiente tunica inflammationẽ patientes, uiã ſpiritus ualent intercludere. Nominant autem medici quidem talem diſpoſitionem non per, ſ, ſynanchen, ſed per, c, cynanchen: quibus placet faucium inflammationem per, ſ, ſynanchen nominare. Nõ nulli uero & paraſynanchen, & paracynanchen nominant: paraſynanchen, quando adiacentium faucibus muſculorum inflammatio fuerit: paracynanchen autem, quando extra guttur. Ex ijs igitur, quæ dicta ſunt, rationabile eſt talem diſpoſitionem gutturi aliquem inferre dolorem: & uidetur Hippocrates eius manifeſte meminiſſe in libro prorrhetico, hiſce uerbis: Fauces dolentes, tenues cum quadã difficultate

† Græci libri ſic habent. ne que enĩ talis anguſtia ſine inſtrumentis reſpirationi ſeruientibus fieri poteſt.

A.l.4.f.2.t.3. c.2.p.891.B.

difficultate strangulantes, uelociter exitiũ afferẽtes. Nunc uero dolẽtes nõ dixit, siue quia ex ijs, quæ E dixerat antea, poterat subintelligi: siue quia etiam absque dolore aliquando dictam putauit in præcedẽte sermone fieri posse strangulationem. Et, si omnino potest esse sine dolore strangulatio: ex talibus causis erit. Possibile est multitudine humiditatis, pituitosæ præsertim, madefaciente tunicam gutturis interiorem, fieri absque dolore tumorem. Possibile est etiam aperientibus ipsum musculis, crassioribus factis, meatum reddi angustiorem. Contingit & utrunque coniungi. Illudque impossibile non est, ut propter superfluam siccitatem musculorum gutturis intrinsecorum supra modum extenti, meatum reddant angustiorem. Qui uero sint hi musculi, & quo modo claudant guttur, ostensum est in tractatu, qui de uoce inscribitur.

*Si a febre habito collum peruertitur, & uix potest deuorare, sine ullo tumore, letale est.* 35

Non amplius adiecit hic locum, in quo inquit, Tumore non existente: sicuti in præcedenti aphorismo faucium meminit. inquiens, Tumore non existente in faucibus. Nos uero dicemus alterum duorum uel ex communi subaudiendum esse in faucibus, uel in omnibus colli locis. Cum enim in nullo horum apparuerit, neque ore aperto in faucibus, neque extrinsecus tumor, hominem uero contigerit non posse deuorare, casus est exitialis: qui fit ex inflammatione aliquando musculorum, qui gulæ præ- F iacent, aliquando gulæ ipsius. Est enim quædam societas partibus his per neruos ac ligamenta & ad spinalem medullam, & ipsam ambientes membranas, ac præterea ossa uertebrarũ, quæ his * extrinsecus adiacent. Extentis itaque ad partes inflammatas & ligamentis & neruis, trahi uertebras uel intra uel ad latus est necessarium, si in altera nerui propagine fieri tentionem contigerit, ad latus: si in ambabus, intra. Plenius autem de istis dicemus, librum de articulis exponentes, in quo ait fieri spinæ euersiones tuberculis crudis intra ipsam constitutis. (A.l.3.f.22.t.2 c.2.p.742.D.) Igitur in libro illo & gibbos fieri dixit tentis intra uertebrarum partibus, non solum recuruationes, & obliquationes. In secundo siquidem libro Epidemiorum, de proposita nunc in aphorismo angina uerba faciens, inquit: Erant autem anginam patientium tales affectus: colli uertebræ intro uergebant, & extra apparebat collum habere cauitatem, & hoc tactum dolebat. In hoc itaque sermone unam ostendit uertebræ euersionem ad intra factam: in præsenti uero aphorismo generaliori utens sermone, inquit: Si collum euertatur. Verbum enim, euerti, omnẽ, quæ est ad id, quod præter naturam, euersionem ostendit rectitudinis uertebrarum. In secundo autẽ libro Epidemiorum sermoni adiecit: Et hoc tactum dolebat: Hic uero nihil de dolore dixit, quamquã necessarium est adesse dolorem una cum ea, quæ collum obtinet, inflammatione. nisi & hic eam, quæ fit propter siccitatem excedentem, tentionem, tractum, & euersionem partium tantummodo ostendit: G & propter hoc ipsum casum inquit esse exitialem: cum alter, qui prouenit ex inflammatione, non sit omnino exitialis, qualis erat prior, cui coniuncta erat strangulatio. Neque enim est æquale periculum, si homo strangulетur, & uix possit deuorare. Verum, si propter excedẽtem siccitatem id accidat, & collum euerti, & uix posse deuorare, letalis est casus, & præcipue cum uehemens est febris: ut uerba illa. Si a febre habito, etiam in hunc sensum accipiantur. Ob hanc autem febrem ipsam, etiam immodicam fieri par est in membris siccitatem: & duplicem habebit febris uehemens ad mortem rationem: & quia ut signum, erit, quòd fiat euersio propter siccitatem, & deuorandi difficultas: & quia ipsa quoque aliquid afferet, tanquam una ex causis perducentibus ad mortem.

*Sudores febricitanti si inceperint, boni & tertio die, & quinto & septimo, & nono, & undecimo, & quartodecimo, & septimodecimo, & uigesimo, & uigesimoseptimo, & trigesimo quarto. Hi enim sudores indicant morbos. Qui uero non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam.* 36 (A.l.4.f.2.t.1. c.69.p.827.A)

Non sudores tantum, sed alui excremẽta effatu digna, & urinæ multæ, & iuxta aurem abscessus, uel aliquem alium articulum, in dictis diebus optime apparent. Sermo enim in uniuersum est talis: Iudicatoria signa, ac casus, in diebus iudicatorijs incipiãt. Ac sermo quidẽ ita prolatus sufficiebat: uerum Hip H pocrates nunc non de omnibus ipsum fecit iudicatorijs, sed de sudoribus tantum: & nobis memoriæ subiecit iudicatorios dies, qui sunt intra quadragesimum. Morbi.n. istis diuturniores, non admodũ solent per sudores iudicari, sicuti neque omnino per excretiones, sed uel per concoctionem, uel per abscessus. Quòd uero non omnis numerus dierũ sit ad iudicandum idoneus, experientia manifeste demõstrat. & quispiam admiraretur illos, qui aiũt nullã in illis esse differentiã. melius est enim, ex ijs, quæ apparent manifeste, discere differentiam: causam uero eius, quod fit, per multum ocium cõsiderare: quod nos in tractatu de diebus iudicatorijs egimus, id, quod ad artis refert utilitatem, in primis duobus cõmentarijs transigentes: causas autem ipsorum tentantes in tertio perquirere. Non parua autem est de diebus scriptis in aphorismo discordia, cum alij alios pro arbitrio scribant. Nos uero illa secuti, quæ ab ipso Hippocrate scripta sunt & in Prognostico, & Epidemijs, & hoc aphorismorum libro ipsorum fecimus connumerationem. Verba autem, quibus de hisce diebus Hippocrates scripsit, habes omnia in tractatu de iudicatorijs diebus & de iudicijs collecta. Nunc uero a tertio incipit, qui anticipat quartum in breuioris temporis morbis: & post hunc quintum scripsit uno die quarto tardiorem. Sic enim fere in omnibus exemplaribus inuenies, cum quartus dies in aphorismo nondum esset ascriptus, quamuis hic dies sit primus iudicatorius. Veruntamen ipsum nunc prætermisit uel ipse Hippocrates,

uel

A uel qui primus librum tranſcripſit. Si uero omnino Hippocrates illum præterijt, hanc ob cauſam ipſum exiſtimo iſtud feciſſe, quoniam morbi plurimi peracuti, qui cum ſudore iudicantur, tertio, & quinto die magis, quàm quarto, iudicium ſuſcipiunt. Rariores enim ſunt, qui die quarto iudicantur: Atque hoc a me fuit inuentum per experienriam, cum ob hoc ipſum ualde admodum inquirerem, qua de cauſa dies quartus fuiſſet ab Hippocrate in aphoriſmo prætermiſſus. Hoc autem uidetur accidere, quoniam morbi peracuti primam ſtatim acceſſionem uehementiſſimam habent, & reliquas illis proportionales per diem tertium. (A.l.4.f.2.t.1. c.13.p.836.E) Didicimus autem, quòd in uehementioribus acceſſionibus iudicia fiunt, & quod morbi, qui in diebus imparibus acceſſionem habent, citius iudicantur: qui uero paribus, tardant. Atque ideo, ſi etiam in principio aliquis morbus exacerbatur, hoc magis accidit in diebus imparibus: ſi tardare debeat, ad dies pares uehementiores acceſſiones transferuntur. Hæc habeo, quæ dicam de die quarto. In fine autem aphoriſmi, non nulli trigeſimum primum diem, non nulli trigeſimum quartum ſcribunt. Scimus autem hos in dierum iudicantium numero contineri: & fortaſſe trigeſimus quartus maiorem uim habet: non tamen quadrageſimi meminit, fortaſſe quia hunc principium morborum longorum exiſtimauit, qui non admodum per ſudores iudicantur. Nam & trigeſimumprimum, & trigeſimũquartum, & ante ipſos uigeſimumſeptimum raro inueniemus per ſudores iudicare.

37 B *Frigidi ſudores, cum acuta quidem febre, mortem: cum mitiori autem, longitudinem morbi ſignificant.*

A.l.4.f.2.t.1. c.71.p.817.B

Quòd quidem ita fiat, ſæpius experientia docet. Cauſa uero huius exploranda. nam plurimam mihi uidetur habere dubitationem, quo modo febre calidiſſima hominem detinente, ſudor fiat frigidus. Quòd igitur in alijs partibus corporis ſit neceſſarium eſſe uehementem caliditatem, ex alijs uero ſudores frigidos euacuari, eſt manifeſtum. Eſſent enim calefacti, ſi ex partibus calidiſſimis efferrẽtur. Euacuantur autem ex cute ſudores, quam frigidam eſſe contingit: cum tamen ea, quæ ſunt ſub ipſa, comburantur. Nam quibuſdam humoribus putreſcentibus oſtenſum eſt febres acutas fieri. Hi uero putreſcunt ſæpius quidem in toto corpore, ſæpius uero in uaſis ſolis. Cum ergo hæc aliquando duo contigerint, humores, qui ſunt in uaſis, putreſcere, & eam, quæ ſolida corpora regit, naturam (quæ ſecundum Hippocratem eſt calor naturalis) uel extingui omnino, uel proximam eſſe extinctioni: quæ quidem ex his euacuantur, frigida ſentiuntur: eam uero, quæ fit ex putredine, caliditatem nihil prohibet uehementiſſimam eſſe, atque ideo ſignum eſt exitiale, oſtendens in animalis corpore humorum multitudinem ſuperabundare, tantam habentium frigiditatem, ut neque a calore natiuo, neque a febrili calefiant. Tepidis ſiquidem exiſtentibus febribus contingit ſaluari hominem, concocta in proceſſu tem-
C poris multitudine humorum frigidorum, atque euicta a natura. Acuta enim febris, cauſa eſt & ſignũ pernicioſiſſimum: cauſa quidem, quia prompta eſt ad diſſoluendum corpora: ſignum autem, quoniam humorum multitudinem eſſe frigidiſſimam oſtendit, ut quæ neque a calore febrili tranſmutetur. Febris uero, quæ non eſt acuta, ſed moderata, permittit tempore longiori a natura multitudinem concoqui, cum non anticipet diſſoluere hominem: non eſt autem ſignum adeo pernicioſum, ſicuti uehemẽs febris. Contingit enim in tepida febre, etſi modice frigida multitudo fuerit, incalefactam permanere.

38 *Qua parte corporis ſudor eſt, ibi ſignificat morbum.*

A.l.4.f.2.t.1. c.66.& 67.p. 818.E.& F.

Si per totum animalis corpus morbus extenderetur, ex toto etiam æqualis fieret euacuatio. Fiunt enim ſudores uel natura humiditatem ſuperfluam euacuante, (quando & optime iudicium fit) uel quãdo non continetur in corpore, morbi ratione. Sed, ſiue hoc, ſiue illo modo fiant, membrorum patientium humiditatem euacuant.

39 *Et, qua parte corporis calor aut frigus, ibi morbus.*

Qua parte corporis inſignis aut caliditas, aut frigiditas fuerit, in ea morbum neceſſarium eſt eſſe.
D hæc ſiquidem exijt a temperie naturali, quæ ſanitas eſt.

40 *Et, vbi in toto corpore mutationes, &, ſi corpus refrigeretur, vel rurſus calefiat, vel color alter ex altero fiat: longitudinem morbi ſignificat.*

Diſpoſitiones uariæ diuturniores ſemper ſunt, quàm quæ ſunt uniuſmodi: cum non poſſit natura in paruo tempore multas conficere diſpoſitiones.

41 *Sudor multus ex ſomno factus abſque cauſa manifeſta, corpus vti pluri cibo ſignificat. ſi vero cibum non accipienti hoc accidat: ſcire oportet, quòd euacuatione corpus indiget.*

A.l.1.f.2.d.2. c.13.p.67.B. & l.4.c.10.p. 150.F. & l.4. f.2.t.1.c.68. p.816.F.

Non nulli ita ſcribunt aphoriſmum: Sudor multus ex ſomno factus ſine cauſa manifeſta. Alij ſine aliqua alia cauſa. Verum hæc, etiamſi non adijciantur, millies in mille ſermonibus ab ipſo prætermiſſa intelliguntur: quia, etiamſi non dicantur, tamen ſubaudiuntur a nobis: ut qui ſemel ab ipſo didicerimus, quòd, qui a cauſa extrinſeca, non ex diſpoſitione corporis caſus proueniunt, nullam faciunt certam præcognitionem. Hoc itaque ſemper oportet meminiſſe. Quod uero in præſenti aphoriſmo docetur, in uerbo, multus, adiecto, maxime conſiſtit. Si enim ſudorum multis non eſſet, poſſet & propter uirium imbecillitatem, & corporis raritatem accidere. Ipſius uero multitudo, altera duarum cauſarum

rum

tum fit, uel propter ciborum, qui sunt recens assumpti, immoderantiam, uel illorum, qui antea. E Quòd si propter recens assumptos, prohibere oportet, ne plures assumant: quòd si propter prius assumptos, euacuare.

*Sudor multus calidus uel frigidus superfluens, frigidus magis, calidus minus significat morbum.* 42

De sudoribus, qui in diebus iudicatorijs fiunt, dictum est prius: de ijs uero, qui in toto morbi tempore apparent sine iudicatione, in hoc ostendit aphorismo: difficiliores quidem inquiens esse frigidos sudores, minus uero his malos, calidos esse. Indicant siquidem utrique multitudinem adesse, sed alteri frigidam, qui & peiores sunt: alteri calidam, qui & minus illis sunt exitiales.

*Febres, quacunque non intermittentes tertia die fortiores fiunt, magis periculosa. Quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significatur.* 43

Quòd Hippocrates per uerbum, intermittere, accessiones intelligat, quæ in quietem febre uacantem desinunt, manifestum fecit in hoc aphorismo, febres illas, quæ per tertiam accenduntur, si quouis modo quieuerint, inquiens esse absque periculo. Solæ enim illæ, quæ in quietem febre uacantem desinunt, periculo carent, etiam si uehementissimam & satis longam habuerint accessionem. Si enim adeo F A.l.4.f.1.c.2. c.4.p.779.A. breuis fuerit, ut in tertianis exquisitis, minori duodenis horis tempore circũscripta: non modo sine periculo talis est febris, sed etiam cito iudicatur: Si uero longius, quàm duodecim horarum, tempus occupet, &, si ita contingat, ad decem & octo horas prorogetur: est quidem & hæc citra periculum, sed tanto longior, quanto & eius accessio maior extiterit, quàm tertianæ exquisitæ. Non absque ratione autem eas, quæ in quietem febre uacantem desinunt, esse absque periculo inquit: ut quæ non ex inflammatione aliqua, neque ex maligna humorum putredine occasionem habeant. Neutra enim harum ad quietem peruenit, febre uacantem. Quocunque autem modo intermiserint, periculum abesse significatur, hoc est siue uehemens, siue longa fuerit accessio.

*Quibus febres longa, ijs tubercula uel labores in articulis fiunt.* 44

Non semper hoc, sicuti nec quicquam aliud huiuscemodi, sed magna ex parte uidelicet, contingere uidetur. Causa autem est manifesta. Nam propter multitudinem uel crassitudinem uel frigiditatem A.l.3.f.12.c.2 c.1.p.745.B. uel uisciditatem humorum efficientium febres, in longum tempus morbi extenduntur, cum longum exigant tempus ad coctionem. Par igitur est & tubercula ab eis fieri, & ad articulos superfluitatem decumbere. Siue autem per labores dolores intellexerimus, siue læsionem: uterque intellectus habet rationem. Vtrunque enim horum ad abscessus sequitur. G

*Quibus tubercula, uel in articulis labores post febres fiunt, ij pluribus utuntur cibis.* 45

De conualescentibus docet. His enim repletis rationabile est plethoricos casus aduenire, & maxime ob uirium imbecillitatem.

*Si rigor incidat febre non deficiente, agro iam debili, letale est.* 46 A.l.4.f.1.c.2. c.2.p.773.G.

Non idem est, si quis dixerit, si inciderit, & si incidat. Verbum enim, inciderit, unum significat rigoris insultum, incidat uero plures. Semel igitur rigore incidente, nondum liquet, an mors, an iudicatio optima sit secutura. Potest enim & propter uirium imbecillitatem casus esse letalis: potest & iudicatio periculosa, bonum tamen habere finem. Sæpius uero fieri rigorem febre non deficiente, & alioqui bonum non est: in uirium autem factus imbecillitate, perniciosus. Nam, si aliqua euacuatio rigorem subsequatur, quæ nullam facit intermissionem: propter utrunque hominem dissolui uerisimile est, & quia uis imbecillis ferre non potest rigoris agitationem, & quia ab euacuatione dissoluitur. Si uero solus accidat rigor, nulla euacuatione subsequente, utroque modo casus caret bonitate. Nam & ut ma H la causa, uim corporis tanget: & malum signum erit ultimam illius indicans imbecillitatem, quæ solita sit noxios humores in rigoribus euacuare: nunc autem id efficere non possit.

*Excretiones in febribus non intermittentibus, liuida, cruenta, fœtida, & biliosa, omnes mala. Et si bene exeunt, siue per alui excretionem, siue per urinas, bona. Si uero non aliquid eorum, qua iuuant, per hac loca excernitur, malum.* 47

Forte conueniens fuerat doctrinæ aphoristicæ, dici compendiosius, omnes prauas excretiones, cũ bene exeunt, ad bonum terminari. Hippocrates uero non ita locutus est, sed primum quidem trium generum excretionum meminit, eius, quæ per os fit, eius, quæ per aluum inferiorem, & tertiæ, quæ per urinas: deinde illius, quæ fit per os, magis particulatim. Non enim simpliciter dixit prauas excretiones bene exeuntes, bonas esse, sed speciatim ipsarum meminit, inquiens: Liuidæ, cruentæ, fœtidæ, & biliosæ. Vna autem communis est in hisce omnibus ratio: Malæ uacuationes sunt prauarum signa dispositionum: prodeuntque sæpius eodem modo, quo in ulceribus putridis, a quibus ichores, hoc est liquores saniosi, defluunt, nihil dispositioni conferentes: nonnunquam uero ita sicuti pus, ex abscessu dirupto bene expurgans partem patientem. Indicia uero, quòd bene excernatur, maxima quidem sunt & coctio, & bona tolerantia, cum ipsis uero & morbi species, & post ipsam tempus anni, regio,

A regio,ætas,natura ægrotantis. Quod autem eſt in fine aphoriſmi, duobus modis ſcriptum inuenitur. in quibuſdam,ut ſupra ſcriptum eſt, Si uero non aliquid eorum quæ iuuant,excernatur. In quibuſdam uero ſine particula,non,hoc modo,Si uero aliquid eorum,quæ iuuant,excernatur. Et erit ſecundũ primam ſcripturam ſermo talis, Si aliquid eorum,quæ non iuuant excreta,uidetur euacuatum: non eſt bonum. Secundum uero ſecundam ſcripturam, Si aliquid eorum,quæ iuuant,& ſunt animali conuenientia,excernatur,non eſt bonum. Melior autem eſt ſcriptura prior.

48 *In febribus non intermittentibus,ſi partes exteriores algent,interiores uruntur,& ſitim habent,letale eſt.*

Dignum animaduerſione eſt,nunquid huiuſcemodi caſus poſſint in febre fieri intermittente. Ego enim neque uidi,neque animo capio. Videntur ſiquidem ſolis accidere in febribus ardentibus,pernicioſis,uel ſi aliter libeat appellare maligniſſimis,ueluti lipyrijs. Nulla uero febris alia corpus intus urit cute frigeſcente. Neque enim mitior ardens febris neque tertiana: quæ duæ febres præ ceteris ſunt calidiſſimæ. Videtur itaque non diſtinctionis gratia in aphoriſmo adieciſſe. In febribus non intermittentibus,ſed ſimilem protuliſſe ſermonem illi,quo dicitur, Vertebræ autem,quæ in ſpina ſunt: non quaſi in aliqua alia corporis parte ſint uertebræ,ſed ueluti ſi ita diceretur: Vertebræ,quibus hoc ineſt,ut in ſpi-
B na ſint: ita & nunc ſermonem Hippocratis accipiemus: Si profundæ partes urantur,cutis algeat, letale eſt. fit autem hoc in nonnullis febribus non intermittentibus. Cauſa uero huius talis exiſtit: Quando aliqua fortis inflammatio in corporis parte profundiori,uel eryſipelas euenerit: uniuerſus ex toto corpore ſanguis ad locum trahitur patientem,atque adeo uruntur profunda,cutis autem refrigeratur, ut fit in principijs acceſſionum.

49 *In febre non intermittente,ſi labrum,uel palpebra,uel ſupercilium,uel oculus,uel naſus peruertatur,uel non uideat, uel non audiat: iam debili exiſtente corpore: quicquid horum euenerit,mors proxima eſt.*

Partium fiunt peruerſiones, dum tenduntur atque contrahuntur ij, qui ad eas nerui pertingunt. Quòd autem extendantur,accidit propter inflammationes, duros tumores, ſiccitates, & frigiditates immodicas. Hæc autem grauia ſunt, quando prope neruorum originem fuerint conſtituta. Quare, cum febris continua fuerit,& æger debilis: non abſque ratione mortem eſſe uicinam eſt exiſtimandum: multo autem magis, quando uel non audit aliquis, uel non uidet, propter uirtutis ſenſibilis debilitatem.

50 C *Vbi in febre non intermittente difficultas ſpirandi,& delirium acciderit,letale.*

Fit non nunquam ex eadem cauſa horum utrunque, & difficultas ſpirandi,& delirium, patiente cerebro: & tunc apparet ſpiritus (ut ipſe in Prognoſticis inquit) magnus ex multo interuallo, hoc eſt, magnus, & tarus. Contingit & propter aliquam earum partium,quæ reſpirationi obſeruiunt,paſſionem,ſpirandi difficultas. Nam & morbus lateralis,& pulmonis inflammationes, & reliquæ thoracis atq; pulmonis paſſiones,ſpirandi faciunt difficultatem. Hæc autem omnia periculoſa ſunt, febre præſertim continua adiuncta: Nam ſemper cum tali fieri conſueuerunt. Quare & hic uerba illa, Cum febre non intermittente,eadem uidentur ratione eſſe dicta,qua etiam in aphoriſmo antecedente.

51 *In febribus,abſceſſus,qui ad primas indicationes non ſoluuntur,longitudinem morbi ſignificant.*

Sermo ita clarus eſt,ut forte Hippocratis auctoritatem non requirat: Liquet enim,quòd eo ipſo, ꝙ ad primas iudicationes non ſoluuntur huiuſcemodi paſſiones,ſint diu duraturæ.

52 *Quicunque in febribus, uel in alijs morbis ex uoluntate illachrymant, nihil abſurdum: qui uero non ex uoluntate, abſurdius.*

A.l.3.f.1.t.1. c.13.p.340.

D Dictum quidem & in Prognoſtico,lachrymari non eſſe bonum ſignum, quando uidelicet oculus ipſe nullum affectum habet proprium atque præcipuum,ueluti lippitudinem, uel in palpebris aſperitatem, uel tale aliquid. Nam debilitas quædam oſtenditur potentiæ contentiuæ, quando, etiamſi talia non adſint,illachrymant. Non recte autem ſcriptum fuit, abſurdius, comparatiue. melius enim fuerat abſolute,abſurdũ dicere.& mihi uidetur hic error culpa magis primi librarij, quàm ipſius Hippocratis, contigiſſe.

A.l.3.f.3. t.1. c.26.E

53 *Quibus circa dentes in febribus quidam lentores naſcuntur,ijs fortes fiunt febres.*

Neque enim naſci poſſunt huiuſcemodi lentores ſine caloris multitudine pituitoſiorem humiditatem exiccante.

54 *Quibus plurimum ſiccæ tuſſes leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt,non multum ſiti infeſtantur.*

Siccas tuſſes illas nominãt,in quibus nihil expuitur. Fiunt autem aliquando ob intemperiem inſtrumentorum,quæ obſeruiunt reſpirationi: aliquãdo fauciũ aſperitate,uel aliquo tenui & pauco humore deſtillãte. Quicquid horum acciderit,aliquo modo madeſcunt loca, quæ ad aſperam pertinent arte-

riam, & ideo minus ſiticuloſi fiunt. Nam, ſi aſperitas ſola fuerit: propter motum in tuſſi factum, ex locis uicinis humor aliquis attrahitur: ſic autem, & ſi ſola fuerit intemperatura. E

*Ex bubonibus febres omnes malæ, præter diarias.* 55

Febres diariæ omnes ab ipſo uocantur, quæcunque ſui ratione una die durant. Tales autem ſunt, & quæ ex bubonibus proueniunt, quando ex cauſis manifeſtis conſiſtunt. Alios uero bubonas, qui ſine cauſa manifeſta fiunt uerisimile eſt ex uiſcerum inflammationibus fieri: atque ideo febres, quæ una cũ ipſis eueniunt, malas eſſe.

*Febricitanti ſudor ſuperueniens febre non deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, & multam ſignificat humiditatem.* 56

Oportuit hunc aphoriſmum cum altero paulo antea dicto coniungi, in quo dicit: Sudor multus, frigidus uel calidus ſemper fluens. Ipſe uero oſtendit, & quo pacto talem ſudorem dixerit eſſe malum, & propter quam cauſam. Malus itaque exiſtit, quia cum hoc, quòd morbum non ſoluit, ipſum etiam prorogari ſignificat. Cauſam uero prorogationis, multam ait eſſe humiditatem: quam cum longiori tempore diſſoluat ac concoquat natura, neceſſarium eſt morbum eſſe longum. F

*Qui a conuulſione aut diſtentione neruorum tenetur, febre ſuperueniente liberatur.* 57

Eſt quidem & diſtentio (græce tetanos), neruorum conuulſio, ſed non uidentur in ipſa partes cõuulſæ: quoniam æqualiter ante & retro tenduntur: atque ideo præcipuum illi nomen eſt datum diſtentio: ita ut omnes conuulſiones ſint numero tres, græcis uocabulis, Opiſthotonos, id eſt tentio ad poſteriora: Emproſthotonos, id eſt tentio ad anteriora: & Tetanos, id eſt æqualis tentio, nominatæ. Omnes uero conuulſiones ſecundum ipſum fiunt uel ex repletione, uel ex e uacuatione, partium uidelicet neruoſarum. Quæcunque igitur conuulſiones ad febres ardentes ſequuntur, has par eſt fieri ex ſiccitate: Quæcunque uero ſuopte initio inuadunt, ex repletione habent generationem. His conuulſionibus febres aduenientes, partim quidem ſuperfluam diſſoluunt humiditatem, partim calfaciunt frigiditatem: quæ duæ ſunt medicis remediorum intentiones. Non abſque ratione igitur a febribus letales ſunt conuulſiones, non letales uero, quæ febres antecedunt. A.l.3.f.1.c.9. p.397.A.& 399.A

*A febre ardente habito, rigore ſuperueniente, ſolutio.* 58

Oſtenſum enim eſt in ſermone de rigore, etiam ob flauam bilem, quæ per membra ſentientia ueloci motu defertur, fieri rigorem, poſt quem uidelicet & alui ſoluũtur, & ſudores & uomitus bilioſi ſuperueniunt. Cum ergo bilis, ex qua febris ardens habuit ortum, expurgatur, ſoluitur febris. Nam febrem ardentem fieri nouimus, quando æſtiuo tempore uenæ exiccatæ acres ac bilioſos ad ſe ichores attraxerint. A.l.4.f.1.c.1. c.21.p.779.D G

*Tertiana exquiſita, ſeptenis ad ſummum circuitibus, iudicatur.* 59

Tertiana febris, ab ea, quæ ardens nominatur, non quod ad humorem morbi auctorem attinet differt. Vtraque enim a flaua bile fit. Differunt autem, quoniam febris ardens habet in uenis una cum ſanguine flauam bilem redundantem & ebullientem: tertiana uero eandem bilem habet in totum corpus delatam ac motam. Exquiſita igitur tertiana erit, quæ ſuijpſius naturam puram ſinceramque ſeruat. Seruat autem, ubi flauam bilem habet (ut dixi) redundantem & motam, & præterea tempus æſtiuum, & locum tempori ſimilem, calidum uidelicet ac ſiccum, & hominis ætatem & temperaturam ſimilem. Statim autem in tali tertiana acceſſio fiet cũ rigore: & ſolutio eius cum ſudore, uel per uomitum aut aluum inferiorem flaua bile euacuata, uel omnibus iſtis pariter factis. Erit & huic tertianæ tempus acceſſionis minus multo, quàm quietis. Duobus ſiquidem diebus, & totidem noctibus toto eius perfecto circuitu, exquiſitam tertianam nunquam inuenies extra duodecim horas ſuam acceſſionem protendere. Talem igitur ait Hippocrates in ſeptem ad ſummum, circuitibus, iudicari. Quod enim in continuis una dies poteſt, hoc in intermittentibus acceſſio. Ad iſtarum igitur connumerationem, earũ fiunt iudicationes. Hoc ipſe in Prognoſtico innuit, ubi de quartana loquitur, ita inquiens: Fit autem & quartanarum conſiſtentia ex ordine tali. Eſtque a nobis obſeruatum, tum in quartanis, tum in tertianis, fieri iudicationem ad numerum circuituum, non dierum. Statim itaque in tertiana febre ab initio ſeptima acceſſio in tertium & decimum incidit diem, & ſæpius in ipſo morbus iudicatur, non expectato quartodecimo. Sicuti igitur in morbis continuis acutorũ quidem morborum terminus eſt quartuſdecimus, peracutorum uero ſeptimus: ſic in intermittentibus, * breuiſſimi temporis tertiana febris terminum habet circuitum ſeptimũ. Rurſus autẽ, ſicuti in peracutis, morbus poterat iudicari & in quinto, & quarto, & in tertio die: ſic & in tertiana in eiſdem circuitibus fieri ſolutionem contingit, non expectante natura ſeptimum circuitum. Hippocrates igitur tertianam aliquando cum adiectione exquiſitam nominat: aliquando uero ſimplici appellatione contentus, tertianam tantummodo: ſicuti & nunc quoque conſuetudo omnium aliorum Græcorum eſt huiuſcemodi res omnes indefinite nominaudi. A.l.4.f.1.c.2. c.4.p.775.A. H

* Alias lõgiſſimi: ſic.n. habẽt Greci lib.

*Quibus in febribus aures obſurduerunt: ſanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata, ſoluit morbum.* 60

Dictum

A Dictum est ab ipso & antea surditatem fieri biliosis excrementis retentis, & ad caput recurrētibus: & talem solui surditatem, aluo turbata. Dictum est & nunc ab ipso hoc idem, & præterea de profluuio sanguinis e naribus. Etenim & hoc soluit surditatem, eā uidelicet, quæ in febribus fit absque ulla propria atque præcipua instrumenti auditus passione. Nihil autem mirum est, si cum euacuantur ac transmutantur noxij humores, morbi cessant.

61 *Febricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit, solet recidiuare.*

Nescio, utrum hunc aphorismum Hippocrates scripserit, an fuerit a quopiam ascriptus. siquidem in Prognostico dierum iudicantium incrementa ac compositiones fieri in quaternis edocuit, & in hoc ipso Aphorismorum libro, atque in Epidemijs etiam, non modo die quartodecimo multos uidit iudicatos, sed & uigesimo, & quadragesimo, & sexagesimo, & octogesimo. Ipsi uero iudicant & uigesimaquarta, & trigesimaquarta, & ab initio protinus quarta. Quo modo igitur ait nunc, quòd, nisi in diebus imparibus febris cessauerit, non sit fida iudicatio? Melius est itaque pro imparibus scribere iudicatorijs, ut quibusdam uisum est. Multa sane exemplaria in numero plurali, & imparibus, & diebus, scriptum habent.

62 B *Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malum.*

A.l.4.f.2.t.1. c.59.p.825.C

Morbus regius interdum quidem fit & iudicatorie, reponente natura ad totum corpus, & præcipue ad cutem, flauam bilē: Fit etiam huiuscemodi casus hepate male affecto: mali autem affectus hepatis, ex quibus morbus regius solet aduenire, tres sunt, tumor durus, inflammatio, & obstructio. Verum tumor durus, diutinus morbus existit: inflammatio uero & obstructio etiam repente fieri possunt. Ac regij morbi, qui ante septimum accidunt diem, ex aliquo istorum ortum habent: nam citius nō potest iudicatorie bilis ad corpus effundi. Ante septimum quidem diem, morbum regium esse malum, uerum existit: non tamen post septimum uacare periculo, est pariter uerum: neque hoc nunc dictum est. Potest enim & inflammatio & obstructio longiori tempore permanere: ante septimum autem, iudicatorie bilem effundi est impossibile. In quibusdam uero exemplaribus adiectum est aphorismo circa finem, Nisi humores ex aluo prodeant. uolentibus ijs, qui hæc adijciunt, per aluū bilem expurgari.

63 *Quibus in febribus† quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur.*

*G.l. non habent: uetus tamen tralatio retinet: & Gal. legit. A.l.4.f.1.t.2. c.6.p.776.F

C Cum bile per omnem corporis habitum mota rigores accidant, atque ideo singulis accessionibus expurgetur atque euacuetur: non absque ratione ad infebricitationem peruenit talium febrium intermissio. Hoc igitur est, quod nunc dictum est ab eo, Quotidie febres soluuntur. ac si dixisset ægrotos quotidie sine febre fieri. Quemadmodum autem, si quotidie rigores fiunt, quotidie etiam febres cessant: sic & si tertio quoque die, aut quarto. quod proculdubio etiam fieri uidemus & in tertianis, & in quartanis circuitibus: in quibus & febres soluuntur, & rursus redeunt, remanet tamen quædam dispositio præter naturam in corpore, a qua secundū circuitum aliæ febres & ægritudines generantur.

64 *Quibus in febribus morbus regius septimo, uel nono, uel undecimo, uel quartodecimo superuenerit, bonum, nisi dextrum hypochondrium obduruerit. si uero non, non bonum.*

A.l.4.f.2.t.1. c.59.p.825.C

A.l.3.f.1.s.2.t.1 c.3.p.601.A.

Qui ante hunc scribitur aphorismus, absque ordine mihi uidetur fuisse interiectus. Melius .n. fuisset hunc, qui nunc scribitur, aphorismum illi fuisse coniunctum, in quo ait: Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malum. ut totus sermo talis procedat: Ante septimum quidē diem morbum accidere regium, malum omnino: post septimum uero, optimum: nisi dextrum hypochondrium obduruerit, id est nisi aliquis malus affectus ex ijs, quos antea diximus, uisceri, hoc est hepati, acciderit: Cum enim expurgatur in ipso sanguis, & bilis transfertur ex uenis ad meatus bilem recipientes: siue obstructio fuerit in locis ad quæ transfertur, siue inflammatio aliqua, uel durus tumor: necessarium est omnino non expurgari sanguinem, & una cum ipso bilem per totum corpus deferri, hincque morbum regium generari.

D

65 *In febribus circa uentriculum & fortis æstus, & cordis morsus, malum.*

Quòd non solum ei uisceri, quod sua natura pulsat, cor nomen fuit apud antiquos, sed etiam ori uentriculi, pro confesso habetur apud omnes: sicuti etiam, quòd cordis dolorem, huius partis dolores appellant: uerbum autem καρδιώσσειν id est, corde morderi, plurimi exponentium aphorismos, pro καρδιαλγεῖν, id est corde dolere acceperunt: nonnulli ipsius cordis, hoc est uisceris, motum quendam palpitationi similem, per καρδιωγμὸν.i. cordis morsum intellexerunt. Fortis itaque uentriculi æstus a flaua bile in ipsius tunicis ebulliente generatur. Rationabiliter autem ijs, qui ita sunt affecti, & uentriculi mordetur os, atque ob id malus est casus. Siquis uero per cordis morsum, crebrum & uelocem cordis motum, eum præcipue, qui palpitationi similis sit, intellexerit: extremum ex eo malum significatur, uim uitalem maximo incendio laborare.

66 *In acutis febribus conuulsiones, & circa uiscera dolores fortes, malum.*

COMMENTARII. TT 2 Febres

Febres uehementes,ueluti ignis, neruos exiccantes, eos extendunt atque conuellunt, atque hoc E modo perniciofas afferunt conuulfiones. Nou nunquam uero & uifcera ipfa in tali affectu dolorẽ fentiunt,propter incendij uehementiam,ac ficcitatem: atque idcirco malum effe inquit. Peior autem fuerit,fi fortes dolores acciderint. Scimus autem propter inflammationem,uel eryfipelas, uel fortẽ obftructionem,uel abfceffum aliquem,in uifceribus dolores fieri,fed uerifimile non eft,ut de his nunc loquatur. Manifeftum eft enim periculum,quod in ipfis eft: neceffario tamen non adiungitur conuulfioni. Cum Hippocrates in febribus dicit morbos febriles, intelligit, quando febres ipfæ funt paffio, & non cafus partis alicuius,quæ aliquo dictorum affectuum laboret.

*In febribus,ex fomnis timores,uel conuulfiones,malum.* 67

Dictum ab ipfo & antea fuit,quòd fomnus lædens ægrotantem, mortalis eft,qui autem non lædit, non eft mortalis. ubi & exemplum fermonis adijciens,inquit: Vbi delirium fomnus fedat, bonum tanquam fomnus aliquis exiftat,ex quo delirium non fedatur,fed excitatur aliquando ac generatur. Verũ & hic alia dixit exempla noxæ ex fomno aduenientis,timores,ac conuulfiones. Quidam uero non, timores,fcribunt,fed labores: Saneque nos fæpe uidimus in morbis exitialibus & timores & labores & conuulfiones ex fomno fieri. Hoc autem uidetur contingere, qnando in fomnis ad cerebrum hu- F mor infeftus peruenerit, tunc magis intra,quàm extra, natura mota. At profecto, ut a cibo ad fomnum conuerfi, implent caput: fic in plethoricis difpofitionibus,fomni ipfum replentes,aggrauant cerebrum. Si igitur ea multitudo magis ad atræ bilis naturam uergit,timores fiunt: fin talis non fuerit, labores ac conuulfiones. Somnique proculdubio femper nocerent, quatenus ad profundum & uifcera materia fluit,nifi coctionis ratione plus afferrent utilitatis, quàm fit damnum,quod ex motu ad interiora confequitur. Non folum autem in cerebro ipfo mali humores aceruati tales afferunt cafus, fed & in ipfo ore uentriculi: quare & in fomnis magis euaporant,cum incocti permaneant: ficuti coctiones utiles fomnos inducunt.

*In febribus fpiritus offendens,malum.conuulfionem enim fignificat.* 68

Spiritum nunc intelligendum eft ipfum dicere,ficuti etiam in prognoftico, refpirationem: qui ubi offendit,hoc eft in medio fui interruptus fubftiterit,conuulfionem fignificat. Etenim fit mouentibus thoracem mufculis ac neruis iam conuulfioni paratis, qua difpofitione infuper aucta, & plures occupante partes, manifefta conuulfio hominem apprehendet. Cũ uero duplex fit in refpiratione motus: alter,quo fpiritus fertur ad interiora, infpiratio dictus: alter,quo fertur ad exteriora,contrariam is ac- G cepit appellationem,expiratio nominatus. Offendit autem fpiritus aliquando quidem infpirantibus, ficuti cum ipfe dicit, Duplex intro reuocatio, ueluti fuperinfpiratio: Aliquando expirantibus, ficuti cum dicit, Et fpiritus offendit extra delatus. In his igitur,utriufque partis refpirationis feorfum meminit: in propofito autem aphorifmo de tota ipfa pronuncians,inquit: Spiritus offendens, fiue in motu ad intra,fiue ad extra,fiue ad utraque tale quid patitur.

A.l.3.f.10.t.1 p.480,c.26.E

*Quibus urinæ craffæ,grumofæ,paucæ,non fine febre: multitudo ueniens ex his tenuis iuuat. præcipue uero tales ueniunt, quibus ab initio,uel breui fedimen ineft.* 69

A.l.1.F.2.d.3. c.3.p.89.C.

Non fimpliciter urinas craffas dixit,fed & grumofas adiecit,duorum alterum oftendens, uel craffitudinis quantitatem,uel confiftentiæ inæqualitatem ac diuulfionem, ita ut plures ipfarum cõfiftentiæ, ueluti grumi,circumfcriptæ appareant. Non nulli uero non grumofas fcribunt,fed cœnofas,ficuti Numifianus & Dionyfius: qui, fi per hoc uerbum, fœtorem quendam fimul oftendunt, plus aliquid, q̃ alij,demonftrant: fi uero quafi craffitudinis quantitatem,nihilo plus hoc ipfo docet. Sermo uero Hippocratis totus non uidetur de urinis effe fœtorem habentibus,fed de paucis tantum, ac craffis, ut ex oppofito manifeftat,inquiẽs, Multitudo ueniens,ex his tenuis iuuat. Quare,fi hoc folum fcriberetur, H Quibus urinæ craffæ paucæ: nihil fermoni deficeret. Fiunt autem & fine febribus urinæ tales, natura expurgante per renes totius corporis fuperfluitates: Fiunt etiam cum febre: in quibus quifpiam forte exiftimaret ad contraria tranfmutationem non effe bonam: quoniam magna ex parte in febribus, ex urinis ab initio tenuibus fit ad craffiores conuerfio, tendente iam morbo ad folutionem. atque ideo mihi uidetur maxime ita fcriptus ab ipfo fuiffe aphorifmus,id quod raro accidit,edocente. Contingit.n. aliquando uel per initia morbi,uel non multo poft,urinas factas craffiores,propter grauitatem habere fedimen. His igitur urinis fedimen, bonum fignum non eft,ficuti alijs,quæ ab initio tenues exiftentes,ratione totius morbi coctionis fedimen capiunt. Non abfque ratione autem craffæ urinæ funt multitudine paucæ, ut quæ uix renes pertranfeant. Cum itaque fimul maior pars talium humorum malorum fuerit euacuata,fimul & refiduum concoctum fuerit: tunc excernuntur multo prioribus tenuiores, Melius eft enim ita dicere,& non tenues abfolute, quemadmodum dixit Hippocrates. Quæ enim fecundum naturam funt,non fimpliciter tenues exiftunt,ficuti neque craffæ,fed medium tenent inter utrumque exceffum: & cum mediocritatem habeant,craffiores quidem funt atque dicuntur aquofis, tenuiores uero grumofis. multæ uero cum ratione excernuntur,quia prius fuere retentæ: quo tempore craffæ exiftentes,difficulter exibant.

70 A *Quibus urinæ perturbatæ, quales sunt iumentorum, ijs dolor capitis uel adest, uel aderit.*

A.l.2.f.2.d.3. c.3.p.99.B.& l.3.f.1.t.2.c.8 p.742.C

Hunc non nulli aphorismum cum superiori coniungunt, tanquam eius partem, ita scribentes: Quibus autem urinæ turbatæ, hisce dolores capitis. Et uolunt quidam uerbum, turbatæ, contrarias urinas ostendere ijs, quas antea crassas & grumosas nominauit, hoc est tenues: non nulli uero perturbatas. Falsum autem est, quòd urinæ tenues sint cum dolore capitis. Videntur enim dolores capitis aliquãdo antecedere, aliquando simul esse cum perturbatis urinis. Quales autem hæ sint, manifeste monstrauit, inquiens, Quales sunt iumentorum. tales uero fiunt materia crassa ac densa a calore agitata. Hæ siquidem maxime & ab extrinseca caliditate uidentur in spiritum solui, sicuti bitumen, pix, atque resina. Non nullæ igitur urinæ longo tempore manent perturbatæ, non nullæ uero cito sedimem crassum habent, & cito morbum solutum iri significant. Quæ uero non resident, si uires affuerint, longum fore morbum ostendunt: si imbecillitas adsit, ægri mortem prænunciant. Hæc obiter a nobis sunt dicta, quoniam non carent utilitate. Quæ uero ad ipsum attinentia aphorismum adhuc dicere oportet, sunt ista: Vrinis perturbatis, capitis dolores necessario aut adsunt, aut aderunt, ut inquit Hippocrates, qm̃ spiritus flatuosus una cum calore prompte fertur ad caput. Non tamen, siquis dolet caput, aut doliturus est, huic omnino tales sunt urinæ. Fiunt enim dolores capitis etiam ex calore solo, non nunquã uero ex flaua bile, quæ uel in capite uel in uentriculo continetur, & ex humorum abundantia caput opprimente, & propter aliquam loci obstructionem, uel spiritu flatuoso habente in parte ipsa generationem: quorum nihil talem facit urinam ex necessitate.

A.l.3.f.1.t.2. c.2.p.348.F.

B

71 *Quibus septima indicatur, iis nubeculam habet quarta die urina rubeam, & alia ex ratione.*

Sicuti in pluribus alijs seipsos imperitos artis Hippocratis ostenderunt plurimi eorum, qui hunc eius librum exposuerunt: sic & in isto. Putant enim adiecta fuisse aphorismo cum dicit. Et alia, ex ratione, quæcunque ad somnos attinent, uel uigilias, uel respirationem, uel accubitum, uel surrectionẽ; uel tale aliquid eorum, quæ in Prognostico scripsit: ut si hæc omnia bene facta uideantur, in septimo futuram speremus iudicationem. Videntur autem ignorare maxima capita ad præcognitionem facientia. Vigilant.n.magna ex parte, & grauiter se habẽt, ac febriũt uehemẽtius ęgri quãto propius ad iudicationẽ accedũt. Plures aut eorũ ꝑpe iudicationẽ ẽt spirãt difficulter. Nõ igiẽ signũ, qđ ex urinis apparet, talibus indiget casibus ad firmiorẽ futurę iudicationis spẽ, sed multis alijs, q̃ frequentius, q̃ istud, apparent. de quibus nihil uidentur cognoscere, qui audent Hippocratis libros exponere prius, quàm totã ipsius artem perdiscant. Nam, cum quarta dies sit index, quemadmodum ipse docuit, &, qualis sit futura septima, nunciet: omne, quod in ipsa dignum effatu signum coctionis apparuerit, futuram septima die iudicationem ostendit, adeo ut non solum rubra aliqua nubes apparens, antea non uisa, iudicationem significet, sed & alba multo plus ipsa, adhuc autem magis & sublimamentum album, æquale, atque consistens. Si uero uelociter admodum morbus moueatur: & coloris & substantiæ mutatio sunt sufficientia signa futuræ iudicationis. Tenuis itaque urina si mediocriter crassa efficiatur, & si alba pallida fiat: in tali morbo iudicationem significat. Vnius itaque signi nominatim Hippocrates meminit, nubeculæ uidelicet rubræ. Dignum autem existimat, ut, sicuti hoc, ita & alia ex ratione intelligamus, quæcunqne futuras iudicationes ostendunt. Sunt autem hæc, quæ in diebus ab ipso uocatis indicibus & contemplabilibus, fieri consueuere uel in urinis, uel in excrementis alui inferioris, uel sputis. semper enim omnia talia iudicationes significant, non tamen bonas semper. Solis enim coctionis signis in diebus contemplabilibus apparentibus, bonæ iudicationes futuræ indicantur. Sensus ergo uerborum aphorismi talis est. Meminit autem nubis rubeæ tanquam signi perrari. Albæ enim frequentissime apparent: & sunt signum coctionis manifestum. Rubeæ uero raro fiunt: Et, nisi hoc in loco de ipsis dixisset Hippocrates, quòd in diebus indicantibus appatentes futuram nunciant iudicationem, forte nemo talem ipsis adesse uim expectaret: siquidem Hippocrates colorem rubeum salutarem quidem, diutinum tamen esse uult. Nam in Prognostico ita ad uerbum scribit:

C

D

« Si uero urina fuerit subrubea, & sedimen subrubeum & lene: magis quidem hæc diutina, quàm illa,
« sed admodum salubris. Nunquid igitur quarta die talis nubes apparens, futuram in septima iudicationem significabit, in alia autem aliqua indice non significabit, diligentius est inquirendum, quod in ipsis operibus est obseruandum. Nam, quantum ad rationes attinet, sunt ad utranque partem argumenta, & magis ad alteram, quòd non significabit, nisi morbus ualde uehementer moueatur. Nam, si quarto die fiat, æquale tempus priori, id, quod sequetur, assumens, non est impossibile, ut iudicationem ostendat. In undecimo autem apparens, non mihi admodum uidetur tribus solis egere diebus, sed etiam pluribus. Verissimum siquidem est colorem talem aliquid suffragari solutionibus. Ego quidem raro signum tale in alijs diebus uidi, præterquam in quarto. Cui igitur in septimo apparuit, hic quartodecimo fuit iudicatus: cui autem in quartodecimo, hic in uigesimo. Apparuit etiam cuidã alteri in undecimo, qui decimoseptimo iudicatus est: rursus cuidam alij in eodem undecimo, qui uigesimo die fuit iudicatus.

72 *Quibus urinæ alba & perspicua, mala, præsertim si in phreniticis appareant.*

A.l.1.f.2.d.3. c.2.p.97.B.

Vrinæ tales extremam cruditatẽ significãt, quare & morbos longos * faciunt. quædã uero ex ipsis,

cum anticipauerint uires dissolui, sunt perniciosæ, uelut in phreniticis. Nullum etenim uidi phreniticum,in quo talis urina apparuisset,saluatum. Melius siquidem est,ut,sicuti totus morbus est biliosus,sic & urinæ appareant biliosæ. Aquosæ autem urinæ(tales enim sunt albæ atque perspicuæ) magnā cruditatem ostendunt,& præterea flauam bilem totam ad caput rapi. Quibusdam enim urinæ perspicuæ,non tamen albæ, quæ quidem tenuem habent substātiam,colorem uero biliosum. Quæ uero perspicuæ sunt & albæ simul,sunt penitus aquosæ. Si igitur simpliciter scriptum sit, præcipue in phreniticis,horum uerborum intellectus est manifestus. Sin autem fini sermonis adijciatur,sicuti in alijs exemplaribus uidetur adiectum,uerbum,appareant,sensus erit talis: Aquosæ urinæ malæ sunt:præcipue uero tales apparent in phreniticis,qui perniciose se habent. Neque enim in omnibus, quemadmodū nō nulli huius libri expositores intellexerunt,nihil scientes ex ijs, quæ in ægrotis apparent. In quibusdā autem exemplaribus ita scriptus est finis aphorismi: Præcipue uero in phreniticis tales apparent. & est idem intellectus,qui secundæ scripturæ antea a nobis dictæ. E

*Quibus hypochondria suspensa murmurant,lumborum dolore superueniente,ijs alui humectantur, nisi flatus erūpant, aut urinæ multitudo proueniat.atque hæc in febribus,* 73

Hypochondria suspensa,hoc est ad maiorem tumorem deducta ex multis causis unam habent, spiritum flatuosum, de qua nunc disserit,dupliciter factam: non nunquam ex aliquo affectu difficilem habente solutionem partium ad aluum attinentium: non nunquam ex aliqua recenti occasione. Distinguit autem nunc Hippocrates ista. Nam prior dispositio cum murmure non fit. Extenta enim atque inflata instar utris redduntur in ea hypochondria: Altera cum murmure (quod βορβορυγμὸς græce dicitur)fit. Sic autem nominatur spiritus sonus,cum neque magnus neque multus extiterit, & cum quadā modica humiditate ad inferiora mouetur. Accidit igitur tali murmure descendente,ad lumborum loca,una cum ipso tumorem ex hypochondrijs deportari. unde partibus,quæ hic sunt, ex ipso distentis, prouenit dolor: deinde hoc pacto,humore aliquando ad distributionem concitato, solus spiritus flatuosus emittitur,non nunquam uero una cum humore. Iam uero etiam humor distributus magna ex parte per urinas excernitur. Recte uero inquit in dictis signis aluum dirūpi,nisi anticipet seorsum quidem humor distribui,seorsum uero spiritus in intestinis retentus per sedem excerni. Contingit uero quandoque utrunque ad distributionem cōcitatum,& spiritum & humorem cito ad uesicam permeare. Quod uero in fine aphorismi scribitur. Hæc uero in febribus, tale aliquid mihi uidetur ostendere. A febribus molestari dicebant antiqui illos,qui absque inflammatione, uel abscessu, uel dolore, uel erysipelate,uel(ut simpliciter dixerim)absque aliquo membro præcipue affecto, ægrotabant. Quòd si uel propter lateris inflammationem,uel pulmonis,uel talis partis alterius febricitarent: non febricitantes ipsos nominabant,neque a febribus molestari dicebant: sed pleuriticos aut peripneumonicos, & alijs similibus nominibus, ueluti hepaticos & lienosos appellabant. Nunc itaque mihi uidetur Hippocrates duorum alterum uelle insinuare,uel quòd hæc,quæ dixit,febribus accidunt, in quibus nullū membrum affectum est: uel quòd & illis accidunt morbis,non tamen ipsis aluus dirupta sit, uel flatus aut urinæ prodierint.Neque enim aliquo naturali motu membris spiritum flatuosum expellentibus, murmur in illis contingit fieri,sed ueluti casum tantummodo. F G A.l.4.f.1.t.1. c.1.p.753.B.

*Quibus speratur abscessum futurum ad articulos, liberat ab abscessu urina multa, crassa, & alba facta, qualis in lassitudinarijs febribus quarto die de quibusdam incipit fieri. Si uero etiam ex naribus fluxerit sanguis, breui admodum solutio fit.* 74 A.l.4.f.1.t.1. c.83.p.819.B

Dictum est a me etiam prius,quòd abscessus fiunt ad articulos ijs,qui in his laborem passi sunt, & quibus quouis modo in morbo articuli lassati sunt,& præterea in quibuscunque crassorum humorum multitudo longo tempore perdurauerit. Si itaque natura ualuerit per urinam expurgare corpus,æger ab abscessu liberatur, humorem ad articulos decubiturū,per uesicam euacuandū. Satis autem habuit lassitudinarium febrium ueluti in quodam exemplo meminisse, quæ initium ad urinam motionis in die indice accipiunt. His enim lassitudinarijs hoc inest, quòd cito abscessus faciant, non expectantibus,ut aliæ, tempus prolixius. His uero ipsis & iuxta aurem fieri abscessus consueuere, sicuti alijs prolixioribus multitudo ad inferiora magis decumbit. Quibus igitur caliditas maior magis materiam sublenauit: uel sanguinis profluuium per nares patiuntur,aut parotidas habent. Quòd autem solutio hæc uelocior sit, quàm altera, quæ per urinas sit, non oportet dicere: quare & ipsi adiecit Hippocrates,breui admodum solutio fit, altera, quæ fit per urinas, euacuatione plures exigente dies. Quod autem quarto die dicitur,pro exemplo positum est: te uero oportet transferre ad omnes dies alios,quicunque sunt contemplabiles & iudicatorij. H

*Si sanguinem aut pus mingat: aut renum aut uesicæ exulcerationem significat.* 75

Siue in renibus, siue in uesica ulcus factum fuerit, si quidem in uase aliquo effatu digno constiterit,& præcipue cum aliqua exesione; sanguinis excretio consequitur,sine hoc autem, puris tantummodo. Contingit autem,ut facto ulcere in aliquo urinæ meatuum,& pus,& sanguis mingatur. Hi uero renes ac uesicam interiacent,& oportet hos cum illis subaudire. Exulcerantur autem magna ex parte ijs, A.l.1.f.1.d.3. c.7.p.102.C. & 664. F. & 676.D.

A te ijs, qui in renibus lapidem habent, meatus urinarij, quando a lapide aliquo acuto aut admodum aspero in ipsis intersepto excoriantur. Nam ex ulceribus, quæ in pene fiunt, etiam sine urina & pus & sanguis egreditur. Exit autem simul cum urinis aliquando pus dirupto abscessu in aliquo superiori loco. Quare (arbitror) plures expositores alteram scripturam magis probarunt, in qua coniunctio, &, scribitur, in hunc modum: Si sanguinem & pus minxerit, renum aut uesicæ ulcerationem significat. quasi altero solo, scilicet pure per loca urinæ exeunte, fieri possit, ut sit signum non modo renum uel uesicæ exulceratæ, sed etiam alicuius partium superiorum. Forte igitur & hi aliquid dicūt. Forte autem & uerbum, mingat, quod aliud ostendit, quàm minxerit, in seipso continet distinctionem. Neque enim idem est uel ita dicere, Si sanguinem & pus mingat: uel illo modo, Si sanguinem & pus minxerit: In uno. n. uel duobus uel tribus diebus potuit minxisse pus dirupto abscessu ad urinæ instrumenta: Multis autē diebus ac mensibus ubi hoc factum fuerit, renum aut uesicæ exulceratio significatur. Vtrum autē ipsorum magis sit, & dolor distinguit, qui in differētibus accidit locis: & ea, quæ cum urinis excernuntur. de quibus deinceps loquetur. Iam uero & de urinarijs meatibus eadem est ratio.

76 *Quibus in urina crassa existente, caruncula parua, aut ueluti capilli una exeunt, iis a renibus excernitur.*

A. l. 1. f. 1. d. 3. c. 7. p. 102. C.

B Paruæ quidem carunculæ renum substantiæ indicia sunt, qui uero uti capilli, nullo modo renū. Neque enim fieri potest, ut ad talem substantiæ formam ren dissoluatur. nam, qui hoc aiunt, renum ignorant naturam. At neque, cum uesica resoluitur & eroditur, ut quibusdam uisum est, tales urinæ exeunt. Sūt enim huius particulæ, foliorum similes magis, sicuti & Hippocrates paulopost eas squamas appellat. Sed rei ueritas ita se habet: quod nobis forte quadam sæpius uidere contigit. Sed alij quidam medici, in operibus artis multum exercitati† raro se aiunt uidisse urinas tales. Vocant autem recentiores medici hanc passionem τριχίασιν. i. capillitium, quoniam capillis, & albis quidem magis similia uideantur, quæ ab urina efferuntur. Nuper quidam talia corpora tam longa mingebat, ut incredibilis longitudo uideretur. nam quidam ex ipsis ad dimidium cubitum extendebantur. Hic autem toto fere anno, qui antecesserat, * orobum, & fabam comedebat, sæpissimeque caseum & tenerum & siccum. omnesque alij, quibus talia mingere contigit, cibis crassioribus uescebantur. Tali igitur humore in renibus aliquo modo usto, capillis similes substantiæ generantur. Saneque modus ipse curandi, rationi, quæ de causa habetur, attestatur. Nam ab extenuantibus atque incidentibus medicinis, adhibito etiam alio uictu humectante, tales ægri curantur. Si uero tanta esset exulceratio renum aut uesicæ, ut eorum substantia dissolueretur: non modo nihil ex talibus medicinis iuuarentur, sed etiam supra modū irritarentur. In his itaque, sicuti & in alijs, Hippocrates dignus est admiratione, cum ipse eorum inuentor extiterit, quæ ne a pluribus quidem medicis ad hunc usque diem ex signis fuere comperta.

† G. l. habent πολλάκις. i. sæpe.

* ἐρεγμὸν. i. fabam fresam.

C Ipsa quoque sermonis diligentia magnam habet admirationem, cum dicat talia ex renibus excerni. Neque enim, sicuti in priore aphorismo renum causatur exulcerationem, ita & nunc dixit: uerum simpliciter ex renibus inquit excerni, quemadmodum si aliquo mingente lapidem, ex renibus ipsum excerni dicamus, non quòd sit pars substantiæ eorum, sed quoniam in ipsis suam habuit consistentiam. Paruæ igitur carunculæ substantiæ renum ulceratorum re uera partes existunt. Qui uero ueluti capilli sunt: in renibus quidem consistentiam accipiunt, ueluti & lapides: non sunt autem partes eorum substantiæ. Male ergo in omnibus exemplaribus hic aphorismus sine particula, aut, legitur, Carūculæ paruæ ueluti capilli. Nullo enim modo carunculæ paruæ assimulantur capillis. Verum oportet inter uerbum, paruæ, & dictionem, ueluti, mediam interponere coniunctionem, aut: tanquam Hippocrates non de una re, sed de duabus faciat suo sermone mentionem, quarum una est, Carunculæ paruæ: altera uero, Veluti capilli. In ijs igitur, quæ sunt ueluti capilli, semper urina est crassa: cum pituitosa substantia, quam uenæ aggregarunt, per renes expurgetur: In carunculis autem non est necessarium.

D Nunquam tamen talem uidi renum dispositionem: sed, quæ sunt ueluti carunculæ, sæpius a me uisæ sunt, in illis febribus, in quibus, & quæ sunt similia eruo, sedimina conspiciuntur, sanguine crasso in renibus aut in hepate exusto: non tamen ueras carunculas unquam uidi cum urina exeuntes. Puto igitur posse contingere, quòd crassa urina ab ipso dicatur, quæ mediocris est & secundum naturam. Hæc enim tenui quodam modo opponitur. Neque nos latet, quòd proprie quidem secundum excessus oppositiones ita nominantur: per abusionem autem, & medio & mediocri, extremorum nomina tribuuntur: cum & ad maxime crassum, tenue: & ad maxime tenue, crassum nominetur. Quod si ita accipiamus, sermo talis erit: Quibus in urina, quæ tenuis non est, ea, quæ diximus, exeunt: renum est passio si uero urina sit tenuis, totum uenosum patitur genus. Eundem intellectum mihi uidetur etiam in sequenti ostendere aphorismo.

77 *Quibus in urina crassa furfurea quædam simul exeunt, iis uesica scabie laborat.*

A. l. 1. f. 1. d. 3. c. 3. p. 98. C. & l. 3. f. 19. t. 1. c. 17. p. 676. F.

Quando urina tenuis fuerit: haud secundum naturam uenæ se habent. Cum uero non tenuis extiterit, sed mediocrem habuerit substātiam (in quo significato crassa accipere oportet hoc loco) ea, quæ simul cum tali urina excernuntur, circa renes aut uesicam passionem ostendunt. Cum enim ex uenis urina ueniat, in renibus coletur, in uesica aggregetur, quicquid in ea præter naturā apparuerit, aut uenas, aut

aut renes, aut uesicam male se habere indicabit, sicuti & nunc furfurea uesicam scabie laborare, quando uenæ nullum affectum habent. Feruntur enim & ex ipsis aliquando furfurea, cum earum tunica patitur, quemadmodum & uesicæ: uel eum sanguis, qui in ipsis continetur, a febre ardente peruritur. Aptior autem ad hoc est, quicunque humor in eis crassior existit, & magis qui ueluti fæx, sanguinis est, quem solemus humorem melancholicum nominare. Sicuti enim cutis superficies (quam ἐπιδερμίδα idest cuticulam nominant) in scabie, lepra, atque impetigine tenue quiddam remittit, quale est, quod serpentum senectus nominamus: sic, ubi in partibus interioribus ea, quæ est ueluti cutis, tale aliquid patitur: & casus erit passioni similis. Hac ratione igitur & uenæ ipsæ atque uesica scabie laborantes, furfureos cortices una cum urinis emittent. Distinctio autem fiet ex tenuitate ac crassitudine urinæ, ut antea diximus. Tenuis enim urina uenas: non tenuis autem uesicam pati indicabit. E A.l.1.f.2.d.3. c.6.p.101. C.

*Quicunque sponte sanguinem mingunt, iis a renibus venulam ruptam significatur.* 78

Quod dicitur, sponte, potest idem, quod sine causa exteriori, significare: potest & quod ueluti repente, nullo casu præcedente, quales apparent uesica ulcerata. In ipsa enim uenam rumpi ex influctis sanguinis abundantia, quemadmodum in renibus accidere solet, est impossibile. Neque enim per eius uenas sanguis percolatur, sed solum tantum, quantum ipsi sufficiens est pro alimento, contribuitur. Præterea neque uenæ, quæ in uesica, nudæ aut instabiles natura sunt, sicuti, quæ renum uentres subintrant, quarum ora aperiuntur, & quæ aliquando dirumpuntur, propter humorum multitudinem ac crassitudinem, qui in ipsis continentur. Diruptio itaque puri sanguinis facit euacuationem. Ora autem aperta non uniuersim sanguinem effundunt, præsertim cum parua est apertio, sed paulatim atque tenuiorem percolant: unde totam urinam subsanguineam efficiunt. Fit autem, ut dixi, & uenis uesicæ exesione laborantibus, sanguinis euacuatio, quam antecedunt ulceris signa in uesica existentis, hoc est & loci dolor, & pus, & sæpe ipsius corporis uesicæ quædam ueluti frustula. Hac ratione igitur melius est uerbum sponte, pro repente, accipere, & non pro sine causa manifesta. siquidem sanguis ex renibus sæpius & sine causa excernitur manifesta, uase ex multitudine rupto, sed aliquando ob saltum uehementiorem, uel ex alto casum, uel ictum. A.l.1.f.2.d.3. c.7.p.102. F. F A.l.3.f.19.t.2. c.21.p.686.E

*Quibus in vrinis arenosa subsistunt, iis vesica laborat calculo.* 79

Non omnino uesica laborat, sed contingit & renes: quare manifeste errat aphorismus, siue quia Hippocrates ipse dimidiam partem sermonis neglexerit, siue quia primus librarius omiserit. Siue enim in renibus, siue in uesica calculi generantur, una cum urinis exeunt arenosa. A.l.1.f.2.d.3. c.7.p.102.D. & 686.E. G

*Si sanguinem mingant, aut grumos, vel stillicidium vrinæ habeant, & dolor in imum incidat ventrem, & pectinem, & femen: circa vesicam labor est.* 80

Duobus modis finis scribitur aphorismi: in quibusdam exemplaribus, labor est: in quibusdā, morbus est. & fere in hoc nihil inuicem scripturæ differunt. Communiter autem ambæ errant, si quis intelligat circa uesicam ab Hippocrate dici, quasi ipsam uesicam laborare dixisset. Nam ij, quos memorat casus, communes sunt omnibus, quæ urinæ seruiunt, instrumentis, uesicæ, renibus, urinarijs meatibus. Melius est itaque hoc modo, quæ circa uesicam, accipere, non tanquam sola uesica significetur, sed & partes, quæ illi annectuntur. Adhuc autem magis, ut ita accipiamus, hortabitur sequens aphorismus, in quo non, quæ circa uesicam, ægrotare dicit, sed ipsius uesicæ esse exulcerationem: cum nō idem sit, pati aliquid ipsam uesicam simpliciter solam, enunciare, uel quæ circa uesicam.

*Si sanguinem aut pus minxerit, aut squamulas, & grauis odor adsit: vesicæ exulcerationem significat.* 81

Sanguis quidem & pus mingendo prodeuntia, omnium instrumentorum ulceratorum, quæ urinæ obseruiunt, signa sunt communia, odor autem grauis, hoc est molestus, & adhuc magis squamulæ, sunt propria uesicæ. In pluribus igitur exemplaribus, Si sanguinem & pus minxerit, scriptum inuenitur: In quibusdam uero, Si sanguinem uel pus minxerit. Ostendet autem hæc scriptura secundā coniunctionem, aut, esse disiunctiuam, quasi utrumlibet horum, quæ dicta sunt, ubi adsit, significet ulcerationem: altera uero uult ambo assidere, uel simul inuicem, uel alternatim. A.l.3.f.9.t.2 c.15.p.676. D. H

*Quibus in vrinaria fistula tubercula nascuntur: iis suppuratione facta & eruptione, solutio.* 82

Ob sermonis breuitatem nihil effatu dignum hoc haberi aphorismo suspicabitur quispiam. Promptum enim est unicuique intelligere, in meatu urinario, qui in pene est, (hunc enim meatum, fistulam urinariam græce οὐρήθραν nominant,) si consistant tubercula, & mox rumpantur, fieri solutionem. Verum, si diligentius animaduertimus, maius aliquid ex eo ostenditur. Contingit enim urinam aliquando retineri ob tale tuberculum: ex cuius diruptione sanitas retentionis urinæ proculdubio sequetur. Verum ex dictis quædam dubitatio suboritur, utrum solum uelit hæc, quæ in hoc loco sunt nata tubercula, rumpi: uel sæpius quidem hoc accidere, fieri tamen posse, ut etiam dissoluātur: uel exēplum solutionum unum hoc aliquod scripsit, diruptionem: quod & uerius existit.

Mictio

83 A *Mictio noctu plurima facta, paruam ſignificat deiectionem.*

A.l.1.f.2.d.3. c.13.p.104.D & l.3.f.16.t.2 c.19.p.685.E

Quòd quidem neceſſarium ſit uentris humore diſtributo, minorem fieri alui deiectionem, unicuiq; manifeſtum. ſed cum hoc & illud apparet, quòd eo una cum cibis exeunte, aluus quidem humidior fit, atque ideo plura deijciet, urina uero paucior excernetur. Docebit autem nos hæc ipſa ratio & alui fluentis, & ſiccæ remedia. In quibus enim ſupra modum humida aluus deprehenditur, ijs potum minorem exhibebimus, ac præterea illi uiam ad ueſicam parabimus. In quibus uero ſiccior, & plus dabimus potus, & diſtributionem, quantum fieri poterit, prohibebimus.

# GAL. IN APHORISMOS HIPPOCRATIS COMMENTARIUS QVINTVS.

1 B *Conuulſio ex elleboro, letalis eſt.*

A.l.3.f.2.c.5. p.397.E. De cauſis cõuulſionis. A.l.1.f.2.d.2.c.13 p.76.& Gal. l.4.de rat.uic. p.69.

Iis, qui elleborum acceperunt, album ſcilicet, (hunc enim ſimpliciter elleborum nominare conſueuerunt, nõ, ſicuti nigrum, cum adiectione) ijs, inquã, ſi ex purgatione conuulſio aduenerit, caſum ait eſſe letalem. Fit enim non ab initio purgationis, quando periculum eſt, ne homo ſtranguletur: ſed quando uomentes uehementius lacerantur, propter ipſam quidem maxime, quæ fit in uomitibus contentionem laborantibus neruis, ob illam, quam habent cum ore uentriculi, in patiendo ſocietatem: ob quod & alias uidimus, ubi fortius mordetur, fieri conuulſiones, ſicuti adoleſcenti, qui æruginem euomuerat. Præſtat enim æruginem, non æruginoſum uomitum, illum nominare. Erat enim talis, qualis, quæ uera ærugo nominatur, floridiſſimus: uerum inter uomendum, totum corpus conuulſum eſt: & ærugine euacuata, febris ſtatim & conuulſio ceſſauit. Tale autem erat, quod euomuerat, ſicuti ſiquis optimam æruginem aqua perfunderet, adeo ut ex eorum unione talis ſubſtantia exultaret, quæ defruti craſſitudinem repræſentaret. Non impoſſibile eſt igitur (ut dixi) & per compatiendi ad os uentriculi ſocietatem fieri conuulſionem ex elleboro albo: & hæc foret conuulſio moderatiſſima. Contingit autem & propter ipſam euacuationem ſupra modum ipſis purgatis con-
C uulſionem aduenire: ſicuti & choleram patientibus, contractiones frequenter adueniunt, maximeque eorum, qui ſunt in ſuris, muſculorum. Sed neque illud eſt impoſſibile, propter pharmaci efficaciam ex neruis humiditates ad ſe attrahentis, atque ideo tunc eos male afficientis fieri conuulſionem. Sed & ellebori aliquando ui ad ſui diſtributionem impulſa uehementius, contingit neruorum ſubſtantiam uiolentius exiccari. Ipſe enim nos docuit Hippocrates, quòd fit cõuulſio *ex repletione & inanitione*, corporum uidelicet neruoſorum, a quibus *uoluntarij* motus perficiuntur. Sunt autem hæc, nerui, ligamenta, muſculi, & tendones. Sicut enim in rebus exterioribus uidemus lora & chordas extendi, ubi uehementius exiccentur, aut multa madeant humiditate: ſic & in corporibus animalium par eſt fieri non raro conuulſionem. Liquet igitur, quòd ex repletione conuulſio, ſanabilis eſt per euacuationẽ. Ea uero, quæ fit ex inanitione, & neruorum ſiccitate, non facile admittit curationem. Fit autem (ut dixi) & propter compatiendi ſocietatem conuulſio: quam nõ debemus exiſtimare fuiſſe ab Hippocrate prætermiſſam. Eam enim, quæ primum fit, conuulſionem oſtendit, cum ait conuulſionem ex repletione atque inanitione generari. Et quidem nouimus etiam morſus ratione fieri in ore uentriculi ſingultum, adeo ut quiſpiam & neruos itidem pati exiſtimauerit. Et uidebitur iſta conuulſio ijs, qui ab elleboro purgati ſunt, non dicta ab Hippocrate, aliquando fieri: niſi per Iouem illam dixerit quiſpiam fieri ex inanitio-
D ne, cum humores mordaces uim habent exiccandi. Hi itaque modi ſunt eorum, qui ex elleboro conuelluntur. Sanatur autem ex ipſis & qui propter morſum, & qui propter contentionem ex uomitibus fit. qui autem ex ſiccitate accidit, inſanabilis eſt. Non abſque ratione igitur totum hoc genus Hippocrates ait eſſe letale, quoniam non nullæ eius ſpecies cum difficultate ſanantur. Vna autem inſanabilis eſt.

2 *Conuulſio ex uulnere, letalis eſt,*

A.l.3.f.2.c.5. p.397.B

Sicuti in eo, qui hunc antecedit, aphoriſmo mortalem dixit eſſe conuulſionem, (quod idem eſt, ac ſi diceret periculoſam, atque ad mortem ſæpius terminantem) ſic & nunc eam, quæ fit ex uulnere, conuulſionem letalem dixit eſſe, non tanquam ex neceſſitate ac ſemper mortem afferentem, ſed tanquam admodum crebro. Sic & in multis ex prioribus aphoriſmis, letalis nomine uiſus eſt uti. Ex uulneribus igitur fiunt conuulſiones ratione ſequentis ipſa inflãmationis, ubi partes neruoſas attigerit. Et primũ quidem uidentur conuelli, quæ e directo ſunt partium inflammatione laborantium: deinde poſtquam & principium attigerit, paſſio ad totum extenditur corpus.

3 *Vbi ſanguis multus fluxerit: ſingultus aut conuulſio ſuperueniens, malum.*

A.l.4.f.4.t.1 c.16.p.873.A

Non aliud quidem oſtendi eſt exiſtimandum ex priore nomine letale, aliud autem nunc, cum malum

lum dicit. Consueuit siquidem Hippocrates casus illos ita nominare, quos letum sæpe subsequitur. E Sicui uero per magis & minus differre hæc nomina uideantur: maius periculũ per uocem letale, quàm per malum, ostendetur. Quæ igitur fit ex multa sanguinis profusione conuulsio, ex altero genere causarum ipsam efficientium consistit, ut antea dictum est. A.l.1.f.4.t.10 p.148.D.& 396.D.

*Ex superflua purgatione conuulsio, aut singultus superueniens, malum.* 4 A.l.3.f.2.c.5. p.396.F

Quod aliquando ijs, qui elleborum sumpserunt, diximus fieri: hoc nunc ostendit in omnibus, qui quouis modo purgantur. Conuelluntur enim, qui ultra modum purgantur, easdem ob causas, quas diximus in ijs, qui elleborum assumpserunt: & ijs, qui hac ratione laborant, non paruum periculum imminet. siquidem multo peior est ea, quæ fit ex inanitione conuulsio, altera, quæ fit ex repletione. Quòd autem & singultus conuulsio sit stomachi secundum Hippocratem, nos utique nouimus.

*Si ebrius quispiam repente obmutuerit: conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut, ubi ad horam peruenerit, qua soluuntur crapulæ, uocem recuperet.* 5 A.l.3.f.2.c.5. p.396.F.

Repletis neruis talis conuulsio superuenit. Solet autem facillime eos replere uinum, ut quod calidã habeat temperaturam. talis siquidem natura prompte omnia subintrat, præsertim cum non admodum F crassam substantiam habuerit. Substantiæ igitur copia uinum neruis affert conuulsionem. Rursus autẽ qualitate sanat eam, quam fecit dispositionem, neruos calefaciendo atque exiccãdo. &, si hoc aliquando facere nequeat, mortem subsequi est necessariũ. Qua aũt ui diximus uinũ sanare conuulsiones, eadẽ uidelicet & febris sanat. Hic uero maxime obseruanda est Hippocratis consuetudo, qui ἀφώνους .i. mutos nominat illos, qui quouis modo caro laborant. Verum proprie caros nominatur totius corporis insensibilitas atque immobilitas repentina. Hanc itaque dispositionem consueuit Hippocrates ex uno casuum nominare: & fit proculdubio neruorum principio patiente. Neq; enim aliter potest omnino conuelli corpus, antequam id principium patiatur, uel principaliter, uel per compassionem, altero prius patiente membro. Liquet autem noxam ex uino factam, a Græcis omnibus κραιπάλην .i. crapulam nominari. Sicque non nulli uocabulo fecere etymologiam a κάρηνον πάλλεσθαι .i. caput concuti. Horam autem, qua crapulæ soluuntur, tempus nominauit. Est autem hoc tempus non præcisum neque circunscriptũ omnibus una mensura. Quidam enim postridie a crapula sunt liberati, quidã uero sequenti nocte, quidam uero tertio die prorsus: & fit hoc pro multitudine ac ui epoti uini, & eius, qui potauit, natura. Sicuti igitur neque cibus unum habet in omnibus tempus coctionis præfinitum, sic neque uinum. Aut igitur oportet nos ægri naturam habere experientia compertam, aut postremum terminum obseruare: in G quo si neque febricitare, neque loqui anticipauerit, conuulsus morietur.

*Quicunque a distentione corripiuntur, in quatuor diebus pereunt: si uero hos effugerint, sani fiunt.* 6

Distentio morbus peracutus est, ut quæ cõposita sit ex illa, quam Græci emprosthotonon, id est ad anteriora distentionem: & opisthotonon, id est ad posteriora distentionem nominant: Atque ita merito citius in ipsa fit iudicatio, non tolerante natura longiori tempore, quem fert distentio, laborem. In primo igitur circuitu dierum iudicatoriorum passio iudicatur. A.l.3.f.2.c.8. p.400.D.

*Quibuscunque morbi comitiales fiunt, ante pubertatem mutationem accipiunt: quibuscunque autem uigesimoquinto, fere ad mortem usque comitantur.* 7

Proprie quidem passionis mutationes nominant, quando ex una parte transeunt ad aliam: per abusionem autem & omnes solutiones ita nominantur. & mihi uidetur Hippocrates secundi significatus usus esse appellatione. Non modo enim ad alias partes translatis ijs, qui morbum comitialem faciunt, humoribus, soluitur passio, sed etiam omnino euratis. Sunt enim hi crassi, frigidi, & pituitosi. Cessant aũt & ob ætatẽ ad sicciorem naturã transmutatã, & ob exercitationem, & uictũ exiccantẽ, adiun- H ctis ad hæc idoneis medicinis. Verũ Hippocrates nũc solũ eius meminit mutationis, quæ ex ætate fit: a qua docti, & formam uictus una cum medicinis inueniemus. Quod igitur in altera parte aphorismorum dicit, Qui morbo comitiali laborant, si iuuenes fuerint, mutationibus maxime ætatis, & regionũ, & uictus liberantur: hoc nunc in ipsis passionibus declarauit, morbos comitiales, qui ante pubertatem fiunt, cessare dicens ex ætatis cõmutatione: qui uero ultra uigesimumquintum annum processere, commori inquiens. Vnde liquet, quòd pubertatis tempus usq; ad uigesimũquintum annum extendi arbitratur, sumens initium post secundam septimanam. Liquet aũt, quòd neque omnibus sanabitur passio ex pubere ætate, nisi & alia recte gesserint: neque, quibus in hac accidit, omnino permanet, si bonam uictus rationem adhibeant. Verum, quòd non habeant ex ætate sanationem, sed quantum ad eam attinet, passio consenescat, liquido ostendit. Non tamen adhuc manifeste dictum est, quamuis uideatur manifestum ijs, qui negligentius accipiunt uerba illa, Quibus uero uigesimoquinto anno, commoriuntur. Neque enim ijs solis passio commoritur, quibus uigesimumquintum annum agentibus aduenit: sed multo magis etiam ijs, qui ultra hanc ætatem progressi sunt, Addentes igitur sermoni Hippocratis illud quod deest, uerum ex omni parte ipsum faciemus: Morbi comitiales, qui quidem ante pubertatem fiunt, in eius ætatis tempore soluuntur: qui ultra pubertatẽ procedũt, cõmoriuntur. Tempus autem pubertatis est post quartumdecimum annum usque ad uigesimumquintum. Est autem & alia

scriptura

A ſcriptura talis: Quibuſcunque uigintiquinque annorum fiunt, multum commoriuntur. ſignificante uerbo, multum, idem, quod magna ex parte.

8 *Quicunque morbo laterali laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, ii ad ſupurationem vertuntur.*

A.l.3.f.10.t.4 c.1.p.494.E

Eam, quæ fit per ſputa, euacuationem humorum facientium morbum lateralem, ſolet Hippocrates purgationem ac repurgationem nominare: ſicuti & iſtos expuere, purgari, tam in libro de uictu acutorum, quàm in Prognoſtico, nominauit. Verùm nunc & tempus præfinit purgationis, in quo ſi non fiat, ad ſuppuratione ait morbum uerti lateralem: aut omnem, quæ fit ad pus, transmutationem ita nominans, (ſicut in Prognoſtico ſæpius) aut eam, quæ fit inter thoracem & pulmonem, puris effuſionem. fit enim utrunque horum, quando morbo laterali laborantes per ſputa non expurgantur. Verum ſecundum, quod diximus, ipſe in ſequentibus eruptionem ſuppurationis nominauit.

9 *Tabes fiunt maxime ætatibus a decimooctauo vſque ad trigeſimumquintum.*

A.l.3.f.10.t.4 c.20.p.501.B

In ſuperioribus aphoriſmis, quando morbos ſecundum ætates enarrabat, Iuuenibus, dicebat, ſanguinis ſputa, tabes. Nunc uero etiam numerum appoſuit annorum, non propterea eadem rurſus ſcribens, quæ antea, ſed propter paſſionum thoracis atque pulmonis communionem. Propter quid igitur iuuenes his morbis præcipue corripiantur, antea diximus: de annis autem ætatum nunc determinandum, quoniam & Hippocrates dixit tabem maxime fieri ætatibus a decimooctauo uſque ad trigeſimumquintum. Quod enim ætatibus numero plurali dicitur, quandam habet ſignificationem, quòd non eàdem Hippocrates ætatem exiſtimat eſſe mediam inter annos enumeratos. Neque ſane una eſt, ſi diligentius conſideremus: uerum ea, quæ eſt a decimooctauo uſque ad uigeſimumquintum annum, adoleſcentium eſt: quæ autem ab hinc uſque ad trigeſimumquintum, iuuenum.

10 *Quicunque ab angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur, & in ſeptem diebus pereunt. ſi vero has effugerint, ſuppurantur.*

De tranſmutatione nunc ipſi eſt ſermo, quæ fit ex angina ad pulmonem: quam ait plerunque ante ſeptimum diem occidere, ægro uidelicet ſtrangulato: ſi uero id tempus poſſit euadere, fluxione in pus conuerſa, ſuppurati. †

† Antiqua tralatio hæc addit. Cognoſcitur autē ad pulmonē migraſſe rōne pulſus. Nam durus & inordinatus & inæqualis ad principale mēbrū trāslatā ſignificat materiā: mollis aūt & æqualis & ordinatus cum bona reſpiratione & æquali certā dimiſſionem ſignificat.

11 *Qui tabe moleſtantur, ſi ſputum, quod extuſſiunt, graue olet iniectum carbonibus, & capilli a capite defluunt, letale.*

C Eas, quæ ſunt in pulmone, ulceroſas diſpoſitiones, nunc tabes nominat, in quibus iubet odorem diligentius perpendi, id, quod expuitur, carbonibus iniiciendo. Sicut autem prius in ulceribus ueſicæ, odorem dixit grauem ſentiri, ita & nunc tabidorum ſputum grauiter olere. Si uero & ex capite capilli defluant ita affectis, letalem eſſe notam: quoniam & maximus alimenti defectus oſtenditur, atque aliquando humorum corruptio.

12 *Quibuſcunque tabe laborantibus, capilli a capite defluunt: iis alui profluuio ſuperueniente, moriuntur.*

A.l.3.f.10.t.4 c.17.p.500.E
A.l.3.f.10.t.4 c.22.p.501.F

De iis, qui, ex tabe iam morti uicini ſunt, nunc ſermo habetur: quos etiam male ſe habere oſtenderat in defluuio capillorum. Alui autem profluuio ſuperueniente, mortem appropinquare opinandum: cum hic caſus, & mala cauſa, & malum ſignum exiſtat. Fit enim ex uirium imbecillitate, quæ præterea ex ipſo caſu fiunt imbecilliores

13 *Quicunque ſpumoſum ſanguinem expuunt, iis, e pulmone eductio fit.*

Et pleraque exemplaria, & quàm plurimi huius libri expoſitores norunt aphoriſmum in hæc uerba D ſcriptum: Quicunque ſanguinem ſpumoſum euomunt, iis e pulmone eductio fit. Et quidam ipſum exponentes, aiunt uerbum id multitudinem ſignificare, ac propterea a proprio eſſe tranſlatum: aperte mentientes contra id, quod apparet. Sæpe enim uiſus eſt ſanguis ſpumoſus abſque multitudine expui. Si igitur ita Hippocrates re uera ſcripſit, ipſum abuſum fuiſſe uocabulo dicemus. Neque enim ſanguis multus, ex pulmone eductionem ſignificar: paucus uero, ex alio loco. Si uero, expuunt, aut extuſſiunt, ſcriptum ſit: tunc proprio uſum fuiſſe uocabulo, & oſtendere ſanguinem talem carnoſam pulmonis ſubſtantiam † (quæ eſt ipſius uera ſubſtantia) affectam ulceribus eſſe. adeo ut uere quidem dicatur ſolius pulmonis ulcera ex ſpumoſo ſanguine indicari: non uere autem, ulcerato pulmone, ex neceſſitate ſpumoſum expui. Sæpius enim uidimus quibuſdam ex alto cadentibus, & calcitratis, atque in palæſtra percuſſis, ab illa maxime ictus parte, in quam cupiam ad ſolum ruenti, alter ſuper thoracem inciderit, ſanguinem plurimum optime coloratum expui cum tuſſi ſine ullo dolore: quem ratio dictat ex aliquo pulmonis uaſe dirupto prodire.

† (quod ipſius eſt proprium corpus) ſic Gal. lib.

14 *A tabe habito profluuium alui ſuperueniens, letale.*

Paulo antea dixerat, tabidis, cum ſputum graue olet, & capilli a capite defluunt, alui profluuio ſuperueniente, mortem ſubſequi. Hic uero ſimpliciter dixit eſſe letale ſuperueniens alui profluuium in tabe,

tabe,nulla facta,neque de sputo,neque de capillis mentione,tanquam illud solum sufficiat mortem significare, non tamen ita e proximo, neque tam cito secuturam, sicuti cum defluuium capillorum adiungitur. E

*Quicunque ex morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus purgantur a die, qua fit ruptio, liberantur. Si uero non, ad tabem transeunt.* 15

Addens suo sermoni, ruptionis, uocabulum, manifestum fecit se de illis loqui, in quibus lateris inflammatione in suppurationem conuersa, deinde dirupta, in spatio thoracis atque pulmonis intermedio pus continetur. His enim omnibus, nisi ut plurimum in quadraginta diebus puris euacuatio fiat per sputiones purgati: necessarium est pulmonem exedi, pure processu temporis putrescente. Morbo igitur laterali diem quartumdecimum, terminum posuit purgationis, suppuratis autem quadragesimum. Dictum autem est plenius de differentia & aliorum dierum iudicatoriorum, & horum in eo tractatu, qui inscribitur de diebus iudicatorijs. Quare, si quis uniuersam illam legerit contemplationem: ea, quæ ab Hippocrate diebus iudicatorijs dicuntur, promptius assequetur.

A.l.3.f.10.c.4 c.1.p.494.E & 497.B.

*Calidum, ubi quis sæpius eo utatur, hæc mala affert, carnium effœminationem, neruorum incontinentiam, mentis torporem, profluuia sanguinis, animi defectiones: hæc, ad quæ mors.* F 16

De calidi & frigidi usu immodico & dictum est non parum & in libro de usu humidorum: & hoc in loco aphorismorum omnia fere capita exposuit, & primum hoc ipsum, quòd calidum, si quis eo ultra modum utatur, has facit passiones, carnium effœminationem, hoc est debilitatem: dictum est enim nomen per translationem, quoniam fœmina debilior est masculo: cui astipulatur hoc, quod subiungitur, Neruorum incontinentiam. Nam & hi fiunt imbecilles, cum eorum substantia a calore dissoluatur. Et rursus mentis torpor, mentis est imbecillitas: cum ita scilicet substantia cerebri, sicuti etiam neruorum, dissoluatur. Eodem modo & calidi usus immodicus facit sanguinis profusiones, in illis utique corporis dispositionibus, quæ ad sanguinis profusionem aptæ sunt. Sequuntur autem ad sanguinis profusiones, defectus animi, & ad hos mors, sicuti & alia prius dicta: sed ad illa quidem tempore pluri, ad hæc quidem magis, ad hæc uero minus: ad sanguinis uero profusiones, & animi defectus, statim. Scriptus est autem finis aphorismi uario modo in exemplaribus: scripturæ uero omnes dictam sententiam ostendunt. Est autem una hæc, His mors: altera uero hæc, In quibus mors: tertia hæc, Quibus mors: alia, Hæc ad mortem.

A.l.3.f.1.c.3. c.7.p.371.C

G

*Frigidum autem conuulsiones, distentiones, liuores, rigores febriles.* 17

Immodicum scilicet frigidum hæc facit, conuulsiones, distentiones, & neruorum refrigerationem. Sicuti enim non oportet ipsorum substantiam ab immodico calore dissolui, sic neque ultra modum conuenientem refrigerari, & in unum cogi ac cohiberi. Ac sane quidem liuores ex refrigeratione fiunt, & rigores febres aduocantes. Melius autem fuisset ita dicere: Rigores facientes & conuulsiones, & distentiones, & liuores, & febres. Plenius autem de his seorsum diximus in libro de casuum causis.

*Frigidum, inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ: calidum uero amicum.* 18

Quæcunque partes sunt natura frigidiores, (sunt autem in animalibus tales, quæcunque sunt penitus exangues) citius ac magis ab immodico frigidi usu offenduntur: ijsdem autem rationabiliter calidum conuenientius est.

*Quæcunque refrigerata sunt, excalfacere oportet, exceptis iis, quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.* 19

Hoc, quod nunc dictum est, haudquaquã euertit illud theorema. Contrariorũ contraria esse remedia: de quo plenius diximus in eo tractatu, qui de arte curatiua inscribitur: in quo ostendimus aliud esse theorema maxime necessarium, illa prius curari præcipiens, quæ magis urgent, hoc est, quæ maius periculum afferunt, sicuti & nunc profluuium sanguinis. Ad hoc igitur prius obsistendum est: atque ita deinde, quod passum est, ad bonam temperiem est reuocandum. H

A.l.1.f.3.c. 12.p.122.F.

*Vlceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem insuppurabilem facit, nigrores inducit, rigores febriles, conuulsiones, distentiones.* 20

Si proprio utamur uocabulo, calidum mordax est: sensus autem similitudine, & frigida aqua uocatur mordax: non cum in cutem simpliciter incidit, sed ulceratam. Nam, quod mordax futurum sit, eius, quod morderi debeat, substantiam oportet peruadere: quod in cute secundum naturam se habente, frigida aqua non potest efficere, quoniam densior est, quàm pro eius substantia, cutis. In ulceratis autem ut quæ rariora sint, peruadere potest eorum substantiam, in profunda subintrans. Dictum autem est plenius de natura mordacium, in libris de potentia simpliciũ medicamentorum. Vlceratis igitur frigidum est mordax: non ulceratis autem non solum mordax non est, sed & cutem facit duriorem, eius densando substantiam. Et quidem dolorem efficit insuppurabilem, natiuum refrigerando calorem, qui ul-

cera

A cera ad suppurationem perducit,& ea difflari prohibet,quæ dolorem efficiunt. Quæ autem sequuntur, prius etiam dicta sunt ab ipso,& nigrores ,& rigores febriles, & conuulsiones, & distentiones.

21 *Est autem,ubi in distentione sine ulceratione,iuueni bene carnoso,æstate media, frigidæ aquæ multæ perfusio calorem reuocat. Calor autem hæc soluit.*

A.l.3.f.1.c.5. c.10.p.385.B

Rara quædam commoda frigidi,& calidi post ea, quæ ante dixit, Hippocrates deinceps prosequitur: & primum quidem de frigido inquit,ut in distentione.(Liquet autem quòd & in omni alia cõuulsione)in medio æstatis tempore,cum bene carnosus fuerit æger ac iuuenis,frigidæ aquæ perfusio calorem reuocans,passionem sanet. Vnde & manifestum fit, quòd non sua ui frigida aqua morbum tunc sanat:sed ex accidenti,quoniam iuuenibus bene carnosis reuocationem caloris facit. In alia enim ætate nil proderit,quoniam neque reuocationem efficit:quando neque in hac,ullo anni tempore,præterquã æstate media. Nam aquæ frigidæ occursus aut uincit natiuum calorem,aut colligit. uincit quidem cum debilis fuerit: colligit autem cum fortis,ipsum continens ac difflari prohibens. Excipit autem eas,quę sunt cum ulcere, conuulsiones,ut quæ nunquam ab aqua frigida sanari queant, neque si æger iuuenis, & natura calidus fuerit,& æstiuo anni tempore,ac regione calida: quoniã(ut & ipse antea dixit) ulcе-
B ribus frigidum mordax dolorem insuppurabilem facit. Ijs igitur, qui in ulceratione conuelluntur ob neruosorum corporum inflammationem,contrarium uehementer est frigidum, ut quod neque ulcus iuuet,neque corporum neruosorum dissoluat inflammationem.

22 *Calidum pus mouens. non in omni ulcere, magnum ad securitatem indicium affert, cutem molit, extenuat, dolorem sedat, rigores, conuulsiones, & distentiones mitigat: & ex ijs quæ ad caput attinent, eius soluit grauitatem: plurimum autem confert ossium fracturis, sed nudis præcipue, eorumque maxime, qui in capite ulcera habent, & quæcunque a frigore moriuntur, uel ulcerantur: denique herpetibus exedentibus, sedi, pudendis, utero, uesicæ, his calidum, amicum & indicans: frigidum, inimicum & perimens.*

Sicuti frigidum conuulsiones & distentiones facere natura aptum,tamen sanat aliquando,quanquã raro,distentionem: sic & calidum,quantum ex sui natura,ad suppurandum efficax, est aliquando prohibens suppurationem. siquidem ulcera putrida,& simpliciter omnia,quæ fluxiones habent, adeo non suppurat calidum, ut his etiam plurimum noceat:atque hæc ambo in unum coniunguntur,nocere ulceribus,& minime suppurare:sicuti contra,prodesse,ac suppurare. Maximum etenim est ulceri signum ad securitatem,& pus,& medicamen,quod habet id faciendi facultatem. Nihil enim male potest adue-

A.l.3.f.2.c.5. p.397.A

C nire ulceri pus generanti. Quæ igitur conuulsionem afferunt,non suppurantur omnino. Similiter autẽ & quæcunque ulcera sunt putredini obnoxia,& quæ partes circunstantes exesas habent:atque hæc difficulter ad cicatricem perducuntur uniuersa & minime suppurantur: & quæcunque ex malis ulceribus proprijs nominibus insigniuntur,ueluti quæ cancrosa,chironia,telephia,& phagedænica, id est carnẽ comedentia nominantur,omnia & ipsa non suppurantur. Maximum igitur signum ulceri ad securitatẽ est pus:& hoc potes conijcere ex calidi usu. In quibus enim non congruit, uidebis hæc a calido insuppurabilia perdurare. Deinceps autem calidi opera,quæ frequenter apparent, enumerat. Etenim cutem induratam mollit, & crassatam extenuat, & dolorem sedat, & conuulsiones ac distentiones mitigat:nec,sicuti frigidum,dolorem insuppurabilem efficit,quoniam est a natura nostra alienum, quæ est calor natiuus,quem coauget,ubi mediocriter adhærescit. Calor uero extrinsecus facit hæc omnia,quę dicta sunt, non nullaque concoquendo,& ad melius alterando:quædam discutiendo, & euacuãdo noxia,ad sanitatem perducit. quòd si non ex toto sanet,saltem dolores mitigat. In capitis uero dispositionibus & hæc eadem facit,& eas,quas καρηβαρίας, idest capitis grauitates, nominant,sanat, concoquens atque dissoluens,quæcunque molestant. Et quidẽ fracturis ossium utilissimum est, & magis nudis, hoc est carne exutis:adhuc autem magis ijs, quæ in capite fiunt,nã talia frigidũ maxime offendit: ut quod
D non ossibus tantum,sed ipsi quoque cerebro sit inimicum. Iam uero & quæcunq; partes ex algore ergotiuntur,ijs calidum remedio est:sic, quæ frigidum exulcerat,sicuti hiberno tempore calcanea, & digitos,& omnino extrema:horum quoque remedium est calidum. Sanat etiam herpetes exedẽtes,quamuis ab humore bilioso calidoque fiant. nam propter exulcerationem frigidum est ipsis inimicũ,ut quod eis mordax existat. Sic & omnibus,quæ sunt in sede dispositionibus,amicum quidem est calidum, contrarium uero frigidum,quoniam sedes est neruosa: frigidum uero neruis est inimicum:& quoniam per communicationem frigiditas facile ex sede ad uentrem ascendit,& eodem modo caliditas. Sic & utero & uesicæ calidum quidem,amicum & iudicans:inimicum uero & occidens,frigidum. nam & hæ pariter neruosæ sunt, & supraiacentibus partibus facile tradunt frigiditatem. Quòd autem omnibus, quæ in aphorismo dicuntur,communiter subiecit,his calidum esse amicum & iudicans, frigidum uero inimicum & occidens,liquet. etiamsi a me non dicatur.

23 *In his frigido utendum, unde fluit sanguis, aut fluxurus est, non ad ipsa, sed circa ipsa unde influit, & quæcunq; inflammationes uel inflammina ad rubrum & subcruentum sanguine recenti tendunt. nam ueteribus nigredinem affert. Erysipelas etiam non ulceratum iuuat. nam exulceratum lædit.*

Eas, quas facit frigidum,utilitates,ac mala hoc transigit aphorismo. Primũ,in quibus sanguis fluit aut,

aut fluxurus est, inquiens conferre ipsum, non ipsis partibus manantibus sanguine admotum, (ulceribus enim frigidum mordax) sed circunstantibus, & illis præcipue, unde aliquid ad ulcera profluit. **E** Et quidem ait omnes iuuare inflammationes, quas ipse sic nominat inflammina (græce ἐπιφλογίσματα) hoc est ueluti ab aliqua succensa flamma, propter humorum, a quibus fiunt, caliditatem. Nam & hæc frigido gaudent. Videntur autem hæc omnia intuenti, colore rubra & subcruenta, recenti scilicet, & non antiquo suffusa sanguine. Nam sanguis antiquus floridum non habet colorem. Quare frigido admoto liuere, & nigras fieri contingit partes patientes. Eodem modo & erysipelas non exulceratum iuuatur a frigido, sicuti ulcerato mordax est frigidum, & dolorem affert: & hac ratione nocet, cum partes dolentes semper ad seipsas moueant fluxiones. A.l.1 f.4.c.3. p.137.B A.l.3 f.10.c.5 c.1.p.487.C

*Frigida, qualis nix & glacies, pectori inimica, tusses mouent, & sanguinem, & destillationes.* 24

Hactenus de aqua calida & frigida sermonem habuit, nunc autem de niue & glacie differit, illud ostendens, quòd tanto magis hæ nocere possunt, quanto sunt aqua frigida frigidiores, & quòd thoracis partibus sunt inimicissimæ, cum & tusses moueant, & uasis plerunque diruptis sanguinem manare faciant, & ex capite destillationibus thoracem offendant atque pulmonem: nam has quoque nix facit & glacies, & quæ cerebrum refrigerant. **F**

*Tumores articulorum atque dolores absque ulcere, & podagricos quoque, atque conuulsa, horum plurima, frigida aqua large effusa leuat, & extenuat solutque dolorem. nam modicus torpor dolorem soluit.* 25

Quòd quidem aqua frigida horum plurima iuuet, ostendit. Sed, quænam hæc sint, dicere prætermisit: tanquam ex illis, quæ antea dixit, non sit admodum difficile inuenire. Quæcunque enim inflammationes, uel inflammina ad rubrum & subcruentum recenti sanguine tendunt, a frigida ait aqua sanari, quæ influxum scilicet cohibet, & hac ratione corpora euacuat: quapropter & dolorem in talibus soluit, quia eius causam abscindit: refrigeratio etiam partium largior, affert torporem mediocrem, qui & ipse dolorem soluit sensum hebetando. A.l.1.f.4.c.30 p.156.F

*Aqua, quæ cito calefit, & cito refrigeratur, leuissima est.* 26

Non pondere talem esse leuissimam dicendum est. Sic enim nihil magnũ edoceret, præter id, quòd per quendam circuitum illud inuenit, quod facile erat statim inuenire. Nam, si pondere leuiorem aquã dignoscere quæ it: promptum ipsi fuit ad proprium eorum, quæ ponderantur, iudicium rem deducere, eiusque per lancem ac pondus inquisitionem facere. Sed nunc leuiorem dixit aquam, quæ uentrem nõ **G** grauat, & quæ cito permeat: sicuti isti contrariam, grauem uocamus, quæ cito non permeat. Liquet autem, quòd non solum hoc iudicium existit uirtutis aquæ, sed quòd cum alia in propatulo sint, & omnibus nota, hoc uero aliquid habeat artificiosum: sic ad id prodendum scriptis Hippocrates uenerit. Sed quænam sunt alia? Primum quidem, si neque turbida, neque cœnosa: deinde si neque in gustu, neque in odoratu aliquam absurdam qualitatem præ se fert: tum & illud, quod nunc Hippocrates dixit, si cito refrigeratur & calefit. nam perspicuum existit, talem esse bene alterabilem. Sicuti autem cibi uirtus est esse bene alterabilem, ita & aquæ: siquidem facile transmutari uolumus, quicquid concoqui debeat ab instrumentis, quibus est coctionis munus a natura demandatum. Quincunque uero sola potantium dispositione, optimam aquam iudicant: certissimo quidem utuntur iudicio: uerum, si hoc tantum assumpserint, non rectè faciunt. Prius enim oportet de aqua ex dictis signis iudicare, antequam ad talem ueniant experientiam. A.l.1.f.2.d.2. p.70.e.16.

*Qui noctu bibere appetunt, ijs admodum sitientibus, si superdormierint, bonum.* 27

Neque si dandus, neque si minime dandus sit potus ijs, qui noctu admodum sitiunt, quicquam ostendit, sed hoc tantum, quòd superdormire confert. Coquitur enim per somnum, ut liquet, & subdescendit id, quod efficit sitim. **H** Non tamen illud est in obscuro, quòd ualde sitientibus potus est dandus, siue ex potatione uini meracioris, siue ex defectu potus sitis aduenerit. Nam & defectui exhibendo succurrere: & illam, quæ facta est ex uino, caliditatem aqua restinguere, theorema est medicinale. Si tamen modice sitierint, non omnino eis dandus est potus, sed abstinendum, siue ex defectu humiditatis quid patiantur, siue ex nimia uini potatione. contingit enim & hos ex somno iuuari. A.l.1.f.3.d.2. c.8.p.116.C

*Suffitus aromatum, muliebria ducit: sæpius uero & ad alia utilis esset, nisi capitis faceret grauitatem.* 28

Muliebria dicit, ut liquet, ea, quæ ex utero mulieribus euacuantur in menstruis purgationibus, & a partu. Clarum etiam illud est, quod & hoc in loco, illas, quæ uel propter uteri inflammationẽ, uel euersionem, aut talem aliam causam non purgantur, non aliter rectè curabimus, quàm eam curantes passionem, cuius est casus suppressio menstruorum. Illas uero, quæ sine hac passione parcius purgantur, ijs, qui nunc ab ipso docentur, suffitibus curat. In his enim uel sanguinis crassitudo causa est retentionis, uel obstructio uasorum, quæ pertingunt ad uterum, uel eorundem obseratio, totiusue ipsorum substantiæ densatio. Quodcunque uero dictorum in causa fuerit, ex aromatibus suffitus sanat dispositionem, qui ui sua aperit uasorum fines obseratos, extenuatque humorum crassitudinem, & obstructiones incidendo

A incidendo remouet. Multoties uero & ad alia, inquit, utilis esset, nisi capitis faceret grauitatem. Nam totum corpus poterat continue suffiri per uterum in omnibus frigidis: atque humidis dispositionibus, nisi timeremus illam, quæ fit ex suffitu, capitis dolorem præsertim in febribus. Quòd uero omnia fere aromata natura apta sint facere capitis dolorem & experientia ostendit, & ratio docet. Quæcunque enim satis calefaciunt, omnia capitis dolorem causant: utpote sui natura calido superiora petente. Calida autem est sufficienter omnium aromatum natura, præcipueque Casiæ, Costi, Cinnamomi, & Amomi.

29 *Grauidas purgare turgente materia a quarto mense vsque ad septimum, minus vero has. Recentiores autem & seniores vereri oportet.*

Hic aphorismus dictus est & antea, ubi de purgatione sermo habebatur. Sed & hic, ubi de mulieribus agitur, in quampluribus exemplaribus inuenitur. Quidam uero eximunt ipsum, ne bis scriptus inueniatur. Noua autem expositione non indiget præter illam, quam retro scripsimus.

30 *Mulierem vtero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, letale est.*

A.l.3.f.21.t.1 c.11.p.712.E A.l.1.f.4.c.20.p.145.F. & l.3.f.21.t.1 c.8.p.716.E.

B Non absque ratione. Si enim sit febrilis morbus, necesse est ipsum febres habere continuas, Talis enim est morbus acutus: et in hoc duplex est periculum: Vnum quidem propter febrem ipsam fœtũ occidentem: alterum uero, quòd ex longo interuallo cibum dantes; ex alimenti defectu fœtum destruemus. Si uero, ut hunc seruemus, non uerebimur crebro cibum exhibere, febres continuas uictu intempestiuo augentes, matrem occidemus. Sic & si absque febre aliquis alius morbus acutus fiat, ueluti morbus comitialis, morbus attonitus, conuulsio, distentio: propter magnitudinem morbi & acutiem impossibile est laborantem euadere.

31 *Mulieri vtero gerens, sanguine misso ex vena, abortit, & magis, si fœtus sit maior.*

Ex defectu alimenti fœtus destruitur, non modo misso sanguine ex uena, sed etiam ex longiori inedia. Ostendemus autem hoc ipsum paulo post & per alios aphorismos. Non absque ratione autem & maior fœtus magis destruitur misso sanguine ex uena mulieris, quia plurimo indiget alimento.

32 *Mulieri sanguinem euomenti, menstruis erumpentibus solutio.*

Non absque ratione: Erit enim retractio simul atque euacuatio sanguinis ad superiora tendentis.
C Hoc quidem igitur & experientia comprobat utiliter fieri: nos uero ab ipsa excitati, opera, quæ bene a natura geruntur, imitabimur: & mulieres hac passione laborantes, misso sanguine e uena, uacuabimus.

33 *Menstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens, bonum.*

Quòd quidem sit necessarium eum, qui singulis mensibus bene euacuatur, sanguinem, quando ob aliquam dispositionem fuerit retentus, mulierem lædere, & quòd per aliam partem euacuatus: omnẽ corporis tollet læsionem, unicuique est manifestum. Cum uero multa sint loca, per quæ potest euacuari, omnibus alijs aut maius, aut minus inest detrimentum: sola, quæ fit per nares, euacuatio innoxia est, quam nunc laudat Hippocrates. Non tamen, si aliqua etiam alia euacuatio sine noxa est, propterea aphorismus est falsus. Neque enim quòd sola per nares euacuatio deficientibus menstruis bona sit, dixit: sed hanc simpliciter laudauit, non adiuncto, quod sola. Siquis igitur eam, quæ fit per sedem, dixerit ita affectis mulieribus utilem esse, non aduersatur aphorismo. Videtur enim aliquando Hippocrates per unum exemplum de similibus omnibus pronunciare.

34 *Mulieri in vtero gerenti si aluus plurimum profluat, periculum est ne abortiat.*

Ratione euacuationis & nunc Hippocrates inquit periculum abortus esse quemadmodum & antea
A.l.3.f.21.t.1 c.8.p.716.E. D in missione sanguinis e uena, ostendebamus.

35 *Mulieri, quæ vterinis molestatur, aut difficulter parit: superueniens sternutatio, bonum.*

A.l.3.f.6.c.13 p.450.D.

Vnum in aphorismo uerbum habet obscuritatem, uterinis (græce hystericis.) Non nulli enim per id accipiunt omnes, quæ utero aduenient dispositiones: non nulli uero illas tantum, in quibus passio contingit, quã uocant uterinam strangulationẽ, quæ tñ nõ est uere strãgulatio, sed ablatio anhelitus. alij secũdas intelligũt: nã & has ὕστερα nominant. Verũ hi aperte aberrant, quãuis maxime uerũ dicere uideãtur: quod secũdæ cõtentæ in utero, ex sternutatione dirũpuntur. Alius.n. de his aphorismus est ab ipso perscriptus. Et plurimum refert ὕστερα, an ὑστέρημα dixeris. Falsum est etiam illud, de omnibus uteri passionibus dictum esse ab ipso sermonem. Neque enim exulcerationes, neque inflammationes, neq; erysipelata, sicuti neque abscessus, sternutatio iuuat. Verum autem hoc, quòd in uterinis strangulationibus superueniente sternutatione, patiens aliquantulum leuatur, non solum quia bonum est signũ sternutatio sponte adueniens ijs, quæ ita se habẽt mulieribus, sed quoniam & causa, ut quæ sit huius passionis remediũ. Signũ itaq; bonũ existit, quia naturã ostẽdit, quæ prius obstupuerat, excitari ac reuiuiscere, & propriarum meminisse motionum: quãdo aliquã eijcit superfluitatem. Ostensum est enim in libro de causis accidentium, sternutationem hac ratione fieri. Causa autem, ob quam iuuat, est, quia uehementiore

tiore concussu atque feruore partim quidem naturam excitat, partim uero excernit, quæ partibus cor E poris firmiter infixa adhærebant. Sic enim & singultum sanare solet.

*Mulieri menses decolores, nec per idem semper tempus venientes, purgationem indicant esse necessariam.* 36

In multis exemplaribus scripturam ita se habentem possumus inuenire: Mulieri menses tardi, nec per idem semper tempus uenientes. Possunt igitur & menses tardi, hoc est, qui post consuetum ueniunt circuitum, purgatione indigere humoris pituitosi, ob quem & decolores fiunt: non tamen egemus hac sola necessario. nam & per extenuantem aliquando uictum tales dispositiones sanauimus. Scriptum autem est a nobis de hoc extenuanti uictu, libro uno seorsum. Suffitus insuper aromatum idem facit, &, qui eandem isti uim habent, pessi adhibiti, epotaque medicamenta, quæ incidunt, & humorum crassitudinem extenuant, quale est, quod ex calamentho fit, quo nos assidue utimur, quodque sæpius tardantes mensium purgationes exciuit. Nam intentio sanationis in ipsis est, cum ora uasorum aperire, quæ pertingunt ad uterum, tum sanguinem extenuare. Ac sane quidem purgatio totius corporis, ut dixi quando crassi euacuantur humores, tales sanat dispositiones. Si uero, decolores, scriptum sit, multo magis purgatio sanabit ita se habentes mulieres. Neque enim propter humorem pituitosum tantummodo, sed & propter melancholicum & biliosum menses fiunt decolores. Quo- F modo igitur dignoscere oporteat humorem superabundantem, ipse in primo de muliebribus docuit: nunc autem, ꝙ per purgationem euacuandũ sit: idem monstrauit. Verba autem illa, nec per idem semper tempus uenientes, huic scripturæ magis consonant: ut totus sermo sit talis: Si menses decolores fiant, & non per idem tempus ueniant, quo antea uenire consueuerant, mulier purgatione indiget. Contingit enim in mulieribus, quæ malos humores habent, non modo decolores apparere mẽstruas purgationes, sed etiam tempus periodi non seruati: siquidem crassiores fuerint humores, & difficilius fluentes ijs, qui secundum naturam se habent, morando, & longius tempus expectando: sin autem contrarij, hoc est humidiores ac tenuiores, consuetum terminum anticipando.

*Mulieri vtero gerenti si mammæ graciles repente fiant, abortit.* 37

Hic pariter aphorismus ex illorum numero est, quos diximus defectum alimenti fœtui significare. A.l.3.f.21.c.1 c.9.p.717.A. Communes enim quædam uenæ sunt mammis ac uteris: quæ, ubi parum habuerint sanguinis, graciles quidem mammas reddunt, alimenti cessatione non nunquam fœtum perimunt, non nunquam etiã ad excretionem excitant, illam ob causam, quam ipse in libro de natura fœtus, per hæc uerba explicat: A.l.1.f.1.d.5. p.47.c.4.B. „ Alimentum atque auctio a matre ueniens, non amplius est infanti sufficiens, quando decẽ menses præ G „ terierint, & fœtus auctus fuerit. Trahit enim a sanguine ad se id, quod est dulcissimum: & simul etiam „ lactis parte aliqua fruitur. Vbi uero hæc illi rariora fuerint, & iam infans molem corporis habet, plus „ cibi requirens, quàm illud, quod adest: calcitrat, & membranas dirumpit. Liquet igitur, ꝙ & ante decẽ „ menses fœtus est indigens alimento, & calcitrans, ac membranas dirumpens initiũ partus matri affert. A.l.3.f.21.c.1. c.2.p.706.C.

*Mulieri vtero gerenti si altera mamma gracilis fiat geminos habenti alterum abortit: &, si quidem mamma dextra gracilis fiat, marem: si vero sinistra, fœminam.* 38 A.l.3.f.21.c.1 c.9.A.p.717.

Quod suprascriptus aphorismus de ambabus mammis dicebat, hoc in altera iste dicit. propter illam uero, quam diximus de uenis communibus causam, is, qui e directo est mammæ factæ gracilioris fœtus abortum patitur. Quòd autem existentibus geminis, altero mare, altero fœmina. si dextra quidem mamma gracilis fiat, solus mas: si uero sinistra, fœmina sola corrumpatur: ex illa ipsius pendet opinione, qua mares quidem in dextris, fœminas uero in sinistris magis concipi opinatur.

*Si mulier, quæ neque grauida est, neque peperit, lac habet: huic menstrua defecerunt.* 39

Ratio quidem longior existit: & oportet illum, qui eam exquisite assequi debeat, exercitatum esse H A.l.3.f.21.c.3 c.2.p.725.B. in libris de potentijs naturalibus. Tantum tamen de his nunc a nobis dicetur, quãtum breuissime dictũ possit ad præsentia conferre. Hoc quidem commune est omnibus animalis partibus, quæ aptæ sunt humores aliquos utiles generare, aut ad usum aliarum partium, aut ad generis propagationem, aut ad conceptus nutritionem, esse humorem illum quandam ueluti superfluitatem partis ipsum generantis. Non enim quia norit, ad quid utilis erit humor animali, ipsius facit pars generationem, nisi debeat talẽ habere intellectum, qualem habere ciuitatum gubernatores arbitramur oportere, sed animalis quidẽ opifex illum habet intellectum, ipsa autem pars (ut ostensum est) potentijs regitur naturalibus, cum alijs quibusdam, tum alteratiua, per quam assimilat alimentum sibijpsi. Quantum igitur alimenti ab ipsa alterati fuerit nutrito corpori exquisite assimilatum, illi apponitur parti ac nutrit eam. & hoc est, quod ipse ait: Alimentum est, quod alit, & quod est ueluti alimentum, & quod debet alere: super- „ fluum uero, quod superest, similis autem naturæ partis humor existit, in ossibus quidem id, quod in „ cauernis eorum continetur, in hepate uero sanguis: ex hoc genere est & spumeus humor, qui in carne pulmonis continetur, & qui in articulorum compagibus glutinosus humor, & id, quod in testibus, & in uocatis parastatis, semẽ, & qui in lingua, cui nomẽ saliua. Sunt aũt & quædã in mãmis glãdulæ uim habentes id, quod ad eas influat, sibi ipsis assimilandi. Cũ ergo hæ sint exangues & albæ, propriũ efficiunt humorem,

A humorem,talem,quale est lac,eiusque maiorem copiam, quo plus ad ipsas alimenti defertur. Plus uero defertur octauo & nono mense conceptionis, quando abundanter oppletæ sunt communes uenæ mammarum & uteri,sicuti in animalium prægnantium dissectionibus manifeste conspicitur.Fit autem & tale quandoque, licet raro,cum mulier grauida non est, quando ad similem peruenerint uenæ repletionem ex menstruorum retentione:cuius nunc dispositionis Hippocrates meminit.

40 *Quibuscunque mulieribus ad mammas sanguis colligitur,furorem significat.*

Quod sanguis ad mammas feratur,deinde a glandulis,quæ ibi sunt,in lac trāsmutetur, in præcedenti scriptum est aphorismo: Nunc autem,quando intransmutabilis manserit hic,qui ad eos sanguis peruenerit,furorem ait Hippocrates significari.Ego quidem nondum hoc accidisse uidi: &,si quando eueniat,ex ijs est,quæ raro eueniunt.Hippocrates uero,ut qui uiderit,scribit. &, si uerum sit, talem ipsius oportet causam existimare. Glandularū natura,illarum præsertim,quæ in mammis sunt, exanguis est, & proculdubio frigida: omne enim exangue frigidum.Atque ideo sanguinem, qui defertur ad ipsas, ad frigidius commutat.Quanto enim hæ glandulæ sunt hepatis carne frigidiores, tanto lac sanguine. Cum igitur multus aliquando sanguis & feruens per totum labitur corpus, & caput præcipue petit: in B furorem uertuntur,quoniam sanguis talis occupat caput.Qui uero ad mammas defertur:ad contrariā naturam alterari non poterit ita,ut lac fiat,tum propter feruorem,tum propter exuperantiam.

41 *Si uelis noscere,an conceperit mulier,cum dormitura est:ei aquam mulsam potandam da: &, si alui tormina patietur, concepit:si minus,non concepit.*

Tormina fiunt quidem propter mordacitatem,fiunt etiam propter spiritum flatuosum, qui facilem non habet exitum.quæ tormina fieri nunc est arbitrandum in mulieribus, quæ conceperunt, propter eam,quæ fit ex utero,angustationem.Dat autem aquam mulsam mulieri dormituræ,crudam uidelicet, quoniam qualitas flatuosa(si noscere uolumus)est necessaria: uolens & quiescere simul,& plenam esse cibis mulierem. hæc enim ambo conferent ad torminum generationem.

42 *Mulier,si marem concepit,bene colorata est:si uero fœminam,male colorata.*

A.l.3.f.2 t.1. c.13.& 14 E. F. Vt ad seipsam muliere collata uidelicet, non autem ad alteram,dictum est ab Hippocrate indicium quod ex bono colore ac malo sumitur.Nam, quæ fœminam concepit, minus seipsa colorata apparet: quoniam frigidior est fœmina mare. Nūquam uero talem concepisset,nisi & uiri semen & uterus mulieris frigidior eo tempore fuisset, in quo concepit. Quare, quod dicitur, ex eorum numero est, quæ C sæpius eueniunt.Contingit enim ita omnia recte agere mulierem post tempus conceptionis, ut bene colorata fiat.Liquet autem,quòd & alia signa sunt,quæ significent marem esse cōceptum: sicuti ipsius conceptus plurimæ ac ualidæ motiones:quæ tamen neque ipsæ, signa perpetua sunt. Contingit enim aliquando, licet sit rarum,quòd concepta fœmina sit mare robustior, & multis ac ualidis motibus moueatur: contingit etiam,ut aliquando mas sit debilior fœmina,ac paucioribus debilioribusque motibus cieatur.

43 *Si mulieris grauidæ in utero sit erysipelas,letale.*

A.l.3.f.2 t.1 c.11.p.712.E Nunquid solum erysipelas in utero mulieris grauidæ constitutum, putat esse letale, an illam etiam, quæ proprio nomine dicitur phlegmone,hoc est inflammatio? Quod enim facto in utero erysipelate fœtus moriatur ex necessitate, manifestum est. quandoquidem & febres acutæ aliquando sine erysipelate ipsum interficiunt.An uero utero inflammationem patiente, possit aliquando fœtus uiuere: dignum est inquisitione.

44 *Quæcunque præter naturam tenues existentes,utero gerunt,abortiunt prius,quàm crassescant.*

A.l.3. f.2.t. 1. c.8.p.716. F D Secundum tres modos intellexerunt expositores libri huius,præsentis aphorismi sententiam. Quidam enim omnino arbitrantur ipsas abortire: quidam uero, si non crassescant & reficiantur, sed maneant absque refectione,ac tenues:quidam uero,cum reficiuntur,tunc maxime eas existimant abortire:quod minus uidetur,quàm prius dicta,uerisimile.Verumtamen ita exposuit Numesianus,dictum in quiens esse aphorismum in ijs,quæ præter naturam extenuatæ sunt,& quas prius refici oporteat: sed, cum concipere anticipent,eas non posse refici ait absque quòd sanguis ad conceptus alimentum deputatus,ad eius,quæ concepit,nutritionem assumatur:quare non absque ratione fœtus sufficienti indigens alimento,corrumpitur.Sed & uerba illa,Præter naturam tenues,quidam ita acceperūt,sicuti Numesianus,ut præter sui ipsius naturam grauida mulier sit extenuata. Quidam uero magnum excessum dicunt significari,uolente Hippocrate nobis insinuare,non quòd mediocriter extenuatæ id ex necessitate patiantur,sed quæ ualde sunt extenuatæ.Vtraque autem expositio non caret ratione.

45 *Quæcunque mediocriter corpora habentes abortiunt secundo,aut tertio mense sine occasione manifesta,ijs acetabula uteri plena mucoris sunt,& non possunt ex pondere fœtum continere,sed disrumpuntur.*

Sine manifesta occasione ait,febre uehemente,uel alui fluxu,uel profluuio sanguinis,uel erysipelate in ipso utero cōstituto,uel saltu grauidæ mulieris uehementiore,uel clamore,uel tristitia,uel ira,uel

timore, uel uictu parciore, uel alio tali aliquo actu seu passione. Est enim uerisimile in his esse plena mucore ora uasorum uenientium ad uterum, ex quibus secundæ pendent: quæ ora, acetabula nominauit, non (sicuti quidam arbitrantur) adnatas ipsis carnes glandulosas. Nam, ut ipse inquit in primo libro de passionibus muliebribus, Si acetabula plena fuerint pituita, menstrua fiunt pauciora: & Praxagoras in primo de naturalibus, Acetabula, inquit, sunt ora uenarum & arteriarum, quæ feruntur ad uterum. E

*Quæcunque præter naturam crassæ, non concipiunt utero: ijs omentum os uteri comprimit, & prius, quàm extenuatæ fuerint, non concipiunt.* 46 A.l.3.f.21.c.1 c.8.p.716.F.

Verba, præter naturam, dupliciter etiam hoc loco accipiunt. quidam enim excessum significari arbitrantur: quidam præter ipsius mulieris grauidæ naturam. Verior est autem prior sententia: nam ab omenti pinguedine comprimitur, atque angustatur uteri os ijs, quæ supra modum sunt crassæ. appellat autem nunc os, illud, quod intus est, ubi uterus quidem desinit, collum uero incipit: quod magis proprie os uteri diceretur. Nam altera colli extremitas, quæ muliebri pudendo coniungitur, non uteri, sed ipsius colli os haud sine ratione uocaretur. A.l.4.f.7.c.4. c.5.A.p.969.

*Si uterus in coxam uergens suppuratur, necesse est linamentum fieri.* F 47

Cui necessarium est fieri per linea fila curationem, linamentum nominauit. Quòd autem uterus suppuratus, & præsertim ad exteriora, (nam hoc nunc uidetur dicere) curatione tali ex necessitate indigebit, non est obscurum.

*Fœtus, mares quidem in dextris, fœmina uero in sinistris magis.* 48 A.l.3.f.21.c.1 c.12.p.713.A

Quòd propter temperaturã, quæ statim ab initio calidior existit, fœtus masculus generatur, in commentarijs de semine, est demonstratum. Calidior uero temperatura fœtibus aduenit non minime ob locum, qui est dextra uteri pars: hæc autem calidior statim existit propter hepatis uicinitatem. conferet autem aliquid ad conceptus caliditatem & muliebre semen profusum quidem ex proprijs testiculis per utrunque corniculum, partim in dextrum uteri sinum, partim in sinistrum, dissimile tamen: ut & hoc ipsum ostendimus. Si igitur serosius est atque frigidius, quod in sinistro testiculo continetur semen etiam iuxta hoc conceptus in læua parte uteri constitutus, non absque ratione fuerit frigidior. Dictum autem est de omnibus talibus sufficienter etiam in quinto libro anatomicorum Hippocratis.

*Vt secundæ procidant, sternutatorio imposito, nares apprehendito & os.* G 49

Non cum accentu circunflexo ultimam syllabam ὑστερῶν, legere oportet, ut significet uterum, sed cũ graui ὑστέρων, ut secundæ intelligantur. Neque enim uult uteros ipsos excidere, tentione facta cum medicinis sternutare facientibus, sed ea, quæ choria uocantur atque secundæ.

*Mulieri si uelis menstrua cohibere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone.* 50

Sicuti menstruorum, quæ aut parce, aut nullo modo fluunt, curationem Hippocrates docuit: ita & nunc illorum, quæ ultra modum euacuantur, docet, iubens nos cucurbitulam quàm maximam mammis apponere. Melius est autem non mammis ipsis cucurbitulam adigere, sed inferius sub ipsis eam affigere, potissimum, ubi sunt uenæ, quæ ad ipsas desubter ueniunt. Sanequè non nullis his uerbis aphorismum scribunt, Cucurbitulam quam maximam sub mãmis pone. Vult aũt quàm maximam esse cucurbitulam, ut fortiorem faciat ex utero ad superiora reuulsionem, per communes id uenas artificiose molitus. A.l.1.f.4.c.11 p.151. C.& l. 3.f.21.t.2.c.2 p.726.E

*Quæ utero gerunt, ijs uteri os comprimitur.* H 51

Maximum hoc est mulieris, quæ concepit, indicium, si obstetrix potuerit immisso digito os uteri tangere. Statim enim cum semen intra seipsas acceperint, totum sui interius spatium contrahunt, & os claudunt. Videtur autem & propter durum tumorem & inflammationẽ os uteri comprimi. Distinguiturque ab eo, qui in grauidis, ex duritie uteri.

*Mulieri utero gerenti si lac multum e mammis effluat, fœtum imbecillem significat: si uero mammæ solidæ fuerint, fœtum significant saniorem.* 52

Illo uidelicet tempore fluit lac, quibus uisum fuerit fluere, quando natura fert, ut in grauidis generetur. Neque enim in primis generatur mensibus. Quod autem omnino fluat, & non maneat intus, hoc ideo fit, quia plurimum ex eo colligitur. Plurimum uero colligitur oppletis uenis cõmunibus, quæ a mãmis pertingunt ad uteros. Sed adhuc magis implentur, quando minimũ cõceptus assumit. Hoc uero ipsum fit ob eiusdem conceptus imbecillitatem. Liquet igitur, quòd neq; mammas tenues oportet apparere, sicuti in muliere non grauida: (hoc enim signũ defectum sanguinis ostendit. & hac ratione foetus in ipsis corrũpitur) neq; adeo plenas, ut lac effluat, sed tantũ subleuari, ut solidæ tangẽtibus uideantur. Media enim est hæc consistentia inter renitentes propter nimiam repletionem, & moles ac laxas A.l.3.f.21.c.1 c.9.p.717.A

propter

A propter defectum sanguinis. Quare merito laudat hoc signum Hippocrates, ut quod indicio sit neque foetum esse imbecillem, neque deficere ipsi alimentum.

53 *Quæ perdituræ sunt fœtus, ijs mammæ extenuantur: si vero rursus duræ fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infestabit, & non abortum facient.*

Prius dixerat, Mulieri utero gerenti si mammæ repenti extenuentur, obortit. Dixerat etiam, Et, si altera mamma extenuetur geminos habenti, alterius fœtus abortum secuturum: Nunc uero ordinem consecutionis commutauit, & non a signis, sed a mulieribus fœtum corrumpentibus fecit initium, ipsis præcedere inquiens mammas graciles. Non est autem omnino idem, si dicatur ad mammas graciles sequi corruptionem, &, futuræ corruptioni mammas graciles præcedere. Qui enim ait ad mammarum extenuationem sequi corruptionem: hic istud solum ostendit, esse signum futuræ corruptionis. Qui uero dicit ijs, quæ debent corrumpere foetus, mammas extenuari: non hoc solum uidetur ostendere signum præcedere foetus corruptioni. Quare diligentius inquirendum est, & obseruãdum in ijs, quæ apparent in mulieribus grauidis, nunquid aliter fœtum corrumpant nec ne, sed semper præcedat mammarum extenuatio, An saltantibus, uel magnopere uociferantibus, uel ira excandescentibus,
B uel nimio repente pauore correptis, contingit quidem interdum mammarum non præcedere extenuationem: Contingit autem & in quibusdam, ut propter magnitudinem febris, aut factum in utero erysipelas, uel mucorem acetabulorum, aut aliquid aliud talè, fœtus corrumpatur absque mammarum extenuatione. Ceterum uidetur Hippocrates existimare hanc semper præcedere: & mihi sæpius obseruanti uisæ sunt in supradictis occasionibus ante corruptionem mammæ fuisse extenuatæ. Nunquid igitur, quando citra aliquam huiuscemodi causam mammæ extenuantur, defectum sanguinis esse in uenis utero mammisque communibus, in causa existimare debemus: unde propter nutritionis cessationem foetus corrumpitur: In alijs uero causis, in quibus aut propter passionem interit, aut dirumpitur foetus, cum ipsum membranæ continentes diuelluntur, natura os uteri adaperiente, & dolores excitante, ob has ipsas causas sanguinem ad genitales deferri partes? Hæc enim est quædam ratio communis, in quibus natura aliquid uiolenter excernit, ut eo sanguis ac spiritus tendat: quibus duobus
A.l.1.f.2.d.1. c.1.p.67. F. ueluti instrumentis natura utens, ea, quæ infestant, per uim expellit. Atque hac ratione dolentibus partibus inflammationes adueniunt, natura excernere atque expellere causam doloris properante: ut uero hoc faciat, sanguine ac spiritu locum implente. Hæc itaque a me dicta sint in primam partem aphorismi. Secunda uero, quæ sequitur (in qua contrariç mammarum meminit dispositionis) talis
C est: Si uero rursus mammç durç fiant. Cum uero dictio, rursus, grçce πάλιν) duo significet in huiuscemodi locutionibus, alterum quidem, quod antedictæ coniungitur dispositioni, alterum uero, quod per alia uerba dici consueuit uice uersa: mihi uerius, & magis Hippocratis sententiæ cohærere uidetur secundum significatum: ut, quod in toto dicitur aphorismo, *sit tale: Mammæ quidem tenues omnino præcedunt foetuum corruptionem: & non possunt isti corrumpi sine earum extenuatione præcedente.* Duræ, corruptionem quidem non significant, sed dolor quidam dictarum partium ad ipsas cõsequitur: ut, sicuti mammæ tenues, defectus sanguinis significationem habent: sic duræ, multitudinis: differentes ab illis, quas paulo ante dixerat solidas, in quibus rursus reponente natura ad quasdam partes materiam inutilem, illæ dolent, sed fœtus nullam habet offensionem. Quæstio autem occurrit hoc loco, ob quam causam ad corpus uteri natura nunquam materiam reponit inutilem, & non facit inflammationem: uel cur inflammato utero, fœtus non corrumpitur. An, quod ab Hippocrate dicitur, aliud est? Neque enim quòd nunquam ad mammas duras corruptio fœtuum sequatur, putãdum est fuisse ab Hippocrate dictum, sed quòd non semper, quemadmodum in tenuibus: uerum, si ad alterum locum natura reponat superfluitates, (quod ex dolore cognoscimus) corruptio non sequitur. Et fiet rursus, si ita intelligamus, sermo talis: In mulieribus, quæ fœtum corrupturæ sunt, sem-
D per mammæ extenuatæ præcedunt: duræ autem ac plenæ, non semper. Omnino enim in his ad alteram partem materiam inutilem natura reponit. Si uero ad uteros ipsam expellat, fient & tunc omnino tenues. Nam secundum Hippocratis (ut appaæt) sententiam, etiam si propter aliud quicquam, & non ob defectum alimenti abortus fiat, omnino præcedet mammarum gracilitas, ob causam antedictam. quare, etiamsi ob acetabulorum humiditatem conceptus effluet, tunc etiam ipsum natura expellente ad excretionem, motio sanguinis erit ad uteros, & hac ratione mammæ fient graciles magis, quàm prius erant.

*Quibus os vteri durum est, ijs vteri os comprimi est necessarium.*

Dictum est & antea, quòd os uteri comprimi, commune est signum & tumoris alicuius in eo præter naturã existentis, & conceptionis in muliere, & quòd oportet id ex duritie distinguere. Grauidis enim molle est, & secundum naturam: Durum autem, in quibus est tumor præter naturam, siue sit inflammatio, siue tumor durus. Melius itaque fuerat hunc aphorismum post illum scribere, in quo dicebatur, Quæcunque utero gerunt, ijs os uteri compressum est.

55 *Quæcunque vtero gerentes a febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt sine occasione manifesta, difficulter pariunt, & cum periculo: aut abortum facientes periclitantur.*

Accidit quibusdam grauidis, in quibus uitiosi humores prius, quàm conceperint, sunt aceruati, non

nunquam a febribus uehementibus corripi, adeo ut ex necessitate abortiant: non nunquam uero a mediocribus quidem, sed eum non purgentur sufficienter, aliquid superest reliquiarum humorum in corpore uiriosorum, ex quibus febres erant institutæ, utpote non potentibus medicis mulieri grauidæ aliquod ualidum auxilium adhibere, aut exquisita uictus ratione in ipsis uti. Ob hanc igitur causam febris in ipsis frequenter reuertitur, & maxima temporis parte grauiter se habent. Non sine ratione igitur fœtus aliquando nequit obsistere, sed a febribus & uitio humorum corrumpitur: non nunquam uero perdurat quidem ad tempus partus, sed, cum & ipse ualetudinarius sit, ut qui longo tempore laborauerit, & matrem habeat imbecillem, non sine periculo paritur. Nam ad bonum partum, duorum corporum uigore est opus, & grauidæ mulieris, & infantis. E

*In fluxu muliebri si conuulsio & animi defectus aduenerit, malum.* 56

Non statim fluxu constituto hæc fiunt, sicuti nec aliorum ullum, quæcunque in sequenti sermone quibusdam alijs ait aduenire, sed cum uel uehementior fuerit, uel diu perdurauerit. Defectus quidem animi, communis omnis immodicæ euacuationis est casus: conuulsio uero, etsi non communis existat, ad plurimas tamen ex ipsis consequitur, & magis, si pars, quæ patitur, neruosa fuerit. F

*Si menstrua plura fiant, accidunt morbi: & si non fiant, ex utero morbi contingunt.* 57 A.l.3.f.21.c.3 c.1.&2.p.725 A.B.C.

Quibusdam medicis uisum est ex multitudine quidem multos fieri morbos, ex defectu autem nullum. Verum Hippocrates arbitratur etiam ob defectum fieri aliquando morbos, non solum in mulieribus, sed etiam in uiris. Siquidem ad defectus consequitur aliquando siccitas, aliquando frigiditas, aliquando utrunque. Ostensum autem est, quòd intemperaturæ, quæcunque tantam habent magnitudinem, ut possint iam lædere operationem, sunt ex morborum genere. Verum, quantum ad hoc, neque falsum, neque obscurum est quicquam ab Hippocrate dictum. Quatenus autem, in pluribus quidem menstruis simpliciter dixit fieri morbos, neque, ex utero, adiecit in defectu autem eorum istud adiunxit, dignum est inquisitione, nunquid in utrisque affectibus dictis, communiter, ex utero, subintulerit, an tantum hoc proprium sit defectus menstruorum. Hoc autem scire exquisite, est impossibile, nisi omnes nouerimus causas, ob quas uel plura, quàm opus sit, uel pauciora ueniant mẽstrua. Possibile est igitur immodicas fieri menstruorum euacuationes, si ota uasorum, quæ pertingunt ad uterum, ultra modũ aperiantur: & si sanguis uel calidior, uel tenuior fiat; & si totum corpus propter malum habitum aliquẽ aggrauetur sanguine, quem, licet modum naturæ conuenientem non excedat, expellit ad uenas, quæ in utero sunt, ut in rheumaticis dispositionibus accidit ex una parte ad aliam. Eadem uero menstrua G possunt fieri pauciora, uel quia uenæ ferentes ad uterum menstruam purgationem, comprimuntur: vel obstruuntur ob crassitiem sanguinis, siue frigiditatem & robur ipsorum, quæ in utero sunt, uasorum, adeo ut, quod influit, non admittant. Quodcunque autem horum fuerit, necesse est processũ temporis & ipsum uterum pati aut similem inflammationi dispositionem, aut erysipelati, aut duro tumori, aut cancro: quibus denuo totum compatitur corpus. In immodicis uero euacuationibus nulla talis accidit uteris passio, adeo ut per compatiendi rationem totum corpus una laboret. quare fit uerisimilius in sola retentione menstruorum dixisse Hippocratem morbos contingere ex utero.

*Recto intestino aut utero inflammationem patiente, urinæ stillicidium superuenit: & renibus purulentis urinæ aduenit stillicidium. hepati autem inflammationem patienti singultus aduenit.* 58 A.l.3.f.14.c.2 p.580.E.

Quando aliquis parum, & frequenter mingit: hæc passio, urinæ stillicidium nominatur. & fit aliquando ex imbecillitate potentiæ retentiuæ in uesica, non nunquam uero ex acritudine urinæ. imbecillitas ergo fit propter intemperaturam, & aliquem tumorem præter naturam: acritudo autem uel propter renum passionem, uel quia talis ad ipsos uenit ex uenis superfluitas serosa percolata. Recte itaque Hippocrates inquit urinæ stillicidium recto intestino, & utero inflammationem patiente, & renibus suppuratis aduenire: In recto quidem intestino & utero, per compatiendi rationem uesica patiente: in renibus autem purulentis, pure per uesicam euacuato. Hoc igitur sui acritudine mordens uesicam, excitat ad excretionem: In uteri autem uel recti intestini inflammatione, uicinitatis ratione pati uesicam est necessarium, ut quæ & intemperaturam participet & inflammationem, & præterea prematur atque angustetur a tumoribus præter naturam, qui in illis existunt. Dictum autem est a me etiam prius, quòd non simpliciter alterius passio alteri superuenire apta est, sed ijs, quæ magnitudinem habent effatu dignam. Sic igitur & hepati inflammationem patienti singultus superuenit propter neruorum communicationem, non quidem semper, sed quando ad maximam inflammationem peruenerit. H

*Si mulier non concipit, scire autem uelit, si conceptura sit, pannis circuntectam subter suffias: & si odor uideatur per corpus ire ad nares & os, scito, quòd ipsa non ex seipsa sterilis est.* 59 A.l.3.f.21.c.11.p.715.E

Verbum, suffias, materiam indicat, quæ naturam habet, ut suffiri possit, thus uidelicet, & myrrham, & styracem, & quæcunque alia talia, quæ calidam habent temperaturam, & sunt satis odorata. Vult enim in totũ corpus ferri uim, quæ ab ipsis manat, ut, cum & os & nares attigerit, a muliere manifeste sentiatur.

A sentiatur. In ijs igitur solis totum non peruadet corpus qualitas suffitorum quibus durũ est ac densum uteri corpus. cum uero sit tale, non est aptum ad conceptionem: sicuti & paulopost ipse inquiet: Quæcunque frigidos habent uteros & densos, non concipiunt. Quod autem in fine aphorismi scribitur, Scito, quod ipsa non ex seipsa sterilis est, indicat eius rei usum. Sæpins enim, ut permaneat genus alicuius sacerdotis, uel regis, student ciuitates, ut prolem habeant, mares, seu fœminas, in quibus uel solis genus consistat. atque ita, ubi mulieres non concipiunt, quæritur, utrius causa hoc accidat, ut facto diuortio mulieres concipiant. & hanc Plato in Theæteto innuit esse bonarum pronubarum artem. Totus autem sermo dicetur paulopost, quãdo omnes exposuerimus, qui ad ipsum pertinent, aphorismos.

A.l.3.f.21.t.1 c.8.p.709.D

60 *Si mulieri utero gerenti purgationes eant, impossibile est fœtum esse sanum.*

Et uerbum, purgationes, numero plurali dictum, & ipsi uerbum, eant, adiunctum, ostendunt non esse paucum illum, qui excernitur sanguis, neque semel, sed sæpius, & multum. Qui enim semel aut bis paucus excernitur, in multis apparet absque hoc, quòd foetus quippiam patiatur. Cum uero nihil deficit multitudini purgationis menstruorũ, & seruat deinceps terminum circuituum per menses, impossibile est foetum esse sanum. siquidem ille, qui fortis est, ad sui alimentum abutitur sanguine, qui ex toto B corpore ad uteros fertur. Excretio uero, quæ in grauidis fit, uidetur ex uenis, quæ in collo sunt, apparere. Nam ab interioribus, quæ sunt in cauitate uteri, secundæ pendent. quare nihil per illas potest in muliebrem sinum excerni.

61 *Si mulieri cessent purgationes, neque horror neque febris superueniat, & fastidia incidant: indica ipsam in utero habere.*

In ijs, quæ recte purgantur, mulieribus, & quibus repente sine causa manifesta supprimuntur purgationes, sermonem fecit Hippocrates, docens nos ea, quæ plurimæ mulieres ipsa experientia didicerũt. Cum enim fastidium patiuntur menstruis suppressis, tunc se concepisse conijciunt. Fit autem fastidium eadem, qua pica, ratione, læso ore uentriculi in mulieribus grauidis. Interdum autem contingit & propter uitiosos humores totum corpus occupantes, tale aliquid accidere. uerum hoc cum horrore & febre patiuntur, & his distinguuntur a grauidis.

62 A.l.3.f.20.t.2 c.15.p.69.A.

*Quæcunque frigidos & densos uteros habent, non concipiunt. Et, quæcunque præhumidos uteros habent, non concipiunt. extinguitur enim in eis genitura: Et quæcunque siccos magis & adurentes. nam ex defectu alimenti corrumpitur semen. Quæcunque uero ex utrisque mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ sunt.*

C Si mihi liceret omnibus aphorismis ordinem congruentem apponere, non essem ueritus paulo antea dictum aphorismum in hunc locum transferre: ut finito sermone de purgationibus, ille, qui de ipsis esset uteris, deinceps scriberetur, docente ipso, quot modis mulieres steriles fiant. Primus igitur in ipsis erit aphorismns, in quo dixit, Si mulier non concepit, scire autem uelis, si conceptura sit, pannis circuntectam subter suffias. Secundus autem iste, qui nunc est nobis propositus: cuius summa est, quòd bene temperati uteri ad conceptionem sunt idonei: male autem temperati, si parum a bonitate recedunt, difficulter concipiunt: sin nimium, mulieres steriles reddunt. ita ut simul etiam detur intelligi, unde uiri sint steriles. sed hoc multos latet. Qui uero ea, quæ dicta sunt, diligentius considerat: primũ quidem sciet, quam ob causam & quidam uiri omnino steriles sunt: Secundo loco, post hoc de uiris quidem ac mulieribus bonam habentibus temperaturam, quòd semper generabunt, etiam si cum malam habentibus coeant: De habentibus autem malam temperaturam, quòd cum solis contrariam temperaturam habentibus coeuntes, gignent. Prius autem dicetur de mulieribus sterilibus, quarum uterus statim ab initio est male temperatus, exuperante scilicet uel una primarum qualitatũ, uel duabus: quemadmodum in commentarijs de temperaturis determinauimus, ostendentes octo esse numero omnes D intemperaturas, simplices quidem quatuor, quarum & nunc Hippocrates meminit, cõpositas autem alias quatuor, his simplicibus inuicem complicatis. Vbi igitur immodica frigiditas exuperat adeo, ut uterus spissior efficiatur, angusta quidem sunt summopere in ijs ora uasorum, quæ ad ipsum pertingunt: mulieres uero steriles redduntur, cum secundæ non possint uasorum orificijs adnasci, neque si hoc fiat aliquando, possit bene nutriri conceptus. uel enim nullo modo fiunt in hisce mulieribus purgationes, uel omnino paucæ, & hæ ipsæ uitiosæ, solo tenuiore atque aquosiore sanguine perlabente. Sed & hæc quoque ora facile obstruuntur cum propter natiuam angustiam, tum quia magna ex parte hę mulieres humorem aggregant pituitosum. siquidem & corpus totum ut plurimum est uteris simile. Contingit autem & maris semen in talibus uteris refrigerari, nisi sit natura calidissimum. De prima itaque frigida temperatura Hippocrates fecit mentionem, inquiens, Quæcunque frigidos & spissos uteros habent, Non per Iouem uolens simul coniũgere in ipsis cum frigiditate densitatem, ueluti si siccitatem aut humiditatem addidisset. Harum enim neutra semper, consequitur frigiditatem: & propterea ipsi modo una, modo altera adiungitur. Densitas uero ex necessitate ualde frigidos uteros comitatur, ob quam non possunt concipere, ut diximus. Quare ita sermonem totum huius aphorismi accipiemus. Quæcunque frigidos uteros habent, non concipient, propter substantiæ ipsorum spissitudinem. Cur uero spissitudo aduersetur conceptioni dicere prætermisit, ut nobis potentibus

A.l.1.f.2.d.3. c.5.C.

intelligere. Et quæcunque uteros nimis humidos habent, non concipiunt. extinguitur enim genitura, E
quemadmodum in terra palustri cerealia semina. Et quæcunque siccos siue adurentes habent uteros,
propter defectum alimenti non concipiunt. Nam in siccis uteris tale quiddam accidit, quale, ubi aut
arenæ, aut argillosæ terræ, aut petrosæ mandantur semina. In habentibus autem immodicam caliditatẽ,
quale, ubi ualdæ calidæ terræ semina committuntur, quemadmodum in æstibus sub Cane contingit.
Sic itaque quatuor qualitatum Hippocrates meminit, singulorum seorsum facultatem exponens: ut,
si quando inuicem misceantur, manifesta sit earum commistio. Post hæc autem inquit, Quæcunque ue
ro ex utrisque modice temperatæ sunt, fœcunditatem habent. Ex quibus autem utrisque? non profe-
cto ex qualitatibus, (sunt enim quatuor) sed, quæ sunt secundum ipsas, oppositionibus. Sicuti enim di-
ctum est in libris de temperaturis, una quidem est bona temperatura, mistis modice inuicem calido ac
frigido, altera uero humido ac sicco. & fieri potest, ut sit aliquis uterus secundum unam quidem opposi
tionem bene temperatus, secundum alteram uero, male. Sed, ne mulier concipiat, potest uel altera effi-
cere intemperatura. Mulierem uero esse fœcundam, sine ambabus bonis temperaturis est impossibile.
Hippocrates itaque sicuti totum sermonem anteriorem de muliebribus scripsit, sic & nunc dictum de
ijs, quas habent uteri temperaturis conscripsit, nec tamen addidit de uiris sermonem, uel quia prom-
ptum nobis sit ex ijs, quæ dicta sunt, easdem intemperaturas ad semen transferre, uel quia distulit in po F
sterum, sed postea oblitus est. Quidam tamen alterum deinceps aphorismum de maribus ascripsere,
cuius initium est, Similiter & in maribus. Sed probatissimi aphorismorum expositores aiunt ipsum ab
Hippocratis mente & elocutionis modo manifeste deficere. Ac proculdubio ad proportionem illo- 10
rum, quæ de mulieribus Hippocrates scripsit, licet nobis ad uiros transeuntibus dicere, quòd uel pro-
pter temperaturæ frigiditatem non bene semen concoquitur: atque ideo, si mediocris sit intemperatu
ra in ipso, indiget utero calido sufficienter: Sin immodica sit, est omnino infœcundum, uel propter hu-
miditatem rursus non concoquitur: & hoc etiam indiget, si modica sit intemperatura, utero calidiori
ac sicciori: sin immodica, infœcundum est. Eodem modo & propter excedentem calorem semen fit to
sto simile. Ob siccitatem uero, ubi primum excidit, neque extendi potest: quod maxime est necessariũ,
si mulier debeat concipere. Ostensum est.n. in libris de semine, nisi per uteri cauitatẽ parte plurima se-
men extendatur, mulierem non concipere. His igitur ueluti quibusdam elementis a nobis adstructis, A.l.3.l.21.t.2 c.8.p.709. B.
deinceps dicamus id, quod paulo ante dicere distulimus, quod etiam a Platone in Theæteto proponi-
tur. Inquit enim hoc esse maximum opus obstetricum, scire coniungere inuicem corpora apta ad con-
ceptionem, quod nunc in sermone dictum est: & simul posse discernere, qui uiri sint infœcundi, & quæ
mulieres steriles. Nam immodicæ intemperaturæ, horum sunt causæ: Modicæ uero si sint, & cõtrarijs G
coniungantur, tunc concipient mulieres: si uero similibus, non concipient. Neque enim fieri potest,
ut frigidius semen in utero frigidiore sit fertile, quẽadmodum neque siccius in sicciore: idẽ & de duo-
bus alijs sentiendum: sed indiget semen quidem frigidius, utero tanto calidiore deficit ab optima tem-
peratura: & humidius sicciore: eodem modo & in alijs. Cognitio autem omnium immodicarum uteri
intemperaturarũ est, quam pauloante dixit Hippocrates in suffitu, qui per aromata fit. Frigiditas enim
spissitudinis ratione non permittit usque ad os & nares ferri aromatum exhalationem: eodem modo &
siccitas. Humiditas uero sicuti ab ipso dicta est extinguere genituram, sic & aromatum qualitatem. Re-
liqua est uehemens caliditas, quæ ea ratione, qua uincit aromatum facultatem, alterat atque corrum-
pit: ac propterea non permittit ipsam seruantem suæ naturæ sinceritatem, ad os & nares ferri. De hisce
etiam naturis suffitus aromatum sufficientem cognitionem præstabit: qui si eam præstare non sufficiet,
ex alijs indicijs nobis erit talis natura inuestiganda, hoc ipsum primum cognoscentibus, quòd rara ad-
modum est huiuscemodi temperatura in mulieribus. siquidem fœmina est mare natura frigidior. Vnde
ob hoc ea, quam facit Hippocrates, ex aromatum suffitu dignotio, in sterilibus mulieribus utilissi-
ma est, uel quia omnis immodica intemperatura isti subijcitur, uel quia rarissime una ipsam sub-
terfugit in mulieribus illis, quæ tenues apparent, nigræ, & hirtæ, ita ut ex his signis percipiatur earum H
immodica intemperatura sine suffitu aromatum.

*Similiter autem & in maribus. Aut enim propter corporis raritatem spiritus extra fertur, ut semen non transmittatur* 63
*ad os: uel propter spissitudinem humor non exit foras: uel propter frigiditatem non concalescit ita, ut ad hunc colligatur lo*
*cum: uel propter caliditatem hoc idem accidit.*

Qui hunc interposuit aphorismum: ne proprias quidẽ uoces intellexit. Nam, cũ profiteretur eundẽ
in uiris sermonem se facturum, sicut Hippocrates in mulieribus scripserat, non fecit hoc. Cum enim il-
le de quatuor intemperaturis fecisset mentionem, oportuit hunc etiam quatuor in maribus, ut nos fe-
cimus, in medium adducere: uerum non sic iste, sed primum quidem corporis raritatem statim damnat,
quæ in mulieribus fuit prætermissa. deinde nec eius sermo, si ipse seorsum diligẽtius examinetur, uerus
deprehendetur. Conspiciuntur siquidem uiri non pauci, qui, licet corpus rarum habeant, semen ta-
men habent fœcundissimum. neque id mirum. Raritas siquidem corporis, in calidioribus una atque
humidioribus prouenit temperaturis, quæ potissimum plurimo semine & fœcundissimo abundant.
Nam & materiam habent: ex qua semen generatur copiosum, & uim, a qua concoquitur. Eiaculatur
autem

A autem ſemen uaſorum ſeminalium intentione compreſſum, non ſpiritus occurſu propulſum. ſiquidẽ
ſubſtantia ſpiritualis cum humore miſcetur ſeminis, quæ & ipſa indiget exprimentibus, ſicut & humor:
qui tantum ſiccum ſuperexcedit, quanto & celerius foras eijcitur, & ad longius ſpatium fertur. Hæc igi
tur ſunt ab eo ignorata, qui aphoriſmum adiecit, & præterea, cum ait humorem propter ſpiſſitudinem
non exire foras. Si.n. aliũ humorem a ſemine dicit, ſermo delirus eſt. Si uero ait ſemen propter corporis
totius ſpiſſitudinem non exire foras, ignorat omnino, quæ ſit ſtructura inſtrumentorum, quæ ſeminaria
uocantur. melius enim fuerat ipſorum cauſari anguſtiam. Sed, & quod deinceps eſt dictum, uſque ad
aliquid uerum, non habet id, quod ſequitur, intelligibile. Nam, quòd propter temperaturæ frigidita-
tem ſemen non concaleſcat, ac propterea ſit infœcundum, uerum exiſtit: quòd autem colligi nequeat
ad locum hunc, ſuperfluo adiectum eſt, præter id, ꝙ neque locus ab ipſo explicatur, ſed a nobis intelli-
gendus relinquitur: & tamen id uerbum, hunc, ad ea, quæ prius dicta ſunt, habet relationem. Sed hæc
quidem parua ſunt: Qui uero circa finem error, eſt magnus, cum dicat propter ipſius caliditatem hoc
idem euenire. nam manifeſte ad illud, quod antea dictum eſt, ſermo iſte refertur. Dictum autem antea
fuit, ꝙ propter frigiditatem non adeo concaleſcat, ut ad hunc locum colligatur. Quare propter calo-
rem oportet intelligere non concaleſcere, neque colligi in uaſis ſeminarijs ſemen. Hoc autem eſt aper-
B te abſurdum. Nam torreri aut aſſari, aut tale aliquid ſemen pati propter calorem, rationem habet, non
concaleſcere autem, eſt omnino perabſurdum.

64 *Lac dare caput dolentibus malum: malum uero & febricitantibus, & quibus hypochondria ſuſpenſa murmurant, & ſi-*
A.l.3.f.1 t.1. c.29 p.344 F *ticuloſis: malum autem, & quibus in febribus acutis biliosæ ſunt deiectiones, & quibus ſanguinis multi deiectio facta eſt. Con*
*uenit autem & tabidis dare, qui non ualde multum febricitant: & in febribus longis, & paruis, ſi nullum ex ſupra di-*
*ctis ſignis affuerit, & præter rationem conſumptis.*

Quòd lac facile alteretur, & ꝙ duplicem habeat alterationem: cum copioſiori adhæret calori, ſtatim
in nidorem abiens: cum autem pauco, cito aceſcens: tibi licet perdiſcere, partim ſtatim, cum ex mam-
A.l.4.f.1.t.2. c.1.p.772.F mis excidit, ad ignem elixanti: partim ipſum iacere per ſeipſum permittenti. Nam & elixatum in nido-
rem abit, & repoſitum omnino aceſcit, cito, uel tarde. Sic autem & in ſanis, ſi non bene concoquatur,
in quibuſdam aceſcit, in quibuſdam autem in nidorem abit. in uentriculo quidem frigidiore prorſus
aceſcit uel citius, uel tardius, in calidiore uero in nidorem abit. Lac uero bene concoctum nutrit, & bo
nos facit humores: &, dum concoquitur, pariter attollit hypochondria, ac caput petit. Hos effectus &
paſſiones in ſanis etiam uidebis. Verum, quæ ægrotis accidunt, percurrit Hippocrates: quæ ſemper
quidem experiri uolentibus manifeſtantur: & poſſunt etiam ante experientiam cognoſci. Vbi enim in
C ijs, qui integra ſanitate fruuntur, uidemus lac capiti dolorem afferre, & hypochondria inflare: non eſt
admirabile colligere, quòd ijs, qui iam caput dolent, uel ſuſpenſa habent hypochondria, ſit inimiciſſi-
mum. Recte autem dixit hypochõdria ſuſpenſa, licet dicere potuerit inflata & flatuoſa. Neq; enim hæc
ſola poteſt lac offendere, ſed & alia omnia, quæ ſunt quouis modo ſuſpenſa, propter aliquam talem,
qualis eſt inflammatio, uel eryſipelas, uel tumor prædurus uel laſſus, paſſionem. Adhuc autem magis, ſi
abſceſſus nondum ſit in hypochondrio diruptus. eſt enim his etiam lac inutile. Hæc itaque omnia uno
uerbo ſignificat Hippocrates, inquiens, hypochondria ſuſpenſa. Nocere autem ait & murmurantibus
lac, quæ alia ſunt ab inflatis & diſtentis. flatuoſa ſiquidem ac uentoſa, & hæc ſunt. Maior itaque offenſio
diſtentis hypochondrijs obuenit, minor uero murmurantibus: ſed tamen his quoq; lac eſt inutile. ace-
ſcit enim in ipſis. Serum tamen lactis ſale & melle cõdientes, plurimis talibus exhibuimus, qui & iuua-
ti ſunt eorum aluo ſubducta. Sitientibus quoque malum inquit lac eſſe. euaporat enim in ipſis, ſiue na-
tura ſiticuloſi ſint, ſiue ex aliqua occaſione ſitis aduenerit. Et bilioſa deijcientibus, in quibus etiam di-
cerem ipſe lac in nidorem abire: non minus, quàm in ijs qui talia euomunt. Nam in uniuerſum didici-
mus, quàm celerrime ab omnibus cauſis calidis lac ad nidoroſum alterari. merito itaq; & ijs, qui acu-
te febricitant, nocet. mihique uidetur ſermo melius in hunc modum ſe habere: Malum autẽ, & quibus
D bilioſæ deiectiones, & acutis febribus. Neque enim ambobus ſimul iunctis tantummodo noxium eſt
lac, ſed ſeorſum in utroque. His igitur paſſionibus lac plurimum aduerſatur. Vtile autem eſt ijs, quæ ſe-
quuntur, de quibus eſt ab Hippo. ſcriptum in hunc modum: Conuenit aũt tabidis nõ ualde febricitan-
tibus dare. Nam primum de tabidis facit mentionẽ. Intelligendũ aũt eſt ipſum ita noïare illos, qui ta-
bẽ ex ulcere pulmonis patiuntur. Nã alios, qui alia ex cauſa ſunt extenuati, ipſe deinceps noïat in uer
bis illis, quorũ initiũ eſt, Et in febribus paruis. Cõe aũt in oĩbus, qui lacte indigẽt, quòd cibus bonum
generans ſuccũ, & qui cito per uenas diſtribuatur, illis eſt neceſſarius. Neq; mirandũ eſt, ſi lac dicimus
bonum ſuccum generare, etiam ſi aliquid habeat flatuoſum. Nam in uniuerſum, bonum ſuccum gene-
rare dicimus, quæcunque poſt coctionem ad bonum humorem tranſmutantur, hoc eſt ad ſanguinem.
hic enim humor eſt nobis amicus. Cur autem, cum dixiſſet, Conuenit autem tabidis, adiecit,
Non ualde multum febricitantibus, mihi uidetur dignum inueſtigatione non parua. nam ſufficie-
bat etiam ſine ualde dicere. Nunquid igitur & multum febricitantibus lac exhibet: ſolis autem ijs,
qui ualde multum febricitant, haudquam exhibet? an ab aliquo adiectum fuit uerbum, ualde, ſicut
& pleraque alia? Hæc itaque quiſpiam per ocium inquirat. Sciat autem hoc nunc a nobis diſcens,
multum febricitantibus lac dandum non eſſe. Miror autem, quo modo in illis, in quibus lac dari iubet,
aſcripſit, Si nullum ex ſupradictis ſignis affuerit, cum ſit a doctrina aphoriſtica alienum, id enim

erat ex ijs,quæ ptius dixerat,cognitum, etiam hoc non adiecto,quòd dandum eſt tabidis, & præter rationem extenuatis lac,niſi caput doleat,aut hypochódria intumuerint,aut bilioſæ ſint deiectiones,aut tale aliquid aliud ipſis adſit.An non ſimpliciter, neque ſemper ſeruare breuitatem uidetur Hippocrates, ſed in quibus magnum aliquod periculum imminet,ſi negligentius,quod ab ipſo docetur, accipiatur in his terve repetere eadem,non ueretur? E

*Quibus tumores in ulceribus apparent,non conuelluntur ualde,neq; inſaniunt:uerum his euaneſcentibus,derepente quibuſdam a tergo conuulſiones & diſtentiones fiunt:quibuſdam ante inſania, uel dolor lateris acutus, uel ſuppuratio,uel difficultas inteſtinorum,ſi tumores ſint rubicundi.* 65

A. l.4.f.4.c.2. c.1.p.876.E.

Omnes præter naturam tumores Hippocrates œdemata,nominat,ſub quibus uidelicet etiã inflammationes continentur.ſaneque hoc ipſum nomen inflammationis antiqui omnes magis inflamminibus,etiã ſi ſine ullo ſunt tumore,adaptabant.Quod igiť dicitur,tale eſt: Quibus tumores ulceribus adueniunt,non admodum conuelluntur,neque inſaniunt. Hoc autem indicio eſt,quòd non nulli quidem in ipſis conuelluntur & inſaniunt,ſed raro hoc patiuntur, quando uidelicet magnitudinem effatu dignam uel malignitatem aliquam aſſumpſerint.Si uero tumores derepente euaneſcant,conuulſiones ac diſtentiones,quando in partibus poſterioribus hoc eſt in dorſo,ulcera fuerint:conſequuntur. Quæ uero deinceps dicuntur,ſi in partibus anterioribus fuerint,conſequi dicit. Poſteriora ſiquidem neruoſa ſunt,anteriora autem uenoſa atque arterioſa.Quando igitur ab ulceratis partibus humor, qui fecit tumorem,ad aliquam partem principalem ſe contulit:in partibus quidem neruoſis poſterioribus cõuulſiones fient ac diſtentiones:(nam hæ ſunt neruorum paſſiones)in anterioribus uero inſania, ſi feratur ad caput:lareris autem dolor,ſi ad thoracem humor conuertatur. Sæpius uero & hi ſuppurantur, ſi humor non diſſolutus fuerit.Difficultatem uero inteſtinorum fore inquit, ſi tumores rubri fuerint & repente diſcedant:illam dico inteſtinorum difficultatem,quam ſanguineam nominant, quæ eſt ſanguinis euacuatio per ineſtinum abſque exulceratione. Quòd igitur,ſi uel in dorſo, uel in partibus anterioribus illi oppoſitis contigerit aliquando tumores derepente euaneſcere in tales ægri incidũt paſſiones, nos uidimus: non tamen ipſe nobis Hippocrates manifeſtauit,an de his partibus ſolis loquatur,an ſimpliciter de omnibus ita ut artus quoque hoc ſermone comprehendantur. In tibia itaque non ſunt in partibus anterioribus muſculi in chordas ualidas deſinentes. In coxa uero in partibus genu anterioribus maximam uidemus chordam, ob quam per compatiendi rationem rarionabile eſt magis ſequi conuulſionem,quàm ob aliquem muſculorum,qui ſunt in partibus coxæ poſterioribus. Sunt enim omnes carnoſi.Quare uerum non uideretur id,quod uniuerſaliter ab Hippocrate dicitur, quòd ex partibus tantum poſterioribus accidunt conuulſiones.Videtur quidem magna ex parte id fieri, non in cruribus modo,ſed etiam in brachijs,forte quoniã hæ partes omnes e directo ſunt dorſalis medullæ. Naſcuntur autem ab hac,& artuum,& ſpinalium muſculorum nerui. F G

*Si in uulneribus fortibus & prauis tumor non appareat,ingens malum.* 66

Poteſt & ultimo aphoriſmi uerbo,malum,adiungi ingens: poteſt & priori parti coniungi.Fiet enim ſermo talis: Vulneribus prauis exiſtentibus, ſi tumor non appareat,ingens eſt malum.Vel talis: Vulneribus prauis exiſtentibus,ſi tumor ingens non appareat, malum. Contingit autem & uerbum, ingens,communiter dici, ac ſi ita dixiſſet: Si uulneribus prauis exiſtentibus, tumor ingens nó appareat, ingens eſt malum. Melior uero ex tribus ſermonibus meo quidem iudicio hic eſt: Si uulneribus prauis exiſtentibus,tumor non appareat,malum eſt ingens. Dictum autem eſt,& antea, quòd œdema ab ipſo generaliter dicitur de omnibus tumoribus præter naturam.Vulnera autem praua dici exiſtimandũ eſt,quæ ſunt in capitibus aut finibus muſculorum, & maxime neruoſorum.Nam in capitibus muſculorum,muſculis nerui inſeruntur: ex finibus autem chordæ oriuntur. Sicuti igitur paulo prius damnabat omnes tumores derepente euaneſcentes,ita nunc illos, qui neque omnino adueniunt uulneribus prauis.Nam & in his ſuſpicandũ, ne humores ad uulnera defluentes, ad partes principaliores tranſmeẽt. Hoc in illis præſertim fieri uulneribus eſt exiſtimandum,in quibus adeſt quidem dolor, & propter ipſum omnino aliquid influit,ſed a medicis reprimitur ualde infrigidantibus aut aſtringentibus medicamentis:nam, ſi dolor abſit,neque fluxio mouetur.Maxime autem dolores patiuntur partes neruoſæ, quæ per medicinas calefacientes atque exiccantes curari deſiderant. H

A.l.1.f.3.d.3. c.80.p.87.C.

*Molles boni,crudi uero mali.* 67

Hic ſermo pars eſt antecedentis,docente Hippocrate omnes tumores,quicunque molles ſunt, bonos eſſe,contrarios uero prauos.Proprie igitur molli opponitur durum atque renitens: Hippocrates uero crudum ipſum nominauit. Neque enim fieri poteſt, ut ſit tumor renitens bene cócoquente membri natura humores ad ipſum confluentes.

*Dolenti partem capitis poſteriorem,in fronte recta uena inciſa prodeſt.* 68

A.l.1.f.4.c.20 p.149. F. & l. 3.f.1.t.1.c.29. p.343. C. & 359.c.34.

Non ſolum ſtudet Hippocrates,ubi ſit opus,euacuare,ſed cum auerſione. Auerſio autem ad contraria fit,ſecundum longitudinem quidem ſupra & infra: ſecundum latitudinem uero hinc & inde, hoc eſt a dextris & a ſiniſtris:ſecundum altitudinem uero ante & retro. In doloribus itaque partis capitis

poſterioris

A posterioris, cum auersione nunc euacuatio ex fronte fiet: sicuti anterioris ex occipite. Sic itaque diuturnæ oculorum fluxiones sæpius sanatæ sunt, ex partibus secundum occiput sanguine misso, & cucurbitulis admotis.

69 *Rigores incipiunt mulieribus ex lumbis magis, & per dorsum ad caput: sed & uiris parte corporis posteriore magis, quàm anteriore, ueluti femorum, cubiti. Sed & cutis, rara: indicio autem est pilus.*

Rigores omnes incipiunt quidem cum sensibili frigore: paratiores autem non solum ad suscipiendam, sed etiam sentiendam frigiditatem, sunt dorsi partes: quare non absque ratione hinc rigores inchoant: & hi citius fiunt mulieribus, quoniam fœmina est natura frigidior atque imbecillior. Recurrit autem hinc rigor incipiens, ad principium neruorum, scilicet caput, celerrime facta per spinalem medullam compassione, quoniam & ipsa, natura frigida est, sicut & cerebrum, & propter substantiæ mollitiem, ut cerebrum, alterationem facile suscipit. Ex partibus autem anterioribus rigores non inchoāt, quoniam calidiorem habent, quàm partes posteriores, temperaturam. huiusque argumentum sumit ex cutis raritate: rursusque raritatis ex pilorum multitudine. Dictum est autem a me de generatione pilorum sufficienter in commentarijs de temperaturis.

B

70 *A quartanis capti, non admodum a conuulsionibus capiuntur. Si uero prius capiantur, & quartana superuenerit, liberantur.*

A. l. 3. f. 2. c. 7. p. 399. A. & l. 4. t. 1. 2. 2. c. 62 B. p. 797.

Quæ fit ex euacuatione conuulsio, acutissima est & perniciosissima: quæ uero ex repletione partium neruosarum, qualis in morbo comitiali, neque acutissima, neque similiter periculosa. Meminit autem Hippocrates nunc non de tali conuulsione. nam uerba, capti, & capiuntur, longitudinem tēporis ostēdunt. Hanc itaque conuulsionem quartana non solum prohibet fieri, uerum, si præfuerit, soluit. Fit autē ab humoribus lentis ac pituitosis, qui partibus neruosis inserti sunt. Cum uero horum humorum duplex sanatio sit, excretio scilicet, & coctio: ambas habet quartana, excretionem quidem ex rigore: (hæc enim sola conuulsio sufficiens est crassum excernere humorem) coctionem uero, caloris febrilis ratione, qui rigorem consequitur.

71 *Quibus cutes circumtenduntur aridæ & siccæ, sine sudore moriuntur: quibus uero laxæ & raræ, cum sudore moriūtur.*

A. l. 4. f. 2. t. 1. c. 98. p. 833. A

Morituri, qui squallidas, duras & siccas habent cutes & extentas: sine sudore moriuntur: qui autem contrario modo, laxas uidelicet & molles, & raras, cum sudore moriuntur. prioribus siquidem humi-
C ditas uel omnino deest, uel cuti: alijs uero & cuti inest.

72 *Qui regio morbo laborant, non multum uentosi sunt.*

Ventosos ab ipso nunc dici est existimandum illos, qui in uentre colligunt multitudinem uenti flatuosi, qui uel per ructus uel flatus excernitur, uel remanet, & extendit, quæ ibi sunt. Fit autem hoc non nunquam ob debilitatem, & imbecillitatem partium ad uentrem attinentium, non nunquam uero ex pituitoso & frigido humore. Hi itaque, qui propter pituitosum humorem uentosi sunt, contrarij sunt laborantibus regio morbo, qui ex bile accidit. Quare hi nunquam ob humoris exuperantis naturam uentosi fiunt. Contingit autem ipsos ob partium imbecillitatem fieri aliquando uentosos. Quare sermoni adiecit, non admodum, perpetuitatem quidem negationi adimens, ostendens autem maiori ex parte, quod prius dixerat, fieri. Neque enim admodum inuenire contingit regio morbo laborantes, habere partium ad uentrem attinentium imbecillitatem.

# GAL. IN APHORISMOS HIPPOCRATIS COMMENTARIVS SEXTVS.

1 A. l. 3. f. 16. t. 1 c. 2. p. 614. B

*IN longis læuitatibus intestinorum, si ructus acidus fiat, qui prius non erat, signum bonum.*

Læuitas intestinorum est uelox exitus eorum, quæ comeduntur atque bibuntur: quæ talia deijciuntur, qualia fuere deuorata. Siquis uero uellet breuiorem afferre definitionem diceret esse priuationem coctionis, cum neque quo ad consistentiam, neque quo ad colorem, uel odorem, ullamve omnino qualitatem, in uentriculo facta fuerit mutatio ciborum. Tale autem nomen hæc passio sortita est, existimantibus illis, qui prius talem ei indiderunt appellationem, fieri ipsam propter intrinsecæ superficiei intestinorum læuitatem, ob quam cibos, qui continentur in eis, non amplius apprehendunt, ut, cum suam seruabant sibi a natura inditam asperitatem, retinebant. In pluribus itaque alijs, qui primi nomina rebus imposuere, quamuis sint collaudandi: non tamen eos in læuitate intestinorum accepto, cum ignorauerint, quòd ipsius uentriculi proprium est ci-

bos

bos amplecti, ac ſe circunſtringendo, certo tempore detinere, & rurſus ad inferiora dimittere. Et, E
ſicut in ueſica fit urinæ ſtillicidium, non expectante, ut illa colligatur, ſed ſtatim tanquam mordentem aut aggrauantem expellente: ſic & in uentriculo ueloces exitus. hi enim ſunt communes omnium excretionum cauſæ: quas ſi illi ſciuiſſent, qui primi hanc paſſionem, læuitatem inteſtinorum nominarunt, talem de ea opinionem abieciſſent, & uice eius, totius uentriculi atque inteſtinorum imbecillitatem in cauſa poſuiſſent, ob quam hæ partes corporis grauatæ a cibis aſſumptis, ipſos confeſtim excernunt. Fieri uero poteſt etiam aliquando, ut a quorundam humorum mordacitate in ſuperficie exulceratis fiat hæc paſſio, etſi ipſa uis non multum patiatur: nam & tunc erit neceſſarium, ut permeantibus cibis, partes exulceratæ dolorem ſentiant, atque ideo deorſum illos propellant, & a ſeipſis quàm citiſſime emittant: quo in omnibus partibus facto, uelocitas exitus ſubſequetur, & nullum fiet initium coctionis. uerum tali inteſtinorum læuitati cuiuſdam morſus inerit ſenſus. In illa uero, quæ accidit propter uentriculi atque inteſtinorum imbecillitatem, abſq; ullo doloris ſenſu fient deiectiones. Adeſt autem & hæc haud parua utrique differentia. Quæ enim fit ex humorū acritudine in uentriculi atq; inteſtinorū abraſa ſuperficie, ceſſante humorū prauitate ſtatim ſanatur cibis ac potibus, qui uim adſtringendi habēt. Quòd ſi longiori tēpore perſeueret, in alterā paſſionem, quæ dyſenteria, id eſt difficultas inteſtinorum nominatur, transmutatur. Quæ autem potentiæ F
retentiuæ ſequitur imbecillitatem, omnino quidem fit ex intemperatura, ſed uel ipſorum corporum, quæ iam habitum quendam non facilem ſolui contraxerunt, eſt diſpoſitio, uel propter humorem aliquem, qui in uentriculo atque inteſtinis continetur, euenit: ex quibus humoribus unus eſt pituita. Vnde & acidos ructus, qui tali paſſione laborant, habent, quos ὀξυρεγμίας nominant, qui & ſine aliqua pituita quandoque in uentriculo frigidiore fiunt: & in quibuſdam læuitatibus inteſtinorum, quæ ex frigiditate ortum habent una fiunt, ſed progreſſu temporis ceſſant. Nam ab initio paruo quodam tempore cibi in uentriculo retinentur, procedente autem atque aucta paſſione, neque hoc tempore retinentur. In quibus igitur paruo remanent tempore, fit quoddam ueluti initium coctionis, & propter hoc non ſortitur effectum. Nos uero didicimus fruſtrationes coctionis ex frigiditate prouenientes, ructus acidos facere. In quibus autem cibi nullum habent coctionis initium: neque ulla ab initio fit in qualitate mutatio: quare neque ructus accidi, niſi pituita, ac præſertim acida, in uentriculo abundet. Propterea Hippocrates non ſimpliciter dixit bonum eſſe ſignum acidos ructus in læuitatibus inteſtinorum, ſed primum, in longis, adiecit, quaſi cum incipientibus, ut dictum eſt, ſæpius una eueniant: deinde, ubi prius non fuerint, inquit, Quæcunque enim a pituita uentriculum refrigerante fiunt læuitates inteſtinorū, ſemper cum ipſis ſunt acidi ructus, ut caſus quidā. Illis igitur, quæ neq; incipiūt neq; ex G
pituita fiunt, non inſunt acidi ructus. ꝙ ſi aliquādo fiant ſignificat tantum iam tempus cibum in uentriculo retineri, ꝙ principium mutationis accipiunt, & naturam ſuorum operum reminiſci. Hactenus mihi uideor expoſitoris officium ſatis impleuiſſe. Siquis autem eorum, quæ dicta ſunt, uult capita òmnia ſcientifice cōprehendere: in tractatu, qui de potentijs naturalibus inſcriptus eſt, non paucas habet de uentriculi uiribus demonſtrationes: in cauſis autem accidentium, de omnibus, quæ uelociter excernuntur. Quoniam uero Eraſiſtratus in ſecundo de uentriculo mentitus eſt de medicis ſe ætate ſuperioribus, turbauitque & confudit inteſtinorum læuitatis notionem: melius mihi uiſum eſt hæc e- »
tiam ſuperaddere, ac primum ipſius Eraſiſtrati uerba ſubſcribere, quæ ita ſe habent: De ea, quæ læuitas »
inteſtinorum nominatur, dicendum: quam priores medici in tres partes diuiſerunt, in difficultatem »
inteſtinorum, in læuitatem inteſtinorum, & teneſmon, id eſt tentionem: quidam tamen in ijs, quæ ex »
cernuntur, differentias conſiderantes paſſionis, atque dicentes, Quando ſanguinolenta atque mucoſa »
exeunt, quæ a uentriculo fuere concocta, tunc difficultatem inteſtinorum nominabant: ſi uero exeun »
tia cruda, miſta autem ſanguinolentis atque mucoſis, læuitatem inteſtinorum uocabant: cum uero bi- »
lioſa miſta cum ſanguinolentis atque mucoſis excernuntur, tentionem, paſſionem appellabant. Hæc
igitur Eraſiſtratus inquit, neſcio qua ductus opinione, adijciens crudis excrementis mucoſa ac ſangui H
nolenta. Hoc enim nullas appoſuit, neque eorum, qui eius ætate claruerunt medici, uelut Philotimus Herophilus, & Eudemus, neque eorum, qui poſt ipſum fuerunt uſque ad iuniores iſtos Archigenis ſectatores, neque, quos ipſe citat, priores medici, hoc eſt ipſo Eraſiſtrato ſeniores. Diocles ſiquidem »
in libro de curatione & cauſa paſſionis, ſcribit in hunc modum »Tertia fit magna ex parte ex difficulta »
te inteſtinorum. uocatur autem læuitas inteſtinorum, ad quam ſequitur deiectio humida ac ſpumoſa, »
& cruda, & multa, & cita poſt cibum aſſumptum, ac potum. Praxagoras autem in ſecundo de aſſidē »
tibus, inquit: Inteſtinorum læuitate laborantibus, quoniam lubricum eſt inteſtinum, ieiunum præſer- »
tim, neceſſe eſt cito ciborum fieri deiectiones. Poſt hæc deinceps, quòd neceſſarium ſit cito exeuntia, eſſe omnino cruda, Praxagoras ſcribit, maximam quidem paſſionis proprietatem in cita ponens deiectione: quòd uero cibi omnino incocti permaneant, hoc unum faciens ex ijs, quæ neceſſario conſequuntur. Neque enim, quia omnino incocti permaneant cibi, ideo cito deijciuntur: ſed, quia cito deijciuntur, idcirco nullam habent coctionem: atque ideo nos, & alij complures medici, citam ciborum nullam habentium coctionem, deiectionem, dicimus eſſe læuitatem inteſtinorum. Ad hunc modum & alij antiqui medici de ipſa ſentire uidentur. Nam in libro de paſſionibus Hippocratis, ſiue eius »
ſit is liber, ſiue Polybi eius diſcipuli, hæc de læuitate inteſtinorum ſcripta inueniuntur: Cibi deijciunt »

impurridi,

A impudridi, humidi, absque dolore, corpus autem extenuatur. Liquet uero fuisse morem antiquum uiris istis, uocare imputrida, quæ nos incocta nominamus. In libro auté de uictu salubri, qui & ipsi Hippocrati ascribitur, (licet, qui adulterinum censent, non nulli ad Aristonem, non nulli ad Philistionem, quidam ad Pherecydem referant) scribuntur hæc uerba: Patiuntur non nulli talia. cibus eis deijcitur humidus, incoctus, non propter morbum, ueluti læuitatem intestinorum, neque aliquem ipsis affert dolorem. Hi quidem omnes Erasistrato seniores. Sed, ut diximus, mille alij, qui omnes Erasistrati ætate & postea uiguerunt, in eandem sententiam de intestinorum læuitate scripserunt. Quare nescio, qua causa ductus de priscis hominibus mentiatur, illos inquiens arbitrari in læuitatibus intestinorum sanguinolenta atque mucosa cibis incoctis commisceri.

2 *Quibus nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra sanitate fruuntur: quibus uero contraria, salubrius degunt.*

In ficcioribus secundum naturam temperaturis nulla omnino superfluitas manifesta, neque sensibilis per nares effluit ex cerebro, sicuti neque per cutem sudor: sed illa, quæ a medicis difflatio occulta nominatur, excrementa extenuata in modum uaporis euacuat. Humidioribus uero naturis sensibiles B fiunt superfluitates, & præsertim cerebri, quoniam est natura frigidius. eisdemque genituram, hoc est semen ipsum, ait esse humidiorem: sicut in ficcioribus aquosa humiditate consumpta, crassius ac siccius est semen. Eos igitur, qui sunt humidiores, siue cerebro tantum, siue corpore uniuerso, non contingit salubrem uitam omnis expertem noxæ traducere, uerū continuo destillationibus ex parua occasione capiuntur. &, si superfluitas eis ad inferiora per palatum descendat, partes subiectæ offenduntur, fauces, guttur, aspera arteria, pulmo, gula, uentriculus. Tusses itaque in ipsis fieri, & difficiles anhelitus, & anginas, cruditatesque, & uentris profluuia est necessarium, non nunquam uero & difficultates intestinorum, quando, quod destillat, salsius quodam modo fuerit. Dixit auté & ipse de his in libro de aquis, aere, & locis, sicuti & in libris de morbis ac passionibus.

A.l.3.f.13.t.1 c.16 p.528.D

3 *In longis difficultatibus intestinorum, cibi fastidia, malum, & cum febre peius.*

Difficultates intestinorum fiunt quidem ex humoribus acribus. sunt autem intestinorum exulcerationes primum quidem in superficie abrasorum, progressu autem temporis & profundiora habentium ulcera putrilagini ut plurimum obnoxia: quo maxime tempore etiam uentriculus ipsis compatiens ad concoquendum ineptus redditur: qua offensione magis ac magis ad superiora perueniente, & cū os C uentriculi afficitur, cibum fastidiunt, hoc est non appetunt. Sunt et, qui & ab initio non nunquam cibū fastidiant propter ichoras fluentes ab hepate, a quibus diximus abradi intestina, præsertim cū hi amaræ bilis naturam habuerint. Nam pars eorum superfluitans, ad os uentriculi effertur. In lógis uero difficultatibus intestinorum cum hic casus euenerit, mortificationem quandam ipsi iam aduenisse uentriculo compatiendi ratione significat, ex qua omnino interijt appetentia, opus ad uitam necessarium. Si uero una cum inappetentia febris adueniat difficultati intestinorum, duorum alterum est, uel putredo aliqua circa ulcera, uel digna effatu inflammatio: atque ita, ut dictum est, toto iam compatiente uentriculo, ægri se habent exitialiter.

A.l.3.f.16.t.1 c.2.p.615.B

4 *Vlcera circunglabra, maligna sunt.*

Quando uel pilos uideris defluentes a circumiacentibus ulceri locis, uel cutem squamulas e summa parte dimittere: scito ijs, qui ita se habent, prauos humores ad partem confluere, qui ulcus erodunt. Neque enim, si radices quidem pilorum possunt corrumpere, loca ulcerata ad cicatricem peruenire sinent.

A.l.4.f.4 t.3. c.1.p.876.D

5 D *Dolores, qui sunt in lateribus & pectoribus atque alijs partibus, an multum differant, perdiscendum.*

Perdiscere oportet non modo locum dolentem, qualisnam sit, sed & magnitudinem doloris in eo, quanta sit. Hoc autem confert & ad loci patientis dignotionem, & ad præcognitionem eorum, quæ circa ægrum futura sunt, & præterea ad curationis inuentionem. Si ergo in latere magnus fuerit dolor, primum hic esse non potest, quin patiatur membrana, quæ subcingens nominatur: secundo autem non est absque periculo: deinde & maiori indiget curatione: si quidem ad clauiculam dolor pertingat, uenæ sectione: si uero ad hypochondrium, purgatione: queádmodum ipse in libro de uictu acutorum edocuit. sin autem mediocris fuerit dolor, & præterea non pungat, ut qui in membrana subcingente est, neque ad clauiculam aut hypochondrium pertingat: contingit ipsum carnosis costarum partibus patientibus fieri, atque ideo neque esse periculosum, neque magno auxilio indigere. Sic & in singulis alijs partibus doloris magnitudo est consideranda: uelut si renum pars carnosa patiatur inflammationem, dolor est grauis: quemadmodum ipse inquit in Epidemijs, ita illum nominans, qui ueluti cuiusdam ponderis, loco incumbentis, inuehit sensum. Alijs uero partibus, quæ sunt in rene, patientibus: dolor sentitur acutus. Dico autem alias partes tunicam hunc obtegentem, & uentrem eius interiorem, & eas, quæ ad hunc terminantur, arterias ac uenas: ac præterea exortus meatuum urinariorū. Sic præterea se habet res etiam in hepate. Nam eius parte carnosa inflammationem patiente, grauis fit dolor:

A.l.3.f.18.t.1 c.2.p.601.C.

fit dolor:tunica uero circunducta,uel uasis,acutus.& ipsius doloris acuti quantitas maior aut minor, E causæ facientis affert indicium.humor siquidem biliosus & acris dolorē auget,sicut & spiritus flatuosus non habens exitum: exoluit autem pituitosus. Non solum autem magnitudo qualitatis aliquod nobis dat doloris indicium,sed etiam quantitatis.Augetur enim cuiuslibet causæ efficientis opus, eius aucta substantia. Si igitur uniuscuiusque doloris uolens a nobis magnitudinem considerari,hūc aphorismum scripsit Hippocrates: sufficienter ipsius usum exposuimus. Si uero non solum,quo ad magnitudinem,dolorum differentiam dicit fore considerandam,sed generalius adhuc quiddam, ac ueluti uniuersalius ostendit,consulens nobis omnes effatu dignas dolorum differentias inspicere: maiorem adhuc ex eo fructum utilitatis percipiemus. Fietque huiuscemodi sermo: Non simpliciter partium dolorem considerare oportet: neque arbitrandum eandem esse in omnibus dispositionem: ueluti si prius quidem Dion,postea uero Theon costam doluerit: non eodem modo utrunque se habere existimandum,sed discere oporter,nunquid multum inuicem in dolore differant,an quodam modo similes existant. Fit autem hoc ex duobus perspicuum,& ex doloris specie,& ex uehementia.Ex specie,si pungēti similis uel tendenti,uel torporem inducenti,uel grauanti, uel stimulanti,uel erodēti,uel ferienti, uel continuus,uel cum intermissione,uel æqualis, uel inæqualis. Ex uehementia,quis sit maior aut minor aduertendum: quæ paulo antea,quo ad magnitudinem,differentia in doloribus dicebatur.Consueuere F siquidem medici uerbo abutentes, omne uehementius,maius nominare, quamuis non ad quantitatem,sed ad qualitatem id pertineat.febrem.n.quæ suam haber in caliditate substantiam, magnam uel paruā uel mediocrē oēs nominare non desinunt.Quare non est mirandum,si & dolorem uehementiorem,maiorem appellant.Immo uero non est admiratione dignum,si,quæ specie inuicem distant, magnum aiunt habere discrimen: ueluti dolorem,qui ponderis cuiusdam similitudinem gerit,ab eo, qui uidetur ferire,uel aliquod aliud pati ex ijs,quæ antea diximus.

A.l.3.f.14.c.2 c.2.p.580.E

*Renum & uesicæ uitia in senioribus difficulter sanantur.* 6

A.l.3.f.18.c.2 c.16.p.667.C

In senibus uix(inquit)sanantur, hoc est multo negocio ac longo tēpore, quæ in renibus ac uesica sunt uitia,qm̄ earū opus indesinens est,quiete autē opus est,si quid sanari debeat:& quia per ipsas euacuatur superfluitas acris,apta irritare,siue ulcus,siue inflammatio,siue aliqua alia passio in ipsis consti-terit. Multo autem difficilius sanantur in senilibus corporibus uesicæ passiones,quoniam & omnes alij morbi,præcipueque longi.Tales enim & ipse superius dixit commori omnes.

*Dolores & tumores uentris sublimes,leuiores:qui uero non sublimes,fortiores.* 7

G

Sublimes nunc intelligendi sunt, non secundum longitudinem corporis, sed profunditatem.Intersstinguuntur autem hi in locis ad uentrem attinentibus,interiore abdominis mēbrana, peritonæo græce appellata,adeo,ut,quicunque supra hanc fiunt,sublimes uocentur: qui uero infra, hoc est in ipsis intestinis atq; uentriculo,non sublimes dicantur.Liquet autem,ꝙ tales rectè dixit esse fortiores.

*Aqua inter cutem laborantibus,ulcera in corpore facta difficulter sanantur.* 8

Docuit ipse in libro de ulceribus, non prius ad cicatricem perduci ulcera, quàm sufficienter exiccentur: hoc autem non facile fieri in ijs, quos aqua inter cutem male habet, ob humiditatis immoderantiam. A.l.3.f.4.c.3. c.4 p.590.F

*Latæ pustulæ non admodum pruriunt.* 9

A.l.4.f.7.c.4. c.6.p.958.F

Sicuti tubercula omnia duplicem habent differentiā,quoniam quædā tendunt in acumē,& altū petunt:quædā ad maiorē extenduntur locū,non tamē in altū attolluntur: sic & pustulæ non nullæ sublimes,non nullæ latæ fiunt. Sublimiores aūt pustulæ atq; tubercula a calidiore humore generantur, humiliores autem a frigidiore. Quare ob duplicem causam latæ pustulæ non admodum pruriūt. Diffla- H tur enim in latitudinem extenta,& facientem ipsas humorem minus acrem habent.

*Caput dolenti,& *circundolenti,pus uel aqua uel sanguis effluens per nares aut os aut aures,morbum soluit.* 10

A.l.3.f.1.c.2. c.2.p.148.F

Plura & alia sic ab Hippocrate esse dicta docuimus, in quibus nisi quis animum aduerterit, uidebitur,quod ab ipso dicitur, solum ad curationem passionis proficere,aliud uero nihil. Verum ipse nō hoc tantum dicit,sed simpliciter,quòd pus uel aqua effluens per nares uel aures, morbum soluit. Quòd si utique conuertens dixisset,quemadmodum ego nunc,sermo foret irreprehensibilis: Quando uel propter inflammationem,uel humorum crudorum multitudinem in capite aceruatorū fieri dolorem contigerit,tunc inflammatione suppurata,aut humore excreto,solutio fit morbi. Si uero propter spiritum flatuosum,aut sanguinis multitudinem,aut bilem mordacem,aut omnino ex intemperatura, dolor acciderit,per alia sanabitur.

*Melancholicis & renum uitio laborantibus hæmorrhoides superuenientes,bonum.* 11

A.l.3.f.1.c.4. c.18.p.376.E & 408.F

Non solum ratione euacuationis hæmorrhoides sanant huiuscemodi passiones,sed & ipsa qualitate humoris euacuati. Hæ etenim sanguinem crassum consueuerunt euacuare,humore plenum melancholico,

A lico, talem habente in ſanguine conſiſtentiã, qualis eſt in uinis fæx: quare nihil mirũ, ſi melancholiæ & renum paſſionibus conferũt hæmorrhoides, ut quæ humorem fæci ſimilem euacuare natura aptæ ſint.

12 *A diuturnis ſanato hæmorrhoidibus, ſi una non ſeruatur, periculum eſt aquam inter cutem uel tabem aduenire.*

A.l.3.f.2.t.1. c.6.p.408.F

Hæmorrhoidas fieri impoſſibile quin propter multitudinem & craſſitiem ſanguinis ora quarundam uenarum aperiantur, hepate ad ipſas reponente fæculentum ſanguinem & melancholicum. Siquis igitur ei hoc intercludat iter, ſimul duritiem in hepate facit, ſimul multitudine grauans ac craſſitie, calorem in ipſo natiuum extinguit, cum tale quid accidat, quale in flammis exterioribus, in quibus multa ligna ſuperingeſta ſuffocant ignem atque extinguunt. Si igitur a natiuo calore generatur ſanguis, perſpicuum eſt, quòd ipſo extincto non generabitur amplius. Aqua uero inter cutem fit, cum ſanguinis generatio fruſtratur. Quòd ſi aliquando poſſit hepar propellere multitudinem ad uenas pulmonis, hic uaſe aliquo rupto tabidi fiunt. Non fruſtra igitur conſulit unam ſaltem ſeruare hæmorrhoidem, ut per hanc euacuetur fæculenta ac uitioſa materia hepatis, præſertim in quibus ſolita eſt tempore longo per tales uenas excerni.

13 B *A ſingultu habitum ſternutatio ſuperueniens liberat.*

A.l.1.f.5.c.15 p.144. D. & 408.F.

Auctor eſt ipſe, ſicuti conuulſionem, ita & ſingultum, uel ex inanitione, uel plenitudine fieri. Quando igitur a plenitudine fit (maxima autem ex parte ita fit) uiolento opus eſt motu, ut ueluti concuſſæ ipſum efficientes humiditates diſflentur atque euacuentur. hoc autem facit ſternutatio. Eos uero, qui ex inanitione fiunt (qui ſunt rariores) non ſanat ſternutatio. Quòd uero ex plenitudine ſingultus iugiter fiat, indicãt pueri crebro ſingultientes, cum ſunt repleti. Algor autem & frigiditas omnis, eo quòd omnia neruoſa corpora efficiunt ad diſflandum difficilia, ſunt cauſa, ut hæc repleantur, atque ideo in ipſis ſingultiunt.

14 *Ab aqua inter cutem habito, ſi aqua e uenis in uentrem defluxerit, ſoluitur morbus.*

Vnum & hoc exemplum eſt earum, quæ ſponte fiunt & utiliter, euacuationum: Spontaneum autẽ dicimus, non, quod ſine cauſa fit, ſed quod noſtra cauſa non fit. Quando enim data a nobis medicina aquam trahente, talis fiat euacuatio: non amplius hanc ſpontaneam nominamus.

15 *A longo alui profluuio habito, ſpontaneus uomitus ſuperueniens, morbum ſoluit.*

C Et hoc pariter exemplum eſt eorum, quæ recte fiunt a natura, quod medicum imitari oportet. Vtilitas uero prouenit retractionis ratione.

16 *A morbo laterali uel pulmonia habito, alui profluuium aduenienſ, malum.*

A.l.1.f.2.d.1. c.8.p.68.E

A.l.3.f.10.t.3 c.1.p.487. C

Cum partes aliquæ patiuntur, non ſimpliciter aliæ compati ſunt natura aptæ, ſed cum forti paſſione detinentur. Secundum hoc igitur, & hepate fortiter patiente, ſingultus ſuperuenit, compatiente ſtomacho: tuſſis autem, & difficilis anhelitus compatientibus ijs, quæ reſpirationi obſeruiunt, inſtrumentis. Sic & his ipſis peſſime affectis hepar compatitur. & hoc ipſum manifeſte oſtendit Hippocrates, cũ non ſimpliciter dixerit, In morbo laterali uel pulmonia aluum turbatam eſſe malum ſignum, ſed adiecerit, habito, ac ſi dixiſſet detento atque uexato homini a talibus paſſionibus profluuium alui ſuperueniens, malum eſſe ſignum. quoniam ita ſe habentibus profluuium alui ſolet aduenire, cum non bene poſſit amplius hepar ad ſe trahere alimentum, neque conuertere in ſanguinem, & quandoque uentriculus alimentum corrumpat. In mediocri autem morbo laterali atque pulmonia profluuium alui ſuperueniens poteſt interdum prodeſſe, ratione euacuationis, & magis, cum ſigna coctionis apparuerint ineſſe paſſionibus, neque adeſt timor, ſed morbus eſt citra periculum. Communiter autem & in his & D in omnibus alijs, quæcunque eodem modo dicuntur, illud meminiſſe oportet, quòd ob nullum aliud extemporaneum & manifeſtum, caſus ſuperuenerit, ueluti & nunc alui profluuium non ex cibo aut potu aliquo, ſed morbi ratione contingat. Nam, ſi alia ex cauſa, & non ui morbi fiat, nõ poteſt eius morẽ ſignificare: ſiquidem oportet ſignum cum re ſignificata in aliquo eſſe coniunctum.

17 *Lippientem alui profluuio corripi, bonum.*

A.l.3.f.2.t.1. c.6.p.408. E.

Non ut ſignum, hoc, lippientibus bonum ab eo dictum eſt, ſed ut cauſa, quia humorum abundantia ſimul euacuatur, atque ad inferiora retrahitur. Eſt autem & hoc exemplum unum eorum, quæ ſponte, & utiliter euacuantur, quod medicum imitari oportet, & proculdubio ſic etiam omnes faciunt, in lippitudinibus aluum & clyſteribus & purgationibus ſubducentes.

18 *Veſica diſciſſa, aut cerebro, aut corde, aut ſepto tranſuerſo aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut uentriculo, aut iecore letale eſt.*

A.l.3.f.19.t.1 c.14.p.675.C

Hoc uerbum, letale, Hippocrates ſæpe in alijs libris, & in hoc etiam protulit de ijs, qui ex neceſſitate ſunt morituri, ſæpe etiam de ijs, qui magna ex parte. Quare nunc quoque manifeſtum non eſt, nunquid omnino ſecuturam mortem diſciſſis his partibus uelit oſtendere, an in quibuſdam raro ho-

minem

minem seruari contingat. Quòd igitur cor uulneratum mortem afferat necessario, unum ex ijs est, E A.l.1.f.2.d.1. c.4.p.54.A.
quæ in confesso habentur: non tamen in alijs æque recipitur uulnus quodcunque mortem affert ineuitabilem, sed illud, quod magnum est, atque profundum, quod rationabile est a uerbo, discissa, significari: ut tota uesicæ tunica diuisa usque ad interius spatium intelligatur: atque in singulis alijs eodem modo. Siquidem in uesica confessum est, tale uulnus non coalescere, sicut & in parte septi neruosa, & in tenuibus intestinis: in uentriculo autem dubitatur. nam quosdam in eo uulneratos dicũt aliquando, sed raro, fuisse sanatos. Hepatis autem non solum profundum uulnus in fibris eius factum, sed etiã fibram abscissam aiunt fuisse sanatã. Neq; nos latet, q in libro de uulneribus exitialibus, quædã ex his eius libri auctor conatur sanare. Quòd uero partes ipsæ diuisæ agglutinari non possint, in corde quidem ac septo transuerso ex iugi eorum motu contingit: in uesica autem, quia neruosa est ac tenuis & exanguis: nam eius collum uidemus quotidie sanari, cum lapis extrahitur, quoniã carnosum est. Hepar uero uulnera habet plurimo manantia sanguine: atq; idcirco prius moriuntur, qui ita sunt uulnerati, quàm uulnera agglutinari possint: hoc autem ita dixi uolens intelligi etiam uenam esse dissectam. Ob hoc ipsum igitur, qui uulnera in summa eius parte consistentia aiunt sanari, & fibras hepatis abstulisse, uerum † uidentur dicere. Cerebrum autem uulneratum sæpe sanatum uidimus, semelq; †Legitur negatiue in Aldino codice.
in Smyrna Ioniæ, uiuente adhuc præceptore Pelope, e uulnere effatu digno. Hoc itaque rarissimum F est. Verum autem est, quòd magna uulnera, quæ consueuit Hippocrates nominare discissiones, afferunt mortem, fatenturque omnes uulnera cerebri, quæ usque ad aliquem eius uentriculum penetrãt, afferre mortem. Tenuium autem intestinorum natura, & uentriculi magis, non parum participant A.l.3.f.11.t.3 c.16.p.327.C
carnosæ substantiæ: & ideo in summa parte uulnerata sæpius agglutinantur: Tota autem discissa usq; ad eorum cauitatem, rarissime. Hoc autem non tam propter eorum substantiam mihi uidetur accidere, quàm q non possumus æque intrinsecus, sicut extrinsecus, medicamentum uulneribus imponere. Quapropter is, qui librum de uulneribus perniciosis conscripsit, siue Hippocrates fuerit, siue quiuis alius, sanare uentriculum per potiones conatur.

*Cum discissum fuerit os, aut chartilago, vel neruus, aut gena particula tenuis, vel præputium, neque augetur, neque coalescit.* 19

Augeri uocat talem aliquam generari substantiam, qualis est abscissa, sicut in cauis ulceribus uidetur caro germinare: coalescere autem, quando discissi corporis labra agglutinantur. Quòd igitur neque chartilago, neque os generentur, est in confesso. An uero agglutinentur, non nulli dubitant. Inquiunt enim perspicue uideri ossa perfracta agglutinari. Sed aberrant, & doceri possunt in brutis, quo- G
rum pars aliqua fracta contraxit callum. Hæc enim seu uiua, seu mortua, siquis uelit inspicere dissecando, uidebit manifeste a callo, ueluti uinculo quodam circunducto, partes ossium discissas esse constrictas: quas si abraserint, fracturæ profundum uidebunt non agglutinatum. Sic igitur de ijs, quæ dicta sunt, ambigunt, non nulli augeri dicentes, non tamen coalescere: quidam uero etiam coalescere sed raro. augeri igitur illa desiderant, quæ per exesum sunt ulcerata: & nullum uidi taliter affectũ, cui non increuerit caro: Agglutinari autem illa, quæ diuisa sunt, & non discissa. Hæc enim inuicem differunt, cum discissa diuisionem habeant usque ad finem peruenientem: quæ nunc Hippocrates inquit non coalescere, non ob id tantum, quòd neruosa sunt atque tenuia, sed quoniam etiam, ex eo, quòd talem habent naturam, labra uulneris non sunt parum a se inuicem distantia. 20

*Si in ventrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari.*

Quidam sine articulo, uentrem, scribunt, uolentes omnem significari cauitatem, quibus astipulatur, quod, præter naturam, adijcitur: per quam adiectionem tale quiddam ostendit Hippocrates: Si unquam sanguis a propria cauitate in aliam quãcunque cauitatem peruenerit: ut sanguis permaneat, est omnino impossibile. Sic igitur & in inflammationibus, & illis, quas Græci ecchymoses nominant, fieri uidetur. In inflammationibus quidem, per minimas partes disperso sanguine ad eas, quæ sunt H
in musculis, cauitates, quas sola ratione contemplamur: in ecchymosibus autem in spatia effuso, quæ uasis circumiacent. Suppurari autem non est recte dictum, cum nomen sit unius mutationis in sanguine factæ. quare non nulli ipsum ad generalius transferunt, hoc est ad corrumpi, id ab ipso dicentes significari. Sic enim fieri uidemus, non permanere sanguinem, cum a suo loco exciderit, sed aliquando suppurari, aliquando nigrescere, aliquando in grumos uerti, præsertim quando in magnam cauitatem exciderit præter naturam.

*In insanientibus si varices vel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio.* 21

Hic insaniam illam, quæ proprie melancholia dicitur, uocat, non illum, qui fit ex bile, furorem. A.l.1.f.4.c.3. p.136.F.& 176.E.
Sunt autem uarices uenæ latiores in coxis & cruribus: quæ ex crasso & melancholico sanguine contingunt, adeo ut pellente natura ad partes ignobiliores eos, qui insaniam efficiunt, humores, præsertim cum melancholici fuerint ac crassi, dictarum passionum generatio sequatur, & insaniæ solutio.

*Quacunque rupta ex dorso ad cubitum descendunt, venæ sectio soluit.* 22

Melius quidam scribunt: Quicunque dolores. nam ruptum ipsum descendere, unum est impossibilium:

A bilium: ſiquidem diuulſa ac rupta muſculi parte carnoſa fit ruptum. Videtur itaque non nunquam manifeſte admodum collectus in loco ruptionis ſanguis: & diſcuſſione ſanatur. Reliqui uero, qui ſunt in dorſo dolores, ex defluente humore generantur, interdum ſolo, ſed magna ex parte craſſo ac flatuoſo ſpiritui aſſociato: quem excipere oportet atque euacuare per uenæ in cubito exiſtentis ſectionem, quando huc apparet fluens. Eſt enim eius præceptum, ſecundum quòd humores repunt, facere euacuationes. Idemque ſignificant uerba hæc, Eo ducendum eſt, quo repunt, per loca opportuna. Si aũt de ruptis ſermo eſt ſcriptus ab eo: eos, qui fiunt compatiendi ratione, dolores intelligendum eſt dici ab ipſo deſcendere ad cubitos, non ipſam carnoſæ partis diuiſionem. Nam fieri poteſt, ut & talibus uenæ ſectio utilis ſit, communi euacuationis ratione.

23 *Si timor atque mæſtitia longo tempore perſeuerent, melancholicum tale eſt.*

A.l.1.f.3.d.5. c.1.p.129.B. & l.3.f.1.1.4. c.8.p.376.D.

Siquis non ex cauſa manifeſta metuat, aut mœſtus ſit, melancholici caſus manifeſte ſunt, etiam ſi nõ diu præceſſerint. Quòd ſi propter cauſam manifeſtam incipientes, diu poſtea perſeuerent, non te lateant melancholiam ſignificare. Nam & plures uiſi ſunt furore corripi, qui ab excandeſcentia, uel ira uel mœſtitia principium habuit, ipſo ſcilicet corpore tempore illo prompte ſe habente ad inciden-
B dum in tales paſſiones.

24 *Si quod inteſtinorum gracilium diſcindatur, non coaleſcit.*

Hoc & in aphoriſmo paulo antea dicto monſtrauit, cuius initium, Veſica diſciſſa, uel cerebro. Neſcio igitur, quo pacto nunc fruſtra fuerit aſcriptus. Idem autem uidimus & in pluribus alijs aphoriſmis quos melius fuerit eximere.

25 *Eryſipelas ab exterioribus verti ad interiora, non eſt bonum: ab interioribus autem ad exteriora, bonum.*

Non ſolum eryſipelas, ſed aliud quodcunque, quod ex profundis & principalioribus partibus trãſfertur ad cutem, bonum eſſe ſignum ac cauſam debemus exiſtimare: Contra uero, ſi ad interiora & profunda tranſmutetur, malum. Sed & alia multa uidetur dixiſſe Hippocrates, quædam ueluti exempla ſermonum uniuerſalium, a quibus eius, quod ſolet euenire, experientiam poſſumus habere manifeſtiorem. Talia etenim exempla oportet eſſe.

26 *Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio ſoluuntur.*

A.l.3.f.2.c.11 p.402.D.

C Vtrum Hippocrates tales ſermones ſcripſerit, ut exempla magis generalium, atque uniuerſalium ſermonum, an alij interpoſuerint, ceteris inquirendum relinquentes, illud tantum in ipſis obſeruabimus, quod & antea dictum eſt, & nunc in febre ardente dicetur. Quæ enim hanc febrem efficiunt cauſæ, in uenoſo genere exiſtentes: quando ad neruos transferuntur, primum tremores faciunt: compatiente uero principio, etiam deliria. Sicuti igitur in febre ardente translatio, ſic & in omni alia febre poteſt fieri: & omnino ex arterijs & uenis ad neruos transfluxus humorum noxiorum, ſicuti rurſus ex neruis ad has. Improprie igitur dictum eſt febrem ardentem a delirio ſolui. Hæc enim ſolet Hippocrates dicere, quibuſdam ſuperuenientia, eorum ſoluere conſiſtentiam, quæcunque prorſus hominem liberant, non quæ alteram generant paſſionem, quæ nihilo minus, quàm prima, ſit periculoſa.

27 *Quicunque ſuppurati, aut aquam inter cutem patientes vruntur, aut ſecantur: ſi pus aut aqua vniuerſim effluxerit, † omnes moriuntur.*

† πάντως. i. omnino.

A.l.1.f.2.d.2. c.29.p.74.C.

Suppuratos præcipue conſueuit nominare, qui pus habent in ſpatio inter thoracem atque pulmonem: quos quo modo urere oporteat, dixit in libro de paſſionibus, cuius initium, Pulmonis arteriæ. Quidam hunc librum inſcribunt de ſuppuratis. Vſtione igitur indigent, qui plurimum habent pus,
D adeo ut deſperent per ſpuitiones poſſe expurgari. Hos uero ipſos & difficultas anhelitus uehementer infeſtat ex loci anguſtia: quæ etiam nos cogit, ut eos uramus. In ijs autem, qui aquam inter cutem patiuntur, illæ, quæ a Græcis paracenteſes, id eſt punctiones, nominantur, magis, quàm uſtiones, medici ſunt conſuetæ. Verum, quod commune eſt uſtioni ac punctioni, nunc ſane Hippocrates conſulit caueri, hoc eſt multam ac ſubitam euacuationem. ſic enim uidetur contingere, uti ait. Scriptum eſt etiam ab Eraſiſtrato exquiſitius de ijs, qui aqua inter cutem laborant, in pluribusque compertum dicit experientia, multam ac ſubitam euacuationem febres & mortem afferre. Videmus autem & in alijs partibus æque atque in thorace, quando aliquis magnus tumor ſuppuratur, periculoſum eſſe ſubito multum euacuare, cum eueſtigio deficiat anima, uireſque concidant, nec poſtea debilitas iſta facile remedium habeat. Videtur itaque in his propter magnam uulneris diſtantiam, & puris acrimoniã, ora quorundam uaſorum arterioſorum adaperiri, quæ prius, ueluti quoddam operculum, pus continebant: quo uniuerſim euacuato, multi cum eo ſpiritus exeunt atque excernuntur: unde periclitantur. In aqua uero inter cutem non modo ob hanc cauſam ea laborantes offenduntur, ſed & durities uiſceris, ut quæ non amplius ſuſtentatur ab aquoſa ſubſtantia, & ſeptum tranſuerſum deorſum trahit, & uiſcera, quæ ſunt in thorace.

A.l.3.f.10.c.5 c.4.p.506.D.

28 *Eunuchi neque podagra laborant, neque calui fiunt.*

Eunuchos

Eunuchos sectio testiculorum similes efficit fœminis. Sicuti ergo in eis caluities non accidit: E sic neque in eunuchis, propter temperaturæ * humiditatem. Nam eunuchos podagra non laborare, Hippocratis quidem tempore uerum extitit: nunc uero non amplius, propter immodicum ocium, & uictum intemperantem. Res autem tota ita se habet. Necesse est pedes natura esse imbecilliores, si quis podagra corripi debeat: sicut & cerebrum, si morbum comitialem passurus sit. non tamen est omnino necessarium alterutrum pati, si nihil in uita deliquerit. Disces autem aperte, quòd imbecillitas partis non sit sufficiens ad generandam passionem ex intermedio tempore accessionum: in quo prorsus non infestantur, quamuis naturalis imbecillitas continua sit. Clarum est autem hoc, & in podagricis manifestissime apparens, quòd influente aliquo ad pedes humore superfluo, passio generatur. Si nunquam igitur hic humor influeret, liquet, quòd neque unquam accideret passio: Non influet autem, si semper uacans superfluitatibus corpus extiterit. Erit autem uacans superfluitatibus, si mediocri utatur exercitio, & homo bene cibum concoxerit: unde & desidiæ & crapulæ eis nocent. Nocent etiam multa & potentia uina bibita, præcipue cum aliquis ea ieiunus potauerit. Hæc enim neruosam substantiam prompte † percutiunt, sicut & coitus. Aetate igitur Hippocratis pauci podagra laborabant, propter uitæ moderantiam: nostris ueto temporibus usqueadeo auctis edulijs, ut nihil eis addi posse uideatur, infinita est podagrarum multitudo: cum non nulli sint, qui ne exerceantur quidem, sed cruditatibus atque ebrietatibus incumbant, & ante cibum bibant uina potentia, ac uenereis utantur immoderate: non nulli uero, etsi non in his omnibus, in uno saltem aut duobus delinquant. Atqui peccatum magnum cum fuerit: sæpe in uno eorum, quæ diximus, deliquisse sat est. Ob hanc igitur causam etiã eunuchi podagra corripiuntur, quamuis nullum habeant usum uenereorum. Talis enim est eorũ desidia, ingluuies, ebrietas ut etiam sine uenereis podagra corripi possint. Hæc eadem & de articulari morbo dicta existimes. omnes siquidem, qui eo laborant, maxima ex parte prius podagrici fiunt. Accedit ad has causas, ob quas plerique incidunt in podagras, quòd multi & patres & auos habuere podagricos, in quibus semen erat uitiatum: atque ideo filijs uehementiorem fecerunt partium imbecillitatem.

A.l.3.f.12.r. c.5.p.745. C & l.4.f.7.c.1 c.1.p.941. * In aldinis libris legitur, ψυχρὀν.i.frigiditatem. † πληρoῦσι.i.replent. A.l.3.f.12.r. a c.5.p.745.A A.l.1.f. 2.d.1. c.1.p.68.F

*Mulier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint.* 29

Mulieres non fiunt podagricæ, ratione euacuationis. Ostensum est enim in præcedente sermone, quòd, nisi humores superabundauerint, ex sola partium ad patiendum habilitate non potest podagra fieri. Verum rursus & hic, prius quidem erat uerum, ubi non omnino menstrua defecissent, quia parua erant delicta, quæ ætate superiore mulieres admittebant: nunc uero ob eorum magnitudinem, quædã G podagra laborant, antequam menstrua deficiant, cum quampluribus pauca exeant, non nullis autem uel mediocria.

*Puer podagra non laborat ante usum uenereorum.* 30

Quòd magnam uim habeat ad podagræ generationem usus uenereorum, liquet etiam in pueris, quemadmodum paulo antea & de eunuchis dicebam. Eunuchos itaque uidimus quosdam podagra laborantes, pueros autem non uidimus. Verum, siquis tali est passione correptus: una cum hoc, q & genuum articuli & manuum intumuerunt, in quendam articularis morbi modum repente incidit ob plenitudinem ex multis cruditatibus aceruatam.

*Dolores oculorum, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut uenæ sectio, aut medicamentum epotum soluit.*

Singula horum, quæ dixit, magis experiẽtia, quàm ratione aliqua, uidetur mihi Hippocrates cognouisse. Nihil enim mirum, si homo dolens, cum isset ad balneum, dolore fuit liberatus: uel, si non permissus bibere uinum, deinde nullam ex hoc sentiens utilitatem, motus est ad bibendum, alioqui multum appetens uini, & posthac melius se habuit. Sicut igitur & plura alia, quæ medici hoc modo inspexere, H sunt ab eis scripta absque aliqua determinatione: ita & hæc mihi scripta uidentur ab Hippocrate qui neque ut rationales, dispositiones, neque ut empirici concursus est persecutus. Ceterum utilitas, quæ nobis potest aduenire ex sermonibus hoc modo scriptis, est in inquirẽdo dispositiones, in quibus meri potio, & balneum, & unumquodque eorum, quæ seriatim dicta sunt, utile sit: quod & mihi contigit. Nam, quòd omnino sint aliqui oculis dolentes, quorum non nulli meri potionibus, non nulli balneis iuuentur, fidem Hippocrati adhibens eram persuasus (neque enim ipse scripsisset, si non uidisset) non tamen ab aliquo præceptorum tale auxilium ægris adhibitum fuisse conspexeram. Itaque, primo cũ omnes quæsijssem dispositiones, in quibus necessarium est non in oculo tantum, sed & in alijs partibus fieri dolores: deindeque mihi ipse persuasissem eas adinuenisse, hinc consideraui earum indicia dispositionum: &, postquam his etiam fidem adhibui, ausus sum remedia afferre dolentibus: Ac primũ quidem adolescentem balneaui: cui medicus non absque ratione in die secundo ab initio uenam secuerat, & deinceps curauerat medicinis, quas experientia cognouerat, cum inflammatio sola obsideret oculos. Dolebat autem uehementissime per quosdam insultus, in quibus aiebat ipse sentire se acres humores, qui uniuersim fluebant ad oculos: quibus excretis licet uehementia doloris sedaretur, non tamen dolor omnino cessabat. & hoc illi per totam quintam accidit diem, maius semper habens incrementum.

31

A mentum. Cum igitur dolorem non posset tolerare, me & quēdam alterum ex ocularibus medicis aduocauit tunc in urbe Roma probatissimū. Illi itaque uidebatur utēdum esse collyrio quodā ex ijs, quæ emplastica nominant & anodyna, id est dolorem sedantia: cuiusmodi sunt, quæ ex cerussa lota, amylo, & papauere componuntur. Nam sic maxime sperabat posse reprimi per emplastica id, quod influebat, & simul sensum per stupefacientia torpescere. Ego uero ab initio suspecta habui talia medicamenta. Neque enim uehementes reprimunt fluxiones, sed excerni prohibent: atque ideo, si humores fluentes acres extiterint, corneam erodi contingit: si uero multi, extendi ac uehementer irritari, ac si rumperetur: ex quibus, nisi medicamentum fuerit magnopere stupefaciens, dolores impatibiles excitantur. Si uero fuerit adeo stupefaciens, ut ex eo oculi maximam inflammationē non sentiant, necessariū est simul uim uisoriam lædi adeo, ut cessante inflammatione, uel debiliter uel nihil omnino uideant: simul quandam præduram dispositionem & quæ difficulter sanari possit, in oculorum tunicis relinqui. Cum igitur ista nouissem, atque animaduerterem humorem influentem non paucum, ualdeque & acrē & calidum: primum fomento utendum censui, experientiæ gratia, tanquam ex ea certius cogniturus, qualisnam foret dispositio. Solet enim in his fomentum parumper quidem dolorem mollire, sed alteram fluxionem aduocare. Qua enim ratione potest id, quod in oculis continetur, discutere: eadem ra-

A.l.1.f.4.c.30.p.157.A

B tione alteram quoque ex uicinis locis attrahere ualet. Verum quàm primum & aquam calidam & spōgiam afferri iussi. æger ipse dixit expertum esse sæpius tota die id remedium, ac primum dolorem imminuere, sed paulopost maiorem adducere. Quæ ego cum audissem, medicum ocularem expectare iussi, ipsi promittens me etiam absque frigido medicamento ægrum a dolore liberaturum. Cum autem solo balneo usus essem, ita dolorem sedaui, ut tota nocte dormiret æger, nec semel aliquem eorum, qui iuxta dormiebant, aduocaret. Ab hinc in reliquis, in quibus per signa cognoui influere quidem humores acres ad oculos, non tamen corpus esse plenum: balnei usu dolorem sanaui. Adolescens itē alius fuit, qui, quia uicinus urbi non erat, oculorum inflammationem pluribus iam diebus ruri passus fuerat: hunc, quia in eodem statu perseuerabat, in urbem profectum intuitus habere oculos squallidos quidē sed ualde tumidas ac plenas sanguine eas, quæ in ipsis uenæ erant: iussi, ut, cum se lauasset, potu uteretur meraciore, & ita se sopori traderet. quod & factum est. somnus enim profundus ipsum inuasit, & mane sine dolore surrexit: mihique fiduciam præbuit, ut, in quibus sanguinis copia crassioris in oculorum uenulis contineretur sine plethorica totius corporis dispositione, uterer uini potione, ut quæ diffundere sanguinem atque dimouere possit, suique motus uehementia obstructiones aperire. Ceterum hæc quidem remedia doloris oculorum fortia sunt. Securissimum autem est fomentum, & omnino ali-

A.l.3.f.3.t.1.c.8.p.409.B.

C quam afferens utilitatem, uel tanquam signum ad dignotionem, uel tanquam causa sanitatis oculorū. Nam, cum nihil omnino influit in oculos, fomentum dissoluens eam, quæ in ipsis cōtinetur, superfluitatem, oculis sanitatem restituit. Cum uero adhuc influit: primo quidem, cum adhiberur, suo calore ali-quod affert uel mediocre leuamen. quòd si paulopost dolorem augear, tunc fit signum dignoscitiuum, ex quo nos dispositionem comprehendentes, ad totius corporis euacuationem peruenimus: ipso quidem sanguine redundante, per uenæ sectionem: malitia uero humorum infestante, per purgationem neque enim difficile est admodum ab humorum malitia sanguinis copiam distinguere.

A.l.1.f.4.c.3.p.37.B

32 *Balbi ab alui profluuio maxime capiuntur.*

Sicuti ψελλίζειν, id est balbutire, prolationis uitium est, non uocis: sic & τραυλίζειν, eiusdem significationis uerbum, non potente lingua exquisite eas dearticulare uoces, quæ per t & r, proferuntur, qualis est hæc ipsa traulus, & similes hæ, trepidus, tremit, tradit, trochus, tristis, & quæcunque aliæ tales. Hæ siquidem omnes exigunt linguam se ampliantem, ac prioribus dentibus innitentem. Cum igitur in aliquibus lingua fuerit imbecillior, male innititur, & sonum t & r, dearticulare nequit, atque ita ad t & l, pronunciandum labitur. Hoc autem ei contingere potest, quia quoquo modo sit breuior, quàm ipsi

A.l.1.f.4.c.5.p.139.C.& 614.C.& l.4.f.7.t.1.c.7.p.941.B

D conueniat: quod tamen rarissimum existit. & quia molliorem atque humidiorem habet temperaturā. quam ob causam & pueri balbutiunt, cum tale quiddam ipsis in loquendo contingat, quale etiam in ambulando euenit. nam & ambulare non nulli prorsus non possunt, non nulli uero non sufficienter, cū cruribus nequeant propter mollitiem firmiter inniti. Quibusdam etiam ætate integra, inter loquendū fatigatis, balbutire contingit: sicut & illis, qui plurimum tibia cecinerint, & quibus uires ex morbo plurimum sunt debilitatæ, & quibus demum lingua est uehementius exiccata. Verum siccitas tanta nulli inesse potest, qui habitum seruet naturalem: atque ideo solius humiditatis immodicæ in ijs, qui natura balbutiūt, id prolationis detrimentum casus est, cum linguæ musculi nequeant firmiter stabiliri: atque hoc ei potest accidere uel propter suam, uel propter neruorum imbecillitatem, quos uidelicet a cerebro suscipit. Quare & ebrij aliquando balbutiunt, partim quia multa humiditate perfunditur cerebrum, partim quia etiam ab ipsius multitudine prægrauatur. Continget igitur ijs, qui sunt balbi natura, ut uel cerebrum humidum habeant, uel linguam, uel utrunque. Et a cerebro quidem talem temperaturā sortito, defluere multas par est humidas superfluitates, easque inde fluentes in uentrē suscipi: longisq; ideo profluuijs hominem capi. Lingua uero admodum humida ex natura existente, & uentriculum talem esse par est, ut qui alteram sui tunicam communem habeat ad linguam. imbecillis autem ex humiditate uentriculi propria passio est diuturnum profluuium.

A.l.3.f.6.c.6.p.452.D

*Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur.* 33

Acidum eructantes, hoc est acidum ructum habentes, raro inquit capi a morbo laterali. Nam, quod dicitur, non ualde, idem ostendit, quod raro, non autem, nullo modo: ut quidam libri huius expositores scripserunt. Dictum autem a nobis est, ubi de morbo laterali sermonem habuimus, ꝙ lateralium morborum qui una cum pallidis & flauis fit sputis, ex biliosis humoribus ortum habet: hic uero, qui cũ spumeis, ex pituitosis: sicut, qui cum nigris, ex melancholicis: qui uero cum rubeis, ex sanguine. Est enim lateralis morbus inflammatio membranæ, quæ subcingens nominatur. Cum uero unaquæque inflammatio ex alicuius humoris superabundantia gignatur, pro eius natura & sputi species morbo laterali laborantibus aduenit, & spes salutis ac mortis habetur. Non æque autem membranæ ac pulmo sunt natura aptæ humores suscipere. densa siquidem est membranarum substantia, pulmo uero rarus admodum ac laxus: quare huic quidem promptum est pituitosos omnes suscipere humores, membranæ autem subcingenti biliosos magis. Ob hanc igitur causam, quibus pituita natura superabundat, raro a morbo laterali corripiuntur, præsertim si salsedinem atque acrimoniam aliquam sibi adiunxerit. Talis enim intestina mordens, irritat ad deiectionem: in qua contingit non solum pituitam, sed plures alias etiam superfluitates excerni. Dicebat uero ipse in libro de aere aqua & locis, eos, qui habent uentrem natura humidum, morbo laterali atque alijs morborum generibus minime corripi.

*Quicunque calui sunt, ijs magnæ varices non fiunt: quibus vero caluis varices magnæ superueniunt, ij rursus capillati fiunt.* 34

Quando in uiri sapientis libro aliquis sermo inuenitur manifestum habens mendacium, non sine ratione legentes dubitare contingit, & primo quidem sibijpsis diffidere, quasi neque illa, quæ sunt manifesta, noscentibus, deinde suspicari, ne falso fuerit interiectum. Quis enim nesciat caluitium esse passionem insanabilem? Sed neque illud uerum est, magnas uarices caluis nunquam aduenire: sicuti nec uaricibus aduenientibus, caluitiem cessare: nisi forte (ut non nulli inquiunt) uocatum a medicis capillorum defluuium (græce madarosin) caluitium nominet. Illud enim a uitiosis humoribus generatur, sicuti quæ ophiasin & alopecian nominant: atque ideo, cum ijdem humores ad crura decumbunt, possunt uarices facere, & capillos restituere. Si enim prius contigerat, ut capilli a uitiosis humoribus corruptis eorum radicibus, corrumperentur: uerisimile est, ut eisdem humoribus alio transpositis, ad primam naturam postmodum redeant.

*Aqua inter cutem laborantibus, tussis superueniens, malum.* 35

Superuenire passionibus alias passiones & casus, prisci medici dicere consueuerunt, quæcunque ipsius passionis adaucta ratione contingere solent. Talis enim est Praxagoræ liber de superuenientibus inscriptus. Sic & nunc de tussi dictum est. Neque enim cum ex alia fit occasione in homine aquam inter cutem patiente, tussis signum est exitiale, sed quando ipsius morbi ratione. Cum enim in hydrope aquosa humiditas tantum adaucta fuerit, ut iam asperas occupet arterias, si tussis superueniat, tunc periculum imminet, ne homo haud ita multo post strangulεtur.

*Difficultatem vrinæ, vena secta iuuat: secare vero interiores.* 36

Neque hic sermo uerus est, nisi, &, coniunctionem assumpserit, ita ut aphorismus talis fiat: Difficultatem urinæ & uenæ sectio soluit. Re uera enim & uenæ sectio soluit difficultatem urinæ, illam uidelicet, quæ propter inflammationem & multitudinem fit. Quod autem sequitur, Secare uero interiores: si de uenis manuum dicitur, neque uerum est neque consentaneum Hippocrati. Videmus siquidem ipsum in omnibus libris suis, in partibus, quæ supra hepar sunt, e manibus sanguinem mittere: in inferioribus autem uenas, quæ in poplite uel talo sunt, secari iubet. Siquis uero de his ipsum dixisse arbitretur, Secare autem interiores: hoc dictum paruam uim habet. Ab una enim ambæ nascuntur, quæ in poplite trifariam diuiditur, quoniam & una uena ad hoc peruenit membrum, non, sicuti ad manum, duæ. Melius itaque fuerit & hunc aphorismum unum ex adiectis opinari.

*Ab angina habito si tumor fiat in collo, bonum. foras enim morbus deducitur.* 37

Sermo uerus est, & causa in promptu. siquidem ex intimioribus & principalioribus partibus passiones confert ad cutem transferri.

*Cancros occultos omnes melius est non curare. Curati enim cito pereunt: non curati vero longius tempus perdurant.* 38

Occultos cancros dixit uel eos, qui sunt sine ulceratione, uel absconditos, hoc est non apparentes: quod rursus idem significat, ac si diceretur, qui in profundo corporis sunt. Sed & curare, duplex est: unum quidem omnia agere, ut particula patiens ad sanitatem perducatur: alterum autem eam adhibere prouidentiam, quæ passioni congruat, hoc est ipsam mollire, ac mitiorem facere, tum præcipue, cum adest exulceratio. Tunc enim est necessarium, ut, si non aliud agamus, saltem

ichoras

A ichoras abluamus, humido aliquo utentes, non quocunque, sed uel per experientiam, uel per indicationem inuento, quod neque putrefacere, neque irritare partem patientem sit aptum. Ab hac igitur curatione neq; absistere conuenit: neq; illi, qui sunt sine ulceratione, cancri indigent ea. Aliā uero, quæ fit per sectionē, uel ustionē (quæ sola sunt remedia cancrorū) consulit, ut in cancris occultis non adhibeamus. Quòd igitur illi, qui sunt in partibus penitioribus, talia remedia non desiderant, etiam experientia docet. Equidem scio omnes, qui huiusmodi cancros curare tentarunt, magis illos irritasse, & breui homines interemisse. Nam, & qui cancrum in palato constitutum, & in sede, & in sinu muliebri, uel usserunt uel secuerunt, non potuerunt ulcera ad cicatricem perducere, & homines in curatione afflictos ac maceratos, usque ad mortem detulerunt: qui, si curationem non adhibuissent, lógiori tempore uitam cum minori molestia transegissent. Tales igitur cancros nullo modo curare tentemus. Ex eis uero, qui in summa parte corporis hærent, illos tantummodo, quos possumus una cum radicibus ipsis, ut quispiam dixerit, resecare. Neque enim malum est per similitudinem, radices cancri nominare eas, quæ plenæ sunt sanguine melancholico, uenas, & usque ad loca circunstantia distenduntur. Multi sane magnæ auctoritatis Medici, neque hos manus opera curari permittunt, sed illos tantum, qui exulcerati, simul laborantes molestant, adeo ut ipsi ultro manu cura-
B ri desiderent: simul sunt in talibus partibus siti, quas possumus una cum radicibus resecare & exurere. Quidam uero neque hos amoliri permittunt, sed omnino absistendum consulunt a remedijs potentibus in omni cancro. Quòd autem Hippocrates nunquam consuluisset curare potenter cancros in partibus corporis penitioribus conditos, ex ipsa passionis natura licet conjectari. An uero & eos, qui in summa parte corporis hærent absque ulcere incertum est, quātum ex uerbis aphorismi conijci potest. Ipsum uero scripserunt Artemidorus, & Dioscorides, usque ad ea uerba, melius est non curare.

39 *Conuulsio fit uel ex repletione, uel inanitione: ita uero & singultus.*

Conuulsio (ut & ipsum indicat nomen) conuulsis fit ad propria capita musculis, ut autem clarius dicam, reuulsis, qualis ipsis etiam est motus secundum naturam: Verum hic quidem non fit sine animalis appetitu: conuulsio autem, passio est inuoluntaria, ad similem uenientibus neruosis partibus dispositionem, quam etiam in motibus factis secundum appetitum assumebant. Nam ex repletione ita nerui intenduntur, ut chordæ in ualde humidis ambientis nos aeris constitutionibus, atque ideo propter hanc causam sæpe etiam rumpuntur. idem uero & in siccioribus constitutionibus accidit: nam in
C sese colliguntur ac conuelluntur omnia neruosa corpora uiolentius exsiccata: ueluti lora, si paulo magis ab igne calefiant: quibus similia pariuntur, & quæ solis feruor exiccauit. Conuulsio igitur non absque ratione a contrarijs fit causis. Singultus uero concedatur conuulsio stomachi nominari, quādo aliud fuerit sermonis propositum. Quando uero hoc solum studuerimus, ut singultus substantiam cognoscamus: melius fortassis fuerit non conuulsionem ipsum nominare, sed quendam motum eiusdem quidem generis, cuius uomitus, intentiorem tamen illo, & uehementiorem. Nam stomachus appetens eorum aliquid, quæ in ipso continentur, expellere, ad duos mouetur casus, uehementiorem quidem in singultibus, mediocriorem illo in uomitibus. siquidem in uomitibus appetit ea tantum, quæ in uentriculi spatio latiori continentur, expellere: in singultibus autem ea, quæ sunt in ipso uentriculi ore penitiora. Per stomachum nunc a me intellexeris non solum eum, qui ita proprie nominatur, sed & uentriculi os. Quæ enim in hoc continentur, ipso appetēte uentriculo expellere, singultus fit. Quòd uero eorum, quæ difficulter excernuntur, & quæ ueluti absorpserit uentriculi os, fiat per singultus excretio, discere licet ex ijs, quæ quotidie eueniunt, omnibus fere, plus minus. Siquis enim acre aliquid ueluti piper per se solum deglutierit, uel cum melle, uel aliquo alio, & postea uinum biberit aqua calida temperatum, statim singultiet, calore quidem potus piper ad interiora deuehente, eius
D uero acrimonia uentriculum molestante: unde conatur motu uiolentiore rem infestantem expellere. demonstratum autem est a nobis in libris de causis symptomatum, & tussim, & sternutationem, & rigorem ex talibus motibus esse.

40 *Quibus dolor circa hypochondrium fit absque inflammatione, ijs febris superueniens dolorem soluit.*

Sequitur quidem & ad morsus dolor: sed consueti sunt morsus nomine, non doloris, tales casus appellare. Fit etiam dolor propter quandam similem inflammationi dispositionem. Sic autem nominata est, quoniam & erysipelata dolor consequitur. Quando igitur non ob talem dispositionem dolor hypochondrium occupauerit, & morsus sensus abfuerit, relinquitur, ut dolor fiat, uel propter obstructionem, uel propter spiritum flatuosum, uel ob aliquam intemperiem inæqualem, quæ omnia febrilis calor aptus est natura sanare: hæc quidem incidens, extenuans, atque dissoluens: hæc uero ad temperaturæ æqualitatem perducens.

41 *Quibuscunque suppuratio in corpore existens non innotescit: ijs ob crassitudinem puris aut loci non innotescit.*

Duplex est huius loci scriptura, & duplex expositio, & utraque non caret ratione. Nam & propter puris crassitudinem, & propter loci, sæpius occultatur puris in aliquo loco comprehensi noti-

tia. Recte ergo non nulli scripserunt, His propter loci crassitudinem: non nulli uero, His propter puris E
crassitudinem non innotescit.

*Morbo regio laborantibus si fiat hepar durum, malum.* 42

A.f.15.t.1.c.3.p.602.D

† Hæc uerba nō sunt in græcis libris, nec in reliquis tralationibus.

†[Morbum regium hoc loco dicit, qui fit ex hepatis inflammatione] Tunc enim durities ostēdit uel tumorem prædurum, uel inflammationem in hepate existere: siquidem & sine hac contingit aliquādo, propter eius obstructionem, morbum regium aduenire: contingit & ipsa natura per modum criseos humorem exuperantem in uenis contentum, ad cutem expellente.

*Quicunque lienosi a difficultate intestinorum capiuntur, ijs superuenientem longam difficultatem intestinorum, aqua inter cutem, aut læuitas intestinorum excipit, & moriuntur.* 43

A.l.3.f.15.t.2 c.4.p.607.B

Oportuit huic aphorismo illum præponi, in quo dicit, Lienosis difficultas intestinorum superueniens, bonum. Sed ille quidem inter sequentes scribitur, post quatuor alios intermedios: nobis autem necessarium est nunc ipsius meminisse. Quicunque enim lienosi sunt, hoc est, qui durum iandiu habent lienem, ijs superueniens difficultas intestinorum soluit dispositionem, quando scilicet ratione transpositionis atque euacuationis humorum crassorum ac melancholicorum lieni infertorum F
euenerit. Sed, quoniam sæpius huiuscemodi euacuationes ultra modum extenduntur, & noxiæ sunt laborantibus: conuenienter Hippocrates, quem finem habeat immoderata difficultas intestinorum, ostendit, quæ talibus aduenit dispositionibus. Læsis siquidem intestinis a transitu uitiosorum humorum, & uis eorum laborat, & temperies natiui caloris aboletur. ob hāc igitur causam, & aqua inter cutem, & læuitas intestinorum, superueniunt: læuitas quidem intestinorum ex sola intestinorum læsione: aqua uero inter cutem, propter hepatis, atque lienis, & totius uenosi generis consensum.

*Quibus ex stillicidio urinæ, ileos superuenerit: in septem diebus pereunt, nisi febre superueniente, satis urina fluxerit.* 44

A.l.3.f.16.t.4 c.32.p.647.D & 679.B.

In ileo nihil exit inferius, neque siquis acerrimo utatur clystere. Vomitus autem stercoris aduenit ijs, qui exitialiter se habent. Quòd igitur interclusa uia inferioris exitus, hæc passio fiat, quodque in tenuibus intestinis, non autem in crassis, omnes fere fatentur: Ceterum, quòd propter inflammationem & propter obstructionem stercoris sicci uel humorum crassorum aut tenacium, dictum est a pluribus. Mihi uero uidetur uel inflammatio, uel durus tumor, uel abscessus, tantam facere posse loci angustationem, ut nihil possit ad inferiora transmitti: Quòd autem humores crassi atque te- G
naces in causa sint, non admodum mihi uidetur probabile. Verum & hoc (si libeat) ponito: & siquid aliud dicatur præter hoc. Verum id quod est ab omnibus fere susceptum, qui aphorismos exposuerunt, incredibile mihi admodum uidetur. Aiunt enim, quòd, quando uesica inflammatur, angustia loci ex compressione in quibusdam intestinis facta passionem affert, quæ ileos nominatur. Ego uero multos me puto in tota uita mea uidisse, non nullos tantum periclitatos, non paucos etiam mortuos ex retentione urinæ, quibus tunc manifeste omnibus secundum propriam circunscriptionem plena uesica appatebat, adeo ut supra modum esset extenta: dolorque, ut par est, inde accresceret: & tamen nullus eorum factus est ileosus. Quo modo igitur quispiam unquam persuaderetur, ob uesicæ inflammationem angustiore facto intestino, ileon aliquando prouenire? Non magis sane, quàm ex tumore uteri in muliere grauida. siquidem usque ad hypochondria prægnantium tumor extenditur, & magis comprimere potest atque angustare intestina tenuia: uesica uero, si in tumorem attollatur, solum potest rectum comprimere intestinum. Quidam uero etiam dicunt absurdius, quòd febris superueniens conferat ileo. Nam febris quidem ex inflammatione uesicæ non absque ratione fieret: quin, quanto illa maior ac grauior, tantum augeri febrem contingeret, cum casus sit inflammationis. Ileos uero (ut ipsi aiunt) ex inflammatione ortum habuit, & unam tantum spem habet so H
lutionis, inflammationis cessationem, cum qua etiam febrem sedari est necessarium. Bonum igitur signum solutionis earum, quæ sunt in ileo, passionum est febris, uel remissa, uel soluta. superueniens autem febris, uel aucta, neque bonum signum est, neque causa bona. Nouimus enim illis tantum morbis conferre febrem, qui ex frigiditate fiunt, aliquando quidem sola, aliquando uero cum humoribus crudis, pituitosis uel flatuosis spiritibus. Melius est itaque, si fateamur nos ignorare, quæ in hoc aphorismo Hippocrates dixerit: neque enim ratio, eorum indicat ueritatem, neque experientia docet. Tertium autem nullum aliud habemus ad fidem faciendā. Quòd si unquā talis ægrotus uisus est aut ab Hippocrate, aut ab aliquo alio (neque enim, an legitimus sit hic aphorismus, dicere possum) multitudinem humorum crudorum una cum multa frigiditate, melius est talium in ileo casuum, qui dicti sunt, causam arbitrari. Sic enim tantummodo febris esset medicina huiusce dispositionis & retentarum urinarum euacuatio. nam re uera consueuerunt urinæ crassæ, & plurimæ, repente simul illis concoctis euacuari.

*Si ulcera annua fiant, aut etiam diuturniora: os abscedere est necessarium, & cicatrices cauas fieri.* 45

A.l.4 f.4.t.3. c.1.p 875. D

Quæcunque ulcera longo tempore manent, uel cicatrice nullo modo adueniente, uel, si facta sit,
rursus

A rurſus reſoluta, nihil uidelicet medicis in curatione delinquentibus: neceſſe eſt uel propter influxum uitioſorum humorum, uel propter diſpoſitionem in membro longo tempore contractam ex humoribus influentibus, uel ob aliquam paſſionem oſſis in eo loco corrupti, difficulter ſanari. Alia itaque ulcera ſemper maiora & deteriora fiunt: atque hæc omnia Phagedænas antiqui nominabant. Quidã uero poſteriores ea diſtinguere cogitarunt, propriamque ſingulis appellationem indiderunt, quædam Chironia, quædam Telephia, quædam Phagedęnas nominantes, aliaſque curioſas adhuc magis appellationes afferentes. Nobis uero ſufficiet ex ijs, quæ aliquid loci circunſtantis occupant, alia Herpetas, id eſt repentes nominare, quæ ſummam cutem tantum infeſtant: alia Phagedænas, id eſt exedentes, quæ carnem ſubiectam corrumpunt. Nam, quod putridum atque depaſcens a non nullis ulcus uocatur, non eſt propria ulceris differentia, ſed paſſio implicita ex ulcere atque putredine. Scimus autẽ, quòd & abſque ulcere putredo ipſa per ſeipſam in multis corporis partibus conſiſtit. Vocatur etiam Anthrax, id eſt carbo, ulcus cruſtoſum, cui adiungitur multum partium circunſtantium inflammẽ. Hæc igitur propriam habuere appellationem, Anthrax, Phagedæna, & Herpes. Quæcunque uero ulcera fiunt ſine dictis caſibus, hæc ipſa per ſeipſa ſolebant antiqui Vlcera tantum nominare: de quibus nunc Hippo. loquitur, edocẽs, quæcũq; talia ſunt ulcera, in longũ tẽpus protrahi. Videt̃ autẽ experiẽtia rõni
B aſtipulari: multaq; ſæpius ex hoc genere ulcerũ, cũ fuerint ad cicatricẽ perducta nõ ita multo poſt rurſus inflammantur, ac iterum dirumpuntur, ipſarum cicatrice ſoluta. Fit autem hoc talem aliquam ob cauſam: Quando ex adhibitis medicamentis caro, quæ oſſi ſuperiacet patienti, exiccata contraxerit cicatricem, ſtatim quidem integra ſanitas reſtituta uidetur: rurſus uero paulatim aliquo influente ichore ex oſſe corrupto in parte penitiore, iterum aduenit inflammatio, & puris generatio conſequitur: a quo quidem cicatrix eroditur, caro uero exulceratur. Quænam igitur eſt talium ſanatio ulcerum? Nõ profecto alia, quàm ab ipſo ſcripta in libro de ulceribus, & a nobis in tertio de methodo curatiua demonſtrata. ſiquidem ulcera omnia exiccari oportet, præcipue uero, in quibus patitur os. Terminus aũt ſiccitatis eſt, ut abſcedat pars oſſis, quæ uitiata eſt. Quare non abſque ratione tantum fieri cauas cicatrices contingit, quantam habuerit abſceſſus craſſitudinem.

46 *Qui gibbi ex aſthmate aut tuſſi fiunt, ante pubertatem moriuntur.*

Gibbos (gręce ὑβοὺς & κυφοὺς) ſolet Hippocrates nominare, quos nunc oẽs hoĩes conuexos (græce κυρτοὺς) appellant. Nam & uere eis eſt ſpina in partem poſteriorem conuexa. Conuexo igitur opponitur cauum, gibbo recuruum (græce λορδὸν). Sed hæc quidẽ de ſola ſpina Græci dicunt, illa uero de om-
C nibus. Quo modo uero gibboſitas fiat, ipſe narrauit in libro de articulis, ſicuti & de recuruatione, obſtipitate, & quaſſatione. Hæ enim ſunt propriæ atque præcipuæ ſpinæ paſſiones: oportet autem illũ, qui uult iſtarum paſſionum habere notitiam, ijs, quæ in eo libro ſcribuntur plenius incumbere. Nunc uero a nobis ea dicentur, quæ ad propoſitum aphoriſmũ uidentur utilia. Gibba fit ſpina aliquando propter ictum, aut caſum: gibba etiam fit propter quædam tubercula dura, quæ in parte anteriore conſiſtunt: a quibus ſiquando una uertebra trahitur ad anteriora, recurua fit eo loco ſpina. ita & ſi plures fuerint ſe. ordine conſequentes. quando uero non fuerint continuæ hæ, quæ tenduntur uertebræ, gibboſitas fit tantum partibus retro tendentibus, quantum uertebræ extentæ ſunt ad interiora reflexæ. nam hoc fieri uidetur in omnibus duris mediocriter tentis, ueluti calamis, uiminibus, uirgis, & omnibus alijs huiuſcemodi. dictum eſt de his plenius in expoſitionibus libri de articulis. Nunc uero eos, qui gibbi facti ſunt ex aſthmate & tuſſi, ante pubertatem cito inquit interire. Neque enim uult in his thorax, ut ipſe dixit, una cum alijs augeri, atque ideo magna anguſtia premuntur ea, quæ reſpirationi obſeruiunt, inſtrumenta. Omnibus ſiquidem eſt commune, qui ſponte gibbi facti ſunt, hoc eſt, quibus ſine ictu uel caſu ſpina paſſa eſt: propter dura tubercula & concoqui difficilia, tales fieri. Sed, cum multa ſit in tuberculis, quo ad tumorem, duritiem, & locum, in quo conſiſtunt, differentia: quæ dura ſimul ac magna
D ſunt, ſtatim difficilem faciunt hominibus reſpirationem, quæ uero ex ſuo humore aliquid ad aſperam mittunt arteriam, reddunt tuſſiculoſos. Verum, quæ talia ſunt, ut mittant ex ſuo humore aliquid, non ſunt dura exquiſite, atque ideo neceſſarium eſt eis aliquando ſuppurari, & hominem occidere. Quæ uero nihil mittunt, ex craſſis humoribus ortum habent, atque ob id dura ſunt, & incocta, & longo permanent tempore, antequam ſuppurentur, atque ideo non perimunt hominem. Quæ uero (ut dixi) una cum tuſſi ortum habuere, properant ad ſuppurationem, atque ideo ſunt exitialia. Sic & quæcunq; cũ difficili anhelitu fiunt, ſunt ijs, qui adhuc augentur, pernicioſa. uel enim hæc magna ſunt: uel in loco thoracis ad uitam oppoſtuno. Cum igitur pulmo una cum corde in talibus augeatur, locuſque continens minor efficiatur, coſtæ uero non augeantur, & ſe flectendo, propter gibboſitatem thoracem faciant anguſtiorem: neceſſarium eſt tantam breui tempore fieri anhelitus difficultatem, ut homo corrumpatur. Nam, ſi nondum gibboſitate ſuperueniente, propter ſolos tumores extra naturam, difficilem habebant anhelitum: quid debemus expectare, cum tubercula ſunt proceſſu temporis adaucta, thorax autem factus anguſtior? Quòd autem, cum multæ ſint ſpirandi difficultates, ſolam illam Hippocrates aſthma conſueuerit nominare, in qua contingit ualde crebrum anhelitum fieri, clarum admodum exiſtit. Appellantque nunc homines eo nomine, illam, quæ fit in curſibus & uehementioribus exercitijs, reſpirationem. Hippocrate autem poſteriores, & paſſionem aliquam pe-

A.l.3.f.22.F.8 c.12.p.742.E & F.

ctotis diuturnam, non nulli simpliciter asthma nominant, non nulli orthopnœam, quando absque fe- E bre ægroti iugiter anhelitum habent difficilem.

*Quibuscunque uenæ sectio, uel purgatio cum medicamento conuenit, hos uere purgare, uel uenam incidere oportet.* 47

Liquet, quòd de ijs, qui adhuc sani, sed ægri futuri sunt, nisi euacuentur, nunc sermo habetur Hippocrati. Hos enim oportet, ut anticipemus euacuare uere aduenient, uel per uenæ sectionem, si plenitudinis passionibus subijciuntur: uel per purgationem, si eis, quæ ex corruptione proueniunt. Nos itaque plurimos ita seruauimus annos, qui longo ante tempore singulis annis morbis capiebantur. Atq; podagram, & morbum articularem adhuc incipientem, & nondum callum circa articulos facientem, ex tali euacuatione multis iam annis fieri prohibuimus. Eodem modo & sanguinis spuitionem, morbum comitialem, apoplexiam, melancholiam, & alias huiuscemodi diuturnas passiones in multis hominibus per dictam euacuationem sustulimus. Venæ itaque sectio, commune auxilium est earũ, quæ ex plenitudine fiunt, dispositionum: purgatio uero quamuis, si secundum genus inaudias, unũ quoddam auxilium existat, non tamen secundum speciem. Non nullis siquidem confert humores pituitosos euacuare, non nullis uero amaram bilem, non nullis atram, non nullis serosam superfluitatem, secũdum naturam earum, quæ consueuerunt superuenire, passionum. Velut quidam singulis annis inci- F dit in melancholiam, nisi purgetur: & est res mira, quo modo morbo iam inchoante, statim homo præsentit primam eius generationem: & me aduocato purgatis humoribus atris, cesset protinus melancholia: huic homini ex purgatione ambo hæc optima eueniunt, quòd & superfluitates expelluntur, & quòd ex acritudine eorum, quæ excernuntur, parumper aperitur os uenæ, quam uocant hæmorrhoida, per quam excernitur pars aliqua sanguinis uitiosi consueti euacuari: quo retento superuenit melancholia. Purgo igitur ipsum, non uere tantum, sed etiam autumno: &, sicuti dixi, si ex contemptu aliquando purgationem omiserit, & morbum non anticipauerit, casus persentit passionis. Sic & mulierem quandam, singulis annis uere inchoante similiter euacuans, cum aliquando tumorem cancrosum in mãmilla pateretur, forti atque frequenti medicamento purgante atram bilem, ad sanitatem perduxi. Et, siquando purgatio omitteretur, dolorem profundum sentiebat: & me aduocato, statim uolebat euacuari. In altero elephantem inchoantem, primum per uenæ sectionem & purgationem sanaui: & singulis annis rursus huic sufficit una purgatio: & ea omissa, statim passio eum inuadit. Morbi itaque huiuscemodi, atri humoris exigunt purgationem: comitialis autem, & apoplexia, & asthma, pituitosi: articulares autem, si cum multa fuerint caliditate, amaram bilem uolunt euacuari: si uero cum frigidis tumoribus, pituitam. Quidam alius tempore æstiuo semper febri- G bus tertianis corripiebatur: sed multis iam annis non febricitauit, quoniam a nobis purgari pallida bilis circa finem ueris anticipauit. Sic enim melius est tales euacuare, sicuti illos, qui morbo comitiali, apoplexia, & melancholia, & articulari, & alijs passionibus, quæ ex crassis humoribus generantur, præstat circa ueris initia euacuare: de quibus omnibus seorsum a nobis scriptum est in illo tractatu, qui inscribitur, de ijs, qui uerno tempore egent euacuatione. Est autem iste tractatus pars totius salubris tractationis.

A.l.1.f.2.d.2.c.6 p.60.E. & l.1.t.3.d.5.c.p.F

A.l.1.f.2.d.1.e.8.p.68.E.& f.4.c.4.p.38. D

*Lienosis difficultas intestinorum superueniens, bonum.* 48

Paulo antea hunc aphorismum exposui, cum sermo habebatur de aphorismo in hunc modum scripto: Quicunque lienosi a difficultate intestinorum capiuntur, ijs longa facta intestinorum difficultate aqua inter cutem superuenit, uel læuitas intestinorum, & moriuntur. quare isti nunc proposito nulla est expositio necessaria.

A.l.3.f.15.e.2 c.4.p.607.B

*Quibuscunque morbi podagrici fiunt, ij sedata in quadraginta diebus inflammatione, finiunt.* 49

A.l.3.f.22.t.2 c.5.p.746.E

Podagricorum inflammatio fluxione fit ad articulos pedum decumbente. hanc autem fluxionem H suscipiunt primum quidem loca dearticulationum, deinceps circunstantia omnia usque ad cutem. Quia uero impleri dicimus dearticulationes, liquet etiam esse necessarium ea, quæ ipsis circumiacent, ligamenta extendi. Neruos enim & chordas seu tendones non est rationabile in ipsis inflammari, sed solum dolere, quia simul cum dearticulationibus extenduntur, argumento, quoniã uisus est nunquam podagricus pati conuulsionem, quæ frequẽter solet in neruorum ac chordarum inflammationibus aduenire. uerum intentio sanationis in eis, communis est omnibus inflammatione laborantibus. Nam, discutiatur, oportet, id, quod ad pedes fluxerit, si quidem tenuiorem habuerit substantiam, tempore breuiore: si uero crassam uel tenacem, longiore: longius adhuc tempus requiret, si simul crassum atque tenax illud, quod defluxit, existit: ultra tamen spatium dierum quadraginta non prorogabitur curatio inflammationis, si & medicus in suo opere non aberrauerit, & æger illi in omnibus obedierit. Quæ uero carnosas partes occupat inflammatio, morborum acutorum subijcitur termino, diebus scilicet quatuordecim, quoniam carnis substantia mollior est ac rarior ligamentis: unde & tardius inflãmari incipit natura ligamentorum, chordarum, atque neruorum ex ictu, & longiori tempore ad consistentiam inflammationis perueniunt, ac tardius sanantur. Qua enim ratione uix aliquid in se humoris externi suscipiunt, cum duræ sint ac densæ huiuscemodi partes, hac ipsa ratione cum difficultate dimittunt.

A mittunt. Quapropter Hippocrates podagricis inflammationibus terminum integræ solutionis non diem quartumdecimũ, sed quadragesimũ posuit, quia, qui in dearticulationibus humores insunt, per ligamenta ipsas amplexantia oportet per modum uaporis euacuari: item qui in ipsa ligamenta inciderunt. Meminit autem & in prognostico quadragesimi diei, ut in quo iudicantur, quæcunque non sunt diuturna exquisite, & acutorum terminum exciderunt. Dictum autem est plenius de talibus in tractatione dierum iudicatoriorum.

50 *Quibuscunque præciditur cerebrum: iis necesse febrem, & bilis uomitum superuenire.*

Præciso cerebro febris aduenit ea ratione communi, qua quolibet membro principali patiente inflammationem, subsequitur febris. Bilis uero uomitus fit compatiẽte uentriculo propter eius cum cerebro communicationem, oræ præsertim ipsius, ad quod terminatur ex cerebro effatu digna quædã neruorum coniugatio. Consueuit quidem & aliter in magnis doloribus, atque mœroribus fortibus
A.l.3.f.13.t.1 c.16.p.528.E ad uentriculum fluere biliosa superfluitas: & multo magis, cum ipse male affectus fuerit. Ad ea enim, quæ talia sunt, feruntur partium proximarum superfluitates, præsertim quæ tenuem habent substantiã, qualis est ipse biliosus humor, atque cum eo quæcunque serosa superfluitas, quæ sæpius in uomitibus
B bili commiscetur. siquidem raro admodum accidit, ut bilis exquisita euomatur, cui serosam superfluitatem non uideamus admistam. Appatet autem & in sanis, cum diu a cibo abstinuerint, in illis præsertim, qui natura sunt biliosiores, tales in uentriculum humores admitti: quod & ipsius morsus & uomitus manifestant. Non solum autem cerebro uulnerato euomunt homines bilem, sed & dura membrana ipsum circunstante, quæ, cum in multis partibus sit cerebro agnata, citissime ei communicat proprias passiones. Erasistrati autem sectatores, cum membranas uelint esse principia neruorum, membranam crassiorem inquient suæ naturæ ratione, si sola sit uulnerata, tales afferre casus. Si uero usque ad cerebrum uulnus peruenerit, quoniam ambæ membranæ prius illud admiserint, sic nuper dictarum passionum sequi ortum fatebuntur. Dixi autem Erasistrati sectatores, & non ipsum Erasistratum talia dicturos. quoniam, cum iam senex esset, (ut illi inquiunt) scripsit libros sectionum, in quibus cerebrum esse neruorum principium demonstrauit. Dictum autem est de his in commentarijs de Hippocratis sectione.

51 *Quicunque sani dolore capitis repente capiuntur, & statim muti fiunt & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprehenderit.*

C Mutos (græce ἀφώνους) solet Hippocrates nominare non eos tantum, quibus læditur uox, uerum per exuperantiam quandam una cum eius læsione dat nobis intelligendas omnes, quæ sunt secundum electionem, operationes. Non nunquam igitur illis oblæsis non interijt sensus. Quos igitur ipse mutos appellat, contingit esse sentientes: sed sæpius utraque patiuntur: & talem affectum uocant apoplexiã. Est autem & hæc alia quidem debilis, alia uero fortis: atque ideo dixit, Soluere apoplexiam fortẽ impossibile, debilem uero non facile. Videtur autem nunc fortis apoplexiæ indicium apposuisse, quod stertere dixit, quod etiam profunde dormientibus accidit, quo ad dispositionis similitudinem. quanquã enim non eodem modo fiunt somnus & apoplexia; nihilominus aliquid habent commune, quod stertor consequitur. Est autem commune ambobus, eius, quæ fit per neruos, operationis debilitas: & dictum est de his amplius in ea, quæ de locis affectis inscribitur, tractatione. Nunc uero, quantum ad expositionem aphorismi sufficiet, dicetur a nobis. Quibus sanis dolor in capite repente aduenerit, causam referre oportet in primis ad spiritum flatuosum: interdum uero & ad influentis uniuersim materiæ multitudinem: quam & nunc ad cerebrum fuisse delatam indicant casus, qui post dolorem superuenerunt, per quos, & ꝙ sit quædam materia pituitosa, commonstratur: atque idcirco febris superueniens soluit dispositionem, ut quæ calefaciat, extenuet, atque resoluat spiritum flatuosum, & pituitosos hu-
D mores. Fit autem hoc non nunquam tribus diebus aut quatuor, non nunquam uero pluribus, non tamen ultra dies septem, quia pars est principalis: tales uero partes non diu tolerant fortes simul ac diuturnas passiones: ut sæpius ostendimus.

52 *Oportet uero & considerare oculorum in dormientibus suspectiones. Nam, siquid album commissis palpebris subinspicitur, neque ex alui profluuio, aut medicamenti potione istud contingat, malum est signum, & letale ualde.*

Aut ob palpebrarum siccitatem, aut propter potentiæ ipsas mouentis imbecillitatem, aliquid subinspicitur, cum oculi integre claudi non possint. Ob hoc igitur ipsum in alui profluuijs, & medicamentorum purgantium potionibus, oculorum albedinis aliquid subinspicitur, quando dormierint. Nam totum corpus exiccatur, & uires fiunt imbecilles ex talibus euacuationibus. Plus autem siccitas in palpebris innotescit, quoniam sunt natura siccæ. Sicuti ergo coria exiccata difficulter extenduntur: eodem modo similes corporis partes. Et quidem, quòd potentia existente imbecilli, non possint exquisite oculos claudere, sed neque os, unde hiantes dormiunt: liquet unicuique, rei naturam diligentius animaduertere uolenti.

53 *Desipientiæ, quæ cum risu fiunt, securiores: quæ uero cum studio, periculosiores.*

A.l.3.f.1.t.4. c.1.p.372. D. & 376.D Nulla quidem desipientia secura est, minus uero periculosæ, quæ cum risu fiunt: sicuti temerariæ, ut ipse nominat, omnium periculosissimæ: in medio autem ambarum sunt, quæ cum studio fiunt.

Fiunt autem omnes patiente cerebro, ſiue primo & per ſeipſum, ſiue per compatiendi rationem: diffe E
runt autem inuicem per cauſas ipſas efficientes. Quæcunque enim ex ſola fiunt caliditate ſine humo
re uitioſo, ſimiles quodam modo ſunt eis, quæ ex ebrietate contingunt. Quæcunque uero ex flaua bi
le, cum ſtudio perficiuntur: ipſa uero multum exuſta, ut iam magis ad atræ bilis naturam accedat, ſunt
inſaniæ ſatis furioſæ. Nam oportet ad memoriam reuocare ea, quæ in alijs locis de atra bile præfiniui
mus, quòd quædam ex flaua bile ſuperaſſata gignitur, quæ omnino moleſtiſſima eſt. Quæ uero ex ſan-
guinis (quiſpiam dixerit) limo ac fæce, craſſior quidem eſt illa ſecundum ſubſtantiam, ſed plurimum
differens prauitate qualitatis. Dictum autem eſt, quòd eam, quæ eſt ueluti fæx ſanguinis, cum uolu-
mus exquiſite loqui, nondum atram bilem nominamus, ſed humorem melancholicum. Nominibus
uero abutentes, & atram bilem aliquando uocamus, quoniam, ſi non prius euacuetur, paulopoſt
atra futura eſt.

*In acutis paſſionibus, quæ cum febre ſunt, luctuoſa ſuſpiria, malum.* 54

Infantes ſæpe uidentur, quo tempore plorant, inſpirare inſpiratione interrupta, ſtante interim tho A.l.3.f.10.c.5 c.26.p.480.E
race, deinde rurſus id, quod deeſt, adijciente: quod ipſe in Epidemijs in hunc modum explicuit. Du-
plex intro reuocatio, ueluti ſuperinſpirantibus. Et accidit hoc non nunquam potentia fatigata, non F
nunquam ex duritie inſtrumentorum, non nunquam uero ambabus cauſis ſimul conuenientibus, ſed
& aliquando propter aliquam muſculorum pectoris ſimilem conuulſioni diſpoſitionem. Nam & uis
imbecillis, quando nequiuerit thoracem uno impetu tantum attollere, quantum animali eſt neceſſa-
rium, in media primum conſiſtit operatione, deinde cum impetu iterum ſe effert. Et durum inſtru-
mentum cum non prompte ſequatur potentiam attollentem, ab ipſa uibratum uiolenter attollitur. De
diſpoſitione autem ſimili conuulſioni, quid oportet dicere, quòd talem faciat reſpirationem? Nam
ſi frigus uel muſculos thoracis apprehenderit, uel neruos: durities quædam inſtrumentis adueniet,
& motus conuulſioni ſimilis, quam febris ſua eſt apta natura ſanare, & calida auxilia. Febre uero cũ
his exiſtente, non poſſumus cauſari muſculorum thoracis ſiue neruorum frigiditatem, ſed uel duritiẽ
quæ facta eſt, uel uirium imbecillitatem, uel conuulſioni ſimilem diſpoſitionem. Quicquid uero ho-
rum in cauſa ſit, non eſt bonum ut in morbo acuto contingat. Si igitur de ſola prædicta motione in-
ſtrumentorum reſpirationi obſeruientium, luctuoſa reſpiratio ab ipſo dicta fuit, iam ad finem expoſi
tio peruenit: Sin autem & cum aliquo tali ſonitu uult dictam contingere reſpirationem, qualis flenti
bus accidit: ultra dictas cauſas quandam oſtendet doloroſam diſpoſitionem, ex qua, ueluti flentes,
uel gementes, uel aliquem miſtum ex utriſque ſonum edentes, in hunc modum reſpirant. G

*Dolores podagrici uere & autumno magna ex parte mouentur.* 55

Podagricæ paſſiones, ſicuti & omnes aliæ articulares, uere augentur, atque ideo ipſe ſuperius in enu A.l.3.f.22.c.2
meratione morborum uernalium, etiam articularium commeminit, in quibus etiam podagrici contineñ c.5.p.745. C.
tur. Excitantur quidem aliquando & autumno ijs, quibus per æſtatem tempore, quo fructus maturã-
tur, uitioſi aliqui humores fuerint coaceruati. Oſtenſum enim a nobis eſt in commentarijs de poten-
tijs naturalibus, quòd ſingulis partibus, ſicuti aliæ potentiæ, ita & illa ineſt, quæ materias infeſtas excer
nit. Infeſtant autem aliquæ ſua multitudine aggrauantes, aliæ uero extranea qualitate. Secundum
utrunque igitur ijs, qui hiberno tempore in uictu deliquerint, poſtmodum uerno diuturnæ paſſiones
excitantur, fuſis humoribus & mox a fortibus ad loca debilia detruſis: ſecundum alterum uero, tan-
tummodo autumnali.

*In morbis melancholicis ad hæc periculoſi decubitus, apoplexiam corporis, uel conuulſionem, uel furorem, uel cæ-* 56
*citatem ſignificant.* A.l.3.f.2.c.9. p.396.D

Fiunt quidem & propter pituitoſum humorem apoplexiæ, conuulſiones, & cæcitates oculorum: H
Fiunt & propter melancholicum: quoniam communis utriſque eſt harum quæuis paſſio. Non tamen
furor eſt paſſio communis. Nunquam enim hic ex pituitoſo humore ortum habent, cum ad eius gene
rationem humor irritans ac mordens exigatur. Talis autem eſt ſemper quidem flaua bilis: melancholi
cus aũt humor non ſemper, ſed cum ſupra modũ exuſtus, aut putrefactus, malignã induerit acrimoniã.

*Apoplexiæ autem fiunt maxime a quadrageſimo anno uſque ad ſexageſimum.* 57

Non omnem apoplexiam, ſed nuper dictam tantummodo (quæ ex atra ſola fit bile) contingit adue
nire ijs, qui dictam agunt ætatem, quoniam in his maxime abundat atræ bilis humor, quemadmodũ
etiam in autumno. Quòd ſi uolumus ſimpliciter pronuntiare, plures ſenes laborant apoplexia. Si
igitur ſermo debeat eſſe uerus, iungendus eſt cum priore aphoriſmo, ac ſi ita diceretur: In morbis
melancholicis ad hæc periculoſi decubitus apoplexiam corporis, quæ homines occupat a quadra-
geſimo anno uſque ad ſexageſimum.

*Si omentum excidat, neceſſario putreſcit.* 58

Propter breuitatem falſus eſſe uidebitur hic aphoriſmus ijs, qui non recte ipſum inaudierint. A.l.4.f.4.c.1. c.5.p.364. D.
Quod

A Quod enim dicitur, huiusmodi est: Quando exciderit, hoc est, quando nudatum fuerit, & extra peritonæon, id est membranam abdominis interiorem, omentum exierit, non contingit ipsum ad locum proprium restitutum, sanum & saluum fieri, sicuti si aliud aliquid extra promeretur, ueluti intestinum, aut aliqua uisceris fibra. Illa etenim, nisi longo tempore frigefiant, quando uulnus in abdomine factum, ad cicatricem perductum fuerit, pristinam recipiunt temperaturam. Omentum uero, etiam si minimo nudetur tempore, reductum putrescit: quam ob causam medici partem illam, quæ fuerit nudata, solent resecare. Hanc igitur sententiam habet aphorismus, licet confusius in uerbis dictis proponatur. Siquis uero dicat se aliquando uidisse omentum, quod paruo tempore extra prodierat, deinde ad suum locum reductum, non putruisse: perpetuam is quidem non esse probabit Hippocratis enunciationem: illud tamen non toller, quod magna ex parte solet accidere. commune siquidem est huic aphorismo cum alijs ab Hippocrate dictis, ut perpetuum quiddam ex figura dictionis ostēdatur, quamuis res ipsæ non semper eodem modo eueniant, sed, licet raro, interdum etiam aliter accidant.

59 *Quibuscunque a coxendicum dolore [diuturno] molestatis excidit coxa, & rursus incidit, ijs mucores superueniunt.*

Sæpe in articulis humor pituirosus aceruatur, quem mucorem appellant: a quo madefacta dearticulationis ligamenta laxiora redduntur: atque ideo facile a cauitate articulus excidit, & rursus non cū difficultate incidit, quæ nunc ait accidere ijs qui ita morbo laborant coxendicum. Quando autem coxam ait excidere, articulum coxæ debemus intelligere, quo modo etiam in libro de articulis dicebat, Humerum autem uno modo noui lubricare. ac si dixisset articulum humeri.

B

60 *Quibuscunque a coxendicum dolore molestatis diuturno excidit coxa, ijs crus tabescit, & claudicant, si non urantur.*

A.l.3 f.22.t.2 c.5.p.746.D.

Hunc aphorismum non debemus a superiore seiungere, sed ipsum coniungentes, ita unum sermonē intelligere. Vult enim dicere, quòd a coxendicum morbo molestatis, quibus propter mucoris multitudinem articulus excidit, & rursum incidit, necessarium est processu temporis crus contabescere, nisi prius urendo mucorem exiccemus: quod in libro de articulis consulit fieri in brachio iugiter excidente. nam & nunc eadem est sermonis uis, cum ipse suadeat aduri coxam, sicut in libro de articulis docebat: ut & id, quod mucosum est, absumatur, & laxitas cutis, ad quam articulus lubricat, magis ex adustione contracta, arctet, ac prohibeat articulum transponi. Quòd si ob multitudinem mucoris extra suū locum diu coxa steterit, (est enim hoc quidem claudicatio) necessario crus contabescet: ut etiam alijs omnibus solet accidere, si priuata motibus fuerint, qui illis secundum naturam insunt.

C

## *GAL. IN APHORISMOS HIPPOCRATIS*
## COMMENTARIVS SEPTIMVS.

Omnes fere qui antea scripserunt, expositores aphorismorum, circa initia quidem lōgius, quàm uti litatis ratio ferat orationem producunt; in processu uero ita remittunt, ut primo quidem, quoad utile fuerit, tantum progrediantur, deinde uero id ipsum quoque imperfectius faciant, & postremo usque adeo contrahant expositiones, ut nec animaduertant plures aphorismos esse nothos, atque plane falsos. Verum, ut, qui sunt in disputationibus fatigati, prompte ad omnia annuunt: sic & ipsi omnes admittunt, quoscunque scriptos inuenerint aphorismos, & ad ultimam suis in expositionibus breuitatem deueniunt, prioris loquacitatis obliti. Nos sane cum alias eorum absurditates conati sumus euitare, tum D omnes ex æquo studuimus facere expositiones, quæ & ueritatem, & utilitatem artis intenderent, & in terpretando neque se ad extremam breuitatem contraherent, (hoc enim libro conuenit, non commentario) neque ad tantam prolixitatem effunderent, quantam ipsi in principio expositionum instituerūt. id autem, quod optimum est in omnibus sermonibus, quod quidem seruat mediocritatem in unaquaque tractatione, a principio usque in finem seruare studuimus.

1 *IN morbis acutis frigus partium extremarum, malum.*

A.l.4. f.1..t.2. c.1. p.773. F.

In morbis diuturnis, qui præsertim sunt sine febre, & hieme, & ætate senili, partes extremas corporis, ueluti nates, aures, pedes, & extremas manus frigidas fieri nihil absurdum. Non tamen in acutis est mediocre malum, sed casus satis exitialis: quod uehementissimis accidit uiscerum inflāmationibus. Acutos autem ipse ait uocari morbos, quorum febres maxima ex parte continuæ sunt: in quibus, cum fuerint sine magna inflammatione, nedum extrema frigescere, sed exuri contingit. Cum uero inflammationis calor adeo uehemens fuerit, ut ad se trahat per modum cucurbitulæ ex toto corpore sanguinem: ijs, qui ita se habent, uiscera peruruntur, extre-

næ autem partes frigeſcunt propter defectum ſanguinis ad uiſcera ſe recipientis: & eorum plerique E
ne ſtragula quidem tolerant propter ardorem,quem in uiſceribus ſentiunt.

*In oſſe ægrotante caro liuida, malum eſt.* 2

Non enim in mediocribus oſſium læſionibus,ſed fortibus putrilaginibus talis ſpecies coloris circunſtantibus aduenit carnibus extincto in eis ſcilicet calore natiuo.

*A uomitu ſingultus & oculorum rubor,malum.* 3

Qualis paſſio eſt conuulſio muſculis,talis eſt ſingultus ſtomacho: qui aduenit humoribus infeſtantibus non nunquam totum uentriculum,non nunquam os eius, & gulam:quos per uomitiones abijciens, ſtatim a ſingultu liberatur.qui ſi neque per iſtas ceſſauerit, duorum alterum oſtendit, uel cerebrum neruorum principium, uel uentriculum pati non mediocrem inflammationem.Rubor uero oculorum utrãque ſequitur diſpoſitionem,ſed præcipue illam,quæ in cerebro exiſtit ſimilis inflammationi. 4

*A ſudore horror,non bonum.* A.l.4.f.2.t.2.

Quòd iudicatoria,quæ non iudicant, partim mortalia,partim male iudicantia ſunt, ab ipſo dictum c.71.p.87 a.
eſt:quoniam natura in huiuſcemodi diſpoſitionibus morbo ſuccumbit. F B.

*A furore difficultas inteſtinorum,uel aqua inter cutem,uel mentis alienatio,bonum.* 5

Difficultatem inteſtinorum,uel aquam inter cutem tranſlationis materiæ ratione eſſe furoris ſanationem,non eſt extra rationem, cum a capite noxij humores transferantur ad inferiora.Mentis autem alienatio, tantum abeſt, ut ſit furoris ſolutio,ut quiſpiam potius dicat eſſe incrementum.Ac profecto, ſi modo re uera Hippocrates continuum atque uehementem furorem,alienationem mentis nominauit:quendam nouimus a furore mediocri,quo prius detinebatur, fuiſſe liberatum: unde ratiocinando perpendimus ex uehementi motu cauſarum efficientium furorem,ſolutionem fuiſſe ſubſecutam: quẽadmodum in morbis acutis uehementiſſimi caſus ſolent aliquando bonas criſes operari. A.l.3.f.1.t.4. c.15.p.374.F & 590.F.

*In morbo diuturno faſtidium cibi,& deiectiones ſinceræ,malum.* 6

Faſtidium cibi per ſeipſum prauum eſt ſignum in morbis diuturnis. Nam in ijs,qui a talibus morbis ſunt euaſuri,contrarius affectus ſolet accidere,uehemens,ſcilicet ciborum appetentia. Quare cibi faſtidium haudquaquam bonum eſt ſignum: multo uero magis,quãdo fuerint etiam prauæ deiectiones. Sinceras uero deiectiones nominauit impermiſtas aquoſæ humiditati,quoniam ſolus humor euacuatus deijcitur, ſiue ſit billioſus, ſiue melancholicus, ſiue porri colorem præ ſe ferens, ſiue bilis, quæ æruginoſa nominatur.Nam deiectiones huiuſcemodi exuſtam eſſe omnem natiuam humiditatem a calore febrili demonſtrant. A.l.4.f.2.t.1. c.18.p.825.C G

*Ex multa potatione,rigor & deſipientia,malum.* 7

Quòd multa potatio,non aquæ,ſed uini potionem ſignificet,unicuique manifeſtum.Deſipiunt autẽ ex talibus potionibus aliqui,capite oppleto plurimo ſanguine,ac ſpiritu calido. Ob hanc ipſam uero cauſam & calidiores redduntur,præcipue quidem caput,ſed & corpus uniuerſum. Pauci enim ex ipſis ſunt,qui cum deſipientia rigeant,in quibus calor natiuus non accenditur,ſed ob multitudinem extinguitur,ſicuti ignis lignorum multitudine ſuperiniecta, & lucernæ flamma oleo uniuerſim ſuperfuſo.

*A tuberculi intus ruptione exolutio,uomitio,& animi defectio fit.* 8

Tuberculum nominauit,quod in alijs ipſe ſolitus eſt uocare ſuppuratione.Intus uero ipſius ruptionem,ad uentriculum dicit.ad hanc enim conſequitur uomitus, ſicuti tuberculorum in thorace atque pulmone ruptio,non uomitiones, ſed ex neceſſitate quidem tuſſim excitat, ſæpius etiam ſtrangulat: H
quemadmodum ſuppurationum ad inteſtina ruptiones, puris faciunt deiectionem. Commune autem omnium ruptionum eſt exolutio, & animi defectus, propter uitalis ſpiritus excretionem,ut alibi eſt demonſtratum.

*A profluuio ſanguinis,deſipientia,ac conuulſio,malum.* 9

Hic aphoriſmus magnam nobis affert utilitatem ad credendum,quòd aliquando fiat deſipientia ex defectu,quomodo artuum tremores fiunt.Nam & hi propter potentiæ ipſos mouẽtis imbecillitatem infirmas habent motiones,& cerebrum uacillantes: quapropter neque uehemens eſt hoc deſipientiæ genus,ſed mediocre,atque, ut quiſpiam diceret,delirium. Ipſe ſiquidem ſolet mediocrem inſaniam, delirium nominare.Si ergo conuulſio aliquando tali deſipientiæ coniungatur, omnino ſalus eſt deſperata.Quædam igitur exemplaria,cum,&,copulatiua coniunctione, ſcripta ſunt: quædam autem, uel, diſiunctam quam uocant, habent, ſecundum quam deſipientia non bonus eſt caſus poſt ſanguinis fluxum,etiam ſi ſola contigerit:multo autem magis conuulſio, etiam ſi abſque deſipientia facta fuerit. Maximum uero malum eſt ambarum conuentus,cum uel ſola conuulſio ex immoderata euacuatione caſus ſit admodum exitialis.nam deſipientia minus malum eſt. A.l.4.f.3.t.2. c.16.A.p.578

Ab

10 A *Ab ileo vomitus, ſingultus, deſipientia, vel conuulſio, malum.*

A.l.3.f.16.t.2 c.2.p.616.& 647.B.

In ileis nihil deſcendit ad inferiora, & hoc eſt proprium inſeparabile paſſionis. Vomitus autem nō ſemper adeſt, ſed quando exitiales ſunt: &, ſi uehementius diſtorqueantur, ſtercus eis aſcendit, atque ſingultiunt. Quidam uero deſipiunt & conuelluntur, compatiente neruorum principio ſtomachi paſſioni. Hæc uero mihi fieri uidentur ab inteſtinis, in quibus paſſio talis exiſtit, a ſe expellere ſtercus appetentibus, quando in longitudine temporis cœpit moleſtare, & nō potentibus ſe exonerare propter eam, quæ facta eſt, in partibus inferioribus, obſtructionem, ſed coactis contra naturam uiolenter moueri, & ad loca ſuperiora materiam noxiam extrudere.

11 *A morbo laterali inflammatio pulmonis, malum.*

A.l.3.f.10.t.4 c.1.p.495.A.

In pluribus quidem exemplaribus in fine aphoriſmi adiectum eſt, malum: in quibuſdam uero ita ſimpliciter ſcribitur: A morbo laterali inflammatio pulmonis. uolentibus illis, qui in hunc modum ſcribunt, non ꝙ ſit bonum uel malum, pulmonis inflammatio morbo laterali ſuperueniens, nunc ipſum docere, ſed ſimpliciter hoc unum tantummodo, ꝙ morbus lateralis ſoleat in pulmonis inflammationem tranſmutari, uel morbo laterali pulmonis inflammatio ſuperuenire. Tranſmutatur igitur morbus, B quando priore ceſſante, aduenit alter: Superuenit autem, quando altero adhuc manente, alter adijcitur. Verum hoc in loco uidetur Hippocrates de ſuperuenientibus agere, quibus ſtatim hoc ineſt, ꝙ mala ſint, adeo ut, etiamſi hoc uerbum, malum, non adijciatur: uel ſubaudiendum ſit ſecundum modum a communi dictum, uel potentia oſtendi exiſtimandum. Omnis enim huiuſcemodi ſuperuenientium conſiſtentia, neque paruos, neque mites inſequitur morbos, ſed magnos atque malignos. Exempli gratia ſtatim in dictis in aphoriſmo paſſionibus, quando non poteſt is, qui morbum facit lateralem, in coſtis humor contineri, pars eius aliqua ad pulmonem fertur. Ad inflammationem quidem pulmonis morbus lateralis non admodum conſequi ſolet: quoniam, ſi mitis fuerit inflammatio, omnis humor noxius per ſputum expurgatur: in pernitioſis uero, antequam coſtæ cōpatiantur, ſtrangulat ægrũ.

12 *A pulmonis inflammatione phrenitis, malum.*

A.l.3.f.1.t.2. c.6.p.342.E. & f.3.p.361. C.

Quando a calido humore fit inflammatio pulmonis, quæ multos uapores tranſmittit ad caput: cerebrum implet uaporibus, & facit phrenitidem. Alia autem communia ſunt ad prius dictum aphoriſmũ non huic ſolum, ſed etiam ſequentibus.

13 C *Ab æſtibus fortibus conuulſio aut diſtentio, malum.*

Multi expoſitores hanc aphoriſmi lectionem retinent: Marinus uero, A uulneribus, ſcribit, & ſequentem aphoriſmum ſibi ait aſtipulari. Verumque ſane eſt, ꝙ a uulneribus fortibus fiunt inflammatiōnes, ac conuulſiones: Sed, cum omnes fere expoſitores & præcipue uetuſtiſſimi, illam norint ſcripturam, quæ habet, Ab æſtibus: melius eſt, ut & nos etiam eandem exponamus. Quidam igitur pro æſtibus, febres intellexerunt: non nulli uero aeris ambientis feruorem ita nominari dixerunt: alij pro cauterijs & eſcharis: & omnes uerum dicunt. Superueniunt enim his omnibus haudquaquam ad bonum diſtentiones ac conuulſiones, propter neruorum ſiccitatem, quas diximus eſſe difficillimas.

14 *A capitis ictu ſtupor & deſipientia, malum.*

Deſipientia quidem agnoſcitur loquentibus agentibus ve nihil conſentaneũ rōni ſtupor qñ neq; aliquid dicũt neq; agũt, ſed apertis oculis quieti manẽt, ſimiles ijs, qui ex timore ſunt attoniti. Quòd uero, hæc omnia huiuſcemodi fiant cerebro patiente, manifeſtum. oſtenſum enim eſt in eo eſſe animæ principatum. Si igitur in fine aphoriſmi ſcriptum ſit, malum, liquet, ꝙ recte dictum fuit. indicio enim ſunt, ꝙ ictus intra ad cerebrum penetrauerit. Si uero non ſcribatur, nos nihilominus poſſumus ſubaudire, ſicuti antea diximus, a communi. Poſſumus autem, & quia huiuſcemodi caſus una indicant cerebri D læſionem, magnitudinem paſſionis conſiderare.

15 *A ſanguinis ſputo puris ſputum, malum.*

Quòd omnis hæc enumeratio ſit eorum, quæ proprie ſuperuenientia uocantur (de quibus Praxagoras unum uolumen ſcripſit haud paruum) manifeſtum eſſe arbitror & ex ipſo aphoriſmo. Neque enim omne ſputum ſanguinis, ſequens habent ſputum purulentum: ſed tantummodo, quod malignum exiſtit. tale autem eſt magna ex parte ex pulmone.

16 *A puris ſputo phthiſis & fluxus: cum vero ſputum retinetur, moriuntur.*

A.l.3.f.6.t.2. c.2.p.616.F.

Quam proprie Græci, & præſertim Athenienſes phthoen nominant, hanc nunc Hippocrates phthiſin appellauit, ob pulmonis ulcera inſanabilia, totius corporis cum febre parua extenuationem. Fluxum autem uel de capillorum defluuio, uel de humida deiectione protulit. ambo enim conſueuerunt euenire, cum tabidi ad extremum mali perducuntur, alterum ex ſiccitate, altera ex potentiæ debilitate. Quod uero in fine ſcribitur, Si autem ſputum retineatur, moriuntur. modum mortis oſtendit illorum, qui ex phthoe moriuntur. Eouſque enim extenuati uiuunt, donec extuſſire, & per ea, quæ expuunt, poſſunt pulmonem expurgare. Cum uero intus manent, obſeratur quidem uiæ ſpiritus, patientes uero ſuffocantur.

17 *In hepatis inflammatione ſingultus, malum.*

Dixi

Dixi & antea,quòd omnes hi seriatim scripti aphorismi de casibus docent,qui passionibus auctis & E A.l.3.f.14.r.a c.1.p.510.E
iam deterioribus factis superueniunt.Hoc modo igitur & nunc singultus hepati inflammationem pa-
tiendi dicitur superuenire,non semper,neque quomodolibet patiente, sed quando ad magnitudinem
attollitur,feruente inflammatione:in quo feruore stomachus ad compassionem trahitur, non nunquã
communium neruorum ratione,qui sunt(ut ipse docuit in secundo Epidemiorum)breuissimi. Quare
tunc solum compassio fit stomacho ad hepar,quando inflammatio & maxima & pessima fuerit. Saneq;
bile satis calida & multa in huius uisceris inflammationibus genita,ac confluente ad intestinorum prin
cipium,atque ira superfluitante,atq; ad uentriculum recurrente,contingit os eius morderi,atque ideo
singultire. Non nulli uero arbitrantur magnitudinem inflammationis uentriculum premere ac singul-
tum facere,non habente exitum spiritu,quemadmodum inquiunt.

18

*In uigilia,conuulsio,uel desipientia*

Quidam & hoc loco,malum subiungunt.Nos uero & prius diximus, quòd,etiamsi nõ subiungatur,
potentia continetur.Cur uero immoderatis uigilijs conuulsio succedat,aut desipiẽtia, manifestum est
ei, qui priorum meminerit. Nam dictum est ab ipso Hippocrate conuulsionem,ut a repletione, sic ab
euacuatione fieri.Ex ijs autem,quæ maxime euacuant & exiccant,uigiliæ sunt : atque ideo conuulsio- F
nem ex siccitate faciunt,ac desipientiam, immodicæ siccitatis ratione:ac præterea, quoniam in longis
uigilijs biliosior redditur sanguis.In quibusdam tamen exemplaribus, & quidem diligentissime scri-
ptis,hic aphorismus scriptus est sine uerbo,desipientia,hoc modo : In uigilia conuulsio.quia, ut arbi-
tror,pessima,quæ superueniunt,ab Hippocrate scribuntur hoc loco.

19

*In ossis exutione, erysipelas.*

Hoc in loco maxime oportet subaudire,malum.Neque enim hoc dicit,quòd semper, aut magna ex
parte exutis ossibus erysipelas superueniat(nam potius contrarium uerum est, quòd ita patiẽtibus os-
sibus,raro superuenit erysipelas)sed quòd casus prauus est osse nudato carnem circunstantem uideri
ab erysipelate apprehensam.

20

*Ab erysipelate, putredo aut suppuratio.*

Clarum est & in hoc sermone,quòd malignis erysipelatis hæc superueniunt.

21

*A forti in ulceribus pulsu,profluuium sanguinis.*

In ulceribus inflammatis pulsus fit non ferente carne incumbente arterijs, illarum motum, sed do- G
lente,quando se attollentes exciderint.Est enim huiusmodi pulsus, sensus quidam cum dolore ex arte
riarum motione factus, quas neque ab initio sentiebamus,cum membra se haberent secundum natu-
ram,tum quia eorum adhæsus non est molestus,tum quia in spatio laxiore mouentur. Membris uero
inflammatis,& loci angustatio,& dispositio dolorifica,tristẽ afferunt laborantibus sensum ex motu ar-
teriarum : quem non solum medici, sed omnes homines pulsum appellant.Videtur autem & hic arte-
riarum motus augeri in talibus dispositionibus.Ostensum siquidem est in commentarijs de potentijs
naturalibus,quòd est quædam in ipsis etiam uis aliena excernens,quæ & sudores iudicatorios facit, &
profluuia sanguinis,& alui inferioris deiectiones,& quæcunque alia huiuscemodi. Secundum hanc
igitur uim non nunquam uehementius natura operans, magnum & uiolentum arteriarum efficit mo-
tum,appetens illa,quæ molestant,expellere:atque ita profluuium sanguinis facit.

22 A.l.3.f.16.r.a c.1.p.616.F

*A uentris dolore diuturno,suppuratio.*

Siue frigus,siue omnino aliqua inæqualis intemperatura circa uentrem fuerit, siue uentus flatuosus
siue acritudo quædam mordax,fieri non potest,ut in longum extendatur,si omnia circa ægrum oppor- H
tune fiãt:hoc enim in omnibus sermonibus talibus subaudire oportet.Relinquitur igitur, quòd adhuc
dolor perduret propter inflammationem : quæ temporis processu proculdubio suppurabit,nisi homi-
nem morte præripiat.nam & hoc subaudire oportet in omnibus sermonibus talibus.

23

*A deiectione sincera difficultas intestinorum,malum.*

Deiectiones sinceras solet(ut dixi)Hippocrates nominare impermistas aquosæ humiditati,quæ so-
lum habent sincerum illum,qui infra deijcitur humorem, siue sit flaua bilis,siue atra. Nihil igitur mi-
rum,si in talibus deiectionibus aliquod intestinum exedatur.

24

*In ossis præcisione,desipientia,si in uacuum apprehenderit.*

Osse,quod in capite uidelicet est,præciso, non simpliciter, neque utcunque contigerit, sed usque
ad interiorem superficiem, quam uacuus excipit locus,qui cerebrum continet, desipientia fit. nam
passio proxima tunc existit membranis & cerebro. Marinus autem,nescio quo modo,legendum seor-
sum existimat : In ossis præcisione desipientia.& rursus seorsum facit principiũ aphorismi secundum :
Si uacuum apprehenderit.adijciens ipsi,Ex potu medicamenti conuulsio, mortale. ita ut totus apho-
rismus talis fiat : Si uacuum apprehenderit ex medicamenti potione conuulsio, mortale.Rationabili-
ter

A ter enim inquit hoc dici: ſemper enim factam ex euacuatione conuulſionem damnari ab Hippocrate. Sed hoc quidem recte Marinus inquit, quòd propter immodicam euacuationem facta conuulſio eſt exitialis: ſic igitur & facta ex potione medicamenti eſt exitialis. Verum non animaduertit, quòd ſermonem priorem falſum oſtendit: nam aperte falſum eſt, quod in oſſis præciſione deſipiétia fiat. Neque enim ex alicuius oſſis alterius, neque eius, quod cerebrum tegit, præciſione, dementia ſequitur, antequam ad membranas paſſio perueniat.

25 *Ex medicamenti potione conuulſio, letalis eſt.*

A.l.3.f.2.c.5. p.396.F.

Medicamenti potiones, & medicationes, conſueuit Hippocrates proprie nominare eas tãtum, quæ cum purgantibus fiunt medicamentis. Quòd uero conuulſio, quæ fit iſtis ſupra modum euacuantibus, letalis exiſtat, ſi quis eorum meminit, quæ ſæpius a nobis ſunt dicta, non ignorat.

26 *In forti dolore uentris, partium extremarum frigiditas, malum.*

A.l.4.f.1 t.1. c.98.p.824.F.

Fit quidem (ſicut & ſupra dictum eſt) ob magnitudinem inflammationis in uiſceribus partium extremarum frigiditas: fit etiam propter animæ defectum, uel quia calor natiuus extinguatur, uel quia B propter multitudinem ſuffocetur, tum præcipue, cum frigida fuerit: Fit inſuper & propter dolorem uehementem medias corporis partes occupantem, ob quem natura in ſeipſam contrahitur, & ad eam conſequitur ſanguis, non ſolum extremas corporis partes derelinquens, ueluti pedes, & manus, & caput, ſed & cutim uniuerſam. Cauſam igitur quandam particularem dixit Hippocrates hoc in ſermone partium extremarum frigiditatis, ſicut & in pluribus alijs ſermonibus hoc ipſum feciſſe oſtendimus. Sed mirandum non eſt illum, qui primus multa adinuenit, nó omnium ſimul, ſed ſingulorum particulatim feciſſe mentionem.

27 *Mulieri utero gerenti ſi teneſmus ſuperuenerit, facit abortum.*

Circa inteſtinum, quod rectum nominatur, teneſmus fit, eandem habens cauſam ac diſpoſitionem, quam in difficultatibus inteſtinorum ſuſcipit aliquod ex ſuperiacentibus inteſtinis. Hæc autem paſſio nomen accipit (ut inquiunt) ab illa, quæ fit in ea, tentione: ob quam cum cacare uehementer appetant: continue exurgunt. Ob talem igitur tentionem atque moleſtiam, & totum aliud corpus laborat, ſed præ ceteris matrix, quæ cognata eſt recto inteſtino. Nihil autem mirum, ſi propter uehementes atque frequentes exurrectiones, conceptus aboritur, quando & ex alijs omnibus fortibus motibus atq; do- C loribus mulieres grauidæ ſolent abortum facere.

28 *Quando os, aut chartilago, aut neruus abſcinditur in corpore, non augetur.*

Et hic aphoriſmus iam ſcriptus eſt antea, his uerbis: Quando diſciſſum fuerit os, uel chartilago, uel neruus, uel maxilla tenuis, uel præputium, neque augetur, neque coaleſcit. & nos in ſexto commentario ipſum expoſuimus.

29 *Qui alba pituita detinetur, ſi fortis uentris fluxus ſuperuenerit, a morbo liberatur.*

A l.3.f.14.c.5 p.590.F.

Conſueuere & alij medici quandam aquæ inter cutem ſpeciem, leucophlegmatian. i. albam pituitã, nominare, uel quòd ſit etiam aliqua pituita liuida, uel quòd ſui quidẽ ratione ſit ſemper alba, ſed propter miſtionem quorundam aliorum humorum uerum mutet colorem. Poteſt etiam, ſicut in libro de « articulis ſcripſit, Vertebræ, quæ in ſpina ſunt. non tanquam ſint alib, idiſtinguens, ſed ſimplici utens adiectione: ſic & hoc in loco abſque diſtinctione, albi feciſſe adiectionem. Hoc autem, quod ſubiecit, ex forti alui profluuio, uel diuturno (utrunque enim ſcribitur) ſolui albæ pituitæ ſuperabundãtiam, commune eſt ad multa alia, quæ ita ab eo dicta ſunt,

D

30 *Quibus in alui profluuijs excrementa ſpumoſa ſunt: ijs ex capite pituita defluit.*

A.l.1.f.2.d.3. c.5.p.100.E. & 13.p.104. D.

Hoc indiſtincte dictum eſt. Fiunt enim aliquando alui excrementa ſpumoſa ſpirituoſo humore ex capite ad uentriculum defluente. Fiunt & uaſis, quæ ad ipſum perueniunt, illum effundentibus. Fierent etiam aliquando in ipſo uentriculo unam habentia, ut quiſpiam diceret, cauſam contentiuam, quomodocunque excernantur aut fiant, antecedentes uero plures. Eſt autem huius pituitæ cauſa contentiua flatuoſus ſpiritus, dum humori commiſcetur, uehementem habens motum, & inæqualem ita, ut & ipſe dirumpatur & pituitam frangat in multas ac paruas partes. Talis uero motus ipſius cauſa eſt, & propria natura, & caloris non nunquam multitudo. Sic & in ijs, quæ elixantur, apparet ſpuma, maximeque cũ tenacem habuerint naturam: & in mari uiolentis uentis agitato. Qui uero arbitrantur per pulmonem ad uentriculum pituitam deueniſſe, atque ideo ipſam uideri ſpumoſam, neſcio, quid inquiet de ijs, quibus fiunt a capite ad pulmonem fluxiones manifeſte. Oportebat ſiquidem in his alui excrementa eſſe ſpumoſa: uerum hi neque ſpumoſa per ſedem excernunt, neque cum tuſſi expuunt, & tamen ſæpius manifeſte aſperæ pulmonis arteriæ ſunt eo, qui a capite fluxit, humore completæ, qui cócoctus puri quidem eſt ſimilis, ſpumoſus autem nequaquam. Sed neque ſemper ex pulmone ſpumoſum ſanguinem expuunt. Videtur itaque, cum ex propria ſubſtantia uiſceris ſimul quicquam effertur, ſanguis eſſe ſpumoſus.

mosus. Sane, & qui morbo laterali laborant, aliquando spumosum expuunt, sed raro. Hi uero etiam E
rarius, qui inflammationem pulmonis patiũtur, calore scilicet, ut mihi uidetur, intemperato atq; igneo
in patientibus partibus aggregato. Si uero, quod a capite defluit ad asperas pulmonis arterias, ut non
nulli uolunt, permeat ad inferiora: primum ad uentriculos cordis ipsum peruenire oportebit: post hoc
duorum alterum eueniet, aut primum per cauam uenam ad gibba hepatis, deinde illinc ad caua, & ita
per portas ad intestinorum inuolucra: aut primum quidem ad magnam arteriam, deinde sic ad illam,
quæ est in mesenterio. Sed quomodo adhuc spumosum remaneret, & sanguini commistum, & tot cũ
eo uenas pertransiens?

*Quibuscunque febricitantibus, in urinis fiunt sedimina, ueluti farina crassior, longam ægritudinem fore significat.* 31

Et hic sermo adhibita distinctione uerus est & ab experientia comprobatus, nam tales urinæ exi-
tiales sunt, sicut etiam in Prognostico dictum est: plurimique morte præripiuntur, antequam ægritudo
diutius protrahatur: &, quicunque ex ipsis sunt liberati, ijs omnibus in longum producta est ægritu-
do, cum dispositio multam requireret coctionem, in qua talis urina mingitur. Dictum autem est a no-
bis in libro de Crisibus, plenius de urinis omnibus. In Epidemijs autem (sufficit enim mihi de duobus
ægris tantummodo fecisse mentionem) in primo quidem libro de Sileno, secundo loco cõscripto post F
tres constitutiones: de quo in sua enarratione sic inquit: Minxit totum simul, subcrassum: sedimen in- »
star farinæ crassioris, album: extrema rursus frigida: undecima mortuus est. In tertio autem de ægro, »
qui ordine tertius est, de quo ipse ita scripsit in suæ enarrationis initio: Qui iacebat in horto Dealcis. »
deinde paulo infra: Vrinæ tenues, uariæ, habentes sublimamenta parua instar farinæ crassioris. Hunc »
autem dicit quadragesimo die fuisse iudicatum. Liquet igitur & ex his exemplis, quòd quicunque min »
gunt urinam similem farinæ crassiori, si saluari debeant: tarde liberantur. Quicunque uero exitialiter se
habent, contingit hos cito interire.

*Quibus autem biliosa sedimina supra tenuia acutum morbum significant.* 32

Biliosum quidem semper acutos morbos operatur. Dictum enim a nobis est, quòd amaræ bilis hu-
morem ita medici prisci consueuere appellare, sicuti melancholicum semper cum adiectione dicunt,
non simpliciter bilem proferentes, sicuti flauam, sed atram bilem nominantes. Quod autem sequitur,
supra tenuia, hoc est aquosa: (sic enim consueuit uti tenuis appellatione Hippocrates) non bene di-
ctum uideretur. Vrina siquidem aquosa, cruda est & diuturna. Equidem nunquam uidi urinam, cu
ius sedimen biliosum esset, pars uero superfluitans aquosa. Non absque ratione igitur non nulli ex- G
positores dixere aduerbium, supra, non locum, sed tempus hoc in loco significare, ac si ita dicere-
tur: Vrinarum sedimina, quando ab initio tenuia sunt, postea uero biliosa fiunt, acutum morbum
significant.

*Quibuscunque urinæ distantes sunt, ijs turbatio uehemens in corpore fit.* 33

Si uerbum, distantes, in propria significatione accipiatur, rem impossibilem ostendet. Vrina siquidẽ
semper est sibijpsi continua, nullum spatium uacuum habens interiectum. Si uero per id substantiæ
inæqualitatem dici intellexerimus, recte dixit uehementem significari perturbationem. nam superan
te natura, omnia æqualiter unita sunt. ægris uero causis tumultuantibus, ac renitentibus ei, illud, quod
superatur atque concoquitur, aliam habet formam: renitens uero atque tumultuans, aliam: &, quan-
do plura huiuscemodi fuerint, uariam magis ostendunt urinarum inæqualitatem, & eius causam,
perturbationem.

*Quibus in urinis bullæ insident, morbum renalem & longum significant.* 34 A.l.1.f.2.d.3.c.5.p.100.E

Bullæ fiunt, circumextento humore spiritui flatuoso. Solet autem hoc magis accidere, quando hu- H
mor aliquid tenacitatis habet: tunc autem & bullæ ipsæ sunt stabiles, & difficulter solubiles. Cum igi-
tur spiritus flatuosus una cum urinis excernitur, signum est frigidæ ægritudinis renum. Hæc enim aggre
gat spiritum flatuosum: atque ideo aiunt ægritudinem fore longam. Frigidum enim omne est difficul-
ter solubile, & uix coctionem admittit, atque ideo diu durat. Non nulli etiam aiunt ab acrimonia uri-
narum aperiri ora arteriarum, quæ sunt in renibus, atque ita excerni spiritum aliquem, qui cum uri-
nis exit, & bullas facit.

*Quibus insidens pingue, ac simul totum, ijs renum uitium acutum significatur.* 35 A.l.1.f.2.d.3.c.3.p.49.B.& l.1.f.2.d.3.c.6.p.101.C

Siue alui excrementũ, siue urina pinguis fuerit, colliquatione adipis fit non magis in renibus, quàm
in toto corpore existentis. quare neque omnino morbi renalis est signum, sed commune omnis adi-
pis ab igneo calore colliquati. Aut igitur ita intelligendum est, tanquam in ijs, de quorum uitio renali
non ambigitur, non passionis genus, sed acutiem dignoscat ac prædicat in hoc aphorismo Hippocra-
tes: uel pro uerbo, nephritica, quod significat uitium renum, scribendum est, phrenitica: sicuti qui-
dam scripserunt expositores. Quanquam neque hoc solius phrenitidis signum existit, neque simplicis,
neque incẽdentis, sed cuiuscunque febris colliquantis. Quod uero totum simul sermoni adiectum est,
potest

A poteſt & breuitatem temporis ſignificare, poteſt nihilominus & loci ſpatium. Quod enim aſtrictum eſt, & in ſeipſum contractum, ſimul totum (græce ἀθρόον) nominamus, contrarium exiſtens diſtracto atque diſperſo. Hæc itaque a noſtris etiam præceptoribus huc uſque fuere interpretata. Quid autem ego ſentiam, nunc explicabo. Simul totum, ſermoni adiectum, mihi uidetur de tempore dictum, atque ideo adipis renum oſtendere colliquationem. In alijs enim partibus corporis adipes colliquati, paulatim, & non uniuerſim cum urina exeunt, primum colliquatione participata a uenis illi uicinis, deinde ab ijs, quæ continuantur, & rurſus ab alijs, donec ad renes perueniatur. Adipis uero circa renes colliquati tranſſumptio ad urinas celerrima eſt, & non paulatim, ſed ſimul tota fit, atque ideo in renibus ipſis diſpoſitionem eſſe monſtratur: cui rei & experientiam inuenies, ſi diligentius animaduerteris, conſentientem. Cum uero duplex extet ſcriptura, nam in quibuſdam exemplaribus inſidens, in quibuſdam ſubſidens ſcribitur: primam dicimus eſſe ueriorem. Inſidet enim ſemper, quod pingue eſt, & non ſubſidet. Saneque prioris aphoriſmi dictioni magis conſonat iſta ſcriptura. In illa enim Hippocrates dixit: Quibuſcunque autem in urinis bullæ inſident, morbum renalem, & longum ſignificant. Conſentaneum igitur ei, quod dixit, inſident, quod deinceps dictum eſt. Quibus inſidens pingue, & ſimul totum, ijs renum uitium, & morbum eſſe acutum ſignificatur.

36 B

*Quibus autem morbo renali laborantibus prædicta accidunt ſigna, doloreſque circa ſpinæ muſculos fiunt, ſi quidem circa loca exteriora fiant: abſceſſus quoque exterius futuros expecta. ſi vero dolores magis circa loca interiora fiant: etiam abſceſſus expecta futuros interius.*

In prioribus quidem aphoriſmis ſigna docuit, per quæ renum uitia poſſemus dignoſcere: in hoc uero de ijs docet, quos longo tempore ſcimus morbo renali laboraſſe, inquiens in ipſis futurum abſceſſum labore, hoc eſt dolore, cum ſignis prædictis prægreſſo circa muſculos ſpinales, quos græce rhachiæus & rhachitas medici nominant. Duplex autem eſt horum muſculorum genus: unum quidem retro ſub cute, totam ſpinam utrinque complectens: alterum uero in partibus anterioribus, non per totam ſpinam extentum, ſed ſolum per partes ad lumbos attinentes. In utris autem horum ſe firmauerit dolor, illic quoque abſceſſum futurum expecta. Nunquid uero renibus ipſis ſuppuratis, aut ſolis muſculis, aut aliquando utriſque, nondum præfiniuit: experientia uero hæc omnia fieri oſtendit. nã & muſculi ſoli non nunquam hoc patiuntur uel interiores, & anteriores, uel poſteriores, & exteriores: & ſine muſculis renes, non nunquam introrſum, non nunquam extrorſum uergente in ipſis abſceſſu.

37 C *Quicunque euomunt ſanguinem, ſi ſine febre quidem, ſalutare: ſi vero cum febre, malum. Curare vero acerbis, & refrigerantibus.*

Quæ uomimus quidẽ, è gula & uentriculo: quæ uero extuſſimus, ex aſpera arteria & pulmone feruntur. Quidam uero huius libri expoſitores aiunt ſub uerbo, euomunt, cõprehenſos eſſe & illos, qui ex aſpera arteria atq; pulmone ſanguinem educunt. Atqui ſalutarem eſſe hanc paſſionem, hoc eſt curari poſſe, quando ægri non febricitauerint, haudquaquam eſt uerum. Si quis enim abſque febre uel prorſus ex pulmone cum tuſſi ſanguinem emiſerit, periculum imminet, ne curatio fiat: & ſi perdurauerit caſus, omnino poſtea febres ſuccedent. Ob hoc igitur melius eſt, ut accipiamus uerbum, euomunt, in proprio ſignificato: conſideremuſque deinceps atque diſtinguamus, & quid periculo uacet in ipſo, & quid cum periculo ſit ex febris præſentia, uel abſentia. nam illis, qui febre uacant, liquet nullam adeſſe inflammationem in loco, unde emittitur ſanguis. Quare uel alicuius uaſis ore adaperto fit ſanguis uomitus, uel cum ulcere quidem, ſed ſine inflammatione. Curantur autẽ, quæ ſunt abſq; inflammatione ulcera facile † acerbis. Quæcunque uero cum inflammatione ſunt ac febribus, non ſolum curari non poſſunt, ſed neque in eadem poſſunt magnitudine permanere. ſemper enim maiora fiunt, ac maligniora.

† ςυπτικοῖς habent oẽs lib. i. adſtringentibus. & ſic in ap 101.

38 D *Diſtillationes in ventrem ſuperiorem: ſuppurantur intra viginti dies.*

A.l.3.f.10.c.4 c.17.p.500.D

Ventrem ſuperiorem nunc nominat, qui a thorace præfinitur, quem pulmo obtinet, atque ideo in ipſum a capite diſtillatio fertur per aſperam arteriam. Suppuratur autem magna ex parte in uiginti diebus, & non (ut multi ſcribunt) in uno et uigeſimo. Semper enim Hippocrates diem uigeſimum iudicatorium facit, non uigeſimumprimum, quemadmodum in libris de diebus iudicatorijs oſtendi.

39 *Siquis ſanguinem minxerit & grumos, & ſtillicidio vrinæ laboret, & dolor inciderit in femur, & imum ventrem pectinemque; : quæ circa veſicam, male ſe habere ſignificatur.*

In omnibus fere exemplaribus hic aphoriſmus ſcriptus eſt: eximere autem ipſum oportet propter alterum, qui prius eſt dictus, quem nos expoſuimus in quarto horum commentariorum per hæc uerba ſcriptum: Si ſanguinem mingat ac grumos, & urinæ ſtillicidio laboret, & dolor inciderit in imum uentrem & pectinem: quæ ſunt circa ueſicam, male ſe habent. In propoſito autem aphoriſmo eſt ultima ſcriptura duplex, una, quæ antea ſcripta fuit: altera talis, Veſicam male ſe habere ſignificatur.

40 *Si lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis attonita ſtupeat, tale eſt melancholicum.*

A.l.3.f.2.c.4. c.18.p.376.F

Incontinentem nominat linguam, quæ aut infirma eſt, ita ut non poſſit integre dearticulare uocem,

aut

aut immobilis, & omnino resoluta: attonitam autem stupere aliquam corporis partem, quæ resoluta E est. Cur uero hæc repente facta, dicat esse melancholica, ignoro. Melancholiæ enim in cuius nomine omnes Græci consentiunt, recte ab ipso talia indicia sunt prodita: Si timor atque mœstitia longo tempore perseueret, ex eo melancholia significatur. Aliter autem, melancholicas dicimus esse passiones, cancros, elephantes, scabies, lepras, & uitiligines nigras. Sed neque talium passionum aliquam, neque illam, quæ ab omnibus nominatur, melancholiam, linguæ incontinentiam uidemus antecedere, sicuti neque alicuius partis stuporem. Quare superest, ut dicamus, quòd, quemadmodum quartani circuitus causa est humor melancholicus, sic & dictarum passionum, & linguæ incontinentiæ, & partis resolutionis: fieri que posse, ut propter humoris crassitudinem tales passiones consequantur, quales ex crassa & leuta eueniunt pituita. Non igitur dicemus simpliciter utrunque dictorum esse melancholicū sicuti neque pituitosum simpliciter, sed pituitosum simul & melancholicum. Additum autem est sermoni aduerbium, repente, propter mala, quæ paulatim fiunt, ex inflammatione duritiem retinente, & intemperatura difficulter solubili.

*Si senioribus supra modum purgatis, singultus superuenerit, non bonum.* 41

Communis est hic sermo secundum utrunque, & quatenus omnibus supra modum purgatis non F est bonus singultus, & quatenus senioribus omnia mala peiora fiunt propter ætatis imbecillitatem.

*Si febris non ex bile habeat, multa aqua calida capiti superinfusa, solutio fit febris.* 42

Ex hoc sermone manifeste declarat non omnes febres ex bile fieri. Ostenditque etiam, quòd reliquæ omnes exceptis ijs, quæ ex bile factæ sunt, aqua multa capiti superinfusa soluuntur. Secundum hunc sermonem igitur in primo libro Epidemiorum de *Melitone scripsit: Balneis usus supra caput. Febres siquidem, quæ ab exustione ac frigiditate factæ sunt, a talibus balneis utilitatem sentiunt, nec minus, quæ ex lassitudinibus fiunt, & quæ propter foraminum angustationem, siue propter obstructionē, siue ob clausuram fuerint angustata. Respirare siquidem per ipsa oportet & dissolui calorem febrilem. Non tamen, ubi inflammatio aliqua, aut absque inflammatione humoris putredo igneum calorem accenderit, balneæ utiles sunt, antequam noxij humores euacuentur aut concoquantur. Verū tales morbos aut laterum inflammationes, aut pulmonis, aut hepatis, aut lienis, antiqui nominabant, uolentes febrem non esse morbum ipsum, sed casum morbi. In quibus autem sine partis inflammatione, putrescentes in uenis humores, febrem accendunt: in illis solis dicebant hominem a febre molestari, & ipsum a febre haberi. Atq; in ipsis febriū scripsere differētias, Hepialon, & Lipyriam, Eloden, & Typho- G den, pestilentem, & ardorem nominātes. Hepaticam autē febrem, uel lienosam, aut pulmoniā, aut lateralem nemo dixit, adeo ut nunc sermo ab Hippocrate habeatur de per se febribus, quæ sunt absque partium inflammatione. In pluribus autem exemplaribus non aqua, sed sudor scribitur, talem habente scriptura intellectum: Si febris non ex bile ortum habeat, multus sudor a capite defluēs febrem soluit. non ex solo capite sudorem fundi dicente Hippocrate, sed a prima parte, quæ subijcitur oculis, de toto monstrāte corpore. Quantum igitur ad hanc scripturam attinet, ij, qui ex bile febricitant, a talibus sudoribus nihil iuuabuntur. Atqui sæpius manifeste soluūtur cum aliæ plurimæ febres, tum in quibus flaua bilis plurima est. Tertianæ, & Ardores. Melior igitur est prima scriptura, quæ ueram docet cu rationem earum febrium, quæ ex dicto genere sunt, quæ uidelicet uel ob lassitudines, uel exustiones, uel refrigerationes, uel omnino cutis fiunt angustationes. Quod autem a bile dicitur, & de pallida, & de atra bile intelligi potest: non tamen in his solis ostendebamus, sed & ob pituitam putrescentem fieri febrem. & in hac sola uidebitur aphorismus non esse uerus, nisi quis existimauerit pituitæ putrefactionem in humorem biliosum conuerti.

*Al. Metone.

*Mulier ambidextera non fit.* 43 H

Ambidexterum Euripides nominat ferrum utrinque incidens: circundextrum autē Homerus Asteropæum ambabus manibus similiter utentem: ac si utrinque dextrum dixisset. Eodem modo ambilæuū Aristophanes in Tegenitis, utrinque sinistrum. Hipponax ambidextrum dixit in hoc uersu: Ambidexter enim sum, & non aberrans. Homines itaque, qui ambabus manibus pro dextris utuntur, sæpe uisi sunt: mulier uero nulla ad hunc usque diem, ob naturæ imbecillitatem. Si enim ambabus manibus ob neruorum robur ac musculorum quidam uiri utuntur, rationabiliter nulla mulier utetur: cum satis ipsi esse debeat, si sola dextra mediocriter utatur. Amazonidas quidem ipse inquit mammam dextram exurere, ut plurimo alimento ad manum uicinam proueniente, maior ei uigor adsit, ut quæ & ipsa sit natura debilis. Quidam tamen aiunt ambidextram dictam esse, quæ parte uteri dextra genita sit. quibus adhuc magis a ratione deuiant, qui de hermaphroditis inquiunt Hippocratem fuisse locutum, dixisseq; mari quidem muliebre pudendum adnasci, mulieri autem uirile nequaquam.

*Quicunque suppurati uruntur uel secantur, si pus purum fluxerit & album, euadunt: si uero subcruentum & feculentum ac fœtidum, pereunt.* 44

A.l. 3.f. 10. c. 17. p. 500. C & t. 5. c. 4. p. 505. C.

Suppurationes consueuit nominare, non eas tantum, quæ sunt in thorace, sed in quauis alia parte ad

A ad pus alterata tubercula. præcipue uero suppuratos illos fere solos nominat, quibus inter thoracem atq; pulmonem aceruatum est pus: quos urere consuetos esse ueteres, discere licet ex ijs, quæ dixit Pla- « to comicus de Cinesia, hisce uerbis: Post hæc Euagoræ filius Cinesias e morbo laterali aridus, puris « expers, calamacea gerens crura, tabis nuncius, plurimis escharis corpus inustus ab Euriphonte in con- « cionem prodijt. Quòd pus album, bonum sit: fæculentum uero & fœtidum, malum, nemo ignorat.

45 *Quorum hepar suppuratum uduritur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt. in tunica enim his pus continetur: si uero, qualis amurca, fluat, pereunt.*

Ipse causam dixit, ob quam non nulli pereunt, qui ita se habent, non nulli uero euadunt. Quibus.n.in tunica est pus, nihil patiente substantia hepatis, saluantur omnes: quibus uero usq; ad carnem hepatis corruptio pertingit, non absq; ratione moriuntur. Quòd autem amurcam omnes nominēt fæcem olei, & quòd talem par est esse incoctam putredinem hepatis, liquet unicuique.

46 *Dolores oculorum, post meri potionem, & aquæ calidæ balneum, uenæ sectione curato.*

Hic aphorismus mihi uidetur ex ijs unus esse, qui fuere interiecti, cum non cōsentiat uni ex illis, qui B antea scripti fuerunt, huic scilicet: Dolorem oculorum meri potio, balneum, uel fomentum, uel uenæ se ctio, aut medicamentum soluit. quem sane aphorismum in sexto exposui commentario, ostensis dispositionibus, in quibus oporteat singula remedia in usum deducere. Propositus uero aphorismus in una uult dispositione tribus uti remedijs. Siquis igitur nos sciat docere dispositionem, in qua tria hæc remedia conueniant, ei habebimus gratias. Quousq; uero exposuerint quidem hunc aphorismum, quasi legitimum, nos uero nō docuerint, quænam sit ea dispositio, eorum expositionibus nullam præstabimus fidem. Quæ igitur dicunt, qui omnino aliquid conantur dicere, etsi mediocrem habēt probabilitatem, sunt huiuscemodi. In quibus sanguis crassus superabundat, atq; ideo euacuatione indiget, melius putāt ipsum fundere prius, deinde secare uenam. Futile autem fiet, si ægri merum biberint, & se balneauerint. Sed eos, qui hæc dicunt, nunquam exquisite experientia nouisse illa, quæ dicunt, sciūt in artis operibus exercitati. Nam neq; uinum, neq; balneum tolerat plethorica dispositio absq; maximo detrimento. Verum hæc auxilia sunt sanguinis crassi in aliqua parte compacti sine totius corporis repletione. Sic enim Asclepiades utitur uino post totius corporis euacuationem pro remedio extentionum. Si uero adsit in toto corpore plenitudo, prius disrumpentur oculorum tunicæ inter bibendum atq; lauandum. Quare, si absq; multitudine dolor fiat propter obstructionem ac compactionem crassi sanguinis, recte quidem C lauabunt, & uinum dabunt, non recte autem secabunt uenam. Si uero multitudo fuerit, recte quidē uenæ utentur sectione, non recte autem lauabunt & uinum dabunt.

47 *Aqua inter cutem laborans, si a tussi habeatur, desperatus est.*

Et hoc prius dictum est ab ipso in hoc aphorismo: Aqua inter cutem laborantibus si tussis superueniat, malum.

48 *Vrinæ stillicidium, & mingendi difficultatem, uini potio, & uenæ sectio soluit. incidere autem interiores.*

A.l.3.f.192.a c.6.p.676.f.

Quòd urinæ stillicidium significet urinæ stillatim exeuntis emissionem, nomen ipsum ostendit. Mingendi uero difficultas potest, & quæ cum dolore fit, mictio dici: potest & quæ cum difficultate aliqua, adeo ut uix uesica operetur. Vrinæ stillicidium, ipsius urinæ acrimonia facit, & potentiæ retentiuæ in uesica imbecillitas, quæ ob intemperaturam fit, præsertim frigidam. Vrinę uero difficultatem, siquidem cum dolore fuerit, inflammatio, & abscessus, & ulceratio, & inæqualis intemperatura, & spiritus flatuosus. Sin motus quidam difficilis, uel potentiæ imbecillitas, uel tumor contra naturam. Ex omnibus autem hisce dispositionibus frigiditatem quidē soluit thorexis, hoc est uel simpliciter uini potio, uel me- D racioris: atque eam etiam inflammationem, quæ propter obstructionem sanguinis crassioris citra multitudinem facta fuit. Illam uero, quæ cum multitudine fit, inflammationem, adhuc autem & aliam, quæ sine defectu est, & cum potentiæ robore, uenæ sectio sanat. De eo autem, quod dicitur incidere uenas interiores, dictum est a me & in libro præcedēte, in quo hunc aphorismum exposui: Vrinæ stillicidium uenæ sectio soluit: incidere autem interiores.

49 *Ab angina habito tumor & rubor in pectore superueniens, bonum: extra enim uertitur morbus.*

Et hic aphorismus antea dictus est per hæc uerba: Ab angina habito tumorē fieri in parte colli anteriore, bonum. Exposui autem ipsum in quarto horum commentariorum. Hic igitur uidetur fuisse interiectus, uolente aliquo adiungere: Extra enim conuertitur morbus.

50 *Quibus cerebrum sphacelatum.i.corruptum est, in tribus diebus pereunt: si uero hos euaserint, sani fiunt.*

A.l.3.f.1.2.3. c.1.p.361.a.

Sphacelare sæpius in libro de fracturis & articulis, pro corrumpere, usus est. Hic uero non contingit cerebri corruptionem intelligere, cum adiectum sit: Si uero hos effugerint, sani fiunt. Si.n. sphacelus est corruptio substantiæ uniuscuiusq; partis, quæ sphaceli dicitur, non contingit hunc, qui ita ægrotet, persanari. Nunquid igitur aliquando abutuntur hoc uerbo ad significandū huius dispōnis inceptionē.

quæ tamen nondum exacte completa ſit? Tale.n. quiddam carnoſis etiam partibus accidit, quas gangrænam pati dicimus, cum paſſio ob magnitudinem inflammationis inſenſibilitatem, nigritiem, aut omnino morticinium quendam colorem intulit, & cum in hanc diſpoſitionem tendere particula patiẽs incipit. Sicuti igitur gangrænam ita iam completam, vt pars ſit intermortua, ſanare eſt impoſſibile, dum uero adhuc fit, poſſibile: ſic & ſphacelum. Saneq; partis carnoſæ interitum ex magnitudine inflãmationis, quem proprie medici gangrænam nominant, Græci ſphacelum ẽt appellabant. Sic igitur mihi videtur & Herodotus dixiſſe coxam Cambyſis ſphacelari. cerebrumq; ita quiſpiam diceret ſphacelari tantummodo. Iam uero, propter quid uelox in eo mors ſit, manifeſtum eſt, nimirum quia & morbus grauiſſimus & pars principalis maxime ſit. Quod ſi æger mori tribus primis diebus non anticipauerit, ſed ad diem quartum perueniat, ſperandum eſt & morbum declinare, & uires fortes ita eſſe, vt morbum omnino ſuperare poſſint. E Aui.l.4.f.3.t.1.c.15.p.843

*Sternutamentum fit ex capite, calefacto cerebro, aut humectato eo, quod in capite eſt, inani. Aer enim intus contentus extra erumpit. Sonat autem, quoniam per anguſtum ipſi eſt exitus.* 51

Tales ſermones duo ſignificant, unum, quod de omni re propoſita uniuerſaliter dicitur, velut hoc in loco de ſternutamentis: alterum, quod particulatim de quibuſdam tantum, velut hic de ſternutamentis ex cerebro factis. Primus igitur ſermo talis erit: Omne ſternutamentum fit ex capite cerebro calefacto, vel humectato eo, quod eſt in capite inani. Secundus uero: Sternutamentum ex capite eueniens, fit cerebro calefacto, vel humectato capitis inani. quod uerius exiſtit. Non.n. omnis ſternutatio fit calefacto cerebro, uel humectato in capite inani. Pennis enim quidam nares irritantes ſternutant. & cum tuſſi ſpiritus ſubter ueniens ad naris meatus, cauſa fit ſternutamẽti. Præterea opinari ſolum aerem, qui ex capite excernitur, eſſe, quod ſonat, eſt manifeſte falſum. Nam liquido apparet ſubter ex pulmone elatus aer uniuerſim ſe comprimente thorace. Sed & antecedente inſpiratione fieri ſternutamentum, natura aggregante aeris copiam ad ſternutamenti generationem, ijs, quæ dicta ſunt, aſtipulatur. Solum itaq; illud ſternutamentum, quod habet ſuæ generationis principium, naturam appetentem excernere flatuoſum ſpiritum ex capite, hoc modo fit, quem docere aggreditur aphoriſmus, neq; forte hunc omnem. nam, quod ait, humectato, ſuperfluum eſt ad ſternutamenti generationem. Nam, & ſi aliquis humor in capite ſuperabundat, non facit tamen ſternutamentum, niſi in uentum conuertatur. & hoc manifeſte uidetur in multis, qui, licet copiam humoris per nares excernant, non tamen propterea neceſſario ſæpe ſternutant. Soli enim ex his ita affectis illi ſternutant, quibus mordax eſt ea, quæ a capite fluit, humiditas, ceu & ſiquid mordax naribus imponas. ſicut enim tuſſis caſus quidam naturalis eſt ad expurgandas eas, quæ ſunt in pulmone, aſperas arterias, ſic & ſternutamentum manifeſte uidetur expurgare narium meatus. Duplici autem in ipſis exiſtente perforatione, lata quidem ad os: per meatus uero tenuiores, ad cerebrum: quæ quidem eſt ad os perforatio, ab eo, qui ſubter, ſpiritu effertur: qui uero ad cerebrum meatus pertingunt, ab illo, qui ab ipſo prodit, expurgantur. Atq; ſi diligenter aduerteris, videbis ſternutamenta, quæ ex capite motus initium habẽt, leuare caput. Fiunt enim & rarefactis ijs, qui ſunt in capite, humoribus, & naturæ impetu excretis. Rarefieri uero ipſis accidit concalefactis. Calefiunt autem natiuo calore excitato, ob cuius imbecillitatem prius erant ſuperfluitates aggregatæ. Cum igitur ait, Calefacto eo, quod eſt in capite, inani, maxime quidem intelligendum eſt de eo, quod eſt in uentriculis cerebri: adhuc autem & de illo, quod ipſum ambit exterius. facile eſt enim & illi per cerebrum primo quidem ipſos uentriculos, inde uero nares ſubire. Quia uero repente totus ſimul erũpit, ſonitum edi Hippocrates inquit. Eſt autem commune hoc, undecunque uenerit, ſiue ex pulmone elatus, ſiue ex capite delatus. F G A.l.3.f.5.t.2.c.13.p.449.c.

*Quicunque hepar circundolent, ijs febris ſuperueniens ſoluit dolorem.* 52

Verbum, ſuperueniens, indicio eſt, quòd prius, cum circundolebant ipſi, nõ febricitabant. Si igitur hepar uehementer dolebat, uel propter fortem inflammationem dolebat, uel propter ſpiritum flatuoſum, tumq; non aderat ipſis inflammatio, alioqui omnino febricitaſſent: par igitur eſt, quòd flatuoſus ſpiritus ſit cauſa doloris in ipſis. Dolet etiam hepar propter obſtructionem, uerum mediocriter, & cũ quodam ponderis ſenſu potius, quàm uehementis doloris. Dolor autem uehemens propter flatuoſum ſpiritum, uel inflammationem, maximam ſcilicet, aut ſuppuratam, accidit. A.l.3.f.14.t.2.c.3.p.577.a.b H

*Quibus a uenis ſanguinem mittere confert, iis uere uenam oportet ſecare.* 53

Hic aphoriſmus pars eſt eius, qui prius dictus fuit in hæc uerba: Quibus medicamentum epotum, vel uenæ ſectio confert, ijs uere ſecare uenam, uel purgare medicamenro opus eſt. Atque ideo in quibuſdam exemplaribus non eſt aſcriptus omnino: id quidam libri huius expoſitores ſciunt, biſq; ipſum ſcribunt: non nulli uero neq; mentionẽ eius omnino fecere. Non admirari uero illos non poſſis, qui nõ modo bis eundem ſcribunt aphoriſmum, uerum etiam in eiſdem commentarijs eum exponunt, nulla facta ſignificarione, quòd ijs, qui antea ſcripti fuerunt, quidam ſunt ex toto ijdem, quidam uero ex parte, cuiuſmodi hic eſt. Quidnam igitur uiſum fuit uel ijs, qui hos adiecere aphoriſmos circa finem libri, uel ipſi Hippocrati, ut bis de eiſdem faceret mẽtionem, uel quibuſdam expoſitoribus, qui unum aphoriſmum bis expoſuerunt? Deos teſtor me non poſſe coniectari. Nam neque ſcriptorem ipſum aphoriſmorum credibile eſt tantarum rerum obliuione fuiſſe correptum, præſertim talis cum fuerit, qualẽ in omnibus fuiſſe Hippocratem nouimus: neq; illorum, qui appoſuerunt, aut obliuionem, aut malignitatem

A tem tantam cogitare possumus, vt propterea bis eadem ascribere uoluerint. Adhuc autem magis illos decet expositores admirari, qui, cum bis eosdem exposuerint aphorismos, ne hoc quidem ipsum adiecerunt, secundam se expositionem facere: multoq; adhuc magis illos, qui de eisdem differentes scripsere expositiones in ijs, quæ circa finem, ab illis, quæ per initia dixerant.

54 *Quibus inter ventriculum & septum pituita reposita est, & dolorem affert non habens exitum neque ad alterum ventrem: ijs per venas ad vesicam pituita uersa, soluitur morbus.*

Non absq; ratione mihi videtur dubitare Marinus, impossibile existimans inter septum & ventriculum pituitam constitui. Defluet enim deorsum vsq; ad ossa pubis. Neq; etiam fieri posse arbitratur, vt in venas traijciatur, sicuti in aqua inter cutem, tenuis & aquosus humor trāssumptus excernitur per urinas. Quare accipiendum esse inquit, inter septum & ventriculum, pro eo, quod est inter proprium septi corpus, quod carnosum est, & peritonæi, hoc est interioris membranæ abdominis, uerticem. Verum, & si ita intellexerimus ô Marine, transsumptionem ad uenas, similiter tamen dubitabimus. Nam, si pituitam hinc ad renes per uenas ire est possibile, neq; ex eo spatio, quod est sub membrana abdominis interiore, est impossibile. Adde, quòd omnino impropria fotet uentriculi appellationis abusio. Nihil B enim est simile uentriculo & membranæ abdominis interiori, cuius gratia eandem participent appellationem. Melius est igitur ita intelligere, sicut omnes intellexerūt, illud spatium ab eo dici, quod est quidem infra septum, sed intra eam membranæ abdominis interioris partem, quæ ad epigastrium attinet. Et considerare, an possibile sit illud, quod dicit, cum sciamus, quòd uiam semper materiebus inuenire naturam Hippocrates opinatur, quando valida fuerit, etiamsi quam maxime sint crassæ, & per angusta fotamina debeant permeare: quando & in ossibus fiant, inquit abscessus. Videmus autem & humorem illum, qui est inter thoracem atq; pulmonem, in suppuratis expui cum tussi: non nunquam uero & per cutem sanam existentem excidere sanguinem in ossibus, quæ fracta occalluerunt. Non igitur neque in ea, de qua nunc Hippocrates dixit, pituita impossibile prorsus oportet arbitrari ad urinæ uias fieri transsumptionem. Verum & hoc ipsum agi a natura contingit paulatim pituitam extenuante, quemadmodum pus in suppuratis.

55 *Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, ijs venter aqua repletur, & moriuntur.*

A.l.2.f.14.c.16.p.591.f. Aptissimum hepar est vesicas quasdam aqua plenas, hydatidas græce appellatas, in ea, quæ ipsum ambit exterius, membrana generare. Videtur itaq; & in iugulatis animalibus hepar his aliquando ple- C num. Siquando igitur contingat eas vesicas rumpi, effunditur aqua ad locum membranæ abdominis interioris, epigastrio, id est parti supra uentrem positæ, respondētem, in quo etiam aqua hydropicorum congregatur. in omentum autem non potest aqua effluere, nisi aliquo modo ipsum exedatur. est enim solidum & firmum vndequaq;, ita ut nihil in ipsum ex aliqua parte possit incidere, nisi ex uentriculo, colo, ac liene, illisq; partibus, vnde ipsum enascitur. Vel igitur vult omētum exedi, qua parte uicinum est hepati, hoc est dextra: vel in omentum intelligere oportet, hoc est ad ipsius locum. Ventrē autem aqua impleri, non de illo uentre dictum est, in quo cibi recipiuntur, sed de tota cauitate, quæ est infra thoracem: secundum quod significatum, ventrosi nominantur, & mulieres dicuntur gestare uentrem. Mori autem eos, quibus hoc in loco aqua colligitur, considerandum, an perpetuo fit verum, an magna ex parte. Seruantur igitur aliqui aqua inter cutem laborantes, nec, quamuis hic locus ipsis aqua repleatur, impossibile est, sicut in illis per medicamenta aquositates purgantia, & per epithemata, hoc est impositiones, eorum, quę uim habent ciendi vrinā, & in vapores soluēdi humorē talē, sic & in his fieri curationē.

56 *Anxietudo, oscitatio, horror: vinum æquale æquali potum soluit ægritudinem.*

A.l.1.f.3.d.2.c.13.p.123.2.&529. Solœcismi suspitione non carere, uisa est quibusdam rationabiliter figura sermonis, atque ideo non nulli casu accusatiuo scripsere: Anxietudinem, oscitationem, horrorem, vinum æquale æquali potum D soluit. Nihil autem refert ad præsens, vtrauis scriptura aphorismus exponatū. Primum.n. illud scire nos oportet, quòd *ἀλύκην* nominauit, quam multi Græci *ἄσην* appellant: deinde, quæ sit faciens hunc casum dispositio. anxios igitur illos sanos dicunt, qui semper præsentibus molestantur, & ab uno negocio atque actione ad aliam transeunt. Eodem modo & ægros illos, anxios esse, qui accubitum non ferentes, iacendi figurā euariant, quia semper præsens aggrauat eos. Hoc uero præcipue illis euenite consueuit, quibus in orę uentriculi (quod abutentes uocabulo, sæpe solent stomachum nominare) certa quædam humoris qualitas continetur, uentriculo molesta, quæ neq; multa est, neq; in ventriculi fluitat cauitate, Auic.ibid. sed eam ipsæ imbibere tunicæ. Sed & oscitare, sicuti & pandiculari, contenta aliqua in musculis (per quos voluntarij quoq; fiunt motus) vel humiditate flatuosa, vel spiritu uaporoso fieri est a nobis demōstratum. Horror autem prauis humoribus per cutem currentibus accidit. Liquet autem, quòd nunc a nobis habetur sermo de horrore, qui ex corpore prouenit insalubri, nō de illo, qui causam extrinsecus habet. Singula igitur hæc, quæ dicta sunt, potus uini meracioris sanat. Moderatam autem temperaturā ipse monstrauit inquiens: Vinum æquale æquali potum. Vult.n. æqua portione aquæ uinum temperari, vt partim quidem pellat & euacuet ex materia infestante, quicquid cesserit uini motui cum impetu lati, partim autem, quod reliquum fuerit, temperet. Calefacit.n. uinum, ut nouimus, corpus totum, citoque mouetur in omnes partes, & cum hoc omnes humores optimos reddit.

*Quibus in urinario meatu tubercula fiunt,ijs suppuratione facta & eruptione,soluitur dolor.* E 57
Et hunc aphorismum in præcedentibus Hippocrates scripsit, nosque ipsum exposuimus in hæc uerba scriptum:Quibus in urinaria fistula tubercula nascuntur,ijs suppuratione facta & eruptione solutio.

*Quibus cerebrum aliqua ex causa concussum fuerit,necesse est statim mutos fieri.* 58

Etiam in hoc aphorismo in quibusdam exemplaribus possumus inuenire uerbum, mutos, scriptum numero plurali,casu accusatiuo : in quibusdam uero,mutum, numero singulari, per modum figuræ solœcophanis . Sed neque hoc loco quicquam ad præsentia refert, modo nouerimus sæpe consueuisse Hippocratem ab uno accidente notissimo, uocis amissione,nominare & ostendere illos, qui neque ullum alium motum seruant secundum electionem,neque quicquam omnino sentiunt,sed iacent eodem modo,quo apoplectici,sine sensu pariter & motu.Fit autem hoc & propter alias causas : nunc uero cõcussionis cerebri Hippocrates meminit,ipsamque talem ait totius corporis dispositionem sequi. Cõcuti autem hoc modo cerebrum contingit propter aliquem casum totius corporis uiolentum ex locis altioribus factum.Tales enim casus solent & in spinæ uertebris facere concussionem, quando ipsarum coagmentationes fuerint commotę,& spinalis medulla,quę in earum cauitate continetur,laborauerit, ualdeque concussa periculum adduxerit,ne aliquis neruus eorum, qui ab ipsa nascuntur, abrumpatur: F id quod non minus in ipso quoque fit cerebro,& tanto magis, quanto plus uacui loca habent, quæ ipsum circunstant : magisque etiam in senioribus, quemadmodũ in anatomicis tractationibus diximus. Contrahit autem se uis animalis in sese talibus dispositionibus,a motu periculoso molestata, atque idcirco quiescit. Processuum uero non nulli quidem sufficienter tenduntur,quidam uero aliqua ex parte distrahuntur.atq; interim,donec se rursus uis animalis collegerit, mutum atque immobile totũ iacet, quod ita afficitur,animal.Si uero cerebrum auelli contigerit,aut aliquam eius partem conuelli : qui ita patiuntur,non amplius restituuntur.

*Corporibus carnes habentibus humidas, famem adhibere conuenit .fames enim corpora siccat.* 59

Quòd omnia,quæ exiccant, sint passionũ humidarũ remedia,manifestum est: siquidem contraria cõtrariorũ remedia sunt. Quòd autẽ & fames ex accidenti corpora exiccet,non est dubium . Siquidenim defluat a corpore,sicuti & antea[dixi]nec insuper ab alimento suppleatur id, quod fuerit euacuatum, necessarium est corpus effici siccius . Liquet enim quod in cuiusque animalis corpore prius illæ partes absumuntur,quæ sunt humidiores,quando & ipse defluxus idcirco fiat,quia corpus extenuatur, atque A.l.1,f.a.d.3. in uapores resoluitur.idque duplici de causa,extrinsecus quidem ab aere ambiente:intus uero a calore G c.3.p.11.a. natiuo . Quæ autem per hyemem latent animalia, cum neque extrinsecus calefiant,& neque intrinsecus,ut nihil prorsus uel parum omnino dissoluuntur : atq; ideo nonnulla eorum ne alimento quidẽ ullo penitus egent, non nulla uero minimo prorsus . Post præscriptos aphorismos alij duo fere in omnibus exemplaribus inueniuntur, quorum huius libri expositores fere omnes meminere : quidam etiam ipsos exposuere,sed aliter,atque prius fecerant, ne hoc quidem solum adijcientes, quod ijdem aphorismi superius sint scripti. Nos uero in quarto commentario illos exposuimus,parum uerbis ab istis differentes. Alter enim eorum,qui nunc scripti sunt,superfluo adiectum habet,Vt deuorare nõ possit, nisi uix. Alter uero contra non habet uerbum, uix : ut prior quidem sit talis : *Si a febre habito, tumore non existente in faucibus strangulatio repente superueniat,& non possit deuorare,nisi uix,letale.* Secundus uero sic. *Si à febre habito collum conuertatur,& deuorare non possit: tumore non existente in collo,letale.* Priores uero,quos dixi in quarto horum commentariorum fuisse expositos,ita se habebãt : Si a febre habito,tumore non existente in faucibus,strangulatio repente superueniat,letale.Deinde,qui deinceps sequitur: Si a febre habito collum conuertatur,& uix possit deuorare:tumore non existente in collo,letale.Quod igitur in priore aphorismo dictum est superfluere,nunc consideremus.Etenim id fieri uidimus,ubi ægri omnino exitialiter a morbo haberentur.Quare,siue nullo modo possint deuorare,siue uix,non existente tumore in faucibus:(nã hoc licet perspicuo cognoscere,si plurimum os aperiatur,& lingua uersus mandibulã inferiorem prematur)in tali,inquam,constitutione,quòd difficulter deuoretur,cãm esse suspicãdum communionem tunicæ, quæ subnata est ex partibus gulæ & gutturis interioribus . Nam ostensum est hanc cibo os permeante,ipsam quidem trahi inferius,guttur uero totum retrahi superius.Tumescente igitur in gutture inflammatione,non nunquam quidem nullo modo, quandoque uero uix uentriculum sequitur attrahentem,atque ob hanc causam uel nullo modo deuorant,uel uix. H

*Vbi in toto corpore mutationes,& corpus refrigeratur,& rursus calefit,aut colorem alium ex alio commutat, longitudo morbi significatur.* 60

Et hunc aphorismum in quarto commentariorum exposuimus,ijsdem fere uerbis scriptum, quibus & hic.Est enim scriptura talis:Et ubi in toto corpore mutationes,& si corpus frigefcat, uel rursus calefcat,& si alius ex alio color fiat,morbi longitudo significatur.

*Sudor multus calidus,uel frigidus semper fluens,humorẽ in robusto superne,in imbecillo inferne uacuandũ esse significat.* 61

Antea alium aphorismum in quarto horũ commentariorum exposuimus hoc modo scriptũ : Sudor multus calidus uel frigidus semper fluens, frigidus maiorem, calidus minorem morbum significat.

A Et talium sudorum diximus esse dispositionem, multitudinem humiditatis, quæ in ægri corpore continetur. Propterea igitur, qui nunc proponitur aphorismus, abduci præcipit superfluum humorem, robustis quidem supra, hoc est per uomitus: debilibus autem infra, quod & ipsum significat per alui subductionem. Quòd quidem igitur semper sit necessarium superfluas corporis humiditates euacuare, plane est manifestum. An uero robustis supra tantum, debilibus uero infra, mihi dignum uidetur animaduersione. nam forte melius est, non hac ratione distinguere remediorum usum, sed ut in tractatione curatiua de talibus omnibus fuit a nobis distinctum. Quare & hunc aphorismum arbitror fuisse ascriptũ. Post suprascriptos aphorismos, alij tres inueniuntur in pluribus exemplaribus, qui pariter & ab expositoribus scripti sunt, & parum uerbis euariant ab illis, qui in quarto horum commentariorum habentur. Scribunt autem eos hoc modo. *Febres, quæcunque non intermittentes, tertia die fortiores fiunt, periculosæ: quocunque autem modo intermiserint, significant, quòd non sunt periculosæ. Quibuscunque febres longæ, ijs uel tubercula, vel ad articulos dolores decumbunt. Quibuscunque tubercula diutina, aut in articulos dolores ex febre decumbunt, ij cibo pleniore vtuntur.* Liquet autem, quòd hi interiecti fuerunt, a prioribus nihil aut parum admodum uerbis differentes: nos uero ipsos exposuimus in quarto horum commentariorum.

62 B *Siquis cibum febricitanti dederit: vt sano robur, sic laboranti morbus.*

Scribitur autem & sic aphorismus: Siquis febricitanti cibum dederit, sano quidem cibus est, laboranti uero morbus. Vtraque uero locutio a naturali elocutione ad prauam affectationem, recessit: nescio quid sibi uolentibus illis, qui ita libri finem tam uarijs modis disposuerunt, non nulla quidem eisdem uerbis scribentes, quibus ipse antea usus erat, non nulla uero paululum commutantes, aliqua uero tota interponentes, uel uti hunc propositum aphorismum, qui neq; prope accedit ad Hippocratis dicendi rationem. Ipse siquidem prius dixit: Non pura corpora quanto magis nutries, magis lædes. Et, si ex morbo cibum assumens aliquis non corroboratur, significat corpus pluri vti alimento: Si uero cibum non assumente hoc fiat, significat, quòd euacuatione indiget. & quædam alia huiuscemodi, quæ germanam natiuamq; habent interpretationem. Qui uero propositum apposuit aphorismum, affectate dixit de cibo, eum esse sano robur, & ægrotanti morbum: Vult enim dicere cibum robur quidem in sanis efficere, nocere autem ægris: vel, per Iouem, sanis quidem augere robur, morbum uero laborantibus. Absurde autem id pronunciauit, inquiens, cibum ipsum robur esse sanis, morbum uero laborantibus: qui neq; robur est, sed roboris efficiendi: neque morbus, sed morbi efficiendi, vel, quod rectius diceretur, augendi uim habet.

63 C *Quæ per vesicam excernuntur, inspicere oportet, si talia, qualia sanis, excernuntur. Quæ igitur minime similia sunt his, hæc morbosiora: Quæ uero sunt sanis similia, hæc minime morbosa.*

Omnia, quæ sunt sanis similia in toto corpore, dictum est ab Hippocrate & in Prognosticis & in omnibus alijs libris bonum aliquod significare: quæ uero dissimilia, contrarium. Hoc igitur nunc conatur dicere, qui hunc composuit aphorismum. Suspicor enim neq; hunc esse Hippocratis, coniectans ex ipsa elocutione, quæ non habet eandem cum Hippocratica formam, & ex dictis ipsis, quæ nõ æque sunt, vt ipsius auctoris alia, exquisita. Cum igitur inquit, Quæ minime similia sunt his, hæc morbosiora: quis non reprehenderet ipsum dicentem illa morbosiora, pro eo quod morbosissima? aut summe morbosa? Nam verbum minime cum quadam exuperantia dicitur, & multam significat ad id, quod est præter naturam, permutationem. Vnumquodq; enim, quod prçter naturam est, quantũ recessit ab eo, quod secundum naturam, tantum habet prauitatis. Quæ igitur minime sunt ijs, quæ secũdum naturam se habent, similia: sunt ijs, quæ sunt secundum naturam, maxime contraria, & ideo morbosissima.

64 *Et quibus deiectiones si residere permiseris, & non moueris, veluti strigmenta subsistunt: & si pauca, paucus est morbus: & si multa, multus: ijs confert alui purgatio. quòd si aluo non purgata dederis sorbitiones, quanto plures dederis, tanto magis nocebis.*

A.l.1.f.1.d.3. s.1.c.1.p.96.c D

Per aluum exeuntia solet Hippocrates deiectiones ac subductiones nominare: & propterea quidã hoc loco acceperunt eius sermonem esse de ijs, quæ per aluũ euacuantur. Verum his aduersantur verba illa, quæ in sermone proponuntur si residere permiseris, & non moueris. Hoc enim proprie conuenit humidis, atq; ideo alij rursus de urinis eundem accepere sermonem. Vtriq; uero rursus diuisi: aliqui scribunt, insistunt: aliqui uero, subsistũt. Neutrum aũt horum verborum vrinis repugnat, quia & per ea, quæ subsistunt, & per ea, quæ insistunt, consueuimus & præsentium, & futurorum ẽt aliquid cognoscere. In alui autẽ excrementis, verbum insistere, competit quodã modo magis. Neq;.n. sicut in vrinis prompta est atq; expedita subsistentium cognitio, sic & in alui contingit excrementis. In vrinis etenim & ipsum vas ex uitro factum ostendit eorum, quæ subsistunt, naturã: &, si in alio uase ẽt continerentur, possumus id, quod supernatat, abijcientes, sola subsistentia relinquere: In alui aũt excremẽtis, neutrum probabile. Rursus id, quod deinceps dicitur ueluti strigmenta ijs, quæ per aluum excernunt, congruit: illis uero, quæ quouis modo urinæ inferuntur, siue superius, siue inferius, non congruit. Nam quædam strigmentis similia per aluum sæpius excernuntur: & ita ea non modo Hippocrates, sed etiam alij medici nominare consueuerunt, non tñ in urinis. Hic igitur tam nominum, quàm uerborum usus impro-

prius ostendit præsentem aphorismum interiectum fuisse. Adhuc autem magis, cum dicit his confer- E
re alui purgationem. neq; enim simpliciter, neq; quouis modo illi, cuius strigmentis similia alui excre
menta sunt, confert aluum purgare: sicuti neq; ij, qui ita affecti sunt, necessario læduntur in aliquo, si ci
bum acceperint. Videmus siquidem, cum alui inferioris exceremẽta biliosa fiunt, quædam similia strig
mentis per aluum excerni, in quibus neq; omnes læduntur, sorbitiones accipientes, neque prius eos
purgare est necessarium, modo iam, quicquid bilis inest, fuerit euacuatum. Adhuc autem magis, si uri
nis aliquid inferatur, quod sit ueluti strigmenta, purgare non conuenit. Accedit ad hoc, quòd difficile
est formam agnoscere, qualem esse uelit eorum, quæ ueluti strigmenta inferuntur urinis. Verum, qui
hos aphorismos interposuerunt, mihi uidentur ad hunc finem eos composuisse, ut sermo confunderet,
tanquam ænigma quoddam, & multa indigeret inquisitione, in qua seipsos eorum, quæ dicuntur, expo
sitores constituentes, apud adolescentes laudem assequerentur. Quòd autẽ omnes obscuri sermones
dent sophistis garrulitatis occasionem, fiet tibi in hoc ipso aphorismo manifestum. Quidam enim eo-
rum, qui eum exposuere, aiunt non uetare Hippocratem, quin dentur sorbitiones hoc modo affectis,
sed plures sorbitiones, cum dicat, Quanto plura dederis, magis lædes. quasi non etiam alij, quicunque
indigent sorbitionibus, non lædantur a pluribus, uel quasi non consequatur ad illum, qui dicit, Quanto
plura dederis, magis nocebis: putare ex paucioribus minorẽ fore læsionem. Verumtamen propter ui- F
tiatam dicendi rationem, sophistis datur facultas inueniendi solutiones, & magis, quando licuerit ad-
dere aliquid uel adimere, & scribendo transponere, quod in obscuris sermonibus facere consueuerũt.
Statim enim in hoc aphorismo quidam ipsum exponentes, coniunctionem, &, adijciẽtes, quod alij se-
quentis aphorismi fecere principium, id huius finem constituunt, ut sermo ita se habeat: Si uero aluo
non purgata dederis sorbitionem, quanto plures dederis, tanto magis nocebis, & quibus infra cruda
deijciuntur, quanto uidelicet plura dederis, magis lædes. deinde aliud initiũ facientes scribunt, quòd,
ubi atra bilis inest, si plus, maior est morbus: si minus, minor. Plures uero expositores aliter exponũt,
& scribunt eo modo, quo subscriptum est: *Quibuscunque cruda infra deijciuntur, atræ bilis inest. si plura, ma-
ior: si pauciora, minor est morbus.* Dictum autem est antea, quòd & aliæ quædam scripturæ sunt. licitum
est enim in obscuris unicuiq; pro arbitrio scribere, cum nulla lex sit transcribentibus posita. Sæpius au-
tem non propter obscuritatem, sed propter sermonis falsitatem coguntur aliquid addere prius inuẽtis,
aut adimere, aut scripturam transponere: ueluti exempli gratia in hoc aphorismo, cuius uerba primi ex
positores aphorismorum, sicuti Herophilus Bacchius, & Heraclides ac Zeuxis empirici, in hunc modũ
scripserunt: Quibuscunq; inferius cruda deijciuntur, atræ bilis sunt: si plura, pluris: si pauciora, pau-
cioris. Quia uero hic sermo particulare quiddam explicat, dictus autem est tanquam uniuersalis, ideo G
præbuit dubitandi occasionem: Sed id, quod dicitur, quantum ad uerba attinet, nullam habet quæstio
nem, cum eorum scriptor uelit ostendere, quibus cruda deijciuntur, in eorum instrumentis, quæ conco
quendi uim habent, esse atram bilem, ex qua refrigerata deterius concoquunt: modus incoctionis est,
qui a cruditate fit: cui flaua bilis contrarium agit. nam, quæ propter eam incocta remanent, nidorosa
fiunt. Quidam uero & hunc sermonem etiam de urinis dictum arbitrantur.

*Excreationes in febribus non intermittentibus liuidæ, sanguineæ, biliosæ, & fœtidæ, omnes malæ. Cum uero bene excer* 65
*nuntur, bonum est, & per uesicam: &, ubi aliquid secedens steterit non purgatum, malum.*

Et hic aphorismus supra scriptus est, hoc modo: Excreationes in febribus non intermittentibus li-
uidæ, sanguineæ, fœtidæ, omnes malæ: sed, si bene excernuntur, bonum est, & per aluum inferiorem,
& per urinas: Si uero aliquid per hæc loca excernitur, quod non conducat, malum. Nos uero ipsum
exposuimus in quarto horum commentariorum.

*Corpora oportet, ubi quis purgare uoluerit, fluida facere: & si supra, sistere aluum: si uero infra, humectare.* 66

Et huius sermonis pars prior fuit in præcedentibus scripta, non adiecto uerbo supra & sequentibus, H
quæ quispiam uolens adijcere hoc in loco, rursus scripsit aphorismum cum expositione, per quam ue-
rus esset. Quòd autem sit altera expositio uerior, quam nos multa experientia inuestigauimus, dictum
est superius in secundo commentariorum.

*Somnus, uigilia, utraque modum excedentia, morbus.* 67

Et hic aphorismus in quibusdam exemplaribus fuit interiectus, qui prius dictus est totus eisdẽ uer-
bis, præterquàm in fine. hic enim morbus, illic autem malum scribitur, quæ scriptura est longe melior

*In febribus non intermittentibus si exteriora frigent, interiora uruntur, & febris habeat, letale.* 68

Et hic aphorismis imprudenter scriptus est, cum melius supra dicatur sine uerbis illis & febris ha-
beat. Nam, cum in principio dixerit, in febribus non intermittentibus, uana est rursus in fine sermo-
nis adiectio, & febris habeat.

*In febre non intermittente si labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium peruertitur, si non uideat, si non audiat, &* 69
*iam debilis sit: quicquid horum fuerit, mors prope est.*

Et hic aphorismus antea dictus est, his uerbis: In febre nõ intermittẽte, si labrũ, aut nasus, aut oculus,
aut

A aut ſupercilium peruertitur, ſi non uideat, ſi non audiat, & iam debilis ſit: quicquid horum fuerit, mors prope eſt.

70 *A pituita alba, aqua inter cutem ſuperuenit.*

Quod dicitur, tale eſt: Quibus in uaſis & in totius corporis habitu multa pituita alba fuerit aceruata, ijs aqua inter cutem ſuperuenit.

71 *Ab alui profluuio, difficultas inteſtinorum.*

A communi uidelicet ſubaudire oportet, ſuperuenit, abraſis paulatim inteſtinis, deinde in profundum malo ſubeunte, atque ita ulceratis. Prius uero in aphoriſmo legitimo melior ſcriptura eſt hoc modo: A ſincera deiectione, difficultas inteſtinorum. & nos hunc aphoriſmum expoſuimus in ſexto horum commentariorum.

72 *A difficultate inteſtinorum, læuitas inteſtinorum ſuperuenit.*

Et hic aphoriſmus eſt pars prius dicti per hæc uerba: Qui lienoſi a difficultate inteſtinorum corripiuntur, ijs ſuperueniente longa difficultate inteſtinorum, aqua inter cutem ſuperuenit, aut læuitas inteſtinorum, & pereunt. Nos uero ipſum expoſuimus in ſexto horum commentariorum.
B

73 *A corruptione, abſceſſus oſſis.*

A communi hic quoque ſubaudiendum eſt, ſuperuenit. Verum uero ad oſſis corruptionem ipſius oſſis ſequatur abſceſſus, uel carnis circunſtantis, non manifeſtauit. Vtrunque autem poteſt eſſe uerum.

74 *A ſanguinis uomitu, tabes, & puris purgatio ſupra. In tabe, fluxio ex capite: in fluxione, alui profluuium: in alui profluuio, aſtrictio, purgationis ſuperioris: in aſtrictione mors.*

In pluribus exemplaribus, & apud plures expoſitores ſcriptum eſt: in ſanguinis uomitu corruptio. In quibuſdam tamen exemplaribus hæc habetur ſcriptura: In uomitu ſanguinis, tabes. Videntur autē & hæc ex pluribus Hippocraticis enunciationibus fuiſſe collecta, & corrupte compoſita, ab illis præcipue aphoriſmis: In ſputo ſanguinis, puris ſputum & fluxus: cum uero ſputum retinetur moriuntur.

75 *Qualia fuerint ueſicæ aut alui excrementa, & ex carnibus, & ſicubi alibi a natura corpus exierit, ſi parum, paucus eſt morbus: ſi multum, multus: ſi ualde multum, letale eſt.*
C

Hic ultimus aphoriſmus in multis exemplaribus ſcriptus eſt, in quibuſdam uero & alij adiecti ſunt eodem modo, quo & illi omnes, quos decurrimus ex legitimis ita fraudolenter continnati, ut non nulli eiſdem uerbis ſcribantur, non nulli parum euarient, non nulli parua facta adiectione ſimiles ſint ijs, quos ſcripſit Hippocrates: quare ne ipſos quidem duximus adijciendos. nam neque hic nunc propoſitus aliquid plus nobis oſtēdit ijs, quæ ſæpius Hippocrates manifeſtauit. Sed & ratio ipſa elocutionis haudquaquam Hippocrati conuenit. Nam, qualia ueſicæ fuerint aut alui excrementa, reditione indigent. Summa tamen (ut dixi) uera eſt. nam, ſi paruus ſit a natura exitus in quauis parte, minorem morbum: ſi uero plus, maiorem: ſi uero ad modum multus ſit a natura receſſus, mortalem debemus morbum iudicare.

Hunc etiam aphoriſmum ex uetere tralatione adiunximus.

APHORISMVS.

D *In lethargo tremor, malum.*

GALENI EXPLANATIO.

Lethargus eſt abſceſſus in principe parte cerebri ex materia pituitoſa generatus. Tremor igitur in ea malum eſt: ſignificat enim materiam propter incontinentiam ſui ad neruos motus auctores deueniſſe, qui a parte poſteriori ſunt magis, ut dictum eſt alibi: ex cuius infuſione nerui ſunt remolliti aut ſpiritu non omnino, ſed quædam ex parte deficiente, nec neruis, ut in paralyſi, omnino remollitis, uirtute quæ corpus regit, membra ſurſum ferantur. &, quia nerui remolliti non ſufficiunt dare membris ſufficientem & firmam ſedem & ſtabilem, iterum ſua grauitate deſcendunt: ex quibus motibus contrarijs ſit tremor. Vel in lethargo ſit tremor, quia materia flatuoſa reſoluta cerebri membranas & neruos, qui ab eis oriuntur, mouet & concutit: unde tremor ſit.

PHILOTHEI EXPLANATIO.

Lethargus paſſio eſt in cerebro conſiſtens ex humida frigidaq; materia generationē habens, ex qua etiam ſit, ut homines difficulter excitētur, & una cū ſpiritus animalis imbecillitate prouenit. Ceterum

cum febre debili passio hæc fit. Si igitur in lethargo tremor appareat, malum est, uel etiam periculosum. B indicat enim tantam esse frigidam materiam, ut & dorsalis medulla particeps ipsius fiat: indeque neruosum genus ob repletionem conuulsione corripiatur. Alius quidam aphorismorum explanator tremorem in lethargo malũ esse dicebat, propterea quòd immodicã siccitatem significet.

Sequentem aphorismum diligentius explicat Galen. quarto in sextum Epidimiõn: tamen hæc etiam, quæ inuenta sunt, hic descripsimus.

A P H O R I S M V S.

*Aqua, potio & uigilia, uorax.*

E X P L A N A T I O.

Hic ultimus omnium aphorismus scriptus est. inueniuntur tamen in alijs libris alij quoque aphorismi post hunc scripti, qui Hippocratisne, an Polybi, an alterius cuiusdam uiri sint, haud scio: scribuntur certe. F Exponendum autem est, quid & hic aphorismus dicat. Ait enim, quòd aquæ potio & uigilia βορὸν & λαιμαργόν, idest uorax & edax est. Scribitur autem nõ his tantum uerbis, in alijs codicibus, sed & alio etiam modo. Aqua uorax, uigilia uorax. Sciendum autem est aquam nutrimentum esse non proprie, sed per accidens. *βορὸν enim proprie dicitur ipsum nutrimentum: aqua autem, frigida cum sit, tum calidam intemperiem in stomacho existentem, tum inappetentiam ab illa intẽperie prouenientem expugnat. nam aqua oblata stomachum refrigerat: dum autem ipse refrigeratur, cõtrahitur, dumq; contrahitur ac ueluti inspissatur, alimentum requirit: moxque, dum appetit, cibaria ingerimus, quæ postea alterata ac in chylum redacta, per uenas meseraicas in iecur asportantur: illicque sanguinis naturam nacta, in totum deinceps distribuuntur corpus, a uena, quam a caudicis similitudine stelechiæan nominant, nutritum. Nutrimentum autem est eius, quod iam dissipatum ac deperditum est, restitutio. At uero etiam aqua post uigiliam sumpta nutrimentum est primaria ratione. Nam uigilia corpus exiccat ac calefacit: frigidum autem & humidum siccitati & caliditati contrarium est. epota ergo aqua corpus nutrit: nam, cum a siccitate & caliditate asportetur & facile attrahatur, nutrimentum fit.

*Videtur hic βορὸν accipi pro comestibili.

# *GAL. IN LYCVM LIBER, QVOD*

## HIPPOCRATES NIHIL IN EO APHORISMO ERRARIT, *CVIVS INITIVM EST, QVI CRESCVNT,* PLVRIMVM NATIVI CALORIS HABENT,

*Io. Baptista Rasario, Nouariensi, Medico, interprete.*

*Lycum nec laudare, nec reprehendere Hippocratem recte potuisse, cum ne illius quidem doctrinæ elementa perciperet.* *Cap. I.*

CVM Lycus, aut quiuis alius, qui contra Hippocratem scribere aliquid instituerit, odio dignus non est: tum uero multo minus, si quis possit ea, quæ falso illi obiecta sint, diluere apud eos, qui libros utriusque sint lecturi, tanquam apud iudices, defensionem suscipiat: præsertim cum is, qui accusat, prius, quàm quæ dicũtur, intelligat, audacius agat: qui defendit, sit in huius ueteris H magistri doctrina, diu, multumque uersatus. Lycus igitur explanationem in Hippocratis aphorismos conscripsit: & in utrãque partem peccat, & cum laudare, & cum reprehendere quasdam eius uiri sententias arbitratur: nec minus etiam, cum ei contradicere aggreditur: nam quæ laudat, ea non Hippocratis decreta, sed Lyci commenta sunt: in quibus uero illi contradicit, ijs ne elementa quidem Hippocraticæ artis se scire, plane prodit: qui autem elementorum ignarus est, is sane neque artis illius, neque eorum, quæ ab illa proficiscuntur, tanquam syllabas, utique perceperit. itaque si ego uel primus, uel solus censere Hippocratem dixissem, corpora animantium ex calido, frigido, humido, siccoque constare, uererer fortasse Lyco uitio uertere, quod prius, quàm Hippocraticæ artis elementa didicerit, scribere in eius libros explanationes aggrediatur: nam nec qui decretis sunt contrarijs addicti, nec qui ne prima quidem artis præcepta, quæ utilia sint, norunt, eos explanare aphorismos est consentaneum: siquidem ut ab ineunte ætate didicerunt, sic eius probant, damnãtve sententias. Lycus autem est Hippocraticæ artis adeo imperitus, ut cum ego (deos omnes testor) primas eius in aphorismos explicationes percurrissem, reliquum eius libri legere non potuerim: tantum mihi aberrare a senis nostri sententia uidebatur. sed cum amicus quidam ac familiaris meus uehementer a me peteret, audirem ea, quæ in aphorismum,

rismum,

A rismum, cuius initium est, Qui crescunt, plurimum innati caloris habent, ab illo scripta sunt, tum uero
alij plerique, ut criminationibus illius responderem, me hortarentur, hac tandem necessitate coactus
hunc conficere librum institui.

*Variæ rationes, quibus multiplex corporum calor esse ostenditur.* Cap. 2.

Vt autem qui sunt hac de re laturi sententiam, facilius, & quæ ille dixit, & quæ nos contra sumus
allaturi, consequantur: pauca quædam præfari necesse est. calorem igitur in nobis esse, omnes euiden-
ter sentiunt: utrum uero a motu cordis, & arteriarum suum ortum ducat, an uero ut motus innatus cor
di est, ita etiam sit calor, est inter medicos dissensio. si quis autem uelit per scientiam nosse, ortus om-
nium animantium principia ex calido, frigido, humido, siccoque constare, is unum a me conscriptum
librum habebit, in quo Hippocratis de hac ipsa re sententiam explanaui, ac demonstraui. estque liber
ita inscriptus: de elementis, ex Hippocratis sententia. hunc excipit altera nostra de temperamentis tra
ctatio: in qua docui, in quibus corporibus maior, in quibus minor calidi elementi pars insit: & hanc
ipsam ob causam illa calidiora, hæc frigidiora suapte natura facta esse: etenim in nobis omnibus calidũ
elementum a prima statim origine insitum inest: quod ex semine, menstruoque sanguine sumus conse-
cuti: hoc tamen differimus inter nos, quod alij alijs magis, minusque calidi reperiantur. uerum sunt hu
B ius latitudinis termini quidam, ultra quos si temperamentum prouehatur, aut ægritudo, aut mors ne-
cessario consequetur: siquidem plus, quàm par sit, refrigerati, in morbum frigidum illabimur: si extra
sanitatis spatia excalfacti simus, in febrim cademus. quinetiam ex ipsis febribus quædam sunt exqui-
site siccæ, ut exquisiti ardores: quædam ad summum humidæ, ut quæ τυφώδεις, aut ἑλώδεις nominantur.
si quis uero sit, cui febres ita appellare non placeat, aut hæc nomina ad aliam rem traducere consueue
rit, ego quasnam humidas febres uocem, hoc sermone declarabo. cum primo statim die ægri sudant,
ab ipsoque sudore uel mediocrem, uel certe nullum fructum ferunt, eas ego humidas febres nuncu-
po: siccas uero contra uoco eas, quas uehemens sitis, lingua arida, cutis dura perinde, ac corium, mul
tusque in corpore uniuerso squalor comitatur. sunt item aliæ febres quædam, quæ totius corporis
transpirationem tangentibus molestam reddunt, ut illi pungi, morderique uideantur: id quod duobus
fit modis: nam interdum id aerium, quod nobis occurrit, siccũ: interdum uero humidum, ueluti quidã
uapor, apparet. hisce formis differunt inter se benevalentium temperaturæ, quas nos esse intẽperatas
dicimus, & naturalẽ earũ intemperiẽ, quo ad eius fieri potest corrigimus: quæ nõ exigua pars est eius ar
tis, quæ ualetudinẽ tuetur. quæcunq; aũt corpora suapte natura temperata sunt, nihil tale tangentibus
afferunt: propterea quod ita accurate sunt temperata, ut nulla sit in eis, ut in senibus, ac refrigeratis, ca
C loris defectio: nec ullus excessus, ut usu uenit ijs, qui se nimio labore conflictarũt, aut diutius in æstiuo
sole sunt morati. multo ẽt minus horum calor quicquam aut mordax, aut molestum habet adiunctum.
ut autem quæ dicuntur, planius intelligantur, non erit alienum, si balneorum meminerimus: in quibus
una est temperatorum formula, multæque intemperies perspiciuntur: quarũ una est, cũ sit, quàm opor-
teat, frigidius: altera, cum iam ad molestiam *usque incaluerit*: tertia, cum eius nec calorem, nec frigus
accusamus, sed uel *hoc nomine reprehendimus*, quod sit uaporum plenũ: quis enim est, quem lateat,
si modo homo sit, aquam sæpenumero temperatam esse, eodemque modo aerem, atque uaporem? sic
etiam lapis in balneis temperatus est, in quo nec calore, nec frigore nimio, nec squalore, nec humoris
redundãtia damnata, possumus uolutari. quemadmodum autem in aqua, lapide, & aere moderatus est
calor, ita etiam in uapore esse potest: qui sic temperatus cum balneum impleuerit, qui lauantur, mole-
stia illi quidem afficiuntur, & conqueruntur, sed tamen nec calidius, nec frigidius balneum uocant: ut
si quid tale ei accederet, duplici nomine ipsum damnarent, & quod frigidum, & quod uaporis plenum
esset: sicut etiam contra, immoderate calidum, & nimio cum uapore, culparent. Hæc igitur in memo-
ria habeamus, demusque operam, ne præ nimia, quam nonnulli ostentant, sapientia, ea quæ omnibus
hominibus generatim nota sunt, euertamus: sed si quando aliquem dicentem audierimus, huius ani-
D malis temperatum, illius intemperatum calorem esse, ueniat nobis balneorum in mentem, neque ad
quicquam aliud cogitationem conuertamus, quàm eo, quo cuncti mortales, qui integras tum in alijs
multis, tum in balneis, quorum modo meminimus, communes notiones seruant, quotidie intuentur:
nam & calidum, & frigidum, & item uaporis plenum, aut siccum, aut squalidum esse balneum dicunt,
& rem quandam propriam singulis nominibus indicant. est præterea aliud balneum fumi plenum, atq;
eius quidem innumerabilium mehercule formarum: siquidem alius ex quercinis est lignis, alius ex fi-
culnis, alius ex oleaginis, & pro quaque arbore alius, atque alius. non tamen operæ pretium est, singu
las nunc persequi differentias: cum mihi satis esse possit, uniuersum hoc unum genus una tum appel-
latione, tum notione comprehendere, ut fumidum esse balnei aerem dicamus, nec alioqui calorẽ, aut
frigus in eo damnemus: aut, quemadmodum fieri etiam potest, ut utrunque simul reprehendamus, &
quod calidum, & quod fumidum balneum sit. Sed missa iam balnea faciamus, & quæ quotidie domi
nostræ contingunt, in memoriam reuocemus. ædium, in quibus degimus, modo humiditatem, modo
frigus nimium, modo calorem damnamus. an igitur eodem modo aerem domus nostræ reprehendi-
mus, cum sub cane æstus sunt, quo dum est fumi plena domus? an hic quoque, ut in balneis, quandoq;
nulla est in calore differentia: est autem horum alius hoc tantum, aer calidus: alius uero præter hoc,
etiam fumidus. ac sane qui calidus tantum aer est, is lachrymas nunquam ciet: at fumidus id perpetuo
facit

facit,licet modice calidus sit. quare euidenter constat, calidum quod mordax est,non maiore calore, E
sed alia re quapiam differre. sic persæpe,cum maximæ flammæ,quæ fumi expers sit, proximi stamus,
ita incalescimus,ut ferme aduramur: nemo tamen,quod in fumo cótingit,morsum sentit, aut eius ocu
li illachrymantur. mirabile igitur erit,si quis in fumo atque flamma differentiam hanc agnoscat,in no-
stris uero corporibus eam non persentiscat: cum tamen in nobis calor ita uehemens quandoque sit,
ut flammam imitetur: quandoque tam molesta,atque mordax, ut fumo non cedat. nec minus etiam
admirabor, si nolit quis concedere,caloris in animantibus intemperies proportione respondere ijs,
quæ in balneis,ædibusque uisuntur. quare sicut in ædibus alius est fumidarum ædium aer, alius earũ,
quæ simpliciter calidæ sunt,sic, opinor, euidenter diuersus ab aere earum est,is,qui sit in illis,in quibus
multæ lucernæ accensæ,aut faces fuliginem mittentes, ardent. proinde ut illum aerem fumidum, ita
hunc fuliginosum,qui ex materia plane exusta fit,appellamus: cum enim fuligo & fumus flammæ ex-
crementa sint,hoc tamen differunt inter se,quod fuligo exhalatio est materiæ terreæ plane exustæ, fu-
mus uero neque plane exustæ,neque terreæ:sed semiustæ,& ex humida terreaque materia conflatæ.
itaque si quis iure ac recte Hippocraticis decretis sit eruditus, is etiam didicit,eam,quæ iam ab omni-
bus medicis usitato uocabulo transpiratio sensum fugiens nominatur,qua corpora difflantur, partim
uapori, partim aeri sicco,persimilem esse, partim uero cum eiusmodi humiditatibus prodire, ut etiam F
sensibus percipiantur.

## *Desunt quædam.*

*Lycum, dum nullam in caloribus differentiam esse perspiceret,omnium artium constitutionem,quæ a Pla-
tone, ceterisque philosophis tradita est,euertisse.* *Cap. 3.*

Atque hæc quidem Lyci uerba sunt, quibus calorem alium ab alio non differre confirmat: quæ ita
sese euertunt,ut nullam externam desiderare reprehensionem uideantur: quid enim quæso est, quod
ait,calor,si caloris notionem spectes,nullam habet cum alio calore differentiam. si uero quod addidit,
si caloris notionem spectes,nihil significet,inde penitus adimatur: sin aliquid notat,certe aperte indi
cat,hac quidem ratione calorem a calore non differre, alia tamen in re quadam differre: nam si nullo
modo differt, superuacanea plane fuit adiectio. sin alia ex parte differt,alia non item,quatenus differt,
eatenus differentias intelligamus. nam si solum uerbo tenus unaquæque res consideretur, certe iam
rerum omnium erunt sublata discrimina: siquidem animal,si notionem eius spectes, nihil ab alio ani-
mali discrepabit. planta quoque, si notionem eius spectes,nihil ab alia planta differet: arbor etiam, si G
notionem eius spectes,ab alia arbore non erit diuersa. num igitur animalis differentiæ non sunt pen-
nigerum,pedestre,aptum ad natandum, aquatile,terrestre,& aerium; aut mortale, & immortale: aut
particeps rationis & expers: aut cicur & agreste: aut timidum & forte: aut aliæ, quæcunque sunt no-
bis perspicuæ?nam quid plures afferre opus est? sic inter plantas aliud arbor, aliud frutex,aliud spina,
aliud herba,aliud surculus est.an uero cuncta animalia,in eo quod animalia sunt, nullam habent diffe
rentiam, & tamen eas omnes,quas retuli, & alias præterea non paucas animalis esse differentias uere
quispiam dixerit? eadem est in plantis ratio:nam planta plantæ nó interest,quod hæc particeps ratio-
nis sit,illa expers; nec quod hæc pennigera,aut pedestris sit, aut ullam ex prædictis differentijs iunctã
habeat; sicut nec animal ab animali differt, quod hoc sit frutex, illud spina, aliud arbor, aliud herba,
aliud surculus,aliud cedrus, sed hæc distributio ad genus plantarum pertinet. atqui Lycus ipse multas
morborum differentias scribit, & tamen morbus in eo,quod morbus sit, ab alio non differt, sicut ne
symptoma quidem in eo,quod symptoma sit a symptomate differre perspicimus.& tamen horum quo
que differẽtias,sicut ẽt pleuritidis,& alterius cuiusuis morbi scribere Lycus conatur: quáuis pleuritis,
quia pleuritis sit, ab alia nó differat;& tñ hæc dolorẽ habet ad iugulũ usque,illa ad præcordia pertinen
tem.eodemque modo alia est,in qua sputum colore infectum emittitur,alia huic contraria, in qua ni- H
hil expuitur,& ἄπτυςος a quibusdam appellatur:& aliæ differentiæ non paucę, quæ efficiunt, ut curatio
quoque narietur: quas quidem,& pręterea febrium differẽtias nobis exponere Lycus aggreditur.Sed
siue illæ ex caloris redundantia, siue ex mordaci qualitate oriantur, nullum sane inter febres, quate-
nus febres sunt, discrimen intercedet. quam ob rem ita rudis Lycus est,ut a se artes omnes euerti non
sentiat: siquidem artes in rei cuiusque differentijs cognoscendis consistunt: quod etiam in principio
Philebi prolixa oratione testatum reliquit Plato: eiusque sentẽtiam Aristoteles,Theophrastus, Chry-
sippus,Mnesitheusque sunt secuti. nec quisquam est, qui de arte conscripserit,qui huic rationi non cõ-
senserit.uerba autem,quę primum de constitutione artium scripta reliquit Plato, hæc sunt fere: SOC. »
Vna in nobis ex ore egrediens uox est,& infinitę etiam numero uoces & omniũ, & cuiusq;. PRO. quid »
ni? SOC. neutrum tamen horum nos sapientes facit,neque quod infinitas,neque quod unam esse scia »
mus: sed quia & quot,& quales sint,tenemus, id unumquenque nostrum grammaticum efficit. PRO. »
uerissima narras. SOC. id ipsum est,quod musicum hominem reddit. PRO. quonam modo? SOC. una »
etiam in ea arte uox est. PRO. quid ni? SOC. duo autem statuamus graue, & acutum.& tertium,quod »
æquali tono constet. an ita uis? PRO. ita plane. SOC. nec dum tamen sis in musica sapiens,si sola hæc »
percipias. at si ne hęc quidem scias,profecto,ut ita dicam,nullius eris in musica pretij. PRO. certe nul- »
lius.

A lius. s o c. Sed simul atque, o amice, interualla, quæ ad acutam, grauemq; uocem pertinent, quot nu-
mero, & qualia sint: tum uero terminos interuallorum, & quotcunque ex eis constitutæ coagmenta-
tiones sunt, comprehenderis. quæ cum maiores nostri intuerentur, nobis eorum sectatoribus, ut con
centus uocaremus, tradiderunt. in corporis præterea motionibus eiusmodi affectus reperiuntur, quos
numeris metimur, & proinde rhythmos, & metra appellari oportere censuerunt. itemque cogitare
nos debere, hoc modo de quaque re, quæ una sit, atque plures, instituendam esse orationem: hæc enim
cum ita percipias, tum sapiens fies. cumq; aliam quamuis rem hac ratione intuens comprehenderis,
tunc etiam in eadem prudens euaseris. hæc Platonis oratio ad artium omnium constitutionem sanis
auditoribus satis esse potuisset: nemo enim uel unius rei esse artifex potest, nisi differentias ipsius per-
spectas habeat. non erit autem ab re, si, quemadmodum Plato non esse satis putauit, hanc rem summa-
tim exponere, nisi perspicuitatis causa grammaticæ, musicæq; artis exemplum subiunxisset, ita nos quo
que ex arte pictorum, cui subiecta materia colorum est, exemplum depromamus: nam hic etiam licet di
cere, colorem a colore, quia color sit, non differre: atque ita omnes colorum tolli differentias: id quod
Plato ipse in principio Philebi nobis insinuauit. Socrati enim uoluptates diuidenti, is, qui cum disse-
tebat, differre ipsas inter se, quia uoluptates sint, non concessit, simillimasque illas inter se esse asse-
B ruit: Socrates autem huic rationi occurrit hoc modo: enimuero inquit, o beate uir, color a colore
nihil eo differt, quia color quisque sit: omnes tamen nigrum ab albo non differre solum, sed etiam
esse maxime contrarium norunt. quinetiam figura omnis cum alia eiusdem est generis: partes tamen
sunt partibus uel maxime contrariæ, uel infinitam inter se differentiam nactæ sunt. alia itidem multa
eiusmodi comperiemus. quare ne fidem ei orationi adhibeas, quæ omnia maxime contraria unum fa-
cit. hæc est eius de coloribus, deq; figuris oratio. quæ uero de uoluptatibus habetur, huiusmodi est: iu-
cunditate autem perfrui dicimus impotentem, & temperatum hoc ipso, quod agit temperanter. uolu-
ptate quoque perfundi insipientem stultis opinionibus ac uana spe plenum: uoluptatem etiam sentire
sapientem ex sapientia: quas quidem uoluptates, si quis similes inter se dixerit, quomodo is non meri-
to insipiens uidebitur? porrò sicut Plato uoluptatum differentias paucis in hac oratione perstrinxit, in
toto autem libro pluribus uerbis est persecutus: sic duobus in libris Sophista, atque Politico differen
tias artium explicuit. num igitur scientiarum, ac uoluptatum, itemque colorum, & figurarum, & sono-
rum, qui in uocibus sunt, eodemque modo ætatum, temporum, regionum, morborum, aliarum deniq;
rerum omnium multæ differentiæ sunt, in solis uero caloribus aut non sunt omnino, aut cognosci ab
hominibus non possunt? etenim Lyci oratio solius, ut ipse quidem putat, caloris differentias tollit: re
C uera tamen, omnium quoque reliquorum: siquidem uis eius rationis potest omnibus eodem modo cō
uenire: idem enim ego de humoribus dicam, in eo, quod humores sint, nihil inter se differre. maximum
uero eius erratum est, quod artes omnes adimit: quippe quæ ex formarum differentijs constituantur.
atque Plato, cum summatim de artium constitutione uerba fecisset, exemplum postea subiecit, quo
grammaticam artem constitui cognita uocum differentia declarauit. Lyci autem ratio & hanc, & cum
hac musicam quoque artem, & alias præterea omnes tollit, dum ait, si notionem rei spectes unicam in
se habere differentiam. attende quæso, ut primum ea ratio grammaticam, deinde uero ceteras omnes
tollat. mihi quidem inquit, fieri nullo modo posse uidetur, ac ne comminisci quisquam poterit, uocem
hanc consideranti in eo ipso, quod intelligitur, habere cum alia uoce in ipsa uidelicet pronunciatione
differentiam: uel proprietate quadam, uel illa qualitate, quæ in pronunciatione posita est. hæcq; ora-
tio eadem omnino est cum illa, quæ inter initia uerborum Lyci descripta est, & ex eisdem omnibus uer
bis constat, uno solo uerbo caloris in nomen uocis commutato. quare si ea firma est, hæc itidem erit:
at hæc infirma est, ergo illa quoque. nisi forte qui cum Lyco sentiunt, α non esse diuersam uocem ab α,
nec α ab α differre putant. Si uero has inter se diuersas esse fatebimur, & præter eas, α, ι, υ, & alias lite-
ras omnes, certe quatuor, & uiginti erunt. ars autem, quæ illarum nouit differentiam, grammatica est:
D sicut musica acumen, & grauitatem in uocibus perspectas habet. & tamē Lyci ratio has nihilominus
euertit: nā uox, ut uox est, a uoce non differt: cum tamen mediæ chordæ tonus sit acutior, quàm eius,
quæ λιχανὸς dicitur: grauior uero, quàm eius, quæ παραμέση nominatur. ac rursus inter has, τῆς λιχανοῦ to
nus acutior est tono παρυπάτης μέσων. tonus uero παραμέσης grauior est semitonio tertiæ diuisarum: tum
his alij acutiores, alij grauiores: rursusq; his alij usque, dum ad acutissimum, grauissimumque omnium
tonum peruenerimus. Lycus autem, uir maxime admirandus, non animaduertit, hæc a se tolli omnia,
dum ait, mihi quidem fieri non posse uidetur, nec comminisci quisquam poterit, calorem hac ratione
consideranti, qua intelligitur, per eius inquam calfactionem, habere cum alio præterea calore differen
tiam. mirum uero, ni, dum colorem in eo, quod color est, a colore differre negat, pingendi quoque ar-
tem adimat: quippe quæ rubrum, album, nigrum, flauum, ceterosq; colores sub oculos subijcit. magis
autem est ad persuadendum accommodata ratio, quæ de coloribus est, quàm quæ modo de calore est
allata: nam calorem a calore differre quidem dicimus, sed non omnino contrarium esse: at colorem a
colore non modo differre, uerum etiam album & nigrum esse natura maxime contrarium affirmamus.

*Refellitur Lyci sententia, in colorum, humorumque differentijs explicandis.* cap. 4.

At dixerit fortasse Lycus hoc loco, qui fieri potest, ut color in eo, quod color intelligitur, sit colori
contrarius? ac uere quidem per deos immortales existimabit, colorem in eo, quod color sit, nihil ab

alio

alio colore differre:ſed ut hoc uerum eſt,ita illud quoque,album a nigro non differre ſolum, ſed uſque B
adeo differre,ut ſit eius maxime contrarium. quærent autem fortaſſe,qui Lyco addicti ſunt,quomodo
uſu ueniat,ut ſimul idem ſit,& ſimul ſit maxime contrarium,ut in albo,nigroq; perſpicitur: quibus nos
id adeo reſpondemus,ſi album ſimul & contrarium,& idem cum nigro eſſe non poſſit, ipſi utrum ma-
lint,eligant:nam & Plato,& Ariſtoteles,& Theophraſtus fieri poſſe exiſtimant, ut aliquid eiuſdem ſit
cum alio generis,tantum tamen ſpecie differat,ut illi ſit contrarium maxime. hi uero, ſi utrunque ſer-
monem non uerum putant,euidentiorem ipſi eligant. eſt autem hic euidentior,quatenus inter omnes
conſtat,album eſſe nigro contrarium. quare ſi hoc uerum eſt,ipſi uero utrunque ſermonem uerum eſſe
non poſſe cenſent,eum inquam,qui album & nigrum facit contraria,& eum, qno eadem eſſe dicuntur,
certe non recte dicent,nigrum ab albo,in eo quod color ſit,non differre. is igitur, qui apud Platonem
eſt cum Socrate diſſerens, uenia fortaſſe dignus ſit,dum uoluptatem in differentias a Socrate diſtribui
prohibet: ſiquidem nondum ullus erat conſcriptus liber,in quo doceremur,fieri poſſe,ut multa eiuſdē
eſſent generis, adeo tamen differrent,ut formam ac naturam haberent inter ſe cōtrariam uel maxime.
at poſtquam a Platone ſcriptus Philebus eſt,in quo uerum nos docet,ſi eum Lycus plane non legit,ho
minis ego doctrinam ſuſpicio: ſi uero legit, nec intellexit,ingenij magnitudinem admiror. ſin,cum in
tellexerit,perſuaſus non eſt,eius iudicium beatum puto. ponit,pro Iupiter,quæſtionem is, qui ne pri- F
ma quidem dialectices rudimenta percepit. eſt ne apud Græcos quiſpiam,aut medicus, aut literator,
aut orator,aut philoſophus,aut alius quiuis, qui in ſtudio literarum uerſetur, qui Platonis Philebum
non perlegerit? quanquam quid Philebum dico? id enim non in eo ſolum libro Plato docuit, ſed in
alijs pleriſque fecit eius mentionem; quorum unum ſaltem Lycus uir optimus,qui ſe demonſtratiuas
rationes tractare profitebatur,legendum in manus ſumpſiſſe debuerat: etenim turpe eſt,Hippocratem
uelle reprehendere,& ponere quæſtiones,id quod uult, ut ipſe quidem exiſtimat, concludentes; ac ui-
deri,ne illa quidem prima attigiſſe,quæ a philoſophis traduntur. Sed eius exemplum,quod de humo-
ribus attulit,mirabile eſt:uult enim hoc ipſum indicare,nihil eos differre inter ſe in eo, quod humidi
ſint:in eo tamē quod acidi,quod acerbi,quod ſalſi,quod dulces ſint,diuerſos eſſe cenſet. qua in re ipſe
ſua uerba non intelligit:nam exponens quatenus humores differant,nullam in eis eſſe differentiā,pro-
bare ſe putat: Hippocratemq; fruſtra differentiam attuliſſe,Theophraſtumq; fruſtra totum de ſuccis
librum confeciſſe. & tamen hoc nomen ſuccus,quandam humoris indicat differentiam:quæ quamuis
una humoris differentia ſit,ea tamen conſtat natura, ut in alias item multas diuidi differentias poſſit.
uerum nihil mirabile eſt,Lycum,qui uſque adeo imperitus eſt, ut adſtringentem in aceto qualitatem
ineſſe putet,hac in re Hippocrati contradicere auſum eſſe:nam quæ ita ſunt perſpicua, ea nec Dioſcori G
dem Anazarbeum,nec alios,quorum ſunt de materia conſcripti commentarij,latuerunt. harum autē
qualitatum alias ſalſas,alias ſalſuginoſas,alias amaras,alias dulces,alias auſteras, alias acerbas, alias
adſtringentes,alias acres,alias acidas nominant. Lycus tamen,uir maxime admirandus, uel penitus
ignorat acidam ab adſtringenti qualitate differre,uel guſtatu plane caret, prorſus ut nullam in ſuccis
differentiam ſentiat:uidetur enim nullum alium ex aceto,quàm ex piro,& meſpilo,& pomo, & cydo-
nio ſenſum percipere:& tamen omnes homines ex pomis quædam acida,quædam adſtringentia,quæ-
dam dulcia non ſecus,quàm opinor,mala punica & acida,& adſtringentia,& dulcia appellant. in uinis
autem ut a uirtute uitium,ſic adſtringens qualitas ab acida diſtincta eſt:nam in quibus adſtringens qua
litas eſt,ea ſunt potentia:acidum uero ſecundum naturam nullum eſt. immo ſi uel parum huiuſce qua-
litatis uino accedat,ſtatim id in acetum commutatum iri ſuſpicamur. fortaſſe igitur neq; oxylapathū,
neque oxalidē Lycns a lapatho,lactucaq; diſcreuit:in quibus ne minima quidē adſtringendi pars ineſt,
acidę uero eſt utraque copioſe particeps. quare mirabile ſit,ſi hæc ab acida qualitate nomen duxere,
acetum uero ipſum nullam eius partem habeat. ita fit,ut Lycus,in quo ne integri quidem ſenſus com
munes ſunt, Hippocrati inſultare audeat. ei præterea nota quęſtio eſt,quæ inter philoſophos de nume
ro ſuccorum uerſatur.in eo igitur,quod ſucci ſint,ſuccus a ſucco non differt. ſed ego lubenter audirē, H
ſi hæ differentiæ dulcis,acida,acris,amara,ſalſuginoſa,ſalſa,acerba,auſtera,adſtringēs,pinguis,ſuccorū
non ſunt,cuiuſnam rei ſint. fortaſſe autem aut uocum,aut colorum,aut odorum ſunt,aut in rerum co-
gnitionem tactu nos perducunt.nam præter hos ſenſus,in nobis nulli ſunt alij,cum omnes quinq; ſint,
guſtatus,audirus,aſpectus,odoratus,& tactus. atque ut alijs ſenſibus alia dignoſcimus,quæ in ipſos ca
dunt,ſic etiam guſtatu,ſuccos,& ut in humoribus multæ differentiæ ſunt,ſic in ſenſibus: qui tamen in
eo, quod ſenſus ſint,non differunt. Sed artis diſſerendi peritiſſimus Lycus,nobis non permittet, ut hu
morum,quas diximus,differentias recenſeamus: neque ſenſuum,quas omnes norunt:neque colorum,
ut album,nigrum,fuſcum,flauum,rufum,rubrum,puniceum,& cœruleum:quod colot,quia color ſit,a
colore non differat. quam ob rem delirant,& medici & philoſophi omnes,qui has in coloribus diffe-
rentias ſtatuunt; in humoribus uero has,acidum,amarū, & acre, ac cetera quæcunque paulo ante me
moraui:ſicut ipſorum etiam ſenſuum,quas iam diximus:propterea quod color,quia color ſit, a colore
non differt,neq; ſenſus a ſenſu,neq; ſuccus a ſucco,ſicut nec febris a febri,nec calor a calore.inſaniunt
igitur medici,qui multas febrium differentias,ut ardentem,lipyriam, hepialam,typhodem, peſtilen-
tem,ſemitertianam,quotidianam,tertianam,ac quartanam eſſe ſcribunt. Lycus tamen ipſe febrium
differentias,ſicut aliarum rerum ferme omnium,literarum memoriæ conſignauit.

A *De ignis, ac flammæ differentijs.* *Cap. 5.*

Quidnam igitur ille cogitabat, ut nunc neſciat, rem quamque in proprias differentias diſtribui? atque ignem, ex paleis accenſum, quo in primis uti ſolent ij, qui aurum faciunt, ab eo, qui ex alia materia excitatur, nihil diuerſum eſſe exiſtimarit? ignis enim in eo, quod ignis ſit, ab igni nõ differt: niſi maiore ui, ac minore: propterea quod ualidior, inualidiorque eſſe ignis poteſt: eum autem, qui ex paleis eſt, ipſe infirmiſſimum putat, ideoque ad flandum aurum accommodatum eſſe ſtatuit: quod abſumatur, ac diffluat, ſi ualidiorem flammam ſentiat. ſed dicat fortaſſe quiſpiam, o Lyce, uir optime ſi unquam naturales philoſophos, ut flammæ fiant, inueſtigantes audiuiſſes, profecto eorum cognouiſſes differentias. quam ob rem ego hanc rem, quæ non parua eſt, tibi quàm breuiſſime fieri poterit, exponam. uidiſti, opinor, dum uritur materia, exhalationem quandam in particulis inter ſe diſiunctis excitari, inter quas medius quidam aer interceptus neceſſario incaleſcit, in minoreque, ac maiore ui permultum differt. ſed & corporũ, quæ in ſublime feruntur, nõ æqualia ſunt in omnibus flãmis ſpatia: ut ẽt ipſius exhalationis natura eſt uaria. ſed partes ex combuſta materia ſublatæ, denſitate, raritateq; inter ſe differunt: itemque quod quædam ſemiuſtæ, quædam ex toto uſtæ ſint: aut omnino, quod hæ magis, illæ minus igneſcant. cum igitur tanta in eis differentia conſpiciatur, & aer, qui eas excipit, tum magis, tum minus ab illis ſit
B excalfactus, certe & permultam flammæ uarietatem, & non exiguam differentiam eſſe; quando miſtionis inæqualitas differentiarum uim, copiamque parit, neceſſario arbitror.

*Commemorantur quæ de triplici calore Lycus in Hippocratem ſcripta reliquerit.* *Cap. 6.*

Quemadmodum autem hæc de igne Lycus inſcite pronunciauit, ad eundem, ut opinio mea fert, modum fecit, cum dixiſſet, multum caloris tribus modis intelligi, & ſingulas eius ſignificationes explanaſſet: nam & in ſubſtantia, & in qualitatis intentione, & in robore propriæ actionis ait multum caloris intelligi: in ijs autem, qui creſcunt, multum caloris per ſubſtantiam non eſſe, quod exigua corporis moles ſit: nec per qualitatis incrementum: propterea quod calidius, quàm eorum, qui in florenti ætate ſunt, non appareat. quare fit, ut in robore propriarum actionum concedat quidem calorem eorũ, qui creſcunt, eſſe maiorem, ſed id tamen non proprie dici. oratio autem, qua hæc omnia perſequitur, longiſſima eſt: ſed ego, ut in ſuperiore feci, ſic in hac uideor eſſe facturus: cum enim ea oratio eſſet prolixior, non totam adſcripſi: ſed partem, quæ eſſet accommodatiſſima, delegi. idem in hac quoque fiat, & quod ad hoc inſtitutum maxime pertinet, nunc ex illa deſcribatur: Atque altera quidem, inquit, oratio hoc fine concludatur: nunc ad eam, quæ reliqua eſt, accedamus: debetis enim habere in memoria, me
C duas a principio quæſtiones propoſuiſſe: alteram, an Hippocrates recte addiderit nomen innati: alteram, an recte dixerit, plurimum caloris ineſſe ijs, qui creſcunt. quare cum altera quæſtio ad finem perducta ſit, ad alteram me conuertam, & conabor inueſtigare, utrum recte dictum ſit, plurimum caloris in ijs, qui creſcunt, ineſſe. itaque in calore cum alio calore conferendo, tria ſunt, quæ in quæſtionem trahi debẽt, eaque ſunt mirum in modum *inter ſe diſiuncta.* primum eſt, quid ſit aliud alio eſſe plus calidum: *ſecundum, quid ſit, aliud alio* eſſe calidius: tertium, quid ſit, aliud calidum eſſe alio ualentius. ſi quis igitur a nobis quærat, quale ſit, quod plus aliud alio calidum eſt, quod proportione tale ſit, reſpondere debemus: ut ei, qui inueſtiget, quale ſit, quod aliud alio plus humidum eſt, reſpondemus: nam ut interrogatio hoc loco primũ ad id, quod dictũ eſt pertinet; neq; aliud recte poteſt reſponderi, quàm id ſolum, quod ſubſtantia ſuperet, ſiquidem amphora plus humoris continet, quàm dimidia: ita etiam in calido faciendum eſt: ſi quis id quærat, quale nam ſit plus calidum altero, certe nihil aliud apte reſpondebimus, quàm quod ſubſtantia plus eſt: quòd uidelicet plus ſubſtantiæ ibi inſit; maioremque locum occupet. nec quicquam prohibet, quin idem & plus calidum, & minus ſit: quemadmodum humidum, quod ſubſtantia plus eſt, ſi effundatur, minus eſſe poteſt. quare fit, ut ad hanc interrogationem ſic quiſpiam recte reſpondeat: ad illam uero, cum quæritur, quale ſit, quod alterum eſt altero calidius, recte reſpon-
D debis, ſi dicas, id eſſe, quod magis intentam caliditatem habet, etiam ſi in minore ſubſtantia ſit. nam ut ei, qui rogat, quale ſit, quod aliud alio candidius eſt, recte reſpondeatur id eſſe, quod magis intentam habeat qualitatem candoris: ita etiam, ſi quàm minima niuis ſit portio, tamen eam quacunq; alia re alba candidiorem dixeris. atque ut ei, qui inueſtiget, quale nam ſit, quod alio ſit humidius, recte reſpondebis quod ſit magis fuſum, ut aqua, quàm mel & pix humidior eſt, quamuis aqua in perexigua ſubſtantia, mel & pix in redundanti conſpiciatur: ſic ſi quis de calido ſcitetur, quale nam ſit, quod alio calidius eſt, recte reſpondeas, quod eſt in calfaciendo maxime intentum: qualis eſt ignis, quamuis exigua eius ſubſtantia conſideretur: alterum autem, quod cum hoc collatum, tepidum eſt, quod maiore, quàm ſuperius, ſubſtantia præditum eſt. atque ad hæc ſic reſponderi licet. ei uero, qui percunctetur, quale nam ſit alterum calidum altero ualidius, non iam ſimilis ſuperioribus eſt afferenda reſponſio: ſiquidem non dicemus eſſe id, quod magis in calfaciendo intentum eſt, neque quod in maiore ſpectatur ſubſtantia: ſed quod in opere perficiendo ceteris præſtet. id autem, quod dico, ſic habet hoc modo. caloris opera multa ſunt: quædam enim ab ipſo funduntur, quædam etiam coguntur; & multa admodum commutantur. &, ut particulatim dicam, is noſtris in corporibus alimentum in uentriculo, inteſtiniſque concoquit: idque confectum, & in corpus deductum alterat, corporique affigit, dum ipſum †alit, & auget. eſt igitur alius calor alio ualentior, qui hæc potius poſſit efficere: iſque non ſemper eſt, cuius

† Græci libri habent τρέφει ego tamen θάλπει puto legi oportere.

cuius magis intenta qualitas, aut maior substantia sit: propterea quod persæpe fit, ut quod minore sub- E
stantia est, minoreq; calfactione, efficacissimum ad opus conficiendum appareat: ut enim ante dictum
est nobis, non qui ad sua munera præstanda magis intentus est, sed qui sit moderatus maxime, is est ua-
lentior: cum is, qui nimis in calfaciendo sit intentus, actiones nonnunquam lædat: cuius rei maxima te
stimonia sunt, quæ supra de proprietate caloris disserui. cum hæc ita se habeant, triaq; sint, ut ante dixi,
quæ in comparatione alterius caloris cum altero trahi in quæstionem possunt, dicatque hoc loco Hip-
pocrates eos, qui augentur, habere plurimum innati caloris: de tribus unum dicendum est: aut eum pro
prie usum esse hac uoce, & falsi aliquid dixisse; aut abusum uoce, & falsi aliquid protulisse: aut male
usum uoce esse, ut ueri aliqnid dixisse uideretur: nam si plurimum caloris per substantiam ijs, qui cre-
scunt, inesse uult, ut si quis uas, quod altero tanto maius, quàm amphora sit, plus, quàm amphoram con
tinere humoris dicat; uoce quidem recte usus uidebitur, falsi tamen quid eum dixisse est omnino ne-
cesse: propterea quod calor in ijs, qui crescunt, non est substantia plurimus; cum eorum corporis mo-
les non sit maior, quàm in florenti ætate, aut senili: innatus autem calor per uniuersum corpus proten-
datur. quod si plus caloris inesse in ijs, qui crescunt, intelligat, quod magis sit eorum intenta caliditas,
ut si quis probare cupiens niuem esse alia re candida candidiorem, non eam esse candidiorem, neq; ma
gis candidam, sed in ea plus esse candoris dicat; certe utrobique errare Hippocrates uidebitur, & quod F
non recte uocem usurpet, & quod falsi quid pronunciet. atque in recto quidem uocis usu uidetur pec-
care, quod uoce, qua in maiore substantia declaranda utimur, ipse abusus sit, dum magis intentam calo
ris qualitatem quandam uoluit indicare. falsum uero dixisse, ex hoc constabit, quod calorem, qui in
ijs qui crescunt, non sit maxime intentus in qualitate in ea ætate calidiorem, quàm in ulla alia esse, non
recte dixerit, cum in ijs, qui crescunt, esse maxime intentam affirmarit. falsum autem esse, in ijs, qui cre
scunt, maxime intentum esse calorem, intelligere quiuis facile potest: præsertim cum nullum in corpo
re eorum, qui crescunt, maxime intenti caloris signum comperiatur: nam quod ipse attulit signum in li
bro de natura hominis, ex quo facias coniecturam, plurimũ caloris in ijs esse, qui crescunt, fatuum pla-
ne est: cum uelit hominem superiore tempore fuisse, sumpto argumento ab incremento, quod tum ma-
ximum factum est: non enim, inquit, alimentum ui, & præter naturam, dum corpus augetur, contra sui
ponderis propensionem raperetur, nisi a re quadam ualida cogeretur. nam hoc non signo est, calorem
magis in calfaciendo intendi, sed ualidiorem ipsum esse: qui autem ualidior est, ut paulo ante dixi, non
est, qui maxime intentam qualitatem habet, sed qui ad opus conficiendum est maxime temperatus. cũ
igitur hęc ita sint, si Hippocrates ita loquitur, dum ait, qui crescunt, plurimum innati caloris habent, du
pliciter labitur, & quod hoc uocabulo male utitur, & quod falsi quid alioqui dicit. Sin autem, ut tertio G
loco dixi, plurimum caloris eos habere uult, ut ualidissimus sit calor ad opus peragendum, qui quidem
ex eo, quod maxime temperatum est, proficiscitur, non quod in maiore substantia insit, aut quod in cal
faciendo maxime intendatur; uocabulum non recte adhibuisse existimabitur, dum plurimum dixit ca
lorem, quem ualidissimum dici oportebat: tamẽ quod pronunciauit, recte dictum uidebitur: quia ut ab
innato calore incrementum fit, ita etiam cõsentaneum est, ut, quin is ualidissimus sit in ijs qui crescunt,
nec conijci, nec fieri possit. atque id, quod in hanc sententiam in libro de natura hominis dictum est,
mihi placebit; corpus, quod augetur, ac ui progreditur, calorem habeat ualidissimum necesse est. qua
liscunque autem fuerit hæc Lyci oratio, etsi prolixa est, tamen nihil plus, quàm quod nos exposuimus,
afferre uidetur. Si inquam Hippocrates plus esse caloris in ijs, qui crescunt, censuit, commensurata mo
le substantiæ, eum in errore uersari arbitratur: propterea quod planum sit, corpus puerorũ minus esse.
Si uero, quod magis intenta caliditas sit, ait etiam quæ apparent ab hoc oppugnari: si denique, quod ad
actiones obeundas sit ualidior; id quidem uere dici concedit: sed eum uocabulo male usum esse pro-
nunciat: quod in ijs qui crescunt, non esse plus caloris, sed calorem ualidiorem esse, ut ad actionem re-
feratur, dici oportebat.

*Refellit, quæ a Lyco de triplici calore dicta sint, docetque, propria innati caloris uis, & natura quænam sit.* H
*Cap. 7.*

Sed dicat fortasse quispiam, qui illis respondere, quæ Lycus Hippocrati uitio dat, sibi proposuerit,
uide optime Lyce, ne, quæ dixeris, uana sint: in primis enim quod calidum ratione substantiæ est, id non
iam totius corporis mole absolute iudicatur: sed ut alibi Lycus ipse maximum esse hominis cerebrum,
non sumpta absolute magnitudine, sed ex proportione animalis cum alio animali, scriptum reliquit. ut
igitur paruulum puellum maius habere cerebrum maximo elephanto ait, non solum habita magnitu-
dinis corporis ratione, sed adhibita etiam proportione, ita erit ei in calido corpore faciendum: ut spe-
ctaret prius, ex iis corporibus, quæ in nobis sunt, qualenam insitum esset, hoc est ἀρχέγονον, primo inquã
genitum: quod nomen ipse quoque in Hippocratis libris esse scriptum non ignorat: & id corpus signi-
ficare, quod statim ab initio præsto est ijs, quæ gignuntur: hoc est, ex quo primum ortum sunt consecu-
ta. ecquidnam autem aliud hoc est, quàm sanguis menstruus, atque semen? equidem nihil tertium no
ui. sed cum in ijs, quæ gignuntur, corporis substantia ex his principijs constet, efficitur, ut quæ prima
exquisite constitutio sit, ea non ex pluribus ijs, quæ dicta sunt, sed ex solis corporibus conflata sit. quã-
quam quid exquisite primam dico? Si enim meminerimus, qualem sex dierum genituram Hippocra-
tes exposuerit, innatum corpus adhuc in ea permanere, plane intelligemus: nam priusquam ulla ossis,
aut

A aut uenæ,aut arteriæ,aut nerui,aut chartilaginis,aut ligamenti in fœtu natura appareat, solum corpus
calidum innatum eis inest:mollis enim caro,sanguinis grummo similis,formatione uacans,primam fœ
tus formam recipit; nonnullas,ut Hippocrates uocat,tanquam sanguinis uibices ex seminis substan-
tia:in qua candor adhuc manet,retinentem. progressu uero temporis ex multa immutatione, quæ con
tinenter efficitur,quædam ossis,chartilaginis,ligamenti,nerui,arteriæ,uenæque lineamenta fiunt : quo
quidem tempore calor innatus adhuc perseuerans est ipsius fœtus corpus:quod eo maius , atque am-
plius efficitur,quo magis fœtus augentur. Sed ipsorum corpus calidum innatū,quod semen, sanguisq;
erat , minus redditur : quædamq; aduentitiorum corporum uarietas accedit:cum eorum,quæ diximus,
nullum sit innatum animantibus,sed aduentitia omnia . ac si quandoque fieri possit,ut totum corpus ex
ossibus,aut neruis constaret:calor innatus ita amitteretur . uerum cum hoc fieri non possit, ut tamen ma
ior sit ossium,& chartilaginum,& neruorum,& ligamentorum,& arteriarum substantia, contingit. quā
ob rem animantia,quæ ad extremam senectutem peruenerunt,ut perexiguam naturam sanguineam ha
bent,sic ex solis propemodum ossibus,neruis,membranis,ligamentis,uenis,arterijs,& chartilaginibus
constant:caro enim sola inter animantium partes sanguinea est:cuius carnis minimam partem habent,
quæ senio confecta sunt,eamque eiusmodi,ut parum sanguinis contineat,duraque sit : ceterarum par-
B tium,quæ enumeratæ sunt,nulla sanguinea est . ex quo fit,ut magnitudo innati corporis,quod ab effica
cissima qualitate,quæ in eo est,innatum calidum appellatum est,non sit absolute ex mole substātiæ æsti
manda:sed facta cum non innatis comparatione,sit consideranda proportio:etenim ut in balneo,uapo
rem,aut,si malis,fumum,aut aliud huius generis,esse multum dicimus,non absolute ad domus magni-
tudinem,sed ad proprium balnei aerem referentes,sic in homine aut plurimam,aut paucam esse caloris
innati substantiam,facta cum non innatis corporibus comparatione,dicemus:ut enim cuncta in infan-
tibus sunt maxime sanguinea,idq; adeo,ut etiam in ossibus quid tale appareat,sic contra in senibus usu
uenit,ut omnia sint exanguia maxime,ut uel carnes sint huiusmodi : in quibus etiā paucissimus sanguis
inest.Sed corpus innatum calidum erat sanguis:quare ex his confici poterit,in ijs , qui crescunt , pluri-
mum esse innati corporis calidi:in ijs uero,qui cōsenuere,paucissimum . eodemq; modo seminis, quod
ex serosa humiditate ac spiritu,qui in ea est,constat,minima in senibus,plurima in corporibus eorum,
qui augentur,præcipue autem qui nuper in lucem editi sunt,est portio : ut in commentarijs de semine
est a nobis demonstratum.quod si forte dubites,an corpus eorum,qui crescunt,facile absumatur,ac dif
fluat,certe nec in alijs rebus ignoras,aquam calidam,aut oleum,aut alium quempiam huiusmodi hu-
morem breuissimo tempore totum per halitum digeri:quod neque in terra , neque in lapide, neque in
C alio,cuius frigida,siccaq; natura sit,conspicies:duæ enim in uniuersa rerum natura qualitates sunt, quæ
facillime per halitum digeruntur,humiditas,ac caliditas:duæ itidem,quæ perdurent,siccitas, & frigidi-
tas . quare nihil mirabile est,si corpora puerorum utpote quæ humida,calidaq; sint,facile difflantur; se-
num uero,quæ quia frigida,siccaq; sunt,essentiam compactam habent, non facile discutiuntur . quam
ob rem,optime Lyce,ea uitio uertis Hippocrati,*quæ tibi obijci* iure poterant : uiderisque præcipuum
quoddam documentum,*quod neminem* fugit eorum,qui recte instituti sunt,ignorare:nā multam sub-
stantiam,quæ simplex sit,corporis moles dijudicat:quę uero sit ex diuersis conflata rebus,eam æstimat
mistorum proportio:sicut etiam cerebrum,aut aliam partium reliquarum . hoc etiam modo qui uinum
aqua temperant bibendi causa,aut plus uini,aut plus aquæ,aut neutrius esse dicunt, cum moderata fa-
cta temperatio est.nemo autem ita stupidus est,ut cum in uini dolium aquæ heminam coniecerit , plus
esse in dolio aquæ,quàm in paruo poculo,dicat:si,uerbi gratia, ex tribus cyathis , qui eo contineantur,
unus aquæ,duo uini sint. Lycus autem,ut ego quidem arbitror,in medicamento,quod τετραφάρμακον ap
pellatur,& ex cera,adipe,pice,ac resina æqua portione temperatis conflatur , si quis ei duplum pro ra-
tione aliorum picis indat,nunquam dicet plus picis inesse : sed esse hoc etiam loco animaduertendum
monebit,utrum dolium sit totum eius medicamēti plenum,an paruum aliquod uasculum sit . atq; plus
D in dolio,quam in uasculo esse affirmabit:etiam si in altero sit omnium par modus; in uasculo autem pi-
cis duplum aliorum sit adiectum . quare si hæc omnia errata aliorum etiam sunt, qui multum ,quod ex
proportione & mistione dicitur,ab eo,quod ex communi mensura ita absolute dicitur,discernere non
possunt,nonne eodem modo dici poterit in ijs,in quibus Lycus Hippocratem criminatur ? etenim &
substantia innati caloris plurima est in ijs,qui crescunt,ad aliorum uidelicet proportionem:& unà cum
ipsa,qualitas eodem modo:quando propriæ qualitates non secus , quàm facultates separari a substan-
tijs non possunt . Sic etiam si in tetrapharmacum plus picis ad aliorum proportionem iniectum sit,
non solum eius substantiæ, sed etiam qualitatis , ac facultatis plus inesse dices : atque ita humo-
rem , quicunque is picis sit , esse adauctum . perspicuū igitur est,in tribus multi significationibus,quas
Lycus retulit,sic plus picis in tetrapharmaco,ut innati caloris in animantibus dici posse . idq; apertius
est in ijs,in quibus ea,quæ miscentur,nō tota inter se contēperantur,tribus modis,quos Lycus memo-
rauit,alterū altero plus dici. ut in hoc medicamento, quod maxime in usu est ; quodq; ex iride , aristo-
lochia , erui farina , thureque , æquali inter se omnium modo , conficitur : posset quis unum ex eis
duplici aliorum pondere immiscere , aristolochiam uerbi gratia : ac de illorum mistione uere dicere ,
plus inesse aristolochiæ & substantia,& qualitate,& efficacia,ac cetera superare.idem affirmari de bal-
neo licebit . in quo non modo aer insit temperatus, sed etiam quædam fumi & uaporis adiuncta sit por
tio:

tio: ex his enim interdum plus fumi, interdum plus uaporis, ut etiam naturalis balnei aeris esse po- E
test. quod autem absolute dicitur, non multitudine substantiæ exuperantis metimur, cum qua & qua-
litatem, & quæ ab hac fit, actionem augeri necesse est. statuamus igitur plus esse fumi substantiæ,
quàm aliorum duorum: quare hic recte dices, plus esse qualitatis fumi, plusque efficaciæ, quàm alio-
rum: cum tamen inter omnes constet, non effici plus qualitatis alia qualitate, sed qualitatem fieri ue-
hementiorem. sicut etiam languidiorem, non minorem: & tamen in uniuersa uita, atque omnibus
artibus horum uocabulorum usus est plurimus. sed quid opus est, alia memorare, cum huius rei testi-
monium euidens in febribus habeamus? has enim cuncti modo maiores, modo minores fuisse, quo-
tidie dicunt: modo uero hunc minus, illum magis hodie aut heri febricitare aiunt. Si igitur ponamus,
plus quod ex qualitate dicitur, ita intelligi, nihil mirabile erit, si in quo balneo plus sit fumi substantię,
in eo plus quoque qualitatis, efficaciæque esse dicamus: quam, si proprie loquamur, ualidam, uehe-
mentemque: si non proprie, maiorem, & plus appellabimus: fumus enim dum eius substantia auge-
bitur, oculos morsu uellicabit. quare cum unà cum substantijs, propriæ item qualitates, efficaciæque
augeantur, uere quis in eiusmodi balneo plurimum fumi esse asseruerit. præterea uero statuamus, uti
diximus, in balneo pares esse uaporis, fumique portiones: propriæ autem aeris substantiæ plurimum,
quæ innato animantium calori proportione respondeat: eo enim casu plurimum esse proprij caloris F
in balneo dicetur. an igitur dissimile huic est, quod in animantium humoribus euenit; ex quibus in ua-
porem resolutis is existit calor, qui extrinsecus tangentibus occurrit: nam alius a sanguine, alius a pitui
ta: alius a flaua, atraque bili calor accenditur. in puerulis quidem plurima inest sanguinis substantia, pro
mistionis proportione (hoc enim semper commemorandum est ijs, qui quasi ueterno oppressi, talia ef
futiunt, qualia Lycus literis mandauit) tum qualitas, quæ simul increscit, proba, amicaque est, nec se
mordacem, molestamque tangentibus offert: itemque efficacia, qua concoctiones neque nidorosæ, ne
que etiam acidæ efficiuntur: quod in pituita fieri solet. quibus quidem fit rebus, o præstantissime Lyce,
ut in ijs, qui crescunt, omnibus modis plus innati caloris insit: atque ita nihil errarit Hippocrates, sed
tu potius conuiciator esse deprehendaris: nam ijs, quæ monimentis tradidisti literarum, cum ea aperte
reprehendas, quæ prorsus ignoras, plane ostendisti, te ab Hippocraticis præceptoribus nulla unquam
institutione fuisse imbutum, ut eius aliquam percipere sententiam posses. præterea cum omnis doctri-
næ expertem contradictionem attuleris, te omnium artium euertere constitutionem conari declarasti:
nec scis, quæ de his ipsis Plato sæpe literis prodiderit, & tibi ipse pugnantia sæpe profers, ac iuuenum
animos deprauas, qui perinde, ac tu, non sint in differendi ratione uersati, ut ueras orationes a falsis ne-
sciant discernere. præterea uero, cum in uerba Hippocratis prius, quàm ea perceperis, conscribere ex- G
planationes institueris, audacissimus simul, & nugator uideris.

## *GALENI LIBER CONTRA EA, QVÆ*
## A IVLIANO IN HIPPOCRATIS
## APHORISMOS OBIECTA SVNT:

*Ioanne Baptista Rasario, Nouariensi, Medico, interprete.*

*Medicos sæpe eas euacuationes, quæ natura sponte fiunt, imitari.* Cap. I.

QVEMADMODVM legibus cautum est, ut eadem pœna, qua reus, si damna- H
tus esset, puniatur is, qui falso accusarit: ita sane nobiscum melius ageretur, si
in eos, qui falso ijs, quæ nunquam didicerunt, contradicunt, digna suis erratis
pœna animaduerteretur. uerum cum nescio quo modo liceat de iniuria in ius
uocare, nullaq; de ijs, qui falso criminãtur sit lata lex: inde, opinor, efficit, ut im
purissimi homines inuehi in præstantissimos audeant: etenim ut olim in Aegy
pto quicquid in artibus inueniretur, id communi eruditorum consessu com-
probatum, columnis quibusdam sacro in loco positis inscribebatur: sic apud
nos esse oporteret proborum, doctorumque hominum collegium, qui recentiorum scripta perpende-
rent: quæque bona essent, publicis in locis statuenda, quæ mala, ea de rerum natura tollenda curarent.
quo in genere præstaret etiam, ut ne auctoris quidem nomen inscriberetur, quod priscis temporibus
apud Aegyptios est obseruatum: hac enim ratione nimium eorum, qui gloriæ cupidissimi sunt, studium
retunderetur. nunc uero cum cuiuis & scribere, & ferre sententiam liceat, audacissimus quisque uulgo
commendatur: id quod Thessalo contigit in ijs, in quibus contumeliose in Hippocratem inuectus est.
quanquam uno libro confecto, in quo putat aphorismos reptehendere, se ne minimam quidem Hippo
craticæ artis partem didicisse, plane testatum reliquit. æquum tamen fuerat, ut prius eam percepisset,
tum

A tum ad contradicendum animum appulisset. an hoc minime recte est a me dictum? neq; enim si eam ille didicisset, ueritati repugnare ausus esset: nisi omnino impudens fuisset, qualis nunc etiam Alexandriæ Iulianus inuentus est, cuius duo de quinquaginta libri contra Hippocratis aphorismos esse memorantur. in quorum secundum nuper incidi, in quo falsum esse hunc aphorismum arbitratur: In perturbationibus uentris, & uomitibus, qui sponte cientur, si qualia purgari debent, purgentur, confert, ac leuiter ferunt: sin secus, contra fit. Sic uasorum quoq; inanitio, si qualis fieri debeat, fiat, prodest, ac leuiter ferunt: sin secus, contra. ac fortunæ quidem habenda gratia est, quæ nobis librum hunc primo legẽdum obtulit, ne longius forte tempus nobis fuisset frustra in ijs legendis conterendum, quæ in primum aphorismum, qui ceterorum subinde procemium est, conscripserat: fortasse enim contra illa scribere coactus, nihil magni momenti fecisse uiderer, propterea quod ea oratio nondum medicam contemplationem attingat: aphorismus autem propositus non parum ad artem pertinet: cum hoc consilij medicis detur, ut ex euacuationibus, quæ per superiorem, inferioremq; uentrem sponte fiunt, eas quæ prosint, imitentur: tum quænam eiusmodi sint, & quibus dignoscendæ sint notis, non minus, quàm quæ lædunt, aperiatur. quod si Iulianus ab Hippocraticis doctoribus artem didicisset, non iam ueris repugnare ausus esset: uerum cum nec ipse, nec is, qui ei stoliditatis huius auctor fuit, Thessalus, artem Asclepiadarũ cognouerint, ne quis miretur, ea illis esse incognita, quæ ne illi quidẽ, qui sine ratione facere se medicinã

B dicunt, ignorarunt. illos quidem licet dicentes audire, artem ex imitatrice experientia esse auctam maxime: quæcunq; enim casu facta ægris utilitatem attulerunt, ea nos, inquiunt, imitati, sæpenumero artẽ constituimus. tum horũ diuisione adhibita, naturalia uocant ea, quorum causa prodit a corpore: quorũ uero foris causa prouenit, ea fieri fortuna confirmant: ut iam non solius naturæ, sed & fortunæ medicus sit imitator. cum autẽ ab illis multa sint eorum, quæ a fortuna profuerunt, allata excẽpla, tum uero eius, qui cũ cecidisset, uena in fronte disrupta est: ipsiq; in eo, qui non secus, quàm ille, affectus esset, spe eiusdem utilitatis ducti, eandem secare uenam non sunt ueriti. quinetiam aluus copiose fluens oculis inflammatis magnopere profuit: nosq;, ut eius facti imitatores essemus, excitauit. Simili quoque modo biliosorum excrementorum uomitus confertim excitus morbo regio affectis uisus est sæpissime opem attulisse, ut aqueorum hydropibus, & ijs, quos elephas morbus uexat, nigrorum humorum euacuatio. ex quibus plane patet, imitatorem esse medicum debere. quid autem attinet, euacuationes, quæ sponte fiunt, commemorare, cum præceptorum opera imitantes artem addiscamus? an Thessalum imitari debebunt eius discipuli, si is iniecto clysteri, quo aluus subducatur, ægrum curet, si uero aluus sponte fluxerit, id non imitabuntur? an cum menstrua sit suppressa purgatio, sanguinisque uomitus mulieri su-

C boriatur, Thessalus aut citata purgatione, aut uena secta, affectum curare instituat, non errabunt discipuli, si doctorem imitentur: sponte autem mensibus erumpentibus leuari mulier incipiat, non iam id imitari debebunt? ut autem ad imitationem pertinet, nihil interest, siue ab obstetrice, siue a Thessalo menses prouocentur, siue a neutro horum, sed ijs sponte fluentibus ægra leuetur, quãdo utilitas ex euacuatione, non ex eo, qui molitus eam sit, subsecuta est: id quod docuit Hippocrates, cum hunc aphorismum conscripsit; Mulieri sanguinem euomenti, si menses prorumpant, solutio fit. ut aũt menses prorũpant, siue naturaliter, siue nostra opera id fiat, ab eo inquit, affectu liberabitur: propterea quod nõ causa, quæ id effecit, sed quod factum est, ægrã iuuat, modo unum mensibus adsit, ut confertim effluant, quod Hippocrates uerbo prorumpant, significauit: qui euacuationes, quæ confertim fiunt, eo uerbo indicare consueuit: perinde ac si hoc pacto dixisset, Mulieri sanguinem euomenti, si menses confertim profluant, solutio fit. dies me profecto deficiat, si quæcunque sponte facta homines imitentur, commemoraro. nec certe quisquam alius est, cui hoc in dubium ueniat: sed, ut de communi sententia, inter omnes conuenit. Soli perditi sophistæ dubitant, qui in artis quidem operibus uel uulgaribus quibusuis hominibus sunt deteriores: sed tamen in contexendis prolixis contra optimos medicos nugis, omni abiecto pudore, ualde exercitati: qualis nuper fuit Iulianus is, quem omnes nunquam esse in

D arte exercenda uersatum, & impudenter ueteres medicos configere maledictis, cognouerunt.

*Amicorum precibus compulsum esse Gal. ut in Iulianum scriberet.* Cap. 2.

Quæ igitur contra ante dictum aphorismum scribere ausus est, ne dici quidem potest, quantum præ se ferant, ignorationis ne dicam, an impudentiæ, an audaciæ: an potius, si uerum dicendum est, hæc omnia, atque his etiam multo plura. fortasse igitur præstabat, ne illis quidem scripto contradicere: neque quicquam in hoc operæ ponere, ac temporis. uerum cum multi admodum amici id a me obnixe rogarent, ut quæcunque post allatum ad nos librum, in quo Iulianus prædictum refellere aphorismum conatur, disseruissem, in commentarium referrem, eisque traderem, hoc non mediocre certamen ingressus sum: atque etiam, si fateri uerum licet, multo maius, quàm fuerit habitus a me sex diebus, aut etiam pluribus, sermo ex tempore: quo docui, quantam uim nugarum Iulianus in librum illum suum congessisset. enimuero, quod in ore omnium est, quàm aptissime in hunc conueniret, nihil hoc homine reperiri posse loquacius: cumque loquax unus Thersites inter Achiuos dicatur: tamen hoc est in Iulianum, quàm in Thersitem, accõmodatius: quippe qui loquacitate uincat omnes, qui unquam extiterunt. quam ob rem qui aderant, dum eius liber legeretur, duplici nomine hominem notarunt: & quod nimis loquax esset, & quod nullum finem eius reperiret oratio. unde non me, qui eum resipiscere docerem, sed Vlysse potius ei opus esset, qui eum sceptro coerceret: homo enim ita stupidus, & bar-

& bardus, ne si musarum quidem chorus uelit, resipiscat. itaque cum inuitus me ad scribendum contule E rim, ne ab ijs, qui hæc legerent, reprehenderer, hæc præfatus sum. sed quando hominem stupidum, indo ctum, & qui se sapientem putet, quique in uniuersa uita inter imperitos nugari adolescentulos consueuit, apud quos propter maledicta, quibus ueteres incessit, in aliqua se haberi existimatione arbitratur, sum reprehensurus. hoc mihi concedi postulo, ut uel præter meam consuetudinem, illius inscitiam uerbis castigare asperioribus mihi liceat: iniquum enim esset, si illi præstantissimos ueterum auctoru m lacessere maledictis licuisset, ac nobis illius inscitiam perspicuis demonstrationibus refellere non concederetur: ea namque adeo excreuit, ut unde quis initium sumat, non iam facile comperiat.

*Notatur Iuliani iniquitas, quod Sabini explanationem coarguens, in Hippocratem se scribere profiteretur: tum quæ pro methodicis attulerit, memorantur.* Cap. 3.

Atque is quidem, omisso Hippocrate, in libri initio in Sabinum longa inuehitur oratione, ut etiam in toto fecisse opere uidetur: & tamen nō in Sabini explanationes, sed in Hippocratis aphorismos eius est librorum inscriptio: deinde, ut eius mos est, plurima nugatur, congesto unum in locum nugarum ob scurarum aceruo, quas si refellere quis uelit, maximum is librum prius confecerit, quàm ipsam attigisse rem uideatur: ut deinde omnia non esse dicta concedat: unde non facile sit scribenti hæc ipsa dispo nere, immo uero ne fieri quidem possit. nos tamen in ijs sermonibus, quos ex tempore quod eruditos F uiros sæpe habuimus, facultatem quandam, ex similitudine uidelicet explicationum, quæ in ueterum li bros scribuntur, inuentam adhiberi posse ostendimus.: ut enim propositum eorum librum in publicis explicamus disputationibus, sic

## *Hic quædam desiderantur.*

Sin autem dicat methodicus, se clam naturæ arcana perscrutari, nec se nentosum, & de se magnifice loquentem faciat, nec antiquiorem abditi decreti radicem in medinm proferat, duos esse corporis af- ” fectus: propterea quod ei, qui in naturali sit statu duæ inter se aduersariæ mutationes, conuersionesque ” insidientur, dum aut nimium constrictus est, aut nimium fusus: uideri sane poterit ea afferre, quæ cogi- ” tatione, non a philosophis quidem res naturales perscrutantibus, deque uniuersorum materia disse- ” rentibus, sed a medicis naturalibus comprehendantur. atque hæc una est ex admirabilibus Iuliani sermonibus oratio: in quibus sermonibus ab ijs, quæ Asclepiades, Themiso, & Thessalus elementa posuerunt, dissentiens, ad eos se recepit philosophos, qui uacuum penitus de mundo sustulerunt. huic autem alteram subnectit hoc modo: Neque uero continere iam linguam possum, quin eloquar. quid.n. G iam id tandem est, nisi quemadmodum elementorum ortus huiusmodi conuersiones est consecutus, ” ita etiam calidi, frigidi, humidi, siccique natura: ab illis enim ueluti parentibus primis hæc opera exo- ” riuntur. Vide ut quàm altissimis, maximeque sublimibus thronis hæc methodus sedens latuit: ” quam cum ego mea modestia, animique moderatione latere in cælo cuperem, solus & primus indica ” ui, & nebulam, quæ tenebras eidem offundebat, discussi, atque in libertatem uindicaui. atque hæc ” quidem Iulianus: ac deinde hęc quoq; subiungit: Ego uero cum Epicuro, cuius elementa repudio, mini ” me consentio: quippe qui unam substantiam non efficiat. hæc atque alia permulta de methodo a Iulia ” no scripta sunt in toto eo libro, qui Philo inscriptus est. in alio autem, qui de animi, corporisq; perturba ” tionibus est, habet hæc: Iam moderatum, mēsuratumq; adstrictionis, effluxionisq; statum in humanis ” coagmentationibus constituentes, ei sanitatis nomen imposuimus. cumque huic mediocritati insidias ” morbi struunt, corpora necessario patiuntur, dum contrahuntur, & obdurantur, & scciora redduntur: ” aut dum funduntur, molliuntur, & humectantur.

*Iulianum ab academicis, Stoicis, ac Peripateticis de elementis, & causis morborum dissentire.* Cap. 4.

Hæc igitur sunt huius præstantissimi sophistæ uerba: qui ait methodicos medicos, Zenonem, Aristo telem, ac Platonem sequi. nos uero uicissim cum admonebimus, & unumquenque horum philosopho H rum, & alios quamplurimos, qui illis successere, existimasse sanitatem esse calidi, frigidi, sicci, & humidi temperiem: ac morbos, qui ex uictus ratione existunt, ex horum singulorum defectione, aut exuperantia procreari: atque in corporibus succos esse, quorum humida, uel sicca uis sit; & item alios, quo rum sit calida, frigidaue facultas, qui morbis proportione respondeant. sic Plato unà cum ijs omnibus, qui eum sunt secuti; sic Aristoteles cum Peripateticis omnibus; sic denique Zeno, & Chrysippus cum tota schola Stoicorum censuerunt. at Iulianus ne librum quidem ullum legit eorum uirorum, nec quid consequens sit, quidue repugnans, plane intelligit: alioqui enim hæc illi sectæ conuenire cognouisset, quæ inane sustulit: ei uero, quæ hoc statuit, conuenire hoc, sanitatem esse quandam meatuum aptā mē suram: ac morbos ex uictus ratione obortos in constrictione & effluxu eorum, quæ per id feruntur, cō sistere. num igitur Aristotelis, Chrysippi, ceterorumque Peripateticorum, Stoicorumq; omnium uerba subiungam, in quibus in pituitam, & bilem morborum causas conijciunt, primosque morbos non se cus, quàm elementa, esse quatuor calidum, frigidum, humidum, & siccum affirmant? an uero hoc, utpo te quod non unum, aut duos, sed tres, & quatuor, & item plures implere libros queat, omittere est melius, ut ijs solis, quæ a Platone sunt literis consignata, contenti simus? quod si ita facere præstat, nec unà cum garrulo sophista usquequaque nugari, cum hoc solum de Peripateticis, Stoicisq; philosophis præ fatus

E satus ero, finem de his dicendi faciam: nempe nullum Aristotelis, Theophrastique librum inueniri, in quo si de morbis loqui cogantur, calidum, frigidum, siccum, & humidum prætereuntes, orationẽ suam absoluant: sed cum horum semper mentionem faciunt, tum cum his etiam persæpe utriusque bilis, atræ, & flauæ, ac non raro pituitæ: earumque differentias explicant, & illam acidam, hanc salsam, aut salsuginosam, aliam dulcem uocant. Chrysippus quoque non aliter, sed ita semper & de morbis, & de succis disserit. ac si quis uelit illorum solum trium uirorum seligere de hac re uerba, is non paucos libros implebit: præsertim si tantum, quantum Iulianus Alexãdriæ sit otij nactus. at si aliorum & Stoicorum & Peripateticorum omnium uerba afferat, uniuersam is bibliothecam explebit. ego tamen, ut dixi, ceteris omissis, solius Platonis qui ubique decreta Hippocratis sectatur, uerbis ero contentus; atque ea quidem non ex omnibus eius libris, qui multi sunt, sed ex uno solo Timęo depromam. Vnde autem inquit, morbi nascantur, est omnibus perspicuum: cum enim quatuor sint eorum genera, ex quibus compactum corpus est, aqua, terra, ignis, & aer: horum præter naturam exuperantia atq; defectio, & ex sua in alienam sedem commigratio, & cum ignis, ac cetera singillatim, (quando hęc plura uno genera sunt) quod sibi cõueniens non est, assumunt, aliaq; omnia huiusce generis fiunt; tum seditiones, morbiq; excitantur: nam cum unumquodque de sua natura deflexit, atq; excidit, tũ quæ prius frigebant calefiũt: quę F arida erant; humida redduntur: itemq; leuia, & grauia, atque omnes prorsus mutationes suscipiunt. in his uerbis Plato & in primis elementis, & eorũ qualitatibus Hippocratis sententiam perspicue sequitur: in sequentibus uero, cum causas morborum succis acceptas refert, scribit fere ad hunc modũ: Alba autem pituita ob bullarum spiritum intus detenta, difficilis est: extra uero corpus ducta perspiratione, mitior illa quidem est, sed corpus uarie affectum reddit, uitiligines, alphosque, & alios eiusdẽ generis morbos gignens. at ubi atrę bili cõmista in diuinissimos capitis orbes illabitur, eosq; perturbat, ut in somno mitior est, sic in uigilia fit ad expellendum difficilior: cumque hic morbus sacræ naturæ sit, iure optimo sacer appellatur. his autem uerbis alia subiungens ait: Proinde acida, salsaque pituita est morborum omnium, qui ex destillatione gignuntur, fons & origo. quia uero in plurima loca illabitur, ideo plurima quoq; †nomina sortita est. hæc est Platonis de pituita, deque atra bili sententia. quæ uero de flaua bili deinceps dicat, attendito: Quæcunque uero inquit, in corpore, quod uri, atque ardere uideãtur, inflãmatione tentari dicuntur, ea omnia ex bili sunt profecta. quæ cum expirat extrinsecus, æstu suo tumores uarios producit. eadem intus inclusa, plurimos perurentes morbos procreat: maxime uero, cum puro commista sanguini fibrarum genus de suo ordine abduxerit: quæ ideo sunt in sanguinem distributæ ut is mediocritatem in tenuitate, crassitudineq; conseruaret: neq; ob calorem ut humor ex raro cor- G pore defflueret: nec rursum densior ægre moueatur, ac se uix in uenis conuertat. hanc autem commoditatem ad naturam gignendam fibræ afferunt: quas siquis emortuo, refrigeratoque sanguine inter se cõducat, quod reliquum est sanguinis, uniuersum fluidum redditur. ubi uero missæ factæ sint, statim cũ ambiente frigore congelantur. cumq; fibræ hanc uim in sanguine obtineant, bilis quæ natura facta uetus sanguis est, & ex carnibus in hunc est iterũ eliquata, calida & humida paulatim primũ in illũ incidẽs, ob hanc uim fibrarum congelatur: congelata uero, ac per uim extincta procellam intus, tremoremq; excitat. quod si copiosior influat, suoque calore fibras superet, efferuescens fibras de suo ordine deturbat. ac si satis est, ut ad extremum usq; uictrix permaneat, ad medullas penetrans, & exurens, ibi animæ uincula, quasi nauis retinacula quædam soluit, liberãq; dimittit. sin inferior est, corpusq; liquescens ei resistit, tunc uicta, aut in totum corpus truditur, aut per uenas in inferiorem, aut superiorem uentrẽ cõpulsa e corpore uelut e seditiosa ciuitate eiecta, læuitatem intestinorum, tormina, atq; huiusmodi morborũ omne genus parit. hæc sunt, quæ Plato Hippocratem secutus in Timæo solum memoriæ literarũ prodidit. siquis uero ea colligat omnia, quæ in alijs eius libris comperiuntur, is longitudine orationis imitari Iulianum uidebitur. id quod multo magis faciet, si omnia feret, quæ Aristoteles, Theophrastus, Chrysippus, ceterique, Peripatetici, ac Stoici, de calido, de humido, de frigido, de sicco, de bili, de H pituita, de bona deque aduersa ualetudine scripta reliquerunt. equidem quosdam iam esse arbitror, qui nostram in hoc stupido sophista refellendo orationis magnitudinem reprehendant: nam qui non est ueritus, (pro Iupiter, dijque alij) Platonem, Aristotelem, Zenonem, ceterosq; qui ab illis profectis sunt, Philosophos, laudibus extolleret; quæ uero de corporis elementis, ab Hippocrate dicta sunt, reprehendere, quid tandem est rerum omnium, quod eiusmodi hominem dicere pudeat?

νοσήματα legit apud Platonem .i. morbos creat.

*Neque ignorationem, neque discordiam philosophorum in nomine naturæ positam efficere, quin naturaliter, & præter naturam affectos esse homines dicamus.* *Cap. 5.*

Sed hæc missa faciamus: deinceps uero quæ scribit, perpendamus, dũ ne naturæ quidẽ nomẽ uult, ut uidetur, a quoquã considerari. eius orationis hoc est initiũ: Nunquã illi nobis, aut etiam sibi ipsi re uera persuaserint, se quid natura sit, intelligere: quam tamen in omnes partes uersant, & ubiq; magnifica uerba proferunt, eam quæ aut calorem simplicem; aut temperatura commistum; aut frigidi, spiritusq; substantiam appellant. ad hæc uero multa deinceps addit, eosque naturæ substantiam nosse† cõcedit: quasi Hippocrates naturæ nomen in aphorismo nobis proposito adscripserit, & non dixerit, in ijs, qui sponte cientur. unde igitur in hunc locum naturæ nomen uenit? non aliunde sane, quàm ex solita Iuliani loquacitate, ut ei prolixioris orationis occasio daretur: quàm si quis explicarit, is nugas illius faci-

†Hoc loco uidetur addẽda negatio.

le deprehendet. quoniam igitur medici omnes partim natura, partim fortuna fieri euacuationes E
aiunt, ut earum causam interdum ex ægrorum oriri corpore, interdum uero foris aduenire de-
clarent: ille occasionem nugandi de naturæ nomine præripuit. est autẽ eius, ut summatim dicam, hęc
sententia. de naturalibus euacuationibus loqui non decebat eos, qui quid natura ipsa sit, ignorabant.
Sed, o princeps Sophistarum, eadem ratione nobis nosse non licebit, aut animum, aut sensum, aut men-
tem, aut intelligentiam, aut memoriam in nobis esse, quod horum singulorum substantia difficulter co-
gnoscatur. & quid mirum? nam cum solem, quem euidentissime intuemur, non satis accurate qua essen
tia sit, cognoscimus; num de natura, aut anima, aut memoria, aut alia re huiusmodi sine mora sententiã
efferemus? atque, ut hæc recte diximus, sic, cum cuiusque horum notionem sciamus, eaque existere
plane cognoscamus, tum denique de eis instituenda erit oratio: plantæ enim omnes a natura, animan-
tia uero a natura atque anima reguntur: siquidem si nutritionis, & incrementi, & huiusmodi actionum
causam omnes homines naturam uocant: ut sensus, eiusque habitus, ac motionis animam: profecto ne-
mo nostrum de animæ actionibus falsa enunciat: neque quia hæc nouit, statim eius intelligere essen-
tiam potest: ut nec etiam solis: sed eum & orientem, & occidentem, & uniuersum spatium ordine,
definito tempore permeantem euidenter conspicimus, eius tamen essentiam, quænam sit, per otium
perscrutamur. Si igitur naturales excretiones, cum fiunt, cognosci non possint, nisi prius naturæ eas F
efficientis substantia cognoscatur, merito fieret, ut cum ille hanc esse incognitam probasset, unà cum
ea cognitionem harum sustulisset. nunc uero cum usu ueniat, ut licet illa ignoretur, hæ tamen sciantur,
Iulianus, uir clarissimus, hæc omnia superuacanea effutit: nos enim, si nullo medicamento purgante
sumpto, aut uomitus aut multa per infernas partes euacuatio fit, eaque siue per intestina, siue per ute-
rum contingat, hæc omnia fieri natura, aut a natura, aut naturaliter (nihil enim interest) dicimus: eaque
cum ægrotantium emolumento imitamur. at Iulianus ne illud quidem, quod singulis diebus in ore
omnium est, quodque neminem prætetit, scire uidetur: sanos homines, secundum naturam se habere:
ægros uero, præter naturam: si enim prius, quàm naturæ essentia nota sit nobis, huiusmodi nominibus
uti liceat, certe neque secundum naturam sanos, neque præter naturam ægros esse affectos dicemus. de
mus tamen hoc illi ex abundantia quadam, ac concedamus, non posse nos præclara naturæ, aut fortu-
næ opera imitari, nisi prius nostra corpora ex calido, frigido, humido, siccoq; constare intellexerimus.
quid igitur obstat, quominus hoc accurate sciamus, cum & nos huius sententiæ afferre demonstratio-
nem possimus, & principes philosophorum, quos etiam tu ipse admiraris, cum Hippocrate, atque inter
se ipsi consentiãt? nisi quis de Stoico factus repente ambiguus, discordiam satis esse argumenti ad de-
creti huius ignorationem demonstrandam arbitretur: nam si te persuadeat oratio, quæ dicat, nihil eo G
rum, quæ apud philosophos controuersa sunt, in humanam cadere notitiam posse; cur non etiam mul
to magis tuis præclaris communitatibus, quas in cælo habitans methodus genuit, fidem abrogas?
& tamen eas nullus aliorum medicorum uel obscure uidit: aperte uero, ut ipse quidem existimat
Thessalus. Sed hoc quoque maius est, quod licet Thessalus eas uiderit, & ornatissimo eorum me-
dicorum, qui illum secuti sunt, choro indicarit, nemini tamen cum altero conuenit, sed ad hunc us-
que diem maius bellum exercent, quàm cum Thessalus cum suis discipulis controuersabatur. quam
ob rem si discordia signum est ignorationis rerum, primum omnium Thessali communitatibus nulla
adhibenda fides est, quatenus est de eis summa dissensio: nam de corporis nostri natura, utrum ex
aere, & igne, & aqua, & terra, an ex humido, & sicco, & calido, & frigido apta inter se mensura tem-
peratis constet, controuersia quidem est, sed non tanta tamen, quanta de Thessali communitatibus
est: siquidem Plato, Zeno, Aristoteles, Theophrastus, Eudemus, Cleanthes, & Chrisippus cum
alijs plerisque philosophis, quorum alij se stoicos, alij peripateticos, alij platonicos nominarunt,
de eis consentiant. quæ uero a Thessalo communitates appellatæ sunt, tantum abest, ut ceteris me-
dicis probentur, ut ne ijs quidem placeant, qui re uera methodi expertes plane sunt, graui tamen
methodi nomine, tanquam prærogatiua quadam utuntur: nam neque Hippocrates, neque Diocles, H
neque Plistonicus, neque Praxagoras, neque Mnesitheus, neque Philotimus, neque Erasistratus, neq;
Herophilus, neq; alius ullus medicus aut rationalis, aut empiricus Thessali communitates probauit.
quod si conferendæ inter se dissensiones sint, eam quæ ad Thessali cõmunitates pertinet, nõ parũ supe-
rare ceteras cõperietur: cum.n. in medicina sint, ut ipsi aiunt, tria genera sectarum, cũ & empirici, & dog
matici cõmunitates ipsas ademptas uelint, certe hæc nõ parua existimanda dissensio est. Sed immensa
quoq; redditur, quando nec Themiso communitatum ipsarum parens, atq; inuentor, neq; alius ab eo
quispiam, neq; etiam ullus Thessalicorum methódo uacantium eas seruat: nemo enim est, qui non illis
aliquid uel addat, uel detrahat, uel quoquo modo commutet. neq; tamen si ipsi inter se consentirent,
parua esset eorum cum alijs dissensio. ubi uero in his omnibus ipsorum etiam inter se consensus non
est, solus hic Thessalus relinquitur, quem nemo, præter hunc Iulianum, auctorem habet: qui qui-
dem uerbo eum secutus est, re uera autem, ut ostendimus, illi aduersissima pronunciat. quam rem
si quis scire aueat, is ad nostros de secta methodica commentarios se conferat. atqui si Thessa-
lus solus dicat ijs, qui pro ueritate pugnant, consensum eorum, quæ alijs uisa sunt, demonstratio
nem esse quandam, atque iudicium; eum profecto nemo damnabit: ac nos postea Thessalum ipsum ab
omnibus dissentientem non damnabimus? Hippocrati, cui præter optimos medicos præstantissimi
etiam

A etiam philosophi assentiuntur, uel ob unam solam dissensionem, omnem fidem abrogabimus? quis hoc
tandem ferat? quis tantam uim nugarum toleret? quis non potius doleat, se tempus in huiusmodi homi
nis refellenda sententia consumere, qui neq; eorum, quæ dixerit, memor sit: neq; ea, quæ scripserit, intel
ligat, sed, quod in prouerbio est, quicquid in buccam uenit, effutiat?

*Plenitudinem morborum causam continentem esse, contra Iulianum, & Asclepiadem.* Cap. 6.

Verum his prætermissis, quæ deinceps subiungat, audiamus: ac primum eam orationem, in qua ait,
hoc aphorismo fontem, originemque contineri, unde manarit, plenitudinem humorum esse continen-
tem morborum causam. in qua te melius erit fortasse, ut totam orationem ijsdem uerbis adscribamus:
in hunc igitur ferme modum ab ipso statim est literis proditum (tempus enim iam postulat, ut recta ad
contradicendum aggrediamur) In perturbationibus inquit uetris, quod huius aphorismi reliquum est
origo, & fons est, unde emanat, ab humorum plenitudine, ut a causa continenti, morbos corporibus af
ferri. quare cum demonstratum sit, humores non esse morborum causas, siquidem ea falsa est opinio; sic
uitium aphorismi erit ostensum: utpote qui obscuro, falsoq; fundaméto nitatur. hæc eius oratio est. præ
clare autem nobiscum ageretur, si nobis daretur, ut in aliquo pleno theatro, non quale Thessalus quidé
constituit, dum se in suis illis nugarum plenis libris coronat, sed hominum potius eruditorū, ab ipso pe
B teremus, quanam tandem methodo demonstratiua fretus uerum esse eum sermonem arbitretur, quem
ipse attulit: qui sane, si quis eum recte exponat, erit huiusmodi: qui euacuationes esse ægris fructuosas
putat, is morborum causam continentem statuat plenitudinem, necesse est. si uera hæc est oratio, liben-
ter in hominum eruditorum corona Iulianum interrogarem, ut ipse garrulus suam tandem ex illorum
multitudine stupiditate agnosceret: nam ex ijs, quæ dicuntur, cum is talis sit, nunquam resipiscet.

*Desunt nonnulla.*

Qualis ipse sit, eius scripta declarant. ut autē hæc in theatro recte tractaret, nunc aperiam: plerisq; eo
rum, qui febrim habent, sanguinem detrahit Thessalicorum asinorum grex. si ledi eos ab euacuatione
putant, inique faciunt: sin iuuari, plenitdinem continentem causam statuunt: quod negant. dicet eorum
forte quispiam, licet euacuatio prosit quid tādem necesse est, multitudinem esse continentem causam?
huic ego facile responderem: nullam quidem necessitatem subesse, de grege tamen uestro eum esse, qui
hæc dicat. Iulianumque ostenderem, & æquum esse censerem, ut suarum nugarum redderet rationem:
atque ita res in theatro transigeretur. nunc uero posteaquam theatrum nullum est, & huiusmodi occa-
siones paucis admodum offeruntur, omnes, quæcunq; uoluerint, siue ea uera, siue falsa sint, pronunciāt:
C id quod Iulianus semper facit. quippe qui nulla habita ueritatis ratione quicquid obiter ei occurrit, lite
ris tradat. equidem qui per uniuersam uitam nihil æque studuerim, quàm ut demonstratiuam scientiam
primum addiscerem, deinde eam omni studio exercerem, uideor laborem frustra sumpsisse: nā qui de-
monstrationes sequuntur, hos spes est, Iuliani nugis nunquam esse animum adhibituros: qui uero ex il-
lius grege sunt, ij ne ea quidem, quæ dicuntur, intelligunt. quam ob rem, ut etiam ante dixi, non leue cer
tamen amici, quorū causa rationes a *scientiæ fontibus* haustas tractabo, mihi imposuerunt. porrò opor
tebat *Iulianum nomina* causarum differentiæ conuenientia proferre, sed eorum quoq; significationes
seruare: nunc uero (nam hoc commune est omnium methodicorum stoliditatis) ad nomina usq; conti-
nentium causarum progreditur, quomodo autem ab antecedentibus differant, nihil intelligit: alioqui
enim cognouisset, incrementum morborum ab antecedentibus causis proficisci: quæ.n. morbis ortum
dedere, necesse est ut eos etiam, quoad simile quid egerint, adaugeant: ut medicamentum, exempli gra-
tia, adeo acre, ut excitare ulcus queat, si cuti per horę spatiū imponatur, eam solam ulcerabit, quæ cuti-
cula nominatur: at si diutius inhæreat, iam opus maius efficiet: primum.n. cutē, deinde huic subiectā car-
nem corripiet. quo etiam modo quę putrefacientia medicamenta appellantur, ad ossa usq;, cum uniuer
sam carnem qua illa teguntur, adusserunt, quandoq; perueniunt. quare cū hæc sit antecedentiū causa-
D rum natura, fieri non pōt, ut illis adhuc manentibus, qui factus iā morbus sit, persanetur: cum enim, ut
docuimus, morbus fiat subinde maior, profecto nunquā perfecte sanabitur prius, quàm quod ipsum gi
gnit, sublatum sit. causas igitur antecedētes, in quibus ēt plenitudo est (statuatur.n. in primis hoc nostro
in sermone esse antecedens) nisi quis prius prę ciderit, is affectū, qui iā sit procreatus, curare nullo pacto
poterit. quam ob rē plenitudinē antecedere morbos Asclepiades arbitratur, ægrisq; adiumēto esse eius
euacuationē, uultq; a medicis adhiberi hāc curationē, nō quod genitos iā affectus tollat, sed quod ne
magis augeātur, prohibeat. sed ponamus plenitudinem esse interdū cām continentē morborū: necesse
igitur ē, ut eius euacuatio morbū sedet. atqui nunquā est, ut Asclepiades ait, cā cōtinens, præstiterit aūt
hoc loco nugatorē Iulianū dimittere, & cū Asclepiade disputationē instituere: qui, si cetera desint, legi-
timus saltē sophista est: solet.n. hic uir afferre rationes, maxime ad persuadendū accōmodatas: sed non
sine fuco elaboratas, quod esse ego sophistæ munus puto. atque huiusmodi est, quam deinceps adscri-
psit Iulianus, non hercule facultate usus sua, siquidē ita ubique scripsisset, sed eorū memor, quæ literis
mandarat Asclepiades: propterea quod si hæc ex proprijs Iuliani rationibus esset, ea non secus, quàm
aliæ, nugis referta uideretur. ait igitur Asclepiades: si plenitudo cōtinens morborū cā esset, factis inter-
dū ī principio morbi copiosis euacuationibus, ęger ab oībus incōmodis uīdicaret. at uidemus potius sę
penumero, expurgata plenitudine, morbos augeri. hæc satis probabilis ratio ē, propriáq; explicationē

requirit . quanquam ea , quæ in Aphoriſmo Hippocratis ſunt, non attingit : illa enim ex communi po- E
tius omnium hominum ratione , qua uti etiam empiricos dixi , quàm ex ullo dogmate fidem ſunt ade-
pta. quocirca explicemus ipſam Aſclepiadis rationem , non quod ad aphoriſmi ſententiam pertineat ,
ſed quod prę̨ſtet, ut qui hucuſq; Iuliani nugas pertulimus , dialectico more cum homine congredi,qui
re uera ſophiſta ſit . itaque cum plenitudinis nomen Aſclepiades uſurpat , interrogandus eſt, utram in-
telligat , eam ne , quæ ad uires , an eam , quæ ad uaſorum ſpatia pertinet , quam etiam ex infuſione ſo-
lemus appellare : & utrum eam , quæ in toto corpore , an quæ aliqua in parte conſiſtit . at eam , quæ
ad uires pertinet, ne nominare quidem poteſt , quippe qui uires fere omnes , quibus animantia gu-
bernantur, ſublatas uelit : quæ uero ſpatia uaſorum occupat , duplex ipſa quoq; eſt:aut enim ea mẽſura
æſtimatur,quæ naturæ conuenit:aut hoc ſolo,nudoq;,quod contineri non queat.utraq; autẽ poteſt aut
per uniuerſum corpus eſſe diſperſa,aut una in parte,aut pluribus.ac nos in cõmentarijs,quibus ſympto
matũ cauſas ſimus perſecuti,& in quibus de tumoribus,qui præter naturã ſunt in corpore,egimus,con
uulſioni interdum,ac tremori,inflammationi uero perpetuo,& igni ſacro,& ei, quod a recẽtioribus me
dicis œdema uocatur,& alijs præterea affectibus fundamentum eſſe plenitudinẽ oſtendimus:ac ſi quis
plenitudinem euacuet,particulam ad ſuum naturalẽ ſtatũ quãprimum redire.de cauſis quoq; continen
tibus alibi dictum eſt nobis,& demonſtratum,& nomen, & rem,cui nomẽ eſt tributum,a ſecta Stoico- F
rum eſſe profecta:ac recentiores medicos totum hoc genus neque tractauiſſe recte,neq; nominauiſſe :
nos denique,ne de nominibus contẽdere cum eis uideremur, ſæpenumero eos ſecuti , quaſdam cauſas
ita nuncupari permiſiſſe:non eas quidem,quæ ex ijs ſint,quæ abſolute eſſe dicuntur,ſed earum, quæ ea
tenus ſunt,quatenus fiunt . atque in hoc ſophiſmatis explicatio poſita eſt.ceterum ad inſtitutum noſtrũ
non pertinet,omnes Iuliani nugas huc transferre.potius ad aliam quæſtionem , quæ communi ratione
ad omnia pertineat, accedamus . cauſarum,quæ in humoribus ſunt,duplex genus eſt,quorum alterum
in plenitudine,alterum in corruptela eſt:utriuſq; autem curandi facilem fore uiam aiunt:cum momẽto
temporis redundans excrementum emittere nobis liceat,& quod corruptum ſit, uniuerſum euacuare,
ut morbus nunquam ſit futurus diuturnus: quam quidem rationem & perſpicuam,& breuem Iulianus
& obſcuris , & pluribus uerbis hoc modo attulit : In hoc inquit , aphoriſmo id ſtatim aſſumitur , quod
probatum non eſt,plenitudinem humoris,aut eius ex propria qualitate in alienam, permutationẽ mor »
borum efficientem eſſe.quod totum genus medici corruptelam uocant.quamobrem opinantur,nõ me »
diocri adiumento fore,ſi quod morbum facit,excernatur.ac ſine dubio exiſtimare, antequam humoris »
alicuius,qui in corpore ſit,iudicium appareat,plenitudinem,aut certe mutationem eſſe morbi cauſam, »
eſt ab omni intelligentia,ueritateq; alienum:etenim arbitrarer omnes affectus ſolui facile poſſe, nec ul G »
lum eſſe diuturnum : atque unius modi omnem eſſe curationem,nec quicquam negotij cõtinere:ſiqui- »
dẽ in promptu eſſet,id euacuare,quod morbum efficit,idq; in ipſo ſtatim initio; & in prima morbi con »
ſiſtentia affectum diſcutere:ut iam nullo alio,quàm euacuante præſidio opus eſſet:atq; huius uſus,quo »
cunque tempore contingat,accommodetur : ut ſi in cauſa ſanguis ſit,ſola uenæ ſectio : ſi pituita , medi- »
camentum pituitæ educendæ idoneum;ſi bilis,quod bilem ducat , ſatis eſſe queat . »

*De utroque plenitudinis genere curando,& item humorum corruptela,contra Iulianum.* *Cap. 7.*

Iuliani hę̨c ſunt uerba,quibus ea ratio,uti dixi, continetur : ſi morborũ cauſæ in humoribus ſitę̨ ſunt
nobis integrum eſt,ut ijs celeriter euacuatis,nullum morbum eſſe diuturnum permittamus:atqui mul-
ti ſunt diuturni,quãuis in principio corpus ſit ſatis euacuatum:ergo cauſæ in humoribus non ſunt . hæc
ratio ſi uniuerſi corporis plenitudini accommodetur, quæ capacitate uaſorum æſtimatur, uera eſt : pro-
pterea quod ſi ſtatim in morbi principio euacuare quod ſuperuacaneum eſt,uoluerimus,uniuerſam af-
fectionem,quam plenitudo crearit,euacuabimus:ſi uero ad eã,quæ in aliqua parte maior eſt,refeeatur ,
falſa;cum eam plenitudinem non ſemper euacuari ſubito poſſe demonſtrauerimus.eodemque modo ſi
ratio de corruptela humorum proponatur,faciles habebit explicatus: propterea quod ea non ita cito ,
ac ſi uaſe aliquo,doliove contineretur,poteſt educi.quin ex illis quoq; cum omnem prauum humorem H
euacuauerimus,non ſtatim,niſi deterſo prius elotoq; diligenter uaſe,alium bonum infundimus . nũ igi
tur corruptus ſanguis ex humano corpore ſic poteſt detrahi,atque eius partibus bonus pro uitiato ſta-
tim affundi?quomodo igitur euacuari corruptela cito poteſt? ſic enim hoc , ut alia omnia,facile profe-
runt,nihil aduertentes,neq; ullam in tota re cõſideranda diligentiorem curã adhibentes . iã uero ſi ma-
gna bilis copia redũdet in corpore,ſæpe,niſi febris adſit,facile euacuabitur: at ſi febris acuta hominem
prius corripiat,difficillime:propterea quod purgante medicamento ſine periculo uti non licet . eadem
pituitæ,ſeroſorumq; excremẽtorum eſt ratio.quibus omnibus de rebus in alijs libris eſt a nobis dictũ :
unde,qui ſcire diligenter ea uelit,ei petenda ſunt. atq; inflammationem quidem morbũ eſſe de genere
eorum qui plethorici,hoc eſt ex plenitudine creari dicũtur,cum plenitudo non ſolũ uaſculis cõtinetur,
ſed etiam cũ omnia ſpatia muſculorũ occuparit , ille te potiſſimũ liber docebit , qui de tumoribus pter
naturam inſcribitur: non poſſe autem omnem inflammationem celeriter ſanari , ex libris methodi me-
dendi,præſertim uero ex ijs,in quibus tumorum,qui præter naturam ſunt,curandorũ ratio traditur,ip-
ſe percipies:fit.n.interdũ,ut tã uehementer,tamq; tenaciter glutinoſi,craſſiq; ſucci carnibus adhę̨reant,
ut periculũ ſit,ne ſi illi diutius'ibi manſerint,ſcirrhus ſuboriatur.at qui hæc ignorant oĩa,dũ quæ ad artẽ
ſunt magis accommodata,neſciũt,Hippocratẽ accuſant. atqui hoc conuertẽs dicet quiſpiam , ſi ſolidũ
aliquod

A aliquod corpus refrigeretur, aut calefiat, id facile ad naturalē statū esse rediturū: ut etiā si spissum, aut rarius sit factū: nā & quod refrigeratū est calefacere: & quod calefactū est, refrigerare: & quod conspissatū est rarefacere, quodq; rarefactū est, spissum reddere, nulla difficultas est: at humorē glutinosū & crassum, carnosis particulis inhærentē, euacuare est difficillimū: cū n. sordes ab ijs, uel patētibus uasis, nō facile sit detergere, quî fiet, ut in carnosis res sit in prōptu? quare ualde admodū uitiosa ea oratio est, quæ causas in humoribus cōtentas magis esse semper cōtrarias, quā q in solidis partibus sunt, affirmat: nam si plenitudo absolute uasis, cōtenta, quā propriè plenitudinē nomināt, in tota corporis habitudine sit, eam exinanire statim non erit difficile: atq; ita æger oī incommodo liberabitur. at si uitiosus quidam succus, aut corruptela insit, tunc abunde facta inanitione curari æger nullo pacto pōt. atq; hæc ita fieri conspicimus: siquidē pleriq; cū se grauari, partesq; tēdi sentirēt, facta uenæ sectione, statim sunt incōmodis liberati: alij uel totū mensem corruptelæ noxā passi sunt, cū neq; uitiatū sanguinē confestim euacuare, neq; aliū probū reponere possemus: est. n. natura cōparatum, ut ex cibis probe in corpore animatis confectis probus sanguis gignatur: at dū cibos accōmodatos offerimus, periculū est, ne probus sanguis cū prauo, qui prius inerat, corrūpatur. proindeq; non omnē putant curari corruptelā posse: sed eā tantum, quæ in corpore adhuc ualido est, uiresq; robustæ sunt: eā uero, in qua totus sanguis æruginosus sit effe-
B ctus, aut in qua oblatū alimentū simul corrūpitur, non itē: sed potius ubi ab hoc contemperari ille queat. sed nec etiam ubi ea plenitudo sit, quæ ad uires refertur, curari quamprimū æger poterit, cū interdū uires una cū euacuatione dissoluantur: de qua etiam affectione in libris de ratione curādi locuti sumus. ex quo fit, ut raro sis hominē inanitione statim sanaturus. hoc tamē quandoq; usu ueniet, ut & apparet, & ueritatē rationis experientia euidenter ostēdit: quod quidā ab euacuationibus statim omni molestia liberantur. sed eorū affectiones neque medici omnes norūt, neq; si norint, statim ēt dignoscere eas possunt, in primis uero ij nugatores, quorum omniū, si uerū dicendum est, Iulianus est longe princeps, qui cum in arte exercenda nunquam uersatus sit, tamen ex ijs, quæ ipse nouit, audax efficitur. quanquā nos persæpe in ipsis artis operibus ostendimus, utriusque plenitudinis inanitione hominē statim esse sanatū: dico autem utranq; plenitudinem, & quæ ad spatia uasorū pertinet, quam πληθώραν uocant, & quæ ad uires refertur, cum eæ cum euacuatione non dissoluuntur. hæc autem ubi quispiam unà cū peritis in ipsis ægrotis incipiat animaduertere, is medici fungi munere perdiscet.

*Refutatur Thessali, Iulianique sententia de humoribus, quos a purgantibus medicamentis trahi illi negabant.* *Cap.* 8.

C Sed uideamus, quæ deinceps dicuntur, cum Iulianus peruulgatam illam Asclepiadis rationem tractat, qua singulos humores non trahi a purgātibus medicamentis, sed gigni affirmatur. hac nos de re ad finem eius libri, qui est de elementis ex Hippocratis sententia, pauca quædam diximus: ut in primo quoque de facultatibus naturalibus: deinde uero, amicis id a me petentibus, totum unum librū, cuius index est, de purgantium medicamentorum facultate, conscripsimus. quare, qui totam hanc rem scire
" cupit, inde eo se conferat. nunc uero Thessali dicta refellam, eaque suismet uerbis adscribam: Athletā
" inquit, quem uolent, accipiamus, bono habitu præditum, quique in naturali statu sit cōstitutus. huic, cu-
" ius in corpore bonam esse materiam, firmamque statuimus, purgans medicamentum damus: ostendi-
" musq; ea, quæ excernuntur, ualde corrupta esse: tum concludimus, cum nemo repugnare ijs, quæ dicun
" tur, queat, quoniā quæ nunc excernuntur, acerrima simul, corruptaq; sunt, prius tamē quàm medicamē
" tū daretur, huiusmodi in athleta nō erāt, cum is bono habitu esset: nihil aliud nobis relinqui, quod dica
" mus, quàm utraq; hæc a medicamēto effici. ut primū materia in corruptelam ab eo uertatur, deinde etiā excernatur, idq; siue per uomitum, siue per aluū, fiat excretio. hęc Thessali uerba sunt. uos autē a me priuatim audiuistis, si omnes humores in homine boni habitus purgentur, non magis indicare, eos nunc gigni: quàm etiam prius in eodem fuisse. quare ille hæc frustra protulit, cum neutram sectam nec euertat, nec confirmet necessario. si autem aliquid dederit, quod aluum subducat, non iam tamen hoc illis
D medicamentosum est. neque uero more impudentis Thersitæ dicere debuit, damus, ostendimusque: cū neque ipse dederit, neque unquam ostenderit: neque alium, qui dederit, ostenderit ne, conspexerit. nos uero non ij sumus, qui, quæ non facimus, aut dicere, aut scribere audeamus: sed ostēsa prius operibus ipsis ueritate, tum demum ipsorum artem exponimus quod etiam ex ijs, qui de Thessali grege sunt, licet audire; quot ego ex ijs, qui aqua intercutem tenentur, dato medicamēto, quod aquam duceret, uentrē quamprimum ad æquabilitatem perduxerim: quot item arquatos, dato bilem ducente medicamento, pristina sanitate donarim. sed neq; hæc, neq; quid tale Iulianus unquam uidit. athletis inquit, purgans medicamentum exhibeo, itaq; ostendo. profecto consequens est, ut qui tā insigniter stupidus est, athletas bono habitu præditos purget, hydropas uero nō itē, nec eos, quos atra bilis male habet, nec eum, quem morbus, qui elephas dicitur, nec quē cācer obsidet: nec quē phagedæna, aut ignis sacer, aut alius quiuis ex uitioso succo genitus morbus opprimit. quare satis iā de huius hominis nugis dictum sit: nā siquis omnia, quæ Iulianus dignus est audire, aggrediatur in eum dicere, is non unum, aut duos, sed quā plurimos conficiat libros oportebit. uerum aliquid etiam ex ijs, quæ mox subiungit, audiamus: ita au-
" tem fere scribit: Iam aliud, & id quidem firmissimum afferam. quod cum inspexissent, resipiscere eos
" magis oportebat: neque omnino atra bile agitari. cum inquam subesse bilem arbitramur, medica-
" mentum, quod pituitam trahit, damus, & bilis, non autem pituita excernitur. cum uero pitui-

eam exuperare suspicamur, tum quod pituitam uacuet, damus, nec iam pituita, sed bilis utro- E »
bique excernitur: hydropicis uero aquam ducens medicamentum offerimus, nec tamen quod »
exit, esse aquam apparet. idque contra opinionem omnium, cum in hydropicis contineri a- »
quam plane constet: par.n. esset, ut a medicamento quod pituitæ ducendæ est, pituita: ab eo uero, quod »
bilem ducit, bilis excerneretur. hæc est illius oratio. par autem est in primis eum admirari, cum ini- »
tio dicit, non oportuisse, atra bili omnino agitari: atra enim bili nos, qui Hippocratem lauda-
mus, uexari ait: at hi sales illis potius conueniebant, quibus melancholicos ab atra bile uexari pla-
cet. Iulianus autem Aesopico asello est quàm simillimus. is cum melitensem quendam catulum Ari
stosito domino accubantem conspexisset, atq; ẽt circa ipsum saltitantẽ, lasciuientẽq;, ac caudã subinde
mouentẽ, & gannitu uocis iucundum in modum adulantem, quam ob rem cõuiuæ omnes oblectaban-
tur, ipsumq; osculabantur; nulla interposita mora in mensam ipse quoq; insiliens rudere cœpit, & circa
ipsum dominũ caudam subinde mouere. huic nõ absimilis Iulianus est, qui per iocũ in nos dicta dicit,
melancholiamque obijcit, quam ab atra bile excitari testatur. Sed permitte nobis, ut atram bilem ti-
bi obijciamus, qui cum arte etiam minus, quam pueri medicorum ualeas, Hippocratis artem damnas.
ecquæ est hac maior melancholia? ecquæ apertior inscitia? ecquæ petulantior audacia? his nos ioco-
sis dictis Iuliane incessis, eaque indoctis sermonibus inuoluis, ut quàm absurda sint, ne puerum quidẽ F
latere posse uideantur: cum enim Hippocrates dixerit, nullam neque ætatem, neque anni tempus, neq;
aliud omnino tẽpus inueniri posse, in quo aliquis humor ex nostro corpore totus aboleatur, quos sem-
per esse in nobis statuit, ut sanguinem, ut pituitam, ut utranque bilem, eosq; omnes perpetuo esse uult,
augeri uero in alia corporis temperatura, natura, ætate, tempore, regione, atq; morbo: eius refellere sen
tentiam te putas, si bilioso medicamentum, quod bilem ducat, dederis, pituitaque, & non bilis euacue-
tur? Sed age, hoc ita fieri nobis quoque uideatur: nempe medicamentum non semper familiarem sibi
humorem trahere: num igitur propterea decretum Hippocratis falsum esse perspicuo uidebitur? nam
si unumquodq; purgans medicamentum humores omnes æqualiter trahit, atq; in unam formam per-
mutat, prout ipsorum natura fert, profecto nulla erit inter uenæ sectionem, & purgationem differentia.
at si ita res est, in promptu erit, ope experientię de ipso decreto ferre sententiam: ut duobus hominibus
aqua inter cutem laborantibus propositis, quorum par magnitudo sit æqualis corporis habitus, atque
ætas, alteri purgans aliquod medicamentum detur, quod aquã ducat, alteri uena secetur: tum uideatur,
utri id profuerit, & utri nocuerit: par enim esset, ut in utroq; par euacuationis modus fieret; ut inquam,
tot sanguinis heminæ effunderentur, quot aquæ, ut isti arbitrantur, a purgante medicamento sint eua-
cuatæ. demus autem hoc quoque illis, ut in altero, qui expurgatur, quindecim, uerbi gratia, aquæ hemi G
nas detrahamus, in altero, cui secta uena sit, duas tantum: ac deinde uideamus, uter eorum iugulatus sit
(quid quæso aliud de hydrope, cui missus sanguis sit, possis dicere?) uter maxime sit adiutus. heus bone
uir, quid ais? num pari, similiq; modo nos sententiam tuam refellimus, quo tu pauloante utebare? bilem
educens inquit, medicamentum alicui hydropi detur. euacuabit quidem hoc etiam, o bone uir, bilem,
sed perpaucam, nec cum ulla utilitate. detur etiam bilioso medicamentum, quod aquosam materiem
euocet, hoc ducet quidem aquosam materiam, sed paucam, & cum damno. contra uero, ei, qui ascite
laborat, aquam ducens medicamentum propinetur, arquato uero quod bilem ducat, certe uterque &
multum, & magna cum utilitate euacuabitur. quæ si Iulianus ab ullo medico literarũ monimentis con
signata non uidit, eius ego diligentiam admiror. sin, cum uiderit, ausus est, ea literis mandare, quæ scri-
pta reliquit, eius ingenij acumen admirari conuenit: ego enim eorum, qui hæc audierunt, offendi aures
puto. at Iulianus, cum de his scripsit, insanire nos putauit. Sed reuocet iam in memoriam eos philoso-
phos, quos laudibus extulit, nobisq; respondeat, a quonam ipsorum hanc demõstrationis rationẽ, qua
uti uidetur, didicerit. Si enim inquit, est medicamento bilem educenti natura cõparatum, ut animantis
bilem, expurget, non gignat, profecto in pituitosis bilem non euacuaret. mirabiliter sane nouit, quid cõ
sequatur. o eximiam huius sophistæ dialecticen. quid unquã tam acute Chrysippus, aut Aristoteles, aut H
Plato enunciauit? qui, si esset eis hoc propositũ ad considerandũ, nullam penitus in corpore bilem con
tineri, id prorsus sequi affirmassent, nullã omnino a medicamentis bilem ducentibus euacuari. cũ uero
parum contineretur, parũ quoq; ab eis trahi: ut si multũ eius in esset, multum quoq; eius educi. Iulianus
aũt nouæ dialectices Sophista censet, cum parum bilis in animante sit eius nihil penitus a medicamẽtis
bili ducendæ idoneis euocari: tum nos ait insanire, quippe qui hydropicis aquã ciens medicamentũ de
mus: se uero prudentẽ esse, ex cuius sententia cõsequatur, sanguinem esse illis detrahendum. Simillimũ »
autem his eius uerbis est, quod deinceps subiungit, cũ ait, Et quod magna ex parte uicissim intenditur, » *
ac remittitur. sanitatem quidem assimilans ei, quod ad nostri cõparationem in omni continuitate non »
sæpe, sed raro apparet. quibus uerbis Iulianus eorum reijcit sentẽtiam, qui oẽs affectus e corpore oriri
putant, contentionibus, ac remissionibus in testimonium adductis, ratus sibi cum methodicis hac de re
cõuenire, a ueteris aũt magistri decretis dissentire: cũ tamen hoc sit contrariũ maxime: nã affectiones,
quæ in solidis animãtis partibus excitantur, fixæ, stabilesq; sunt: humores uero præterquã quod in alias
animalis partes fluunt, cõsentaneum est, ut sæpe ẽt attenuati in halitum digerantur, & per meatus quos
dam sensiles excernantur: nonnunquã uero ab ea natura, quę animal gubernat, cõcocti, meliores reddã
tur: nonnunquã a febris calore immutati, deteriores euadant: & quidã ab hoc calore digerantur, quidam
uero

A uero corũ probis admisti alimentis meliores fiant:nónulli aũt a uitiosis secum fluentibus simul corrumpantur:siue ea prius,quàm ingerantur,praua sint,siue nondum a uentriculo probe concocta.

### *Desiderantur quædam.*

Quæ uero ex putribus humoribus accenduntur,nihil mirabile est, cum illi in spatijs collecti putrescunt,& euacuantur,ut ortus,& declinationes habeant. uerum hoc illos dicere,ferat fortasse quispiã: at quod deinceps Iulianus scribit,non iam cum alijs commune,sed sui ipsius proprium,nunc tibi exponam. mihi autem præstare uidetur,totam eius orationem,licet longior sit,hic adscribere: est autem fe
“ re huiusmodi: Quod autem percipi nullo modo potest,ut in plenitudinem, aut corruptelam,quodcun
“ que in præsenti quis statuat,efficiens morbi causa referatur,quis quæso est,qui accuratissime id digno-
“ scat? cum enim affectus per totum corpus permeet,necesse est,ut omnia in omnibus & partibus & par
“ ticulis redundare fateamur:cum continentem causam cum effectu protendi oporteat: totum enim per
“ uadunt affectus ipsi,quales febres sunt,& alij quamplurimi,in quibus in toto inesse plenitudinem opor
“ tet:& alijs quidem copiosiorem,cum morbus etiam maior fuerit:ut sic etiam liceat dicere. Si uero
B * * * humoris plenitudo repugnans. atqui negat Iulianus,morborum,qui uniuersum corpus occupant,continentem causam uno in loco esse. Sed si quis statuat in bubone causam continentem esse fluxionem,quæ febris causa est,ea oratio in tantam dubitationem adducetur, ut bubone dissoluto non possit illa nec permanere,nec sedari:quia si illa permaneat, dissolui febrem necesse est: si soluatur,bubo continentem ipsius causam habeat,oporteat. atque hoc modo potest huius admirabilis patroni ratio subuerti,qui causam morbi,qui uniuersum corpus occupet, unico in loco consistere posse negat:cum tamen nullam aliam continentis causæ notionem possit afferre,quam quod ab ea aliquid fiat,& cum ea cesset. nisi hoc etiam loco,ut alias fecit,se repente Stoicum esse profiteatur. quod si faciet,non modo morbi,sed etiam sanitatis ipsius quandam causam afferet:ac quod minime uult,aliquam morbum calidum esse,& item frigidum,& humidum,& siccum fateri cogetur. ne igitur has nugas effutiat:neque more stupidorum alia aliàs excogitet:cum interim Stoicos laudibus effert, interim uero eorum decreta subuertit.

C

## *GALENI EXPLANATIO LINGVARVM,*

## QVIBVS HIPPOCRATES VSVS EST:

### *Ioanne Baptista Rasario, Nouarien. Medico, interprete.*

CVPIENTI tibi,mi Teuthra,linguas,quibus Hippocrates usus est, quambreuissime fieri posset,a nobis explanari,cum studijs tuis cumulate morem gerere pulcherrimum putemus,prompto animo paruimus. ordo autem orationis nostræ,ut mandatum tuum est,ab ordine literarum,a quibus ipsæ linguæ incipiunt,proficiscetur: prius tamen,quid inter totius Hippocraticæ orationis,& solarum linguarum explicationem intersit,distinguemus. quæcunq; igitur nomina priscis erant temporibus usitata,nunc autem non sunt,ea linguas uocát: nosq; ad eas explanandas aggredimur. cetera uero omnia,ad quæ non minore diligentia opus est,in usu tamen sunt,præstiterit in ipsorum librorum explanationibus considerare,
D atq; perspicere:nam & quid iudicium sit,& quid diuinum,& quid integre,& quis bonus in summo habitus,& omnia,quæ sunt huius generis,longissimam ad explanandum orationem exposcunt:nihilo tamen minus sunt usitata,quàm uita,& breuis,& ars,& longa,& occasio,& uolucris: quanquã harum ẽt uocum nonnullæ expositionem quandam postulant. quam ob rem mihi subit admirari eos,qui omnia Hippocratis uerba se explanaturos profitentur,si quidem se plura prætermittere,quàm docere, non intelligunt. ac Dioscorides quidem,non Herophilius ille,cognomẽto Phocas qui dicebatur,sed iunior quidam patrum nostrorum memoria,multis conscriptis uoluminibus non modo dimidiam,sed ne tertiam quidem,aut quartam uerborum Hippocratis partem explanauit. ad cetera autem,quæ ab illo in toto opere peccantur,hæc etiam duo præterea accedunt,& quod apertissimorum nominum,ad quorũ intelligentiam non modo multa,sed ne minima quidẽ explanatione opus est,meminit: & quod id persæpe facit. Sed hæc nos contẽpsimus,atq; ẽt omisimus formã cuiusq; stirpis,herbæ, rerũ metallicarum, itẽq, piscium,& omniũ animantium,de quibus frequens apud Hippocratẽ mentio est, exponere: quæ omnia Dioscoridẽ,quo de agitur,nõ pudet ex libris Nigri,Pãphili,& Dioscoridis Anazarbęi,atq; ante hos,Crateuæ,Theophrasti,& Heraclidę Tarentini,& aliorũ quãplurimorũ describere. idẽ quoq; clarissimarũ urbiũ,& notissimorũ astrorũ nõia,quæ ne puerũ quidẽ latere possent,declarat:quibus in rebus exponẽdis nõ hic solus,sed ẽt alij pleriq; delinquunt:quę oĩa si quis abscindat,is linguas solas explanabit

ut

ut fecit Herophilus, ac Bacchius, cui Aristarchus grammaticus, ut aiunt, magnam exemplorum uim B congessit. nos autem, ut tu non ignoras, plura etiam, quàm illi, collegimus, eaq; nostris in commentarijs habentur. quæ fortasse & ipsa, si tibi id cordi erit, fuse & late tibi exponemus. nunc uero, cum id de quo factum iudicium est, ac longis illis commentarijs demonstratum, tibi per capita tradi a me peteres, hunc librum confeci, quo non solum nomina, quæ ab antiquis usurpata, nūc obsoleuerunt, sed et quæ Hippocrates ipse suo quodam modo sibi fecit, aut a consuetudine transtulit, aut figuram aliam accommodauit, aut significationem mutauit, continentur. Veteres autem multa sibi uerba construxisse, satis est ab Eratosthene in libris de uetere comœdia demonstratum. sed ego quoq; tibi idem breuiter exemplis possum ostendere: cum pauci, quidnam lingua sit, & quid linguæ simile ab aliquo ex ueteribus factum, discernere euidentius possint. existimo autem Aristophanis exempla ex Detaleis tibi satis fore, quæ fere sunt huiusmodi: Ad hæc tu Homere dicito, quanam lingua uocant κόρυμβα? in ea enim comœdia senex quidam e Detaleis procaci filio proponit, primum quid κόρυμβα sit, ut explicet: deinde quid uocent, ἀμενηνὰ κάρηνα: ille autem uicissim proponit eam, quæ in tabulis Solonis est ad causas differentes linguam, hoc fere modo: tuus autem, meus uero hic frater dicat, quid uocent, ἰδυῖοι·tum proponit, quid sit εὖ ποιεῖν. ex quibus perspicuum est, linguam esse antiquum nomen, quod e consuetudine excidit. existimasse autem unumquenque eorum, qui in studijs dicendi, uersabantur, sibi licere F noua nomina facere, satis indicat Antipho, qui, quomodo ea facienda sint, docet. declarat etiam is ipse Aristophanes in eadem fabula, cum ait, ἀλιε, ῥήλη, καὶ μῦρον, καὶ ταινίαι. tum senex irridens, iam hoc inquit, τυρέλη, a Lysistrato est. præterea uero cum idem proteruus filius dixisset, a nobis fortasse progressu temporis non perterrebere: tum senex filij dictum irridens, hoc inquit, perterrebere, est ab oratoribus sumptum. cumq; ille rursum dixisset, quo tandem tibi hæc uerba euadent: tum senex hoc etiam uerbum euadent, carpens, ab Alcibiade sumptum subiunxit. rursus uero cum filius finem dicendi non faceret, neque senem reuereri uideretur, quid inquit, coniectas? etiam malos uiros diceres, qui καλοκαγαθίαν exercent. tum senex: o Trasymache quis horum patronorum te liberabit? planum igitur, tibi ex his factum esse arbitror, ut dicebam, esse modum linguarum, uel cum nomen, quod omnibus cōmune fuit, ab usu, cuius maior uis est, deflexit: uel cum ab aliquo ueterum factum est, nec in consuetudinem omnino receptum. ita igitur etiam Hippocrates ex nominibus, quæ in usu non sunt, quædam assumit: quædam ipse construit, quædam in alium sensum trahit: quæ singula una cum linguis a nobis exponi par est, cum a nostra consuetudine excidisse uideantur. eodemque modo si cuius etiam stirpis, aut animalis, aut urbis nomen admodum obscurum sit, id quoque tibi inter linguas interpretabimur: & illud omnino spectabimus, ut hic liber non tibi solum, sed etiam omnibus ijs, qui uel primas literas G attigerunt, commodo atque adiumento sit. Si uero quispiam nesciat, quid sit ἀνηρίστημαι, & ἀνὰ χρόνον, & ἄμμον, & ἀμφίθυμα, & cetera, quæ sunt generis eiusdem, eum ad Dioscoridem, & alios consimiles, utpote qui hæc docere non indignum arbitrentur, remittemus. cum igitur sit aperte distinctum, quid lingua, quid uox usitata sit; additumque, nos ita opinari, quod est a nobis iudicatum, alijsque in libris demonstratum, id solum tibi sine ulla demonstratione esse conscribendum; iam ad ipsarum linguarū explicationem aggrediemur: easque non modo ex ueris Hippocratis libris, sed etiam ex ijs, quæ sub illius nomine circunferuntur, deligemus. ceterum permultas linguas a Bacchio prætermissas, hic adscriptas esse, nullamque a nobis esse præteritam, ipse liber indicabit: sicut illud quoque, prout orationis usus exposcit, interdum locutionem a nobis exponi, ex qua linguam interpretamur: in plurimis autem id nos silentio transire, cum sine interpretatione ipsam explanationē apertam fore speramus.

## *Verborum ab A incipientium explicatio.*

ἀγκυλωτὸν, quod ansulam habet. de curru autem dictum est.

ἀγκυρομήλη, specillum, quod hamum habet.

ἄγλιθες, capitis allij pars.

ἀγρία κολοκύνθη, agrestis cucurbita, quę colocynthis dicitur, ut Crateuas, Dioscorides, & Pāphilus.

ἄγροφον, montanum.

ἄγυια, infirma, quasi quæ membra non habeant.

ἀγχόμενος, qui strangulatur.

ἀδάξασθαι, morderi adiuncto pruritu.

ἀδευκέως, sine diligentia.

ἄετωμα, culmen in sublime erectum, instar triāguli.

ἀπίλυγεται, remittitur. dissoluitur.

ἀθὴρ, pars tuberculi, quod in palpebra oculi natum, hordeum dicitur, acuta est, ut in secundo de morbis minore: & acumen eius partis, quæ in cuspide sagittæ barba dicitur, ut in v. de mor H bis uulgar.

ἀθώρηκτος, qui non est ebrius.

ἀἰγλὶν est in oculis albicans cicatrix, ut in maiore de prædictione: & candicantes humores congelati, ut in Coacis prædictionibus habetur.

αἰγόκερας, quod & βούκερας, & τῆλις, hoc est fœnum græcum est.

αἰγύπτιον ἔλαιον, oleum ægyptium, quod illi cicinum, ueteres ex ricino ricininum appellant.

αἰγύπτιον ἔλαιον λευκὸν, Aegyptium oleum albū, quod ex lilijs conficitur, & liliaceum, ac susinum dictum est.

αἰγύπτιον μύρον λευκὸν, ægyptium unguentum album, quod etiam mendesium dicitur. fitque ex lilijs & aromatibus. proinde unguentum, non oleū appellatur.

A appellatur. idem quoque liliaceum, & susinum unguentum nuncupant.

αἰγύπτιον μύρον, ægyptium unguentum, quod ex flore ægyptiæ spinæ, quod metopium quoque uocatum est, conficitur.

αἰγυπτίην στυπτηρίαν, alumen ægyptium, quod & scissile, & triscissile uocamus.

αἰεὶ significat aliquādo, apud Hippocratem etiam donec, itemq; apud alios ueteres complures.

αἰθάλη, idem, quod fuligo.

αἰθιοπικὸν, subaudi cuminum.

αἰθόλικες, circuli in summa cute, similes circulis rubentibus, quos ignis excitat: ab αἴθειν, quod est urere. & αἰθολικώδεα, id est, his circulis similia, quæ pleriq; uibices uocant.

B αἱματοφλεβοστάσιες. sic enim est a Dioscoride scriptum, qui pro compressionibus supertumescentis sanguinis putat intelligi. nam & alibi dicit, in inflammatis sanguinis effusionibus retentio opportuna est. pleriq; tamen scribunt αἱματοφλεβοστάσιες, & uenas in tumorem elatas sanguinis plenas significari arbitrantur.

αἱμοκέρχνα, quæ cum sanguis effluit, asperitatem inducunt. est autem morsus quidam subasper in aspera arteria iritans.

αἰνεάτης, ab Aenea ciuitate Thraciæ, quem interdū αἰνετικὸν nominat.

αἰόλλεσθαι, significat quasi uagari, & errare.

αἰὼν, æuum.

ἀκαλήφη, urtica.

C ἀκεστὰ, quæ curationem admittunt: siquidem ἄκη medicamenta sunt.

ἀκήρατος, non caducus.

ἀκὶς, ferrum sagittæ.

ἀκόνιον, in ijs quæ libro de ratiōe uictus addita sunt, sic mortarium uocauit. idē legitur apud Theophrastum octauo de stirpibus.

ἄκνυσα, repleta.

ἀκρέα, carnis expertia.

ἀκρέσπερον, summa uespera, hoc est prima, incipienteque.

ἄκρατον, impermistum. nam ita appellant quicquid cum altero mistum non est, & synceram naturam suam seruat.

ἀκρατοχόλοι, qui puram bilem contrahunt.

D ἄκρατον πέλαγος. uelut infinitum spatium, dictum est autem in libro de septimanis de eo, quod est extra mundum uel infinito, uel uacuo, quod nō potest cogitatione comprehendi.

ἀκρόπλοα, superne, & tanquam in summo nauigantia. ita quoq; ἀκρόπλοοι qui in summo nauigant.

ἀκροσανής, lingua dicitur, in septimo de morbis uulgaribus tanquam suas ultimas partes non efficiens, hoc est inarticulata, propterea quod ægre mouetur.

ἀκροσαπὲς, in superficie mutatum, ac quasi putre.

ἀκρόψιλον, in summo glabrum, hoc est nudum.

ἀλαία φθίσις, corruptio, quæ sensum effugit. sic enim habetur in libro de locis in homine, tanquam oculis capta, quæ oculorum effugit obtutum.

ἀλάπτης, idest, qui est ex Alapta, quæ Thraciæ oppidum est.

ἀλάστορες, homines, qui iniqua admittunt, & dij uindices, qui pœnas de eis sumunt.

ἀλγήματα, sæpe de ipso morbo dicuntur, & τὸ ἀλγεῖν est ægrotare, & aliquid pati, & alia, quæ ab ipso deducuntur.

ἀλεάζειν, calfacere.

ἀλίζον ὕδωρ, aqua conferto imbre collecta.

ἀλέον, collectum, confertum.

ἀλεξητήρια, remedia, & præsidia, quæ malis propulsandis admouentur. ἀλέξασθαι enim est auxiliari.

ἀλίσωσι, congregant.

ἄλειφα, oleum, uel adeps.

ἀλέες, confertim.

ἀλεότητα, congregationem.

ἀλιταίνωσι, decipiant. dictum est etiam de errore.

ἀλθεῖν, sanare.

ἄλθεξις, sanatio.

ἀλθίσκειν, sanare.

ἄλκαρ, remedium.

ἀλλογνοῶν, delirans, & tanquam alia cognoscens, quàm quæ sunt. in eandem sententiam ab eo ἀλλοφρονέοντας dictum est.

ἀλλοιοτροποῦται, uario modo uertitur.

ἀλλόκοτον, obscurum, & ignotum.

ἀλλοφάσσοντες, delirantes, desipientes.

ἀλαοὶ, cæci, quod etiam ἀλαὸς cæcum significat.

ἁλικὸν, salsum.

ἀκρατόχολον, sic uocant eum, quem & ἀκρόχολον .i. qui bilem puram coaceruat.

ἀλύζει, fluctuat. iactatur. sic etiam ἀλύξει in futuro tempore.

ἀλυσμὸν, fluctuationem quandam, & hæsitationem, & commotionem nominant. idem ἀλύκη est.

ἄλφιτα non modo sic dicuntur farinæ ex hordeo, sed etiam in primo de morbis mulierum. ἄλφιτα πυρινά, hoc est triticeæ farinæ uocantur: & in secundo de morbis maiore, lentium quoque, & erui fricti. appellant igitur ἄλφιτα omnis moliti grani fragmentum, quod mediocri sit magnitudine. maiora enim κρίμνα, idest, crassiores farinæ: minora uero ἄλφιτα, hoc est tenuiores farinæ appellantur.

ἄλφιτα προκώνια, quæ ante coni erectionem fiūt, hoc est ex recentibus & teneris hordeis. nam & hodie in areis conus quidam erigitur, præsertim locis pluuijs: estq; lignum rectum, circa quod fructus in coni formam componuntur.

ἀμαλδύνεται, hoc uti solet, pro offuscatur fere, & obscuratur. ut in 11. de morbis mulierum, oculi offuscantur.

ἀμαλῶς, molliter. ualet idem quod modice: vt In lib. de purulentis: hoc autem inquit ἀμαλῶς uitant. & facile, ut in primo de morbis maiore: & oculis inquit, non facile cernebat. & in 11. maiore, cibos non facile capit.

ἀμαμηλίδες, mespili genus, magnus eius ī Italia prouentus nascitur, ut ait Dioscor. quidam esse poma parua siluestria dicunt.

ἄμβων, eminentia, supercilij speciem referens.

ἀμβλωσμὸς, abortus, ἀμβλυωπία hebetudo uisus est: ut

ut in maiote de prædictione.
ἀμβλυωπέστερα, obtusius cernētia, hoc est obscurius.
ἀμείβων, qui aufert, & accipit.
ἀμενηνόν, imbecillum.
ἀμῇ, quodam modo, quadam ex parte, modice.
ἀμύξας, qui collisit, & dilaniauit.
ἀμωλῆ, ita est in libro de chirurgicis, Dioscorides scribit; modico compressu declinent ad augendas, & conformandas carnes. alij legunt, ἁμαλῆ. Dioscorides autem uult, ἀμωλῆ esse mediocria: nullum tamen testimonium subiungit.
ἀμυσί, totum simul. ne labia quidem claudendo.
ἀμφιβραγχίων, locorum circa tonsillas, quibus est hoc nomen impositum.
ἀμφίδιον, rotunda oris uuluæ extremitas, labris cucurbitulæ similis, per translationem a mulierum mammillis uocata, quæ ἀμφίδια ipsæ quoq; nominantur ab eo, quod est in orbem comprehendere, & tanquam circumligare.
ἀμφιδέξιος, ambidexter. i. utraque manu, ut dextra, utens. sic etiam apud poetam περιδέξιος. sic Hipponax aiebat, Ambidexter enim sum, & non erro. quidam ἀμφιδέξιον perperam accipiunt eā, quæ in dextris uuluæ partibus concepit.
ἀμφιμήτριον σημεῖον, uocauit in secundo de morbis uulgaribus signum, quod affectiones uuluæ indicet.
ἀμῶς, quodam modo. quadā ex parte. mediocriter.
ἀναγνῶναι, mutare sententiam, ut uetera dediscas, noua addiscas.
ἀνάκαρ, in partem superiorem, ut ἐπίκαρ in inferiorē ex montibus partem.
ἀναπάλλουσιν, resiliunt.
ἀνακῶς, caute.
ἀνακωχή, intermissio, dilatio.
ἀναλδές, quod non nutritur, quod non augetur.
ἀνάλμυροι, insulsi, & non salsi. Dioscor. sic. sed multi per diuisionem legunt.
ἄναλτον, sine salibus, insulsum.
ἀναπλάξιες, iniunctiones.
ἀνατρῆσαι, perforare, ac forare.
ἀνάρρινον, quod retrouersum per nares it. quidam diuidunt, ἀνὰ ῥινῶν, ut per cutim significet.
ἄναυδος, qui differere nequit: ἄφωνος uero qui uocem mittere omnino nequit. hæc deinceps de Pythione in tertio epidemiatum dicta sunt. tale est illud apud Homerum de equo, cum ait,
Fundere cui diuum dederat regina loquelas.
ἀναφέρειν, quandoque significat subsingultire respirantē, ut ī primo de morbis minore: & ἀναφέρειν, ut pueri dum cubant, flentq;, & spiritum in nares rettahunt. hoc idem est, cum spiritus aliquam in rem impingens, dum foras fertur, retro duplici reuocatione, introque recipitur.
ἀναχαίνεται, suscitatur.
ἀναχλίχεται idem significat.
ἀνδρογένεια, generis successio per uiros. quæ enim per fœminas fit, nullum nomen simile habet.
ἀνεβήξατο, cum tussi expuit.
ἀνειλήματα, tormina, ut στρόφοι.
ἀνειλήσωσιν, conuoluerint, sursum uerterint.

ἀνειρυσθῶσιν, euulsi sint. E
ἀνήωρας, quod in sublime maxime sursum pendet. compositum est ex, eo quod sursum & clarum significat.
ἀνεφυσῶται, inflatur.
ἀνεπλήκτων, inconcussorum.
ἀνεστραμμένα, perturbata. dicitur de urinis.
ἄνεως, mutus, ac mente perculsus.
ἀνήνυος, uacans molestia, & innocuus.
ἀνηλέτῳ, non diducto in minutas partes, sed ex ultimis farinæ partibus crassioribus conflato.
ἄνθεα, flores non modo hos ad coronas aptos, sed etiam ad alia omnia, uocant. ac semina quandoque, ut in secundo de morbis mulierum. & rubores, ut in Coacis. & sputa ἀνθηρὰ rubra & subcruenta in sexto de morbis uulgarib. F
ἀνθινὸν οἶνον, floridum uinum, quod ita uocatur: uel etiam quia grato florum odore præditum sit, ut μικκῶνα.
ἀνθινὸν potionem quandam floribus conditam in secundo de morbis maiore uocauit.
ἀνθινὸν ἔλαιον, liliaceum oleum, aut irinum, quod susinum quoque nominatur.
ἀνθινὸν μύρον, quod susinum & liliaceum unguētum dicitur. differt autem a florido oleo, de quo ante dixi, odoramentorum uarietate.
ἀνίθυντο, sursum direxerunt.
ἀνοργασμένον, quod remollitum est, nam & ὀργάσαι est mollire, & tāquam subactum & emollitum, ut in secundo de morb. maiore.
ἀντικοπτούσης, eius reuerberationis, quæ remo fit, G σκάρμητον etiam dici solet.
ἀντίρρινα, herba, quam βουκράνιον & lychnida agrestem nominant.
ἄορτρον, pars pulmonis, quæ separata ex utraq; parte est, ut in lib. de morbis maiore. eam quandoque ἄορτρον uocat, ut Dioscorides putat. sed hoc non satis apertum est.
ἀπαρτίως, perfecte, & ex toto. Dioscorides uero scribit, hoc uerbum totum contrarium significare, ut in lib. de ratione uictus in acutis, ubi legitur, & plerunque ἀπαρτίως in huiusmodi temporibus ad sorbitiones transeunt. ego uero puto hoc etiam loco significare perfecte, & ex toto. & Attici sic utuntur hoc uerbo, eiusque rei plurima tibi exempla in paruis commentarijs H suppetent.
ἀπεσφήκωντο, in v. de morbis uulga. scribit Dioscorides: & ait hoc uerbo, & hoc ἀπεσφήνωτο significari, cum alij fere omnes legant, ἀπεσφάκωντο, hoc est euenit. nam Diosc. & Artemidorus cognomento Capito multa nomina alijs usitata immutārunt. cum tamen nihil diuersum a uetere lectione significarent. quorum est etiam necesse nobis facere mentionem.
ἀπειλλάσθη, exclusus est. ἴλλειν enim est claudere.
ἀπεχθῆ, exclusus est.
ἀπόγονα, fœcunda. quidam tamen pro infœcundis acceperunt.
ἀποκεκαρπωμένον, quod omni fructu priuatum est.
ἀποκεκριμένοις, disiunctis.

ἀπολ

A ἀποκηδέστερον, negligentius.
ἀποκναίειν, præcipue eſt abradere: ſed ſignificat etiã corrumpere, & extenuare.
ἀπομυλλήνας protendens labra comprimendo.
ἀπονοστήτως, ſine reuerſione.
ἀποπαλλήσιος, expulſionis, unde & expelletur, quandoque expellere ſignificat. ut in primo de morbis mulierum, quandoque etiam expelletur, ut in lib. de natura humana.
ἀπορέγει, porrigit.
ἀπόσβης, extinctus.
ἀποσιτικά, quæ pariunt cibi faſtidium, & inappetentiam.
ἀποσχάσιες ſcarificationes, ut in primo de morbis maiore.
B ἀποσκληρύνει, indurat.
ἀποσπαρθάζουσι, palpitant, uel exiliunt, in ſecundo de morbis.
ἀπόσφαγμα, fæculenta colatura, quod etiam ὑπόσφαγμα uocatur.
ἀπτίστων, integrorum: quæ in integras farinas diſpertita ſunt: imperfecte fracta, parte furfuracea nõ ſecreta.
ἀπυρομήλη, quod acumen habet nullum: hoc eſt auriculario ſpecillo.
ἀρακίδας, triticea legumina minuta. ἄρακος enim legumen eſt.
ἀρβύλαι, calcei alti.
ἄργης, ſerpentis nomen.
ἄρδας, ſordes, & ſpurcitia: & ἀρδαλῶσαι ſpurcare.
C ἄρθμιον, aptum articulis.
ἀρικύμων, quæ cito prægnans redditur.
ἄρον, non ſolum eſt inſtrumentum, ſed etiam herba quædam huius nominis.
ἄρκτος, a ſeptentrione ſpirans, aliqui uero omnino ἀρκτῷον ſcribunt.
ἁρμονίαι, ſuturæ, quæ in capite eſt.
ἀρμοῖ, ilico. dorica uox eſt.
ἀρροίαι, menſtruarum purgationum ſuppreſſiones.
ἀρτίζωα, parum uiuentia.
ἀρτίπεδα, omni ex parte plana.
ἀσκαρίδες, uermes tenues & longi, qui in recto inteſtino gignuntur.
ἀσκούς, ollas fictiles, quas etiam πυριάτους, & φακούς uocant.
D ἀσᾶται, igni corripitur, ut in primo de morbis mulierum, & faſtidioſa ſatietate, ac grauiter afficitur. ut in ſecundo de morbis maiore.
ἀτέραμνα, difficilia ad concoquendum, & dura.
ἄτρακτον, non modo fuſum, quo ad lanificium utimur, ſed etiam lignum ſagittæ ſignificat.
ἀττικὸν ἀγγεῖον, ollam atticam: aliquando etiam echinum ſignificat.
αὐαντή. uel αὐαψή, morbus quidam, qui deſiccat.
αὐτέτης, uinum huius anni. uel anni præſentis.
αὐτόδρομον, quod ſuo motu agitatur, ut in libro de ſeptimanis.
αὔτως, ſtulte.
ἁφαί, uincula. ab eo quod eſt ἅψαι, ideſt, uincire.
ἀφασσόμενα, fricata. & ἀφασσαμένη quæ fricauit, aut contrectauit.

ἀφράζει, delirat. non intelligit.
ἀφρῶντα, ſpumantia. quæ bullæ modo tumeſcunt.
ἀφύει, dealbatur, & tanquam apuæ colorem habet. ἀφυώδεις item uocat, quod apuæ colorẽ imitatur.
ἀχιλληΐδες κριθαί, hordea bene habita, & magna, a quodam Achille, agricola Babronij, ut aiunt, nominata.
ἀψίῤῥοον, quod retro fluit.
ἀψυχεῖ, animus deficit. & ἀψυχίη defectio animi dicitur.

B

βάκχαρις, unguentum, quod in Lydia fit.
βαλβίς, oblonga concauitas.
βαλαῖος, ciuis Valææ urbis Macedoniæ.
βδέλλα, in maiore de prædictione, & ſecundo, ut inſcribunt quidam, Dioſcoridi placet, uaricoſam uenam ſic uocari. mihi autem, de hirudine proprie dici. affui enim olim, cum hoc diceretur, & multis de ijs, quæ fierent, ambigentibus, ego ſolus ex ſcripto progrediẽs ueritatem agnoui.
βεκίοις, ouibus.
βησσικαὶ ex urbe Thraciæ Beſſis.
βλακεύειν, paruifacere.
βλιθεραί, humidæ, mucoſæ.
βληχρὸν, eſt legumen, quod etiam βλήχρον legitur.
βοάνθεμον, bubulus oculus. quod chryſanthemon quoque dicitur.
βολβίον, quale ſit, Hipp. ait in lib. de morbis mulierum. proinde quidam bulbi nomine narciſſum ſignificari, male ſunt arbitrati.
βολβιτία, quæ a pleriſque βολβίδια uocantur, paruorum polypodum eſt genus.
βολβιτὸν, ſtercus bubulum.
βομβυλιὸς, poculum, quod os anguſtum habet. uel porio, aut poculum, quod a reſonando nomen duxit.
βοὸς θαλασσίου, bouis marini. hic piſcis eſt cartilaginoſus.
βρυωνίας, cucumer agreſtis.
βούκερας fœnum græcum. Menitheus in medicamentorum appellationibus anagallidem quoq; ſic appellari confirmat.
βουπρήστις, animal cantharidi ſimile. eſt etiam agreſte olus: cuius Dioſc. in primo de tuenda ualetudine, & in libro de oleribus meminit.
βρῶγμα, quod cum tuſſi expuitur, in primo de morbis maiore. & βρήσσειν eſt cum tuſſi expuere. quidam detracta ρ litera hæc ſcribunt.
βρόγχοι, arteriæ cartilagineæ.
βοτράχοι, pro rana dicitur. quidam βατράχοι plane ſcribendum putant.
βρυγμὸς, ſtridor ex dentibus colliſis excitatus. & βρύχειν eſt ſic ſtridere.
βύζην, cumulate, uel confertim.

Γ

γαλιάγκωνες, quorum paruum, & gracile brachium eſt. partes autem circa cubitum, quæ ſunt turgidiores, ut muſtelæ. qui uolunt γαλῆς brachium uocari,

uocari, & hinc impositum esse nomen, forte ui debûtur perperam rem accipere. non.n. γαλιάγκωνας, sed γαλιοβραχίονας ipsos uocari opus erat.

γαμψοὶ, qui curuaturas quasdam habent.

γαυσὸς, curuatus in exteriorem partem.

γιγγλύματα, sunt quæ contrario modo inter se ineunt, ut cardines in foribus.

γῆ σμηκτρίδι terræ Cimoliæ.

γῆ κεραμίτιδι, argillæ.

γῆ χαλκίτιδι, non plus, quàm chalcitis lapis, significat.

γήχυτον, terræ pars exterior, quæ mollis est, & non lapidosa.

γλαμυροὶ, aquosi, & humidi.

γλαυκιάζειν, oculos conniuentes uersare. & γλαυκίδας per similitudinem, dormientis in morem dicebant.

γλυκύρμης σκυτάνης, glycyrrhizæ, aut dulcis radicis, quæ appellatur.

γόγγρωνα, tumorem gulæ ab rotundis eminentijs, quæ in truncis arborum innascuntur: ut est apud Theophrastum in primo de stirpib. nonnullæ autem inquit, habent eos, quos γόγγρους quidam uocant: uel quod pro arboris natura respondeat, ut olea.

γογγύλον, rotundum. & γογγυλίδια parui globuli, & pilulæ.

γριφώμενα, quæ inuoluuntur, nomen a gripho ductum, quod piscatorium rete est.

Δ

δακτύλιος, quo utitur in lib. de sterilibus est circulus, aut rotula.

δαΐδες, magnæ lampades, & ardentes appellantur. per abusum autẽ aliquando significat allij caput. quod ex multis conflatum spicis ita, ut lampades, colligatur.

δίεδρος, pellucidus. in secundo de morbis maiore.

διανίη, idem, quod mœrorem affert. quod & διακναίει dicitur.

διαπεπληγμένα, multum diuaricata circa crurum exortum. nam πλιχὸς intermedium illud uocant, quod inter exortum crurum interiectum est.

διάσμα, corporum compositio tanquam lanis similis.

διαστομωτρίδα, specillum, quo res dilatantur.

διαφλύξιες, effusiones.

διαμυδῶσα, humore perfusa, humectata.

διαμυχθὲν, humore perfusum.

διαμύδοντα, quæ humectant.

διαφρὸς, spumeus,

διὰ χρόνου, per interuallum.

δίδυμον, gemina. est herbæ radix, quæ etiam ὄρχις dicitur.

διηπάτηνται, decepti sunt.

διῆσαι, concutere, in secundo de morbis mulierum transcolare, & diuidere significat.

δίιδρος, humida, & exudans.

δίκλειδος, bipartitus, ut clausa parte inferiore superiacentem reserare queat.

δίκρουν, ueluti biceps, idem quoq; bifidum dicitur. idque δίκρουν significat. B

διόπτης, qui templi curam gerit, quod dispiciat, & curet quæ in eo sunt.

διορρώδεος, mutationis in id, quod serosum, aquosumque fit.

δίτρητον, exiguum foramen eorum, quæ parte inani perforata sunt, & tanquam duplici ore respirant.

δόρπα, cœnæ.

δρυπτὰ, dilaniata.

δυσάνιος, Critias in lib. de amoris natura, uel uirtutum, sic explicat: δυσάνιος est, quicunque paruis de rebus tristitia afficiẽ: de magnis, plus quàm ceteri homines, uel longiore tempore.

δυσήνιος, qui non facile tristitia afficitur. est etiam is, qui frenari ægre potest, aut morosissimus est. E

E

ἐβλημάσθη, molle est redditum.

ἐγγαστρίμυθοι, qui ore clauso loquuntur, quia ex uentre mittere uocem uidentur.

ἐγκάμψει, innixu. & ἐγκεκαμμένοι inflexi, innitentes, & adunci. de unguibus dictum.

ἐγγενὲς congenitum, proprium, ac suum.

ἐγκὰς, in imo.

ἐγχαλινοῦται, frenis uelut obseptus est.

ἐγλευκώμενος, qui subterrestris est. qui non iam est albus. G

ἔγρησις, uigilantia.

εἴρχαται constringunt.

ἔθραυσεν pungebat, ac stimulos admouebat.

ἐκβράσσει, eijcit.

ἔκδεξιν, successionem.

ἐκλεπίσας, qui detraxit librum, aut corticem.

ἐκλύζω est interdum inundetur. ut in lib. de sterilibus & ijs, quæ addita sunt lib. de uulneribus capitis.

ἔκμαγμα significat subactam massam, & crocomagma, ut in libro de sterilib.

ἐκμάξαι, formare, interdum etiam immutare, ut in libro de sterilibus digito formare, idest, tanquã orbiculum fingere. est etiam exprimere, ut in primo de morbis maiore. de spongia, herba mercuriali, & sambuci folijs dictum est. H

ἐκματεῦσαι, perquirere.

ἐκμάσσονται, semen purgant.

ἐκ πλείας ὄμβρος, imber cum sole decidens.

ἐκ πλείας πυρετὸς. febris humida simul & inflammata: ut sol, qui cum iunctus imber sit.

ἔκτυπεν, strepebat, a strepitu deriuatur.

ἐκτύπη, explicata.

ἐκστραγγαλισμένον, detortum.

ἐκρήγμασιν, panni scissuris.

ἐκσυριγγοῦνται patefiunt, uel adaperiuntur.

ἐκτόμου, ellebori atri.

ἐκτροπὴν, mutationem, quæ ad uiscera fiat.

ἐκφλυδάνει, prorumpit, sic etiam effervescit.

ἐκχύμωσις, humorum effusio.

ἔλαιον ῥόδινον, oleum rosaceum, quod non est aromatibus

A matibus conditum.
ἐλατήριον non modo ex syluestri cucumere factum est, sed quicquid per infernas partes purgat, sic dicitur.
ἔλια, agrestia.
ἐλιθερὲς, ut a sole calfactum.
ἐλιθερείσθω, ad solem teneatur.
ἐλινύειν, quiescere, in lib. de morbis uulgarib.
ἐλεσχηνευσάμην, disserui quamplurimum.
ἐλκυστὴρ, instrumento ad infantem ex utero extrahendum comparato.
ἔλυτρα, uelamina.
ἐμβάφιον, acetabulum.
ἔμεαι uomitiones. nomen quo Attici utuntur.
ἔμπλην, prope.
B ἐμπύους μοτοὺς, linamenta concerpta, uel lemniscos.
ἐμυκάθη, conclusit, ut Dioscoridi placet. plerique autem, appēdices habuit humidas, ut & fungi.
ἐμυλάθη, induruit.
ἐμυλίσθη, contabuit.
ἐνθλάσει, confringit.
ἐνθράσσει, pungit urgendo.
ἐξαλείπτης, unctor, qui illinit.
ἐξαλίζοιτο, exinaniretur.
ἐξάρτης, qui bene ualet.
ἐξάραγμα, collisio.
ἐξαρύεται, inaniter, exprimitur. quidam uero, hostilem in modum impetum facit: minatur.
ἐξάρυσις, exhaustio.
ἐξάστιας, quidam lina a summis linteis discissis eminentia, & a pannis uilibus fila. ego uero etiam
C antequam ea scissa sint, extantia similiter appellanda esse existimo.
ἐξητριασμένον, quod per tenuem pannum est colatū. nam ἤτριον est tenuis & agrestis pannus quidā.
ἐξίνει, euacuat.
ἔξυρα, in angustum reducta. eadem μύουρα dicuntur.
ἔπακρα, quæ in angustum desinunt. quæ etiam ἔξυρα uocant.
ἐπαλύνων, spargens adiungitur quoque ad maius.
ἐπικέρας, fœnugræcum. sunt qui aliam herbam sic nominatam uelint.
ἐπικτένιον, pars quæ pubes in mulieribus dicitur. est enim supra pectinem. in stuppa autem aut lino, pectini insidentem puluerem in opere signi
D ficat.
ἐπιμηλίδα, genus mespili esse uult Dioscorides in primo de materia: quod σητάνιον etiam uocatur. quidam aiunt esse mala syluestria parua, quæ & ἀμαμηλίδες nuncupantur.
ἐπιμυλίδα, os, quod uelut conchula quædam genu tegit. patellam uulgus nominat.
ἐπιπωρωθεῖσι, obduratis.
ἐπίσταται, quæ conctatur, cogitabunda est, hæsitat.
ἐπίχνουν, humorem concretum, lanuginosum.
ἐπεξάμεναι, extentæ, in longum exporrectæ.
ἐπίσχον, palmes, ex quo exortum aliquid est, ut ex colocynthide.
ἐπῶδες, fœtens, & ueluti tetrum odorem exhalans.
ἐποξυτέρῃ, aceto multo utens.
ἐρυγάνει, reijcit, repudiat.

ἐρυγὴ, eructatio, reiectio.
ἐρικτὸς, hordea in crassiores partes diducta, ut quibusdam placet. nam & ἐρεγμὸν legumen fresum, ab eo, quod bifariam diuidatur, appellatum uolunt. mihi autem eo, quod omnia, quæ sunt huiusmodi, scinduntur, nomen ductum uidetur. quod non est bifariam diuidere, sed frangere simpliciter. quocirca placēta ex sesamo & melle confecta, quia facile frangitur, ἐρίκιον nominatur.
ἐρὶξ, dicitur etiam de iecore. in plurimis autē scriptum est θρίξ. significatque iecoris partem superiorem, qua eius fibræ inter se diuiduntur.
ἐρυγματώδης, efficiens ructuum. morbus flatu implens.
ἐρυθρὸν στέαρ, adeps sanguine perfusus.
ἐσαφάσσων, ad partem interiorem molliens: ut μαάσθαι hoc est quæratur.
ἐσφηκωμένα, illigata, & constricta.
ἐς χεῖρα, prope.
ἔτνος, lomentum omne ex fracto legumine.
εὐάνθεμον, quod ἄνθεμις dicitur, & chamæmelum.
εὐθηνίην, innatum habitum corporis, sicut interdū annus εὐθηνίης dicitur, qui ubertatē rerum affert.
εὐκάρδιον, stomacho idoneum.
εὐνὴ, non modo lectum, sed concubitum significat. ut in secundo de morbis mulierum, & uehementissime coitu læditur.
εὐοργητοτέρα, magis morata, ὀργαὶ enim mores sunt.
ἔθλιβον, sunt depressi.
ἐχέτρωσις, alba bryonia.
ἕψημα, id σίραιον etiam dicitur, sapa.
ἑψητὸς, genus piscium, ita uocatum.

Z

ζειᾶς, farris.

H

ἠγκίστρωται, est implicitus.
ἠγκιστροβόληνται, intus adhæsit, ut in ancora fieri solet.
ἠδὲ, præterea.
ἠθάρισται, familiaris factus est.
ἡδυωδὴν πίσσαν, picem odoribus conditam. ea autem cum aqua & aromatibus coquitur.
ἡδυωδὲς στέαρ, adeps, qui ex aqua & aromatibus coctus sit: & aromata, ac condimenta.
ἡμίσεον, dimidium.
ἡμιτύβιον, pars crassioris lintei.
ἧσαι, ferire, & ἡσίων ferientium.
ἠοῖας, horas matutinas.
ἠραχνίωται, implicuit tenuibus & paruis uenis, ut aranearum telæ sunt.
ἠρμῶσθαι, esse stabilitum, & innixum, uel aptatum.
ἤθεαι, solitus es.

Θ

θαλπρὸν, calidū, uelut a sole. est enim a θέρεσθαι, quod calfieri significat, deductum.

θέρμιον,

θέρετρον, locus, in quo æstare apte cõmoreris. θέριστρον uero scribunt nonnulli.

θημῶν, aceruus.

θηρίον, lumbricum, & malignum ulcus, in lib. de locis hominis: ideo malignum ulcus corpus obsedit. & cum sanies defluit, putrefacit, ac tume facit. in lib. autem de humoribus eius curationem ante explicarat. alibi uero cum dicit θηρίον, animalia, quæ in intestinis insunt significat, ut lumbricos & ascaridas. vt cum ait, autumnorum τὸ θηριῶδες, ita ab aliquo horum nomen trahit. sic ẽt φλοιῶδες interdum uidetur appellare.

θλάσιν, fœtus infractorẽ, quod etiam πίεστρον appellatur: quo nomine in primo de morbis mulierum usus est.

θλασπίδιον, idest, thlaspis herbæ.

θράνον, sedem utraq; ex parte peruiam.

θολερὸν πνεῦμα, spiritus magnus, atq; impellens.

θράσσεται, pungitur, ac stimulis agitur.

θρὶξ. scribitur etiam τρίξ. pili uocantur a sacerdotibus, cum in simo iecoris in dextra fibra, uenula angusta, nigraque appareat.

θύη, suffitus, & odores.

θύματα, suffimenta.

θυμβραίαν, satureiam.

θύμοι, gens Thraciæ, ex Thymis.

θώρηξις, uinolentia, aut ebrietas.

I

ἰλλοῦται, fit obliquum, in se residet.

ἰθαγενὴς, ingenuum, ut est apud sapientem. sed me æque, atq; ingenuos, honore afficiebat.

ἴχθαρ, prope, more Atticorum. apud Hipp. in secũdo de morbis mulierum, mulieris testiculus appellatur.

ἰλλαίνειν, oculos circumagere, aut distorquere.

ἱπποδιοῦσαι, quæ se uiris miscuerunt.

ἰνδικὸν, qui medicinarum nomina scriptis mandarunt, ut Mnestheus, Andreas Chrysaris, Xenocrates, & Dioscorides Alexandrinus, indicum zinziber sic uocant: falsi, quòd quidam esse piperis radicem arbitrantur. Dioscorid. autem Anazarbeus aperte distinxit, & quid zinziber, quidq; piper sit, definiuit. Diosc. igitur iunior, qui linguas scripsit, esse stirpem ait in India stirpi piperis similem: cuius fructus myrtidanum uocatur, quia sit myrto persimilis.

ἰνοῖ, inanit. ἴνωμος inanitio. & ἰνοῦται inanitur.

ἰξάλη, adultæ capræ pellem.

ἶξιαι, uarices.

ἶξιν, progressum rectum, uel aditum.

ἰξίον, albi chamæleonis folium.

ἰξύας, pars inter coxarum uertebras & lumbum interposita.

ἶπος, potiò in luxati ossis curatione.

ἱππόφεως, non solum lapatium, sed etiam carduus, & stybium dicitur.

ἰσηβῶσαι, adæquantes, quæ mediæ ætatis sunt.

ἰτάλλον, capræ pellem, corium.

ἰσχναὶ, graciles, & ἰσχνὸν gracile.

ἰχθυήματα, squamulæ corticum. E

ἰχθύην, marinæ squatinæ pellem siccam. potest quoque significare unguem ferreum, quo utimur ad infantem immaturum, dum adhuc in utero est, extrahendum: quod ad squamarum piscis similitudinem sic uocatur.

K

Κεδαπτόμενοι, qui uehementer sentiunt.

καθετῆρι, linamento tortili, quod uulneri imponitur. ab eo quod in uulnus mittatur: ut secundo de morbis mulierum, in uulnus tortile linamentum ex linteis confectum immittere.

κακαγγελίη, procacitas, petulantia.

κακοήθεα, maligna. F

κακοστόματα, maxime noxia.

καλλίφυτον, capillus veneris, & adiantum uocatur.

καλλιώνυμος, piscis cuiusdam, cui hoc est nomen.

κάμμορον, est animal paruæ scillæ simile. & aconitũ, quod eius radices sint huic animali similes. neutra tamen significatio conuenit cum ait in lib. de locis hominis inflammatis assumpto cammoro. quam ob rem putat Erotianus non solũ animal, sed etiam muscum illi adhærentem sic nominare. Zeno uero Erophilius cicutam: Zeusis refrigerans medicamentum.

κανόνιαι, qui rectos, prominentesq; uentres habẽt.

καρυκὸν, edulium ex nucibus, cuius cõfectionem in primo libro de ulceribus scriptam reliquit.

καρυκοειδέα, sanguinea. id autem proprie medici uocant. G

καρύκη, edulium Lydium. uarium id est, & ex sanguine confectum.

καρχήσιον, in summo uelo rotulam habens: & extenti in eo funes, καρχήσιοι dicuntur.

καταβλακεύουσι, flocci faciunt.

κατάβλημα, indumentum, quod data opera factum sit ad subiectas partes contegendas.

καταγνύοι, ad summum inutilitatis, aut imbecillitatis redigit.

κατακορία, nimis biliosa excrementa sic nominat, & pectora quæ talem humorem gignunt. quidam hirsuta intellexerunt. sed etiam κατακορέας ἀνθρώπους eodem modo uocat. medicamentum uero κατακορὲς uel ob humorem ab ipso eductum, uel H ob colorem suum dicit. sitim quoq; loco quodam κατακορῆ, quæ nimirum propter talem humorem sit facta uehementior, uel ad summum aucta uocat. itaque κατακορεῖν est dissoluere.

κατακουρὴν, tonsuram nouacula factã. præstat enim, inquit Dioscorides, ita scribere, quàm puellæ tonsuram. atque inde ducitur tondere, & apud Theophrastum tonsa abies pro secta habetur.

καταχρύειν, discindere.

καταλείφειν, illinere.

καταμήσας, qui peruestigandi causa demisit, uox a quærendo deducta, ut etiam qui quæritur.

κατασεσηπῶται, consumitur.

κατάστεμα, confirmatio, & animaduersio in secundo de morbis uulgarib. & καταστῆναι aĩaduertere.

A κατααμβλύοντα, qui remisse sentit. in maiore de prædictione sic accipiendum est.

κατάχλοα, ualde uirentia.

κατειλλόμεναι, colligatæ.

κατενόει, resipiscebat. quasi è somno excitabatur, & expergiscebatur.

κατεπλήξατο, factus est stupidus.

κατηβολαῖς, initijs accessionũ in orbem inuadentib.

κατήρτυτο, efficiebat placidum, ac temperantem.

κατ' ἰητρεῖον, ad chirurgiam spectans.

κατοπτῆρι, instrumento, quod sedem aperiens uocãt: ut etiam dioptra, hoc est spectrum, quo mulierum natura aperitur, & inspicitur.

κατωμοσαδίῳ, subaudi, uici, ut κατωσουσιάδι.

καυλὸς, herbæ radix, quæ silphium proprie uocatur: caulis autem & succus ut aliorum. nam in libro de ratione uictus in morbis acutis ita scriptum

B ab ipso est, uel silphium, uel caulis, uel liquor.

καύσωμα, inflammatione, ut in libro de morbis minore.

καυτῆρι, calamum ex ære factum in imo perforatũ, per quẽ apparens demissum cauteriũ põt urere

κάγχρυος ῥίζαν, radicem thureæ. cũ in numero multitudinis dixit τὰς κάγχρυς, tosta hordea intellige.

κέδματα, diuturnas ex fluxu affectiones uel in omnibus articulis, uel maxime circa coxarum uertebram quod tibi non secus, quam alia quædam, proprie explicauimus.

κεκωμῶσθαι, ueterno occupari.

κερχνῶδες, quod asperitatem gignit. itaq; gutturis asperitas dicitur, & in pulmone strepitus, sicut asperum, asperari, & asperationes quoque indi-

C cantur.

κεφαλοειδὴς, quod caput habet.

κιγκλισμὸς, motio breuis, continuata. a cinclo animali facta uox.

κίδαφον, pe[illegible]

κίον, magna uis bestiolarum triticum comedentiũ: quæ singulæ κίονες nominantur: ut in fine secundi de morbis mulierum legitur.

κιονίθρον, locus in gula sub tonsillis.

κλιμακίου, ligni transuersi in scalis. quidam sine ι κλιμακίῳ scribunt, & altera quædã talis κατὰ κλιμακίῳ.

κλισμὸς, lectum in t 1. de morbis mulierum.

κνημία, quod cruris est.

κνήματα, ramenta, & κνῆσαι radere.

κνῆστρον, instrumentum ad scalpendum accommo-

D datum. idem quod κόλαφον.

κνῆστρῳ, cultello quodam estque is cultellus, quo caseus raditur.

κνιδώσεις, puncturæ quædã, quasi uellicationes: quales urtica herba solet afferre.

κνισσόντα, uellicationem. alij quidam oculorũ ariditatem significari hoc nomine putant.

κνύμα, nomen est ad strepitus imitationem conformatum, sed & leuiter suspitans κνυζώμενος dicitur. & κνυζηθμὸς canum gannitus.

κόγχην κεραμίδα, uas fictile. nihil plus significat, quã κέραμις. hoc est fictile.

κόγχον, hiatulam.

κόκκαλον, complures nucleũ pineæ nucis intelligũt.

Dioscor. Cnidium granum per diminutiuum.

κόκκαλα, granum uulgo appellatum, non Cnidium, quod ẽt quandoq; sine adiectione κόκκον uocat.

κόλλικας, rotulas. & in Acarnanib. rotuliuora Bœote. de paruis panibus est pronunciatum.

κολοκύνθην ἀγρίαν, colocynthidem.

κομμιῶν, fauorum. plerique tamen scribunt κομμίων. Significat autem expressorum.

κορὶον, dicit herbam, quę hypericon uocatur. ea fructum fert κορίῳ .i. coriandro similem.

κορὺς, quæ ramis adnascuntur: & noua germina.

κορυφάδεν, cum partes uicinæ ad umbilicum contrahuntur.

κοτίδι, neruo ceruicis, cerebello.

κότινον, oleam siluestrem.

κοτυλίδα, acetabulum in ijs quæ de curandis luxatis adiuncta sunt. & in secundo de morbis maiore.

κοτυληδόνας, ora uasorum, quæ in uterum descẽdunt ut in lib. de Hippoc. dissectione docuimus.

κοχώνην, iuncturam in uertebris coxarum ad sedem. ob quã omnis circa sedem locus sic appellatur.

κράδαι, rami ficulni maiores.

κραίνουσι, desinunt, cessant.

κραμβίῳ, decocto brassicæ.

κρίκην, nomen confictum est. significat sonum odiosum. in secundo de morbis maiore.

κρήγυον, bonum.

κρημνοὶ, labia ulcerum. in lib. de locis hominis. & pudendi mulierum partes, ut alæ.

κρίσερα, farinæ tritici, quam euolationem uocant. est & sacculus lineus quidam.

κριμνά, crassiores farinas. cum autem ait, κριμνὰ ἀλφίτου δὲ μα, crassissimas farinas indicat.

κρότωνες, concauitates cartilagineas in pulmone. ut in primo de morbis.

κρότωνος ῥίζα, radix Crotonis. hoc autem Aegyptij cicion uocant.

κυάμου καρπὸν, fabæ fructum. Diosc. ait, alterci fructum ab eo dici. Sic enim in primo de morbis mulierum. quidam Aegyptiæ fabæ intelligunt.

κύαρ, foramen acus.

κύβιτον, os cubiti. & cubitus. Diosc. autem nodum brachij sic uocari putat.

κύκλοι φανέντες, malæ dicuntur in primo de morbis maiore.

κυγχίδα, paruum calicem, & medicinale uasculũ.

κυρβασίην, acutum pileum, qui etiam tiaras dicitur.

κυρήβια, paleæ. sunt etiam furfures, & hordei purgamenta.

κυρίοισιν, diebus quibus talia iudicari creduntur.

κύσθον, podicem.

κύστιγγα, exiguam uesicam.

κώδεις papaueris capita.

κοιλὸς, concauum in uulnere, quodque melius sit, quam quod elatum est.

κῶμα, somni uehementis impetus. scripsimus aũt de hoc, ut nosti, libellum.

κωνίας, uinum picatum. conijcitur enim cum piceæ cortice semihemina in fictile uas. quidam id colo traijciunt, ut ferbuerit. quidam ita sinunt.

κωφοὶ, languidi, inualidi. κωφοῖ uero est uerbum tertiæ personæ, ac tertiæ coniugationis, significatque languorem inducere, ac retundere.

Λ

λαβὴ, principium accessionis: præsertim autem ex circuitu.

λαγνεία. interdum etiam semen significat, ut lib. de natura puerili. ita etiam τὸ λάγνευμα semen est

λάμπτυρος, herba, quæ lagonate dicitur.

λαμπτὴρ, hunc multi φανὸν hoc est lampada uocant, in secundo de morbis maiore. ceteris uero, præcipue Atticis, est, in quo ligna lumen afferentia comburebantur. Sed & fax, & lucerna quandoque λαμπτὴρ dicitur.

λαπαχθῆναι, est proprie euacuari, ideoque μαλαχθῆναι est mollire.

λαμπυρὰ, spumea. nam spuma splendorem mittit.

λάσιον, linteum.

λεβηρίδα, uocat serpentis exuuium. quidam tamen uacuam concham intelligunt.

λέγνα, oris uulux extrema, per tralationem a uestimentorum extremitatibus. has uero alibi ἀμφίδεα appellat.

λέκυθον, quod intra corticem lentis continetur.

λεπάδες, quæ petris adhærent conchæ.

λεπτὰ, interdum sic rara uocat, ut in eo libro, qui est de locis in homine.

λευκὴν ῥίζαν, albæ uiolæ semen sic dici Dioscorides auctor est.

λεώς, omnino, omnia.

λιβανωτοῦ καρπὸν, thus forte, quod ita uocatur, quia semen thuris arboris in usum uenire nos latet.

λιβηρῷ, humido.

λίβος, fluida quædam oculorum destillatio. ductũ nomẽ ab eo, quod est stillare quod proprie guttatim cadere uidetur significare.

λιγνυώδης, denigrans, quia λιγνὺς .i. fuligo nigra est.

λίθον μύλακα, lapidem, quem molarem etiam appellant, cochlacem.

λειμακώδεις, humidi, & herbacei.

λῖπα, oleum, ut in lib. de morbis mulierum secundo.

λίρινον, lilium oleum ex eo confectum quidam cum ε litera scribunt λείρινον, aliqui sine, λίρινον. uocatur autem nõ modo liliaceum, sed etiam susinum, & ἄνθινον.

λοῦν, est non modo lauare, sed humectare quoque. sic λοῦσθαι, lauari, & alia huiusmodi apud ipsum duo significant.

λυπρὰ, nuda, aridaque loca.

λύσιες, interualla, quibus articuli inter se disiungun tur.

λυσσῶδες, insaniens.

μ

μαγίδα, uelut offam & massam, & magdaliam manu subactam uocare consueuit.

μακρόπνοος, ualde spirans, uel longiore interuallo spiritum ducens.

μαλακόστεον, sic dicuntur aquatilia spinam non habentia, ut polypus, loligo, sepia, & urtica. sanguine enim & uiscetibus uacant.

μαλθώδεα, mollientia, ac cerea fere. nam μάλθα, est cera, præsertim quæ mollita sit mollis.

μαρίλη, hanc, multi cinerem calidum appellant.

μάρλης, caloris.

μάσσειν est & miscere, & subigere, atq; etiam exprimere, ut in primo de morbis maiore.

μᾶσσον, est plus, ut in maiore de prædictione.

μάτος inquisitio: & ματεῖν inquirere.

μαχαιρίδι ὀξυβελεῖ, cultello acuto, instrumento ad secandam uenam.

μαχαιρίδι γαστρώδει, medico scalpello, quod uentrem quasi habeat.

μέλαινα uocatur etiam morbus, qui sic ex nigra bili constat.

μέλαιναν ῥίζαν, aspalathi aromatici, quod uocant, radicem.

μελαῖνος cum circunflexo legit Diosc. ut μελαῖνος, capra, aut uacca: ut sit ex urbe Melænis. quæ urbs est ad Crisæum campum ante Criphium, bona pascua habens, quæ bonũ lac gignant. sic enim Diosc. prodidit.

μελάνεον, quod est in præsagijs, quidam simul legũt, ut sit denigrans: quidam distincte, ut significet, quod est uiride, uel nigrum.

μέλανι φαρμάκῳ. medicamẽto nigro: quod quomodo conficiatur, ipse in lib. de ulceribus declarauit.

μέλαν τὸ κύπριον, Cyprium cinerem uocat, cuius ad oculos usus est.

μελεδαίνοντι, curam gerenti, curanti. & μελεδὼν cura, non autem, ut apud Homerum, mœror.

μελιηδέα, & suaue, & cum melle mistum, ut in primo de morbis maiore: in quo etiam μελίχρουν tale uinum uocat.

μεμήρυκεν, conuoluit. Sumptum a lanis, quas mortales nent.

μεμιασμένον, fœdatum, ut apud poetam legitur.

μεμολυσμένοι, aliqui refrigeratos, aliqui induratos, & lapideos dici existimarunt.

μεμωρωμένα, sensus expertia.

μεσόδμη, trabs lignea domũ in duas partes diuisam separans, ut obstaculum, uelut columna quædã in medio constituta. sunt etiam, qui superpositum tectum μεσόδμην nominent.

μεσόβλημα, perinde ac si μεσόλητι dictum esset. Al. μεσόβλητον

μετακέρας, lactea cõmistio dicitur in lib. de ratione uictus in morbis acutis

μηκώνιον, uocant peplum, & ipse succum papaueris appellat.

μήλην διαστομωτρίδα, specillum aptum ad diducendũ, & aperiendum.

μήλην ἐξωτίδα auricularium specillum.

μήλη μελιχρωτὴ, uulnerarium specillum.

μήλη πλατείῃ, lato in rudiculæ modum specillo.

μήλης τῷ πλάτει, ocularis specilli cyathulo.

μῆλα, oues.

μηλίας, ex insula Mele.

μηλιάδος ὠμῆς, chalcitidis, aut aluminis ex Melo.

μηλιάδα

A μηλιάδα, a Melo insula, in 1. de morbis minore.
μήνιγξ est tegumentum, & uelut inuolucrum quoddam, quod etiam ἐπιδιδυμὶς dicitur. est autem uaricosus tumor quidam, qui in summo didymo imminet.
μασᾶσθαι, est mandere, ac comedere.
μύσις suffocatio, præclusio.
μυοχανὴς, hiantis adiunctum. si scribas μυριοχανὴς, erit hians in millibus.
μύῤῥαν, apud Aeoles σμύρναν, hoc est myrrham. scribitur enim duplici ρ.
μυρτίδανον. pleriq; piper. Diosco. Anazarb. in primo de materia appẽdicem inæqualem & tumidam circa myrti ramum uocat. Hippoc. fructum sic nominat ex arbore, quam ipse ait ab alijs piper
B nominari.
μύτις, atramentum in ore sepiæ, & piscis etiam quidam sic ab Hippocrate nominatur.
μυττωτὸν, moretum. Diosc. ex allio, ac cepis esse intritum scripsit.
μώλυζα, allium, quod simplex caput habet, & non in spicas distributum. quidam moly herbam uocant.
μαραινόμενα, quæ sensim contabescunt.

N

ναυσιώσιες, sanguinis effusiones, quæ etiã ἐκχυμώσιες uocantur. tralatum est ab ijs, qui sanguinem in nausea uomunt.
C νεὸν nuper, aut nouum.
νήχουσαν, natantem, aduenientem. sumptum ἀπὸ τοῦ νέεσθαι, quod est uenire; nam in primo de morbis mulierum utrunq; legitur; & alterum de loco, alterum de partu imperfecto dicitur.
νηΐσιον, hoc est, non potest.
νυκτάλωπες, qui noctu non uident.

Ξ

ξηρῷ συνιδεσμῷ, gangræna, uel aliquo morbo, qui latius pateat.
ξύσμα, pruritus.

O

D
οὔα, quæ a plerisq; ὄα dicuntur, sorba.
οἰναρίῳ, uiti.
οἰναρίδων, palmitum uitis.
οἴσυπος αἰγῶν, sordes, quæ inter caprillos pilos nascitur: præsertim inter eos, quæ ad sedem sunt.
οἰσοφάγος, stomachus uentris, tãquam guttur quoddam sit.
οἰσυπίδας, sordem ouis, hoc est sordidam lanam.
οἰσυπίδες sunt sordes ouis conglobatæ. idem quoq; lanæ sordidæ uellus indicat.
ὄχθος, oblonga eminentia.
ὀζῶδες, male olens, aut atrum. ab atramento sepiarum ductum.
ὀλισθάζοντα, labentem.
ὀλοσίτης, quædam herba agrestis, oleracea.
ὄλον sepiæ atramentum.
ὀλώδεα turbida, aut atra.
ὀλοφλυκτίδες, pustulæ subito erumpentes.
ὀνεῦσαι, per conuersionem axium extendere. nam & ὄνοι & ὀνίσκοι axes sunt. aliter quoq; scribitur, ut κατονεῦσαι.
ὅπλα, funes ex stuppa, uel lino, uel canabe confecti.
ὀπὸς liquor silphij per excellentiam, sicut etiã thyrsus. silphium autem radicem solam uocat.
ὀποῦ καρπὸν, semen silphij. quod & folium singulariter, & magydaris nominatur a nonnullis.
ὀργάσασθαι, est simul miscere & simul temperare.
ἐφημερίῳ, cibo, qui in diem sufficiat.
ὀρεοκνηστίδιον, aliter, ὀρεινοκνηστίδος, de qua iam dixi Diosc. ait in monte natam ὀρεοκνηστίδα uocari.
ὀῤῥοδίων, quæ ad caudam usq; sunt extensa.
ὄῤῥος, sacri ossis extremitas. idem ὀῤῥοπύγιον significat.
ὄσχεα, sacculus testiculorum.
ὄσχη, flexuosa extuberantia circa uuluæ os. nam ὄσχοι, & μόσχοι dicuntur palmites, & clauiculæ. solet idem & ἀμφίδεον, & λύγρα appellare.
ὀτίδος, auis, quam sic uocant. Aristoteles ὠτίδα per ω, nominat. apud Xenophontem in primo Cyri expeditionis ὀτίδα per ο, scriptum legitur.

Π

παλίνσκια, quæ a sole auersa sunt.
παλῦναι, inspergere.
παράλαμψις, cicatrix, quæ in nigro oculorum splendeat, quod aliquanto sit ægide crassior.
παράλιον, species tithymali. ita quoq; marina brassicula quædam nominatur.
παραστάται, quædam uasa seminis, in libro de uenis, qui est ad lib. de curandis luxatis adiunctus.
παραφᾶσαι, est manu aberrante tangere, cum errore: ut etiã ἐπαφάσσειν attingere, manum inijciendo. unde loca quæ circa muliebre pudendum recõdita latent, παραφάσιας uocant.
παραφάσσειν, desipere, ut ἀλλοφάσσειν tumultus edere. est cum tenui legendum, non ut in superiore παραφᾶσαι. in eo enim ἀφῆς, id est, tactus nomen cõtinetur.
παρθένιον, millefolium. ita etiam uocatur & anthemis, & helxine, & mercurialis, & amaracus; sed Diosc. negat, intelligendum esse, uel helxines, uel mercurialis speciem, parua folia habentẽ.
πασπαλίτης, panis, uel farina milij subtilis. nam πάσπαλος est milium.
πασσαλίσκῳ, palo exiguo. est enim diminutiuum.
πεπλάζειν. hoc nomen construxit, cum errantes, & resumentes, in differendo significare uellet.
πέζαι, in secundo de morbis mulierum scribitur, & pedes pueri tumescũt maxime. Zenodotus autem in uocabulis gentium ait πέζαν uocare pedem Arcadas, & Dores. Hippoc. planitiem pedis, uel talos sic uidetur appellasse.
πελιά, liuores subfului: quos etiam πελλὰ dicit. Zenodotus in gentium uocabulis scribit, sicyonios fuluum πέλλον appellare.

πεμφιγώδεες, plenæ humoris,& humiditatis,aut uētosæ.
πέπλιον,dicitur etiam peplis , & agrestis portulaca.
πέπλος,idem.est item ficus humilis,& spumeum papauer,eiusque liquor.
περιτρύπῳ,recto & acuto terebro. aliud enim etiam choenicis est.
περιεστείλατο, se ipsum uestibus operiebat.
περικεκαμμένοι,inflexi,adunci,& incuruati.
περικλύσματα, circuminundationes.
περικλύσματος, inundationis circum circa.
περικλύζει.circum inundat,circumnatat.
περινέῳ. perineo.locus est inter scrotum & anū, ubi uesicæ collum est situm.
περιξύσας, qui circum scarificauit.
περιποδίην,quæ in orbem sub pedibus est, & infra.
περιῤῥῆγες, ex utraque parte perfractum.
περόνην, aliquando totum artus ipsius os, aliquādo quod ossi adnascitur, & modo tumorem eius, quod adnascitur.
περσύας, anni superioris uinum. quasi περυσίας.i.anni preteriti quiddā sit,ut αὐτίτην eiusdē anni uocat.
πήρινα,perineum. & in lib. de hæmorrhoidib. & fistulis sic appellare sedem uidetur.
πίεστρον,hoc instrumētum est, quod infractorem imperfecti foetus nominant.
πικέριον,butyrum.
πιτυΐδι,resina picea.
πιτύλοις,remigationibus,aut remis.
πλαταμών,petra leuis in mari extans, & humilis,circa quam fluctus dilatantur.
πλεκτανέων, cirrhorum,& circumplicantium apprehensioonum.
πλεννηραί, mucosæ,& πλέννα mucus est.
πλαδαροῖ,marcescit,contabescit.
πλεῦμος,tabes,aut affectus pulmonis.
πλήμνην,rotæ modiolus.
πλήστιγγας,ferulas uocat, ab eo quod percutere est.
πνευματώδης,inflatus,& ægre spiritum ducens.sæpe etiam spirandi difficultatem πνεῦμα uocat.
πόα, dicuntur primæ lactis partes, quæ ex se ipsis coagulatæ sint.
ποίην,quæ natura folium simile habet uiti, ut species eius,quæ cissampelus uocatur.
πολυγράω. multum comedo,ut etiam apud Callimachum,γόνοι αἰγιῶν ἔγχρατο καθίμενα.i.deuorauit.
πολύκαρπον,quod cratæogonon uocant, genus herbæ est.
πομφοί,pustulæ cutis intumentes, simulque liuidæ, & rubicundæ.
πόσῳ, modico.
ποταίνια, Dores appellant recentia.
ποτὲ,quandoque.
πρὸς,præterea.
πράμνιον,uinum,quod hoc nomen habet,estque nigrum, & austerum.
πρανὲς, pronum ad terram.
πρῆσμα, inflatio.& πρησμοῦ inflationis, & πρησμωδέστατον maxime inflans.
προαυξίας, morbos quosdam uocat, qui prouectiores corripiunt. nam sic quoq; ætate prouectos homines uocat. E
πρόκα,illico.
προκώνια,farinas ex nouis hordeis. alij solas ex non arefactis.
προσλιμαχαιρίδιον †instrumento ad uenam secandam apto,quod phlebotomum uocant. († προ... χαιρίδι.)
προμυλλαίνει, procidit, in anteriorem partem prominet.
προμυλλάνας, qui labia extra producit.
προσίσχει ὁ νόσος.i. perseuerat morbus, ut in secundo de morbis maiore habetur.
προστρέπεσθαι,mutari.
προσοιδέστερον, grauiore cum odore. sine σ, at cum σ, προσοιδέστερον a tumore ductum, significat maiore cum tumore: ut in secundo de morbis maiore scriptum comperimus. F
προτιθέμενοι,protendentes.
πρόφυον, exortum.
πυθμενόθεν.non penitus. ductum a fundo uasorum, ac si diceres,integre,plane,perfecte,aut ab initio, aut omnino.
πυρίαι feruentes lapilli. uel fragmenta accensa ex ferri scoria.
πυρῆνας, grana.hoc de thure est dictum.
πυρὸς ἀγρίου,crysipelatis.i.ignis sacri.

P II

ῥαγεῖσα, interdum quæ cōfertim impetum facit. ut in II.de morbis maiore.a quo fit αἱμοῤῥαγία sanguinis effusio.
ῥαιβοειδέα,retortum.
ῥᾶον,promptius,facilius. quidam pro eo quod est, copiosius,acceperunt. G
ῥαφίς,subula, qua talium rerum artifices perforantes, faciunt usus cōmodos ad linū traijciēdum.
ῥέγχειν, καὶ ῥέγχος,stertor.ductum nomē a strepitu,qui stertendo fit,ut etiam uerbum ῥέγχειν.
ῥέμβει.errat.
ῥέμβον, errationem,& item alia quædam, ἀπὸ τοῦ ῥέμβεσθαι quod est circumagi.
ῥηγμοῖς, scissuris, & fracturis.
ῥήνεσιν,agnis.
ῥηνίοις.idem significat.
ῥηνάκας,agninas pelles, ἀπὸ τοῦ ῥηνὸς, qui agnum significat.
ῥηχίοισι, uelut inuodatiooibus. nam ῥηχίη est quædā uelut inundatio. H
ῥίζα, nomen cuiusdā herbæ,quæ uacat flore,& fructu: habetq; tria folia undiq; oblonga humi iacētia duorum digitorum magnitudinis. suntq; anchusæ folijs similia:& radicem tenuem, quæ leuiter purgat.
ῥίζαν δρακοντίου,dracunculi radicem.
ῥικνὸν,rugosum.
ῥοικὰ,retorta.
ῥοφήματος,liquoris ad sorbendū facti. uel sorbitiōis.
ῥόα, mora immatura, arefacta, & tusa, ut obsonijs iospergantur.ut quod rhun proprie uocant, ut Diosc.in primo de materia ait.
ῥοφητῶν,sorbitionum,uel eorum omnium, quæ quouis modo sorbentur.
ῥύματα,remedia,ab eo quod seruēt. quod est ῥύεσθαι ῥυγματίων

A ῥωγματίας, qui intus fractum quid habet. qui etiam ῥηγματίας appellatur.

Σ

σχιζόποδας, quæ digitos pedum disiunctos, ac distantes habet.

σαρκάζειν proprie labra mordendo subsannare. Hippoc. aũt sũmis labijs cõtractis aliquid euellere.

σατυριασμοὶ, prolixi glãdularum tumores circa aures. aliqui intentiones pudendorum hoc nomine intelligunt.

σαυρίδιον, nasturtium. a similitudine figuræ dicitur. eadem herba cardamum nominatur.

σελάχεα. omnes pisces squamis carentes, & qui animal pariant, sic dicuntur.

σιμὸς, deflexum, & quod labijs distet plurimum.

B idemq; ἐκπεπλιγμένον appellatur.

σηραγγώδη, laxa, rara, foraminolenta. nam foramina σύριγγες & σήραγγες dicuntur: corpusq; huiusmodi & σηραγγῶδες, & συριγγῶδες uocatur, hoc est foraminibus plenum.

σησαμὶς, eius, quæ sesamis dicitur.

σητανίῳ, tritico huius anni. hoc est, qđ uere satũ sit.

σητανείοισι, ex tritico huius anni, uel ex farina excussa, & tenui, hoc est expurgata.

σιάλου ὑείου, & σιάλου αἰγὸς, cõuiuij pinguis, & pinguis capræ.

σιαλώδεα, pinguia, opimaque.

σιδιοειδέας, luteas: qualis est granati mali cortex.

σικύην ἄτμητον, agrestem cucurbitam, nõ dissectam.

σικύην, quatuor Hippoc. significat, colocynthidẽ:

C piro similem cucurbitam: cucurbitulam medicinalem fundo uacantem: & cucurbitam, quæ coni similitudinem referat.

σικυώνης σπόγγον, pars colocynthidos interior.

σιπύδα, pixida indicat: & uas fictile, in quod farinam conijciunt.

σινάμωρα, maligna.

σιραίῳ, decocto dulci.

σινωρὸς, insidiatrix malitia.

σκαφίδα, Attici pastoralem mulctram uocant, ut, situlæ & mulctralia facta, quibus ubera mulgebat. Hippoc. autem marinam concham longiorem uocat, quam mutilum quidam nominant.

σκεδρῇ, diligenti.

σκελετρὸς, aridus, contractusque.

D σκεπαρνηδὸν, asciatim. nam σκέπαρνος fascia uidetur ab ascijs fabrilibus hoc nomen duxisse.

σκέμμα, consideratio, in sexto de morbis uulgarib.

σκιαυγεῖ, cæcutit.

σκεπανίζῃ, concludatur.

σκίμφθη, apud Hippoc. duo significat: ut diuisum est, & admotum est.

σκληρύσματι, arefactione, contractione.

σκληρὰ, siccata. & ita omnia, quæ ab eo exoriuntur.

σκληρύνει, desiccat. & σκληρύνεται desiccatur.

σκορδινᾶσθαι, est extendi, præcipue cum hiatu.

σκῦρος, callus. σκυρωθῶσι callum obduxerint.

σκύψαι, percutere, incidere, diuidere.

σκῦτα, quæ sunt in articulo ceruicis.

σμηκτίδα γῆν, cimoliam.

σμωδίκα, apti ad uibices tollendas. i. ad liuores auferendos, qui ex percussione fiunt.

σπάδον, conuulsio. estque nomen fœmininum.

σπαργᾷ, turgescit.

σπατίλη, excrementum liquidum.

σπέρμα, fructum quoque significat.

σπερχνὴ, properans, sedula.

σπόγγοι, tonsillæ in faucibus, ut in quarto de morbis uulgaribus.

σποδίτῃ ἄρτῳ, pane, qui subcinericius uocatur.

σποράδες, differentes, quæ non sunt generis eiusdẽ, quæque aliæ alijs conueniunt.

σταδιεὺς, Diosc. auctor est dici eum, qui ambulationes stadijs metitur.

σταλαγμοῦ, destillationis, quæ fit ex capite.

στέαρ ὑδατώδες, adeps ex aromatibus & aqua coctus.

στέγαι, est supertegere, & illinere.

στενοχωρῆσαι, in angustum redigere. aliqui uero, claudere humorum exitus, & arefacere.

στηθοειδεῖ μαχαιρίῳ scalpello medico, quod latius sit.

στεατῶδες, obesum, adipatum.

στία, calculus, lapillus. sunt enim στίαι calculi circa mare: hincque στιῶδες durum dicitur.

στίφραι, aridæ, contractæ.

στοίβης καρπὸν, semen lappæ.

στολιδωδέστερον, rugosius.

στομάργῳ. in II. epid. scribit Dioscor. uultque esse, loquentis furiose. alij συμάργῳ scribũt, & uiri proprium esse aiunt.

στόμβον, grauisonum. grauem sonum edens.

στραβοὶ, strabones.

στρέφει, dolorem intestinorum affert.

στρέφεται, uelut habitat, in lib. de aere, aquis, & locis.

στρογγύλον μύλον, spathomele genus specilli quoddã.

στρογγύλου piperis. sic enim ait, & Indicum, quẽ Persę piper uocãt. inest autem huic rotundum quid, quod μυρτίδανον uocant.

στροβλὸν, quæ uerti queat. ut in lib. de hæmorrhoidibus, & fistulis habetur.

συμάργῳ. sic quoque scribi, probatur Dioscoridi, & non solum, στομάργῳ. hocq; non ut proprium uiri nomen explicat, sed furiose affectum esse in rebus uenereis. uultq; alia eodẽ modo epitheta apud Hipp. esse: ut μοιχάδα, σύφαρος, ῥυπαλώπηξ, uel χρυσαλώπηξ. & apud Erasist. rhinocoluron hoc est, qui truncis naribus est, dici ait.

συμπεφθεὶν χαλκίτις, quam absolute chalcitim, uulgus uitriolum, uocant.

συγκομιστοὶ, sordidi. quia omnis farina simul collecta sit, & non secreta.

σῦκα, carnosi tumores in partib. palpebrarũ exorti.

σύκιον, aridarum ficuum decoctum.

συκέης, in primo de morbis mulierum, fomentum ficus a radice, ut συκάμ. i. mori. quod alibi ut exponat, mori radices dixit.

συλλοχίας, cõgregationes. tralatio est ab ijs, qui sunt in exercitibus congregati.

σύνεχμα, concretus humor quidam, aut internus tumor, uel subsidentia, aut callus. & melius in VI. epid. ait.

συναριθμεῖται, aggregatur.

συνδεσις, interdum tanquam adstrictionem, densitatemque significat.

συνδιπλοῦται, conduplicatur.
συνευχυμοῦν, sanis succis cõmiscere, ac cõtẽperare.
συνίζει, ut conclusione.
συνηρεφὲς, obtectum, & adumbratum.
συνηρμοσμένα, ut in libro de curandis luxatis significat coaptata.
συνεστραμμένα, quæ coniuncta sunt, uel coeunt.
συρμαῖα, eorum, quæ in uentre sunt, moderata purgatio.
σύσταθμον, pari pondere.
συστροφάς, extuberantias, duritias.
σφαδάζει, moleste fert.
σφάκελος, omnis corruptela, quæ quouis modo fiat. quod nos pluribus demonstrasse cognouisti.
σφάκερος, in ijs, quæ sunt adiuncta libro de uulneribus capitis, sic habet, Cui caput dolet, si fuerit sideratus, cepę aduersantur. in plerisque tamen σφαλερὸς aperte scribitur.
σφενδόνην, in lib. de articulis appellat utile ad membri restitutionem instrumentum: sic dictũ a funda, qua lapides proijciuntur. in libro autem de sterilib. sic uocat custodem. est etiam muliebre pedum tegmen: & quę huic similia sunt omnia.
σφυράδες, caprarum, ouiumq; excrementa.
σχάσαι, tria significat, scarificare, excernere, relaxare.
σχεδράδα, anchusam. ita enim etiam uocatur.
σχέσιν, sic uocat in continendo compressionem, & detentionem, & illigationem, & pressum. cum uero ait, differt aliquid σχέσει corporis, tum uelut habitum significat.
σχινδυλίου, calami figura. inde enim calamo ductum nomen uidetur, quod scinditur.
σχῖνον, non modo stirpem fruticosam uocat, sed etiã quandam scillę speciem, uel potius bulbum cũ iusuis scillæ.
σχοῖνον εὔοσμον, odoratum iuncum uocat.

T

τάμισον, coagulum.
τέγγειν, est humectare.
τήκειν, consumere, ut in lib. de affectibus scriptũ est.
τέλεον, finem, & extremum.
τέρμινθοι, tumores, qui terminthi arboris fructui similes in cute præter naturam consistunt.
τέρθρον, summitas antennæ proprie dicitur. & τέρθροι rudentes inde ad summum uelum pertingentes. Hippoc. autem in 11. de morbis mul. cum hic inquit τέρθρον fuerit morbi, summũ & supremum, & curationis maxime egens significat.
τετάρωνται, sunt dilatata. omne enim, quod dilatatũ est, ταρσὸς dicitur.
τετραγώνα βέλη, quatuor cuspidum sagittæ.
†τετραγώνῳ, quidam explicant, inuẽtis in stibio crustis. alij uero ipsum stibium intelligunt. τετραμαίνῃ
τετραμαίνει, tremit.
τέτρομος, tremor cum rigore coniuncto.
τέως, donec, tunc, prius.
τηλέφιον, herbæ genus, quod semperuiuum agreste, & agrestem portulacam nominant. Romani illecebram uocant.
τῆς ἐν τῷ ἀλφίτῳ βοτάνης φερομένης, herbam in farina forbent. quia alibi ait, mercurialem sorbiturum. E
τομεῖον, incisor. ferreum instrumẽtum, quo fabri ferrarij cum ad alia multa, tum ad tollendos, & dimouendos clauos utunt: habetq; id duo labra.
τοξεύματα, sagittæ dicuntur.
τορνεύματα, ramenta sunt.
τρόφις, bene educatus, pinguisque.
τροφιῶδες, quod quædam illata habet infixa. ἀπὸ τοῦ τρέφεσθαι quod est infigi.
τροχοὶ, cursus.
τρυχοῦν, domare, & extenuare significat.
τρῶσαι, uulnus infligere, secare uenam: ut in 11. de morbis mulierum habetur.
τρωθῇ, sit oblæsa, maleq; affecta. & τρῶμα oblæsio.
τρώσκεσθαι, abortum partu edere.
τρωκτοῖσιν, crudis deuoratis. F
τύρσιν, turrim, eamq; præsertim, quæ in muris est.
τυφώδης, qui est de mẽtis statu deturbatus. ceritus.
τυφομανίη, morbus, qui phrenitide, & lethargo mixtus est.

Y

ὑβαὶ, gibbi, & ὕβωμα gibbositas dicitur.
ὑδατουμένοισι, aquam inter cutem habẽtibus, sanguinem in aquã mutantibus, & aquosa purgantib.
ὑδατόχλοα, quod est dicere, in aquæ modum uiridia
ὑδατώδεας, hydropicos.
ὑδρίον, parua hydria per diminutionem.
ὑδρωπὸν, Diosc. in 11. de morbis uulgarib. cum accẽtu in ultima legit. & ὑδρωποειδῆ hoc est speciem hydropis præ se ferentem significare autumat. G
ὑπαλειπτρον, quo quis sublinere oculos posset, frustulum quoddam.
ὑπαλειπτὸν, medicamentum ad illinendum aptum.
ὑπεζύγωται, est subiectum.
ὑπειλοῦνται, subuoluantur in sese.
ὑπερινὸς, homo ultra modum inanitus. & euacuario modum excedẽs. aliqui autem sic exponũt, Et supra modum attenuatur. sed & longũ spirans, & breue spirãs sic dici duobus modis uidetur.
ὑπερτονεῖ, supra modum extenditur.
ὑπέρυδρον, quod aqua affusa ualde plenum est.
ὑπερχολώσει, copiosa bilis repletione.
ὑπεψύχθη. a calore febris mediocriter remissio facta est.
ὑπνῶσα, somnolenta. somno sopita. H
ὑπολείβεται, destillat, defluit.
ὑπόλιπον, subhumidum. purulẽtum. aut subpingue.
ὑπομύσαρα, ualde olentia, & quæ omnes auersentur.
ὑπονεναρκωμένα, quæ subnarauit. quæ subijt.
ὑπόξηρα, quæ subcaua, aut humiliora sunt.
ὑπόξηρος, adunco naso. quod quæ circum circa sunt, humiliora, quàm sublimitas, sint.
ὑποξήρους, humiliores, & contractos. ita de uentribus in maiore de prædictione locutus est.
ὑπόσφαγμα, tanquam subsidens fæx totius atramenti sepiæ.
ὑποστροφὴ, est non reuersio solum, sed mutua mutatio, ut cum ait, ueterno oppressus in mutatione per uices
ὑπόθολερα, caliginosa, subobscuraque.

A ὑποψάφαρα, asperiora. est enim in ipso nomine ψαφαρὸν, hoc est cano situ obsitum.
ὑπωμίη, dici ita posset, quod uel in humerali, uel humero ipso subiectum est.
ὑδρῶπες, aqua inter cutem correptos.

φαγεδαίνῃ, excedenti ulcere, [ quæ phagedæna uocatur.
τρύσστρα. φαίνεται, quod fit pellucidum in igne: ut in secundo de morbis mulierum, significat.
φαλαρὰ, rotunda cum leuitate.
φαρκιδῶδες, quod rugas habet.
φώϊγγες, dicuntur proprie excitati ab igne in cruribus rubri circuli. sed abusiue reliqui itidem circuli.
B
φέρβεται, exest, consumit.
φήρεα, eminentiæ glandosæ oblongæ sub auribus, quales habent satyri. quidam φῆρες, & θῆρες appellantur, ut dictum sit perinde, ac si ferinas dixisset.
φθίνει, est liquefit, extenuatur, minuitur, alimento non fruitur.
φθόεις, rotulas.
φιαρὸν, splendens propter humorem.
φιβάλεον, ficus genus.
φιλεταίριον, herba, quam & aparinem uocant.
φιλίτιον, uidetur idem esse, quod aparine, & philatærium.
C φλάζουσι, loquuntur obscure, & indistincte. nomen factitium est.
φλεβοτομίαν, uocat non modo consuetam uenæ sectionem, sed aliam quoq; sanguinis euacuationem, quouis modo a uenis distinctam, similiq; modo φλεβοτομηθῆναι,
φλέγμα, significat non tantum humorem hunc album, sed etiam inflammationem.
φλεγυρὸν, ignitum, & tanquam ardens.
φλεδονώδεα, qui nugatur. φλεδόνες enim nugæ sunt.
φλόον, stirps uerbasco similis, & papyracea, quæ olearijs fictilibus circumponitur texta.
φλυνέων, nugans.
φλυαρώδεις, nugaces.
φάλαι, ligna uocat recta quæ contra fixa sint, sicut etiam parastatas neruorum.
D
φλεγυαὶ, rubræ.
φλογιᾷ, uel φλογιοῦται. cum rubore ignescit.
φλυδᾷ, humidum redditur. computrescit.
φλυδάραν, humectam.
φλύεται, humectatur.
φλυζόμενα, quæ scaturiunt.
φλυζάκια, genus pustularum.
φλύσιες, pustularum eruptionis, cum humor redundat in corpore.
φοινικὸν, posset quispiam a colore sic dictã elephantiasim suspicari.
φοινίκη, genus morbi in Phœnice, & alijs orientis partibus frequens. uidetur autem elephantiasis etiam significari.
φολλικώδεα, ut folliculosa, & laxa.

φονᾷ, necis desiderio tenetur.
φορίνη, pellis.
φώριος, qui capi facile potest.
φορύξαντες, cum miscuissent.
φύλλα, uiridia condimenta hortensia, & herbacea.
φύλλα, sunt hortensia condimenta, quæ ementibus olera olitores addunt, ut coriandrum, menta, ruta, apium.
φύλλα, semen silphij, quod latũ sit: ut in 11. de morbis mulierum. ipse tamen modo Libycum, modo Aethiopicum addit.
φύσιγγα, est, qui exortus caulium appellatur, præcipue uero concauus.
φυτείη, tempus serendi.
φυτευτηρίων, lignorum, quæ in terram seruntur.
φῷδες, circuli ab igni in cruribus excitati, ac rubri: quibus de iam egimus.
φωνὴ τετρηχυσμένη, aspera uox appellatur.

X

χαλκίτιος σύνθεσις, idem quod chalcitis.
χαραδρωθῶσι, habuerint quid bifidum *.
χαράκτηρι, ob formam exacerbato.
χάσκον, Diosc. legit, in diuersa trahens: & uuluas eo, quod aperiantur, sic dictas putat.
χειμίη, frigus, rigor.
χειμαίνουσα, refrigerata, frigore correpta.
[illegible], quod aridum est. per diminutionẽ [illegible] parua tussicula. arida uero appellatur, cum nihil humoris, qui excreetur, in os comportatur.
χαραδαίως, confertim: a torrente sumptum est.
χέας, qui effudit.
χηλὴ, bifidum in summo specillum, & modo forficis dissectum.
χήλωμα, sagittæ cauitatem bifidam, qua parte in iaculando sagittam neruo admouent.
χήμην [illegible], concham magis excauatam, & item maiorem.
χλωρῶν λαχάνων, condimentis hortensibus.
χλοιοῦνται, idem, ac si dixisset, uirescunt.
χλόη, uiriditatem significat.
χλοώδης, uirescens.
[illegible], uiriditas, quæ clare fulget, & ad aqueum colorem uergit.
χολῖον, quod bilim attrahit.
χυτλάζεται, perinde ac si dixisset, mundetur.
χυτρίδιον, ollam uocat, ut etiam χυτρίδιον, & χύτρινον.
χωλώσειεν, aliquo articulo mutilum redderet.

Ψ

ψάγδας, unguenti genus quoddam.
ψαίρειν, innatare, attingere.
ψαιστὰ μάζαν, uocat, quæ in melle & oleo subacta sit: propterea quod liba quoq; madefieri solent.
ψαθυρὸν, fragilem.
ψέφαρα, tenebris obducta, nigricantia. ψέφος, enim tenebras significat.
ψόφῳ καταπλησσόμενοι, qui facile strepitum sentiunt: quique timent. ac si dixisset meticulosos.

ὀζῶ, in malam partem. ut Arcesilao male olebat. scribitur enim sine iota: non cum iota, ut quod sequitur;

οἰδῶ, intumescit. constat autẽ hoc cum iota scribi, quia etiam οἰδεῖν i. tumere, sic scribitur.

ὀμήλυσιν, farinæ crassiores, & item tenuiores ex hordeo non resiccato. aiunt.n. proprie ὀμήλυσιν, cru- B dam farinam appellari: minus proprie uero, quancunque aliam farinam sic dici.

ὀρεόντων, eorum, qui curant. nam ὤρα cura est.

ὥρῃ, anno.

ὤρουσαν, aggressi sunt.

οὐλὰς, & cicatrices, & ulcera nominat.

ὀχετεύεται, exortus, exitusque est consecutum.

# *GALENI FRAGMENTVM EX* QVATVOR COMMENTARIIS, QVORVM INDEX ERAT, DE IIS, QVAE IN TIMAEO PLATONIS MEDICE DICTA SVNT:

## *In quo & in principio, & ad finem multo plura, quàm in iam impresso, continentur:*

## *Io. Baptista Rasario, medico, Nouariensi, interprete.*

Hoc fragmentum esse Galeni uerum, planum est, & quod ipse in libello, in quo libros a se confectos recenset, quatuor a se conscriptos in hanc sententiam commentarios commemorat: & quod libro octauo de decretis Hipp. & Plat. & item alibi, se hac de re scripturum pollicetur.

*Platonis uerba ex Timæo, in quibus de capitis, neruorum, uenarumque fabricatione, atque positu, disseritur: de que origine, atque usu respirationis disputatur.* G

*CETERVM cum illi fabricatores nostri de humano genere consultarent, utrum diuturnius, sed deterius, an breuioris uitæ, sed melioris ipsum efficerent: breuem, melioremque uitam diuturnæ, ac deteriori esse omnino anteponendam censuerunt. quam ob rem caput, ut pote quod flexiones non erat habiturum, neque carne, neque neruis, sed osse raro fulcierunt. his omnibus de causis in capite maior uis sensus, atq; prudentiæ, licet sit multo, quàm cetera membra imbecillius, est constituta. hancque ob causam, atque hoc modo neruos extremæ capitis parti circumponens effector mundi deus, eos similitudine quadam spinæ dorsi circumplicauit, illisque summas malas sub uultu deuinxit: reliquos uero in omnes artus articulum articulo componens, disseminauit. nostri præterea illi opifices os ipsum dentibus, lingua, labijsque tum ad usus necessarios, tum ut optima quaque præstaret, ita, ut nunc uidemus, ornatum esse uoluerunt: etenim ingressum, necessariorum, egressum optimorum gratia sunt machinati: nam quicquid ingreditur, corpusque alit, id est necessarium: at cum foras fluat oratio, quæ est ministra prudentiæ, profecto eius fluxio est omnium præstantissima, atque optima.*

Quoniam omnis coagmentatio corporis uel calore, uel frigore, uel aliqua impulsione uehementi la- H befactatur, & ad morbum compellitur, ideo hanc habuit rationem molitor mundi deus, ut caput ad mundi, quod opus omni morbo carere uoluit, formam absolueretur: ea enim forma mundum figurarat, qua una omnes reliquæ formæ concluduntur: & globosus est fabricatus. at caput ad utrinque depressi parumper globi similitudinem effinxit: in quo sensus interpretes, ac nuncij rerum, tanquam in arce mirifice ad usus necessarios & facti, & collocati sunt. atque oculi altissimum locum obtinent, plurimaque circunspiciunt. cetera quoque instrumenta sensuum in eodem sunt collocata, ut aures, quarum munus est, ut sonum, qui natura in sublime fertur, recipiant: itemque nares, quia omnis odor ad superiora fertur, at oris quanta utilitas, quantumque decus? cum enim uita animantium cibo, potione, spiritu teneatur, ad hæc omnia percipienda os est aptissimum. cumq; mentis interpres oratio sit, ea potissimum ore emittitur, atq; ijs instrumentis fere, quæ ore continentur, articulatur; ut in eo libro, qui de uocalium instrumentorum dissectione est, itemq; in eo, cuius index est, de uoce, demonstrauimus. itaque & sensa animi, & sua cogitata homines, nisi os essent consecuti, eloqui nunquam potuissent. sed incredibile est, quanta opera id ad agendum machinata natura sit: primum enim a pulmone arteria usq; ad os intimum pertinet: per quam uox principium a mente ducens, percipitur, ac funditur. deinde in ore sita lingua est, quæ finita dentibus, uocẽ immoderate profusam fingit, & terminat, eadem sonos uocis distinctos,

A ſtinctos,& preſſos efficit,cum & ad dentes,& ad alias partes oris compellit. Iam uero neruorum originem a quibus artus continentur eorumque implicationem toto corpore pertinentem,quis eſt, qui extare e cerebro neſciat?quare cum inde naſcantur,tum ad reliquas corporis partes,quaſi rami, deducantur,efficitur,ut totum corpus,ueluti rete complectantur : nam ad oculos porrecti , uidendi ſenſum pariunt:ad nares,olfactus;ad aures,auditus:ad linguam,guſtatus,ac motionis ſunt inſtruméta. inter quos tamen illud intereſt,quod ſenſuum acutiorum nerui molliſſimi ſunt;motionis,duriores.ceterum cũ extima capitis pars ſentire,non motum ciere deberet,ideo rariore eſt oſſe conueſtita. quamobrem uoluit Plato,huic parti neruos eſſe circumpoſitos,ut quidam illorum in maxillas pertinentes,ſenſuum inſtrumenta eſſent:ceteri ad ſpinam,aliaq; membra diducti motionis auctores haberentur. Verum quia de neruis,& de capitis,oriſque præſtantia eſt a nobis ut alibi ſæpe,ita etiam in libris de uſu partium, & ijs, qui ſunt de neruorum diſſectione,copioſe diſputatum: ideo non eſt hoc loco propoſitum, omnia, quæ huc faciunt,accurate pertractare:ne eaſdem res iterare de induſtria uoluiſſe uideamur.

*Ipſum porrò caput,propter magnam uim frigoris,atque caloris, quam anni tempora afferunt,neque ſolo, nudoque oſſe*
1 *contectum eſſe poterat,neque carnis mole prægrauatum,ne obtuſum,ſenſuſque expers redderetur. quare factum eſt, ut non plane reſiccata carne,reliquum,quod maiore ex parte ſupererat,ſeiunctum ſit,id quod nunc cutis appellatur:quæ circa cere-*
B *bri humorem ſibi ipſa coniuncta atque germinans caput circumueſtiuit : ipſeque humor ſub ſuturis ſcaturiens ipſam irrigauit,ad uerticemque compegit.tum uero omnis generis ſuturæ ſunt factæ,ut circuitionibus,alimoniæque iter pateret. Cumque hæ magis inter ſe pugnant, plures : cum minus , pauciores erunt . hanc autem totam cutim igni pupugit deus, quæ uulnerata,cum humor per eam efflueret,humidum & calidum,quod erat ſyncerum,abijt: quod uero concretum ex ijs erat, ex quibus cutis conſtabat, foras impetu lationis productum fiebat longius , tenuitatemque punctioni ſimilem habebat : ſed propter tarditatem a ſpiritu circumfluo intro iterum ſub cutem repulſum, radices egit. quę cauſa fecerunt, ut in cute capilli ſint exorti,qui lori ſimilitudine proxime ad cutim accedunt ,ſed propter concretionem a frigore contractam duriores cute, denſioreſque fuerunt:ſiquidem capillus extra cutem productus, frigore obriguit . atque ita quidem caput noſtrum hirſutum effecit deus,ijs cauſis ductus,quas attulimus:ceterum uolebat ipſum tegmen ad cerebri tutelam non carne graue ,ſed leue, quod caloris,frigoriſque iniurias propelleret:ac nihil ſenſus acumen impediret.*

Affert rationem,cur caput neque nudum,neque pondere carnis prægrauatum ſit effectum : nam cũ experiri ipſum magnam quandoque uim frigoris,& caloris oporteat,ſi nullo tegmine opertum fuiſſet, profecto periculum erat,ne durare diutius poſſet:contra uero,ſi ut reliquas partes, ita hanc quoq; carne cõueſtiſſet,aliud ei malum imminebat:ne mortales ea mole impediti,ſtupidi,bardique fuiſſent.quocirca medio critatem eſt aſſecutus,ut neque ſolo oſſe,neque copioſa carne caput tegeretur : ac carnem
C quandam,quam cutim nominamus,inuenit, quæ & ſpongiam imitatur, & multis referta eſt meatibus, nec adeo mollis,ut reliqua:nec adeo denſa,ſolidaq;:ſed eiuſmodi , ut caput a frigore , caloreque tueatur,& nulli ſit ſenſibus impedimento.ac ſpongiæ quidem formam eſt imitata, ut humores e cerebro exhalantes facile tranſmittat.non eſt autem unũ caluariæ os,ſed eius tres ſuturæ ſunt, ex quibus oſſa quæ in ipſa ſunt,committuntur,earũ duæ tranſuerſæ ſunt,altera in occipite,quæ lambdoides:altera in ſincipite,quæ coronalis appellatur:tertia duas *illas coniũgit,a lamb*doidos medio per uerticem ad coronalem perducta.cum *autem duplex ſit* excrementi genus,quo cerebrum expurgatur, quod fuliginoſum, craſſumque eſt,per has ſuturas,ut patentiores emittitur:quod uero tenuius,per caluariam , utpote quæ rara ſit,nec adeo tamẽ pateat.quare inquit,factũ ẽ,ut nõ plane reſiccata carne.cerebrũ aũt molle,tenueque eſt,& ſub caluaria ipſa reconditur.ac ne a caluariæ duricie lædatur dũ ei annectitur,duplici mẽbrana,altera molliore,duriore altera tectũ eſt.quæ ſane ipſum inferne,ſuperneq; protegũt: quæ inquã mollior ẽ,cerebrũ cõplectitur,altera durior,dupliciter diſtribuit:ut una eius pars intra caluariã,altera extra pertineat.quæ intra caluariã eſt,tenuẽ mẽbranã,quæ cerebro ĩuoluta eſt,ab oſſe caluariæ diſtinguit:quę uero extra caluariã eſt ſita,per ſuturas trãſmittitur,& inter os & carnẽ eſt collocata,ac quia caluariæ impoſita eſt,ideo περικράνιον appellatur.atq; ita quidẽ cerebrũ cõmunitũ,& undiq; uallatũ eſt ab externis in-
D iurijs plane tutũ.ſed nec alimẽto caret:nã ſpiritu animali,qui per arterias,ad caput cõportatur, tenuiſſimoq; ſanguine nutritur:primũ enim e magna illa arteria,quæ a ſiniſtro cordis uẽtriculo ſecũdũ ſpinã ad collũ uſq; protẽditur atq; inde bifariã ſecatur,ac multis ramulis ad caput aſcẽdit,ſpiritus cerebro ſubminiſtrãtur : ſanguis aũt per uenas ad caput pertinẽtes cerebrũ ingreditur,ipſumq; calore,humoreque ſuo ſuſtẽtat.quod aũt addit,humorq; ipſe ſub ſuturis ſcaturiẽs, ſignificat cerebri naturã humidã ac mollẽ:quæ membranã,qua tegitur,per ſuturas ad caluariã, aut capitis uerticẽ emittit. e quibus ſuturis hic fructus exiſtit,ut ẽt mẽbranæ per ipſas trãſmiſſæ cerebri alimẽto perfruãtur,itaq; cõſeruẽtur. quam ob rẽ ſubiũxit,ſuturas oĩs generis eſſe factas,tũ quod circuitiones, quas mẽbranæ cerebrũ ambiẽtes in orbẽ faciũt,intra & extra caluariã obtineant:tũ quod per eaſdẽ, ut patẽtiores mẽbranæ alimentũ ex cerebro ducãt.qua in re illud ſcire cõuenit, in quo maior ſit ſuturarũ uarietas , in eo maiorẽ alimoniæ uim a cerebro trahi:ſiquidẽ plures ſuturæ plus alimẽti,pauciores,minus trãſmittũt.ut aũt oriri capilli poſsẽt, quorũ originẽ nos alibi declarauimus:hãc inquit,cutim capitis calore aperiẽs deus,multoſq; in ea meatus efficiẽs,ad pilos proferẽdos accõmodauit:eſt.n.caloris ea uis,atq; natura,ut meatus carnis aperiat: frigoris,ut cogat,atq; cõſtringat.quare ui caloris adaperta cute humor omnis,unde pili creantur, effluxit.ipſeq; humor a calore pulſus quaſi pullulat,ac neſcio quid fuligini ſimile , producitur : quod ut ipſe ait,cum primum frigore externo riguit,& obduruit,pilus efficitur.

Quæ

*Quæ autem est circa digitos nerui,cutis,ossisque complicatio,ea facta aridior,una dura cutis communis omnium extitit,* E 3
*cuius adiuuans causa in ijs,quæ prædicta sunt,constitit,princeps uero in ea intelligentia,quæ id futuræ commoditatis cau-*
*sa molita est:fore enim quandoque ut ex uiris fœmina,aliaque feræ animantes gignerentur,nostros illos effectores nō latuit.*
*quinetiam illos quoque non fugit,unguium usum multis bestijs ad multas res accommodatum esse futurum. quam ob rem*
*in hominibus statim genitis ungues figurarunt. hac utique ratione,hisque causis cutim, capillos,& ungues in extremis gi-*
*gni membris uoluerunt.*

*　　*　　*　　ijs ipsis particulis. ac cutis non secus ipsorum unguium
radices continet,quàm gingiuæ dentes. nec dubium est,quin ungues unà cum uenis subiectis exorian
tur. quocirca non solum ex osse,neruo & cute,sed etiam ex carne,uenis,membranis,ac ligamentis cō-
stare ungues,existimare quiuis potest. uerum hac de re cum alibi, tum in tertio de dissectione Hippo-
cratis libro copiose disserui.

*Cumque partes,& membra omnia mortalis animantis mutua quadam cognatione tenerentur,ac uitam in igne,ac spiri*
*tu habere necessitas cogeret,ne animal ab his resolutum,exhaustumque deficeret,ei præsidium dij pararunt:aliam enim na*
*turam humanæ naturæ cognatam,alijs formis,sensibusque temperantes,quasi animal quoddam aliud plantauerunt: cuius-* F
*modi sunt domesticæ arbores,stirpes,ac semina,quæ nunc ab agricolis consita,& culta,nobis mitia sunt:quædam uero, sine*
*cultura agrestia:eaque cicuribus antiquiora:nam quicquid est uitæ particeps,id animal iure optimo nominabitur. id autē,*
*quo de nunc agitur,tertiæ animæ speciei particeps est,cuius sedem inter septum transuersum,umbilicumq; esse aiunt: in qua*
*nulla prorsus opinio,aut ratio,aut mens inest,sed iucundus,tristisque sensus cum cupiditatibus coniunctus:quòd perturba-*
*tionibus perpetuo conflictetur. quia uero in semetipsum uertitur,externumque motum respuit;& suo motu cietur, idcirco*
*ei natura consilium non dedit,quo res suas consideraret. quibus quidē fit rebus,ut uiuat,nec sit ab animali diuersum:uerum*
*quia motu extra se ipsum uacat,ideo stabile,& radicibus fixum hæsit.*

Partes appellantur ea omnia,ex quibus totum conficitur,aut in quæ totum distribuitur:membra ue
ro peculiares animantium partes nuncupantur. itaque cum Plato fecerit hoc loco, ut membra parti-
bus ex altera parte respondeant,occasionem suspicandi nobis dedit,in alia significatione utrunque no
men esse capiendum:ut quæ definita circumscriptione continentur,altero nomine complexus sit: quæ
uero horum partes sint,altero comprehenderit: utro tamen alterutrum indicarit,nondum satis explo-
ratum habeamus. Sed hæc in nominibus,significationibusque est quæstio,quæ ad scientiam nihil per-
tinet. quare expendamus iam,quæ de rebus ipsis afferat,cum ait,uitam nostram in igne, ac spiritu esse
necessario constitutam:cū enim quatuor elementa sint,ignis,terra,aqua,& aer,ex quibus oriuntur,quæ G
cunque gignuntur,omnia,ex his propius ad materiam accedere terram & aquam:efficiendi uero po-
tius uim habere, præsertim in animantibus,ignem ac spiritum,inter omnes ferme constat. corpus au-
tem,quod ex his conflatum est,multas non solum perspicuas euacuationes,sed etiam, quæ sensum fu-
giant,perspirationes,effluxionesque habeat,necesse est. quam ob rem alimento indiget,quo id,quod
de ipsorum essentia detrahitur,instauretur. quam ad rem dij stirpes procrearunt:quas etiam pauloante
animalis nomine ab ipso appellatas esse,probabili ratione docuimus:nam si statuatur, animam esse mo
tus principium:in stirpibus uero principium motus esse,profecto animatæ iure uocabuntur. corpus ue
ro,quod anima præditū est,animal cuncti nominant. Si uero placeat Aristoteli,non ideo corpus,quod
modo animatum sit,animal appellari,sed sensibile etiam esse oportere,certe ne hoc quidem stirpes ca
rent:siquidem in commentarijs de substantia facultatum naturalium probauimus,eā in stirpibus uim
esse,ut & suas substantias,a quibus nutriuntur,& alienas,a quibus læduntur,cognoscere uideantur. ex
quo etiam fiat,ut suas illæ sibi adsciscant,alienasque reijciant. quod in causa fuit,cur Plato peculiaris
generis sensum stirpibus attribuerit:quod & sua & aliena dignoscant. atque hæc est Platonis,a me bre
uiter explicata,sententia. consequens autem est,ut eorum opinionem in medium afferamus, qui ani-
mæ nostræ unicam esse uoluerunt substantiam,quæ tres facultates habeat,quarum una sit,in qua ratio H
elucet: altera,quæ irarum æstu fluctuat; tertia,quæ uoluptate alitur:cum ipse quoque Plato tum sæpe
alibi,ut probauimus,tum in proposita oratione eam quæ in appetitu uersatur,speciem animæ esse asse-
ruerit: cuius non alia in stirpibus,alia in nobis,sed eadem sit natura:& in iecore quidem,non tamen eo
dem in loco,in quo ira & ratio sedem habent,collocetur. id quod tamen erat consentaneum,si tres il-
læ facultates unius essent substantiæ,ut illis probatur,qui cor esse huiusmodi statuunt. qui sane recte
progrediuntur,ut cum unam animæ substantiam ponant, tres eius maxime generales facultates esse
confirment. at Plato non eandem esse uult substantiam eius animæ,quæ rationis compos est, quæ sit
eius,in qua irarum existit ardor,atque eius,in qua uoluptates concitantur: sed inter se differentes esse
plane docet:ac sæpe etiam partem rationis cum parte iræ contendere:interdum uero iram esse rationi
aduersus appetitum adiumento. itaque totius animæ nostræ formam atque imaginem ad fabulas tran
stulit,in quibus animalia quædam uaria a poetis fingūtur,qualem esse Chimæræ,Scyllæ,& Cerberi for
mam prodiderunt: nihil enim eorum,quæ hac mundi sede continentur,inuenire potuit,ad cuius ima-
ginem nec magis proprie,nec magis accommodate animam nostram exprimeret. similis quoque ea
comparatio est,qua eam cum auriga,equisque coniunxit:sed præstantior est ea, quam in nono politię
scriptam reliquit:in qua compositis animalibus,qualis Chimæra memoratur,ut est in fabulis, animam
comparauit:

A comparauit:cuius uerba,quibus id perſequitur,ſupra recitaui. quare io nos iam,ut ſolent,inuehantur,
irridẽtq; , ac dicta in nos dicanr,qui nos oppugnãt,quaſi garruli ſimus,ſi tres,quas diximus eſſe animas
aſſeramus:ut inquam in cerebro ſit neruorum,ac motuum, qui a uoluntate proficiſcuntur, & quinq; et
ſenſuum initium: in iecore ſanguinis,ac uenarum,nutriendique corporis, ac propriam ſibi ſubſtantia
cognoſcendi origo:in corde,arteriarum,innatique caloris,& pulſus item,& iræ fons ac priocipium.Pla
to autem hæc principia,non unius ſolum ſubſtantiæ facultates,ſed animæ ſpecies uocat. cum igitur ea
rum differentes ſint ſubſtantiæ,ac ſiogularum ſedes in prædictis ſit uiſceribus conſtituta,qui haſce tres
facultates in nobis eſſe ait,is principia,non animas appellare poſſe uidebitur:nihil enim aur medicinæ,
aut philoſophiæ incommodabimus,ſi animal a tribus gubernari principijs,quorum unũ in cerebro,al-
terum in corde,tertium in iecore poſitum ſit,affirmabimus. Sed de his hactenus. quod uero in extre-
ma oratione additum eſt,quomodo de ſtirpibus,deque tertia animæ ſpecie dictum ſit, perpendamus:
quia uero inquit, in ſemetipſum uertitur,externumque motum reſpuit, ac ſuo cietur,idcirco ei natura
conſilium non dedit,quo res ſuas conſideraret:propterea quod contraria huius ſententiæ uidetur ſu-
biungere,cum ait ſtabile,& radicibus fixum hæſiſſe,quia motu extra ſe ipſum uacet. ſed ſuperior oratio
accipienda eſt,ut de proprio ipſius motu loquatur,ut etiam re uera facit: ſiquidem ex ſemine minimo
B exoriens in ſublime fertur,& in aera panditur,ac deorſum alte radices agit:alimentumque ex terra du
cit:& ad extremos uſque ramos,germinaque comportat:& omnium particularum incrementum lon-
giſſime propagat: uultque eo motu priuatam ſtirpem eſſe,qui loci mutatio nominatur:quæ tum effici-
tur,dum nos ſitum,in quo ſumus mutamus,& ex alio loco in alium locum digredimur. quo quidem ge
nere motus cum careat ideo eam ſtabilem radicibusque eſſe fixam conſcripſit. hanc autem ego expla-
nationem potiorem putaui ductus atticorum librorum lectione:cum enim in aliis libris ſcriptum eſſet,
ἐξ αὐτοῦ, hoc eſt,quia motu a ſe ipſa edito uacat,ego deeſſe ω literam ſuſpicatus, hoc modo ſcripſiſſe
Platonem exiſtimaui, ἔξω ἑαυτοῦ κινήσεως.i. quia motum, qui extra ipſam ſit,non habeat:ut motum quo in
ceſſu locum mutent,ſolum abeſſe a ſtirpibus uoluerit.

5 *Ac cum ſuperi hæc genera nobis inferioribus,quibus aleretur,plantauiſſent, in noſtro corpore quaſi horto quodã mea-
tus,ueluti aquæ ductus,ut tanquam liquoris deriuatione irrigaretur,diduxerunt.*

Vt noſtrum corpus aleretur,ait ſtirpes a dijs eſſe procreatas,quod nos earum fructus, atqoe particu
las in uentriculum ingeramus: tum in minutas particulas redacti,& confecti ita per uenas comporten
tur,ut in aquæ ductibus hortorum fieri uidemus:nam per illos aducta aqua,ita rioulis diſtribuitur, ut
uicinæ partes irrigentur. atque olitores tantũ ſpatij inter riuulos eſſe uolunt,quantum ſatis ſit,ut aquę
C ex riuulis diſtributæ & loca intermedia irrigaturæ aditus pateat.

6 *Principio riuos occultos ſub cutis,carniſque coalitu,binas inquam uenas in dorſo diſtribuerunt, quemadmodum gemi-
na erat corporis figura ad dexteram, ſiniſtramque conſtituta.*

Ducto ab hortorum riuulis nomine uenas ipſas riuos appellat. facit aotem mentionem maximarũ
uenarum,a quibus ceteræ omnes,quæ in roto corpore ſunt,ortum trahunt. eaſque in dorſo eſſe diſtri
butas ait. quod per totum dorſum ab internis eius partibus protendantur. uera autem eios oratio eſt,
cum uaſa,quæ exiſtunt in dorſo uenas uocat,quando ita a ueteribus,ut anre monuimus, arteriæ quoq;
appellabantur:nõ tamẽ uera eſt,cũ ideo,quod gemina ſit figura corporis,duas eſſe uenas affirmat: pro-
pterea qood dorſi uaſa non eiuſdem formæ ſunt,cum alterius tunica tenuis,pulſuq; uacans ſit, alterius
pulſet,ac uenæ craſſitudine quincupla ſexcuplave ſit,quam præcipue arteriam nominamus. immo ne al
terũ quidem uas dexteram partem,alterum ſiniſtram ambit; ſed utrunq; in media ſpina eſt locatum:
& ab utraq; cuiuſque horum regione unus neruus alter ad dexteram,ad ſiniſtram alter eſt ſitus.

7 *Has autem ad ſpinam demiſerunt,mediamque genitalem medullam comprehenſam eſſe uoluerunt, ut ipſa quoque pullu-
let maxime. hincque uberior ad alia, quaſi ad decliue,fiat effuſio,qua omnia æquabiliter irrigentur.*

Medullam genitalem uocat,quæ ſpinalis eſt:fuit enim hæc antiqua ſententia, in qua Hippocrates
D quoque fuiſſe uidetur,ſemen ad maris pudendum e ſpinali medulla deferri. eam uero pullulare dixit,
propter ſocietatem uaſorum ſanguineorum,a quibus alimentum ducit. addit præterea,hinc fieri æqua
bilem effuſionem,quaſi ex magnis riuis in paruos efficiatur diſtributio. Sed quod ait,quaſi ad decliue,
non ſatis accommodate dictum uidetur:propterea quod ſuperiores partes,quæ ad ceruicem, caputq;
pertinent,a uenis alimentum ducunt. in ſpinæ autem partibus,infra ſeptum tranſuerſum, uena caua,
& maxima arteria ſuper uertebras percurrit,uſque dum ad eiuſdem ſpinæ finem in crura diſcindatur:at
in partibus,quæ ſupra ſeptum tranſuerſum ſunt, arteria ſuper uertebras longo progreſſu panditur, ſed
ei uena parua adhæret,quæ ijs ſolum thoracis inferioribus partibus,quæ octo ſpurijs coſtis continen-
tur,alimentum præbet. reliqua uero tota ſuperior ſpinæ pars,in qua & primæ quatuor thoracis uerte-
bræ,& ſupra has cunctæ uertebræ ceruicis ad caput uſque ſitæ ſunt,nec uenam,nec arteriam ſibi adia-
centem ſortita eſt. uerum haud mirabile eſt,ut ante monui,ignota Platoni fuiſſe ea,quæ in corporibus
diſſecandis apparent. Sicut ne Homero quidem perſpicua fuerunt:qui ita ſcriptum reliquit:

Venamque inciderat omnem,
Quæ ceruice tenus tergo conſurgit ab imo.

8 *Ad hæc diſciſſis circa caput uenis, ijſque inter ſe contrarijs implicatis,has a dextris ad ſiniſtra, illas a ſiniſtris ad de-
xtera corporis inclinando diſpertierunt:ut caput cum reliquo corpore unà cum cute copularetur: quando caput in uertice*

a neruis

*a neruis in orbem non continebatur : atque etiam,ut sentiendi uis ab utraque parte in totum corpus dimanaret.* E

Existimarunt quidam,uenas tum a læua ad dextram, tum a dextra ad læuam permeare. qui accuratius in dissectione sunt uersati, ipsarum extrema inter se iungi dicunt, quod etiam in alijs corporis partibus usu uenit. ipse uero uinculum capitis esse ipsarum coniunctionem putat:quippe quem eius uera uincula prætereant:ac maxima, quæ in suturis sunt; parua, ut membranam,quæ circa caluariam est,& cutim:quæ ita omni aliam corporis cutem crassitudine superat,ut intrinsecus quædam carni similis substantia tenuis produci, & circa caluariam cogi uideatur. negat autẽ ullum in capite neruum esse,quod nec eos,qui uoluntarij,nec eos,qui copulantes uocantur,ibidem esse,neq; mutuam uenarum cum neruis fieri implicationem cognouerit. cum autem ait, ut sentiendi uis in totum corpus dimanaret:indicat,se etiam illud nescire,neruos esse sensuum auctores:id quod, ut dictum est nobis,quosdam item ex antiquis medicis præterijt.

*Hinc iam aquæ ductum huiuscemodi quadam ratione præparatum esse uoluerunt;quod minore cum difficultate intelligemus,si inter nos illud prius constiterit;omnia,quæ ex minutioribus sunt conflata,contineri maioribus; quę uero ex maioribus, minora nullo modo posse continere:ac propterea ignem, cum minutioribus partibus, quàm cetera alia constet, per aquam, terram, aerem, & alia, quę ex his componuntur, penetrare: quodque eum continere ualeat,esse nihil.idem de nostro uentre existimandum,qui cibos,& potus ingestos potest continere: spiritum & ignem, qui constitutione ipsius sunt multo tenuiores,non potest.* F

Sanguinis per uenas lationem uocat aquæductum,nomine per similitudinem a riuis translato.nunc uero ait aquæductum effici,cum spiritus unà cum calore per uentrem exit, ac simul alimenti particulas comminutas effert.summa autem orationis est a me breuiter, perspicueque proposita. Sed quæ deinceps consequuntur,nec intelligi,nec dici facile possunt.quare ubi singillatim ea exposuero,omnia unũ in caput,redigam,atque compendium.

*His igitur deus quo a uentre ad uenas irrigationem traduceret,usus est.* 10

His inquit,hoc est,spiritu & igne. atque ignem quidem uocat calorem, qui in corpore est, tralato nomine ab eo elemẽto,a quo ipse gignitur:quia quicquid calidũ est,id tale per ignis excessum efficitur.

*Qui reticulum ex aere & igne instar nassæ texuit.* 11

Intelligit hoc loco nassas piscatorũ,quas nisi quis prius uiderit, is quæ dicẽda sunt quia explicari facile nõ possunt, & ab ijs ẽt,qui nassas uiderũt,uix intelligũtur,percipere nullo modo poterit. itaq; siquis maritimis in locis habitet,is operã det,ut piscatorum nassas intueatur:Si uero in solitarijs,montuosisq; uitã degat, saltem calathos inspiciat. Cum igitur hos in basi non perforatos esse, osculum uero supernum adapertum habere animo comprehenderit,tum quę dicenda sunt animaduertat. G

*Quæ duplices nassulas ad introitum habeant.*

Cum tecum animo uolueris,qualis piscatoria nassa sit,quæ sane simplex rete est, alteram quoque in ipsa nassam esse mente concipito,quæ magnæ similis sit,sed tamen parua contineatur: id quod est rete ex funibus constitutum(ut etiam totum rete fieri solet) & a basi magnæ nassæ productum: atque huius quidem retis basis cum illo communis sit: osculum uero æqualem cum ea nassa quæ aliam continet, altitudinem habeat,sed multo inferius desinat.enimuero si nassulam simplicem mente uoluas, certe minore difficultate duplicem perspicies.& qualis ea est,qua de uerba feci,talem quoque esse aliam,quę in magna continetur,ipse constituas.atque ubi hanc mentis acie perlustraris,excogita deinde plexũ quendam oblongum ab utraque nassula usque ad osculum magnæ nassæ pertinentem:ita ut pisces in magnã nassam dupliciter ingredi possint, atque hi per unum, illi per alterum introeant. hoc enim pacto fiet, ut licet pisces sint inter se disiuncti, in una tamen magna nassa inesse omnes eos dixeris; at si in alijs fuerint, non iam in una esse eos affirmabis,quod paruæ illæ sint, quas ipse nassulas uocauit.

*Quarum alteram quoque bicornem prætexuit.* 15

Earum inquit, nassularum alteram bicornem pertexuit: solent græci lignum bicorne, δίκρον,hoc est duo habens cornua appellare:at Plato hoc nomen ad alterius nassulæ osculum traduxit: ut in hoc ipso eam duplicem animo concipiamus.Sed obscurus fuit,cum hoc,quod erat minime necessarium, orationi interiecit: clarius enim locutus esset, si quemadmodum duas nassulas oratione sub oculos subiecit, ita & osculum in superiorem magnæ nassæ extremitatem desinere addidisset:censet enim a nobis mente comprehendi, cutim, quæ foris totum corpus conuestit, extimæ circunferentiæ magnæ nassæ similẽ esse:quæ uero ut nassulæ inanes in ipsa insunt,ijs spatijs,quæ intra cutim sunt: ei nimirum quod in uentre,& ei,quod in thorace est,comparari: siquidem ab his duæ ueluti tibiæ ad oris amplitudinem proficiscuntur.sed,ut res fiat clarior,puta modo,linguam in corpore non esse contentam:atque ita tibiæ, quæ in internam oris amplitudinem ascendunt,erunt stomachus,& arteria,quæ aspera nominatur: quæque ad pulmonem pertinet,in ea sitũ cauitate,quæ alterius nassulæ similitudinem præfert.atq; per hoc ostiolum tum intrante tum exeunte spiritu,fit respiratio: per alterum uero esculenta & poculenta in uentriculum comportantur. ac maxima utriusque materiæ pars ita per os in corpus ingreditur. scribit autem per utrunque ostiolum exiguam partem uel spiritus in uentrem uel potionis in asperam arteriam pulmonemque simul intrare.quam ob rem cum hæc uerba interiecerit,alteram nassularum bicornem esse, obscuram orationem reddidit,& eiusmodi,ut redargui posse uideatur: nam respirationem asperæ arteriæ bicornem esse ait,quod ideo memorauit,quod per nares,atque os respiremus,sed ore solo ędamus,

ac

A ac bibamus. quæ res occasionem contradicendi contentionem studiosis affert: propterea quod nõ solum alterius nassulæ duo illa extrema esse dicent & quod ad nares, & quod ad os pertinet: quia os est etiam communis terminus alterius nassulæ, quæ uentrem attingit. nunc uero cum perspicuum nobis sit, quas particulas in nostro corpore magnæ nassæ, & quas nassulis comparemus, ad alia eius uerba deinceps progrediemur.

14 *Et a nassulis ueluti funes per totum corpus usque ad retis illius extrema circumtendit.*

In nassis piscatorijs nihil tale reperitur, quod cum hoc proportionem habeat, siquidem in nassulis in quibus tota illa intercapedo inanis est, nullus ad continentis circuli rete funis pertingit: at in nobis a uentre, & a pulmone sunt in toto corpore ad extremos usque fines uenæ & arteriæ pertinentes: quas funibus, quos nassulæ ad nassam porrigunt, ei placet comparari.

15 *Atque internas quidem ipsius plexus partes omnes ex igne: nassulas uero, & receptaculum ex aere constituit.*

Plexum hic intelligit totum id, quod cum nassa similitudinem gerit, quia in ipso etiam nassulæ continentur. ait autem regionem, quam hæ occupant, aeri magis, quàm igni similem censeri: quod fuit in causa, ut cum de toto plexu loqueretur, addiderit, nassulas ac receptaculum ex aere constare. planum autem est, nassulas tales esse: ac sane regio in thorace cernitur, quæ aerem solum contineat. cur autem B receptaculum ex aere constari dixerit, non est ita perspicuum: hoc enim nomen uidetur uelut unũ corpus, de quo instituta sit oratio, significare. uerum id repugnare cũ ijs, quæ supra dicta sunt, uidetur propterea quod totum nassæ receptaculum a nassulis plenum redditur, & ab eo etiam, quodcunque ab eisdem in externam nassæ superficiem proficiscitur: quo in loco quosdam ueluti distentos funes a nobis mente concipi dixit oportere: nosq; tum uenas, tum arterias esse monuimus. restat igitur, ut hoc nassæ receptaculum esse externum eius rete intelligamus: quandoquidem ex eo tota nassæ substantia cõstat. ut igitur quod inter nassam, ac nassulas interiectum erat, ab igne superari mente concipiebamus, ita & externum eius finem quod plexus receptaculum est superari ab aere, necessario cogitandum est. id aũt * in nobis cutis esse statuatur, quæ frigida est, ut ea, quæ in aere nobis circumfluo uersantur. atque ego quidem puto, Platonis sententiam esse, circumfluum aerem, qui plexum attingit, esse quandam nassæ particulam: qua in re obscura præcipue eius fuit oratio. quod si statuatur, quæ deinceps consequuntur, sibi mutuo erunt consentanea. quare ad ea iam accedamus.

16 *Tum animali conformato hæc assumpsit, atque hoc pacto disposuit.*

Plexus, quem descripsit, nec re uera est, nec per se ipse constat: sed eius notitia per se sumpta est postea animali adhibenda.

17 C *Alteram nassulam in os demisit: cum autem hæc quoque duplex sit, hanc per arterias in pulmonem, illam uero circa arterias in uentrem uoluit pertinere: alteram ubi diuisit, ambas eius partes ad narium fistulas communiter perduxit: ut quando altera ad os non peruenit, ex hac ipsa omnes illius fluxus expleantur: alterum uero nassæ receptaculum circa omnes partes corporis concauas ipse consenuit.*

Non ait, alteram nassularum in os esse demissam, propterea quod statim addidisset, alteram in hanc, aut illam corporis partem esse demissam; sed hoc ad plexum referendum est, ut eius oratio sit, ut diximus, huiusmodi. cum tres plexus sint, unus, cui magnæ nassæ est nomen: reliqui duo, qui ueluti nassulæ sunt: plexum ipsum nassularum in os traduxit. cumque hic duplex sit, alterum per arterias in pulmonẽ, alterum circa arterias in uentrem deriuauit. cum uero etiam hæ nassulæ binæ sint, ut dictum est, alterã ipsarum, quam esse bicornem supra memorauit, adhibita distributione, utranque ipsius partem per narium fistulas communiter perduxit. cur autem communiter scripserit, ipse statim causam reddit, cum ait, ut quando altera ad os non peruenit, ex hac ipsa omnes illius fluxus expleantur: nassula enim respirationis, quæ duo cornua est consecuta, duas etiam spiritus uias nacta est, alteram per os, alteram per nares: hæcque cum introitus fluxionis, qui ore obitur, aliqua de causa cessat, illius munere fungitur. quibus sane expositis, mox, quæ restant, addidit, ac nassulas propter uim ignis exuperantis radios appellat.

18 D *Idque omne tum in nassulas cõfluere molliter, quasi aer illic sit, effecit: tum uero a nassulis ad superiora fluere, per rete uero, utpote quod raro corpore sit, intro penetrare, ac rursus emergere: radios autem ignis interiores subsequi successione quadam, aere in utranque partem commigrante. atque hæc actio usque dum animal mortale consistit, cessationem nunquam habet: hocq; genus, qui nomina rebus imposuit, respirationem, expirationemq; uocauit. omnis autem hęc actio, omnisque nostra hæc affectio est ad alimentum, uitamq; corpori, quod irrigatur, refrigeraturq; præbendam comparata: nam cum internus ignis cum respiratione intro forasq; commeante unctus sequitur, ac sublimia semper petẽs, ac uentrẽ ingressus cibos, potusque capit, ea colliquat, minutas in partes comminuit, per exitus, qua progressio patet, uelut ex fonte quodam in riuos deriuat, in uenas inquam ipsas traijcit quæcunque exhausit: ac per corpus, tanquam per canalem, uenarum fluenta diducit.*

Docuit totam humani corporis nassam in cutem, quæ externo aeri proxima est, desinere: nunc censet a nobis animo concipi, ipsam in se, duas aeris regiones, ueluti nassulas, quarum altera in uentriculo, altera in thorace sit, continere: totum aũt, quod inter has mediũ interiectum est, quod corpus est, ignis radios ex successione quadam occupare: quos quidem par est, ut per uenas, & arterias porrigi mente concipiamus: hasque esse uias, ut ad utranque regionem, tum ab interioribus ad exteriora, tum ab exterioribus ad interiora ferantur. toti autem plexui duas inter se contrarias motiones esse attributas censet, ut modo a nassulis ad eum usque aerem, qui nos ambitu suo coercet, modo ab aere ad nassulas spiritus feratur. quæ motiones ut fiant, & cur, quandiu corpus uita perfruitur, nunquam cessent, ipse postea declarabit.

declarabit nunc uero totum hunc sermonem ad unam caput redegit, ac motionem, quæ in utranque B partem efficitur, ait ad duplicem respirationem, & alimenti distributionem faciendam pertinere. qua in re id totum, quod ex inspiratione, exspirationeq; conflatum est, ego ueteres fere omnes medicos imitatus respirationem nomino: cum enim triplex res sit, una cum intro spiritus ducitur; altera cum foras pellitur: tertia quæ ex his confecta est; primam, inspirationem: secundam expirationem: tertiam ex utraque coniunctam, respirationem nominant. Plato uero inspirationem nomine respirationis appellauit, eamq; in asperam arteriam, uentremq; effici scribit. sed cũ ea motio, qua spiritus extrorsum fertur, eam, qua introrsum, in ea regione, quæ inter nassulas magnamq; nassam posita est, excipiat: ideo ait, cibos potusque exiguas in partes comminui in ea nimirum totius plexus motione, ac latione, quæ introrsum efficitur: tum uero a calore, spirituque comminutos intra corpus perduci. atq; hæc est, quam distributionem medici uocant: cum alimentum per uenas, atque arterias in omnes corporis particulas comportatur. causam uero, cur spiritus, & calor ultro, citroque commeent, ipse deinceps affert.

*Videamus iam, quibus causis respirationis affectio in hunc modum, qualis nunc est, facta sit. quod ita liquebit: cum nihil uacuum sit, in quod ex ijs, quæ feruntur, aliquid possit irrumpere, & spiritus e nobis foras exiliat, cunctis iam planum est, eũ non in uacuum ferri, sed uicinum aerem a sede propria depellere: depulsum uero illum, proximum, atque hunc item aliũ subinde impellere: eaque necessitate fieri, ut circumagitatus compellatur iterum in eum locum, unde spiritus exierat: ingressusque illuc, ac sede expleta halitum ipsum subsequatur: atque hoc totum quasi rota circumuoluatur. ita fit, propterea quod uacuum nullum reperitur. quam ob rem cum e pectore & pulmone foras exierit spiritus ab aere, qui corpus ambit: introq; per raritatem carnis penetrat, & circumuoluitur, locus eius repletur. qui aer deinde rursus regrediens, & foras per corpus exhalans, intro respirationem per oris & narium transitum repellit.* 19 F

In hac oratione Plato non attulit primam respirationis causam: quia hac oratione absoluta, aliam deinceps exorditur ad hunc modum: hæc autem est earum principij causa afferenda. quid igitur nunc ait? probat nimirum repulsionem, per quam effici respirationem, perspirationemq; censet. ac respirationem quidem uti diximus, uocamus eam, quæ ex inspiratione, expirationeq; conflata est quando utraq; per os efficitur: perspirationem uero, quando totum corpus eam obit. utranque ipse per repulsionẽ effici cẽset hoc modo: cũ per os spiritũ emittimus, ait usu uenire, ut aer, qui ex nassulis foras exilit, externũ aerẽ per cutim solã repellat: hicque ad imas corporis partes feratur, ac locum aeris, qui expirando eximit, expleat. cumque aer iterum in spiritum, quem cutis extra ferebat, irrumpit, tum cõtingere uult, ut externus aer a calore spirituque iterum repulsus, per os intra corpus intrudatur. quæ quidem res inspiratio magis proprio uocabulo a medicis, quàm respiratio nominatur. hanc autem repulsionẽ ob inanis necessitatem, hoc est, ne locus aliquis inanis sit, fieri docet. quocirca cum quid uacuatur, quod ei G proximum est, subsequitur, illiusque locum occupat; idque Erasistratus, consequens ex eo, quod uacuatur, appellare est solitus.

*Hæc autem est earum principij causa afferenda. omne animal in uenis & sanguine calorem, quasi fontem ignis quendam omnino habet: id quod reti nassæ comparauimus, quod per medium extensum, totumque ex igne est confectum; cum exteriora omnia sint ex aere constituta. ac fatendum quidem est, calorem suapte natura in suam regionem extra ad id, quod sibi proximum est, emanare. cum uero duo exitus sint, alter per corpus, quo quid extra fertur, alter per os ad nares, quando in alteram partem irrumpit, alteram intrudit. quod intruditur, in ignem incurrens, calescit: quod emanat refrigeratur. dum ergo calor permutatur, & quæ ad alium sunt exitum sita, calescunt, rursus quod illuc repit, calidius multo factũ ad naturam suam tendit: quodque in altera parte est, repellit. id autem uicissitudine quadam tum patiens, tum eadem semper retribuens, circulo ita illuc fluctuatione agitatum, & ab utrisque confectum respirationi, atque expirationi ortum suppeditat.* 20

His uerbis regionem, quæ imis in partibus delitescit, aperte significauit: aitq;, in ea ueluti nassam esse, quam ignis fontem quendam appellauit. atque hunc calorem in sublime ad id, quod ei proximum remigrare existimat. quam ob rem si caloris uis per os prodire anticiparit, tum ait, caloremq́, qui internis spatijs aeri consimilibus occurrit, tum comminuere, diuidereq; ea, quæ ijsdem spatijs continentur: tum uero externum aerem secum ducere: sicque effici, ut quod repulsum est, in eum calorem, quem ignem H uocauit, incurrens, calescat: quod emanat, refrigeretur: deinde uero contingere, ut quod calefactum est remigret ad illud ipsum, per superficiem externam, quod ei cognatum est: atque id postea sequatur aeris, qui internis spatijs continetur: hunceque mox sequatur, qui usque ad os pertingit: quem rursus externus ab exeunte extrusus consequatur: præsertim cum nulla inanis regio sit, quæ id, quod e corpore exit, excipiat: & hoc modo etiam uicinus aer agitatus continuum sibi aera compellat, atque ille itidem eum, qui post ipsum sit: donec tandem ita uicissim repellendo ad id, quod ex corpore excernitur, aer qui ipsum repleat, remearit. hæc autem agitatio non perfectum circulum facit, qui in idem omnino recurrat: sed, ut ipse ait, huc, illuc fluctuat. qua in re Platoni cum academicis non conuenit: non tamẽ ita, ut Erasistratus existimabat: est enim academicorum sententia, aerem per circulum perfectum ad eadẽ, similiq; modo semper circumferri: Plato uero non per circulum id ait effici, sed per duos, ut quispiã dixerit, semicirculos, qui opposito inter se motu cieantur.

*Iam uero causæ affectionum, quas cucurbitulæ medicorum inducunt, itemque potionis, atque etiam eorum, quæ contorquentur, siue sublimia emittantur, siue humi deferantur, sunt hac ratione pertractandæ. soni quoque & ueloces & tardi, & acuti & graues, alias inconcinni propter motus eius, quo nos feriunt, dissimilitudinem, alias concinni propter similitudinem uidentur: etenim priorum, ac uelociorum motus desinentes, cumque iam ad simile quiddam progressi sunt, tardiores, qui ipsis succedunt,* 21

A *succedunt, ipsosque mouent, anticipant. cum uero eos comprehenderint, non perturbant illi quidem alio pulsu eos agitando, sed principio uelocioris motus occurrentes faciunt, ut ferri tardius incipias. ac dum motionis cessantis similitudinem sibi aptant, unum ex acuto & graui concentum conficiunt. quam ob rem stultos uoluptate perfundunt, sapientibus lætitiam, propter diuini concentus imitationem in mortalibus rebus inuentam, afferunt. eadem quoque de omnibus aquarum fluentis, de ictu fulminum, de admirabili attrahendi ui, quæ in electro, magneteque lapide cernitur, est habenda ratio: siquidem in nullo horum attractio re uera est: sed cum nusquam uacuum sit, hæcque sese mutuo repellant, coniunctaque, & deiuncta suum locum singula petant, fit, ut ei qui hasce res accurate peruestiget, ex his affectionibus inter se coniunctis admirabiles illi euentus contingere uideantur.*

Quid Platoni in mentem uenerit, ut repulsionis opinionem ei sententiæ, quæ de attractione est, antetulerit, atque hac sola in re ab Hippocrate dissenserit: certe nescio: nam respirationem, siue ea sit actio, siue affectio nominanda, per repulsionem non effici, Erasistratus, cum Hestiæi sententiam refellit, plane comprobauit. atque attractionem primas in naturalibus facultatibus tenere, cum probatum est a nobis in primo statim libro eorum, qui de naturalibus facultatibus inscripti sunt, tum uero per se apparet, ut ad eius demonstrationem longam orationem non requirat: nam si quis tibiam, aut arundinem quæ ab utroque latere foramen habeat, in aquam demittat, aeremq; ore attrahat, aqua etiam consequetur:
B cum tamen nulla causa attractionis actionem antecedat. est igitur in nobis, cum uoluntas nostra ferat, labris arundini admotis, idipsum ad nos trahere, quod ea continеatur. Si uero hoc nostrũ opus non sit, profecto ne initium quidem mouendi a nobis ducet. iam cor ipsum, quamuis ab animali euulsum sit, tamen motum sui contrahendi, ac dilatandi seruare diu, animaduertimus. ut igitur cor plane exprimit, quod in se ipso est, dum contrahitur, ita quoque dum dilatatur, id ipsum attrahit, quod partem in eo euacuatam sit repleturum.

22

*Atque, ut unde digressa est, referat se oratio, ab his causis respiratio, atque hunc in modum, ut diximus, efficitur: dum ignis cibos diuidit, ac spiritum assecutus intus extollitur, uenas a uentre ita offerens replet: propterea quod inde, quæ contrita sint, hauriat. qua sane ratione per totum omnium animantium corpus liquores alimentorum ita diffunduntur. ac recens attrita, & ab ijs quæ illis cognata sunt, attracta, partim fructuum, partim graminum, quæ deus ad nostri corporis alimoniam produxit, colores omnis generis propter mistionem nanciscuntur: sed ruber in eis color est omnium longe plurimus, cuius natura ex ignis portione abstersioneque in humore confecta proficiscitur. quocirca color eius, quod in totum corpus permanat, talis aspectu est, qualem memorauimus: id autem sanguinem appellamus, pabulum nimirum & carnis, & corporis uniuersi, unde irrigatis omnibus, quod euacuatum est, deinceps impletur.*

C Consequens erat, ut respirationis causis expositis, naturam sanguinis, cuius nimium calorem respiratione indigere dixit, nobis declararet: ac respiratio quidem nõ solum in causa est, ut calor refrigeretur, sed etiam, ut cibus apte concoquatur, magno est adiumento: ignis enim ille internus, quem natiuum calorem nos appellamus, aeris inspiratione temperatus, concoctos, in sanguinemq; mutatos cibos in totum corpus diducit, atque distribuit. cumque nactus est spiritum & halitum, qui inspirando ingreditur, tum facilius diffluens, totum corpus peruadit, facitq; ut uenæ, quæ alioqui conciderent, sanguine repleantur. & quanquam fusus per uenas sanguis, propterea quod ei admista pituita sit, facile fluit, tamen respirationis opem requirit, ut in uarias corporis partes ascendat, atque descendat. uerũ, ut quod dicimus, perspicuum fit, quomodo sanguis gignatur, nos dilucide, ac breuiter explicemus. itaque scire conuenit, commansum cibum, potioni admistum in uentriculum primo detrudi, atq; ibidem cõcoqui, & colliquari: tum eum succum ad intestinum, quod ieiunum uocant, comportari: ex quo permultæ uenulæ ad gibbam iecoris partem tanquam ad radicem, originemque suam confluunt: ac per eas succus ille omnis, qui iam factus est tenuior, ad iecur deriuatur: ibique a natiuo calore concoctus atque confectus mutatur in sanguinem: rubrumque colorem a colore iecoris, in quo concoquitur, contrahit. hinc efficitur, ut sanguine generato, quatuor exorti humores inter se distinguantur: siquidem in omni cibo-
D rum genere quatuor inesse qualitates iã ostendimus: quæ confecto alimento in quatuor humores peruulgatos conuertuntur. proinde fit, ut leuis, igneaque sanguinis pars, quæ bilis tum flaua, tum amara, tum pallida nominatur, in fel amandetur: crassa terreaque, quam atram bilim appellant, in lienem trãsmittatur; frigida atque humida, cui pituitæ nomen est, simul cum sanguine distributa per uenas feratur. atque ita quidem ex cibo & potione sanguis procreatur, ac per totum corpus distribuitur. ceterũ ille succus confecti in uentriculo cibi cum ex uarijs alimentorum generibus existat, priusquam in iecore in naturam sanguinis se induat, est uario colore perspersus. uerum cum iecur sit quasi concretus quidam sanguis, ideo fit, ut cum ab eius calore accenditur, ipse quoque rubescat, eoque colore imbutus ad reliquas partes accedat, & ita permeans, alimentum carni, uniuersoque corpori subministret.

*Cetera non extant.*

## *Errata quædam sic corrigito.*

*In Commentarijs de humorib. pagina. 13. uersu 43. lege, ipse enim. Pag. 18. uers. 51. aut sopore, aut. Pag. 19: uer. 48. humorum, spiritusq. agitatione. Pag. 28: uer. 46. necessario consequuntur. Pag. 29: uer. 46. Præterea peior. In libro de natura humana, & deinceps, Pag. 11: uer. 46 facultatum expellentium. Pag. 72: uer. 9. in utraq. oppositione. Pag. 75. uer. 3. propter utranq; causam. Pag. 80. in comment. 40. ubi legitur, frigidi & sicci: deest in margine, Vide num legen. calidi & sicci. Pag. 81. uer. 4. ἀσιτίας. Et uer. 11. in calidi, & uer. 12. quoq. solidorum. Pag. 82. uer. 10. ait multis sanguinem. Pag. 97. uer. 13. ac ad Hermoc. Pag. 104. uer. 7. ὥστε. Ibidem ΙΙΙ. Pag. 105. uer. 31. & ἄλογον. Pag. 115. uer. 51. uocem, quæ. Pag. 119. uer. 23. œdemata nominat. & uer. 57. quid causæ. Eadem pag.: uer. 7. impleuerunt, inter. Et uer. 32. maiorem sentiendi. Et uer. 58. partus editur. Pag. 120: uer. 6. sed parua. Et uer. 15. genitus est, confirmat, ualida. Pag. 125. uer. 18. Nec per pemphingas inducentibus finas. Euphorio uero sic, Flores &c. Pag. 143. uer. 38. sensus uerborum. uult enim. Pag. 143. uersu penult. cum multa alia. Pag. 144. uer. 15. οἴδημα, & ἐρβόρνοια. quod autem interiectum est, in albo erat, ut nomen ἐρβόρνοιας declararetur. Pag. 374. uer. 2. irrideantq. Et uer. 4. substantiam. Et a tergo uer. 6. membrana, quæ circa caluariam est; et cutis, quæ ita omnem aliam. Pag. 375. uer. 1. contentionum stud. &c. Cetera autem diligens lector per se animaduertet.*

REGISTRVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP QQ RR SS TT VV XX YY ZZ. AAa.

*Omnes sunt Quaterniones.*




V E N E T I I S,

Apud Vincentium Valgrisium.

M D L X I I.